


2.F.



CONCILIORUM

TOMUS SEPTIMUS.



SACROSANCTA
CONCILIA
AD REGIAM EDITIONEM EXACTA

QUÆ NUNC QUARTA PARTE PRODIT AUCTIOR

Studio PHILIP. LABBEI, & GABR. COSSARTII
Soc. JESU *Presbyterorum.*

TOMVS SEPTIMVS

Ab anno DCCLXXXVII. *ad annum* DCCCXLVII.



LUTETIÆ PARISIORUM,
Impensis SOCIETATIS TYPOGRAPHICÆ Librorum Ecclesiasticorum jussu Regis constitutæ.

M. DC. LXXI.
CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.


KING'S INNS
LIBRARY
DUBLIN.

SYLLABVS

EORUM QUÆ TOMO VII. CONCILIORUM CONTINENTUR.

*Quæ asterisco * notata sunt, non erant in prioribus aliis editionibus: quibus vero hæc nota † impressa est, eorum incertus est annus.*

SYLLABUS TOMI SEPTIMI.

In qua quæ continentur, suis supra locis ac temporibus attributa reperies.



H EN



Η ΕΝ ΝΙΚΑΙΑ ΤΟ ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΑΓΙΑ ΚΑΙ ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΗ, ΕΒΔΟΜΗ ΣΥΝΟΔΟΣ.

SANCTA SYNODVS NICÆNA SECVNDA, GENERALIS SEPTIMA.

HISTORIA CONCILII NICÆNI II.

IN Arabia fuit, imperante Leone Isaurico, Iudæus quidam Sarantapechys [a] veneficus ac præstigiator insignis. Is ut odium jamdiu conceptum adversus Christianos exaturaret aliquando, Ezidum Arabum regem, cujus levissimum esse norat ingenium, adit: vaticinandi illi artem ostentat, diuturnum spondet imperium, si ex Christianorum templis, totiusque regnii sui finibus sacrosanctas imagines detrahat. Homo vanissimus vanissimum vaticinium haud surdis accepit auribus. Imagines omnes, sive in templis, sive in foro essent, revelli ac perfringi jubet. Cumque imperata facere nollent Christiani, satellites Hebræi atque Arabes alacriter perfecere. Ceterum fallax vaticinium nulli magis, quam vel vaticinanti, vel obsequenti fuit exitio. Nam & rex ipse post sesquinanum interiit, & Vlidus ejus filius atque hæres Hebræum vatem, ut patris interfectorem, de medio sustulit. Eversarum imaginum atque inauditæ impietatis fama Christiani nominis provincias brevi pervagata est, omnibus tantum facinus execrantibus. Quamquam in quorumdam animis male alioquin affectis facile facti hujus exemplum & crimen insedit, [b] imperatoris potissimum, & [c] Constantini, qui Nacoliæ erat episcopus: sed & utrique non leve calcar accessit ex consuetudine cujusdam [d] Beseris, qui ex Christianis ortus parentibus, cum captivus in Syriam esset abductus, ex Arabum consortio Mahometanis superstitionibus imbutus est. Tum libertate donatus, cum ad Romanorum ditionem rediisset, primo familiariter egit cum Constantino, deinde se in gratiam imperatoris penitus insinuavit. Beseris & Constantini suasionibus incitatus Leo, ac multo magis adactus jurejurando, quo id spoponderat Hebræis [e] quibusdam qui ei prædixerant imperium, detestabile bellum sacris indicit imaginibus: neque eas ex templis tantum & privatis ædibus dejicit & abradit, sed etiam pervetustæ magnæque religionis statuam salvatoris, quæ ad æneam urbis portam in excelso illustrique loco diutissime steterat, vi ferroque deturbat. Stomachantur qui aderant: percellitur tam acerbo nuntio civitas: ad [f] arma concurritur: regii discerpuntur apparitores & administri. Fremit imperator accepta injuria, & natura ferox ac truculentus ferinam exardescit in rabiem: publico edicto omnem imaginum cultum abrogat, cultoribus interdicit aqua & igni: alios spoliatione bonorum multat, alios in exilium ejicit, aliis abscindit manus, alios crudeliter jugulat, totam denique rempublicam velut immanissimus vere leo lacerat & cruentat. Aggreditur dein sapientissimum [g] doctorem, cui & præstans omnium disciplinarum scientia, & spectata morum integritas, & duodecim contubernalium modestia, quos ecclesiasticorum divinorumque institutorum collegas & socios habebat, venerationem apud omnes justissimam conciliaverat: ut eos non modo permulti doctrinæ ac sapientiæ causa convenire solerent, sed ipsi etiam imperatores in rebus gerendis consulerent. Hos igitur Leo disputationibus primo & privatis collocutionibus in suorum errorum sentinam pertrahere studet, Verum eorum deinde invicta constantia repulsus, inclusos in ædes eis ad habitandum attributas, una cum instructa bibliotheca, noctu imperat concremari. Sanctorum præterea deprecationes irridere, loculos perfodere, reliquias fœdare, neque homines, neque Deum vereri. Nec erat qui efferato Leoni sese auderet objicere, præter unum Germanum Constantinopolitanum episcopum, cujus eximiam sanctitatem, venerandam canitiem, & singularem in conservandis ovibus

[a] Sept. Syn. act. 5. Auct. hist. misc. lib. 21. Zonar. & Cedren. in Leon.

[b] Auct. hist. miscel. loc. cit.

[c] Germani ad Ioannē epistol. in Syn. 7. act. 4.

[d] Auct. misc. ubi sup.

[e] Cedren. & Zonar.

[f] Histor. misc. & Cedren.

[g] Zonar. Cedr. & histor. misc. ubi sup.

ANNO CHRISTI 787.

vigilantiam colebant universi. Lugebat is calamitatem ecclesiæ, & quacumque ratione poterat imperatoris impetum retardabat. Scripsit etiam ad Constantinum [a] episcopum tot scelerum & conscium & auctorem: hortatur ut ab incepto desistat, suæ suorumque saluti prospiciat, redeat ad majorum traditionem. Subdole simulat ille esse se, qui non erat: versuteque rescribit, daturum se operam deinceps, ut dicto factove offendat neminem. Missis etiam ad alios episcopos [b] literis, Germanus vehementer eos rogat, ut fidem a majoribus traditam retineant. Has ob causas Germanum imperator graviter oderat, erumpentem tamen iram premebat, veritus ejus insignem virtutem, magnamque de eo orthodoxæ plebis existimationem. Ergo [c] accersitum blande compellat, ac, velut aliud agens, accusat superiorum temporum imperitiam, & sacerdotes, qui fatue populos imaginibus colendis adduxerant. Sapienter Germanus furentem demulcere studet: explicat ejus rei utilitatem, & ecclesiæ consuetudinem ab apostolis usque deductam. Hic vero excanduit imperator, atque antistitem minis & contumeliis oneratum regia expulit. Nec pepercit [d] Ioanni Damasceno humanarum divinarumque rerum eruditione florentissimo. Etenim ei, quod de religioso imaginum cultu non minus pie quam docte scripsisset, dextera ejusdem Leonis opera & fraude a Saraceno principe præcisa est; quam tamen divinitus restituit clementissima Dei mater, ad cujus ille imaginem, velut ad sacram anchoram, piis fletibus & supplici fide confugerat.

a Histor. misc. Cedr.

b German. in epist. ad Ioan. & Thomam in VII. synod. act. 4

c Auctor. misc. & Cedren. in Leon.

d Surius tom. 3. in vit. S. Ioan. Damasceni.

Gregorius secundus Romanus pontifex cum ea quæ Constantinopoli gerebantur, acerbissime ferret, coacta Romæ [e] synodo, eo studio quod pastorem ac patrem decet, per literas imperatorem commonefacit, desinat aliquando ecclesiam persequi: non esse imperatoris partes de divinis sacrisque rebus judicare, multo minus apostolicas traditiones, quas omnis vetustas pie semper est ac sancte venerata convellere. His aliisque salutaribus monitis restitit Leo: aspidem surdam potius quam hominem diceres. Germanum quoque imperator Constantinopolitano dejicit throno, Anastasium sufficit hominem scelestissimum. Quocirca illum tandem Gregorius pontifex & apostolici anathematis mucrone vulnerat, & Italiæ spoliat imperio, abactis interceptisque Italorum annuis vectigalibus, quæ ad id tempus principibus Constantinopolitanis pendebantur. Leo vero ingentem classem, qua & Gregorium, & Italiam divexaret, instruxit; cui suppeditari sumptum jussit ex censu per capita Siculis & Calabris imposito: ecclesiæ vero Romanæ patrimonium, quod in his erat provinciis, in suum retulit ærarium. Sed ultor tot facinorum Deus immanis tyranni classem magnis jactatam procellis, ad litus Adriatici maris obtrivit.

e Hadrianus papa primus in ep. ad Carolum, & ad imper. Gregor. secundus in epist. 1. & 2. ad Leon. Auct. hist. misc. Cedren. & Zonar. ubi sup.

Gregorio secundo tertius succedit: qui ut laboranti ecclesiæ afferret opem quam posset, ad Leonem mittit Gregorium [f] ecclesiæ Romanæ presbyterum cum mandatis apostolico munere vigilantiaque dignissimis: quæ tamen is imperatori non reddidit, quippe ejus primum minis deterritus, deinde fraudibus elusus, denique annuo damnatus exilio. Cujus rei indignitate commotus pontifex, evocatis in urbem episco-

f Anast. in Greg. tertio.

A pis quam plurimis, ante beati Petri confessionem, tota approbante synodo, oppugnatores imaginum ab ecclesiæ communione, ut pestem ac perniciem Christiani orbis, exsecuit. Postea iterum conatur Leonis animum delinire, missis per Constantinum defensorem epistolis. Verum is tabellarius in vincula conjectus, & diuturno fœtore ac fame cruciatus, vix tandem imperatoris manus effugit. Multis tum calamitatibus tamquam telis e cælo missis Leonis res accisæ sunt. Nam [g] civitatum defectionibus & armis turbata fides erga imperatorem; ex pestilentia & belli cladibus miserabilis vastitas consecuta: sed nihil horribilius terræmotu, qui duodecim [h] menses regiam concussit urbem, prostratis non modo privatis ædibus, monasteriis, templis, sed etiam B publicis mœnibus. Quorum cum nihil Leonis amentiæ mederi potuisset, tandem diris afflictatus torminibus, inter angores & ejulatus impiam animam exhalavit. Leoni successit filius Constantinus, quem Copronymum propterea cognominarunt, quod [i] cum baptismo infans expiaretur, sacrum lavacrum inquinarit. Eo portento territus Germanus patriarcha prædixit, rempublicam & ecclesiam hujus aliquando flagitiis polluendam. Prædictionem comprobavit eventus. Nam si flagellis Leo, scorpionibus Copronymus cecidit ecclesiã, homo natus ad evertendam omnem, quod in ipso fuit, religionem; sacrarum rerum & ceremoniarum, quarum pius cultus in Dei cultum redundat, contemptor im- C pudentissimus; ludis circensibus, victimis exsecandis, evocandis malis geniis ac manibus, aliisque id genus veneficiis apprime deditus. Qui ut sui principatus initia bonis videlicet auspiciis consecraret, generali statim vetuit edicto, ne quis aut eos, qui religiosissimo Dei famulatu excelluerunt, sanctos cognominaret, aut eorum reliquias veneraretur, aut tamquam patronos ac deprecatores imploraret, quod eos nihil posse diceret, ne deiparam quidem virginem, quam ne illo quidem cognomine voluit appellari. Quin etiam sumptis in manibus aliquando loculis auro plenis, ex iis qui aderant, sciscitatus est, quanti eos D æstimarent. Cum responsum esset, magni; vacuos eosdem deinde ostendit, percontatus, quanti eos licerentur. Cum responsum esset, nihili. [k] Ita (inquit) Maria quoque, dum Christum gestavit utero, in honore fuit; postquam eum peperit, nihilo ceteris mulieribus præstitit. Eam igitur impietatem cives graviter ferentes, Artabasdum Curopalatem, Copronymi affinem [l] e sororis conjugio, qui contra ipsum Copronymum arma sumpserat, imperatorem designant; Beserem tot malorum auctorem atque incitamentum trucidant, sacras imagines suis restituunt locis, Copronymum anathemate conviciisque proscissum exuunt imperio, ejusque loco Curopalatem Au- E gustum consalutant. Verum usura gratulationis hujus brevissima fuit. Collectis enim mox viribus Copronymus urbem terra marique obsedit, eaque in deditionem compulsa, Curopalatem etiam in suam redigit potestatem, eique oculos effodit; filios autem gravibus jactatos ærumnis, capite damnat, ne quis ex tam illustri familia veræ religionis vindex relinquatur. Crudeliter etiam desæviit in perduelles ceteros: aliorum fortunas prædam militibus exposuit; alios patriis expulit sedibus; alios, præcisis prius manibus, interemit. At vero, ne qua re rabidis feris esset absimilis, in familia-

ANNO CHRISTI 787.

g Cedr. & Zonar. in Leon.

h Auct. hist. miscel. in fin. lib. 28.

i Cedr. in Leon. & auctor. misc. lib. 21.

k Zonar. in Constãtin. & auct. hist. misc. lib. 21. in fin. Cedren. ubi sup.

l Auct. hist. miscel. lib. 22. Zonar. & Cedren. in Copron.

res

ANNO CHRISTI 787.

res etiam suæque hæreseos sectatores desævit, & in his præcipue Anastasium pseudopatriarcham, quem asello præpostere impositum, & virgis cæsum, & per urbis plateas ludibrio habitum, rursus in pristinum thronum collocavit. Sed paulo post hic ipse episcopus, qui inter concionandum sanctorum gloriam conviciis proscindere consueverat, morti proximus per os egerere sua ipsius excrementa coactus est. Instititere tres deinceps [a] Romani pontifices, Zacharias, Stephanus & Paulus, totidem synodis Romæ habitis, literis, cohortationibus, precibus, aliisque remediis perditi hominis curare dementiam. Copronymus vero nec B ullum sanctissimis pastoribus honorem habere, nec divinum numen vereri, nec ignominiis ullis adversus sanctos parcere; imo vero, ut suæ sectæ nomen ac dignitatem amplificaret, [b] synodi cujuspiam auctoritate CCCXXXVIII. episcopos, quorum antesignani erant Theodosius Ephesi, & Pallas Pergæ, homines audaces & impii, Constantinopolim evocavit: per quos, quæcumque ei libuisset, sine ullo metu statueret. Nihil ea de re actum est cum apostolica sede: nullus episcopus ex catholicis ac primariis sedibus, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, est accersitus: nihil ordine susceptum, factumque; nihil in tanto cœtu aliud resonat, quam adversus imagines impudens ac vesana conclamatio: præficitur ecclesiæ Constantinopolitanæ Constantinus monachus, homo nefarius: decurritur in forum: adest imperator; adsunt & episcopi cum patriarcha Constantino: omnis interdicitur imaginum honor ac veneratio: indigno feriuntur anathemate Germanus, Georgius Cypri episcopus, Ioannes Damascenus, acerrimi propugnatores imaginum. Sed cum Constantinopolitanam hanc synodum Stephanus pontifex abrogasset Romana [c] synodo, Copronymus ad suæ synodi [d] subscriptionem episcopos ac monachos universos adigere conatus est. Verum restitit eorum optimus quisque, nec hominis tyrannidem timuere jam jam piorum cervicibus imminentem, sed lubentibus animis excepere oblatam sibi facultatem bibendi calicem domini, & lavandi stolas suas in sanguine agni. Atque inter hos in primis claruere Andreas Calybites [e] eximiæ pietatis monachus, cui flagrorum vi dirupta cutis est; & dum traheretur per urbem pede amputato, martyrium consummavit: præterea Petrus vir gravissimus, qui vinctis per plateas pedibus tractus, & in mare demersus est: Stephanus eremitarum dux & magister [f], qui complures annos claustro inclusus traduxerat. Is exemplo prioris Stephani, fustibus & lapidibus toto corpore dilaceratus, & in altissimam foveam inter reos damnatosque projectus: monachi [g] vero compulsi, pallio & cucullo deposito, inire conjugia, & vitam sordidis artibus tolerare. Tradita militibus monasteria, ut sacri monachatus memoria deleretur. Sanctorum patrum libri, sacra supellex & reliquiæ in rogos ac flammas injecta. Aliquot senatores, clarissimi viri, quod imagines adorassent, durissimis nervis in foro verberati. Adacti denique omnes jurejurando, diraque execratione, nullum se posthac honorem imaginibus habituros. Quod cum pro suggestu Constantinus pseudopatriarcha publice fecisset, vindicem Dei justitiam non effugit. Nam paulo post, cum Coprony-

[a] Anastas. in vit. horum pontificum, & Hadrian. in ep. ad Constan. & Iren.

[b] Auct. hist. miscel. Zonar. & Cedren. ubi sup.

[c] Hadr. in epistol. ad Carolum.

[d] Zonar. Cedren. & auct. histor. miscel. ubi sup.

[e] Ex actis martyr. apud Surium 17. Octobris.

[f] Ex actis martyr Stephan. & sociorum.

[g] Auct. hist. miscel. Zonar. & Cedren. ubi sup.

A mus de abneganda Christi domini divinitate cogitasset, remque patriarchæ credidisset, quod is habere clausa non potuerit principis consilia, jussus est publice virgis cædi, conspui, per urbem raptari, & in sordidissimis urbis locis jugulari.

Tandem Copronymus, tamquam cædibus sacrilegiisque defessus, cum expeditionem suscepisset in Bulgaros, ardentissima febri correptus est Arcadiopoli: utque vitæ exitus anteactæ vitæ esset ultio, pedes illi ardentibus ulceribus, quos carbunculos ab exurendi vi nominant, intumuere. Dumque hoc vehementi jactatur æstu, clamat infelix, vivum se inextinguibili igni traditum, ob violatum deiparæ Mariæ nomen & cultum: cumque eam sero jussisset honorifice coli, acerbissimo interitu, ad quæ migraret supplicia, non obscure monstravit. Successit filius Leo quartus, qui ex Irene [h] conjuge Constantinum suscepit. Nec is diu imperavit, minus quidem quam a pietate alienus: imagines tamen perosus, earumque cultores insectatus est: sed perbrevi defunctus imperio, infeliciter obiit.

Faustis tunc auspiciis Irene [i] cum filio Constantino imperare cœpit, catholica religione ac pietate florentissima mulier. Itaque nihil ei C fuit antiquius, quam ut religionem, quæ dilapsa jacebat, excitaret, regiamque urbem multiplici ictam anathemate, & a ceteris sejunctam ecclesiæ partibus, ad reliqui corporis concordiam revocaret. Cum vero Paulus [k] abdicato Constantinopolitano patriarchatu in Flori secessisset monasterium, seipsum voluntariis discruciaturus pœnis, hujus rei causam sciscitantibus imperatoribus respondit; quia Copronymi synodo, in qua sacras imagines ab ecclesia auferendas inique decretum fuerat, suam adjecerat subscriptionem; & nisi pœnitentiam ageret, æternis se fuisse cruciatibus D puniendum. Quo responso permoti imperatores, primum de patriarcha optimo deligendo soliciti, habita, quam par erat, deliberatione, visus est nemo, cui merito Tarasius posthaberetur. Is vero gravissimum detrectabat onus, nec prius urgentibus cessit Augustis, quam fore pollicerentur, ut omni ope atque opera synodum indicendam curarent.

Ergo ad Hadrianum primum consilii animique magnitudine clarissimum, [l] synodicam Tarasius, in qua de imaginum cultu docte ac pie disserebat, scribit epistolam. Scribunt & imperatores, communicatisque consiliis rogant, ut synodus ipsius auctoritate cogeretur, ad eamque de more legatos apostolicos mitteret. Lætior pontifici nuntius nullus afferri potuit. Itaque Petrum [m] archipresbyterum E ecclesiæ sancti Petri, & Petrum abbatem sancti Sabæ mittit, qui suo nomine concilio præsint. Verum Iconomachi, qui diu fuerant in urbe regia dominati, incredibiles imperitæ multitudinis [n] concursus ac tumultus adversus episcopos concitarunt: quam seditionem armatæ plebis cum ne imperatores quidem sedare potuissent, dilata res est. Cogitatum deinde de [o] Nicæa Bithyniæ metropoli, quæ ob primi concilii majestatem, & Arianæ pestis eversionem, in maximo honore habebatur, tamquam ad hostes ecclesiæ debellandos divinitus constituta. Summo igitur consensu Nicæam synodus translata est, [p] imperatoribus Irene & Constantino, octa-

ANNO CHRISTI 787.

[h] Auct. hist. miscel. lib. 23. Zonar. & Cedren. in Leon.

[i] Auct. hist. miscel. lib. 23. Zonar. & Cedr. in Constantino.

[k] Epist. Constantini ad synod. in synodi, act. 1.

[l] Auct. hist. miscel. lib. 23. Cedr. & Zonar. ubi sup.

[m] Hadrianus in ep. ad Constant. in 7. synod. act. 2. & ep. imperator. in act. 1.

[n] Auct. hist. miscel. ubi sup.

[o] Sept. syn. act. 1.

[p] Cedr. & Psel. de 7. synod.

ANNO CHRISTI 787.

vo ejus anno, factumq; disputandi initium octavo Kalendas Octobris, in ecclesia sanctæ Sophiæ. Interfuerunt cum Tarasio Constantinopolitano religiosissimi duo monachi Ioannes ac Thomas, qui sedium orientalium locum tenebant; & episcopi CCCL. [a] eximii vitæ eruditionisque præstantia, & archimandritæ multi cum monachis quamplurimis, qui patrum consessum sanctitatis & doctrinæ splendore magnifice decorabant; clarissimi itidem senatores aliquot ab imperatoribus missi: universo autem concilio paulo ante memorati apostolicæ sedis legati præsidebant. [b] Perlectis initio imperatorum literis, statim tres episcopi, Basilius Ancyranus, Theodorus Miron, & Theodorus Amori, supplices obtulere libellos ad veniam deprecandam, quod Copronymi synodo subscripsissent. Agitata res est in utramque partem, an esset huic hominum generi parcendum. Clementior demum, & ad ignoscendum propensior sententia placuit. Quocirca & episcopi alii, qui in eodem hærebant luto, Hypatius Nicææ, Leo Rhodi, Nicolaus Hierapoleos, Gregorius Pessinuntis, Gregorius Antiochiæ Pisidiæ, Leo Carpathi, in primis vero Gregorius Neocæsariensis, qui in pseudosynodo fuit antesignanus ac præses, eam sibi noxam & crimen condonari postularunt. Condonatum est omnibus, tum qui ab hæresi resipiscebant, tum qui ab hæreticis sacerdotio fuerant initiati, permissumque ut (nisi flagitium aliud obesset) suum quisque gradum ac dignitatem retineret.

Tum recitatæ [c] sunt Hadriani primum ad imperatores & ad Tarasium literæ, quibus orthodoxorum dogma de colendis imaginibus explicabatur: deinde [d] synodicæ tum Tarasii ad patriarchas orientis, tum orientalium ecclesiarum ad Tarasium epistolæ, quibus recte de fide disserebatur. Horum omnium epistolis ab universa synodo honorifice acclamatum est. Ea vero fides quo fieret illustrior, placuit e sanctissimorum patrum [e] libris depromi, & in medium proferri apertissimas gravissimasque sententias, quibus imaginum venerationem magnopere commendant: quippe rem ab apostolis traditam, vetustissimo ecclesiarum omnium probatam usu, & compluribus miraculis illustrem ac

a Nicolaus epistol. ad Michaelem incip. Proposueramus.
b In 7. syn. act. 1.
c Act. 2.
d Act. 3.
e Act. 4. & 5.

A testatam: quæ sententiæ in synodo ex optimis auctoribus recitatæ sunt. Quapropter constantissimis omnium patrum suffragiis sancitum [f] est, ut in basilicis, aliisque honestioribus locis Christi domini & sanctorum imagines collocentur, ad memoriam & imitationem virtutum excitandam; atque ut debitis colantur honoribus: cum is cultus ad prototypum referatur, ut sanctorum reliquiis ea, quam par est, veneratio deferatur. Ut qui contra senserint, anathematis pœnam luant: episcopi vero & clerici deponantur. Quibus sanctissime constitutis, placuit in medium deferri sacram [g] salvatoris imaginem, & suppliciter procumbentibus universis, ut suorum ipsi decretorum fructum perciperent, adorari. B Visum est etiam de Copronymi flagitiosissima [h] synodo cognoscere: ne quid, unde periclitari posset piorum simplicitas, resideret. Perlecta igitur est in publico conventu, ejusque vanissimæ rationes verissimis aliis eversæ; &, quantum satis erat, explicatum, divinarum scripturarum testimonia, quibus idola gentium redarguuntur, adversus sanctorum imagines ab hæreticis stultissime detorqueri. Proinde justissimum sacrosancta synodus anathema constituit in nequissimi illius conciliabuli auctores: nec solum in [i] Anastasium, sed etiam in Constantinum ac Nicetam pseudopatriarchas: qui non ascenderunt ex adverso, neque opposuerunt murum pro domo Israel, sed silendo etiam obsequendoque, stimulos & ignes Leonis & Copro- C nymi furiis admovere. Postremo canones XXII. adjecerunt.

His rite peractis, Tarasius patriarcha, datis ad Hadrianum [k] Romanum pontificem literis, rerum omnium quæ gestæ fuerant, rationem reddidit. Hadrianus [l] autem eam synodum non modo apostolicæ sedis inviolabili judicio comprobavit, sed conscripta etiam ad Carolum magnum imperatorem epistola, a quorumdam criminationibus defendit. Hujus etiam sacrosanctæ synodi decreta confirmata postmodum sunt ab octavo œcumenico [m] concilio, a Nicolao primo in epistola [n] ad Michaelem imperatorem, & a Leone nono ad Petrum Antiochenum episcopum, & aliis.

ANNO CHRISTI 787.
f Act. 7.
g Act. 5. ad fin.
h Act. 6.
i Act. 7. in fin.
k Act. 7.
l Epist. Hadrian. ad Carol.
m Act. 10.
n quæ incip. Proposuerunt.

CAPUT I. EPISTOLA GREG. PP. SCRIPTA ANNO DCCXXVI.

Hic fuit hujus nominis secundus, licet a quibusdam nō recte Dialogus appelletur. Annos designare videtur 717. 718. 719. qua de re aliis.

ANNO CHRISTI 787.

SANCTI PATRIS NOSTRI

GREGORII PAPÆ ROMANI

DE SACRIS IMAGINIBUS

ad Leonem Isaurum imperatorem.

Epistola prima.

LITERAS vestræ a Deo custoditæ majestatis ac fraternitatis per augustalem Spatharocandidatum missas accepimus, imperante te indictione quartadecima; ipsius etiam 14. & 15. & 1. & 2. & 3. & 4. & 5. & 6. & 7. & 8. & 9. indictionum acceptas epistolas tuas, in sancta ecclesia repositas in limine confessionis sancti & gloriosi ac principis apostolorum Petri diligenter servamus, ubi & Christi amantium prædecessorum tuorum qui pie imperarunt, sunt literæ. Et in decem syllabis recte ac pie, utque imperatorem Christianorum

D ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ ΠΑΠΑ ΡΩΜΗΣ

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΕΙΚΟΝΩΝ

πρὸς Λέοντα βασιλέα τὸν Ἴσαυρον.

Πρώτη ἐπιστολή.

ΤΑ γράμματα τῆς ὑμετέρας θεοφρουρήτου βασιλείας καὶ ἀδελφότητος ἐδεξάμεθα διὰ αὐγουσταλίου τοῦ Σπαθαροκανδιδάτου, βασιλεύσαντός σου εἰς τὴν τεσσαρεσκαιδεκάτην ἐπινέμησιν, αὐτῆς τε τῆς ιδ'. καὶ ιε'. καὶ α'. καὶ β'. καὶ γ'. καὶ δ'. καὶ ε'. καὶ ς'. καὶ ζ'. καὶ η'. καὶ θ'. τῆς ἐπινεμήσεως δεξάμενοι τὰς ἐπιστολάς σου, ἀσφαλῶς διακατέχομεν ἐν τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ ἀποκειμένας εἰς τὸ πρόσοδον τῆς κοιμήσεως τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου καὶ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου· ὅπου εἰσὶ καὶ αἱ τῶν πρὸ σοῦ βασιλευσάντων εὐσεβῶς φιλοχρίστων. καὶ εἰς τὰς δέκα συλλαβὰς καλῶς καὶ εὐσεβῶς, καὶ ὡς πρέπει βασιλεῖ Χριστιανῶν,

οὕτως

ANNO CHRISTI 787.

οὕτως ὡμολόγησας τηρεῖν καὶ φυλάττειν ἀνελλιπῶς πάσας τὰς παραινέσεις τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν καὶ διδασκάλων. καὶ τέως πρῶτον καὶ ἐξαίρετον, ὅτι σὰ τὰ γράμματα, καὶ οὐκ ἀλλότρια, ταῖς βασιλικαῖς σφραγῖσιν ἐσφραγισμένα ἀσφαλῶς, καὶ ἔσωθεν ἀσφαλεῖς ὑπογραφαὶ διὰ κινναβάρεως ἰδιοχειροί σου, ὡς εἴθισται τοῖς βασιλεῦσιν ὑπογράφειν. καὶ ὡμολόγησας πάνυ καλῶς καὶ εὐσεβῶς περὶ τῆς ἀμωμήτου ἡμῶν καὶ ὀρθοδόξου πίστεως· ἀλλὰ καὶ ἔγραψας· ὁ λύων καὶ καταλύων τὰ ὅρια τῶν πατέρων, ἐπικατάρατος. καὶ ταῦτα δεξάμενοι εὐχαριστηρίους ὕμνους ἀνεπέμπομεν πρὸς τὸν Θεὸν, ὅτι πάντως καὶ τὸ βασίλειον ἐκ Θεοῦ σοι δεδώρηται. καὶ καλῶς σου τρέχοντος, τίς ἐνεκωδώνισέ σου τὰ ὦτα, καὶ τὴν καρδίαν διέστρεψεν ὡς τόξον στρεβλὸν, καὶ εἰς τὰ ὀπίσω ἀπέβλεψας; τοὺς δέκα ἐνιαυτοὺς χάριτι Θεοῦ καλῶς περιεπάτησας, καὶ εἰς μνείαν τὰς ἁγίας εἰκόνας οὐκ ἤγαγες· νῦν δὲ λέγεις, ὅτι εἰδώλων τόπον ἀναπληροῦσι, καὶ ὅτι οἱ προσκυνοῦντες αὐτὰς, εἰδωλολάτραι· καὶ * ἐπέστρεψας ἀφανίσαι αὐτὰς, καὶ τελείως ἀφανεῖς γενέσθαι· καὶ οὐκ ἐφοβήθης τὸ κρίμα τοῦ Θεοῦ, τὰ σκάνδαλα ἐλθεῖν εἰς τὰς καρδίας τῶν ἀνθρώπων οὐ μόνον πιστῶν, ἀλλὰ καὶ ἀπίστων. παραγγέλλει δέ σοι ὁ Χριστὸς, μὴ σκανδαλίζειν ἕνα τῶν μικρῶν, καὶ διὰ τοῦ μικροῦ σκανδάλου εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον ἀπέρχεσθαι· καὶ σὺ ὅλον τὸν κόσμον ἐσκανδάλισας, ὡς μὴ βουλόμενος θάνατον ὑποστῆναι, καὶ κακὴν ἀπολογίαν δοῦναι; καὶ ἔγραψας, ὅτι οὐ δεῖ προσκυνεῖν χειροποίητα, καὶ πᾶν εἶδος καθ' ὁμοίωμα, καθὼς εἶπεν ὁ Θεὸς, μήτε ἐν οὐρανῷ, μήτε ἐπὶ τῆς γῆς· καὶ ὅτι πληροφόρησόν με, τίς ἡμῖν παρέδωκε σέβεσθαι καὶ προσκυνεῖν χειροποίητα· κἀγὼ ὁμολογῶ, ὅτι Θεοῦ νομοθεσία ἐστί. καὶ διὰ τί, ὡς βασιλεὺς καὶ κεφαλὴ τῶν Χριστιανῶν, οὐκ ἠρώτησας γνωστικοὺς ἔχοντας πεῖραν· καὶ παρ' αὐτῶν πληροφορηθῆναι εἶχες, δι' ἃ ἔλεγεν ὁ Θεὸς χειροποίητα· πρὶν ἢ συμφῦραι, καὶ συγχῦσαι, καὶ συνταράξαι τοὺς ταπεινοὺς λαούς; ὅμως σὺ ἀπώσω, καὶ ἠρνήσω, καὶ ἐξέβαλες ἔξω τοὺς ἁγίους ἡμῶν πατέρας καὶ διδασκάλους, οἷς ἰδιοχείρως καὶ ἐγγράφως ὡμολόγησας πείθεσθαι καὶ ἀκολουθεῖν. ἡ γραφὴ ἡμῶν, καὶ τὸ φῶς, καὶ ἡ σωτηρία ἡμῶν, οἱ ἅγιοι καὶ θεοφόροι πατέρες καὶ διδάσκαλοι ἡμῶν τυγχάνουσι, καὶ αἱ ἐν Χριστῷ ἓξ σύνοδοι παρέδωκαν ἡμῖν, καὶ οὐ παραδέχῃ αὐτῶν τὰς μαρτυρίας. ἀνάγκην ἔχομεν γράψαι σοι παχέα καὶ ἀπαίδευτα, ὥσπερ εἶ ἀπαίδευτος καὶ παχύς· ἀλλ' ὄντως δύναμιν καὶ ἀλήθειαν Θεοῦ ἔχουσι. παρακαλοῦμέν σε διὰ τὸν Θεὸν, ἀπορρίψασθαι τὴν ὑψηλοφροσύνην καὶ ὑπερηφανίαν τὴν περικειμένην σοι, καὶ μετὰ πολλῆς ταπεινώσεως χαρίσασθαι ἡμῖν γνησίως τὴν ἀκρόασίν σου· καὶ πείθοι σε ὁ Θεὸς εἰς τὴν ἀλήθειαν, δι' ὧν ἐλάλησε. διὰ γὰρ τοὺς εἰδωλολάτρας διελέγετο, τοὺς ἐγκαθεζομένους εἰς τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας· οἵπερ προσεκύνουν ζῶα χρυσᾶ, καὶ ἀργυρᾶ, καὶ ξύλινα, καὶ πᾶσαν τὴν κτίσιν προσεκύνουν, καὶ πάντα τὰ πετόμενα ὄρνεα· καὶ ἔλεγον· οὗτοί εἰσιν οἱ θεοὶ ἡμῶν, καὶ ἄλλος Θεὸς οὐκ ἔστι. διὰ ταῦτα τὰ χειροποίητα τοῦ διαβόλου, τὰ ἐπιβλαβῆ καὶ ἐπικατάρατα, ἔλεγεν ὁ Θεὸς μὴ προσκυνεῖσθαι. ἐπειδὴ γὰρ εἰσὶ χειροποίητα εἰς ὑπηρεσίαν καὶ εἰς δόξαν Θεοῦ,

*ἴσ. ἐπέτρεψας.

CAPVT I. EP. GREG. PP. SCRIPTA ANNO DCCXXVI.

A decet obſervaturum te ac cuſtoditurum integre omnes ſanctorum patrum noſtrorum & doctorum admonitiones promiſiſti. Illud autem in primis præcipuum eſt, quod literæ tuæ, & non alienæ, ſigillis imperatoriis obſignatæ diligenter ſunt, & accuratæ intus ſubſcriptiones per cinnabarin propia manu tua, ut mos eſt imperatoribus ſubſcribere: recteque admodum ac religioſe confeſſionem inculpatæ & orthodoxæ fidei noſtræ edidiſti, ſed & ſcripſiſti, eum qui * ſolvit ac diſſolvit terminos patrum, execrandum eſſe. Cumque iſthæc accepiſſemus, gratiarum actionis hymnos Deo offerebamus, quod a B Deo tibi plane donatum eſſet imperium. Et cum recte curreres, quis auribus tuis inſonuit, & cor pervertit velut arcum pravum, & in ea quæ a tergo ſunt reſpexiſti? Decem annos Dei benignitate recte ambulaſti, neque ſacrarum imaginum mentionem feciſti: nunc autem eas dicis idolorum locum implere, atque illos qui eas venerantur, idololatras eſſe; teque ad eas evertendas penituſque delendas convertiſti: neque judicium Dei reformidaſti, cum ſcandala in hominum corda, non fidelium modo, ſed & infidelium, ingruerent. Atqui denuntiat tibi Chriſtus, ut ne unum de puſillis ſcandalizes, & C ob exiguum ſcandalum in ignem æternum immiſſum iri: at tu mundum totum ſcandalizaſti, ut qui mortem nolis ſubire, atque infelicem rationem reddere? Scripſiſti autem non eſſe manufacta veneranda, nec ullam efficiem ad ſimilitudiné effictam, ſicut dixit Deus, neque in cælo, neque in terra: & demonſtra mihi quis tradiderit veneranda & adoranda eſſe manufacta, tum ego Dei eſſe mandatum fatebor. Quare vero, tamquam imperator & caput Chriſtianorum, ſapientes non percontatus es, qui experientia pollent; & ab ipſis edoceri potuiſſes, propter quæ manufacta Deus hæc dixerit; priuſquam contunderes & commiſceres humiles populos at- D que conturbares? Verumtamen tu ſanctos patres noſtros ac doctores rejeciſti ac repudiaſti, & foras amandaſti, quibus manu propria ſcriptiſque tuis te pariturum, eoſque ſecuturum promiſiſti. Scriptura noſtra, lux & ſalus noſtra, ſancti ac Deo pleni patres & doctores noſtri ſunt; & hoc ſex in Chriſto ſynodi nobis tradiderunt, & tu eorum teſtimonia non accipis. Neceſſe habemus craſſa tibi & indocta ſcribere, ut indoctus es & craſſus, ſed re vera tamen virtutem ac veritatem Dei in ſe continent. Per Deum te obteſtamur, ut arrogantiam deponas & E ſuperbiam, qua circumfluis, multaque cum humilitate ſincere nobis aures accommodes. Flectat animum tuum Deus ad veritatem ſermonum ſuorum efficacitate. Propter idololatras enim, qui terram promiſſionis occupabant, verba faciebat, qui animalia aurea, & argentea, ligneaque, & omnem creaturam adorabant, & volantes aves omnes; ac dicebant: Iſti ſunt dii noſtri, & alius Deus non eſt. Propter hæc manufacta diaboli noxia & execranda dicebat Deus, ne ea adoraremus. Nam quia ſunt manufacta quædam ad miniſterium & gloriam Dei,

*reſcindit & deſtruit

Pſal. 17.

Luc. 17.

Exod. 20.

CAPUT I EP. GREG. PP. SCRIPTA ANNO DCCXXVI.

cum peculiarem populum suum Hebræorum A sanctificatum introducere vellet, prout ante Deus Abraham, Isaac, & Iacob promiserat se terram illis promissionis daturum, & possessores ac heredes possessionum idololatrarum * illos redditurum, ac gentes illas concisurum, penitusque deleturum, quia terram & aerem iniquitate sua, quam perpetraverant, contaminarant, prædicebat Deus, ac præmuniebat populum suum, ne in eorum adorationes prolaberentur. In populo Israelitico viros duos selegit Deus, ac benedixit eos & sanctificavit, ut opera manufacta fabricarentur, verum ad gloriam & ministerium Dei, in monumentum generationum ipsorum; Bezeleel inquam & B * Eliab ex prima tribu Dan. Dixit Moysi Deus: *Pracide tabulas duas lapideas*, & affer mihi. cumque præcidisset, advexit: & digito suo decem & vivifica & immortalia verba scripsit Deus. Deinde, fac cherubim & seraphim, inquit Deus, & fac mensam, ac deaurato intus & foris: & arcam fac de lignis imputribilibus, & impone testimonia tua in arcam in memoriale generationum vestrarum; hoc est, tabulas, urnam, virgam, manna. Suntne hæc figuræ ac simulacra manufacta, an non? verumtamen ad gloriam & ministerium Dei. Moyses ille magnus timore correptus cum figuram C vellet & simulacrum intueri, ne forte erraret, orabat Deum dicens: Ostende mihi teipsum manifesto, ut videam te. & respondit Deus: Si videris me, morieris; sed ascende per foramen petræ, & videbis posteriora mea. Ostendit ei Deus in visione mysterium a sæculis absconditum & a generationibus. Verum nostrarum generationum ætate in novissimis temporibus manifestum seipsum, & posteriora simul & anteriora perfecte nobis ostendit. Cum vero genus hominum in perpetuum perire vidisset Deus, figmenti sui misertus, filium suum ante sæcula genitum misit: & de cælis descendens, in ventrem virginis Mariæ ingressus est, cum in ejus utero verum lumen eluxisset; & seminis loco lumen factum est caro: & in Jor- D dane fluvio baptizatus est, & nos quoque baptizavit. Indiciorum nobis pignora dare cœpit, ne fallamur; & Hierosolymam ingressus, in cœnaculo sanctæ & gloriosæ Sion in mystica cœna sacrum nobis corpus suum apposuit, & precioso nos sanguine suo potavit. Illic & pedes nostros lavit, & cum ipso bibimus & comedimus, & ipsum manus nostræ contrectaverunt, & familiaris noster est factus, & manifestata nobis est veritas, & error & caligo qua circumfusi eramus, aufugit, & e medio sublata est; atque in omnem terram exivit so- E nus ejus, & in fines orbis terræ verba ejus. Cœperunt ab universo terrarum orbe homines velut aquilæ advolantes Hierosolymam venire, prout in euangeliis dixit dominus: *Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Christus autem cadaver, aquilæ in sublime volantes, religiosi sunt homines & Christi amantes. Qui dominum cum vidissent, prout viderant, spectandum ipsum proponentes depinxerunt: cum Iacobum fratrem domini vidissent, prout viderant, spectandum ipsum proponentes depinxerunt: cum Stephanum protomartyrem

* Israelitas

Exod. 31.

* Ooliab.

Exod. 34.

Exod. 25.

Exod. 33.

Matth. 24.

γράφησαν. ἰδόντες Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου

A ὡς βουλόμενος τὸν οἰκειακὸν αὐτοῦ λαὸν τὸν ἡγιασμένον τῶν Ἑβραίων εἰσαγαγεῖν, καθὼς προεπηγγείλατο ὁ Θεὸς τῷ Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ, δοῦναι αὐτοῖς τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας, καὶ ποιῆσαι τοὺς Ἰσραηλίτας κτήτορας καὶ κληρονόμους τῶν κτημάτων τῶν εἰδωλολατρῶν, καὶ συντρίψαι, καὶ τελείως ἐξαλεῖψαι τὰς γενεὰς ἐκείνας, ὅτι ἐμίαναν τὴν γῆν καὶ τὸν ἀέρα ἐκ τῆς παρανομίας ὧν ἔπραττον, προέλεγεν ὁ Θεὸς, καὶ προησφαλίζετο τὸν λαὸν αὐτοῦ, ἵνα μὴ ἐμπέσωσιν εἰς τὰ προσκυνήματα αὐτῶν. εἰς τὸν Ἰσραηλίτην λαὸν δύο ἄνδρας ἐξελέξατο ὁ B Θεὸς, καὶ εὐλόγησεν αὐτοὺς καὶ ἡγίασεν, ἵνα ἔργα χειροποίητα ἐργάζωνται, ἀλλ' εἰς δόξαν καὶ ὑπηρεσίαν Θεοῦ, εἰς μνημόσυνον τῶν γενεῶν αὐτῶν· τὸν Βεζελεὴλ λέγω, καὶ τὸν Ἐλιὰβ τῆς πρώτης φυλῆς τοῦ Δάν. λέγει ὁ Θεὸς τῷ Μωϋσῇ. λάξευσον πλάκας δύο λιθίνας, καὶ φέρε μοι. καὶ λαξεύσας ἤγαγε· καὶ ἔγραψεν ὁ Θεὸς τῷ ἰδίῳ δακτύλῳ τοὺς δέκα καὶ ζωοποιοὺς καὶ ἀθανάτους λόγους. εἶτα λέγει ὁ Θεός· ποίησον χερουβὶμ καὶ σεραφὶμ, καὶ ποίησον τράπεζαν, καὶ περιχρύσωσον ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν· καὶ ποίησον κιβωτὸν ἀπὸ ξύλων ἀσήπτων, καὶ ἔμβαλλε τὰ μαρτύριά σου εἰς τὴν κιβωτὸν, εἰς μνημόσυνον τῶν γενεῶν ὑμῶν. τουτέστι, τὰς πλάκας, τὴν στάμνον, τὴν ῥάβδον, τὸ μάννα. ἆρά εἰσι C ταῦτα καὶ εἴδη καὶ ὁμοιώματα χειροποίητα, ἢ οὐχί; ἀλλὰ εἰς δόξαν καὶ ὑπηρεσίαν Θεοῦ. ὁ Μωϋσῆς ἐκεῖνος ὁ μέγας φόβῳ συνεχόμενος, θέλων ἰδεῖν εἶδος καὶ ὁμοίωμα, μήπως πλανηθῇ, παρεκάλει τὸν Θεὸν, λέγων· κύριε, δεῖξόν μοι σεαυτὸν γνωστῶς, ὡς ἴδω σε. καὶ ὁ Θεὸς ἀπεκρίνατο. ἐὰν ἴδῃς με, ἀποθνήσκεις· ἀλλὰ διάβηθι διὰ τῆς ὀπῆς τῆς πέτρας, καὶ ὄψει τὰ ὀπίσθιά μου. ἔδειξεν αὐτῷ ὁ Θεὸς ἐν ὁράματι τὸ ἀποκεκρυμμένον μυστήριον ἀπὸ τῶν αἰώνων καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν. ἀλλ' ἐπὶ τῶν ἡμετέρων γενεῶν ἐν τοῖς ἐσχάτοις καιροῖς ἔδειξεν ἡμῖν ἑαυτὸν φανερὸν, καὶ τὰ ὀπίσθια καὶ τὰ ἔμπροσθεν, ὁλοτελῶς. ὅτε δὲ εἶδεν ὁ Θεὸς τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων εἰς τέλος ἀπολλύμενον σπλαγχνισθεὶς εἰς D τὸ ἴδιον πλάσμα, ἐξαπέστειλε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν πρὸ αἰώνων γεγεννημένον. καὶ κατελθὼν ἐκ τῶν οὐρανῶν, εἰσῆλθεν εἰς τὴν κοιλίαν τῆς ἁγίας παρθένου Μαρίας, ἐκλάμψας τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν ἐν τῇ μήτρᾳ αὐτῆς, καὶ τὸ φῶς ἀντὶ σπόρου σὰρξ ἐγένετο· καὶ ἐβαπτίσθη εἰς τὸν Ἰορδάνην ποταμὸν, καὶ ἐβάπτισε καὶ ἡμᾶς. ἤρξατο δοῦναι ἡμῖν ἐνέχυρα γνωρισμάτων, ἵνα μὴ πλανώμεθα. καὶ εἰσελθὼν εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα, εἰς τὸ ὑπερῷον τῆς ἁγίας καὶ ἐνδόξου Σιὼν, εἰς τὸ μυστικὸν δεῖπνον παρέβαλεν ἡμῖν τὸ ἅγιον αὐτοῦ σῶμα, καὶ ἐπότισεν ἡμᾶς τὸ τίμιον αὐτοῦ αἷμα. ἐκεῖ καὶ τοὺς πόδας E ἡμῶν ἔνιψε, καὶ συνεπίομεν καὶ συνεφάγομεν αὐτῷ, καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν αὐτὸν, καὶ γνώριμος ἐγένετο· καὶ ἐφανερώθη ἡμῖν ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ πλάνη καὶ ἡ ἀχλὺς ἡ περικειμένη ἡμῖν ἐξέφυγε καὶ ἀφανὴς ἐγένετο· καὶ εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτοῦ, καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτοῦ. ἤρξαντο ἀπὸ ὅλου τοῦ κόσμου οἱ ἄνθρωποι πετόμενοι ὡς ἀετοὶ εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα παραγίνεσθαι, καθὼς εἶπεν ὁ κύριος ἐν τοῖς εὐαγγελίοις· ὅπου τὸ πτῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται καὶ οἱ ἀετοί. ὁ Χριστὸς δὲ τὸ πτῶμα, ἀετοὶ ὑψηλοπετεῖς οἱ θεοσεβεῖς καὶ φιλόχριστοι ἄνθρωποι. ἰδόντες τὸν κύριον, καθὼς εἶδον, ἱστορήσαντες ἐζω- καθὼς εἶδον, αὐτὸν ἱστορήσαντες ἐζωγράφησαν. ἰδόντες

τὸν

ANNO CHRISTI 787.

A τὸν πρωτομάρτυρα Στέφανον, καθὼς εἶδον, αὐτὸν ἱστορήσαντες ἐζωγράφησαν. καὶ κατ' ἔπος, ἰδόντες τὰ πρόσωπα τῶν μαρτύρων τῶν ἐκχυσάντων τὸ αἷμα ὑπὲρ Χριστοῦ, ἐζωγράφησαν· καὶ θεωρήσαντες λοιπὸν ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ οἱ ἄνθρωποι, ἀφέντες τὰς προσκυνήσεις τοῦ διαβόλου, ταύτας προσεκύνησαν οὐ λατρευτικῶς, ἀλλὰ σχετικῶς. ποῖόν σοι φαίνεται, βασιλεῦ, δίκαιον, ταύτας τὰς εἰκόνας προσκυνεῖσθαι, ἢ τὰς τῆς πλάνης τοῦ διαβόλου; ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα, Αὔγαρος ὁ τότε κρατῶν καὶ βασιλεύων εἰς τὴν πόλιν τῶν Ἐδεσηνῶν, ἀκούων τὰς θαυματουργίας τοῦ Χριστοῦ, ἔγραψε τῷ Χριστῷ ἐπιστολήν· καὶ ὁ Χριστὸς ἀπέστειλεν ἰδιοχείρως ἀντίγραφον, καὶ τὸ ἅγιον καὶ ἔνδοξον αὐτοῦ πρόσωπον. καὶ εἰς ἐκείνην τὴν ἀχειροποίητον πέμψον, καὶ ἴδε. πλήθη λαῶν τῆς ἀνατολῆς ἐκεῖ συναθροίζονται, καὶ προσεύχονται. καὶ ἄλλα πολλὰ χειροποίητα τοιαῦτά εἰσιν, ἅπερ διακατέχουσι τὰ φιλόχριστα ἐκστρατεύματα τῶν * θεαμάτων, ἅπερ καθ' ἡμέραν * προσκυνεῖς, καὶ περιφρονεῖς; διὰ τί τὸν πατέρα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ οὐχ ἱστοροῦμεν καὶ ζωγραφοῦμεν; ἐπειδὴ οὐκ οἴδαμεν, τίς ἐστιν, καὶ Θεοῦ φύσιν ἀδύνατον ἱστορῆσαι καὶ ζωγραφῆσαι. καὶ εἰ ἐθεασάμεθα καὶ ἐγνωρίσαμεν, καθὼς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, κἀκεῖνον ἂν εἴχομεν ἱστορῆσαι καὶ ζωγραφῆσαι, καὶ ἵνα κἀκείνου τὸν χαρακτῆρα εἴδωλον C ἀποκαλῇς. μαρτυρόμεθά σοι ὡς ἀδελφοὶ ἐν Χριστῷ, εἴσελθε πάλιν εἰς τὴν ἀλήθειαν, ὅθεν ἐξῆλθες. ἀπόρριψον τὴν ὑψηλοφροσύνην, καὶ τὸ πεῖσμά σου κατάργησον, καὶ γράψον παντὶ καὶ πανταχοῦ, καὶ διανάστησον οὓς ἐσκανδάλισας καὶ ἀπετύφλωσας· κἂν εἰς οὐδὲν αὐτὸ ἔχῃς, διὰ τὴν πολλήν σου ἀναισθησίαν. οἶδεν ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ, ὅτε εἰσέλθωμεν εἰς τὸν ναὸν τοῦ ἁγίου κορυφαίου Πέτρου, καὶ θεωρήσωμεν τὴν ζωγραφίαν τοῦ ἁγίου, εἰς κατάνυξιν ἐρχόμεθα, καὶ ὥσπερ ὑετὸς ἐκ τῆς τοῦ ἀέρος βροχῆς, οὕτω τὰ δάκρυα ἡμῶν καταχέονται. ὁ Χριστὸς τοὺς τυφλοὺς ἀνέβλεψε· σὺ τοὺς καλῶς βλέποντας ἀπετύφλωσας, καὶ ἐνεπόδισας, D κἂν εἰς οὐδὲν αὐτὸ ἔχῃς· καὶ ἀπαιδεύτους ἐποίησας, καὶ τὸν καλὸν δρόμον τῶν ἀνθρώπων ἐνέκοψας, καὶ τῶν εὐχῶν αὐτοὺς ἀπεστέρησας, καὶ ἀντὶ ἀγρυπνιῶν καὶ προσεδρείας καὶ σπουδῆς τῆς πρὸς Θεόν, εἰς ὕπνους καὶ νυσταγμοὺς καὶ ἀμελείας τοὺς ταπεινοὺς λαοὺς κατέρραξας καὶ ἀπεκεφάλισας. καὶ λέγεις, ὅτι πέτρας καὶ τοίχους καὶ σανίδια προσκυνοῦμεν. οὐχ ὡς λέγεις, ἐστὶ, βασιλεῦ, ἀλλ' εἰς ὑπόμνησιν ἡμῶν, καὶ εἰς διέγερσιν, καὶ τὸν νοῦν ἡμῶν τὸν σκαιὸν καὶ ἀπαίδευτον καὶ παχὺν ἄνω ἀναφέροντα, δι' ὧν τὰ ὀνόματα, καὶ δι' ὧν ἡ ἐπίκλησις, καὶ δι' ὧν οἱ χαρακτῆρες· καὶ οὐχ ὡς E Θεούς, ὡς λέγεις σύ· μὴ γένοιτο· οὐ γὰρ ἔχομεν τὰς ἐλπίδας εἰς αὐτά. καὶ εἰ μέν ἐστιν εἰκὼν τοῦ κυρίου, λέγομεν· κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, υἱὲ τοῦ Θεοῦ, βοήθησον, καὶ σῶσον ἡμᾶς. εἰ δὲ τῆς ἁγίας αὐτοῦ μητρὸς, λέγομεν· ἁγία θεοτόκε μῆτερ τοῦ κυρίου, πρέσβευσον εἰς τὸν υἱόν σου τὸν ἀληθινὸν Θεὸν ἡμῶν, εἰς τὸ σῶσαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν. εἰ δὲ μάρτυρος· ἅγιε Στέφανε, ὁ ἐκχύσας τὸ αἷμά σου ὑπὲρ Χριστοῦ, ἔχων παρρησίαν ὡς πρωτομάρτυς, πρέσβευε ὑπὲρ ἡμῶν. καὶ ἐπὶ παντὸς μάρτυρος μαρτυρήσαντος οὕτω λέγομεν. τοιαύτας εὐχὰς ἀποπέμπομεν δι' αὐτῶν· οὐκ ἔστιν, ὡς λέγεις, βασιλεῦ, Θεοὺς τοὺς μάρτυρας ὀνομάζοντες. ἀπόστρεψον τὰς ἐννοίας σου τὰς κακάς· μαρτυρόμαί σοι· καὶ ῥῦσαι τὴν ψυχήν σου ἀπὸ τῶν σκανδάλων καὶ ἀπὸ κατάρων, ὧν λαμ-

*ἴσ. θεαμάτων

*ἴσ. προσκυνήσεις,

A vidissent, prout viderant spectandum ipsum proponentes depinxerunt: & ut uno verbo dicam, cum facies martyrum, qui sanguinem pro Christo fuderant, vidissent, depinxerunt: & his conspectis deinceps in toto terrarum orbe homines, diaboli adorationibus derelictis, has exhibuerunt non latria, sed habitudine. Num tibi justum videtur, imperator, has imagines venerari, an erroris diabolici? Cum Hierosolymis ageret Christus, Augarus, qui tum temporis dominabatur & rex erat urbis Edessenorum, cum Christi miracula inaudiisset, epistolam scripsit ad Christum; qui manu sua B responsum, & sacram gloriosamque faciem suam ad eum misit. Itaque ad illam non manufactam imaginem mitte, ac vide: congregantur illic orientis turbæ populorum, & orant: & aliç multæ sunt tales manufactæ, quas Christi amantes peregrinantium cœtus conservant, qui ad spectacula ejusmodi confluunt, quæ quotidie * veneraris & circumspicis. Cur tandem patrem domini Iesu Christi non oculis subjicimus ac pingimus? quoniam quis sit non novimus, Deique natura spectanda proponi non potest ac pingi. Quod si eum intuiti essemus ac novissemus prout filium ejus, illum quoque spectandum proponere potuissemus ac pingere, ut & illius imaginem idoC lum appellares. Obtestamur te tamquam fratres in Christo, ingredere rursum ad veritatem, unde exivisti; excute spiritus elatos, & pertinaciam tolle, atque ad omnes scribe quoquoversum, eosque quibus offendiculo fuisti, erige, quosque excœcasti: tametsi prę nimia tua stupiditate illud pro nihilo habes. Novit caritas Christi: quando templum sancti principis apostolorum Petri ingredimur, & sancti pictam imaginem contemplamur, compunctione percellimur, & instar imbris pluente cælo lacrymæ nostræ funduntur. Christus visum cæcis restituit; tu eos qui recte, videbant, exD cæcasti, & obstaculo illis fuisti, tametsi pro nihilo istud habes; & imperitos reddidisti, rectumque hominum cursum interrupisti, ac precibus ipsos privasti, & vigiliarum loco atque assiduitatis & studii erga Deum, in somnum & dormitationem & incuriam humiles populos devolvisti * ac præcipites egisti Et dicis nos lapides & parietes ac tabellas adorare. Non ita est, ut dicis, imperator, sed ut memoria nostra excitetur, & ut stolida & imperita crassaque mens nostra erigatur, & in altum provehatur per eos, quorum hæc nomina, & quorum appelE lationes, & quorum hæ sunt imagines; & non tamquam deos, ut tu inquis; absit: non enim spem in illis habemus. Ac si quidem imago sit domini, dicimus: Domine Iesu Christe fili Dei succurre & salva nos. sin autem sanctæ matris ejus, dicimus: Sancta Dei genitrix domini mater intercede apud filium tuum verum Deum nostrum, ut salvas faciat animas nostras. sin vero martyris: Sancte Stephane, qui pro Christo sanguinem tuum fudisti, qui ut protomartyr loquendi confidentiam habes, intercede pro nobis. Et de quovis martyre, qui passus est martyrium, ita dicimus, tales per illos preces offerimus: nec ita est uti dicis imperator, quasi deos martyres appellemus. Averte cogitationes tuas malas, te obtestor; & libera animam tuam a scandalis & execrationibus, qui-

bus

CAPVT I. EP. GREG. PP. SCRIPTA ANNO DCCXXVI.

*f. venerabaris, & contemnis; ex Gr.

*& capite truncasti.

CAPUT I. EP. GREG. PP. SCRIPTA ANNO DCCXVI.

ANNO CHRISTI 787.

bus ab universo mundo incesseris, quandoquidem vel a puerulis parvis illuderis. Obito scholas eorum qui elementis imbuuntur, & dic: Ego sum eversor & persecutor imaginum: & confestim tabellas suas in caput tuum projicient, quodque a sapientibus minime doceri potuisti, ab insipientibus edocebere. Sic ad nos scripsisti: Ozias rex Iudæorum post annos octingentos serpentem æneum e templo ejecit; ego vero post annos octingentos idola ex ecclesiis ejeci. Vere & Ozias frater erat tuus, & eadem erat qua tu pertinacia præditus, illiusque temporis sacerdotibus vim afferebat, ut tu facis. Illum siquidem serpentem sanctificatus David una cum arca sancta in templum invexit. Quid enim illud erat, nisi consecratum a Deo æramentum, propter eos qui tum ægri erant & a serpentibus læsi? ut populis demonstraretur is, qui primo figmento a Deo formato Adamo & Euæ peccatum suggesserat, ipsum in medelam peccatorum constituit. At tu, prout gloriaris, post annos demum octingentos benedictionem ex ecclesiis ejecisti, ac martyrum sanctificationem; & sicuti recte initio confessus es, data opera, non ex aliqua necessitate: postremo autem manu propria subscribens, in caput tuum ipsorum execrationem detorsisti. Voluimus & nos, utpote qui facultatem & potestatem atque auctoritatem a sancto Petro principe apostolorum habemus, tibi pœnam irrogare: sed quoniam in teipsum execrationem ingessisti, tibi habeto illam cum consiliariis tuis, quos complecteris. Qualem, quæso, ædificationem & cursum eorum qui recte currebant, interrupisti? Novit caritas Christi. Nosipsi cum ecclesiam ingredimur, & miraculorum domini Iesu Christi picturas contemplamur, & sanctæ matris ejus dominum Deumque nostrum lactentem in ulnis habentis, angelosque circumstantes ac ter sanctum hymnum canentes, non sine compunctione regredimur. Ecquis enim non compungitur & luget similiter (intuens) & vasa lavacri, & sacerdotes in orbem circumstantes, & mysticam cœnam, & cæcorum illuminationem, & Lazari exsuscitationem, & leprosi ac paralytici curationem, recubitus in herba, cophinos, sportas, & reliquias, montis Thabor transfigurationem, crucifixionem Christi, sepulturam ejus & resurrectionem, sanctam ascensionem, & Spiritus sancti descensum? Quis picturam Abrahæ cernens, & gladium pueri cervicibus imminentem, non compungitur & collacrymatur? & in universum omnes domini passiones? Expediret tibi, imperator, duobus propositis, ut hæreticus potius, quam persecutor & eversor historiarum & picturarum, imaginum & passionum domini appellareris. Atqui malum est minimeque commodum, te hæreticum appellari: verum tibi ego referam quam ob causam. Hæreticus notus dicitur, quando paucis est notus, & non multis: & difficilia sunt offendicula, sententiæque intricatæ, neque dijudicari facile possunt: itemque qui doctrinam spargunt, & qui humilitate præditi non sunt, ob imperitiam atque cæcitatem ipsorum statim labuntur: neque tanti criminis illi sunt, quanti tu, damnandi. Tu ea quæ cognita sunt & spectata ut lumen, aperte insectatus es, & ecclesias Dei denudasti: quas sancti patres convestierant & or-

4. Reg. 18. Hic videtur error ex lapsu memoriæ.

A βαίνῃς ἀπὸ ὅλου τοῦ κόσμου· ὅτι καὶ τὰ μικρὰ παιδία καταπαίζουσί σου. γύρευσον εἰς τὰς διατριβὰς τῶν στοιχείων, καὶ εἰπέ· ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ καταλυτὴς καὶ διώκτης τῶν εἰκόνων· καὶ εὐθὺς τὰς πινακίδας αὐτῶν εἰς τὴν κεφαλήν σου ῥίψουσι, καὶ ὅπερ οὐκ ἐπαιδεύθης ὑπὸ τῶν φρονίμων, παιδευθήσῃ ὑπὸ τῶν ἀφρόνων. ἔγραψας, ὅτι Ὀζίας ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων μετὰ ὀκτακοσίους ἐνιαυτοὺς ἐξήγαγε τὸν χαλκοῦν ὄφιν ἐκ τοῦ ναοῦ, κἀγὼ μετὰ ὀκτακοσίους ἐνιαυτοὺς ἐξήγαγον τὰ εἴδωλα ἐκ τῶν ἐκκλησιῶν. ἀληθῶς καὶ Ὀζίας ἀδελφός σου ἦν, καὶ τὸ σὸν πεῖσμα εἶχε, καὶ τοὺς τότε ἱε- B ρεῖς ἐτυράννησεν ὥσπερ σύ· ἐκεῖνον γὰρ τὸν ὄφιν ὁ ἡγιασμένος Δαβὶδ εἰσήγαγεν εἰς τὸν ναὸν μετὰ τῆς ἁγίας κιβωτοῦ. τί γὰρ ἦν ἐκεῖνο, εἰ μὴ χάλκωμα ἡγιασμένον ὑπὸ τοῦ Θεοῦ διὰ τοὺς τότε ἀρρωστοῦντας καὶ δακνομένους ὑπὸ τῶν ὄφεων; ἵνα δειχθῇ τοῖς λαοῖς ὁ ὑποβαλὼν τὴν ἁμαρτίαν εἰς τὸ πρῶτον πλάσμα τὸ πλασθὲν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, τὸν Ἀδὰμ καὶ τὴν Εὔαν, αὐτὸ τῶν ἁμαρτωλῶν εἰς ἴασιν κατέστησε. σὺ δὲ, καθὼς ἐγκαυχᾷ, εἰς τοὺς ὀκτακοσίους χρόνους ἐξέβαλες ἐκ τῶν ἐκκλησιῶν τὴν εὐλογίαν καὶ τὸν ἁγιασμὸν τῶν μαρτύρων, καὶ ὥσει καλῶς ὡμολόγησας τὰ πρῶτα, προθέσει, καὶ οὐκ ἔκ τινος ἀνάγκης, ὕστερον δὲ ἰδιοχείρως ὑπογράψας, ἔθηκας ἐπὶ τὴν κεφαλήν σου τὴν κατάραν αὐτῶν. ἠθελήσαμεν καὶ ἡμεῖς ὡς ἔχοντες τὸ κῦρος καὶ C τὴν ἐξουσίαν καὶ τὴν αὐθεντίαν ἐκ τοῦ ἁγίου Πέτρου τοῦ κορυφαίου δοῦναί σοι ἐπιτίμια· ἀλλ' ἔνθα ἑαυτῷ τὴν κατάραν δέδωκας, μένε ἔχων αὐτὴν μετὰ τῶν συμβουλευόντων σοι, οἷς περιπλέκῃ. ἄρα ποίαν οἰκοδομὴν καὶ δρόμον τῶν καλῶς δραμόντων ἐνέκοψας; οἶδεν ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ· ἡμεῖς αὐτοὶ εἰσερχόμενοι εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ θεωροῦντες τὰς ἱστορίας τῶν θαυματουργιῶν τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς ἁγίας αὐτοῦ μητρὸς ἐχούσης εἰς τὰς ἀγκάλας τὸν κύριον καὶ Θεὸν ἡμῶν γαλουχοῦντα, καὶ τοὺς ἀγγέλους κύκλῳ ἱσταμένους καὶ βοῶντας τὸν τρισάγιον ὕμνον, οὐ χωρὶς κατανύξεως ἐξερχόμεθα. καὶ τίς γὰρ οὐ κατανύσσεται, καὶ D κλαίει ὁμοίως, καὶ τοὺς βαπτιστὰς, καὶ τοὺς ἱερεῖς κύκλῳ περιεστῶτας, καὶ τὸ μυστικὸν δεῖπνον, καὶ τῶν τυφλῶν τὴν ἀνάβλεψιν, καὶ Λαζάρου τὴν ἔγερσιν, καὶ τοῦ λεπροῦ καὶ παραλυτικοῦ τὴν ἴασιν, ἐπὶ τοῦ χόρτου τὰς ἀνακλίσεις, τοὺς κοφίνους, καὶ τὰς σπυρίδας, καὶ τὰ περισσεύματα, τοῦ Θαβωρίου ὄρους τὴν μεταμόρφωσιν, τὴν σταύρωσιν τοῦ κυρίου, τὴν ταφὴν αὐτοῦ καὶ τὴν ἀνάστασιν, τὴν ἁγίαν ἀνάληψιν, καὶ τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος κάθοδον; τίς ὁρῶν τὴν ἱστορίαν τοῦ Ἀβραὰμ, ἐπικειμένην τὴν μάχαιραν εἰς τὸν τράχηλον τοῦ παιδίου, οὐ κατανύσσεται καὶ δακρύει; καὶ ἁπλῶς πάντα τὰ παθήματα τοῦ κυρίου; συνέφερέ σοι, βασιλεῦ, τῶν δύο προκειμένων, αἱρετικόν σε ὀνομάζεσθαι, ἢ διώκτην καὶ καταλυτὴν τῶν ἱστοριῶν καὶ ζωγραφιῶν τῶν εἰκόνων καὶ παθημάτων τοῦ κυρίου. ἀλλὰ κακὸν, καὶ E οὐ πρόσφορον τὸ αἱρετικόν σε ὀνομάζεσθαι. ἀλλ' ἐγώ σοι λέγω, διὰ τί. ὁ αἱρετικὸς γνωστὸς λέγεται, ἐπειδὴ ὀλίγοις ἐστὶ γνωστὸς, καὶ οὐ πολλοῖς· καὶ τὰ σκάνδαλα δύσκολα, καὶ ἐμπεπλεγμένα τὰ νοήματα καὶ δυσδιάκριτα· καὶ οἱ δογματίζοντες, καὶ μὴ ἔχοντες ταπείνωσιν, ἐκ τῆς ἀγνωσίας καὶ ἐκ τῆς σκοτώσεως αὐτῶν, εὐθὺς πίπτουσι· καὶ οὐ τοσοῦτον ἡ κατάκρισις αὐτῶν, ὥσπερ τὸ σόν. σὺ τὰ θεωρούμενα καὶ βλεπόμενα ὡς φῶς, φανερῶς ἐδίωξας, καὶ ἐγύμνωσας τὰς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ· ἅσπερ οἱ ἅγιοι πατέρες ἐνέδυσαν καὶ ἐκόσμησαν,

ANNO CHRISTI 787.

σμησαν, σὺ ἐξέδυσας καὶ ἀπεγύμνωσας· καίτοι γε τοιοῦτον ἔχων ἀρχιερέα, τὸν κύριον Γερμανὸν λέγω τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν καὶ συλλειτουργόν. τούτῳ ὤφειλες ὡς πατρὶ καὶ διδασκάλῳ συμβουλεύεσθαι, καὶ ὡς παλαιῷ καὶ ἔχοντι πεῖραν καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν πολιτικῶν πραγμάτων. ἄγει γὰρ ὁ ἀνὴρ σήμερον ἐννενήκοντα πέντε ἐνιαυτούς, ὑπουργῶν ἑκάστῳ πατριάρχῃ καὶ βασιλεῖ· ἀδιάδοχος δὲ ἐγένετο διὰ τὴν χρησιμότητα τῶν ἀμφοτέρων πραγμάτων. ἐάσας αὐτὸν ἔχειν εἰς πλευράν σου, ἐκείνου ἤκουσας τοῦ παρανόμου μωροῦ Ἐφέσου τοῦ υἱοῦ Ἀψιμάρου, καὶ τῶν ὁμοίων αὐτοῦ. ὁ γὰρ κύριος Γερμανὸς, καὶ ὁ τότε πατριάρχης κύριος Γεώργιος, πληροφορήσαντες καὶ πείσαντες Κωνσταντῖνον υἱὸν Κώνσταντος, πατέρα Ἰουστινιανοῦ γράψαι πρὸς ἡμᾶς ἐν Ῥώμῃ, ἔγραψεν ἡμῖν ἐνωμότως, καὶ λόγον ἡμῖν ἔδωκεν ἀποστεῖλαι ἡμᾶς χρησίμους ἀνθρώπους, ἵνα γένηται οἰκουμενικὴ σύνοδος· καὶ ὅτι οὐ μὴ συγκαθεσθῶ αὐτοῖς ὡς βασιλεὺς, καὶ ἐξουσιαστικῶς λαλήσω, ἀλλ' ὡς εἷς ἐξ αὐτῶν· καὶ καθὼς συμβιβάζονται οἱ ἀρχιερεῖς, ἐκβιβάσω, καὶ τοὺς καλῶς λέγοντας δεξόμεθα, καὶ τοὺς κακῶς λέγοντας ἐκδιώξομεν, καὶ ἐξορίαις παραπέμψομεν. ἐὰν ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς διέστρεψέ τι τῆς ἀμωμήτου πίστεως καὶ καθαρᾶς, ἐγὼ πρῶτος αὐτὸν ἀναθεματίζω. καὶ Θεοῦ χάριτι ἀπεστείλαμεν· καὶ μετ' εἰρήνης ἐγένετο ἡ ἕκτη σύνοδος. οἶδας, βασιλεῦ, ὅτι τὰ δόγματα τῆς ἁγίας ἐκκλησίας οὐχὶ βασιλέων εἰσὶν, ἀλλὰ τῶν ἀρχιερέων, καὶ ἀσφαλῶς θέλουσι δογματίζεσθαι. διὰ τοῦτο οἱ ἀρχιερεῖς προετάχθησαν εἰς τὰς ἐκκλησίας, ἀπέχοντες τῶν δημοσίων πραγμάτων· καὶ οἱ βασιλεῖς ὁμοίως ἀπέχεσθαι τῶν ἐκκλησιαστικῶν, καὶ ἔχεσθαι τῶν ἐγκεχειρισμένων αὐτοῖς. ἡ συμβουλία δὲ τῶν φιλοχρίστων βασιλέων καὶ τῶν εὐσεβῶν ἀρχιερέων μία δύναμίς ἐστιν, ὅταν μετ' εἰρήνης καὶ ἀγάπης τὰ πράγματα διοικῶνται. ἔγραψας, ἵνα οἰκουμενικὴ σύνοδος γένηται· καὶ ἡμῖν ἀπρόσφορον ἐφάνη περὶ τούτου. σὺ εἶ ὁ διώκτης τῶν εἰκόνων καὶ ὑβριστὴς καὶ καταλυτής· ἔνδος, καὶ τὴν σιωπήν σου χάρισαι ἡμῖν· καὶ ὁ κόσμος εἰρηνεύσει, καὶ τὰ σκάνδαλα παύσονται. σύνθου ὅτι ἐπηκούσαμέν σου, καὶ συνηθροίσθησαν ἀπὸ πάσης τῆς οἰκουμένης οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ ἡ σύγκλητος καὶ ἡ βουλὴ ἐκάθισε· ποῦ ὁ βασιλεὺς ὁ φιλόχριστος καὶ εὐσεβὴς, ὁ πρὸς συνήθειαν ὀφείλων καθίσαι εἰς τὴν βουλὴν, καὶ τοὺς καλῶς λέγοντας φιλοτιμήσασθαι, καὶ τοὺς ἔξω τῆς ἀληθείας ἀποδιῶξαι, σοῦ τοῦ βασιλέως ἀστατοῦντος καὶ βαρβαρίζοντος; οὐκ οἶδας, ὅτι τὸ ἐγχείρημα, ὅπερ εἰργάσω τῶν ἁγίων εἰκόνων, ἀκαταστασίας καὶ ἀλαζονείας καὶ ὑπερηφανίας ἐστί; τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ βαθεῖαν εἰρήνην ἐχουσῶν, σὺ τὰς μάχας καὶ τὰς ἔχθρας καὶ τὰ σκάνδαλα συνέστησας. παῦσον καὶ ἡσύχασον, καὶ συνόδου χρεία οὐκ ἔστι. γράψον παντὶ καὶ πανταχοῦ εἰς τὴν οἰκουμένην, οὓς ἐσκανδάλισας, ὅτι Γερμανὸς ὁ πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως ἥμαρτεν εἰς τὰς εἰκόνας, καὶ Γρηγόριος ὁ πάπας Ῥώμης· καὶ ἡμεῖς ἀμέριμνόν σε ποιήσομεν περὶ τῆς ἁμαρτίας τοῦ σφάλματός σου, ὡς λαβόντες τὴν ἐξουσίαν ἀπὸ Θεοῦ λύειν τὰ οὐράνια καὶ τὰ ἐπίγεια. μάρτυς ἐστὶν ὁ Θεὸς, ὅσας ἔγραψας ἡμῖν ἐπιστολὰς εἰς τὰ ὦτα καὶ εἰς τὰς καρδίας τῶν βασιλευόντων τῆς δύσεως συνεθήκαμεν, εἰρηνεύοντες αὐτοὺς πρὸς τὴν ψυχήν σου, καὶ ἐπαινοῦντες καὶ μεγαλύνοντές σε, καθὼς ἐθεωροῦμέν σε πολιτευόμενον τὸ πρότερον. διὰ τοῦτο καὶ τὰ λαυρᾶτα σου κατεδέξαντο, καθὼς πρέπει βασιλεῦσι τι-

CAPVT I EP. GREG. PP. SCRIPTA ANNO DCCXXVI.

narant, tu spoliasti atque denudasti; tametsi talem habebas pontificem, dominum inquam Germanum fratrem nostrum & comministrum. hujus debebas tamquam patris ac doctoris & tamquam senioris, multaque rerum cum ecclesiasticarum, tum civilium experientia pollentis, consiliis obtemperare. Annum etenim agit hodie vir ille nonagesimum quintum, singulis patriarchis & imperatoribus inserviens: perpetuoque fuit occupatus, quod utrisque rebus gerendis mirifice utilis & aptus esset. Illum igitur omittens lateri tuo adjungere, ⁵ improbum illum Ephesium Apsimari filium, ejusque similes audisti. Cum enim dominus Germanus, quique tum temporis patriarcha erat dominus Georgius, suggessissent persuasissentque Constantino Constantis filio, Iustiniani patri, ut Romam ad nos scriberet, sic interposito jurejurando scripsit ad nos, & nobiscum egit, ut ad universalem synodum congregandam viros utiles mitteremus: neque cum illis, inquit, tamquam imperator sedebo, aut imperiose loquar, sed tamquam unus ex illis; & prout statuerint pontifices, ego exequar; & eos qui recte loquuntur, admittemus; eosque qui male loquuntur, expellemus, & exiliis relegabimus. Si pater meus quidpiam ex intemerata puraque fide perverterit, ego primus illum anathematizabo. tum nos Deo bene volente misimus: & cum pace sexta synodus celebrata est. Scis imperator, sanctę ecclesiæ dogmata non imperatorum esse, sed pontificum, quæ tuto debent dogmatizari. Idcirco ecclesiis præpositi sunt pontifices a reipublicæ negotiis abstinentes: & imperatores ergo similiter ab ecclesiasticis abstineant, & quæ sibi commissa sunt, capessant. Consilium autem Christi amantium imperatorum & piorum pontificum virtus est una, quando cum pace atque caritate res administrantur. Scripsisti ut concilium universale cogeretur: & nobis inutilis ea res visa est. Tu persecutor es imaginum, & hostis contumeliosus & eversor. cessa, nobis hoc largire ut taceas: tum mundus pace perfruetur, & scandala cessabunt. Finge nos te audisse, & ex universo terrarum orbe pontifices congregatos esse, senatumque ac consilium sedisse: ubi est Christi amator ac pius imperator, qui de more in senatu sedere debet, & eos qui recte loquuntur, munerari; eosque qui aliena a veritate blaterant, amandare; cum tu imperator vacilles ac barbaros imiteris? Non animadvertis hunc tuum conatum. quo adversus imagines insurrexisti, facinus esse turbulentum & insolens & superbum? Cum ecclesiæ Dei alta pace fruerentur, tu pugnas & odia & scandala suscitasti. Cessa & quiesce, tum synodo minime opus erit. Scribe ad omnes, & in quascumque regiones orbis terrarum, quibus offendiculo fuisti, Germanum patriarcham Constantinopolitanum, & Gregorium papam Romanum circa imagines peccasse; & nos ab hac cura quietum te præstabimus, ne peccatum aut lapsus ullus sit tuus, utpote qui a Deo potestatem & cælestia & terrena solvendi acceperimus. Testis est Deus, quascumque misisti ad nos epistolas, auribus cordibusque regum occidentis obtulimus, pacem illorum tibi ac benevolentiam conciliantes, teque laudantes ac mirifice efferentes, prout te antea conversantem intuebamur. ⁶ Idcirco etiam laurata tua receperunt, ut reges a

CAPVT I EP. GREG. PP. SCRIPTA ANNO ICCXXVI.

regibus honore affici convenit; idque cùm nondum in cœptum hoc conatumque tuum, quo adversus imagines insurrexisti, audivissent. Cum vero didicerunt, certioresque sunt facti, te Iovinum spatharocandidatum ad Chalcopratia misisse ad evertendum & confringendum salvatorem, qui appellatur Antiphonetæ, ubi & miracula multa fiunt, inventæ sunt illic mulieres zelo succensæ, & illarum æmulæ quæ unguenta ferebant, quæ spatharocandidatum orarunt: Ne, obsecramus, ne hoc facias, aiebant. Ille vero preces earum non admittens, erecta scala conscendit: cumque ter securi faciem imaginis salvatoris percussisset, hoc videntes mulieres, & iniquum illud facinus non ferentes, attracta scala fustibus concisum illic necarunt. Tum tu mali æmulator missis satellitibus mulieres nescio quot illic occidisti, astantibus utilibus viris Romanis, & ex Francia, ex Vandalis, ex Mauritania, ex Gotthia, & ut generatim dicam, ex toto interiori occidente. Cum autem advenissent, & in suis regionibus singuli juvenilia tua pueriliaque facta narrassent: tunc projecta laurata tua conculcarunt, & faciem tuam conciderunt, ac delectu habito Longobardi & Sarmatæ, ceterique qui ad septemtrionem habitant, miseram Decapolim incursionibus infestarunt, ipsamque metropolim Ravennam occuparunt, & ejectis magistratibus tuis, proprios constituere magistratus; & vicinas nobis sedes regias, ipsamque Romam sic tractare statuerunt, cum tu nos defendere minime possis. Et hæc ob imprudentiam ac stultitiam sustinuisti. At enim nos perterrefacis, aisque: Romam mittam, & imaginem sancti Petri confringam; sed & Gregorium illinc pontificem vinctum adduci curabo, sicut Martinum * Constantinus adduci jussit. Scire autem debes ac pro certo habere, pontifices, qui pro tempore Romæ extiterint, conciliandæ pacis causa sedere tamquam parietem intergerinum, septumque medianum orientis & occidentis, ac pacis arbitros & moderatores esse: quique ante te fuerunt imperatores in hoc componendæ pacis certamine desudarunt. Quod si nobis insolenter insultes, & minas intentes; non est nobis necesse tecum in certamen descendere. ad quatuor & viginti stadia secedet in regionem Campaniæ Romanus pontifex: tum tu vade, ventos persequere. Prædecessor noster Martinus pontifex ad pacem cohortans sedebat: idcirco malignus ille * Constantinus de fide sanctæ Trinitatis male sentiens, & hæreticis pontificibus proscriptis adstipulans, Sergio & Paulo & Pyrrho, missis satellitibus rapuit illum, & Byzantium tyrannica violentia abduxit, multisque malis obsessum in exilium amandavit. Quin etiam Maximo monacho & hujus discipulo Anastasio mala multa exhibuit, & Lazicam in exilium misit. At * Constantinus qui eos relegarat, interfectus, & in peccato suo mortuus est. Nezeuxius enim qui tum comes obsequii ejus erat, ab episcopis Siciliæ certior factus hæreticum eum esse, ipsum intus in templo trucidavit, & in peccato suo interiit. Beatum vero esse Martinum testatur civitas Chersonis, in quam relegatus est, & Bosphori, totusque septemtrio & incolæ septemtrionis, qui ad monumentum ejus accurrunt, & curationes accipiunt. Atque utinam Dei mu-

* Constantius " immo Constans

* Constantius " Constans

* Constantius

μᾶν, καὶ ταῦτα ἔπω τὴν κακὴν ἐγχείρησιν τῶν εἰκόνων, ἣν ἐποίησας, ἀκηκοότες. ὅτε δὲ ἔμαθον καὶ ἐπληροφορήθησαν, ὅτι ἀπέστειλας τὸν Ἰουβῖνον τὸν σπαθαροκανδιδάτον εἰς τὰ Χαλκοπρατεῖα εἰς τὸν σωτῆρα καταλῦσαι καὶ κατακλάσαι τὸν λεγόμενον τοῦ Ἀντιφωνητοῦ, ὅπου καὶ πολλὰ θαύματα γεγόνασιν, εὑρέθησαν ἐκεῖ γυναῖκες ζηλώτριαι καὶ μυροφόροι, παρακαλοῦσαι τὸν σπαθαροκανδιδάτον· μὴ καὶ μή, λέγουσαι, ποίησον ταῦτα. καὶ μὴ δεξάμενος τὴν παράκλησιν αὐτῶν, στήσας τὴν κλίμακα ἀνῆλθε, καὶ τρὶς τύψας μετὰ τῆς ἀξίνης εἰς τὸ πρόσωπον τοῦ χαρακτῆρος τοῦ σωτῆρος, ἰδοῦσαι αἱ γυναῖκες, καὶ μὴ φέρουσαι τὴν παρανομίαν, σύρασαι τὴν κλίμακα, καὶ ἀποτυμπανίσασαι αὐτὸν, ἐκεῖ τὸν τάφον αὐτοῦ ἐποιήσαντο. σὺ δὲ ὁ ζηλωτὴς τοῦ κακοῦ, πέμψας, οὐκ οἶδα πόσας γυναῖκας ἐφόνευσας ἐκεῖσε, παρισταμένων ἀνθρώπων χρησίμων ἀπὸ Ῥώμης, ἀπὸ Φραγκίας, ἀπὸ Οὐανδαλῶν, ἀπὸ Μαυριτανίας, ἀπὸ Γοτθίας, καὶ περιεκτικῶς εἰπεῖν, ἀπὸ πάσης τῆς ἐσωτέρας δύσεως. ὅταν δὲ ἦλθον καὶ ἐξηγήσαντο ἕκαστος πρὸς τὴν ἰδίαν χώραν τὰ νεωτερικά σου καὶ παιδικὰ ἔργα, τότε ῥίψαντες τὰ λαυρᾶτά σου κατεπάτησαν, καὶ ἀνασκαφὴν τοῦ προσώπου σου ἐποιήσαντο· καὶ στρατολογήσαντες οἱ Λογγιβάρδοι, καὶ οἱ Σαρμάται, καὶ οἱ λοιποὶ τῶν ἐκεῖσε, οἱ κατὰ τὸν Βορρᾶν, κατέδραμον τὴν ἐλεεινὴν Δεκάπολιν, καὶ αὐτὴν τὴν μητρόπολιν Ῥαβέννης παρέλαβον, καὶ τοὺς ἄρχοντάς σου ἐδίωξαν, καὶ ἰδίους ἄρχοντας κατέστησαν· καὶ βούλονται καὶ τὰ παρακείμενα ἡμῖν βασίλεια, καὶ τὴν Ῥώμην οὕτω ποιῆσαι, σοῦ μὴ δυναμένου ἡμᾶς ἐκδικῆσαι· καὶ ταῦτα ἀπὸ ἀνεικασίας καὶ ἀφροσύνης ὑπέστης. ἐκφοβεῖς δὲ ἡμᾶς, καὶ λέγεις· ὅτι ἀποστελῶ ἐν Ῥώμῃ, καὶ τοῦ ἁγίου Πέτρου τὴν εἰκόνα κατακλάσω· ἀλλὰ καὶ Γρηγόριον τὸν ἐκεῖσε ἀρχιερέα δεδεμένον ἀνακομίσω, καθὼς Κωνσταντῖνος Μαρτῖνον ἐποίησε. καὶ ὀφείλεις γνῶναι καὶ πληροφορηθῆναι, ὅτι οἱ ἀρχιερεῖς, οἱ κατὰ καιρὸν ἐν Ῥώμῃ διὰ τὴν εἰρήνην καθέζονται, τῆς ἀνατολῆς καὶ τῆς δύσεως μεσότοιχον καὶ μεσόφραγμα τυγχάνοντες, τὴν εἰρήνην βραβεύουσι· καὶ οἱ πρὸ σοῦ βασιλεῖς τοῦτον εἶχον τὸν ἀγῶνα τῆς εἰρήνης. ἐὰν γὰρ σοβαρεύῃ, καθὼς λέγεις, καὶ ἀπειλὰς ἡμῖν ὑποβάλλῃς, οὐκ ἔχομεν ἀνάγκην μετὰ σοῦ παλαίειν. εἰκοσιτέσσαρα στάδια ὑποχωρήσει ὁ ἀρχιερεὺς Ῥώμης εἰς τὴν χώραν Καμπανίας· καὶ ὕπαγε, δίωξον τοὺς ἀνέμους. ὁ πρὸ ἡμῶν ἀρχιερεὺς Μαρτῖνος διὰ τὴν εἰρήνην ἐκαθέζετο παρακαλῶν· διὰ τοῦτο ὁ κακόφρων ἐκεῖνος Κωνσταντῖνος ὁ βεβλαμμένος εἰς τὰ δόγματα τῆς ἁγίας τριάδος, καὶ συμπαρελθὼν τοῖς τότε αἱρετικοῖς ἀρχιερεῦσι τοῖς προγεγραμμένοις, Σεργίῳ καὶ Παύλῳ καὶ Πύῤῥῳ, πέμψας καὶ ἁρπάσας, τυραννῶν ἀνήγαγεν αὐτὸν εἰς τὸ Βυζάντιον, καὶ πολλοῖς περιστοιχίσας αὐτὸν κακοῖς ἐξώρισεν. ἀλλὰ καὶ εἰς Μάξιμον τὸν μονάζοντα, καὶ τὸν τούτου μαθητὴν Ἀναστάσιον πολλὰ κακὰ ἐνεδείξατο, καὶ εἰς ἐξορίας ἔπεμψεν ἐν Λαζικῇ· καὶ Κωνσταντῖνος ὁ ἐξορίσας αὐτοὺς ἐνεκρώθη, καὶ ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ αὐτοῦ ἀπέθανε. Νεζούξιος γὰρ ὁ τότε κόμης τῆς πομπῆς αὐτοῦ, πληροφορηθεὶς ἐκ τῶν Σικελίας ἐπισκόπων, ὅτι αἱρετικός ἐστιν, ἔσω εἰς τὸ ἱερὸν τὸν τάφον αὐτοῦ ἐποιήσατο, καὶ ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ αὐτοῦ ἐτελειώθη. τὸν δὲ μακάριον Μαρτῖνον μαρτυρεῖ ἡ πόλις, ἐν ᾗ ἐξωρίσθη, Χερσῶνος καὶ Βοσπόρου, καὶ ὅλος ὁ Βορρᾶς, καὶ οἱ οἰκήτορες τοῦ Βορρᾶ, εἰς τὸ μνῆμα αὐτοῦ καταφεύγοντες, καὶ τὰς ἰάσεις λαμβάνοντες. ἀξιοῖ καὶ ἡμᾶς κύριος τὴν

ὁδὸν

ANNO CHRISTI 787.

ὁδὸν Μαρτίνου πορευθῆναι· ἀλλὰ διὰ τὸ τῶν πολλῶν ὠφελῆσαι θέλομεν ζῆσαι καὶ ἐπιζῆσαι, ὅτι πᾶσα ἡ δύσις εἰς τὴν ἡμετέραν ἀποβλέπει ταπείνωσιν. εἰ οὐκ ἡμεῖς τοιοῦτοι, ἀλλ᾽ ἐκεῖνοι μεγάλην πίστιν ἔχουσιν εἰς ἡμᾶς, καὶ εἰς ὃν ἐπαγγέλλῃ καταλῦσαι καὶ ἀφανίσαι τὸν χαρακτῆρα τοῦ ἁγίου Πέτρου, ὃν αἱ πᾶσαι βασιλεῖαι τῆς δύσεως Θεὸν ἐπίγειον ἔχουσι. καὶ εἰ τοῦτο τολμήσεις δοκιμάσαι, ὄντως ἐκδικῆσαι ἔχουσιν οἱ τῆς δύσεως καὶ τοὺς ἀνατολικούς, οὓς ἠδίκησας. ἀλλὰ παρακαλοῦμέν σε διὰ τὸν κύριον, ἐπίστρεψον ἐκ τῶν νεωτερικῶν σου καὶ παιδικῶν ἔργων. οἶδας ὅτι τῆς Ῥώμης τὸ βασίλειόν σου ἀμυνθῆναι οὐ δύνασαι, εἰ μὴ μόνον τὴν πόλιν, διὰ τὴν παρακειμένην αὐτῇ θάλασσαν καὶ τὰ πλοῖα. ὡς προείπομεν γὰρ, εἰ εἰκοσιτέσσαρα στάδια ἐξέλθῃ ὁ πάπας ἀπὸ Ῥώμης, οὐδὲν προτιμᾷ σε. ἐν θλιβόμεθα, ὅτι οἱ ἄγριοι καὶ βάρβαροι, ἥμεροι ἐγένοντο· καὶ σὺ ὁ ἥμερος, ἄγριος καὶ ἀνήμερος. πᾶσα ἡ δύσις καρποφορίας πίστεως προσφέρει τῷ ἁγίῳ κορυφαίῳ. καὶ εἰ πέμψῃς τινὰς ἐπὶ καταλύσει τῆς εἰκόνος τοῦ ἁγίου Πέτρου, βλέπε, προμαρτυρόμεθά σοι, ἀθῷοι ἡμεῖς τῶν αἱμάτων ἐσμὲν, ὧν μέλλουσιν ἐκχέειν· εἰς δὲ τὸν τράχηλόν σου, καὶ εἰς τὴν κεφαλήν σου ταῦτα. ἀρτίως γὰρ ἐδεξάμεθα καὶ παράκλησιν ἀπὸ τῆς ἐσωτέρας δύσεως τοῦ λεγομένου Σεπτέτου, ποθοῦντος τὸ πρόσωπον ἡμῶν χάριτι Θεοῦ, ἐπὶ τῷ δοῦναι τὸ ἅγιον βάπτισμα, τὰ ἐκεῖ πορευθῆναι. καὶ ἵνα μὴ τῆς ἀμελείας καὶ τῆς ῥᾳθυμίας ἡμῶν λόγον μέλλωμεν ἀπαιτεῖσθαι, ἐπὶ τὴν ὁδὸν παρασκευαζόμεθα. ὁ δὲ Θεὸς βάλῃ εἰς τὴν καρδίαν σου τὸν φόβον αὐτοῦ, καὶ ἐπιστρέψῃ σε εἰς τὴν ἀλήθειαν ἐξ ὧνπερ κακῶς ἐπήνεγκας εἰς τὸν κόσμον· καὶ δέξωμαί σου τὰ γράμματα παρ᾽ αὐτά, τὴν τῆς ἐπιστροφῆς σου ἡμῖν ὑπογράφοντα δήλωσιν. ὁ δὲ Θεὸς ὁ κατελθὼν ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν κοιλίαν τῆς ἁγίας παρθένου τῆς θεοτόκου διὰ τὴν σωτηρίαν τῶν ἀνθρώπων, ἐνοικήσῃ ἐν τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἀποδιώξῃ ἐν τάχει τοὺς ἐνοικοῦντάς σοι, καὶ τὰ σκάνδαλα ἐνθέντας· καὶ τὴν εἰρήνην δωρήσηται τῇ πάντων Χριστιανῶν ἐκκλησίᾳ εἰς τοὺς αἰῶνας αἰώνων. ἀμήν.

A nere nobis contingat, ut per Martini viam incedamus: tametſi ob plebis utilitatem vivere volumus & ſupervivere; quandoquidem occidens univerſus ad humilitatem noſtram convertit oculos: ac licet tales non ſimus nos, illi tamen magnopere nobis confidunt, & in cum, cujus denuntias te imaginem everſurum atque deleturum, ſancti ſcilicet Petri, quem omnia occidentis regna velut deum terreſtrem habent. Quod ſi hoc velis experiri, plane parati ſunt occidentales ulciſci etiam orientales, quos injuriis affeciſti. Verumtamen per dominnm te obſecramus, a juvenilibus ac puerilibus factis avertere. Scis B Romam ulciſci imperium tuum non poſſe, niſi forte ſolam urbem propter adjacens illi mare ac navigia. Vt enim ante diximus, ſi ad quatuor & viginti ſtadia Roma fuerit egreſſus papa, nihil tuas minas extimeſcit. Vnum eſt quod nos male habet, quod agreſtes & barbari manſueti fiant, & tu manſuetus contra agreſtis & ferus. Totus occidens ſancto principi apoſtolorum fide fructus offert. Quod ſi quoſpiam ad evertendam imaginem miſeris ſancti Petri, vide, proteſtamur tibi, innocentes ſumus a ſanguine quem fuſuri ſunt; verum in cervices tuas & in caput tuum iſta recident. Nuper ſiquidem ab interiori occidente preces illius, quem Septetum appellant, accepimus, qui vultum C expetit noſtrum Dei gratia, ut ad impartiendum ei ſanctum baptiſma illuc proficiſcamur: ac ne ſocordiæ negligentiæque noſtrę ratio nobis reddenda ſit, ad iter nos accingimus. Deus autem timorem ſuum in cor tuum immittat, & te ad veritatem convertat ab iis quæ in mundum perperam invexiſti: tuaſque literas quamprimum accipiam, quæ nobis tuam annuntient converſionem. At is qui de cælis deſcendit Deus, & in uterum ſacræ virginis Dei genitricis propter noſtram ſalutem intravit, inhabitet in corde tuo, citoque abigat eos qui te inhabitant, & ſcandala invehunt; pacemque cunctorum Chriſtiano- D rum eccleſiis largiatur. in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT I. EP. GREG. PP. SCRIPTA ANNO DCCXXVI.

NOTÆ FRONTONIS DVCÆI SOC. IESV, *in præcedentem epiſtolam.*

1 *Gregorii.*] Hadrianus pontifex in epiſtola ad Conſtantinum Irenes filium teſtatur, Gregorium II & ejus ſucceſſorem Gregorium III. ad Leonem Iſauricum de imaginibus ſcripſiſſe Reperitur hæc epiſtola act. 2 ſynodi II. Nicænæ, cujus inter alia hæc verba ſunt: Qua de cauſa in magnam tribulationem uterque Gregorius Romani pontifices per ea tempora ſanctiſſimi conjecti ſunt; ſæpius etiam proavum veſtræ ſerenitatis admonuerunt, ne ſineret venerandas imagines de ſtatu ſuo dejici.] Sed hanc ſecundi potius quam tertii eſſe epiſtolam ut credamus ſuadent quæ ſuo tempore geſta narrat pontifex, ut inter cetera illud de Ravenna a Longobardis occupata, & quod dialogus hic auctor cognominetur. nam & hoc ſecundo Gregorio cognomen tribuit Cedrenus ad annum X. Leonis. Romæ autem Gregorius apoſtolicus vir, & Petri apoſtolorum coryphæi aſſeſſor, qui ob ſuas lucubrationes dialogi cognomen adeptus eſt; a Leone ob ejus impietatem defecit, & pacto cum Francis inito, tributa Leoni denegavit, Anaſtaſium ac ſocios anathemate feriit, imperatoremque multis epiſtolis, & a multis lectis, manifeſto redarguit.] & Theophanes, qui falſo inſcribitur Paulus diaconus, lib. 21. Anno 9. imperii ſui cœpit impius imperator Leo contra ſanctas & venerandas imagines facere verbum. Quod cum didiciſſet Gregorius papa Romanus, tributa Romanæ urbis prohibuit, & Italiæ, ſcribens ad Leonem epiſtolam dogmaticam, non oportere imperatorem de fide facere verbum, & novitare violare antiqua dogmata eccleſiæ catholicæ, quę a ſanctis patribus ſunt prædicata. Idem legimus in libro pontificali, unde Trithemius in libro de ſcript. eccleſ. hunc Gregorium virum doctum ac ſanctiſſimum tradit plena eruditionis ſcripſiſſe quædam opuſcula.

Ad interrogata Iuſtiniani reſponſionum lib. 1.
Contra Leonem Auguſt. lib. 1.
Ad Ioannem epiſcopum Conſtantinopolitanum lib. 1.
Epiſtolarum ad diverſos lib. 1.

Moritur anno dom. 731. indictione 14. 3. Idus Februarii

Minus ergo mirum ſi Græcus ſive interpres ſive librarius, qui hanc exſcripſit epiſtolam, Gregorio cognomen dialogi addidit, cum Cedrenus ipſe memoria lapſus id egerit. Nam Gregorii illius magni hoc eſſe cognomen apud Græcos, ex quo Zacharias pontifex ejus dialogos in Græcum ſermonem convertit, conſtat ex Græcis, Damaſceno in orat. de fidelibus defunctis, Euthymio & Euchologio Græcorum c. 96. & Latino Sigeberto ad an. Chr. 605. ut nimirum a Thaumaturgo, Nazianzeno, Nyſſenoque diſtinguatur. Certe ejuſdem interpretis imperitiæ tribuendum cenſeo, quod multa hic ἀνακόλουθα, nec ſatis cohærentia reperiantur. Qualecumque tamen opuſculum ſtudio conſervandæ antiquitatis vulgamus ex illuſtriſſimi cardinalis Caroli a Lotharingia Rhemenſis arch. biblioth. exſcript. an. M D XC quę in monaſterio S. Remigii Rhemis ſervatur.

E 2 *Ex prima tribu Dan.*] Hic error ſubeſt: ita forte tollendus, τῆς πρώτης φυλῆς, καὶ τῆς τοῦ Δάν, ex prima tribu & Dan. Legimus enim Exodi 31. Beſeleel fuiſſe de tribu Iuda, quæ propter imperium ei delatum prima hic dici poteſt videri; & Ooliab, qui Eliab ſeptuaginta Græcis, de tribu Dan Loci etiam ſcripturę qui ſequuntur, non tam ad verbum quam ad ſenſum citantur.

3 *Non latria, ſed habitudine.*] Sic locum Nicephor. Conſtantinopolit. ex ejus orthodoxo citatum vertit Turrianus noſter lib. 1. pro canonibus apoſt. cap. 25. Cum Chriſtus initio prædicatus eſt, cum ea prædicatione conjuncta erat σχετικῶς, id eſt, habitudine, prædicatio ejus imaginis: & ut non adoratur imago propter ſe, ſed propter prototypum; ſic non eſt dicendum adorari eam abſolute, ſed σχετικῶς, id eſt, relate: & ut purpura & imperator ea indutus unum faciunt habitu; ſic imago & prototypum ejus unum faciunt σχέσει, id eſt, habitudine. In ſententiis etiam patrum de imaginibus, quas Lutetiæ edi-

CAPUT I. EP. GREG. PP. SCRIPTA ANNO DCCXVI.

ANNO CHRISTI 787.

dit G. Morelius, 1562. pag. 10. ἐπὶ μὲν τοῦ Χριστοῦ λατρευτικὴ προσκύνησις, καὶ φυσική· ἐπὶ δὲ τῆς εἰκόνος τοῦ Χριστοῦ, σχετικὴ ἡ προσκύνησις, καὶ ὁμωνυμική. Quæ sic redduntur ab interprete Euthymii Panopliæ tit. 19. *In ipso Christo est adoratio latria & naturalis: in imagine vero Christi est relativa & æquivoca.* Vide Franc. Suarez in 3. part. S. Thomæ disputat. 44. sect. 4.

4 *Ac si quidem imago.*] Horum similia sunt illa in eisdem sententiis de imaginibus pag 16. καὶ εἰ μὲν ἐστὶν εἰκὼν τοῦ κυρίου, λέγομεν· κύριε Ἰησοῦ Χριστέ, &c. Porro quæ sequuntur verba Leonis, cum inani arrogantia conjunctum habent insigne μνημονικὸν ἁμάρτημα. Non enim Ozias rex serpentem æneum confregit, sed ejus nepos Ezechias, ut est 4. Reg. 18. v. 4. nisi fortte alicunde didicerat Oziam e templo eduxisse serpentem æneum, Ezechiam confregisse: quale & illud est quod subjicit de Davide, in templum sive tabernaculum illum introducente, Gregorius: quod, opinor, ex sacris literis non constat. Præterea nondum elapsi erant anni octingenti ab exordio legis euangelicæ. nam ut notat Cedrenus Græcus historicus, Leonis filius Constantinus imperare cœpit anno mundi 6236 ab incarnatione domini 739."

"imo an. Chr. 741.

5 *Improbum illum Ephesium.*] In ms. erat τοῦ περιγνώμου μωρου Ἐφέσου. ac si quidem μωροῦ legissem, improbum stultumque vertissem: sed verisimilius est nomen hic desiderari τοῦ Θεοδοσίου τοῦ Ἐφέσου, *Theodosi episcopi*, qui a consiliis erat Constantino Copronymo, & ut hinc constat, Leoni patri. Cedrenus anno 13. Copronymi, κατὰ τῶν ἁγίων εἰκόνων παράνομον συνέδριον τλη'. ἐπισκόπων συνέλεξεν, ὧν ἐξῆρχε Θεοδόσιος ὁ υἱὸς Ἀψιμάρου ὁ Ἐφέσου, καὶ Παστιλλᾶς ὁ Πέργης. Quæ apud Theophanem, quem dicunt Paulum diaconum, ex interpretatione Anastasii bibliothecarii sic Latine efferuntur: *Contra sanctas imagines concilium iniquum triginta octo episcoporum* (Cedreno CCCXXXVIII.) *congregavit, quorum primi erant Ephesinus filius Absimari, & Pastillas Pergensis.* Sed addendum est, *Theodosius Ephesinus.* nam & in VII. Synodo act. 1. in confessione Basilii Ancyrani dicitur falsum conciliabulum congregatum, cui præfuit Theodosius Ephesi episcopus, Sisinnius item Pergę cognomine Pastillas. Idem testatur & Zonaras.

6 *Idcirco etiam laurata.*] Vocem Græcam retinuimus cum interprete veteri synodi septimæ, ut quidem citatur a Franc. Balduino in lib. 3. Optati sub finem: Lauratis & iconibus, quæ mittuntur ad civitates vel regiones, obvii adeunt populi cum cereis & incensis, non cera perfusam tabulam, sed imperatorem honorantes. Quæ verba citata esse arbitror ab Hadriano papa in epistola ad Constantinum actione 2. synodi VII. ex sermone in quintam diem paschæ. Nam cum regiæ figuræ & imagines in civitates inferuntur. & rursus act. 4. ex orat. in pelvim, sic apud Gregorium lib. XI. registri epist. 1. Cum venisset icon Focæ & Leontiæ, acclamatum est eis. & iconem Gregorius jussit in oratorio sancti Cæsarii reponi. Extat lex Theodosii l. 15. tit 5. cod. Theod. de imaginibus imperatoriis.

7 *Iovinum spatharocandidatum.*] Narratur hoc ipsum a Paulo diacono lib. 21. Miscellæ (ita Theophanes verus auctor inscribitur) ubi quosdam regios homines occisos ait, Dei deponentes icona, quæ super magnam portam æneam posita cernebatur. & in vita sancti Stephani junioris nuper a doctissimo Billio edita una cum operibus Damasceni. Ceterum spatharium Cedrenus esse Romanis corporis custodem docet p. 139. σπαθάριος ὁ σωματοφύλαξ; & apud eumdẽ πρωτοσπαθάριος. Spathariorũ princeps Sergius anno 1. Leonis appellatur, & a Curopalate inter magistratus imperatoriæ aulæ numeratur, qui & imperatoris τὴν σπάθην, id est, ensem gestasse principem genere proximum scribit. Meminit & Paulus diaconus pro Theophane inscriptus, lib. 22. inter nomina magistratuum quorumdam Theophylacti candidati an. 25. Constantini Copronymi. Luithprandus Ticinensis lib. 6. c. 5. Turba post hos immensa vocatur protospatharorum, spathariorum, candidatorum, & id genus clientum. Ex utroque genere magistratus hoc spatharocandidati fortte coaluit.

8 *Sicut Martinum Constantinus.*] Paulus diaconus Constantem scribit lib. 18. nepotem Heraclii indict. 8. anno imperii sui nono sanctum Martinum & Maximum apud Chersonam & alia climata relegasse, quod Monothelitarum erroribus non faverent. Idem Cedrenus anno ejus 16. accidisse vult. Sed Constantinum hic appellat Gregorius quemadmodum & Ado Viennensis in chronico an. 641. & catalogus imperatorum orientis Græcus, quem alii Constantem dicunt. Variant etiam auctores in nomine exprimendo percussoris ejus, quem Zonaras & Cedrenus Μιζίζιον Ἀρμένιον, *Mizizium Armenium*, translator Theophanis, qui asseritur Paulus diaconus, Mitium; Constantinus Manasses in historia sua policitis versibus scripta Mixizium, καὶ τυραννεῖ Μιζίζιος ἀνὴρ ἐκ Σικελίας. Gregorius hic Nezeuxium dicit. Librariorum culpa fortasse nomen barbarum immutatum est, vel interpretis Græci, qui & hic forte pro balneo τὸ ἱερὸν scripsit. nam alii omnes in balneo non in templo Constantem necatum asserunt, aut aliter fando auditum Romæ fuit.

9 *Ventos persequere.*] Alludit ad illud Ecclesiastici 34. 2. ὡς ὁ δρασσόμενος σκιᾶς, καὶ διώκων ἀνέμους. *Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventos; sic qui intendit insomniis.* Simile illud ex profanis. Ἀνέμους γεωργεῖς, *Ventos colis*, in eos qui e suis laboribus nihil fructus reportant. & ex Clementis I. Stromate profertur, quod est Proverb. 16. 4. *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos: idem autem sequitur aves volantes.*

CAPUT II. GREGORII PP. EP. II.

SANCTI PATRIS NOSTRI

GREGORII PAPÆ ROMANI

DE SACRIS IMAGINIB. AD LEONEM Isaurum imperatorem.

Epistola secunda.

ACCEPIMUS vestri a Deo conservati imperii atque in Christo fraternitatis literas per Rufinum legatum vestrum delatas; meque prorsus vitę meę tęduit, quod sententiam non mutaris, sed in eisdem malis perseveres, nec ea quę Christi sunt sapias, ut sanctos ac celebres miraculorum effectores patres nostros ac doctores secteris & imiteris. Neque vero simpliciter doctores peregrinos profero, sed eos tantum qui ex urbe ac regione tua prodierunt. Num sapientiores sunt Gregorio miraculorum effectore, Gregorio Nysseno, Gregorio theologo, Basilio Cappadocię, & Ioanne Chrysostomo? ne infinita millia sanctorum illis similium ac Deo plenorum patrum doctorumq; nostrorum commemorem. Sed obsecutus es pervicaci animo tuo ac domesticis perturbationibus, & scripsisti: Imperator sum & sacerdos. Enimvero qui ante te fuerunt imperatores hoc opere ac sermone demonstrarunt, qui condiderunt, & curam gesserunt ecclesiarum una cum pontificibus cupiditate zeloq; incensi, rectęque fidei veritatem pervestigantes, Constantinus magnus, Theodosius magnus, Valentinianus magnus, & Constantinus Iustiniani pater, qui sextę synodo interfuit. imperatores isti religiose imperarunt, & cum

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ ΠΑΠΑ ΡΩΜΗΣ

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΕΙΚΟΝΩΝ

Ἐπιστολὴ δευτέρα.

ΤΑ γράμματα τῆς ὑμετέρας θεοφρουρήτου βασιλείας καὶ ἐν Χριστῷ ἀδελφότητος ἐδεξάμεθα διὰ Ῥουφίνου τοῦ πρέσβεως ἡμῶν, καὶ πάνυ ἀπέγνων τῆς ἐμῆς ζωῆς, ὅτι οὐ μετέγνως, ἀλλὰ τοῖς αὐτοῖς κακοῖς ἐπιμένεις, μὴ φρονῶν τὰ τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἀκόλουθον καὶ μιμητὴν γενέσθαι σε τῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων θαυματουργῶν ἡμῶν πατέρων καὶ διδασκάλων. καὶ ἁπλῶς μὴ προφέρω ξένους διδασκάλους, εἰ μὴ τοὺς τῆς πόλεώς σου, καὶ τῆς χώρας σου. ἄρα φρονιμώτεροί εἰσι Γρηγορίου τοῦ θαυματουργοῦ, καὶ Γρηγορίου Νυσσαέως, καὶ Γρηγορίου τοῦ θεολόγου, καὶ Βασιλείου Καππαδοκίας, καὶ Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου; ἵνα μὴ γράψω τῶν μυρίων μυριάδων τῶν ὁμοίων ἐκείνοις ἁγίων καὶ θεοφόρων πατέρων ἡμῶν καὶ διδασκάλων. ἀλλ᾽ ἐξηκολούθησας τῷ πείσματι καὶ τοῖς ἐνοίκοις σου πάθεσι, καὶ ἔγραψας· ὅτι βασιλεὺς καὶ ἱερεύς εἰμι. καὶ τοῦτο οἱ πρὸ σοῦ βασιλεῖς ἔδειξαν ἔργῳ καὶ λόγῳ, οἱ κτισάμενοι, καὶ φροντίσαντες τῶν ἐκκλησιῶν, ἅμα τοῖς ἀρχιερεῦσιν ἐκζητήσαντες πόθῳ καὶ ζήλῳ τῆς ὀρθοδοξίας τὴν ἀλήθειαν, Κωνσταντῖνος ὁ μέγας, καὶ Θεοδόσιος ὁ μέγας, καὶ Οὐαλεντινιανὸς ὁ μέγας, καὶ Κωνσταντῖνος ὁ Ἰουστινιανοῦ πατὴρ, ὁ τῆς ἕκτης συνόδου. οὗτοι οἱ βασιλεῖς θεοπρεπῶς ἐβασίλευσαν, μετὰ τῶν ἀρχιε-

ANNO CHRISTI 787.

A ἀρχιερέων μιᾷ βουλῇ καὶ γνώμῃ τὰς συνόδους συναθροίσαντες, καὶ τὴν ἀλήθειαν τῶν δογμάτων ἐκζητήσαντες, τὰς ἁγίας ἐκκλησίας συνεστήσαντο καὶ κατεκόσμησαν. οὗτοί εἰσιν ἱερεῖς καὶ βασιλεῖς, οἵτινες καὶ τῷ ἔργῳ ἐπεδείξαντο. σὺ δὲ ἀφ' οὗ ἐπελάβου τὸ βασίλειον, οὐκ ἐφύλαξας εἰς τέλος τοὺς ὅρους τῶν πατέρων, ἀλλ' εὑρὼν τὰς ἁγίας ἐκκλησίας ἐν κροσσωτοῖς χρυσοῖς περιβεβλημένας, πεποικιλμένας, ἀπεκόσμησας καὶ ἠρήμωσας. τί γάρ εἰσιν αἱ ἐκκλησίαι ἡμῶν; οὐχὶ χειροποίητα, λίθοι, ξύλα, καὶ ἄχυρα, καὶ πηλὸς, καὶ ἄσβεστος; ἀλλ' ἐκοσμήθησαν διὰ τὰς ζωγραφίας καὶ ἱστορίας τῶν θαυμάτων τῶν ἁγίων, καὶ παθημάτων τοῦ κυρίου, καὶ τῆς ἁγίας ἐνδόξου αὐτοῦ μητρὸς, καὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων. B εἰς τὰς ἱστορίας καὶ ζωγραφίας καταναλίσκουσιν οἱ ἄνθρωποι τὰς οὐσίας αὐτῶν· καὶ διακατέχοντες οἱ ἄνδρες καὶ γυναῖκες εἰς τὰς ἀγκάλας αὐτῶν τὰ νεοφώτιστα μικρὰ παιδία, καὶ τοὺς ἐν ἡλικίᾳ νέους, καὶ τοὺς ἐλθόντας ἐκ τῶν ἐθνῶν, δακτύλῳ δεικνύοντες τὰς ἱστορίας, οὕτως αὐτοὺς οἰκοδομοῦσι, καὶ τὸν νοῦν καὶ τὰς καρδίας αὐτῶν πρὸς τὸν Θεὸν ἀναφέρουσι. σὺ δὲ παύσας ἐκ τούτων τοὺς ταπεινοὺς λαοὺς, ἠσχόλησας αὐτοὺς εἰς ἀργολογίας, καὶ ὕθλους, καὶ κιθάρας, καὶ κροτάλιά τε καὶ αὐλοὺς, καὶ λήρους, καὶ ἀντὶ εὐχαριστίας καὶ δοξολογίας εἰς μύθους αὐτοὺς ἐνέβαλες. ἔχε τὴν κληρονομίαν μετ' αὐτῶν, καὶ μετὰ τῶν ἀργολογούντων. ἄκουσον τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, βασιλεῦ, καὶ παῦσον, ἀκολούθησον τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ, καθὼς εὗρες καὶ παρέλαβες. C οὐκ εἰσὶ τὰ δόγματα τῶν βασιλέων, ἀλλὰ τῶν ἀρχιερέων· ὅτι ἡμεῖς νοῦν Χριστοῦ ἔχομεν. ἄλλη παίδευσις ἐπὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν διαταγμάτων, καὶ ἄλλος νοῦς τῶν κοσμικῶν, εἰς τὰς διοικήσεις τοῦ κόσμου. τὸ πολεμικὸν καὶ σκαιὸν νοῦν ὃν ἔχεις, καὶ παχὺν, εἰς τὰς πνευματικὰς τῶν δογμάτων διοικήσεις ἔχειν οὐ δύνασαι. καὶ γράφω σοι τὰς διαφορὰς τοῦ παλατίου καὶ τῶν ἐκκλησιῶν, τῶν βασιλέων καὶ ἀρχιερέων· καὶ ἐπίγνωθι, καὶ σώθητι, καὶ μὴ φιλονείκει. ἐάν τις ἀρῇ ἐκ σοῦ τὰς βασιλικὰς ἐνδύσεις, τὴν πορφύραν, τὸ διάδημα τῆς κεφαλῆς, τὴν ἀλουργίδα, τὰς τάξεις τῶν πομπῶν, ὄντως μέλλεις θεωρεῖσθαι παρὰ τῶν ἀνθρώπων ἄσχημος, καὶ ἄμορφος, καὶ οὐδαμινὸς, καθὼς κατέστησας τὰς ἐκκλησίας. ὅπερ γὰρ οὐκ ἔχεις σὺ, τὰς ἁγίας ἐκκλησίας ἀπεκόσμησας, καὶ ἀμόρφους κατέστησας. D ὥσπερ γὰρ οὐκ ἔχει ἐξουσίαν ὁ ἀρχιερεὺς ἐγκύψαι εἰς τὸ παλάτιον, καὶ προβαλέσθαι ἀξίας βασιλικάς· οὕτως, οὔτε ὁ βασιλεὺς ἐγκύψαι εἰς τὰς ἐκκλησίας, καὶ ψήφους ποιήσασθαι εἰς τὸν κλῆρον, οὔτε ἁγιάζειν καὶ χειρίζειν τὰ σύμβολα τῶν ἁγίων μυστηρίων, ἀλλ' οὔτε μεταλαμβάνειν χωρὶς ἱερέως. ἀλλ' ἕκαστος ἡμῶν ἐν ᾗ κλήσει ἐκλήθη ὑπὸ Θεοῦ, ἐν ταύτῃ μενέτω. βλέπεις βασιλεῦ τὰς διαφορὰς τῶν ἀρχιερέων καὶ βασιλέων; ἐάν τις ἁμαρτήσῃ σοι βασιλεῦ, δημεύεις τὸν οἶκον αὐτοῦ καὶ γυμνοῖς, ἐάσας ἔχειν τὴν ψυχὴν, καὶ τέλος κἀκεῖνον ἢ ἀπάγχεις, ἢ ἀποκεφαλίζεις, ἢ ἐξορίζεις, καὶ ἀλλοδαπῆ αὐτὸν ποιεῖς τῶν τέκνων καὶ πάντων τῶν συγγενῶν καὶ φίλων αὐτοῦ. οἱ ἀρχιερεῖς οὐχ οὕτως· ἀλλ' ὅταν ἁμάρτῃ τις, καὶ ἐξομολογήσηται, ἀντὶ τῆς ἀγχόνης καὶ τοῦ ἀποκεφαλισμοῦ, περιτιθέασιν εἰς τὸν τράχηλον αὐτοῦ τὸ εὐαγγέλιον καὶ τὸν σταυρὸν, καὶ φυλακίζουσιν αὐτὸν εἰς τὰ κειμηλιαρχεῖα, καὶ εἰς τὰ διακόνια τῆς ἐκκλησίας ἐξορίζουσιν αὐτὸν, καὶ εἰς τὰ κατηχούμενα, καὶ νηστείαν εἰς τὰ ἔντερα, καὶ εἰς τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀγρυπνίαν, καὶ δοξολογίαν ἐν τῷ στόματι

CAPVT II. GREG. PP. EPIST. II.

pontificibus uno consilio ac sententia synodos congregantes, atque veritatem dogmatum perquirentes, sanctas ecclesias constituerunt & ornarunt. Hi sunt sacerdotes & imperatores, qui id opere demonstrarunt: tu vero ex quo imperium occupasti, definitiones patrum perpetuo non custodisti; sed cum sanctas ecclesias fimbriatis aureis vestibus convestitas & variegatas invenisses, eas ornatu privasti atque vastasti. Quid enim nostræ sunt ecclesiæ? nonne res manufactæ, lapides, ligna, paleæ, lutum & calx? verum picturis historiisque miraculorum a sanctis editorum, & Christi passionum, ac sanctæ gloriosæ matris ipsius, sanctorumque apostolorum exornatæ sunt: & in historias ac picturas homines facultates suas insumunt; & viri ac mulieres pueros parvulos nuper baptizatos in ulnis suis tenentes, itemque florentes ætate juvenes & ex gentibus diversis profectos, indicatis digito historiis eos ædificant, eorumque mentes & corda sursum ad Deum erigunt. At tu ab his abstinere jussos humiles populos in otiosis sermonibus, nugis, citharis, crepitaculis, tibiis & tricis occupasti, & pro gratiarum actione ac celebratione ad fabulas illos traduxisti. hereditatem cum illis habeto, & cum iis qui inutilia fabulantur, & inscitias blaterant. Audi humilitatem nostram, imperator; cessa, & sanctam ecclesiam sequere, prout invenisti atque accepisti. non sunt imperatorum dogmata, sed pontificum; quoniam Christi sensum nos habemus. 2. Cor. 2. Alia est ecclesiasticarum constitutionum institutio, & alius sensus sæcularium. in administrationibus sæculi militarem ac ineptum quem habes sensum & crassum, in spiritalibus dogmatum administrationibus habere non potes. Et ecce tibi palatii & ecclesiarum scribo discrimen, imperatorum & pontificum: agnosce illud, & salvare, nec contentiosus esto. Si quis a te regia indumenta, purpuram, diadema capitis, trabeam abstulerit, & obsequii ordines, futurum est ut ab hominibus turpis, deformis & abjectus habearis: quem in statum ecclesias redegisti. quod enim ipse non habes, sanctas ecclesias ornatu privasti, deformesque reddidisti. Nam quemadmodum pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi; sic neque imperator in ecclesias introspiciendi, & electiones in clero peragendi, neque consecrandi, vel symbola sanctorum sacramentorum administrandi, sed neque participandi absque opera sacerdotis. Sed unusquisque nostrum in qua vocatione vocatus est a Deo, in ea maneat. 1. Cor. 7. Vides, imperator, pontificum & imperatorum discrimen? Si quispiam te offenderit, domum ejus publicas & spolias, solam illi vitam relinquens, tandemque illum etiam vel suspendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eumque longe a liberis & ab omnibus cognatis & amicis suis amandas. Pontifices non ita; sed ubi peccarit quis, & confessus fuerit, suspendii vel amputationis capitis loco euangelium & crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tamquam in carcerem in secretaria, sacrorumque vasorum æraria conjiciunt, in ecclesiæ diaconia & in catechumena ablegant, ac visceribus eius jejunium, oculisque vigilias, & laudationem ori

CAPVT II. GREG. PP. EPIST. II.

ejus indicunt. Cumque probe castigarint, probeq; fame afflixerint, tum preciosum illi domini corpus impartiunt, & sancto illum sanguine potant: & cum illum vas electionis restituerint, ac immunem peccati, sic ad dominum purum insontemque transmittunt. Vides imperator ecclesiarum imperiorumque discrimen? Imperatores qui pie & in Christo vixerunt, ecclesiarum pontificibus obedire minime recusarũt, nec eos vexarunt: tu vero, imperator, cum trãsgressus fueris, ac perversus evaseris, & manu propria subscripseris, teipsum subjiciens, & confessus fueris, eum qui terminos patrum tollit, execrabilem esse; in hoc proprio judicio condemnatus es, ac Spiritum sanctum a te alienasti. Persequeris nos, ac tyrannice vexas militari carnaliq; manu. Nos inermes ac nudi, qui terrenos & carnales exercitus non habemus invocamus principem exercitus omnis creaturæ sedentem in cælis, Christum, qui est super omnes exercitus supernarum virtutum, ut immittat tibi dæmonem, sicut ait apostolus: *Tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.* Vides imperator quo impudentiæ atque inhumanitatis teipsum provexeris? animam tuam in barathra & prærupta loca præcipitem egisti, quod humiliari nolueris, duramq; cervicem tuam submittere. Nam ubi præclara commonitione adhibita & doctrina pontifices Deo exhibuerint imperatores irreprehensibiles & mundos a peccatis ac delictis, magnam apud eum laudem & gloriam obtinent in sanctam resurrectionem magnam, quo tempore res nostras occultas, opera nostra in lucem prolaturus est in confusionem nostram coram angelis suis. Tum vero futurum est, ut nos humiles erubescamus, quod te propter inobedientiam tuam lucrati non fuerimus; cum illi qui ante nos fuerunt pontifices, eos qui suis temporibus imperarunt, Deo obtulerint: quod nobis humilibus pudorem incutiet, qui tẽporum nostrorum imperatorem non offeramus gloriosum & celebrem, sed ignominiosum & adulterinum. Ecce nunc quoque te hortamur, pœnitentiam age, & convertere, atque ad veritatem ingredere: sicut invenisti & accepisti, custodi. Honore affice & glorifica sanctos & gloriosos patres nostros ac doctores, qui cæcitatem a cordibus oculisque nostris secundum Deum dispulerunt, iisque visum restituerunt. At enim scripsisti: Qui fit ut in sex conciliis de imaginibus nihil sit dictum? Enimvero, imperator, ne de pane quidem & aqua dictum est, quidquam, sitne comedendum, an non comedendum; bibendum, an non bibendum; quandoquidem hæc antiquitus & a principio ad vitæ humanæ conservationem habes tradita: sic etiam imagines traditæ fuerant, ipsique pontifices imagines ad concilia deferebant; nec ullus ex Christi amantibus ac religiosis hominibus iter peragens, absque imaginibus peregrinationes obibat, utpote qui virtute prediti atque apud Deum probi essent. Hortamur te, ut sis pontifex & imperator, prout ante scripsisti. Quod si te pudeat, hoc tibiipsi tamquam imperatori tribuere: ad regiones omnes, quibus scandalo fuisti, scribe, Gregorium papam Romanum circa imagines errare, itemque Germanum Constantinopolitanum patriarcham; & nos culpam peccati recipimus, utpote qui potestatem a domino acceperimus

A αὐτῷ ἐμποιοῦσι. καὶ ὅτε καλῶς παιδεύσωσι, καὶ καλῶς λιμαγχονήσωσι, παραβάλλουσιν αὐτῷ τὸ τίμιον σῶμα τοῦ κυρίου, καὶ τὸ ἅγιον αἷμα ποτίζουσιν αὐτόν· καὶ ἀποκαταστήσαντες αὐτὸν σκεῦος ἐκλογῆς καὶ ἀναμάρτητον, οὕτως αὐτὸν παραπέμπουσι καθαρὸν καὶ ἄμωμον πρὸς κύριον. βλέπεις, βασιλεῦ, τὰς διαφορὰς τῶν ἐκκλησιῶν καὶ τῶν βασιλειῶν; οἱ βασιλεῖς οἱ εὐσεβῶς καὶ ἐν Χριστῷ ζήσαντες, τοὺς ἀρχιερεῖς τῶν ἐκκλησιῶν οὔτε παρήκουσαν, οὔτε ἔθλιψαν. σὺ βασιλεῦ παραβὰς, καὶ διαστρέψας, καὶ ἰδιοχείρως γράψας, καὶ ὑποβαλὼν αὐτὸν, καὶ ὁμολογήσας ὅτι ὁ καταλύων ὅρια πατέρων ἐπικατάρατος. ἔνθα αὐτοκατάκριτος γέγονας, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπεχώρισας
B ἀπὸ σοῦ, τιμωρεῖς καὶ τυραννεῖς ἡμᾶς στρατιωτικῇ καὶ σαρκικῇ χειρί. ἡμεῖς ἄοπλοι καὶ γυμνοὶ, μὴ ἔχοντες στρατόπεδα ἐπίγεια σαρκικὰ, ἐπικαλούμεθα τὸν ἀρχιστράτηγον πάσης κτίσεως, τὸν ἐν οὐρανοῖς καθήμενον Χριστὸν, τὸν ἐπάνω τῶν στρατιῶν τῶν ἄνω δυνάμεων ἵνα πέμψῃ σοι δαίμονα, καθὼς λέγει ὁ ἀπόστολος· παραδοῦναι τὸν τοιοῦτον τῷ σατανᾷ εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῇ. βλέπεις βασιλεῦ, εἰς ποίαν ἀναίδειαν καὶ ἀπανθρωπίαν ἐξήλασας σεαυτόν; καὶ τὴν ψυχήν σου εἰς βάραθρα καὶ κρημνοὺς ὑπέβαλες, διὰ τὸ μὴ θέλειν σε ταπεινωθῆναι, καὶ ὑποκλῖναι τὸν σκληρόν σου τράχηλον. ὅταν γὰρ οἱ ἀρχιερεῖς τοὺς βασιλεῖς διὰ νουθεσίας καλῆς καὶ διδασκαλίας τῷ Θεῷ παρα-
C στήσωσιν ἀμέμπτους καὶ καθαροὺς τῶν ἁμαρτημάτων καὶ πταισμάτων, μέγαν ἔπαινον καὶ δόξαν ἔχουσι παρ' αὐτῷ εἰς τὴν ἁγίαν μεγάλην ἀνάστασιν, ὅταν μέλλῃ ὁ Θεὸς τὰ κρυπτὰ ἡμῶν ἔργα φανερῶσαι εἰς αἰσχύνην ἡμῶν ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ: ἡμεῖς οἱ ταπεινοὶ μέλλομεν αἰσχύνεσθαι ὅτι διὰ τῆς παρακοῆς σου οὐκ ἐκερδήσαμέν σε· ὅτι οἱ πρὸ ἡμῶν ἀρχιερεῖς οἱ κατὰ τοὺς ἰδίους καιροὺς τοὺς βασιλεύσαντας προσφέρουσι τῷ Θεῷ εἰς αἰσχύνην τῶν ταπεινῶν, ὅτι οὐ προσφέρομεν ἐπὶ τῶν ἡμετέρων καιρῶν βασιλέα ἔντιμον καὶ ἔνδοξον,
D ἀλλ' ἄτιμον καὶ παραχαράξιμον. ἰδοὺ καὶ νῦν παρακαλοῦμέν σε, μετανόησον καὶ ἀπόστρεψον, καὶ εἴσελθε εἰς τὴν ἀλήθειαν, καὶ καθὼς εὗρες καὶ παρέλαβες, φύλαξον· καὶ τίμησον καὶ δόξασον τοὺς ἁγίους καὶ ἐνδόξους πατέρας ἡμῶν καὶ διδασκάλους, οἵτινες μετὰ Θεὸν τὰς τυφλώσεις τῶν καρδιῶν καὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἡμῶν διήνοιξαν, καὶ ἀνέβλεψαν. ἔγραψας δὲ, ὅτι διὰ τί εἰς τὰς ἓξ συνόδους οὐδὲν ἐρρέθη περὶ τῶν εἰκόνων; ἀληθῶς, βασιλεῦ, οὔτε περὶ ἄρτου καὶ ὕδατος οὐδὲν ἐρρέθη, φαγεῖν ἢ μὴ φαγεῖν, πιεῖν ἢ μὴ πιεῖν· ὅτι ταῦτα ἔχεις ἄνωθεν καὶ ἐξ ἀρχῆς παραδεδομένα εἰς ζωὴν τῶν ἀνθρώπων· οὕτω καὶ αἱ εἰκόνες παραδεδομέναι ἦσαν, καὶ αὐτοὶ εἰς τὰς συν-
E όδους οἱ ἀρχιερεῖς ἐπεφέροντο τὰς εἰκόνας· καὶ οὐδεὶς φιλόχριστος καὶ φιλόθεος ὁδοιπορῶν, χωρὶς εἰκόνων τὰς πορείας ἐποιοῦντο, ὡς ἐνάρετοι καὶ καλοὶ τῷ Θεῷ. παρακαλοῦμέν σε, γίνου ἀρχιερεὺς καὶ βασιλεὺς, καθὼς προέγραψας. εἰ δὲ τοῦτο ἐρυθριᾷς ὡς βασιλεὺς αἰτιολογῆσαι ἑαυτὸν, γράψον εἰς πάσας τὰς χώρας, ἃς ἐσκανδάλισας, ὅτι Γρηγόριος ὁ πάπας Ῥώμης ἔσφαλλε περὶ τῶν εἰκόνων, καὶ Γερμανὸς, ὁ πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως· καὶ ἡμεῖς ἀναδεχόμεθα τὸ σφάλμα τῆς ἁμαρτίας, ὡς λαβόντες παρὰ κυρίου τὴν ἐξουσίαν καὶ αὐθεντίαν λύειν

καὶ

1. Cor. 5.

ANNO CHRISTI 787.

ANNO CHRISTI 787.

καὶ δεσμεῖν τὰ ἐπίγεια καὶ τὰ ἐπουράνια· καί σε ἀμέριμνον ποιήσομεν οὐκ ἠθέλησας, καὶ οὐ θέλεις· ἡμεῖς, ὡς λόγον ἀποδώσοντες τῷ δεσπότῃ Χριστῷ, τὰς νουθεσίας καὶ διδασκαλίας παρεθέμεθα σοι, καθὼς καὶ ἐδιδάχθημεν ὑπὸ τοῦ κυρίου· καὶ ἀπέφυγες, καὶ παρήκουες ἡμῶν τῶν ταπεινῶν, καὶ Γερμανοῦ τοῦ προέδρου, καὶ τῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων θαυματουργῶν καὶ διδασκάλων πατέρων ἡμῶν, καὶ ἠκολούθησας διεστραμμένοις καὶ σαθροῖς, τῶν δογμάτων τῆς ἀληθείας σφαλλομένοις. ἔχε τὴν μερίδα μετ' αὐτῶν. ἡμεῖς καθὼς προεγράψαμέν σοι, ἐπέστημεν χάριτι Θεοῦ τὴν ὁδὸν ἐπὶ τὴν ἐσωτέραν χώραν τῆς δύσεως τοῖς τὸ ἅγιον βάπτισμα ἐπιζητοῦσι. καὶ γὰρ ἀποστείλαντός μου ἐκεῖσε ἐπισκόπους, καὶ τῆς ἁγίας ἡμῶν ἐκκλησίας κληρικοὺς, οὔπω κατεδέξαντο ἐπικλῖναι τὰς κεφαλὰς καὶ φωτισθῆναι οἱ ἀρχηγοὶ αὐτῶν, ἐμὲ ἐπιζητοῦντες γενέσθαι αὐτῶν ἀνάδοχον. ἐπὶ τούτῳ ἐπέστημεν Θεοῦ χάριτι τὴν ὁδὸν, ἵνα μὴ τῆς κατακρίσεως καὶ τῆς ἀμελείας ἡμῶν λόγον ἀποδῶμεν. ὁ Θεὸς δῴη σοι σύνεσιν καὶ μετάνοιαν εἰς ἐπιστροφὴν τῆς ἀληθείας, ὅθεν ἐξέφυγες, καὶ ἀποκαταστήσοι πάλιν τοῖς ταπεινοῖς λαοῖς εἰς ἕνα ποιμένα τὸν Χριστὸν, καὶ εἰς μίαν ποίμνην τῶν ὀρθοδόξων ἐκκλησιῶν καὶ ἱερέων· καὶ τὴν εἰρήνην ὁ κύριος καὶ Θεὸς ἡμῶν παράσχοι πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

A & auctoritatem terrena cælestiaque solvendi ac ligandi; teque ab hac cura quietum præstabimus: neque voluisti, neque vis: nos, ut rationem Christo domino redditurі, monita atque documenta tibi adhibuimus, prout a domino edocti sumus: at tu refugisti, atque obedire nobis humilibus recusasti, simulque Germano præsuli, & sanctis atque gloriosis miraculorum effectoribus & doctoribus patribus nostris, & secutus es perversos pravosque dogmatum magistros, qui a veritate aberrant. Habeto partem cum illis. nos, prout ante scripsimus tibi, viam ingredimur Dei benignitate in extremas occidentis regiones versus illos qui sanctum baptisma efflagitant. Cum enim illuc B episcopos misissem, & sanctæ ecclesiæ nostræ clericos; nondum adducti sunt, ut capita sua inclinarent & baptizarentur eorum principes, quod exoptent, ut eorum sim susceptor. Hac de causa nos ad viam Dei benignitate accingimus, ne forte damnationis & incuriæ nostræ rationem reddamus. Det tibi Deus prudentiam ac pœnitentiam, ut ad veritatem convertaris, a qua descivisti; rursusque restituat humilibus populis in unum pastorem Christum, & in unum ovile orthodoxarum ecclesiarum ac præsulum, & pacem dominus Deus noster præbeat universo terrarum orbi nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT II. GREG. PP. EPIST. II.

ANNO CHRISTI 787.

PRÆFATIO

ANASTASII BIBLIOTHECARII

IN SEPTIMAM SYNODVM,

AD IOANNEM VIII. PONT. MAX.

Domino coangelico Ioanni pontifici summo & universali papa Anastasius exiguus:

Ex interpretata nuper decessori vestræ beatitudinis * Hadriano reverendæ memoriæ papæ sancta octava & universali synodo. Indecorum & inconveniens arbitratus sum septimam ' synodum, quæ præsidente in vicariis suis beatæ recordationis prædecessore vestro * Hadriano D apud Nicæam secundo conveniens sub Irene seu Constantino imperatoribus celebrata est, non habere Latinos. Nam nulla ratione octava dicitur vel teneri poterit, ubi septima non habetur: non quod ante nos minime fuerit interpretata, sed quod interpres pene per singula relicto utriusque linguæ idiomate, adeo fuerit verbum e verbo secutus, ut quid in eadem editione intelligatur, aut vix aut nunquam possit adverti, in fastidiumque versa legentium, pene ab omnibus hac pro causa contemnatur. Vnde a quibusdam nec ipsa lectione, ut non dicam transcriptione, digna penitus judicatur. quod ipse intuens, nec proprio infirmo corpori parcens, auxiliante domino hanc nisus sum interpretari Latinis, E indecens & incongruum censens vestram maxime omnium ecclesiarum magistram, Romanam videlicet ecclesiam, eadem synodo defraudari, cum videam posteriori, id est octava, magnificentissime decorari. Presertim cum sacræ bibliothecæ vestræ, cujus minister vestra dignatione consisto, ex hoc quod desuper mihi datum est, debitor sum ministrare: si tamen æmulatus apostolum, ministerium meum studeam honorare. Sane notandum est, quædam in hac

* II. Hadrianus hic erat.

' universalem

* De Hadriano loquitur hujus nominis I.

C synodo ex apostolorum & sextæ universalis synodi canonibus & sententiis inveniri, quæ penes nos interpretata nec habentur nec admittuntur. Et certe de apostolorum canonibus liquido novimus, quoniam his quidam ' facile non præbuere consensum. Sed & prædecessor vester beatissimus papa Stephanus non ex his plusquam quinquaginta recipiendos synodice promulgavit; licet quædam constituta pontificum ex ipsis canonibus assumpta esse videantur. Vnde apostolatu vestro decernente non solum illos solos ' quinquaginta canones ecclesia recipit, sed & omnes * eorum, utpote Spiritus sancti tubarum, quin & omnium omnino probabilium patrum, & sanctorum conciliorum regulas & institutiones admittit, illas dumtaxat quæ nec rectæ fidei, nec probis moribus obviant, sed nec sedis Romanæ decretis ad modicum quid resultant, qui potius adversarios, id est, hæreticos potenter impugnant. Ergo regulas, quas Græci a sexta synodo perhibent editas, ita in hac synodo principalis sedes admittit, ut nullatenus ex his illæ recipiantur, quæ prioribus canonibus vel decretis sanctorum sedis hujus pontificum, aut certe bonis moribus inveniuntur adversæ: quamvis omnes hactenus ex toto maneant apud Latinos incognitæ, quia nec interpretatæ; sed nec in ceterarum patriarchalium sedium, licet Græca utantur lingua, reperiantur archivis: nimirum quia nulla earum cum ederentur, aut promulgans, aut consentiens, aut saltem præsens inventa est. quamquam eosdem patres illas Græci promulgasse perhibeant, qui in sexta synodo sunt inventi: sed hoc nullis probare certis possunt indiciis. In eo sane, quo frequenter * universalem in hac synodo Græci patriarcham suum inconvenienter appellant, apostolatus vester adulationi veniam det, sæpe prælatis suis non sine reprehensione placere studentium. Verum cum apud Constantinopolim positus frequenter Græcos

CAPVT III. PRÆF. ANASTASII BIBL.

' facilem

' apostolorum.

* i. Pontificum Romanum.

*œcumenicum

CAPVT III. PRÆF. ANASTASII BIBL.

Manzo sanctissimus episcopus Pracanensium dixit: Postquam recessi anno præterito a regia urbe, & veni ad servilem civitatem vestram, in qua dego, infirmitatem incurri sævissimam, ita ut propinquos colligerem ad faciendum testamentum. Et in his languore comprimente, attuli augustissimam imaginem salvatoris nostri Iesu Christi, & dixi: Domine qui das gratiam sanctis tuis, visita me. Et mox ut posui eamdem colendam imaginem in membrum, quod patiebatur, confestim expulsus est languor, & restitutus sum sanus.

Καὶ ἀναστὰς Θεόδωρος ὁ ὁσιώτατος ἐπίσκοπος Σελευκείας εἶπε· καὶ ἡμῖν διεγνώσθη τοῦτο. πλησίον γὰρ ἡμῶν ἐστιν.

Exurgens autem Theodorus sanctissimus episcopus Seleuciæ dixit: Et nobis innotuit hoc: juxta nos enim est.

Ἔτι Θεοδόσιος διάκονος μοναχὸς καὶ σκευοφύλαξ τῶν εὐαγῶν πατριαρχικῶν εὐκτηρίων, ἀνέγνω.

Item * Theodorus diaconus, & monachus, & vasorum custos venerabilium patriarchalium oratoriorum, legit.

*Gr. Theodosius

Ἐκ τῶν αὐτῶν θαυμάτων, περὶ τῆς γυναικὸς τῆς ἐχούσης τοὺς στρόφους.

Ex eisdem miraculis, de muliere tortionem habente.

Καλῶς ὁ σοφώτατος Παῦλος, ὁ στύλος καὶ διδάσκαλος τῆς ἐκκλησίας, βοᾷ, ὅτι ἡ ἐλπὶς οὐ καταισχύνει, τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ ἐκκεχυμένης ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. ταύτην μὲν ἐλπίδα κεκτημένη μία πιστὴ γυνὴ, καὶ χαλεπῶν ἀσθενειῶν ῥυσθεῖσα διαφόρως διὰ τῶν ἐνδόξων ἁγίων Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ,

Bene sapientissimus Paulus, columna & magister ecclesiæ, clamat, quia spes non confundit, & quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris. Hanc spem possidens una fidelis mulier, & a sævis infirmitatibus eruta diverso modo per gloriosos sanctos Cosmam & Damianum,

Rom. 5.

A sine oblivione cum gratiarum actione faciebat erga illos memoriam, crebrius ad hanc mirabilem eorum domum accedens, & debitum honoris eis persolvens: & ut compendio dicam, per singulos dies, magnos & admirabiles sanctos Cosmam & Damianum habens in mente non satiabatur, sed in omni pariete domus suæ hos depingebat, insatiabilis ex visione eorum existens. Vnde & ex eminente amore suo hoc * agebat; & nemo suspicetur hoc * o fideles: sine * accusatione quippe super utilitate animæ ubique quod non creditur, judicatur. Hanc contigit interioribus doloribus ac incessabilibus infirmatam in propria domo comB primi, volutarique in lecto indesinentem habentem dolorem; & nec una dilatio cruciatuum erat in ea. Taliter autem accidente, solam contigit hanc ad modicum inveniri. Cum autem vidisset se periclitantem, tracta descendit de strato, & appropinquans loco, in quo in pariete erant depicti sapientissimi sancti isti, fide sua pro baculo utens, & erigens semetipsam, ungulisque manuum suarum radens ex * unctione, ac mittens in aquam, bibit temperatum: & continua sana facta est, doloribus qui erant in illa, cessantibus sanctorum adventu. Quæ postquam sana facta est, venit in hanc magnam domum, gratias agens domino Deo, qui deC dit tanta charismata sanctis suis: & narravit omnibus curationem quæ sibi facta fuerat per sanctos in hujusmodi habitu.

* Gr. egit

* Gr incredibile.

* Gr. accusatione quippe digna f. v. a. v. incredulitas.

* id est, linimento.

Symeon reverendissimus monachus & hegumenus regionis, tradidit librum: quem suscipiens Niceta Deo amabilis diaconus & notarius venerabilis patriarchici secreti, legit.

Sancti patris nostri Ioannis Chrysostomi sermo in lavationem quinta feria. D

Omnia facta sunt propter gloriam Dei & usum nostrum. Nubes ad imbrium ministerium, terra ad fructuum abundantiam, mare ad mercatorum copiam. Omnia tibi ministrant, imo autem imagini Dei. Nam quando imperiales characteres & imagines in civitatem introducuntur, obviam veniunt principes & vulgus cum laudatione, non tabulam honorantes, neque perfusam cera picturam, sed characterem imperatoris: sic creatura non terrenum habitum, sed cælestem figuram veneratur. E

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Libri qui lecti sunt, de templo sanctorum " Anargyron sunt, quod est in divinitus conservanda regia urbe. Porro clerici qui inde sunt, detulerunt eos ad nos, & adjuraverunt nos, ut legeremus illos in sancta synodo.

" Anast. in c. Iolyano; SS. Cosmas & Damianus jure Anargyri dicuntur qui absque argento sive pecunia medicabãtur.

Sancta synodus dixit: Et oportebat illos, domine, legi. ad utilitatem enim omnium nostrum allati sunt.

A ἀνεπίληστον τὴν μνήμην τῆς πρὸς αὐτοὺς εὐχαριστίας ἐποιεῖτο, συχνότερον ἐν τῷ θαυμαστῷ αὐτῶν τούτῳ οἴκῳ παραγινομένη, καὶ τὸ χρέος τῆς τιμῆς αὐτοῖς ἀποτιννύουσα· καὶ ἁπλῶς, καθ' ἑκάστην τοὺς μεγάλους καὶ θαυμαστοὺς ἁγίους Κοσμᾶν καὶ Δαμιανὸν ἔχουσα ἐν τῇ διανοίᾳ οὐκ ἐκορέννυτο, ἀλλὰ καὶ εἰς πάντα τὸν τοῖχον τοῦ οἴκου αὐτῆς τούτους ἀνέγραψεν, ἀκόρεστος τῆς θέας αὐτῶν ὑπάρχουσα· ὅθεν ἐκ τοῦ ὑπερβάλλοντος αὐτῆς πόθου τοῦτο πέπραχε· καὶ μηδεὶς ὑπολάβοι τοῦτο ἄπιστον· οὐδὲ γὰρ ἀκατηγόρητον ἐπ' ὠφελείᾳ ψυχῆς πανταχοῦ τὸ ἄπιστον κρίνεται. ταύτην συνέβη ὑπὸ τῶν ἔσωθεν ἀσθενήσασαν πόνοις B ἀνενδότοις ἐν τῷ ἰδίῳ οἴκῳ συνέχεσθαι, κυλιομένην τε ἐν τῷ κραββάτῳ ἄπαυστον ἔχειν τὴν ὀδύνην· καὶ οὐδεμία ἀνοχὴ τῶν ἀλγηδόνων ἦν ἐν αὐτῇ. οὕτω δὲ συμβάντος μόνην ἔλαχε ταύτην πρὸς ὀλίγον εὑρεθῆναι. ὡς δὲ εἶδεν ἑαυτὴν κινδυνεύουσαν, συρομένη κατῆλθεν ἐκ τῆς κλίνης· καὶ φθάσασα τὸν τόπον, ἐν ᾧ ἐν τῷ τοίχῳ ἦσαν γεγραμμένοι οἱ πάνσοφοι οὗτοι ἅγιοι, τῇ πίστει αὐτῆς ἀντὶ βακτηρίας χρησαμένη, καὶ ἀνορθώσασα ἑαυτὴν, τοῖς ὄνυξί τε αὐτῆς τῶν χειρῶν καταξέσασα τοῦ χρίσματος καὶ βαλοῦσα ἐν ὕδατι, ἔπιεν εὔκρατον· καὶ παραυτὰ ὑγιὴς γέγονε, τῶν C οὐσῶν ἐν αὐτῇ ἀλγηδόνων παυσαμένων τῇ τῶν ἁγίων ἐπιφοιτήσει. ἥ τις μετὰ τὸ ὑγιᾶναι ἦλθεν ἐν τῷ μεγάλῳ τούτῳ οἴκῳ, εὐχαριστοῦσα τῷ δεσπότῃ Θεῷ τῷ δεδωκότι τοσαῦτα χαρίσματα τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ. καὶ διηγήσατο πᾶσι τὴν διὰ τῶν ἁγίων προσγενομένην αὐτῇ ἐν τῷ τοιούτῳ σχήματι θεραπείαν.

Συμεὼν ὁ εὐλαβέστατος μοναχὸς, πρεσβύτερος καὶ ἡγούμενος τῆς χώρας, ἐπέδωκε βίβλον· ἣν δεξάμενος Νικήτας ὁ εὐλαβέστατος διάκονος καὶ νοτάριος τοῦ εὐαγοῦς πατριαρχικοῦ σεκρέτου, ἀνέγνω.

D Τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου, εἰς τὸν νιπτῆρα.

Πάντα ἐγένοντο διὰ δόξαν Θεοῦ, χρῆσιν δὲ ἡμετέραν. νεφέλη εἰς τὴν τῶν ὄμβρων διακονίαν, γῆ εἰς τὴν τῶν καρπῶν εὐθηνίαν, θάλαττα εἰς τὴν τῶν ἐμπόρων ἀφθονίαν· πάντα σοι λειτουργεῖ τῷ ἀνθρώπῳ, μᾶλλον δὲ τῇ εἰκόνι τοῦ δεσπότου. ὥσπερ γὰρ ὅτε βασιλικοὶ χαρακτῆρες καὶ εἰκόνες εἰς πόλιν εἰσφέρονται, καὶ ὑπαντῶσιν αὐταῖς ἄρχοντες καὶ δῆμοι μετ' εὐφημίας, οὐ σανίδα τιμῶσιν, οὐδὲ τὴν κηρόχυτον γραφὴν, ἀλλὰ τὸν χαρακτῆρα τοῦ βασιλέως· οὕτω καὶ ἡ κτίσις οὐ τὸ γήϊνον E σχῆμα τιμᾷ, ἀλλὰ τὸν οὐράνιον χαρακτῆρα αἰδεῖται.

Ταράσιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· αἱ βίβλοι αἱ ἀναγνωσθεῖσαι ἐκ τοῦ ναοῦ τῶν ἁγίων Ἀναργύρων εἰσὶ, τοῦ ὄντος ἐν τῇ θεοφυλάκτῳ καὶ βασιλίδι πόλει. οἱ δὲ κληρικοὶ τῶν ἐκεῖσε ὄντων ἐκόμισαν αὐτὰς πρὸς ἡμᾶς, καὶ κατώρκισαν, ἵνα ἀναγνῶμεν αὐτὰς ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ.

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· καὶ δέον ἦν δέσποτα ἀναγνωσθῆναι αὐτάς. εἰς γὰρ ὠφέλειαν πάντων ἡμῶν παρήχθησαν.

Πάτερς

NNO RISTI 87.

Πέτρος ὁ εὐλαβέστατος ἀναγνώστης καὶ νοτάριος τοῦ εὐαγοῦς πατριαρχείου ἀνέγνω. A

Τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου ἐκ τοῦ κατὰ Ἀρειανῶν λόγου τετάρτου, οὗ ἡ ἀρχή.

Οἱ Ἀρειομανῖται, ὡς ἔοικε, κρίναντες ἅπαξ ἀποστάται γενέσθαι. καὶ μεθ' ἕτερα. τοῦτο καὶ ἀπὸ τοῦ παραδείγματος τῆς εἰκόνος τοῦ βασιλέως προσεχέστερόν τις κατανοεῖν δυνήσεται. ἐν γὰρ τῇ εἰκόνι τοῦ βασιλέως τὸ εἶδος καὶ ἡ μορφή ἐστι· καὶ ἐν τῷ βασιλεῖ δὲ τὸ ἐν τῇ εἰκόνι εἶδός ἐστιν. ἀπαράλλακτος δέ ἐστιν ἡ ἐν τῇ εἰκόνι τοῦ βασιλέως ὁμοιότης· ὥστε τὸν ἐνορῶντα τὴν εἰκόνα, ὁρᾶν ἐν αὐτῇ τὸν βασιλέα· καὶ πάλιν τὸν ὁρῶντα τὸν βασιλέα ἐπιγινώσκειν ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ ἐν τῇ εἰκόνι. B ἐκ δὲ τοῦ μὴ διαλλάττειν τὴν ὁμοιότητα, τῷ θέλοντι μετὰ τὴν εἰκόνα θεωρῆσαι τὸν βασιλέα εἴποι ἂν ἡ εἰκών· ἐγὼ καὶ ὁ βασιλεὺς ἕν ἐσμεν. ἐγὼ γὰρ ἐν ἐκείνῳ εἰμί, κἀκεῖνος ἐν ἐμοί· καὶ ὃ ὁρᾷς ἐν ἐμοί, τοῦτο ἐν ἐκείνῳ βλέπεις· καὶ ὃ ἑώρακας ἐν ἐκείνῳ, τοῦτο βλέπεις ἐν ἐμοί· ὁ γοῦν προσκυνῶν τὴν εἰκόνα, ἐν αὐτῇ προσκυνεῖ τὸν βασιλέα· ἡ γὰρ ἐκείνου μορφὴ καὶ τὸ εἶδός ἐστιν ἡ εἰκών.

Ταράσιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπεν· αὐτὴ ἡ φύσις τῶν πραγμάτων διδάσκει, ὅτι ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει· ὡσαύτως δὲ καὶ ἡ ἀτιμία. C ὁ δὲ πατὴρ νῦν ἐπὶ ὑποδείγματος ἔλαβε τὰ ἀναγνωσθέντα.

Ἐπιφάνιος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος τῆς ἐκκλησίας Κατάνης, καὶ τὸν τόπον ἐπέχων Θωμᾶ τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου Σαρδινίας, εἶπε· τὰ παραδείγματα ἐπὶ τῶν ὁμολογουμένων λαμβάνονται, οἷάπερ καὶ ὁ θεηγόρος οὗτος πατὴρ τὴν τοῦ βασιλέως εἰκόνα.

Νικήτας ὁ εὐλαβέστατος διάκονος καὶ νοτάριος ἀνέγνω·

Τοῦ ἁγίου Βασιλείου ἐκ τῶν πρὸς Ἀμφιλόχιον τριάκοντα κεφαλαίων περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἀπὸ κεφαλαίου ιζ'.

D Ὅτι βασιλεὺς λέγεται καὶ ἡ τοῦ βασιλέως εἰκών, καὶ οὐ δύο βασιλεῖς. οὔτε γὰρ τὸ κράτος σχίζεται, οὔτε ἡ δόξα μερίζεται. ὡς γὰρ ἡ κρατοῦσα ἡμῶν ἀρχὴ καὶ ἐξουσία μία, οὕτως καὶ ἡ παρ' ἡμῶν δοξολογία μία, καὶ οὐ πολλαί· διότι ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει.

Ἰωάννης ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος καὶ τὸν τόπον ἐπέχων τῶν ἀνατολικῶν ἀρχιερέων, εἶπε. τὴν βίβλον ταύτην, ἣν ἐπὶ χεῖρας ἔχομεν, μεθ' ἡμῶν ἠγάγομεν ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς· καὶ ἀξιοῦμεν ἀναγνωσθῆναι.

Κωνσταντῖνος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ νοτάριος ἀνέγνω.

E

Τοῦ ἁγίου Βασιλείου ἐκ τοῦ λόγου τοῦ κατὰ Σαβελλιανῶν, καὶ Ἀρείου, καὶ τῶν Ἀνομοίων· οὗ ἡ ἀρχή.

Μάχεται Ἰουδαϊσμὸς ἑλληνισμῷ, καὶ ἀμφότεροι Χριστιανισμῷ. καὶ μεθ' ἕτερα. ἀλλ' ὁ τῆς ἀληθείας λόγος ἑκατέρωθεν τὰ ἐναντιώματα διαπέφευγεν. ὅπου γὰρ μία μὲν ἡ ἀρχή, ἓν δὲ τὸ ἐξ αὐτῆς· καὶ ἓν μὲν τὸ ἀρχέτυπον, μία δὲ ἡ εἰκών, ὁ τῆς ἑνότητος λόγος οὐ διαφθείρεται· διότι γεννητὸς ὑπάρχων ἐκ τοῦ πατρὸς ὁ υἱός, καὶ φυσικῶς ἐκτυπῶν ἐν ἑαυτῷ τὸν πατέρα, ὡς μὲν εἰκὼν τὸ

Conc. gen. Tom. VII.

ACTIO QVARTA.

Petrus reverendissimus lector ac notarius venerabilis patriarchii legit:

Sancti Athanasii ex sermone quarto contra Arianos: cujus initium est:

Ariani, ut apparet, semel judicaverunt prævaricatores fieri. Et post alia. Hoc & a paradigmate imaginis imperatoris attentius quis considerare* poterit. In imagine quippe imperatoris species & forma est: in imperatore vero eadem quæ in imagine species est. Parilis autem est in imagine imperatoris similitudo: ita ut qui videat imaginem, in ea imperatorem cernat: & rursus qui viderit imperatorem, cognoscat quod hic sit, qui in imagine est. De eo vero, quia non mutetur similitudo, volenti * præ imagine videre imperatorem, imago dixerit: Ego & imperator unum sumus. Ego enim in illo sum, & ille in me. Et quod aspicis in me, id & in illo vides: & quod intuitus es in illo, hoc vides in me. Qui ergo adorat imaginem, in ipsa adorat imperatorem. Illius enim forma & species est imago.

* *Gr.* post imaginem; atq; in mſ. Iolyano.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Ipsa rerum natura docet, quia imaginis honor ad principale refertur: similiter autem & inhonorantia. Pater autem nunc in exemplum sumpsit quæ lecta sunt.

Epiphanius Deo amabilis diaconus ecclesiæ Catanæ, & locum retinens Thomæ reverendissimi episcopi Sardiniæ, dixit: Paradigmata in manifestis accipiuntur, quemadmodum & deiloquus pater imperatoris imaginem.

Niceta reverendissimus diaconus & notarius legit.

Sancti Basilii de xxx. capitulis ad Amphilochium scriptis de sancto Spiritu, capitulo xvii.

Quia rex dicitur & regis imago, & non sunt duo reges. Nam neque imperium scinditur, neque gloria dividitur. Sicque enim principatus noster, qui nobis imperat, & potestas una est, & * non multæ, eo quod imaginis honor ad primitivum transeat.

* *Gr* addit; ita & laus quæ a nobis datur, una est &

Ioannes reverendissimus presbyter & locum retinens orientalium summorum sacerdotum, dixit: Librum hunc quem præ manibus habemus, nobiscum detulimus ab oriente: & poscimus recitari.

Constantinus reverendissimus diaconus & notarius legit.

Sancti Basilii ex sermone contra Sabellianos, & Arianos, & Anomœos, " id est, dissimiles: cujus initium est.

" hoc glossema abest a cod. Iolyano.

Impugnat Iudaismus paganismum, & uterque Christianismum. Et post alia. Sed veritatis ratio utrimque adversantia refugit. Vbi enim unus est * principatus, & unum quod ex eo est; & unum quidem est principale, una vero est imago, unitatis ratio non corrumpitur; pro eo quod genitus ex Patre Filius existat. & naturaliter in se Patrem figuret. Vt imago quidem est,

* *Gr.* unum principiū;

ACTIO QUARTA.

incommutabilitatem habet: ut autem genimen, substantiam unam salvat. Neque enim qui in foro imperatoriæ imagini intendit, & imperatorem dicit eum qui in tabula est, duos imperatores confitetur, imaginem scilicet, & cujus est imago. Neque si ostendens tabulam pictam, dixerit, hic est imperator, privavit principale imperatoris appellatione, cum magis illi honorem stabiliat per hujus confessionem.

Ioannes reverendissimus presbyter, monachus & vicarius orientalium pontificum, dixit: Pseudosyllogum illud susurravit, quia qui adorat imaginem, dividit Christum in duo: & qui videt imagines, & dicit vel superscribit, quia hic est Christus, dividit Christum: quod stultissimum est. Deifer enim Basilius, utpote luminare & magister existens ecclesiæ Dei, & Spiritu sancto divina initiatus, ait; quia imaginis honor ad primitivum pertransit: & qui imagini imperatoris intendit, videt in ea imperatorem: qui autem adorat eam, non duos imperatores adorat vel videt, sed unum imperatorem. Dixit namque pater lucide, quia imperator dicitur & imperatoris imago, & non duo imperatores. Itaque qui adorat imaginem, & dicit, quia hic est Christus Filius Dei, non peccat. Manifestum autem est, quia Christus est verus Dei Filius, & Patri consessor in cælis, & cum proprio corpore suo: sed per imaginem quæ de coloribus facta paret, adoratur imperium ejus, & glorificatur, & in memoriam venimus ipsius præsentiæ, qua in terra conversatus est. Vnde & hic pater ostendit non duas adorationes, sed unam esse & imaginis & principalis, cujus imago est.

Petrus & Petrus Deo amabiles presbyteri ac vicarii Hadriani papæ senioris Romæ, attulerunt librum: quem accipiens Demetrius Deo amabilis diaconus, & vasorum custos sanctissimæ magnæ ecclesiæ, legit.

Sancti patris nostri Basilii ex epistola ad Iulianum trangressorem.

Secundum immaculatam fidem Christianorum, quam divinitus sumus sortiti, confiteor & polliceor credere in unum Deum Patrem omnipotentem, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum: unum Deum tria adoro & glorifico. Confiteor autem incarnatam Filii dispensationem, & Dei genitricem sanctam Mariam, quæ illum secundum carnem peperit. Suscipio autem & sanctos apostolos, prophetas & martyres: & ad supplicationem, quæ est ad Deum, hos invoco; ut per eos, id est, interventionem eorum, propitius mihi sit misericors Deus, & culparum mihi redemptio fiat, & detur. Vnde & characteres imaginum eorum honoro & adoro; præcipue cum hoc traditum a sanctis apostolis, & non prohibitum sit: quin & in omnibus ecclesiis nostris ostendatur depictum.

Gregorius Deo amabilis diaconus sanctissimorum & laudabilissimorum apostolorum legit.

ἀπαράλλακτον ἔχει. ὡς δὲ γέννημα, τὸ ὁμοούσιον διασώζει. οὐδὲ γὰρ ὁ κατὰ τὴν ἀγορὰν τῇ βασιλικῇ εἰκόνι ἐνατενίζων, καὶ βασιλέα λέγων τὸν ἐν τῷ πίνακι, δύο βασιλέας ὁμολογεῖ, τήν τε εἰκόνα, καὶ τὸν οὗ ἐστιν ἡ εἰκών· οὔτε ἐὰν δεικνὺς τὸν ἐν τῷ πίνακι γεγραμμένον, εἴπῃ, οὗτός ἐστιν ὁ βασιλεὺς, ἀπεστέρησε τὸν πρωτότυπον τῆς τοῦ βασιλέως προσηγορίας· μᾶλλον μὲν οὖν ἐκείνῳ τὴν τιμὴν ἐβεβαίωσε διὰ τῆς τούτου ὁμολογίας.

Ἰωάννης ὁ εὐλαβέστατος μοναχὸς καὶ τοποτηρητὴς τῶν ἀνατολικῶν ἀρχιερέων εἶπε· τὸ ψευδοσύλλογον ἐκεῖνο ἐθρύλλησεν, ὅτι ὁ προσκυνῶν τῇ εἰκόνι, διαιρεῖ τὸν Χριστὸν εἰς δύο. καὶ ὅτι ὁ θεωρῶν τὴν εἰκόνα, καὶ λέγων ἢ ἐπιγράφων, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸς, διαιρεῖ τὸν Χριστόν· ὅπερ ἀνόητόν ἐστιν. ὁ γὰρ θεοφόρος Βασίλειος, ἅτε φωστὴρ καὶ διδάσκαλος ὢν τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, καὶ πνεύματι ἁγίῳ μεμυημένος τὰ θεῖα, εἶπεν· ὅτι ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει· καὶ ὁ τῇ εἰκόνι τοῦ βασιλέως ἀτενίζων, ὁρᾷ ἐν αὐτῇ τὸν βασιλέα· καὶ ὁ προσκυνῶν αὐτῇ, οὐ δύο βασιλεῖς προσκυνεῖ, ἢ ὁρᾷ, ἀλλ᾽ ἕνα βασιλέα. ἔφη γὰρ ὁ πατὴρ τηλαυγῶς· ὅτι βασιλεὺς λέγεται καὶ ἡ τοῦ βασιλέως εἰκὼν, καὶ οὐ δύο βασιλεῖς. ὥστε ὁ προσκυνῶν τὴν εἰκόνα, καὶ λέγων, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, οὐχ ἁμαρτάνει. δῆλον δὲ, ὅτι ὁ Χριστός ἐστιν ὁ τοῦ Θεοῦ ἀληθὴς υἱὸς, καὶ σύνθρονος τῷ πατρὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ μετὰ τοῦ ἰδίου σώματός ἐστιν· ἀλλὰ διὰ τῆς εἰκόνος τῆς ἐκ χρωμάτων φαινομένης προσκυνεῖται τὸ κράτος αὐτοῦ, καὶ δοξάζεται, καὶ εἰς ἀνάμνησιν ἐρχόμεθα τῆς αὐτοῦ ἐπὶ γῆς παρουσίας. ὅθεν καὶ ὁ πατὴρ ἀπέδειξεν οὐ δύο προσκυνήσεις, ἀλλὰ μίαν εἶναι καὶ τῆς εἰκόνος καὶ τοῦ ἀρχετύπου, οὗ ἐστιν ἡ εἰκών.

Πέτρος καὶ Πέτρος οἱ θεοφιλέστατοι πρεσβύτεροι καὶ τοποτηρηταὶ Ἀδριανοῦ πάπα τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, προσήγαγον βίβλον· ἣν δεξάμενος καὶ Δημήτριος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ σκευοφύλαξ τῆς ἁγιωτάτης μεγάλης ἐκκλησίας, ἀνέγνω.

Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Βασιλείου ἐκ τῆς ἐπιστολῆς αὐτοῦ πρὸς Ἰουλιανὸν τὸν παραβάτην.

Κατὰ τὴν θεόθεν ἐπικεκληρωμένην ἡμῖν ἀμώμητον πίστιν τῶν Χριστιανῶν ὁμολογῶ καὶ συντίθημι πιστεύειν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα· Θεὸν τὸν πατέρα, Θεὸν τὸν υἱὸν, Θεὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἕνα Θεὸν τὰ τρία προσκυνῶ καὶ δοξάζω. ὁμολογῶ δὲ καὶ τὴν τοῦ υἱοῦ ἔνσαρκον οἰκονομίαν, καὶ θεοτόκον τὴν κατὰ σάρκα τεκοῦσαν αὐτὸν ἁγίαν Μαρίαν. δέχομαι δὲ καὶ τοὺς ἁγίους ἀποστόλους, προφήτας καὶ μάρτυρας, καὶ εἰς τὴν πρὸς Θεὸν ἱκεσίαν τούτους ἐπικαλοῦμαι, τοῦ δι᾽ αὐτῶν, ἤγουν διὰ τῆς μεσιτείας αὐτῶν, ἵλεών μοι γενέσθαι τὸν φιλάνθρωπον Θεὸν, καὶ λύτρον μοι τῶν πταισμάτων γενέσθαι καὶ δοθῆναι. ὅθεν καὶ τοὺς χαρακτῆρας τῶν εἰκόνων αὐτῶν τιμῶ καὶ προσκυνῶ· κατ᾽ ἐξαίρετον τούτων παραδεδομένων ἐκ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, καὶ οὐκ ἀπηγορευμένων, ἀλλ᾽ ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις ἡμῶν τούτων ἀνιστορουμένων.

Γρηγόριος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων ἀνέγνω.

ANNO CHRISTI 787.

ANNO CHRISTI 787.

ACTIO QUARTA.

A

Θεοδωρήτου ἐπισκόπου Κύρου ἐκ τοῦ βίου Συμεὼν τοῦ Στυλίτου, οὗ ἡ ἀρχή.

Συμεώνην τὸν πάνυ, τὸ μέγα θαῦμα τῆς οἰκουμένης. καὶ μεθ' ἕτερα· φασὶ γὰρ οὕτως ἐν Ῥώμῃ τῇ μεγίστῃ πολυθρύλλητον γενέσθαι τὸν ἄνδρα, ὡς ἐν ἅπασι τοῖς τῶν ἐργαστηρίων προπυλαίοις εἰκόνας αὐτῷ βραχείας ἀναστῆσαι, φυλακήν τινα ἑαυτοῖς καὶ ἀσφάλειαν ἐντεῦθεν πορίζομένους.

Ἰωσὴφ ὁ εὐλαβέστατος μοναχὸς καὶ ἡγούμενος μονῆς τῆς Ἡρακλείας εἶπε· κἀγὼ ὁ ἁμαρτωλὸς βίβλον ἐπιφέρομαι περιέχουσαν τὸν βίον τοῦ ἁγίου Συμεὼν, τοῦ ἐν τῷ θαυμαστῷ ὄρει· καὶ ὡς κελεύετε.

B

Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν· ἀναγνωσθήτω.

Καὶ λαβὼν Κοσμᾶς ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ κουβικλείσιος ἀνέγνω.

Ἐκ τοῦ βίου τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Συμεὼν τοῦ ἐν τῷ θαυμαστῷ ὄρει, κεφάλ. ριη'.

Περὶ τῆς γυναικὸς τῆς ἐν Ῥωσοπόλει ἀτέκνου οὔσης, καὶ βιαίῳ κατεχομένης δαίμονι· ἥτις ἰαθεῖσα καὶ παιδοποιήσασα, εἰκόνα τοῦ δικαίου ἀνέθετο ἐν τῷ οἴκῳ αὐτῆς, ἥτις μεγάλως ἐθαυματούργει.

Γυνή τις ἦν ἐν Ῥωσοπόλει τῆς Κιλικίας, Θεοτέκνα λεγομένη, ἥτις οἰκήσασα μετ' ἀνδρὸς ἔτη εἴκοσι, τέκνον οὐκ ἔσχε. συνέβη δὲ αὐτὴν ὑπὸ δαίμονος ἐκ παιδὸς καταρρήγνυσθαι μασσωμένην τὴν γλῶσσαν. ὁ δὲ ἀνὴρ αὐτῆς μηκέτι δυνάμενος ὑπενεγκεῖν τῆς θλίψεως αὐτῆς τὴν περίστασιν, ἀπέλυσεν αὐτὴν τοῦ οἴκου αὐτοῦ, μὴ ὁμιλήσας ἑτέρᾳ γυναικὶ ἐπὶ χρόνους τέσσαρας· εὑραμένη οὖν ἐκείνη συνοδίαν, κατέφυγε πρὸς τὸν δίκαιον· ὡς δὲ εἶδεν αὐτὸν ὁ δαίμων, εὐθέως ἔβρυχε, καὶ ἐβασανίζετο ἔμπροσθεν αὐτοῦ, θεωρῶν σὺν τῇ γυναικὶ τὴν πνευματικὴν αὐτοῦ εἰκόνα λέγουσαν ἀνθρωπίνῃ φωνῇ· χωρίσω σε ἀπ' αὐτῆς, πονηρὸν καὶ ἀκάθαρτον πνεῦμα, καὶ ἐπιστρέψει πρὸς τὸν ἄνδρα αὐτῆς, καὶ γεννήσεται αὐτῇ ἐν τῷ ἐνιαυτῷ τῷ ἐπιόντι παιδίον. καὶ ἠλάλαξε τὸ δαιμόνιον ἀγρίως ταρασσόμενον· ὢ βίας * κατὰ σοῦ. οὐκ ἔστι σὸν ἀνδρολυσίας ποιεῖν. διὰ τί δὲ καὶ τέκνον αὐτοῖς δίδως, ἀπ' ἐμοῦ τέκνον μὴ ποιησάσης αὐτῆς; τί κακὸν ἐποίησά σοι; τί δὲ καὶ ἥμαρτον ἐνώπιόν σου, ὅτι χωρίζεις με τῆς γυναικός μου; εἰ δοῦλόν με ἠγόρασας, εἶχες τάχα καὶ εἰς δουλείαν με ἐκδοῦναι ἀνθρώποις. ἔφη δὲ Συμεών· ὅτι κακὸς ὑπάρχεις δοῦλος, ἐπίγνωθι σεαυτὸν παγκάκιστε, καὶ ἀπότρεχε ἐν φλογὶ πυρὸς καιόμενος, καὶ κόμισον ὕδωρ, καὶ σύλλεξον ξύλα. καὶ παραχρῆμα ὥσπερ ἄνεμος δρομαῖος καίων σφόδρα ὁ δαίμων, ἀράμενος ἐν τῇ γυναικὶ τὸ κεράμιον τοῦ ὕδατος ἐλαύνετο. καὶ πλήσας αὐτὸ, συλλέξας δὲ καὶ ἐκ τῆς ὕλης ξύλα, ἤνεγκεν ἀλαλάζων καὶ λέγων· οὐαί μοι, οὐαί μοι τῷ κακῷ δούλῳ, καὶ ἐφευρετῇ τῶν κακῶν. τί πέπονθα; τῆς γὰρ γυναικός μου χωρίζει με ὁ ἅγιος Συμεών. καὶ τί ποιήσω ὁ δύστηνος ἐγὼ, οὐκ οἶδα, ταῦτα δὲ αὐτοῦ λέγοντος ἐνώπιον τοῦ συνελθόντος λαοῦ, μετὰ τὸ πληρῶσαι αὐτὸν τὴν προσταχθεῖσαν ὑπηρεσίαν, ἀνέκραγε μέγα λέγων· καὶ βλέπων * κατ' αὐτοῦ φερομένην ἀστραπὴν πυρὸς, ἔτρεχεν ἐν τῇ γυναικὶ κύκλῳ τῆς στάσεως αὐτῆς, μεγάλως καὶ ἐπωδύνως βασανιζόμενος· καὶ οὕτως ἐξῆλθε παραχρῆμα, καὶ ἡ γυνὴ γέγονεν ἐν καταστάσει· καὶ ἀπέλυσεν

[margin: *ἴσως κατ' ... ; *καθ' ...]

Theodoreti episcopi Cypri de vita Symeonis Stylitæ: cujus initium est.

Symeon, qui valde magnum erat miraculum orbis. Et post alia. Aiunt enim hunc virum in maxima Roma famosissimum fuisse, ut in omnibus ergasteriorum foribus iconas ipsi breves erigerent, custodiam quamdam sibi ex hoc & munimen acquirentes.

Ioseph reverendissimus monachus & hegumenus monasterii Heracliæ, dixit: Et ego peccator librum fero continentem vitam sancti Symeonis mirabilis montis, & ut jubetis.

Sancta synodus dixit: Legatur.

Et accipiens Cosmas Deo amabilis diaconus & cubuclesius legit.

Ex vita sancti patris nostri Symeonis mirabilis montis capitulum centesimum decimum octavum

De femina quæ Rhosopoli sterilis erat, valido dæmonio pressa: quæ sana & fecunda facta, imaginem justi imposuit domi suæ, quæ magnifice miracula operabatur.

C

Mulier quædam erat Rhosopoli Ciliciæ, Theotecna dicta, quæ habitaverat cum viro annis viginti, & filium non habuit. Contigit autem eam etiam a dæmonio a pueritia vexari, & mandere linguam. Vir autem ejus ultra non valens sufferre tribulationis ejus angustiam, dimisit illam a domo sua, & per quatuor annos cum nulla est femina sociatus. Illa vero invento comitatu confugit ad justum. Cum autem vidisset eum dæmon, statim fremuit, & torquebatur coram eo, videns cum muliere spiritualem ejus imaginem, dicentem humana voce: Separabo te ab ea maligne & immunde spiritus, & revertetur ad virum suum, & efficietur illi anno sequenti puer. & ejulavit dæmonium ferociter conturbatum: O violentia adversus me! non est tuum matrimonii solutiones efficere. ut quid autem & filium eis das, cum a me filium minime fecerit? quid mali feci tibi? vel quid peccavi in conspectu tuo, quia separas me a muliere mea? si servum me comparasses, dares me forsitan & in servitium hominibus. At vero Symeon ait: Quia malus servus es, recognosce teipsum maligne, & curre in flamma ignis arsurus; & fer aquam, & collige ligna. Et statim veluti ventus cursim & vehementer incendens dæmon, & tollens in muliere amphoram aquæ minabatur; & impletam illam, & collecta de silva ligna attulit ululans & dicens: Væ mihi, væ mihi malo servo & inventori malorum; quid passus sum? Nam a muliere mea separat me sanctus Symeon; & quid faciam infelix, nescio. His autem dictis coram populo qui convenerat, postquam adimplevit ministerium quod sibi fuerat imperatum, clamavit altisone loquens; & aspiciens contra se veniens fulgur ignis, currebat in muliere per circuitum status ejus, plurimum & dolenter cruciatus; & taliter protinus exiit: & muliere pristino ordini restituta, dimisit

D

E

ACTIO QUARTA.

ANNO CHRISTI 787.

eam Symeon sanam, dicens ad illam: Vade mulier in domum tuam, & cohabita cum viro tuo. Ecce enim direxit dominus cor ejus, ut recipiat te cum gaudio magno. quod & factum est. Cumque illa reversa fuisset, statim rectum factum est cor viri sui ad diligendum eam. & ingressus est ad illam, & confestim concepit in utero. & completo anno, tulerunt puerum ad servum Dei, laudantes & glorificantes Deum. Cum autem complessent orationem suam, & rediissent ad propriam domum, erexit mulier fide ducta imaginem sancti in interiori domo sua: quæ operabatur miracula, obumbrata Spiritu sancto, qui habitabat in sancto. & a dæmonio vexati emundabantur illic, & ex variis passionibus infirmati curabantur. In quibus & una mulier fluxum sanguinis incessanter per quindecim annos passa, in fide accessit ad videndum imaginem, & continuo fluxus stetit. Dixit enim intra se, quia si tantum videro similitudinem ejus, salva ero.*

* Gr. addit. Videns autem, quod exsiccatus esset fons sanguinis sui, ad hominem Dei protinus accurrit, adorans coram eo, laudans & glorificans Deum, ac enuntians miraculum in se perpetratum.

Item legit aliud miraculum sancti patris Symeonis.

Accidit autem in diebus illis quemdam virum forensem urbis Antiochiæ dira pressura detineri a dæmonio maligno, & angustari per aliquot tempora, ita ut strangularetur ab ipso, constrictis spiraminibus suis. Hic ascendens ad sanctum, & consecutus remedium intercessionibus ipsius, & factus tamquam nihil fuisset mali perpessus, & rediens ad propriam domum, pro gratiarum actione erexit illi imaginem in publico & clarissimo civitatis loco, super januas ergasterii sui. Videntes autem eam quidam ex infidelibus tam honorabiliter cum luminibus & velis glorificari, repleti zelo, conturbaverunt similes suos, inordinatos scilicet homines: ita ut conveniret multitudo, & cum tumultu clamaret: Tolle a vivendo qui hoc fecit, & imago deponatur. Contigit autem per dispensationem Dei, ut vir non inveniretur tunc in domo sua. Procurabant enim, ut in eum manus injicerent, aliis alia vociferantibus. Malitia enim eorum multa & magna erat in conspectu Dei vehementer, & invidia immensa, & * operantes ad hoc convenerant, tempus invenisse putantes simultates excitandi, & sanctum injuriandi, utpote illum, qui crebro redarguerat malitiam fidei & errorem eorum, qui in ipsis gentiliter conversabantur. Cum ergo non possent ferre tantam insaniam, præceperunt uni militium ascendere scalam, & ejicere imaginem. Qui ascendens, & extendens manus, ut faceret quod sibi præceptum fuerat, mox elisus est a sursum usque deorsum, cadens in terram. & facto magno tumultu in turba, apposuerunt exardescentes alium imponere. Sed & ille manus suas extendens, pari modo elisus cecidit super terram. Quod factum timentes omnes, cœperunt signaculum crucis sibi imponere. Porro infideles illi per amplius

* Gr. furiis incitati

A αὐτὴν Συμεὼν ὑγιῆ, εἰρηκὼς πρὸς αὐτήν· ἄπελθε γύναι ἐν τῷ οἴκῳ σου, καὶ συνοίκει τῷ ἀνδρί σου. ἰδοὺ γὰρ κατεύθυνεν ὁ Θεὸς τὴν καρδίαν αὐτοῦ, τοῦ δέξασθαί σε μετὰ χαρᾶς μεγάλης. γέγονε δὲ οὕτως. καὶ ὑποστρεψάσης αὐτῆς, εὐθέως ηὐθύνθη ἡ καρδία τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς τοῦ ἀγαπῆσαι αὐτήν· καὶ προσῆλθεν αὐτῇ, καὶ παραχρῆμα συνείληφεν ἐν γαστρί. καὶ πληρωθέντος τοῦ ἐνιαυτοῦ, ἤγαγον πρὸς τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ τὸ παιδίον, αἰνοῦντες καὶ δοξάζοντες τὸν Θεόν. μετὰ δὲ τὸ πληρῶσαι αὐτοὺς εὐχὴν αὐτῶν, καὶ ἐπαναλῦσαι εἰς τὰ ἴδια, ἀνέστησεν ἡ γυνὴ πίστει φερομένη τὴν εἰκόνα τοῦ ἁγίου ἐν τῷ ἐνδοτέρῳ αὐτῆς οἴκῳ. καὶ ἐθαυματούργει, ἐπισκιάζοντος αὐτῇ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτῷ πνεύματος ἁγίου. καὶ δαιμονιῶντες ἐκαθαρίζοντο ἐκεῖ, καὶ ἐκ ποικίλων παθῶν ἀσθενοῦντες ἐθεραπεύοντο. ἐν οἷς καὶ μία γυνὴ αἱμοῤῥοοῦσα ἀπαύστως ἐπὶ δεκαπέντε χρόνους, προσελθοῦσα ἐν πίστει, ἀπῆλθε τοῦ ἰδεῖν τὴν εἰκόνα· καὶ παραχρῆμα ἔστη ἡ ῥύσις. εἶπε γὰρ ἐν ἑαυτῇ· ὅτι ἐὰν μόνον θεάσωμαι τὴν ὁμοίωσιν αὐτοῦ, σωθήσομαι. ἰδοῦσα δὲ, ὅτι ἐξηράνθη ἡ πηγὴ τοῦ αἵματος αὐτῆς, ἔδραμεν εὐθέως πρὸς τὸν ἄνθρωπον τοῦ Θεοῦ, προσκυνοῦσα ἐνώπιον αὐτοῦ, ὑμνοῦσά τε καὶ δοξάζουσα τὸν Θεὸν, καὶ ἀπαγγέλλουσα τὸ γεγονὸς εἰς αὐτὴν παράδοξον.

Ὁ αὐτὸς ἀνέγνω ἕτερον θαῦμα τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Συμεών.

Συνέβη δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἄνδρα τινὰ ἀγοραῖον τῆς πόλεως Ἀντιοχείας συνοχῇ δεινῇ κατέχεσθαι ὑπὸ δαίμονος πονηροῦ, καὶ στενοχωρεῖσθαι ἐπὶ χρόνους, ὥστε καταπνίγεσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ, σφιγγομένων τῶν πνοϊκῶν αὐτοῦ. οὗτος ἀνελθὼν πρὸς τὸν ἅγιον, καὶ τυχὼν ἰάσεως ταῖς αὐτοῦ πρεσβείαις, καὶ γενόμενος ὡς μηδὲν κακὸν πεπονθὼς, καὶ ἐπανελθὼν εἰς τὸν ἴδιον οἶκον, κατ' εὐχαριστίαν ἀνέστησεν αὐτῷ εἰκόνα ἐν δημοσίῳ καὶ ἐμφανεῖ τῆς πόλεως τόπῳ, ἐπάνω τῶν θυρῶν τοῦ ἐργαστηρίου αὐτοῦ. ἰδόντες δὲ αὐτὴν τινες τῶν ἀπίστων οὕτως ἐντίμως μετὰ φώτων καὶ βήλων δοξαζομένην, καὶ πλησθέντες ζήλου, συνετάραξαν τοὺς ὁμοίους αὐτοῖς ἀτάκτους ἀνθρώπους, ὥστε συνελθεῖν πλήθος, καὶ ἐνταράχως κράζειν· ἆρε τοῦ ζῆν τὸν τοῦτο πεποιηκότα, καὶ ἡ εἰκὼν καταβληθήτω. συνέβη δὲ κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ τὸν ἄνδρα μὴ εὑρεθῆναι ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. προεθυμοῦντο γὰρ διαχειρίσασθαι αὐτὸν, ἄλλων ἄλλα κραζόντων. ἡ γὰρ κακία αὐτῶν πολλὴ καὶ μεγάλη ἦν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ σφόδρα, καὶ ὁ φθόνος ἄμετρος· καὶ ἐνεργούμενοι εἰς τοῦτο συνεληλύθεισαν, καιρὸν νομίσαντες εὑρεῖν καταστασιάσαι, καὶ καθυβρίσαι τὸν ἅγιον, ὡς πολλάκις ἐξελέγξαντι τὴν κακοπιστίαν καὶ πλάνην τῶν ἐν αὐτοῖς ἑλληνιζόντων. ὡς οὖν οὐκ ἠδύναντο φέρειν τὴν τοσαύτην μανίαν, ἐπέτρεψαν ἑνὶ τῶν στρατιωτῶν ἀνελθεῖν ἐν ἀναβαθμοῖς, καὶ ῥίψαι τὴν εἰκόνα. ἀνελθὼν δὲ ἐκεῖνος, καὶ ἐκτείνας τὰς χεῖρας ποιῆσαι τὸ προσταχθὲν, εὐθέως ἀπεῤῥάγη ἄνωθεν κάτω, καταπεσὼν ἐπὶ τὴν γῆν. καὶ ἐγένετο θόρυβος μέγας εἰς τὸν ὄχλον. καὶ προσέθεντο ἐξαφθέντες ἄλλον ἀναγαγεῖν. καὶ ἐκτείνας κἀκεῖνος τὰς χεῖρας αὐτοῦ, ὡσαύτως ἀπεῤῥάγη ἐπὶ τὴν γῆν. καὶ τούτου γενομένου, φοβηθέντες πάντες ἤρξαντο τὴν σφραγῖδα τοῦ σταυροῦ περιάπτειν ἑαυτοῖς. ἐπὶ πλέον δὲ μεμηνότες οἱ ἄπιστοι ἐκεῖνοι

ἐκεῖνοι, προσέθεντο καὶ τρίτον ἀνενέγκαι ἐπὶ τούτῳ. καὶ ὡς ἐξέτεινε καὶ αὐτὸς τὰς χεῖρας τοῦ ῥίψαι τὴν εἰκόνα, ὁμοίως καὶ αὐτὸς κατερράγη ἐπὶ τὴν γῆν. τότε φόβος μέγας ἐπῆλθεν ἐπὶ πάντας τοὺς παρεστῶτας πιστούς· οἳ καὶ ἐκπληττόμενοι ἐπὶ τῇ πωρώσει καὶ τόλμῃ τῶν ἀπίστων καὶ ἀνοσίων ἐκείνων ἀνδρῶν, καὶ προσκυνοῦντες μετὰ προσευχῆς τῇ εἰκόνι, ἀνεχώρουν.

Κωνσταντῖνος ὁ θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος Κωνσταντίας τῆς Κύπρου εἶπε· ταῦτα μὲν, τίμιοι πατέρες, ἐκ τῶν ἀναγνωσθέντων ἀκηκόαμεν, καὶ πιστεύομεν. κἀγὼ δὲ ὁ μέτριος, ἅπερ γινώσκω γεγονότα σημεῖα παρόμοια, διηγήσομαι. ἀνήρ τις Κύπριος ἐν Κωνσταντίᾳ τῇ πόλει, ἐλαύνων τὸ ζεῦγος αὐτοῦ, καὶ ἀπιὼν ἐπὶ ἔργῳ αὐτοῦ, εἰσῆλθε τοῦ εὔξασθαι εἰς εὐκτήριον οἶκον τῆς ἁγίας θεοτόκου. καὶ ἐν τῷ εὔχεσθαι αὐτὸν, ἀναβλέψας βλέπει τὴν εἰκόνα τῆς ἁγίας θεοτόκου ἀπὸ χρωμάτων ἐν τῷ τοίχῳ, καὶ λέγει· τοῦτο τί ποιεῖ ὧδε; καὶ ἐπάρας τὸ βούκεντρον αὐτοῦ, ἐξώρυξε τὸν ὀφθαλμὸν τῆς εἰκόνος τὸν δεξιόν· καὶ ἐξελθὼν ἐκ τοῦ ναοῦ, ἔνυξε τὸ ζευγάριον αὐτοῦ τῷ βουκέντρῳ. κλασθέντος δὲ τοῦ βουκέντρου, ἐπανῆλθε τὸ κλάσμα τοῦ βουκέντρου εἰς τὸν δεξιὸν ὀφθαλμὸν τοῦ ἀνθρώπου, καὶ τετύφλωκεν αὐτόν. τοῦτον τὸν ἄνδρα ἐγὼ εἶδον, καὶ ἐπίσταμαι ἑτερόφθαλμον γεγονότα. ἕτερος ἄνθρωπος ἐν τῇ πόλει λεγομένῃ Κιτίῳ, τῇ ἡμέρᾳ τῆς ἁγίας θεοτόκου, πεντεκαιδεκάτῃ τοῦ Αὐγούστου, εἰσῆλθεν εἰς τὸν ναὸν, τοῦ κοσμῆσαι αὐτὸν βήλοις. καὶ λαβὼν ἧλον, ἔπηξεν αὐτὸν ἐν τῷ τοίχῳ εἰς αὐτὸ τὸ μέτωπον τῆς εἰκόνος τοῦ ἁγίου Πέτρου. σχοινίον οὖν δήσαντος, καὶ ἁπλώσαντος τὸ βῆλον, ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ὀδύνη ἐπέλαβεν αὐτὸν ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ τῷ μετώπῳ ἀφόρητος· καὶ διέμεινε τὰς δύο ἡμέρας τῆς ἑορτῆς κείμενος καὶ βασανιζόμενος. γνοὺς δὲ ὁ ἐπίσκοπος τοῦ Κιτίου ἐμέμψατο, καὶ ἐκέλευσεν αὐτῷ ἀπελθόντι ἐκβαλεῖν τὸν ἧλον ἀπὸ τῆς εἰκόνος. ἀπελθὼν δὲ, καὶ τοῦτο δράσας, σὺν τῷ ἐκβαλεῖν τὸν ἧλον ἐκουφίσθη τῆς ὀδύνης. ἐρωτηθεὶς οὖν ὁ ἐπίσκοπος τοῦ Κιτίου, μεθ' ὅρκου κατέθετο ταῦτα οὕτως ἔχειν ἐπὶ συνόδου. πρὸ δύο ἐτῶν κατέπλευσαν ἄνδρες Κιτιεῖς ἐν δυσὶ πλοίοις εἰς πόλιν τῆς Συρίας καλουμένην Γάβαλα. ὄντων δὲ αὐτῶν ἐν Γαβάλοις κατὰ τὸ σύνηθες, ταξάτοι τῶν Ἀγαρηνῶν κατῆλθον εἰς τὴν παραθαλασσίαν· καὶ ἐλθόντες τινὲς αὐτῶν εἰς Γάβαλα, ἀπλήκευσαν εἴς τινα ναὸν τῆς πόλεως. εἷς δὲ τῶν Ἀγαρηνῶν ἰδὼν εἰκόνα ἐκ ψηφίδων ἐν τῷ τοίχῳ, ἠρώτησέ τινα Χριστιανὸν παρόντα, τί ὠφελεῖ ἡ εἰκὼν αὕτη; πρὸς ὃν ὁ Χριστιανός φησιν, ὅτι τοὺς μὲν τιμῶντας αὐτὴν ὠφελεῖ, τοὺς δὲ ἀτιμάζοντας βλάπτει. καὶ ὁ Σαρρακηνὸς λέγει· ἰδοὺ ἐγὼ ἐξορύττω τὸν ὀφθαλμὸν αὐτῆς, καὶ ἴδω τί με βλάπτει. ταῦτα εἰρηκε, καὶ ἀνατείνας τὸν κοντὸν αὐτοῦ, τὸν ἐν τῇ εἰκόνι δεξιὸν ὀφθαλμὸν ἐξώρυξε. παραχρῆμα οὖν καὶ αὐτοῦ ὁ δεξιὸς ὀφθαλμὸς εἰς γῆν ἐξεπήδησεν, αὐτός τε κατεσχέθη διακαεῖ πυρετῷ. οἱ δὲ συνόντες αὐτῷ ὡς ὀξέως ἔχοντα ἀνέλαβον, καὶ ἐπὶ τὴν πόλιν αὐτῶν ἀπήγαγον. ταῦτα ἡμῖν διηγήσαντο ἐπανελθόντες εἰς τὴν Κύπρον οἱ ἄνδρες, τριάκοντα δύο ὑπάρχοντες τὸν ἀριθμόν.

Θεόδωρος ὁ ὁσιώτατος ἐπίσκοπος Κατάνης ἐπέδωκε βίβλον· ἣν λαβὼν Γρηγόριος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων ἀνέγνω.

A insurgentes, adjecerunt tertium imponere ad hoc. & cum extendisset & ipse manus, ut ejiceret imaginem, similiter & ipse corruit super terram. Timor tunc venit magnus super omnes qui circumstabant fideles; qui & perculsi super cæcitate & audacia infidelium, & non sanctorum virorum illorum, adorata cum oratione imagine, recedebant.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit: Hæc quidem, honorabiles patres, de his quæ lecta sunt, audivimus, & credimus. Ego autem humilis signa quæ facta scio, similia referam. Vir quidam B Cyprius in civitate Constantia, minans jugum suum, & pergens ad opus suum, ingressus est ad orandum in orationis domum Dei genitricis. Et cum oraret, suspiciens videt imaginem sanctæ Dei genitricis ex coloribus factam in pariete, & dicit: hoc quid facit hic? Et accepto stimulo suo effodit oculum imaginis dextrum: & exiens de templo, pulsavit boves aculeo. Cumque rumperetur stimulus, rediit fragmen stimuli in dextrum oculum hominis, & obcæcavit eum. Hunc ego vidi virum, & novi luscum effectum. Alius homo in civitate Citio, festivitate sanctæ Dei genitricis, die scilicet decimoquinto mensis Augusti, ingressus est in templum, ut adornaret illud velis: & assumpto clavo, fixit eum in pariete, in ipsa fronte imaginis sancti Petri. Cum ergo funem ligasset, & explicuisset velum, eadem hora dolor apprehendit eum in capite & fronte intolerabilis: & mansit duobus diebus solennitatis jacens, & cruciatus patiens. Quo comperto episcopus Citii redarguit, & jussit pergere & educere clavum ex imagine. Qui pergens, & hoc gerens, cum educeret clavum, alleviatus est dolor. Interrogetur autem hinc & episcopus: adest enim. Interrogatus ergo episcopus Citii, cum juramento firmavit hæc D coram synodo sic se habere. Ante biennium navigaverunt viri * Cypri in duabus navibus in civitatem Syriæ, quæ vocatur Gabala. Cum autem essent Gabalæ secundum consuetudinem, taxati Agarenorum descenderunt ad maritima: & venientes quidam eorum Gabalam, divertunt in quoddam templum civitatis. Porro unus ex Agarenis videns imaginem in pariete de calculis, interrogavit quemdam Christianum qui aderat, quid prodest imago hæc? Ad quem Christianus ait, quia his quidem qui eam honorant, prodest: his autem qui illam inhonorant, nocet. Et E Sarracenus: Ecce ego, inquit, effodiam oculum ejus, & videbo quid mihi noceat. Hæc dixit, & extendens contum suum, imaginis oculum dextrum effodit. Protinus ergo & suus dexter oculus in terram exiliit, idemque ignea est febre detentus. Hi autem qui simul cum illo aderant, acute illum ægrotasse videntes, tulerunt, & ad civitatem ipsius reduxerunt. Hæc nobis retulerunt viri qui remearunt ad Cyprum, numero triginta duo.

* Citienses

Theodorus sanctissimus episcopus Catanæ tradidit librum: quem accipiens Gregorius Deo amabilis diaconus sanctissimorum & laudatissimorum apostolorum, legit.

ACTIO QUARTA.

ANNO CHRISTI 787.

Sancti Basilii de sermone in beatum Barlaam: cujus initium est.

Prius quidem sanctorum mortes. Et post alia. Assurgite nunc mihi, o clarissimi athleticarum virtutum pictores, & militis abbreviatam imaginem vestris magnificate artibus. obscurius a me, qui coronatus est, scriptum, vestræ sapientiæ fulgorate coloribus. Ibo in victoriarum martyris per vos pictura victus: gaudebo tali vestræ fortitudinis hodie victoria superatus. Videbo manus ad ignem subtilius a vobis depictum certamen. Videbo clariorem in vestra depictum imagine luctatorem. Plorent dæmones, martyris factis fortibus & nunc perculsi. combusta illis manus & vincens ostendatur: & pingatur in tabula similiter & ipse agonotheta luctaminum Christus, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Constantinus Deo amabilis diaconus & notarius legit.

*Photini Deo amabilis presbyteri & defensoris sanctissimæ magnæ ecclesiæ Constantinopoleos.

*Extat antiquus codex Vat. in quo multæ patrū sententiæ præter eas quæ hic habentur, & in hac synodo recitatæ sunt, insertæ videntur. Nam neque ordini interlocutionum respondent, neq; in ullo alio codice repertæ sunt. ex insertis una esse videtur hæc Photini narratio, cum non in omnibus hujus synodi libris legatur.

De vita sanctæ memoriæ Ioannis jejunatoris, qui fuit episcopus ejusdem urbis.

Adhuc nec hoc lateat miraculum, nec indulgeamus egregio patri hoc dudum maxime celare acceleranti. Nam nox quidem erat, & deambulabamus cum velocitate multa, utpote in terram ultra positam Mauricium imperatorem adituri: Mauricium, qui dudum quidem justissimus & mitissimus fuit, nunc autem & martyr. hoc enim profundissimus ei draco & tyrannus etiam nolendo donavit. Cum ergo festine ambularemus, mulier quædam speciosa valde, tam veste, quam vultu & anima, quæ dives admodum fuerat, sed non putabatur propter calamitatem quæ inerat ei, procul apparuit mihi mixta cum multitudine fratrum nostrorum pauperum, quæ * persecutionem ab his passa, qui super isto erant ordinati, nequaquam recedebat, sed cum lacrymis, licet verecundata propter naturam, necessitatis tamen causa impudenter inferebat molestiam. His visis ordinem in quo fueram deputatus, relinquo, & apprehendo mulierem, & quidnam vellet, interrogabam. At illa: Virum, inquit, habeo & dæmonium habet: & tertius annus est iste, ex quo denis millibus, ut ita dicam, venerabilibus locis & religiosis hominibus hunc miserum obtuli, & nihil obtinere amplius valui. Ad extremum ego nunc ab eremo veni. Nam ille ipse, qui in ea præ omnibus fere sanctis miracula facientibus, in patrandis miraculis testimonium * habebat, ad curationem * exhortans: Vade, inquit, ad Ioannem patriarcham magnum, indeque feres cum benedictione summi sacerdotis Dei omnipotentis imaginem virginis matris Dei; & ibis, & portabis imaginem in domum, in qua habitasti in terra tua. Ecce enim mittes de cetero virum tuum, & locabis eum in atriis domus tuæ; & non videbit civitatem regis magnam, ad quam nunc proficisceris: &

* Gr. rejecta ab his

* habet,

* Gr. ad curationem & ipse nihil proficiens:

A Τοῦ ἁγίου Βασιλείου ἐκ τοῦ εἰς τὸν μακάριον Βαρλαὰμ τὸν μάρτυρα· οὗ ἡ ἀρχή.

Πρότερον μὲν τῶν ἁγίων οἱ θάνατοι. Καὶ μεθ' ἕτερα. ἀνάστητέ μοι νῦν ὦ λαμπροὶ τῶν ἀθλητικῶν κατορθωμάτων ζωγράφοι, καὶ τὴν τοῦ στρατηγοῦ κολοβωθεῖσαν εἰκόνα ταῖς ὑμετέραις μεγαλύνατε τέχναις. ἀμαυρότερον παρ' ἐμοῦ τὸν στεφανίτην γραφέντα τοῖς τῆς ὑμετέρας σοφίας περιλάμψατε χρώμασιν. ἀπέλθω τῇ τῶν ἀριστευμάτων τοῦ μάρτυρος παρ' ὑμῶν νενικημένος γραφῇ· χαίρω τῇ τοιαύτῃ τῆς ὑμετέρας ἰσχύος σήμερον ἡττώμενος νίκῃ. ἴδω τῆς χειρὸς πρὸς B τὸ πῦρ ἀκριβέστερον παρ' ὑμῶν γραφομένην τὴν πάλην. ἴδω φαιδρότερον ἐπὶ τῆς ὑμετέρας τὸν παλαιστὴν γεγραμμένον εἰκόνος. κλαυσάτωσαν δαίμονες καὶ νῦν ταῖς τοῦ μάρτυρος ἀριστείαις πληττόμενοι. φλεγομένη πάλιν αὐτοῖς ἡ χεὶρ καὶ νικῶσα δεικνύσθω. ἐγγραφέσθω τῷ πίνακι καὶ ὁ τῶν παλαισμάτων ἀγωνοθέτης Χριστός· ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν.

Κωνσταντῖνος ὁ θεοφιλέστατος διάκονος καὶ νοτάριος ἀνέγνω.

* Φωτεινοῦ τοῦ θεοφιλεστάτου πρεσβυτέρου καὶ ἐκκλησιεκδίκου τῆς ἁγιωτάτης μεγάλης ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως.

Ἐκ τοῦ βίου τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ Νηστευτοῦ ἐπισκόπου γενομένου τῆς αὐτῆς πόλεως.

C Ἔτι μηδὲ τοῦτο διαλάθῃ τὸ θαῦμα, μηδὲ συγχωρῶμεν τῷ θεσπεσίῳ πατρὶ, τοῦτο δὴ μάλιστα συγκρύψαι σπουδάζοντι. νὺξ μὲν γὰρ ἦν, καὶ διεπορευόμεθα σὺν τάχει πολλῷ, ὡς δὴ κατὰ τὴν ἀντιπέραν γῆν Μαυρίκιον τὸν βασιλέα καταληψόμενοι· Μαυρίκιον τὸν πάλαι μὲν δικαιότατον καὶ πραότατον, νῦν δὲ ἤδη καὶ μάρτυρα. τοῦτο γὰρ ὁ βύθιος αὐτῷ δράκων ὁ τύραννος καὶ μὴ βουλόμενος ἐχαρίσατο. καὶ τοίνυν σπουδῇ ἐβαδίζομεν. γυνὴ δέ τις ὡραία σφόδρα καὶ τὴν ἐσθῆ-D τα καὶ τὴν ὄψιν καὶ τὴν ψυχὴν, καὶ πλουσία λίαν οὖσα μὲν, οὐ δοκοῦσα δὲ διὰ τὴν συνοικοῦσαν αὐτῇ συμφορὰν, πόῤῥωθεν ἑωρᾶτό μοι συναναφυρομένη τῷ πλήθει τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν τῶν πτωχῶν. διωκομένη δὲ παρὰ τῶν ἐπὶ τούτοις τεταγμένων, οὐδαμῶς ἐνεδίδου, ἀλλά τοι μετὰ δακρύων αἰδουμένη διὰ τὴν φύσιν, διὰ τὴν ἀνάγκην ἀναιδῶς παρηνώχλει. ταῦτα ὁρῶν, τὴν τάξιν ἣν ἐτετάγμην, καταλιμπάνω, καὶ καταλαμβάνω τὴν ἄνθρωπον· καὶ ὅ, τι βούλοιτο ἂν, ἐπυνθανόμην. ἡ δέ· ἄνδρα ἔχω, φησὶ, καὶ δαιμόνιον ἔχει τρίτον ἔτος ἤδη τοῦτό γε· καὶ μυρίοις, ὡς εἰπεῖν, εὐαγέσι τόποις καὶ εὐλαβέσιν ἀνθρώποις προσαγαγοῦσα τὸν ἄθλιον, ἴσχυσα πλέον οὐδέν. τὸ δὴ συντελευταῖον ἐπὶ τῆς ἐρήμου νῦν παραγέγονα. E τῶν ἁγίων γὰρ τῶν κατ' ταύτην ὁ παρὰ πάντων σχεδὸν τῶν ἐκεῖσε θαυματουργῶν ἐπὶ τῷ θαυματουργεῖν μαρτυρούμενος, πρὸς τὴν ἰατρείαν καὶ αὐτὸς ἀπειπὼν, ἀπελθοῦσα, ἔφη, πρὸς Ἰωάννην τὸν πατριάρχην τὸν μέγαν, ἐκεῖθέν τε κομιῇ μετ' εὐλογίας ἀρχιερέως Θεοῦ παντοκράτορος εἰκόνα τῆς παρθένου μητρὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀποίσεις, καὶ ἀποκομιεῖς τὴν εἰκόνα εἰς οἶκον, ὃν κατεσκήνωκας ἐν γῇ σῇ. ἰδοὺ γὰρ ἀποστελεῖς ἤδη τὸν ἄνδρα τὸν σὸν, καὶ κατοικιεῖς γε αὐτὸν ἐν αὐλαῖς οἴκου σου· καὶ οὐ μὴ ὄψεται τὴν πόλιν τοῦ βασιλέως, οὗ ἀπελεύσῃ νῦν, τὴν μεγάλην· οὐ ὑψώσῃς,

ANNO CHRISTI 787.

ACTIO QUARTA.

ὑψώσεις, καὶ ἀναθήσεις τὸ ὁμοίωμα, καὶ γενήσεται * ἅγιον οἴκῳ σῷ· καὶ ἔσται, πᾶς ὃς ἂν κατασκηνώσῃ ἐν αὐτῷ, εὐλογηθήσεται· καὶ ἰδοὺ φυγῇ φεύξεται, καὶ ἀπηλλοτριωμένον ἔσται τὸ πνεῦμα, καὶ οὐκέτι οὐ μὴ ἐγγιεῖ, διότι κύριος ἐγγὺς, καὶ εἰς τὸν αἰῶνα ἡ δόξα αὐτοῦ. ἀμήν. ταῦτα εἰποῦσαν προσάγω τῷ πατριάρχῃ κατὰ τὴν ἡμέραν τὴν ἐφεξῆς, τὴν ἐν ταῖς παρασκευαῖς εἰωθυῖαν ἐν τῷ ναῷ τῆς θεοτόκου τῷ πλησίον εἰσόδου ποιουμένῳ· καὶ ἀναφέρω τὴν τοῦ πράγματος περιπέτειαν, νῦν μὲν μάλα δῆθεν νεανικῶς ὁμοῦ καὶ ῥητορικῶς, νῦν δέ γε ὑφειμένως καὶ γοερῶς. καὶ ἔχαιρον ὡς δῆθεν πείσων, ἐλπίζων ἅμα ἐπαινεθήσεσθαι, καθότι τὰς οὕτως εὐσεβεῖς αἱροῦμαι τῶν ὑποθέσεων. ἔτι δέ μοι διδάσκοντι, καὶ λέγοντι κατὰ ἄδειαν. ὅτι ὁ ἐρημίτης, ὦ δέσποτα, εἶπεν ὑπὸ Θεοῦ κινηθεὶς, ὡς ἄρα * ὑμεῖς ὀκνηρῶς ἀποδιώκειν μέλλῃ· διακόπτει τέ μοι τὸν λόγον, καὶ τῷ θυμῷ ζέσας· ναὶ κῦρι, ναὶ δέσποτα, τὴν φωνὴν, ἄρας ἐρημίτης ἐβόα· ναὶ, ἵνα ἐγὼ ὁ κύρις ἐκβάλλω τὸν δαίμονα· ἵνα εἴπω, σοὶ λέγω τῷ ἀκαθάρτῳ, ἔξελθε ἀπὸ τοῦ πλάσματος, καὶ ὕπαγε ὧδε καὶ ἐκεῖ εἰς τὸ ἄφαντον. τοιαῦτα κελεύεις ἵνα φλυαρῶ ἄνθρωπος ῥυπαρὸς καὶ ἁμαρτωλός. εἰ ἐστὲ θαυματουργοὶ, τὸ ἐμὸν ἐκβάλετε πνεῦμα. εὐχῶν χρήζεις πολλῶν, ἀδελφὲ Φωτεινὲ, μετὰ τὰς τῶν ἁγίων εὐχάς. οὕτω παρ' ἐλπίδας ἀτιμωθεὶς, ἀνεχώρουν ἐρυθριῶν· καὶ ἠρέμα ὑπεκδραμὼν, ἐφερόμην ὅπῃ καὶ τύχοι, τοῖς ἀπαντῶσιν ἐμπίπτων, ὡς δὴ κεκραιπαληκώς· καὶ καταλαμβάνω τινὰ τοῦ ἱερατείου μόλις ἐσχατιάν. καὶ θυμῷ θυμωθείς· τῆς γὰρ δὴ λύπης ἤδη τὸ πλεῖστον εἰς θυμὸν ἀπενήνεκτο, καθότι οὐχ εὕρισκον χάριν ἐνώπιον τοῦ ἀρχιερέως τοῦ Θεοῦ τοῦ μεγάλου· πολλὰ σιωπῇ κατεβόων ἐπ' ἐμαυτοῦ, καὶ ὅτι οὐκ εἴη τὸ ἀπὸ τοῦδε ἐλπίσαι οὐδὲν ἀγαθὸν οὐδενὶ τῶν προβάτων, τοῦ ποιμένος ἡμῖν αὐτοῦ πρὸς λύκου φύσιν ἐκβάντος καὶ ἐκδεδιῃτημένου. ἐν τούτοις ὄντι μοι καὶ ἀπορουμένῳ, βουλὴ γίνεται. καὶ στείλας οἴκαδε τῶν ἑπομένων τινὰ, κομίζω τῶν ἀνατεθειμένων ἐκεῖσε πάνυ δὴ πάνυ περικαλλῆ τῆς δεσποίνης εἰκόνα. καὶ κατασχηματισάμενος εὖ μάλα καὶ ὡς οἷόν τε ἦν πρὸς τὸ πιθανῶς ὀφθῆναί τε καὶ νομισθῆναι, ὅτι δὴ παρὰ τοῦ μεγίστου πατρὸς, ὡς δὴ τὸ λοιπὸν ἐπικαμφθέντος, λαβὼν τὴν εἰκόνα κατέχοιμι, ἐπιδοὺς τῇ γυναικὶ τὴν εἰκόνα, εὔχεσθαί τε ὑπὲρ ἡμῶν, τῷ τε πατριάρχῃ χάριτας πλείστας ὁμολογεῖν, ἀπιέναι μετὰ χαρᾶς ἐνεκελευόμην. ἡ δὲ ἀπηλλάττετο μικροῦ καὶ σκιρτῶσα, καὶ οὐκ ἔχουσα ἥτις καὶ γένοιτο. ἦν ὥσπερ ἐξ ἡμισείας ἀμφοτέρων ἡ χαρά. ἐγὼ μὲν γὰρ ἐδόκουν μὲν, οὐκ ἔχαιρον δέ· ἡ δὲ καὶ ἐδόκει, καὶ ἔχαιρεν· ἀλλ' ὁ σκοπὸς καὶ τὸ τοῦ πράγματος τέλος οὐκ εἶχεν ἀρχήν. τότε μὲν οὖν τὴν κατασχοῦσαν ἡμᾶς ἀθυμίαν παραμυθεῖσθαί πως οἰηθεὶς, προσεκτησάμην ἑτέραν, ἀναθεωρῶν τε καὶ ἀναλογιζόμενος, τίνα, καὶ πότε, καὶ ποῦ, καὶ ἐπὶ τίνι, καὶ ὅπως, καὶ τίνος ἡμῖν μεσιτευούσης εἴην ἐξηπατηκώς τε καὶ σοφισάμενος γύναιον ἄθλιον, καὶ οὕτως ἐλεεινὸν, καὶ τηλικαύτας ἐλπίδας ἡμῖν παρακαταθέμενον. μάλιστα δὲ ἠνιώμην, ὡς δὴ καὶ προσαφῃρημένος τὴν ἄνθρωπον τὴν τῶν ἀμεινόνων προστασίαν, καὶ τὸ δι' ἑτέρου τά γε τοιαῦτα σοφοῦ πατρὸς, ἅπερ ἐδεῖτο, διακεκονῆσθαι. ἐπὶ τούτοις αὖ καὶ οἷα ταύτης ἕνεκα τῆς ἐξαπάτης φωνεῖν, ἐρεῖν τε καὶ προσυλακτήσειν τὸ πνεῦμα προσανε-

Margin: * ...γίας

Margin: * ...r. ὑμᾶς πονηρὸν διώκειν μέλλετε.

A exaltabis, & pones similitudinem, & fiet sanctificatio domui tuæ: & erit ut omnis quicumque habitaverit in ea, benedictione benedicatur: & ecce fuga fugiet, & alienatus erit spiritus, & ultra non appropinquabit ei, eo quod dominus prope sit; & in sæcula gloria ejus: Amen. His dictis, adduco eam ad patriarcham die sequenti, * qui sexta feria consueverat in Dei genitricis templo juxta ingressum facto celebrare: & refero negotii * circumstantiam, nunc quidem valde juveniliter simul & rhetorice, nunc autem summisse ac dolenter: & gaudebam, suadere sperans pariter & laudari, eo quod ita pias assererem propositiones. * Adhuc autem mihi mœsto & docenti, quoniam eremita, o domine, dixit a Deo motus, quod merito vos domine expulsurus sis: interdicit sermonem meum, & furore fervens; etiam domine, etiam domine, vocem extollens eremita clamabat: etiam, ut ego dominus ejiciam dæmonem; ut dicam, tibi dico immundo, exi a figmento, & vade huc atque illuc, & ad invisibile. talia jubes ut garriam homo sordidus & peccator. si estis mira operantes, meum ejicite spiritum. Orationum eges multarum, frater Photine, per orationes sanctorum. Sic præter spem inhonoratus, recedebam erubescens: & silenter effugiens, efferebar re- C trorsum, & fortuito, & in obviantes quasi crapulatus incidebam. & apprehendo vix quamdam sacelli extremitatem: & furore commotus (plurimum namque tristitiæ jam in furorem efferebatur, eo quod non invenerim gratiam in conspectu summi sacerdotis Dei magni) multa silentio in memetipso * reputabam, & quod non esset ab isto quidquam boni ulli ovium sperandum, pastore videlicet nobis ad lupi naturam perveniente. In his ergo cum essem hæsitans, mihi consilium fit. Et mittens domum ex sequentibus quemdam, defero dominæ ima- D ginem ex his quæ illic positæ erant, satis oppido speciosam: & adornans valde bene, & ut erat possibile ad evidentius apparendum & reputandum, * quia oportebat a maximo patre, utpote jam inclinato, accipere imaginem, tenui hanc, & dedi mulieri; orareque pro nobis, & patriarchæ gratias multas confiteri, atque abire cum gaudio jubebam. At illa liberabatur * modicum & exultans, & non habens quod * faceret. Unde & erat utriusque quasi dimidium gaudium. Nam ego quidem * putabatur, non autem gaudebam. Illa vero & E putabatur, & gaudebat: sed intentio & rei finis non habebat initium. Tunc ergo animi defectionem, quæ nos obtinuerat, consolari taliter opinatus, acquisivi * aliud, contemplans & reputans, quem, quando, & ubi, & in quo, & quomodo, vel qua nobis mediante * abirem seductus & circumveniens mulierculam miserrimam, & ita miserabilem, & tantas fiducias nobis commendantem. Maxime autem contristabar, utpote separans mulierem a meliorum protectione, & per alium talia sapientem ad ea * quæ dealbari verebatur. In his rursus, & propter hujusmodi seductionem, & dicere atque oblatrare spiritum existimavi;

Margin: * Gr. dum sexta feria de more in Dei genitricis propinquum templum esset ingressurus:

Margin: * casum adversum

Margin: * Gr. Adhuc autem mihi docenti, & cum libertate dicenti, q.

Margin: * Gr. conquerebar,

Margin: * Gr. quia à maximo patre ut. l. inc. acceptam haberem imaginem.

Margin: * Gr. propemodum

Margin: * Gr. fieret.

Margin: * Gr. putabar, seu, videbar,

Margin: * Gr. aliam,

Margin: * Gr. seduxissem & circumvenissem

Margin: * Gr. quæ opus illi erant exhibitione

stimavi: & quia ipse ego e contrario firmaverim atque locaverim stabilitatem, quæ erat dæmoni circa hominem. Et quod factus sum ei & materia & occasio calumniarum justarum, non dum dico contra memetipsum solum, *ergo contra omnes quidem Christianos, & contra sacerdotes primum; eo quod uxorem quidam presbyter altero typho, aiunt, altero dæmone, qui erat mendacii, præjudicavit: quod nihil profecto est aliud, quam in Beelzebub ejicere velle dæmonia. Hæc quidem mihi & hujusmodi indesinenter animam ingressa atrociter conturbabant, & inficiebant, & magna expectare dabant mala tam ab hominibus, quam ab ipso Deo. Verumtamen recogitabam, & referebam mihimet ipsi 'excusationem, & quamdam quasi consolationis phantasiam ad præsens imponebam, dicens apud me: Deus enim de futuro faciet curam.* In hoc quippe anno intra locum forte nobis morietur sive muliercula, sive ipse vir, sive alius quisquam. Moriar autem multotiens ego, & cessabit *qui tristitiam inferebat. Igitur in his tunc a dyscolis, quæ circa miseram mulierem erant, ut rebar, liberatus, rebar a turba liberari. Post annos reor ferme tres stabam penes ipsas sacras portas magni templi. Et ecce mulier elevans supercilia, & vehementer ac indefesse pronuntians & respirans, intuita est in me, & proximam interrogabat: ipse, putas, est? vel quid? & locuta, etiam ipse est veraciter; cursim movetur, & procumbit mihi ad genua; & flexa comprehendit mihi talos, & osculabatur circumplexans, & jacens in pavimento. Ego quidem sinebam interim & gaudebam, & huc atque illuc ad turbas circumspiciebam* præminens, & his qui circumstabant jacentem *videndus, & ostendens quod essem utique alicubi & ipse eorum qui multa possunt. At illa alia quædam quæ egenarum erant, sæpius allocuta.*(erat enim inde) deinde tamen & constringens nos valde, deponit vi tergis suis: & jacebam cadens, risus factus hinc circumstantibus multum; & vix præ reverentia exurgens, dedi ei alapam, & 'decanos vocabam, & ad 'decanum rapere sceleratam jubebam.* Nam & faciem intuitus, arbitrari cœpi hanc illam esse, quæ olim. Apponebat quippe & hoc, quia Deus mercedem domus meæ det tibi domine. Tunc plane, tunc cuncta videbam, pariterque gaudens & agonizans, hoc solum interrogabam: sana facta es? vel quomodo sana facta es? & assumens *secreto, enarravit adventum ad regionem, & deportationem imaginis ad domum suam: & quia in excelsum elevata, & superposita est in parietibus domicilii sacre pariter & decentissime. Vt autem & per tempus frequens imagini oblatrans atque *delusum figmentum discerpens spiritus, in fine *insonuit: & facta est nobis medicina, dixit, quod *patiebatur olim in veritate. Eos enim qui similia patiuntur, locus, imo figura virginis matris curat. Hic est enim finis causæ.

Leo sanctissimus episcopus Phociæ dixit: Scriptum est, quia in duobus vel tribus testibus stabit omne verbum. & hodie ex-

*Gr. sed

'simulationem

*Gr. In hoc quippe intermedio tempore forte

*Gr. quod tristitiam & ita ms. Iol.

*delicias faciens,

*Gr videri dans, & ms. Iol.

*Gr. addit. & veneror dominum, sæpius locuta; erat enim ibi.

'decanicum

Πᾶσαν ψῆφον γινομένην παρὰ ἀρχόντων, ἐπισκόπου, ἢ πρεσβυτέρου ἢ διακόνου, ἄκυρον μένειν κατὰ τὸν κανόνα τὸν λέγοντα. εἴ τις ἐπίσκοπος κοσμικοῖς ἄρχουσι χρησάμενος, δι' αὐτῶν ἐγκρατὴς ἐκκλησίας γένηται, καθαιρείσθω καὶ ἀφοριζέσθω, καὶ οἱ κοινωνοῦντες αὐτῷ πάντες. δεῖ γὰρ τὸν μέλλοντα προβιβάζεσθαι εἰς ἐπισκοπήν, ὑπὸ ἐπισκόπων ψηφίζεσθαι, καθὼς παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν Νικαίᾳ ὥρισται ἐν τῷ κανόνι τῷ λέγοντι· ἐπίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίστασθαι. εἰ δὲ δυσχερὲς εἴη τὸ τοιοῦτον, ἢ διὰ κατεπείγουσαν ἀνάγκην, ἢ διὰ μῆκος ὁδοῦ, ἐξ ἅπαντος τρεῖς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένους, συμψήφων γινομένων καὶ τῶν ἀπόντων, καὶ συντιθεμένων διὰ γραμμάτων, τότε τὴν χειροτονίαν ποιεῖσθαι. τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ.

δ'.

Περὶ τοῦ ἀπέχεσθαι τοὺς ἐπισκόπους πάσης δωροληψίας.

Ὁ κήρυξ τῆς ἐκκλησίας Παῦλος ὁ θεῖος ἀπόστολος οἱονεὶ κανόνα τιθεὶς τοῖς Ἐφεσίων πρεσβυτέροις, μᾶλλον δὲ παντὶ ἱερατικῷ πληρώματι, οὕτως ἐπαρρησιάσατο εἰπών· ἀργυρίου, ἢ χρυσίου, ἢ ἱματισμοῦ οὐδενὸς ἐπεθύμησα· πάντα ὑπέδειξα ὑμῖν, ὅτι κοπιῶντας δεῖ ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων· μακάριον ἡγούμενος τὸ διδόναι. διὸ καὶ ἡμεῖς μαθητευθέντες παρ' αὐτοῦ, ὁρίζομεν, μηδόλως αἰσχροκερδῶς ἐπινοεῖσθαι ἐπίσκοπον, προφασιζόμενον προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις, ἀπαιτεῖν χρυσίον, ἢ ἀργύριον, ἢ ἕτερον εἶδος τοὺς ὑπ' αὐτὸν τελοῦντας ἐπισκόπους, ἢ κληρικούς, ἢ μοναχούς. φησὶ γὰρ ὁ ἀπόστολος· ἄδικοι βασιλείαν Θεοῦ οὐ κληρονομήσουσι. καί, οὐκ ὀφείλει τὰ τέκνα τοῖς γονεῦσι θησαυρίζειν, ἀλλ' οἱ γονεῖς τοῖς τέκνοις. εἴ τις οὖν δι' ἀπαίτησιν χρυσίου ἢ ἑτέρου τινὸς εἴδους, ἢ διά τινα ἰδιοπάθειαν εὑρεθείη ἀπείργων τῆς λειτουργίας, καὶ ἀφορίζων τινὰ τῶν ὑπ' αὐτὸν κληρικῶν, ἢ σεπτὸν ναὸν κλείων, μὴ γίνεσθαι ἐν αὐτῷ τὰς τοῦ Θεοῦ λειτουργίας, εἰς ἀναίσθητα τὴν ἑαυτοῦ μανίαν ἐπιπέμπων, ἀναίσθητος ὄντως

ACTIO OCTAVA.

A commissum. Substantia enim summi sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita, id est vera scripturarum divinarum disciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionysius. quod si * disceptaverit ', nullatenus consecretur. Ait enim * prophetice Deus: *Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*

* Gr. hæsitaverit, & non ita facere ac docere libenter voluerit, nullat; ' & ita libenter facere & docere minime spoponderit,

* Ose. 4.

III.

Quod non oporteat principes eligere episcopum.

B Omnis electio a principibus facta episcopi aut presbyteri aut diaconi, irrita maneat secundum regulam quæ dicit: * Si quis episcopus sæcularibus potestatibus usus, ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur: & * segregentur omnes qui illi communicant. Oportet enim ut qui provehendus est in episcopum, ab episcopis eligatur; quemadmodum a sanctis patribus qui apud Nicæam convenerunt, in regula definitum est, quæ dicit: C Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & aliis per literas consentientibus, tunc consecratio fiat. Firmitas autem eorum quæ geruntur, per unamquamque provinciam metropolitano tribuatur antistiti.

* Canon. apost. 30.

* Gr. segregetur, & omnes qui Can. 4.

IV.

Quod abstinendum sit episcopis ab omni dati acceptione.

D Prædicator ecclesiæ Paulus divinus apostolus ac si canonem ponens Ephesiorum presbyteris, imo vero & omni sacratæ multitudini, ita fiducialiter perhibuit dicens: *Argentum, aut aurum, aut vestem nullius concupivi: omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmes*: beatius existimans dare. Propter quod & nos edocti ab eo definimus, nullatenus episcopum turpis lucri gratia excogitare ad excusandas excusationes in peccatis, & expetere aurum vel argentũ E aut aliam speciẽ ab episcopis, vel clericis, aut monachis qui sub ipso sunt. Ait enim apostolus: *Iniqui regnum Dei non possidebunt*: Et, *Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Quisquis ergo propter exactionem auri vel alterius cujuslibet speciei, aut propter proprium * vitium inventus fuerit coercens a ministerio, vel sequestrans aliquem clericorum qui sub se degunt, aut venerabile templum claudens, ne in eo Dei ministeria celebrentur, ad insensata suam transmittens insaniam, insensatus vera-

Act. 20.

1. Cor. 6.

* affectum

citer est; ac per hoc, simili pœnæ eo subjecto, convertatur dolor ejus in caput ejus, ut in transgressorem mandati Dei & mandatorum apostolicorum. Præcipit enim & Petrus principalis apostolorum summitas: *Pascite qui in vobis est gregem Dei non coacte, sed spontanee secundum Deum: non turpis lucri gratia, sed prompte: neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregis: & cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* (1. Petr. 5.)

V.

*Quod qui exprobrant clericis, eo quod ordinati sunt in ecclesia sine datis, * epitimio subjacent.* (* i. mulcta)

Peccatum ad mortem est, quando quidam peccantes incorrecti persistunt. Hoc vero deterius est, si & arroganter elati insurgunt adversus pietatē & veritatē; & præferentes mammona Dei obedientiæ, nullatenus regularibus ejus præceptis intendūt. In his non est dominus Deus, nisi humiliati a proprio resipuerint fortasse excessu. Oportet enim eos magis accedere ad Deum, & cum contrito corde remissionem hujus peccati & indulgentiam petere, & non gloriari in illicito dato. Iuxta enim est dominus his qui tribulato sunt corde. (Psalm. 33.) Eos igitur qui gloriantur se per dationem auri ordinatos in ecclesia, & in hac maligna consuetudine quæ alienat a Deo & omni sacerdotio, sperant, & ex hoc impudenti facie & non operto ore exprobabilibus verbis eos qui ob virtutem vitæ a sancto Spiritu electi & constituti sine datione auri sunt, inhonorant; primo quidem novissimum gradum accipere sui ordinis definimus: quod si permanserint, per epitimium corrigantur. Si vero quis claruerit super consecratione hoc aliquando faciens, efficiatur secundum apostolicam regulam quæ dicit: (Can. 30.) Si quis episcopus per pecuniam dignitatem hanc obtinuerit, vel presbyter aut diaconus, deponatur & ipse & qui eum consecravit, & excidatur omnimodis etiam a communione, quemadmodum Simon magus a me Petro. Similiter & juxta secundam regulam sanctorum patrum qui apud Calchedonem convenerunt, quæ ait: Si quis episcopus per pecunias consecrationem fecerit, & sub precio redegerit gratiam quæ non potest vendi, ordinaveritque per pecunias episcopum, vel chorepiscopum, sive presbyteros aut diaconos, aut quemdam eorum qui in clero connumerantur: aut præposuerit per pecunias œconomum vel defensorem, sive mansionarium, aut prorsus quemquam qui sub regulam est, turpis lucri gratia:

ἐστί, καὶ τῇ ταυτοπαθείᾳ ὑποκείσεται, καὶ ἐπιστρέψει ὁ πόνος αὐτοῦ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, ὡς παραβάτου ἐντολῆς Θεοῦ καὶ τῶν ἀποστολικῶν διατάξεων. παραγγέλλει γὰρ καὶ Πέτρος ἡ κορυφαία τῶν ἀποστόλων ἀκρότης· ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ᾽ ἑκουσίως κατὰ Θεόν· μὴ αἰσχροκερδῶς, ἀλλὰ προθύμως· μηδ᾽ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου· καὶ φανερωθέντος τοῦ ἀρχιποίμενος κομιεῖσθε τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον.

εʹ.

Ὅτι οἱ ὀνειδίζοντες τοὺς κληρικούς, διὰ τὸ τετάχθαι ἐν ἐκκλησίᾳ χωρὶς δόσεως, ἐπιτιμίῳ ὑπόκεινται.

Ἁμαρτία πρὸς θάνατόν ἐστιν, ὅταν τινὲς ἁμαρτάνοντες ἀδιόρθωτοι μένωσι. τὸ δὲ τούτου χεῖρον, ἐὰν καὶ τραχηλιῶντες κατεξανίστανται τῆς εὐσεβείας καὶ τῆς ἀληθείας, καὶ προτιμώμενοι τὸν μαμωνᾶν τῆς τοῦ Θεοῦ ὑπακοῆς, καὶ τῶν κανονικῶν αὐτοῦ διατάξεων μὴ ἀντεχόμενοι. διὸ ἐν τούτοις οὐκ ἔστι κύριος ὁ Θεός· εἰ μή που ταπεινωθέντες τοῦ ἰδίου σφάλματος ἀνανήψωσι. χρὴ γὰρ μᾶλλον αὐτοὺς προσέρχεσθαι τῷ Θεῷ, καὶ μετὰ συντετριμμένης καρδίας τὴν ἄφεσιν τούτου τοῦ ἁμαρτήματος καὶ τὴν συγχώρησιν αἰτεῖσθαι, οὐχὶ ἐναβρύνεσθαι τῇ ἀθέσμῳ δόσει. ἐγγὺς γὰρ κύριος τοῖς συντετριμμένοις τῇ καρδίᾳ. τοὺς οὖν ἐγκαυχωμένους διὰ δόσεως χρυσίου τετάχθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ συνηθείᾳ ἐπελπίζοντας τῇ ἀλλοτριούσῃ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ καὶ πάσης ἱερωσύνης, καὶ ἐκ τούτου ἀναιδεῖ προσώπῳ καὶ ἀπαρακαλύπτῳ στόματι ὀνειδιστικοῖς λόγοις τοὺς δι᾽ ἀρετὴν βίου ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκλεγέντας καὶ καταταγέντας ἐκτὸς δόσεως χρυσίου ἀτιμάζοντας, πρῶτον μὲν τοῦτο ποιοῦντας τὸν ἔσχατον βαθμὸν λαμβάνειν τοῦ οἰκείου τάγματος· εἰ δὲ ἐπιμένοιεν, δι᾽ ἐπιτιμίου διορθοῦσθαι. εἰ δέ τις ἐπὶ χειροτονίᾳ φανείη ποτὲ τοῦτο πεποιηκώς, γινέσθω κατὰ τὸν ἀποστολικὸν κανόνα τὸν λέγοντα· εἴ τις ἐπίσκοπος διὰ χρημάτων τῆς ἀξίας ταύτης ἐγκρατὴς γένηται, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς καὶ ὁ χειροτονήσας, καὶ ἐκκοπτέσθω παντάπασι καὶ τῆς κοινωνίας, ὡς Σίμων ὁ μάγος ὑπ᾽ ἐμοῦ Πέτρου. ὡσαύτως καὶ κατὰ τὸν δεύτερον κανόνα τῶν ἐν Καλχηδόνι ὁσίων πατέρων ἡμῶν, λέγοντα· εἴ τις ἐπίσκοπος ἐπὶ χρήμασι χειροτονίαν ποιήσηται, καὶ εἰς πρᾶσιν καταγάγῃ τὴν ἄπρατον χάριν, καὶ χειροτονήσῃ ἐπὶ χρήμασιν ἐπίσκοπον, ἢ χωρεπίσκοπον, ἢ πρεσβυτέρους, ἢ διακόνους, ἢ τινα τῶν ἐν τῷ κλήρῳ καταριθμουμένων· ἢ προβάλοιτο ἐπὶ χρήμασιν οἰκονόμον, ἢ ἔκδικον, ἢ παραμονάριον, ἢ ὅλως τινὰ τοῦ κανόνος δι᾽ αἰσχροκέρδειαν οἰκείαν·

ANNO CHRISTI 787.

ACTIO OCTAVA.

ὁ τοῦτο ἐπιχειρήσας ἐλεγχθεὶς κινδυνευέτω εἰς τὸν ἴδιον βαθμόν· καὶ ὁ χειροτονούμενος μηδὲν ἐκ τῆς κατ' ἐμπορείαν ὠφελείσθω χειροτονίας, ἢ προβολῆς· ἀλλ' ἔστω ἀλλότριος τῆς ἀξίας ἢ τοῦ φροντίσματος, οὗπερ ἐπὶ χρήμασιν ἔτυχεν. Εἰ δέ τις καὶ μεσιτεύων φανείη τοῖς οὕτως αἰσχροῖς καὶ ἀθεμίτοις λήμμασι, καὶ οὗτος, εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, ἐκ τοῦ οἰκείου ἐκπιπτέτω βαθμοῦ· εἰ δὲ λαϊκὸς ἢ μοναχὸς, ἀφοριζέσθω.

A qui hoc conatus fuerit agere, si convictus fuerit, proprii gradus periculum subeat: & qui consecratus est, nihil proficiat ex consecratione vel promotione quæ per negotiationem effecta est; sed sit alienus a dignitate * & solicitudine quam per pecunias consecutus est. Si vero quis mediator apparuerit in hujusmodi turpibus & illicitis * datis; si quidem clericus fuerit, proprio gradu decidat: si vero laicus vel monachus, excommunicetur.

* seu

* lucris;

B

ϛʹ.

Περὶ τοῦ γίνεσθαι τοπικὰς συνόδους κατὰ χρόνον.

VI.

Ut efficiatur localis synodus per annum.

Ἐπειδήπερ κανών ἐστιν ὁ λέγων· δὶς τοῦ ἔτους καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν χρὴ γίνεσθαι διὰ συναθροίσεως ἐπισκόπων τὰς κανονικὰς ζητήσεις· διὰ δὲ τὴν συντριβὴν καὶ τὸ ἐνδεῶς ἔχειν πρὸς ὁδοιπορίαν τοὺς συναθροιζομένους, ὥρισαν οἱ τῆς ἕκτης συνόδου ὅσιοι πατέρες, ἐκ παντὸς τρόπου καὶ προφάσεως ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ γίνεσθαι, καὶ τὰ ἐσφαλμένα διορθοῦσθαι. τοῦτον οὖν τὸν κανόνα καὶ ἡμεῖς ἀνανεοῦμεν. καὶ εἴ τις εὑρεθείη ἄρχων τοῦτον κωλύων, ἀφοριζέσθω. Εἰ δέ τις ἐκ τῶν μητροπολιτῶν ἀμελήσοι τοῦτο γίνεσθαι ἐκτὸς ἀνάγκης καὶ βίας, καί τινος εὐλόγου προφάσεως, τοῖς κανονικοῖς ἐπιτιμίοις ὑποκείσθω. τῆς δὲ * συνόδου γινομένης περὶ κανονικῶν καὶ εὐαγγελικῶν πραγμάτων, δεῖ τοῖς συναθροισθεῖσιν ἐπισκόποις ἐν μελέτῃ καὶ φροντίδι γίνεσθαι τοῦ φυλάττεσθαι τὰς θείας καὶ ζωοποιοὺς ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ. ἐν γὰρ τῷ φυλάσσεσθαι αὐτὰς ἀνταπόδοσις πολλή· ὅτι καὶ λύχνος ἐντολὴ, νόμος δὲ φῶς, καὶ ὁδὸς ζωῆς ἔλεγχος καὶ παιδεία· καὶ ἡ ἐντολὴ κυρίου τηλαυγὴς φωτίζουσα ὀφθαλμούς. μὴ ἔχειν δὲ ἄδειαν τὸν μητροπολίτην, ἐξ ὧν ἐπιφέρονται οἱ ἐπίσκοποι μετ' αὐτῶν, ἢ κτῆνος, ἢ ἕτερον εἶδος ἀπαιτεῖν. Εἰ δὲ τοῦτο ἐλεγχθῇ, ἀποτίσει τὸ τετραπλάσιον.

Quoniam quidem regula est, quæ dicit: Bis in anno per singulas provincias oportet fieri per conventum episcoporum regulares inquisitiones: propter fatigationem & * ut opportune habeantur ad iter agendum hi qui congregandi sunt; * definierunt sextæ synodi sancti patres; omni excusatione remota, modis omnibus semel in anno fieri, & depravata corrigi. Hunc ergo canonem & nos renova- C mus: & si quisquam princeps inventus fuerit hoc prohibere, communione privetur. Si quis vero metropolitanorũ hoc neglexerit agere, absque necessitate vel vi seu aliqua rationabili occasione, canonicis pœnis subjaceat. * Dum autem synodus agitur super canonicis & euangelicis negotiis, oportet congregatos episcopos in meditatione & solicitudine fieri custodiendorum divinorum & vivificorum domini mandatorum: in custodiendis enim illis retributio multa; quia D & lucerna mandatum: lex autem lux, & via vitæ argutio & disciplina est; & mandatum domini lucidum illuminans oculos. Porro non habeat metropolitanus licentiam ex his quæ defert episcopus secum, sive jumentum, sive aliam speciem expetendi. Quod si hoc egisse convictus fuerit, solvat quadruplum.

Concil. Nic. cap. 5.

* Gr. quod inopia laborent ad iter

Can. 8.

Anas. verb: * Ne te moveat, si hanc definitionem nos minime habeamus, cum & earum nonnullas quas inter canones habemus, in auctoritatẽ non recipiamus, sicut quasdam ex conciliis. Alia namque apud Græcos tantum, alia vero apud certas solum provincias in observantiã ecclesiasticã assumuntur, sicut sunt Laodicensis conc. 16. & 17. regulæ; quæ apud Græcos tantum servantur, nec non & Africanorum conciliorum 6. & 8. capitula, quæ nulli provinciæ servare nisi Africana dignoscitur.

* Gr. Synodo autem peracta

Psal. 18.

Prov. 6.

1. Tim. 5.

ζʹ.

Ὅτι τοὺς ἐγκαινισθέντας ναοὺς ἐκτὸς καταθέσεως λειψάνων ἁγίων δέον ἀναπληρωθῆναι.

VII.

Quod templa noviter sine reconditis sanctorum reliquiis dedicata oporteat suppleri.

Ἔφη Παῦλος ὁ θεῖος ἀπόστολος· τινῶν αἱ ἁμαρτίαι πρόδηλοί εἰσι, τισὶ δὲ καὶ ἐπακολουθοῦσιν. ἁμαρτιῶν οὖν προκαταλαβουσῶν, καὶ ἕτεραι ἁμαρτίαι ἀκολουθοῦσι ταύταις. τῇ οὖν ἀσεβεῖ αἱρέσει τῶν χριστιανοκατηγόρων καὶ ἄλλα ἀσεβήματα συνηκολούθησαν. ὥσπερ γὰρ τὴν τῶν σεπτῶν εἰκόνων ὄψιν ἀφείλοντο ἐκ τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἕτερά τινα ἔθη καταλελοίπασιν, ἃ χρὴ ἀνανεωθῆναι, καὶ κατὰ τὴν ἔγγραφον καὶ ἄγραφον θεσμοθεσίαν οὕτως κρατεῖν. ὅσοι

E

Ait Paulus divinus apostolus: *Quorumdam peccata manifesta sunt, quorumdam autem & subsequuntur.* Peccatis ergo prævenientibus, & alia peccata his accidunt. Impiam itaque Christianos accusantium hæresim & aliæ impietates subsecutæ sunt. Sicut enim venerabilium imaginum vultum abstulerunt ab ecclesia, ita & alios quosdã mores deseruerunt, quos & oportet renovari, & secundum scriptam & non scriptam legislationem denuo detineri. Quotquot

ACTIO OCTAVA.

ergo venerabilia templa consecrata sunt absque sanctis reliquiis martyrum, definimus in eis reliquiarum una cum solita oratione fieri positionem. Et si a præsenti tempore inventus fuerit episcopus absque lipsanis consecrare templum, deponatur, ut ille qui ecclesiasticas traditiones transgreditur.

VIII.

Quod Hebræos non oporteat recipi, nisi forte ex sincero corde conversi fuerint.

Quoniam errantes hi qui ex Hebræorum superstitione consistunt, subsannare se Christum Deum existimant, simulantes Christianizare, ipsum autem negant, clam & latenter sabbatizantes, & alia Iudæorum more facientes: definimus hos neque in communionem, neque in orationem, neque in ecclesiam suscipi; sed manifeste sint secundum religionem suam Hebræi: neque pueros eorum baptizari, neque servum * emi vel acquiri. Si vero ex sincero corde ac fide converterit se quis eorum, & confessus fuerit ex toto corde, divulgans mores eorum & res, ut alii etiam arguantur & corrigantur; hunc suscipi & baptizari, & pueros ejus: quin & * observari eos, ut recedant ab Hebraicis adinventionibus, definimus: alias autem nullatenus admittendos.

* Gr. emere vel possidere.

* cautos reddi

IX.

De non abscondendo libro quolibet hæreseos Christianos accusantium.

Omnia puerilitia ludibria, insanasque debacchationes atque conscripta, quæ falso contra venerabiles imagines facta sunt, dari oportet in episcopio Constantinopoleos, ut recondantur cum ceterorum hæreticorum libris. Si vero quis inventus fuerit hæc occultare, siquidem episcopus aut presbyter, vel diaconus fuerit, deponatur: si vero monachus aut laicus, anathematizetur.

X.

Quod non oporteat clericum relinquere parochiam suam, & ad aliam transire absque notitia episcopi.

Quoniam quidam clericorum parvipendentes canonicam constitutionem, relinquunt parochiam propriam, & ad alias parochias convolant, & maxime in hac Deo servanda regia urbe sese apud principes locant, in eorum

A ὅσοι οὖν σεπτοὶ ναοὶ καθιερώθησαν ἐκτὸς ἁγίων λειψάνων μαρτύρων, ὁρίζομεν ἐν αὐτοῖς κατάθεσιν γίνεσθαι λειψάνων μετὰ καὶ τῆς συνήθους εὐχῆς. καὶ εἰ ἀπὸ τοῦ παρόντος τις εὑρεθῇ ἐπίσκοπος χωρὶς ἁγίων λειψάνων καθιερῶν ναὸν, καθαιρείσθω, ὡς παραβεβηκὼς τὰς ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις.

η'.

Ὅτι τοὺς Ἑβραίους οὐ χρὴ δέχεσθαι, εἰ μήπου ἐξ εἰλικρινοῦς καρδίας ἐπιστρέψωσιν.

B Ἐπειδὴ πλανώμενοί τινες ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων θρησκείας, μυκτηρίζειν ἔδοξαν Χριστὸν τὸν Θεὸν, προσποιούμενοι Χριστιανίζειν, αὐτὸν δὲ ἀρνοῦνται, κρύβδην καὶ λαθραίως σαββατίζοντες, καὶ ἕτερα Ἰουδαϊκὰ ποιοῦντες· ὁρίζομεν τούτους μήτε εἰς κοινωνίαν, μήτε εἰς εὐχὴν, μήτε εἰς ἐκκλησίαν δέχεσθαι. ἀλλὰ φανερῶς ἔστωσαν κατὰ τὴν ἑαυτῶν θρησκείαν Ἑβραῖοι· μήτε τοὺς παῖδας αὐτῶν βαπτίζειν, μήτε δοῦλον ὠνήσασθαι ἢ κτᾶσθαι. εἰ δὲ ἐξ εἰλικρινοῦς καρδίας καὶ πίστεως ἐπιστρέψῃ τις αὐτῶν, καὶ ὁμολογήσῃ ἐξ ὅλης καρδίας, C θριαμβεύων τὰ κατ' αὐτῶν ἔθη καὶ πράγματα, πρὸς τὸ καὶ ἄλλους ἐλεγχθῆναι καὶ διορθώσασθαι, τοῦτον προσδέχεσθαι καὶ βαπτίζειν, καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ· καὶ ἀσφαλίζεσθαι αὐτοὺς ἀποστῆναι τῶν Ἑβραϊκῶν ἐπιτηδευμάτων. εἰ δὲ μὴ οὕτως ἔχοιεν, μηδαμῶς αὐτοὺς προσδέχεσθαι.

θ'.

D Περὶ τοῦ μὴ κρύπτειν τινὰ χριστιανοκατηγορικῆς αἱρέσεως βίβλον.

Πάντα τὰ μειρακιώδη ἀθύρματα καὶ μανιώδη βακχεύματα, τὰ ψευδοσυγγράμματα κατὰ τῶν σεπτῶν εἰκόνων γινόμενα, δέον δοθῆναι ἐν τῷ ἐπισκοπείῳ Κωνσταντινουπόλεως, ἵνα ἀποτεθῶσι μετὰ λοιπῶν αἱρετικῶν βίβλων. εἰ δέ τις εὑρεθείη ταῦτα κρύπτων, εἰ μὲν ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος εἴη, καθαιρείσθω· εἰ δὲ μοναχὸς ἢ λαϊκὸς, ἀναθεματιζέσθω.

ι'.

E Ὅτι οὐ δεῖ κληρικὸν ἀπολιπεῖν τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν, καὶ ἐν ἑτέρᾳ ἀφικέσθαι χωρὶς εἰδήσεως τοῦ ἐπισκόπου.

Ἐπειδή τινες τῶν κληρικῶν παραλογιζόμενοι τὴν κανονικὴν διάταξιν, ἀπολιπόντες τὴν ἑαυτῶν παροικίαν, εἰς ἑτέρας παροικίας ἐκτρέχουσι, κατὰ πλεῖστον δὲ ἐν ταύτῃ τῇ θεοφυλάκτῳ καὶ βασιλίδι πόλει, καὶ εἰς ἄρχοντας προσεδρεύουσιν, ἐν τοῖς

αὐτῶν

ACTIO OCTAVA.

αὐτῶν εὐκτηρίοις τὰς λειτουργίας ποιοῦντες· τούτοις οὖν χωρὶς τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου καὶ τοῦ Κωνσταντινουπόλεως οὐκ ἔξεστι διατρίβειν ἐν οἱῳδήποτε οἴκῳ ἢ ἐκκλησίᾳ· εἰ δὲ τοῦτο ποιήσῃ, ἐπιμένων καθαιρείσθω. ὅσοι δὲ μετ᾽ εἰδήσεως τῶν προλεχθέντων ἱερέων τοῦτο ποιοῦσιν, οὐκ ἔξεστιν αὐτοῖς κοσμικὰς καὶ βιωτικὰς φροντίδας ἀναλαμβάνεσθαι, ὡς κεκώλυται τοῦτο ποιεῖν παρὰ τῶν θείων κανόνων. εἰ δέ τις φωραθείη τῶν λεγομένων μειζοτέρων φροντίδα ἐπέχων, ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω· μᾶλλον μὲν οὖν ἤτω πρὸς διδασκαλίαν τῶν παίδων καὶ τῶν οἰκετῶν, ἐπαναγινώσκων αὐτοῖς τὰς θείας γραφάς· εἰς τοῦτο γὰρ καὶ τὴν ἱερωσύνην ἐκληρώσατο.

A oratoriis missas facientes: hos absque proprio episcopo & Constantinopolitano antistite non licet suscipere in qualibet domo vel ecclesia: quod si hoc fecerit, & ita perseveraverit, deponatur. Quotquot autem cum conscientia prædictorum hoc fecerint sacerdotum, non licet eis mundanas & sæculares curas suscipere, præsertim cum hoc agere prohibeantur a sacris canonibus. Quisquis autem apparuerit eorum, qui dicuntur majores; B curam tenere, aut desinat, aut deponatur: potius autem maneat ad magisterium tam puerorum, quam famulorum, relegens eis divinas scripturas: ad hoc enim etiam sacerdotium consecutus est.

ια'.

Ὅτι δεῖ οἰκονόμους εἶναι ἐν τοῖς ἐπισκοπείοις καὶ ἐν τοῖς μοναστηρίοις.

Ὑπόχρεῳ ὄντες πάντας τοὺς θείους κανόνας φυλάττειν, καὶ τὸν λέγοντα, οἰκονόμους εἶναι ἐν ἑκάστῃ ἐκκλησίᾳ, πάντῃ τρόπῳ ἀπαράτρεπτον διατηρεῖν ὀφείλομεν. καὶ εἰ μὲν ἕκαστος μητροπολίτης ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ αὐτοῦ καθιστᾷ οἰκονόμον, καλῶς ἂν ἔχοι· εἰ δὲ μή γε, ἐξ αὐθεντίας ἰδίας τῷ Κωνσταντινουπόλεως ἐπισκόπῳ ἄδειά ἐστι προχειρίζεσθαι οἰκονόμον ἐν τῇ αὐτοῦ ἐκκλησίᾳ. ὡσαύτως καὶ τοῖς μητροπολίταις, εἰ οἱ ὑπ᾽ αὐτοὺς ἐπίσκοποι οὐ προαιροῦνται οἰκονόμους ἐγκαταστῆσαι ἐν ταῖς ἑαυτῶν ἐκκλησίαις. τὸ αὐτὸ δὲ φυλάττεσθαι καὶ ἐπὶ τῶν μοναστηρίων.

XI.

Quod oporteat œconomos esse in episcopiis ac ministeriis.

Cum simus debitores omnes sacras C literas custodire, & eam quæ dicit, in unaquaque ecclesia œconomos esse, modis omnibus inviolabilem conservare debemus. Et si quidem unusquisque metropolitanus in sua ecclesia constituerit œconomum, bene utique: sin autem, ex auctoritate * propria Constantinopoleos episcopo licentia est præponendi œconomum in ejus ecclesia: similiter & metropolitanis; si episcopi qui sub ipsis sunt, non sategerint œconomos statuere in suis ecclesiis. D Idipsum autem servandum est etiam in monasteriis.

Can. 26. Concil. Calched.

*Gr. speciali

ιβ'.

Ὅτι οὐ δεῖ ἐκποιεῖσθαι ἐπίσκοπον ἢ ἡγούμενον ἐκ τῶν προαστείων τῆς ἐκκλησίας.

Εἴ τις ἐπίσκοπος εὑρεθείη ἢ ἡγούμενος ἐκ τῶν αὐτουργιῶν τοῦ ἐπισκοπείου ἢ τοῦ μοναστηρίου ἐκποιούμενος εἰς ἀρχοντικὴν χεῖρα, ἢ καὶ ἑτέρῳ προσώπῳ ἐκδιδούς, ἄκυρον εἶναι τὴν ἔκδοσιν κατὰ τὸν κανόνα τῶν ἁγίων ἀποστόλων τὸν λέγοντα· πάντων τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων ὁ ἐπίσκοπος ἐχέτω τὴν φροντίδα, καὶ διοικείτω αὐτὰ ὡς τοῦ Θεοῦ ἐφορῶντος· μὴ ἐξεῖναι δὲ αὐτῷ σφετερίζεσθαί τι ἐξ αὐτῶν, ἢ συγγενέσιν ἰδίοις τὰ τοῦ Θεοῦ χαρίζεσθαι. εἰ δὲ πένητες εἶεν, ἐπιχορηγείτω ὡς πένησιν, ἀλλὰ μὴ προφάσει τούτων τὰ τῆς ἐκκλησίας ἀπεμπολείτω. εἰ δὲ προφασίζοιντο ζημίαν

XII.

*Quod non oporteat episcopum vel abbatem alienare quid de * proastiis ecclesiæ.*

*i suburbanis

Quisquis episcopus inventus fuerit vel abbas de * salariis episcopii sive monasterii transferre quidquam in principum manus, vel etiam alii personæ conferre, * irritum sit quod da- E tum esse constiterit, secundum † canonem sanctorum apostolorum qui dicit: Omnium ecclesiasticarum rerum episcopus solicitudinem habeat, & dispenset eas tamquam Deo contemplante; non liceat autem ei fraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare quæ Dei sunt. Quod si pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur: sed non sub eorum occasione quæ sunt ecclesiæ * defraudentur. Quod & excusationem si prætenderint,

* agris, seu fundis,

* Gr. irrita sit alienatio secundum

† Can. 39.

* Gr. venumdet.

ACTIO OCTAVA.

derint, damnum facere, & nihil ad profectum agrum existere; nec sic principibus qui per loca illa sunt, tribuatur ager vel locus, sed clericis vel agricultoribus. Quod si calliditate usus fuerit, & a colono vel clerico emerit princeps agrum; etiam sic irrita sit venditio, & restituatur episcopio vel monasterio: & episcopus vel abbas hoc faciens abjiciatur, episcopus quidem ab episcopio, abbas autem a monasterio, tamquam qui dispergit male quæ non collegit.

XIII.

Quod in magna damnatione sint hi, qui monasteria communia faciunt habitacula.

Quoniam propter calamitatem, quæ pro peccatis nostris in ecclesiis facta est, subreptæ sunt a quibusdam viris quædam venerabiles domus, tam videlicet episcopia, quam monasteria, & facta sunt communia diversoria: si quidem voluerint ii qui hæc retinent, reddere ea, ut *secundum antiquitatem instaurentur, bene & optime: alioquin, si de sacrato catalogo fuerint, hos deponi præcipimus: si vero monachi vel laici, excommunicari: quos nimirum constat condemnatos esse a Patre & Filio & Spiritu sancto: & deputentur, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur: quia voci domini adversantur, quæ dicit: *Non faciatis domum patris mei domum negotiationis.*

*Gr. in pristinum statum

Ioan. 2.

XIV.

Quod non oporteat sine manus impositione legere in collecta super ambonem.

Quia ordo debet in *sacratione custodiri, omnibus liquet: & cum diligentia conservare sacerdotii promotiones, Deo est prorsus acceptum. Et quoniam videmus sine manus impositione a parvula ætate tonsuram clerici quosdam accipientes, nondum ab episcopo manus impositione percepta super ambonem irregulariter in collecta legentes, præcipimus, amodo id minime fieri: idipsum quoque cõservandum est etiam inter monachos. Lectoris autem manus impositionem licentia est unicuique abbati in proprio monasterio solummodo faciendi, si dumtaxat abbati manus impositio facta noscatur ab episcopo secundum morem præficiendorum abbatum, dum constet illum esse presbyterum. Simili modo secundum antiquam consuetudinem chorepiscopos 'præceptione episcopi oportet promovere lectores.

* Gr. sacerdotio

'per præceptionem

A ἐμποιεῖν, καὶ μηδὲν πρὸς ὄνησιν τυγχάνειν τὸν ἀγρὸν, μηδὲ οὕτως τοῖς κατὰ τόπον ἄρχουσιν ἐκδιδόναι τὸν τόπον, ἀλλὰ κληρικοῖς ἢ γεωργοῖς. Εἰ δὲ πανουργίᾳ πονηρᾷ χρήσοιντο, καὶ ἐκ τοῦ γεωργοῦ ἢ τοῦ κληρικοῦ ὠνήσεται ἄρχων τὸν ἀγρὸν, καὶ οὕτως ἄκυρον εἶναι τὴν πρᾶσιν, καὶ ἀποκαθίστασθαι ἐν τῷ ἐπισκοπείῳ ἢ ἐν τῷ μοναστηρίῳ· καὶ ἐπίσκοπος ἢ ἡγούμενος τοῦτο ποιῶν ἐκδιωχθήτω, ὁ μὲν ἐπίσκοπος τοῦ ἐπισκοπείου, ὁ δὲ ἡγούμενος τοῦ μοναστηρίου, ὡς διασκορπίζων κακῶς ἃ οὐ συνήγαγεν.

B

ιγ'.

Ὅτι μεγάλης κατακρίσεως ἄξιοί εἰσιν οἱ τὰ μοναστήρια κοινοῦντες.

Ἐπειδὴ διὰ τὴν γενομένην κατὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν συμφορὰν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, καθηρπάγησάν τινες εὐαγεῖς οἶκοι ὑπό τινων ἀνδρῶν, ἐπισκοπεῖά τε καὶ μοναστήρια, καὶ ἐγένοντο κοινὰ καταγώγια· εἰ μὲν διακρατοῦντες ταῦτα προαιρῶνται ἀποδιδόναι, ἵνα κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἀποκατασταθῶσιν, εὖ καὶ καλῶς ἔχει· εἰ δὲ μή γε, εἰ μὲν τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ εἰσι, τούτους καθαιρεῖσθαι προστάσσομεν· εἰ δὲ μοναχοὶ ἢ λαϊκοὶ, ἀφορίζεσθαι, ὡς ὄντας κατακρίτους ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· καὶ τετάχθωσαν, ὅπου ὁ σκώληξ οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται, ὅτι τῇ τοῦ κυρίου φωνῇ ἐναντιοῦνται, τῇ λεγούσῃ· μὴ ποιεῖτε τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου οἶκον ἐμπορίας.

C

D

ιδ'.

Ὅτι οὐ χρὴ ἐκτὸς χειροθεσίας ἀναγινώσκειν ἐν τῇ συνάξει ἐπ' ἄμβωνος.

Ὅτι τάξις ἐμπολιτεύεται ἐν ἱερωσύνῃ, πᾶσιν ἀρίδηλον· καὶ ἐν ἀκριβείᾳ διατηρεῖν τὰς τῆς ἱερωσύνης ἐγχειρίσεις, Θεῷ ἐστιν εὐάρεστον. καὶ ἐπειδὴ ὁρῶμεν ἐκτὸς χειροθεσίας νηπιόθεν τὴν κουρὰν τοῦ κλήρου λαβόντας τινὰς, μήπω δὲ παρὰ ἐπισκόπου χειροθεσίαν λαβόντας, καὶ ἀναγινώσκοντας ἐν τῇ συνάξει ἐπ' ἄμβωνος, ἀκανονίστως τοῦτο ποιοῦντας, ἀποτρέπομεν ἀπὸ τοῦ παρόντος τοῦτο μὴ γίνεσθαι· τὸ αὐτὸ δὲ φυλάττεσθαι καὶ ἐπὶ μοναχῶν. ἀναγνώστου δὲ χειροθεσίαν ἄδεια ἐστὶν ἐν ἰδίῳ μοναστηρίῳ καὶ μόνον ἑκάστῳ ἡγουμένῳ ποιεῖν, εἰ αὐτῷ τῷ ἡγουμένῳ ἐπετέθη χειροθεσία παρὰ ἐπισκόπου πρὸς προεδρίαν ἡγουμένου, δηλονότι ὄντος αὐτοῦ πρεσβυτέρου. ὡσαύτως καὶ κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἔθος τοὺς χωρεπισκόπους κατ' ἐπιτροπὴν τοῦ ἐπισκόπου δεῖ προχειρίζεσθαι ἀναγνώστας.

E

ιε'.

ιε'.

Ὅτι οὐ δεῖ κληρικὸν ἐν δυσὶν ἐκκλησίαις κατατάσσεσθαι.

Κληρικὸς ἀπὸ τοῦ παρόντος μὴ κατατασσέσθω ἐν δυσὶν ἐκκλησίαις· ἐμπορείας γὰρ καὶ αἰσχροκερδείας ἴδιον τοῦτο, καὶ ἀλλότριον ἐκκλησιαστικῆς συνηθείας. ἠκούσαμεν γὰρ ἐξ αὐτῆς τῆς κυριακῆς φωνῆς· ὅτι οὐ δύναταί τις δυσὶ κυρίοις δουλεύειν. ἢ γὰρ τὸν ἕνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει· ἢ τοῦ ἑνὸς ἀνθέξεται, καὶ τοῦ ἑτέρου καταφρονήσει. ἕκαστος οὖν κατὰ τὴν ἀποστολικὴν φωνήν, ἐν ᾧ ἐκλήθη, ἐν τούτῳ ὀφείλει μένειν, καὶ προσεδρεύειν ἐν μιᾷ ἐκκλησίᾳ. τὰ γὰρ δι' αἰσχροκέρδειαν γινόμενα ἐπὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων, ἀλλότρια τοῦ Θεοῦ καθεστήκασι. πρὸς δὲ τὴν τοῦ βίου τούτου χρείαν ἐπιτηδεύματά εἰσι διάφορα· ἐξ αὐτῶν εἴ τις βούλοιτο, τὰ χρειώδη τοῦ σώματος ποριζέσθω. ἔφη γὰρ ὁ ἀπόστολος· ταῖς χρείαις μου καὶ τοῖς οὖσι μετ' ἐμοῦ ὑπηρέτησαν αἱ χεῖρες αὗται. καὶ ταῦτα μὲν ἐν ταύτῃ τῇ θεοφυλάκτῳ πόλει· ἐν δὲ τοῖς ἔξω χωρίοις, διὰ τὴν ἔλλειψιν τῶν ἀνθρώπων, παραχωρείσθω.

A

XV.

Quod non oporteat clericum duabus ecclesiis connumerari.

Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus ecclesiis. Negotiationis enim est hoc & turpis commodi proprium, & ab ecclesiastica consuetudine penitus alienum. Audivimus enim ex ipsa dominica voce: *Quia nemo potest duobus dominis servire. aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet.* Vnusquisque ergo secundum apostolicam vocem, in quo vocatus est, in hoc debet manere, & in una locari ecclesia. Quæ enim per turpe lucrum in ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena consistunt a Deo. Ad vitæ vero hujus necessitatem studia sunt diversa: ex his vero qui voluerit, acquirat corporis opportuna. Ait enim apostolus: *Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Et hæc quidem in hac a Deo conservanda urbe. Ceterum in villis quæ foris sunt, propter inopiam hominum indulgeatur.

Matth. 6.

B

1. Cor. 7.

Act. 20.

C

ις'.

Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικὸν ἄνδρα ἱματίοις πολυτελέσιν ἀμφιέννυσθαι.

Πᾶσα βλακεία καὶ κόσμησις σωματικὴ ἀλλοτρία ἐστὶ τῆς ἱερατικῆς τάξεως. τοὺς οὖν ἑαυτοὺς κοσμοῦντας ἐπισκόπους ἢ κληρικοὺς δι' ἐσθήτων λαμπρῶν καὶ περιφανῶν, τούτους διορθοῦσθαι χρή· εἰ δὲ ἐπιμένοιεν, ἐπιτιμίῳ παραδίδοσθαι. ὡσαύτως καὶ τοὺς τὰ μύρα χριομένους. ἐπειδὴ δὲ ῥίζα πικρίας ἄνω φύουσα, μίασμα γέγονεν ἐν τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ἡ τῶν χριστιανοκατηγόρων αἵρεσις· καὶ οἱ ταύτην δεξάμενοι οὐ μόνον τὰς εἰκονικὰς ἀναζωγραφήσεις ἐβδελύξαντο, ἀλλὰ καὶ πᾶσαν εὐλάβειαν ἀπώσαντο, τοὺς σεμνῶς καὶ εὐσεβῶς βιοῦντας προσοχθίζοντες· καὶ πεπλήρωται ἐπ' αὐτοῖς τὸ γεγραμμένον· βδέλυγμα ἁμαρτωλῷ θεοσέβεια. εἰ εὑρεθῶσι τοίνυν ἐγγελῶντες τοῖς τὴν εὐτελῆ καὶ σεμνὴν ἀμφίασιν περικειμένοις, δι' ἐπιτιμίου διορθούσθωσαν. ἐκ γὰρ τῶν ἄνωθεν χρόνων πᾶς ἱερατικὸς ἀνὴρ μετὰ μετρίας καὶ σεμνῆς ἀμφιάσεως ἐπολιτεύετο. πᾶν γὰρ ὃ μὴ διὰ χρείαν, ἀλλὰ διὰ καλλωπισμὸν παραλαμβάνεται, ὑπερηφανείας ἔχει κατηγορίαν, ὡς ὁ μέγας ἔφη Βασίλειος. ἀλλ' οὐδὲ ἐκ σηρικῶν ὑφασμάτων πεποικιλμέ-

XVI.

Quod non oporteat sacratum virum vestimentis preciosis indui.

Omnis jactantia & ornatura corporalis aliena est a sacrato ordine. Eos ergo episcopos vel clericos qui se fulgidis & claris vestibus ornant, emendari oportet. Quod si in hoc permanserint, epitimio tradantur. Similiter eos qui unguentis inunguntur. Quoniam vero radice amaritudinis exorta, contaminatio facta est in catholica ecclesia Christianos calumniantium hæresis, etiam hi qui hanc receperunt, non solum imaginarias picturas abominati sunt, sed & omnem reverentiam repulerunt, eos qui religiose ac pie vivunt, * offendentes: ac per hoc completur in eis quod scriptum est: *Abominatio est peccatori Dei cultus.* Igitur si inventi fuerint deridentes eos qui vilibus & religiosis vestimentis amicti sunt, per epitimium corrigantur. Priscis enim temporibus omnis sacratus vir cum mediocri ac vili veste conversabatur. Omne quippe quod non propter necessitatem suam, sed propter venustatem accipitur, * elationis habet calumniam, quemadmodum magnus ait Basilius. Sed neque ex sericis texturis vestem

D

* odio habentes:

E

Eccles. 1.

* luxus h. crimen;

In regulis brevioribus resp. ad interrog. 49.

ACTIO OCTAVA.

quis variatam induebat, neque apponebat variorum colorum ornamenta in summitatibus vestimentorum. Audierant autem ex deisona lingua, quia *qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* (Matth. 11.)

XVII.

Vt qui non habet ea quæ ad consummationem sufficiant, minime oratoriam ædificare domum incipiat.

Quia quidam monachorum deserentes monasteria sua, præesse anhelantes, & obedire renuentes, inchoant construere oratorias domos, ea quæ ad perfectionem necessaria sunt non habentes: quisquis igitur hoc visus fuerit agere, prohibeatur a loci episcopo. At vero si sumptus sufficientes ad perfectionem habuerit, quæ ab ipso desiderantur, ad terminum perducantur. Idipsum autem servandum est etiam super laicis & clericis.

XVIII.

Quod non oportet feminas habitare in episcopiis, vel virorum monasteriis.

(2. Cor. 10.) *Sine offensione estote his etiam qui foris sunt*, divinus dicit apostolus. Feminas autem commorari in episcopiis, vel etiam monasteriis, omnis est offensionis materia. Quisquis ergo ancillam vel liberam in episcopio possidere claruerit; vel in monasterio ad opus ministerii alicujus, increpetur: si autem permanserit, deponatur. Porro si contigerit in proastiis feminas esse, & voluerit episcopus vel abbas iter * ad eas facere, præsente episcopo vel abbate nullatenus monasterii opus facere eo tempore mulieri liceat, sed seorsum moretur in alio loco, donec episcopus vel abbas recedat propter irreprehensibilitatem.

* Gr. illuc

XIX.

*Vt sine dationibus * sponsiones sacrorum virorum, monachorum quoque ac monacharum fiant.*

* admissiones

In tantum inolevit avaritiæ facinus in rectores ecclesiarum, ut etiam quidam eorum qui dicuntur religiosi viri atque mulieres, obliviscentes mandatorum domini, decipiantur, & per aurum * introitus accedentium tam ad sacratum ordinem, quam ad monasticam vitam efficiant. Vnde fit, ut quorum initium improbabile est, omnia sint projicienda, ut magnus ait

* receptiones

A νην ἐσθῆτα ἐνεδίδυτό τις, οὐδὲ προσετίθεσαν ἑτερόχροα ἐπιβλήματα ἐν τοῖς ἄκροις τῶν ἱματίων. ἤκουσαν γὰρ ἐκ τῆς θεοφθόγγου γλώττης, ὅτι οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσίν.

ιζ'.

Ὅτι μὴ ἔχων τις τὰ πρὸς ἀπαρτισμὸν, μὴ ἐπιχειρεῖν κτίζειν εὐκτήριον οἶκον.

Ὅτι τινὲς τῶν μοναχῶν καταλιπόντες τὰ ἑαυτῶν μοναστήρια, ἐφιέμενοι ἀρχῆς, καὶ τὸ ὑπακούειν ἀπαναινόμενοι, ἐγχειρίζουσι κτίζειν εὐκτηρίους οἴκους, τὰ πρὸς ἀπαρτισμὸν μὴ ἔχοντες· εἴ τις οὖν τοῦτο ἐπιχειρήσει ποιεῖν, κωλυέσθω ὑπὸ τοῦ κατὰ τὸν τόπον ἐπισκόπου. εἰ δὲ τὰ πρὸς ἀπαρτισμὸν ἔχοι, τὰ βεβουλευμένα αὐτῷ εἰς πέρας ἀγέσθωσαν. τὸ αὐτὸ δὲ φυλάττεσθαι καὶ ἐπὶ λαϊκῶν καὶ κληρικῶν.

ιη'.

Ὅτι οὐ δεῖ γυναῖκας ἐνδιαιτᾶσθαι ἐν ἐπισκοπείοις, ἢ ἐν ἀνδρώοις μοναστηρίοις.

Ἀπρόσκοποι γίνεσθε καὶ τοῖς ἔξωθεν, φησὶν ὁ θεῖος ἀπόστολος. τὸ δὲ γυναῖκας ἐνδιαιτᾶσθαι ἐν ἐπισκοπείοις ἢ καὶ μοναστηρίοις, παντὸς προσκόμματος αἴτιον. εἴ τις οὖν δούλην ἢ ἐλευθέραν ἐν τῷ ἐπισκοπείῳ κτώμενος φωραθείη, ἢ ἐν μοναστηρίῳ πρὸς ἐγχείρησιν διακονίας τινὸς, ἐπιτιμάσθω· ἐπιμένων δὲ καθαιρείσθω. εἰ δὲ καὶ τύχοι ἐν προαστείοις γυναῖκας εἶναι, καὶ θελήσει ἐπίσκοπος ἢ ἡγούμενος πορείαν ἐν τοῖς ἐκεῖσε ποιήσασθαι, παρόντος ἐπισκόπου ἢ ἡγουμένου μηδόλως ἐγχείρησιν διακονίας ποιείσθω κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν γυνὴ, ἀλλ' ἰδιαζέτω ἐν ἑτέρῳ τόπῳ, ἕως ἂν τὴν ἐπαναχώρησιν ποιήσωνται ὁ ἐπίσκοπος ἢ ὁ ἡγούμενος, διὰ τὸ ἀνεπίληπτον.

ιθ'.

Περὶ τοῦ ἐκτὸς δόσεων τὰς καταταγὰς τῶν ἱερατικῶν ἀνδρῶν, μοναχῶν τε καὶ μοναστριῶν γίνεσθαι.

E Τοσοῦτον κατενεμήθη τῆς φιλαργυρίας τὸ μῦσος εἰς τοὺς ἡγήτορας τῶν ἐκκλησιῶν, ὥστε καί τινας τῶν λεγομένων εὐλαβῶν ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν ἐπιλαθομένους τὰς ἐντολὰς τοῦ κυρίου ἐξαπατηθῆναι, καὶ διὰ χρυσίου τὰς εἰσόδους τῶν προσερχομένων τῷ τε ἱερατικῷ τάγματι καὶ τῷ μονήρει βίῳ ποιεῖσθαι. καὶ γίνεται ὧν ἡ ἀρχὴ ἀδόκιμος, καὶ τὸ πᾶν ἀπόβλητον, ὥς φησιν ὁ μέγας Βασίλειος.

Βασίλειος. οὐδὲ γὰρ Θεῷ διὰ μαμωνᾶ δουλεύειν ἔξεστιν. Εἴ τις οὖν εὑρεθείη τοῦτο ποιῶν, εἰ μὲν ἐπίσκοπος ἢ ἡγούμενος, εἴ τις τοῦ ἱερατικοῦ, ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω κατὰ τὸν δεύτερον κανόνα τῆς ἐν Καλχηδόνι συνόδου. Εἰ δὲ ἡγουμένη, ἐκδιωχθήτω τοῦ μοναστηρίου, καὶ παραδοθήτω ἐν ἑτέρῳ μοναστηρίῳ πρὸς ὑποταγήν. ὡσαύτως καὶ ἡγούμενος μὴ ἔχων χειροτονίαν πρεσβυτέρου. ἐπὶ δὲ τῶν παρὰ γονέων διδομένων δίκην προικώων τοῖς τέκνοις, ἢ ἰδιοκτήτων αὐτῶν πραγμάτων προσαγομένων, ὁμολογούντων τῶν προσαγόντων ταῦτα εἶναι ἀφιερωμένα τῷ Θεῷ, ὡρίσαμεν, κἄν τε μείνῃ, κἄν τε ἐξέλθῃ, μένειν αὐτὰ ἐν τῷ μοναστηρίῳ κατὰ τὴν ὑπόσχεσιν αὐτῶν, εἰ μὴ εἴη αἰτία τοῦ προεστῶτος.

A Basilius. Neque enim Deo per mammona servire licet. Si quis ergo inventus fuerit hoc faciens, si quidem episcopus vel abbas extiterit, vel quilibet de sacrato collegio, aut desinat, aut deponatur, juxta secundam regulam sancti Calchedonensis concilii. Abbatissa vero ejiciatur de monasterio, & tradatur in alio monasterio ad subjectionem. Similiter & abbas qui non habuerit manus impositionem presbyteri. Porro quæ filius a parentibus dantur more dotis, vel si qua ex propriis B rebus acquisita offeruntur, profitentibus his qui ea offerunt Deo * dicanda, definimus, sive perseveraverint, sive exierint, manere illa in monasterio secundum repromissionem ipsorum, nisi fuerit culpa prælati.

*Gr. dicata.

κ'.

Ὅτι οὐ δεῖ ἀπὸ τοῦ παρόντος γίνεσθαι διπλοῦν μοναστήριον· καὶ περὶ τῶν διπλῶν μοναστηρίων.

Ἀπὸ τοῦ παρόντος ὁρίζομεν, μὴ γίνεσθαι διπλοῦν μοναστήριον, ὅτι σκάνδαλον καὶ πρόσκομμα τοῖς πολλοῖς τοῦτο γίνεται. εἰ δέ τινες μετὰ συγγενῶν προαιροῦνται ἀποτάξασθαι, καὶ τῷ μονήρει βίῳ κατακολουθεῖν, τοὺς μὲν ἄνδρας δέον ἀπιέναι εἰς ἀνδρῷον μοναστήριον, καὶ τὰς γυναῖκας εἰσιέναι ἐν γυναικείῳ μοναστηρίῳ· ἐπὶ τούτῳ γὰρ εὐαρεστεῖται Θεός. τὰ δὲ ὄντα ἕως τοῦ νῦν διπλᾶ κρατείτωσαν κατὰ τὸν κανόνα τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Βασιλείου, καὶ κατὰ τὴν διαταγὴν αὐτοῦ οὕτω διατυπούσθωσαν. μὴ διαιτάσθωσαν ἐν ἑνὶ μοναστηρίῳ μοναχοὶ καὶ μονάστριαι· μοιχεία γὰρ μεσολαβεῖ τὴν συνδιαίτησιν. μὴ ἐχέτω παρρησίαν μοναχὸς πρὸς μονάστριαν, ἢ μονάστρια πρὸς μοναχὸν ἰδίᾳ προσομιλεῖν. μὴ κοιταζέσθω μοναχὸς ἐν γυναικείῳ μοναστηρίῳ, μηδὲ συνεσθιέτω μοναστρίᾳ κατὰ μόνας. καὶ ὅτε τὰ ἀναγκαῖα τοῦ βίου παρὰ τοῦ ἀνδρῴου μέρους πρὸς τὰς κανονικὰς ἀποκομίζονται, ἔξωθεν τῆς πύλης ταῦτα λαμβανέτω ἡ ἡγουμένη τοῦ γυναικείου μοναστηρίου μετὰ γραός τινος μοναστρίας. εἰ δὲ συμβῇ, καὶ συγγενῆ τινα θελήσει θεάσασθαι ὁ μοναχὸς, ἐπὶ παρουσίᾳ τῆς ἡγουμένης ταύτῃ προσομιλείτω διὰ μικρῶν καὶ βραχέων λόγων, καὶ συντόμως ἐξ αὐτῆς ἐπαναχωρείτω.

XX.

Quod non oporteat amodo duplex monasterium fieri: & de duplis monasteriis.

C Ex hoc definimus, minime duplex fieri monasterium; quia scandalum id & offendiculum multis efficitur. Si vero aliqui cum cognatis abrenuntiare, & monasticam vitam sectari voluerint, debent quidem viri virorum adire cœnobium, feminæ vero mulierum ingredi monasterium: in hoc enim placatur Deus. Quæ autem hactenus sunt dupla, teneant secundum regulam sancti patris nostri Basilii, & secundum præceptionem ejus ita formentur. Non habitent in uno monasterio monachi & monachæ: adulterium D enim intercipit cohabitationem. Non habeat aditum monachus ad monacham, vel monacha ad monachum secreto ad collocutionem. Non cubet monachus in muliebri monasterio, neque singulariter cum monacha convivetur. & quando necessaria vitæ a virorum parte ad regulares deferuntur, extra portam hæc suscipiat abbatissa monasterii feminarum cum quadam vetula monacha. Porro si contigerit, E ut aliquam propinquam suam videre voluerit monachus, in præsentia abbatissæ huic confabuletur per modica & compendiosa verba, & in brevi ab ea discedat.

κα'.

Ὅτι οὐ δεῖ καταλιμπάνειν τοὺς μοναχοὺς τὰ οἰκεῖα μοναστήρια, καὶ ἐν ἑτέροις μεταβαίνειν.

Μὴ δεῖν μοναχὸν ἢ μονάστριαν καταλιμπάνειν τὴν οἰκείαν μονὴν, καὶ ἐν ἑτέρᾳ ἀπέρχεσθαι. Εἰ δὲ

XXI.

Quod non oporteat monachos deserere propria monasteria, & transire in alia.

Non oportere monachum vel monacham monasterium proprium relinquere, & ad alia proficisci. Quod si

ACTIO OCTAVA.

contigerit hoc, recipi hunc hospitio necesse est: assumi autem eum sine voluntate abbatis ejus non convenit.

XXII.

Quod opporteat cum gratiarum actione & omni parcitate ac reverentia monachos, si contigerit, cum feminis manducare.

Deo quidem totum committere, & non propriis voluntatibus deservire, magna res est. *Sive enim manducatis, sive bibitis*, divinus apostolus dicit, *omnia in gloriam Dei facite.* (I Cor. 10.) Christus ergo Deus noster in euangeliis suis initia peccatorum recidere præcepit. Non enim mœchia ab eo tantum inhibetur, sed & motio cogitationis ad mœchiæ commissum damnatur, dicente eo: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* (Matth. 5.) Hinc ergo edocti, cogitationes debemus mundare. Nam etsi omnia licent, sed non omnia expediunt, ut ex apostolica voce docemur. (I. Cor. 6.) Necessarium ergo est omni homini manducare, ut vivat. Et quidem inter eos, quibus vita est nuptiarum & natorum, atque laicalis affectus, manducare viros & mulieres simul, nulli detractioni patet; tantum ut ei qui dat escam, gratias agant: * & non ab eis per quasdam thymelicas voluptates satanæ imago cantantibus citharisque atque meretriciis contortionibus coli videatur. (*Gr. & non per q. t. v. hoc est, satanicas cantilenas, citharasque & meretricias inflexiones: quibus) Quibus superveniet prophetica maledictio, quæ ita dicit: *Væ qui cum cithara & psalterio vinum bibunt, opera autem domini non intuentur; & opera manuum ejus non intelligunt.* (Isai. 5.) Et si usquam fuerint inter Christianos hujusmodi, corrigantur. Sin autem, obtineant super eis quæ sunt ante nos regulariter edita. Quibus autem vita est * solitaria & unius moris, (* quieta & solitaria,) ut eis videlicet qui domini jugum se singulare tollere spondent, sedere & tacere convenit. Sed & his qui sacratam elegere vitam, nullo modo licet secreto cum mulieribus convivari; nisi forte cum quibusdam Deum timentibus & reverendis viris, vel etiam mulieribus; quatenus & ipsa convivatio ad directionem spiritalem proficiat. & inter consanguineos quoque idipsum efficiatur. Rursusque si contigerit in itinere monachum vel sacratum virum non circumferre quæ victui opportuna sunt, & propter necessitatem divertere sive in * xenodochium, (* publicum diversoriū,) sive in domum alicujus, licentiam habebit hoc faciendi, tamquam urgente necessitate.

συμβῇ τοῦτο, ξενοδοχεῖσθαι αὐτὸν ἀναγκαῖον· προσλαμβάνεσθαι δὲ ἄνευ γνώμης τοῦ ἡγουμένου αὐτοῦ οὐ προσήκει.

κβʹ.

Ὅτι δεῖ μετ' εὐχαριστίας καὶ πάσης φειδοῦς καὶ εὐλαβείας μοναχούς, εἰ συμβῇ, μετὰ γυναικῶν ἐσθίειν.

Θεῷ μὲν τὸ πᾶν ἀνατίθεσθαι, καὶ οὐ τοῖς ἰδίοις θελήμασι δουλεύεσθαι, μέγα χρῆμα τυγχάνει. Εἴτε γὰρ ἐσθίετε, εἴτε πίνετε, ὁ θεῖος ἀπόστολός φησι, πάντα εἰς δόξαν Θεοῦ ποιεῖτε. Χριστὸς οὖν ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐν τοῖς εὐαγγελίοις αὐτοῦ τὰς ἀρχὰς τῶν ἁμαρτημάτων ἐκκόπτειν προσέταξεν. οὐ γὰρ ἡ μοιχεία μόνον παρ' αὐτοῦ κολάζεται, ἀλλὰ καὶ ἡ κίνησις τοῦ λογισμοῦ πρὸς τὴν τῆς μοιχείας ἐγχείρησιν κατακέκριται, λέγοντος αὐτοῦ· ὁ ἐμβλέψας γυναικὶ πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι, ἤδη ἐμοίχευσεν αὐτὴν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ. ἔνθεν οὖν μαθητευθέντες, λογισμοὺς ὀφείλομεν * καθαίρειν. (*καθαίρειν) Εἰ γὰρ πάντα ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει, ὡς ἐξ ἀποστολικῆς φωνῆς διδασκόμεθα. ἐπάναγκες οὖν ἐστὶ παντὶ ἀνδρὶ διὰ τὸ ζῆν ἐσθίειν. καὶ οἷς μὲν βίος ἐστὶ γάμου καὶ τέκνων καὶ λαϊκῆς διαθέσεως, ἀναμὶξ ἐσθίειν ἄνδρας καὶ γυναῖκας, τῶν ἀδιαβλήτων ἐστί· μόνον τῷ διδόντι τὴν τροφὴν τὴν εὐχαριστίαν προσαγέτωσαν, καὶ μὴ διά τινων θυμελικῶν ἐπιτηδευμάτων, εἴτουν σατανικῶν ᾀσμάτων, κιθαρῶν τε καὶ πορνικῶν λυγισμάτων, οἷς ἐπέρχεται προφητικὴ ἀρὰ οὑτωσὶ λέγουσα· οὐαὶ οἱ μετὰ κιθάρας καὶ ψαλτηρίου τὸν οἶνον πίνοντες, τὰ δὲ ἔργα κυρίου οὐκ ἐμβλέπουσι, καὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν αὐτοῦ οὐ κατανοοῦσι. καὶ εἴ που ποτὲ εἶεν τοιοῦτοι ἐν τοῖς Χριστιανοῖς, διορθούσθωσαν· εἰ δὲ μή γε, κρατείτωσαν ἐπ' αὐτοῖς τὰ πρὸ ἡμῶν κανονικῶς ἐκδοθέντα. οἷς δὲ ὁ βίος ἐστὶν ἡσύχιος καὶ μονότροπος, ὡς συνταξαμένοις κυρίῳ τῷ Θεῷ ζυγὸν μονήρη ἆραι, καθίσαι τε καὶ σιωπῆσαι. ἀλλὰ μὴν καὶ τοῖς ἱερατικὸν ἐκλεξαμένοις βίον. οὐδόλως ἔξεστι κατ' ἰδίαν γυναιξὶ συνεσθίειν, εἰ μή που μετά τινων θεοφόβων καὶ εὐλαβῶν ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν· ἵνα καὶ αὐτὴ ἡ συνεστίασις πρὸς κατόρθωσιν πνευματικὴν ἀπάγῃ. καὶ ἐπὶ συγγενῶν δὲ τὸ αὐτὸ ποιείσθω. εἰ δὲ καὶ αὖθις ἐν ὁδοιπορίᾳ συμβῇ τὰ τῆς ἀναγκαίας χρείας μὴ ἐπιφέρεσθαι μοναχὸν ἢ ἱερατικὸν ἄνδρα, καὶ διὰ τὸ ἀναγκαῖον καταλῦσαι βούλεται εἴτε ἐν πανδοχείῳ, ἢ καὶ ἐν οἴκῳ τινός, ἄδειαν ἔχειν αὐτὸν τοῦτο ποιεῖν, ὡς τῆς χρείας κατεπειγούσης. * (* al. add. μ... ἔσω μ... λαβεῖ...)

SERMO

SERMO LAVDATORIVS SANCTÆ *pronuntiatus synodo ab Epiphanio diacono ecclesiæ Catanæ Siculorum provinciæ, ac loci servatore Thomæ archiepiscopi Sardorum insulæ.*

BEATVS propheta Isaias divino accepto Spiritu factam gentium per Christum redemptionem valde bene prævidens, & eorum qui per ipsum salvandi erant multitudinem non ignorans, ut ex persona Dei alicubi pronuntiavit his qui per singula tempora sacrorum sortiuntur præposituram ovilium, hæc: *Ambulate per portas meas, & ducite populum meum, & lapides a via projicite.* Quænam intelliguntur portæ, nisi divinitus inspiratæ scripturæ, sanctorumq; prophetarum verba? Quæ nimirum quasi quasdam intellectuales portas rationabilium pastores pecudum interpretando aperientes, sic eas ad latum & verum adducunt ostium, videlicet dominum nostrum Iesum Christum, qui vere ad Patrem nobis factus est ostium, quemadmodum ipse ait, quia *ego sum ostium.* Porro lapides qui in via projecti sunt, scandala forte sunt hereticæ factionis, quæ veluti quidam lapides fidei nostræ semitæ apposita, eos qui ad Christum qui vera est via, properare volunt, impie impedire procurant, quantum in se est, iter eis salutis claudere festinantes. Rursusq; via hæc dominus utique noster Iesus Christus conjicitur, sicut ipse ait: quia *ego sum via.* Hæreticorum ergo scandalis, ac si quibusdam lapidibus, sacerdotum peritissimi, ingeniose satis & artificiose ductore Spiritu a via nostra, id est fidei ratione purgatis, non solum hos contra capita eorum qui illos jecerant, mittunt, verum etiam hoc modo semitam quæ ducit ad * viam, subjectis plebibus facilem & tritam efficiunt; ita ut possint sapere ac dicere: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adjutorium nostrum in nomine domini.* En igitur divinus sacerdotum conventus dominicorum mandatorum sequax, huc ad venerabile dispensationis Christi mysterium paternis doctrinis ordinandum & enucleandum concurrit. Non quasi hoc ipsum primum plebibus predicaverint, cum ante octingentos ferme annos in orbe toto fuerit prædicatum: sed quod tantum salutare consilium, quod per eum consummatum est, divinę scripturę interpretationibus lucidissime populis adaperuerunt, & hæreticos ab ipso ' petris allisos spiritus seu* stercora valde congruere putaverint. Noverunt enim propheticam vocem sibi quasi ex persona Dei etiam in hoc clamantem: *Sacerdotes audite, & contestamini domui Israel:* haud dubium quin spiritali. Quibus & nosquoque concurrentes, utpote quod in ipsis est pariter sentientes, splendido huic choro congratulamur, & præ desiderio mentis pennam moventes, quod possibile est ei conferre satagimus, & verbis tempus decentibus præsens celebrare, ac præconiorum hoc floribus coronare studemus spectaculum: nihil enim prohibet. licet ad id perfecte præ inopia fortassis & infirmitate sensus pertingere nequeamus, quæ tamen nobis sunt possibilia conferre maturamus. Sæpe namque parvus calculus magnis commissus lapidibus, quantum in se fuit, his immobilitatem se contulisse simulavit. Quis autem noster sit sermo, in medium

A proferatur, * a divinis vobis trapezitis benignitate multa discutiendus, & divinitus inspirata scriptura probandus. O sacratissima statio, sursum atque deorsum hominem ad imaginem Dei factum ad rectitudinem iterato salvate; & reditum ad originalem pulcritudinem, quæ per incuriam sublata est, rursus per curam ei " mereamini. Hoc enim sive observationes legalium mandatorum, sive relationes hominum, qui more historiæ bene aliterve in sæculo conversati sunt, sive sacra psalmorum eloquia, sive proverbiales doctrinæ moralem nobis narrantes philosophiam, per multam solicitudinem exposuerunt. Sed impossibile erat facile lapsam peccatoque submissam naturam nostram in se antiquissi-

B mam, ex qua cecidit in Adam, recipere dignitatem. Quæ videlicet potius eguit alia quadam robusta & inexpugnabili meliori virtute, quæ illam ex infirmo ulcerum sibi turgentium proposito sanaret, & ad robustiorem valetudinem cum quodam liberali augmento reduceret. Hoc igitur cum sciret divino Spiritu motus prophetarũ chorus, alibi aliterque talium ei bonorum nuntia protulit, in suo tempore unusquisque prædicens, consempiternum & consubstantialem Dei Patris Filium & Verbum divitiis bonitatis suæ ad nostram extremitatem profectum, nostram perfecte induisse naturam, & hanc invisibili & qui sine materia est, igne divinitatis suæ in antiquitatem reformasse. Alius quidem innuptam conceptio-

C nem & immaculatum ac virginalem partum prędicans: alius vero * potentatum omnimodum, exterminium, & imminutionem prævaricationis quæ obtinuit ab Adam, & in Adam facta est usq; ad legem, atque diabolici simul delicti. Alius autem ejusdem satanæ ac dæmonum, qui cum eo apostatæ facti sunt, exitialem ruinam a facie apparentis Dei, atque incomparabilem gratiarum actionem redemptori afferendam a nobis qui redempti sumus, super largissimis bonis quę in nobis patrata sunt. Ast alius voluntariam incarnati Dei passionem, & in infernum descensionem, & rursus ex inferno validum reditum cum animabus, quæ inevitabilibus illis vinculis tenebantur.

D Alius vero gloriosum a nobis ad Patrem qui in cælis est, regressum, & ad Patris dexteram sessionem: alius autem descendentem de cælo nobis collatum, qui in illum credimus * sine invidia, Spiritus adventum; & in omnes gentes euangelicæ prædicationis circuitum velocissimum: & quod hinc factum est per orbem terrarum idolorum omnimodum exterminium, per mundam reversionem ad unum & solum verum Deum nostrum effectam, atque impræterm issam & jugem latriam, quæ illi a nobis per universam terram intelligibiliter & spiritaliter exhibetur. Quæ omnia veritate temporibus suis terminata

E sunt, & finem gloriosissimum susceperunt. Audi igitur Paulum magna voce clamantem, & veritatem istam corroborantem: *Deus manifestatus est in carne, justificatus est in spiritu, apparuit angelis, prædicatus est gentibus, creditus est in mundo, assumptus est in gloria.* O magni doctoris ' affectum! Deus, inquit, manifestatus est in carne, quod est omnium bonorum causa, indeficiens donatio, sufficientissimæ divitiæ, perennis non auferendorum charismatum fons, insatiabilis esurientium esca, vivificus de cælo panis, jugis sitientium rivus, ex quo qui biberit, non sitiet in æternum. His manifestatus est in carne: sed & mundo, ait,

Margin notes (left, partly cut off): NO ISTI 87. — 7. — 10. — 14. — itam, — 113. — is al. Spiri- a ster- valde nere- erint. erco- el ceu ra ... 6.

Margin notes (right): ACTIO OCTAVA. — * A verbis domini, quæ citantur a vetustis patribus, nec sunt apud euangelistas: *Estote probi trapezitæ:* — " mercamini — * *f.* potestatum. — G. ἀφθόνως id est, copiosum. — 1. *Tim.* 3. — ' affatum! — *Ioan.* 4.

ACTIO OCTAVA.

creditus est. Quomodo creditus est in mundo? dic beate Paule: Imbue & nos ex arcanis illis vocibus, quibus in abditis paradisi imbutus es. Imbue etiam nunc prædicatione, cujus creditus es in omnes gentes prædicator & apostolus fieri. Infunde præsenti ecclesiæ veritatis verbum, extingue spiritales hæreticorum visus, ut quondam Elymæ magi: exprime cum fiducia dispensationis mysterium. Loqueris enim etiam post mortem voces excellentius, & operaris in spiritu quæcumque vis. Etiam inquit doctor: *Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia hæc in gentibus, evangelizandi videlicet investigabiles divitias Christi, & illuminandi omnes, ac docendi, quæ sit dispensatio mysterii absconditi a sæculis a domino, qui omnia creavit.* Quapropter audite: *Creditus est*, dixit, *in mundo, reconcilians omnia in semetipso, & pacificans per sanguinem crucis suæ, sive quæ in terra, sive quæ in cælis sunt.* O sublimem hanc prædicationem! O inenarrabilem istam misericordiam! Unigenitus Filius Dei omnia in seipso reconcilians pacificavit per sanguinem crucis suæ. Et quomodo quidam post tantam ineffabilem reconciliationem nos fieri priorum seditiosorum inimicorum affirmant? Quomodo post unius & solius veri Dei agnitionem adorare idola Christianos dicere ausi sunt? Præsertim cum propheta omnimodam horum comminutionem quodammodo clamet & dicat: *In die illa apparebit dominus, & exterminabit deos gentium terræ: & adorabit eum unusquisque de loco suo, omnes insulæ gentium.* Ecce subversionem idolorum, & Deo celebrandam adorationem ab unoquoque de loco suo audivimus. Quomodo igitur nos qui hoc agimus, idololatriam exercere accusamur? Quis autem & omnino posset in antiquitatem idolorum errorem renovare super terram? Si enim nequissimi dæmones qui per hæc placantur, hoc facere possunt, quomodo non destruetur totum dispensationis mysterium, sancta manifeste clamante scriptura, *Quia percussit inimicos suos in posteriora?* In quo innuitur, quia Christus etiam opprobrium sempiternum dedit eis. Qui enim potest aliquid operari, non inter mortuos, sed inter viventes adhuc procul dubio constituitur. Quomodo autem & ipse proprios confortans discipulos, & ad omnes vel qualescumque difficultates viriliter subeundas adhortans, veritatem dicet, cum asserat: *Confidite, ego vici mundum?* Si enim quod hic vicisse se repromittit, hoc illi valuerunt rursus per rebellionem auferre, non utique tale quid victoria nominabitur, nec inter fortia facta connumerabitur. Nam quomodo victoria erit, si ' liberator in finem minime lucrifaciat, sed similibus ab his qui prius superati fuerant, luctaminibus ' redigatur? verum nec similibus, sed fortioribus? Nam possidere quid & perdere, plus mihi, quam non acquisitum non possidere, in rationem imbecillitatis reputabitur. Porro ubi putas idolorum ' status? qui hoc dicentes posuistis, aiunt. Et si in antiquis dæmonicorum templorum sedibus, nondum hoc Christianis in causam criminis irrogabitur. Videmus enim reliquias in quibusdam locis priscorum dæmonicorum templorum a veteribus derelictas, ad pompam, ut reor, eorum qui in his immolaverunt; vel etiam ad memoriam, quod nos redempti sumus, & in gratiarum actiones ducentem per visibiles infirmasque formationes: ex quibus Christianorum abominabiles factæ sunt

Act. 13. Ephes. 3. Coloss. 1. Zach. 13. Psalm. 77. Joan. 16.

' liberatos ' redigantur. ' status

A culturæ, a quibus per Christum erepti sumus, nisi in Christianissimis hæc, inquiunt, ecclesiis nostris invenirentur. O pravitatem quæ hinc efficitur! o pessimam blasphemiam! Quomodo enim, ubi Christus caput & fundamentum est secundum sapientissimum Paulum, hoc fieri poterit? Fraudati vere sumus spe nos Christiani: decepti sumus etiam prædicatorum vocibus, qui etiam Deum nobis a dæmoniorum superstitione nos liberaturum in mundum venisse prædicaverunt. Quomodo etiam hoc penitus dicere potuerunt? Nam* interrogaverunt eos qui sic sapiunt, Utrum hoc capite nostro permittente factum sit, an forte volente quidem ne fieret, non valente B tamen auxiliari: & quomodo subsequenter hoc non sit totius blasphemiæ: Si enim verax est sacratissimus Paulus, dum Christum Filium Dei, virtutem & Dei sapientiam nominat, quomodo quæso valuit Patris inexpugnabilem virtutem & sapientiam, quæ omnibus esse tribuit, quidquam eorum quæ sunt exuperare? Perspicuum enim est, quia si istud huic accidit, nec id quod non est hæc, a talibus accusationibus pellent. Quomodo enim Deus omnipotens, potens & fortis Pater adhuc dicatur, si quæ sua sublata sunt virtute, subdita inimicis sunt effecta? Vel quo pacto Filius indulsit in ecclesiam, quam proprio sanguine suo sibi desponsavit, immanibus taliter & immisericordibus rursus deservire spiritibus? C præsertim cum hymnographus dicat: *Quia secundum altitudinem cæli a terra confirmavit dominus ' misericordiam suam super timentes eum.* Si enim in hoc incarnatus est, ut de eorum nos manu liberaret secundum propheticas prolocutiones: liberati autem sumus, ut aiunt, ad modicum: non fuit: sed putata est. Non enim ' gladii, sed abundantioris & difficilioris servitutis nobis factus est causa, tanto inimicos nostros ferociores construens, quanto illos nos liberati, ut opinamur, irrisimus. Ubi autem continua misericordia conservatur, quam secundum altitudinem cælestem a terra ' immensa super nos confirmasse se repromisit, quod indicat infinitum? Vel D quomodo iniquitates nostras elongasse a nobis dicitur, quantum distat ab oriente usque ad occidentalem plagam, quod omnimodam redemptionem signat, si adhuc eisdem implicamur erroribus? Et certe videmus medicorum peritissimos, cum aliquem infirmo corpore jacentem artis suæ diligentiis adjuverint, & ad sanitatem reduxerint, non cum mox a præsenti liberaverint passione, suæ subtrahere artis experientiam, sed certe vitæ circuitum cautiorem ei per quædam auxilia præmunire, valentia solicitum operari: quatenus non eisdem forte per imperitiam iterum molestiis opprimatur. Ast rursus si verum est, quemadmodum & comprobatum est, quia nostram unigenitus Dei & Patris Filius induit naturam: manifestum est, quod propriis eam bo- E nis ditaverit, & præcipuis Spiritus donis repleverit, ne de cetero ' sæculi cujusquam egeret auxilio, semel ab eo robore qui hanc assumpsit, accepto. Hoc enim, reor, & beatus evangelista insinuat, cum tempore baptismatis omnium nostrum salvatoris Christi se vidisse dicit Spiritum sanctum de cælis descendentem & manentem super eum; significans eum naturam de cetero sine ' adjectione ditasse. Etenim non egebat ille qui per omnia Spiritui est coæqualis, Spiritus de cælis adventu, quantum ad propriæ naturæ pertinet rationem. Numquidnam in se augmentum sancti-

AN. CHR. 7.. 1. Cor. * f. interrogent 1. Cor. Psalm. ' gaudii ' immensam Ibidem ' securi Marc. Joan. 1 ' abjectione

NNO RISTI 787. ſanctitatis acquireret, qui paternos in ſemetipſo A fert characteres, & Spiritus conſubſtantialitate nullatenus commutatur? Sed noſtram in ſe præfigurabat gratiam: quoniam eo quo in Adam ſumus privati, per ipſum & in ipſo ſumus iterum locupletati, & naturæ antiqua dignitas rediit. Si igitur Spiritus gratia ſuper eum deſcendens manſiſſe legitur; & hoc quidem non eſt 'rejiciendum, naturam ſcilicet deinceps conſervaſſe Verbum, apparuit, quia profecto hujuſmodi gratia in omne genus pertranſiit. Quomodo ergo' perhibetur, nos veraciter ignorantia peccaſſe, & quaſi honorem qui erga Deum eſt exercendus, idolis exhibuiſſe? Nam hujuſmodi quidem per Chriſtum gratia ſumus ditati. His dicendum eſt qui B omnia præſumunt. Porro ſi confeſſi fuerint, hæc nos quæ ſuper verbum ſunt bona, per Chriſtum meruiſſe, ſed poſt hoc prioribus denuo ſummiſſos eſſe erroribus: infirmata eſt ergo ſecundum ipſos gratia quæ per Spiritum data eſt, ne ſufficienter uſque in finem cum his qui ſemel hanc ſortiti ſunt, permaneret. Et quid ita ſapere magis impium vel infelicius? Vel quomodo is qui per omnia juſtus eſt, & cunctis vivificam præbet virtutem, omnium videlicet inſpector atque omnipotens Patris ſpiritus, natura ſua deficiet, & menſuris infirmitatis ſuccumbet? Aut quomodo illud dicitur: *Vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi?* Verum ſalutaris fatebitur vox, ſi repromiſſionum ejus res per opera in finem proceſſiſſe non cernitur? Etenim talibus tunc ſecum exiſtentibus ſanctis apoſtolis talem repromiſſionem donavit. Quomodo enim C uſque ad conſummationem hi in carne permanſerunt, qui etiam modicum poſt regreſſum ejus ad cælos in vita manentes, communi naturæ functi ſunt lege, vitam morte deſerentes? Verum in nos hujuſmodi euangeliorum munus pertranſit: qui videlicet eorum prædicationi ſummiſſi ſumus, & Chriſtum qui cum eis converſatus eſt, nobiſcum exiſtentem in ſpiritu & per totam vitam habemus. Expedit igitur in his plorare hæreticorum errorem, qui hæc taliter contempſerunt, qui tam manifeſtis dogmatibus objurgantur, & tam Deo D decibiles irritas promiſſiones eccleſiæ catholicæ faciunt, his impie derogantes. Nullatenus enim hæc a tradita ſibi commota eſt fide: manſit autem ſicut virgo caſta, ſicut ſcriptum eſt, Chriſti ſponſi ſui arrham inviolabilem ſervans, id eſt, datam in ſe Spiritus gratiam. Cujus rei gratia & divinus David multis prius gentibus immobilitatem 'fieri ab illa exhibitæ prædicans, aſſerebat: *Deus in medio ejus non commovebitur:* '*etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur:* diabolicis videlicet impugnata machinamentis. Nam & ſi firmamentum euangelicæ prædicationis quæ in eam data eſt, quidam antiquorum vel inſtantium hæreticorum concutere voluerunt, illis tamen E quod meditati ſunt, in opus reputatum eſt. Huic autem ſoli immobilitas in æternum ſervata eſt juxta repromiſſionem illius qui non mentitur, dicens: *Si oblita fuerit mulier pueri ſui, ut non miſereatur ſobolis ventris ſui? Quod ſi & oblita fuerit hujus mulier, ſed ego non obliviſcar tui, dixit dominus.* Dimiſſis itaque ſermonum eorum tortionibus, quibus in his uſi ſunt, & a longe garrulis ſermocinationibus ipſorum ave dicto, ſanctorum patrum* ſaporis" delectemur opinionibus. Deum igitur omnes nobis in humana forma in mundum profectum a multimodo nos idolorum errore liberaſſe monſtraverunt: ſic propheticæ prolocutiones promulgaverunt, ſic apoſtolica gratia explanavit. Hac nos doctrina non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, ſicut ſcriptum eſt, certificati ſumus. Non enim nos ſermonum ſuaſiones ſic habere fecerunt; paganorum enim eſt hoc: ſed ipſarum rerum quæ' confirmatæ ſunt, veritas. Nam ubi eſt perniciosa dæmoniorum acies? ubi inanes & execrandæ idolorum immolationes? ubi falſi nominis deorum deceptoriæ animarumque corruptrices divinationes? Ubi debacchationes Veneris, & ſacra myſteria Cereris, atque Dianæ hoſpiticidia? Ubi Dionyſii veſanæ feſtivitates cum illicita virorum veſania, & nuncupati Mithræ juſta imbutio? Ubi ſubtus terram & ſupra terram facta & aeria homicidia vocatorum deorum taliter delectantium? Nonne omnia unigeniti filii Dei adventu perierunt, & finem profaniſſimum ſuſceperunt? Nonne pulcre quondam dedicata eorum templa, nunc imperatoriis eliſa juſſis & ad terram proſtrata ſunt? Nonne memoriæ ipſorum ab omnium corde Chriſtianorum diſparuerunt, & illud prophetiæ ipſis rebus factum aſpicitur; videlicet: *Repleta eſt terra cognoſcendi dominum, quaſi aqua multa quæ operit mare?* Adoremus igitur dominum qui apparuit, & ab hoc nos ſæviſſimo liberavit errore. Hymnum dicamus ipſius infinitæ miſericordiæ, prædicemus eccleſiæ noſtræ altiſſimo monti horribilem & ineffabilem diſpenſationis ejus' condeſcenſum. Exaltemus voces in fortitudine, & ne parcamus magnificentiam majeſtatis ejus incomprehenſibilem, ſcilicet affectum quem erga nos exhibuit, enarrantes. Dicamus ad eum & nos cum propheta: *Quis Deus ſicut tu, auferens iniquitates, & occultans peccata reſiduis hereditatis tuæ?* Præterea choros ducamus cum præſenti ſacro commercio, ave illi affati tamquam gaudii bravium tribuentes. Gaude igitur ſacratiſsimum collegium divini ac ſacrati conventus. Gaudete ſanctorum patrum ſanctiſsimi propugnatores. Gaude ſine mendacio congregatio, in cujus medio Deus inambulat, ſicut ſcriptum eſt. Gaude concilium ſpiritali apparitione refertum: ex qua qui illuſtratur, non offendet ad lapidem hæreticæ falſæque locutionis ſpiritales animæ pedes. Gaude ſpeculator divinarum indagationum; quem qui modeſte ſequitur, a minitante romphæa eruitur. Gaude ſemper floride paradiſe, in cujus medio vitæ lignum plantatum eſt, per quadripartitam euangeliorum tabulam præſidens. Gaude aurea ignitaque columna in novum Dei Iſrael, lucidis dogmatum doctrinis ab Ægyptiaca manu, id eſt hæretizantium errore liberans, & ad terram repromiſſionis patrum orthodoxia deducens. Audacter in oſtenſione veritatis & fiducialiter age. Revelata facie gloriam ſacræ & catholicæ eccleſiæ prædica. Supra petram ſtabilis converſationis verſatiles quorumdam mentes doctrinis confirma.

Tuque præcipue o ſanctorum patrum concors & ſacratiſsime præco, atque inſtantis noſtri cœtus exarche, qui ſublimem nobis per Chriſtum thronum adornas, magni & primi paſtoris diligentiſsimum ſpeculum, ſpiritus mundiſsimum habitaculum, rectiſsima orthodoxorum dogmatum ponderatio, politaque in Chriſto converſationis habitæ regulæ nominatiſsima lucerna, & ſeptem candelabrorum luminibus tota fulgidiſſima. Reſplendere fac nobis tamquam ex inviſibili candelabro ſacræ cathedræ evidentiſsimorum verborum perſpicuitates. Diſtribue autem &

Left margin notes: hibent; ...h. 28.; ...r. 11.; ...i '; ...s. 45.; ...terum; ...9.; ...apidis Iolyi mu- que ne- fuit apo- jecti- atur ecus itans.

Right margin notes: ACTIO OCTAVA.; ' conſummatæ; Iſa. 11.; ' conſenſum; Mich. 7.; Pſal. 100.

ACTIO OCTAVA.

& esurientibus vivificum divini magisterii panem, & nutri populum in extranea terra vagum effectum hæretici incolatus. Efficere nobis novus Ioseph frumenti dator, & ambiguitates scripturalium explanans ænigmatum, opimis nos & spiritalibus interpretationibus nutri. Eleva oculos tuos, & vide super te collectos filios tuos, qui luporum congressionibus dispersi sunt. Plenum tibi esse omne sacratissimum hoc divino decreto templum conspicitur. Crebro mentis tuæ saltu bestiarum præoccupa impetus, & hos præveniens sapientia tua exclude. Semper ovili tuo tranquillitatem concilia. Præmium autem hoc frequentibus ac bene sonantibus ad Deum emissis orationibus, ut tibi in multitudinem augeatur secundum repromissiones quæ sunt in Abraham instar astrorum numeri factæ. Gaude vero & tu Nicensium inclyta urbs, inter metropoles opinatissimum nomen, Bithyniensium provinciæ gloriosissimæ primitiæ: quæ prius quidem sanctorum decem & octo trecentorumque deiferorum patrum vestigiis sanctificata es, nunc autem horum successorum æque trecentorum cum quinque decadibus numerum complentium, ac reverendorum monachorum qui pene innumerabilis sunt multitudinis, eisdem ' benedictionibus circumdata es gratiis. In te quippe ' orthodoxiæ fundamentum a quadam satanica subversione concussum ' perecliturum, stabilimentum sine perturbatione percepit. In te feram illam & immitem bestiam, Arium scilicet, divinus ille patrum chorus sacris scripturarum expansis captavit retibus, & terribilibus anathematibus perculit, & hinc Filium Dei & Patris, dominum & consubstantialem gignenti, omnis natura hominum prædicare didicimus. & idcirco præsens sacratissimum compactum hujus numerosi conventus dualitas piorum imperatorum consolidans colligi sanxit, Irene videlicet nova Helena cum filio proprio Constantino novo, quos in te Spiritus gratia, quæ tunc & nunc sanctis illuxit patribus, conservet per largissima tempora, imperturbabile donans eis imperium, hostiumque nationes ante pedes prosternat, quatenus nobis bonorum copia non deficiat. Gaude itaque in his o metropoleon inclyta species; quoniam in te nobis & primo bonorum exordium, & nunc finis exortus est, venerabilium nimirum imaginum catholicæ ecclesiæ prisca traditio in suis terminis restituta. Nunc vero lætatur cælum, & nubes stillant justitiam. Nunc medius paries maceriæ dissolutus est unitione dissensionis concessa, & in unius assensionis conspirationem quaternitas orbis terræ collecta est. Nunc multæ quæ in diversa trahebant, convenerunt opiniones, & consonus hymnus a finibus terræ usque ad fines terræ

' benedictionum ' orthodoxæ fidei ' periclitaturum, forte deest, sed non.

A Deo dirigitur. Gaude igitur tripudians super his & tu catholica ecclesia in toto terrarum orbe diffusa. Duc choros exultans super filiorum tuorum conventu: depone divisionis pannos, & induere integra orthodoxæ tunica unitatis. Iam non poneris opprobriũ inimicis tuis, subsannatio & derisio populis qui in circuitu tuo sunt. Non jam timebis contemptus hominum, Hebræorum scilicet & Agarenorum, qui sine Deo & sacra initiatione consistunt, quasi tibi non fuerit perfectio fidei doctrinis apostolicis tradita. Iam non ab hæreticorum ore criminaberis, quasi recesseris ab uno Deo propter decentissimum honorem erga ipsius amicos exhibitum. Iam non reputaberis B idolorum similis templis propter sacratissimarum in te imaginum erectionem effectam. Decet enim te tamquam regi sæculorum Filio & Verbo Dei nuptam, in carne ipsius dispensationis humanam formam habentem anthropomorphon imaginem per picturam ferre, ut innotescat quod regia sponsa sis. Decet enim Dei genitricis matris Christi qui te desponsavit, imaginẽ tuis sacratissimis parietibus ' factam in pictura & musivorum opere ferre: quatenus gratia quæ tibi per hanc illuxit, tacita prædicatione communiter cunctis populis prædicetur. Nisi enim ex hac incarnaretur, quomodo tam specioso sponso tu spiritali copula jungereris? Decet enim te & omnium sanctorum apostolorum, & propheta-C rum, confessorum, patriarcharum, & sanctorum patrum, * studiosorum " quoque ac martyrum, & totius pii collegii formatas imagines interius in picturarum confectionibus ferre: quatenus ipsa perfectionem orientis qui te ab alto circumfulsit, omni visione ostentes. Aliis quidem tuam quodammodo prænuntiantibus vocationem, & prophetiis suis sponso quasi quibusdam dotibus antea desponsantibus. Aliis vero euangelicum tibi ministrantibus verbum, & per universam terram dispersa rationabilia tibi ovilia colligentibus. Aliis autem suis quasi sudoribus per eamdem in dogmatibus diligentiam incorruptibilitatem gregibus tuis mercantibus. Porro aliis san-D guinibus suis erga te sinceram affectionem etiam usque ad mortem conservantibus, & hoc modo certitudinem in te veritatis demonstrantibus. Quibus cum denis millibus cælestium angelorum coronam ferens, & amplissime prædicans, enuntia virtutes ejus qui de tenebris te idololatrici erroris vocavit in admirabile lumen suum, id est, in se ac Patrem qui sine initio est, atque in consempiternum & consubstantialem Spiritum suum, in unam scilicet quæ est super omnem principatum, naturam, fidem & confessionem. Cui gloria & imperium nunc & in universa sæcula sæculorum. Amen.

ANNO CHRISTI 787

' in pictura facta e[t] musivo[rum] opere

* i. asce[ta]rum, sol[ita]riam vi[tam] degenti[um] " in c. id est co[n]fessorum

PER CVNCTA SANCTISSIMO & beatissimo fratri & comministro, domino Hadriano papæ senioris Romæ, Tarasius misericordia Dei episcopus Constantinopoleos novæ Romæ in domino salutem.

SVFFICERET quidem salutaris dispensatio magni Dei & salvatoris nostri Iesu Christi ad pacem, unanimitatem & concordiam omnibus Christianis. Ipse namque post ex mortuis resurrectionem apostolis suis insufflans ait: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.*

Ioan. 14.

E ΤΩι ΤΑ ΠΑΝΤΑ ΑΓΙΩΤΑΤΩι ΚΑΙ μακαριωτάτῳ ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ, κυρίῳ Ἀδριανῷ πάπᾳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, Ταράσιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης ἐν κυρίῳ χαίρειν.

ΗΡΚΕΙ μὲν ἡ σωτηριώδης οἰκονομία τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πρὸς εἰρήνην, ὁμόνοιάν τε καὶ συμφωνίαν πᾶσι τοῖς Χριστιανοῖς. αὐτὸς γὰρ μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀναβίωσιν τοῖς ἀποστόλοις αὐτοῦ ἐμφυσήσας ἔφη· εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν ἀφίημι ὑμῖν,

τοιαῦ εκαν

NNO RISTI 87.

τεθέικεν διαμαρτυρόμενος πᾶσιν ἡμῖν ὁ ἁρπαγεὶς εἰς τρίτον οὐρανὸν, καὶ εἰς τὸν παράδεισον εἰσελθὼν, καὶ ἀκούσας ἄῤῥητα ῥήματα, Παῦλος ὁ θεῖος ἀπόστολος ἀπεφήνατο εἰπών· Χριστός ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν, ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἓν, καὶ τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ διαλύσας, τὴν ἔχθραν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ. καὶ αὖθις Θεσσαλονικεῦσι γράφων παραγγέλλει· ἄρα οὖν ἀδελφοὶ στήκετε, καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, ἃς ἐδιδάχθητε εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν. ἀλλ' ἐπειδὴ ὁ ἀρχέκακος ἐχθρὸς διάβολος οὐ κατέλιπε κατὰ διαφόρους καιροὺς τὴν ἐποικοδομηθεῖσαν ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν ἐκκλησίαν κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτῷ διασχίζειν τε καὶ διαῤῥηγνύειν, ἑαυτὸν παρεισφέρων διά τινων αὐτῷ ἐπακολουθούντων ἀνδρῶν πονηρῶν, καὶ ζιζάνια ἐπισπείρειν ἐν ταύτῃ τῇ χώρᾳ τῇ γεωργηθείσῃ ὑπὸ τῶν σαλπίγγων τοῦ πνεύματος ἁγίων ἀποστόλων. αὐτοὶ γὰρ δύναμιν ἐξ ὕψους λαβόντες, ταύτην τῇ αὔλακι τῆς ἐνεργείας ἀροτριάσαντες, τροφὴν ζωῆς αἰωνίου κατέλιπον δρέπεσθαι τοῖς δι' αὐτῶν πιστεύσασι. τούτων τὴν θεηγόρον διδασκαλίαν λαβόντες οἱ κατὰ καιροὺς ταύτης ποιμένες καὶ φύλακες ἅγιοι πατέρες ἡμῶν, τὰ μὲν ζιζάνια, ἤτοι αἱρέσεις καὶ καινοτομίας παρεισκεισθείσας καὶ ἐπεισαχθείσας πρόῤῥιζον ἐξέτεμον, καὶ τὸν ἀμητὸν καθαρὸν τῇ ἀρούρᾳ διετήρησαν. ἡ οὖν ὑμετέρα ἀρχιεροπρεπὴς ἀδελφικὴ ἁγιωσύνη τούτοις ὁμιλήσασα διὰ τῶν αὐτῶν θεηγόρων διδασκαλιῶν, καὶ παρ' αὐτῶν λαβοῦσα τὸν τῆς ἀληθείας λόγον, τὰς νυνὶ ἀκανθώδεις βλαστησάσας βοτάνας, τῇ τῶν πιστοτάτων καὶ εἰρηνοποιῶν βασιλέων ἡμῶν συμφωνοῦσα ἀληθείᾳ, ἐκτίλαι τῇ μαχαίρᾳ τοῦ πνεύματος ἔσπευσεν, ἀποστείλασα κατὰ τὴν ἡμῶν γραφεῖσαν αὐτῇ αἴτησιν, πρὸς τὸ γενέσθαι οἰκουμενικὴν σύνοδον, ὁμωνύμους ἄνδρας τῷ πρωτάρχῳ τῶν ἀποστόλων Πέτρῳ. ὧν παραγενομένων, οἵ τε εὐσεβεῖς καὶ γαληνότατοι ἡμῶν βασιλεῖς τούτους εὐμενῶς δεξάμενοι, πρὸς ἡμᾶς ἐκέλευον πέμπεσθαι, δι' αὐτῶν δεξαμένων ἡμῶν τὰ γράμματα ὑμῶν. καὶ ὁμιλήσαντες αὐτοῖς τὰ προσήκοντα, προσεκαλεσάμεθα καὶ τοὺς ἐκ τῆς ἀνατολῆς ἱεροπρεπεῖς ἄνδρας, Ἰωάννην καὶ Θωμᾶν λόγου καὶ γνώσεως μετέχοντας, καὶ εὐλαβείᾳ καὶ σεμνότητι κεκοσμημένους· παρῆσαν γὰρ ἐνταῦθα κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν καὶ αὐτοὶ ἐληλυθότες. καὶ δὴ συναθροισθέντων πάντων τῶν θεοφιλῶν ἐπισκόπων τῆς ἐνταῦθα διοικήσεως κατ' ἐπίνευσιν καὶ θεῖον ζῆλον τῶν πιστοτάτων καὶ εὐσεβῶν βασιλέων ἡμῶν, καθέδρα συνόδου γέγονεν. ἀλλά τινες ἐξ ἀφρένων φρενῶν κινηθέντες, ταραχὴν ἐν ἑαυτοῖς ποιησάμενοι, ἐξανέστησαν ἡμᾶς τῆς καθέδρας· καὶ κωλυθέντες, ἐνιαυτὸν ἕνα ἡσυχῇ διεμείναμεν. τοῦ δὲ χρόνου παρελθόντος, αὖθις οἱ θεοφιλεῖς ἐπίσκοποι συναθροίζεσθαι ἐν τῇ Νικαέων λαμπρᾷ μητροπόλει τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας παρὰ τῶν εὐσεβῶν βασιλέων ἡμῶν ἐκελεύοντο. καὶ δὴ ἡμεῖς συνεκδήμους ἡμῖν λαβόντες τούς τε θεοφιλεῖς ἄνδρας καὶ τοποτηρητὰς ὑμῶν, ὡσαύτως καὶ τοὺς ἐκ τῆς ἀνατολῆς ἐληλυθότας, ἀφικόμεθα ἐν τῇ αὐτῇ μητροπόλει· καὶ † προκαθεσθέντων ἁπάντων ἡμῶν, κεφαλὴν ἐποιησάμεθα Χριστόν. ἔκειτο γὰρ ἐν ἁγίῳ θρόνῳ τὸ ἅγιον εὐαγγέλιον ἐπιφωνοῦν πᾶσιν ἡμῖν τοῖς συνελθοῦσιν ἱερουργοῖς ἀνδράσι· κρίμα δίκαιον κρίνατε· δικάσατε τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ, καὶ τῇ γενομένῃ καινοτομίᾳ. καὶ προκειθέντων

A Cujus rei gratia contestans omnibus nobis ille qui raptus in tertium cælum, & in paradisum ingressus audivit arcana verba, Paulus scilicet divinus apostolus asseruit dicens: *Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum; & medium parietem maceriæ * dissolvens, inimicitiam in carne sua.* Et rursus Thessalonicensibus præcipiens ait: *Itaque fratres state, & tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Sed quoniam inimicus qui ab initio nequam est diabolus, non dimisit per diversa tempora ædificatam supra fundamentum apostolorum & prophetarum ecclesiam, secundum quod sibi visum est, di- B scindere atque disrumpere, semet inferens per quosdam se sequentes viros malos; & zizania superseminare in regione hac, quæ culta est a tubis Spiritus, apostolis scilicet sanctis. Ipsi enim virtute ex alto accepta, & hac divinæ sulcis operationis proscissa, escam æternæ vitæ reliquerunt his qui per ipsos crediderunt, carpendam. Horum deiloquam doctrinam sancti patres nostri, qui hujus pastores & custodes per singula fuere tempora, suscipientes, zizania, id est hæreses & novitates ' addititias atque introductas radicitus exciderunt: & messem mundam arvo conservaverunt. Vestra ergo fraterna & summo pontificio deco- C rata sanctitas cum his per deiloquas suas doctrinas quodammodo sermocinata, & ab eis accepto veritatis verbo, spinosas herbas quæ nunc germinaverunt, fidelissimorum & pacificorum imperatorum veritati concordans, evellere machæra Spiritus festinavit, mittens secundum scriptam sibi petitionem nostram, ad universalem synodum faciendam æquivocos viros principis apostolorum Petri. Quibus advenientibus, pii & tranquillissimi imperatores nostri eos benigne suscipientes, ad nos jubebant mitti, per eos literas vestras nobis suscipien- D tibus. Et locuti cum illis quæ conveniebant, advocavimus & eos qui ab oriente venerant sacerdotio decoratos viros, Ioannem & Thomam, verbi & scientiæ participes, atque reverentia & modestia perornatos: aderant enim hic & ipsi per idem tempus pervenientes. Itaque congregatis omnibus Deo amabilibus episcopis hujus diœceseos, per nutum & divinum zelum fidelissimorum & piorum imperatorum, sessio synodi facta est. Sed quidam ex insensatis sensibus moti, turbationemque intra se facientes, exurgere nos fecerunt e consessu: & prohibiti, anno uno taciti mansimus. At E vero anno transacto, rursus Deo amabiles episcopi congregari in Nicensium clara metropoli Bithyniensium provinciæ a piis imperatoribus nostris jussi sunt. Siquidem & nos comites nobis asciscentes Deo amabiles viros & loci servatores vestros, similiter & eos qui de oriente venerant, perreximus ad eamdem metropolim. Qui cum omnes sedissemus, caput fecimus Christum. Iacebat enim in sancta sede euangelium sanctum, contestans omnibus nobis sacratis viris qui conveneramus: *Iudicium justum judicate*: Iudicate inter sanctam Dei ecclesiam & novitatem quæ facta est. Et cum prælatæ

ACTIO OCTAVA.

2. Cor. 12.
Ephes. 2.
* dissolvit
2. Thess. 2.
Ephes. 2.
' subreptitias
Ioan. 7.

ACTIO OCTAVA.

prælatæ primitus vestræ fraternæ sanctitatis A literæ legerentur, * præstolabantur omnes, spiritalibus eduliis tamquam in regalibus cœnis fruentes, quæ Christus per literas tuas epulantibus præparabat: & sicut oculus totum corpus ad rectitudinis & veritatis semitam ostendebas. Sic ergo dirupta membra in unum conveniebant; sic vera consonantia confirmabatur; sic catholica ecclesia unitatem recipiebat. Cum quibus & earum quæ de orientali diœcesi missæ sunt nobis literæ, lectione facta, integra paternæ traditionis pulcritudo demonstrabatur, ac vis B veritatis roborabatur, propositis videlicet lectioni plurimis testimoniis patrum. His itaque gestis prædicabatur a nobis omnibus, qui beneplacito Dei congregati eramus, recta & irreprehensibilis confessio, quæ nobis missa est a vobis, & per relationem etiam piis imperatoribus nostris. Et omnes hæreticæ illius pravitatis hæresiarchæ, & qui eos secuti sunt, & inconvertibiliter vitam suam finierunt, pari † depositione damnati sunt cum his qui ante * catholicæ hæretici fuerunt ecclesiæ. Qui enim in vita sua * præ- C sentes fuere, salutem suam per scriptos a se libellos confessi sunt. Et nequaquam dimisit Christus Deus noster, petra nimirum in qua stabiliti sumus, desuper contextam per totum tunicam, id est ecclesiam suam, quæ ab ipso & * per ipsum ædificata est, discissam & diruptam; sed nec membra alias atque aliter sese moventia. Quin potius una cum veteribus hæresibus etiam errorem * vanæ pravitatis eorum, qui Christianos accusantes contra venerabiles imagines rabide latrant, verbo gratiæ suæ destruxit, & gladio Spiritus pupugit. Et satisfacti sumus per omnia, & per experimentum cognovimus, quia valet super omnia veritas, & vincit secundum non mentientem dicentis vocem. Resistit autem ei * universorum nullus, & est robustissima, ita ut elevetur contra omnes inimicos; & eorum qui resistunt sibi, legiones dissolvit. Ecce enim, ecce labia quidem falsa loquentium cessaverunt, & caligo procacium vituperationum quievit; illuxit autem veritatis dogmatum speciositas, undique abjecta hæretica infamia. Et ecclesia ornamentum suum sortita est, & accepit requiem ex opprimentibus se doloribus. Immobilis enim est & inexpugnabilis: adversus cujus fidem portæ inferi & infidelitatis prævalere non poterunt, sicut ex dominica voce audivimus. *Et repletum est gau-* E *dio os nostrum, & lingua nostra exultatione:* & facti sumus lætantes in ecclesia, cui præsidemus secundum Dei voluntatem. Hæc itaque facta sunt Christo, qui super omnia Deus noster est, volente, per orthodoxos & fortissimos imperatores nostros. Ipsi enim in omni loco venerabiles imagines erexerunt, tam scilicet in celeberrimis templis, quam in regalibus palatiis suis. Quibus dominus Deus vicissitudinem tribuat, exaltans cornu regni eorum tam ad pacem ecclesiarum suarum, quam ad salutem omnium Christianorum. Et sit nomen ejus benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

* Gr. communi considebamus corona omnes,

† hoc est, religionis officio

* in cathol. eccl. hæreses amplexi sunt.

* adhuc superstites erant, sal.

Joan. 19.

* *Gr.* super necnon in c. Iol.

* Gr. novæ

* Gr. omnino nihil,

Matth. 16.

Psalm. 125

ἀναγνωσθῆναι τὰ τῆς ὑμετέρας ἁγιότητος γράμματα, ἦμεν ἐν κοινῇ χορείᾳ ἅπαντες, τοῖς πνευματικοῖς ἐδέσμασιν ὡς ἐν βασιλικοῖς δείπνοις ἐντρυφῶντες, ἅπερ ὁ Χριστὸς διὰ τῶν σῶν γραμμάτων εὐωχουμένοις εὐτρέπιζε· καὶ ὡς ὀφθαλμὸς τὸ ὅλον σῶμα πρὸς τὴν τῆς εὐθείας καὶ ἀληθείας τρίβον ὑπεδείκνυες. οὕτως οὖν τὰ διεῤῥωγότα μέλη εἰς ἓν συνεβιβάζετο· οὕτως ἡ ἀληθὴς συμφωνία ἐκρατύνετο· οὕτως ἡ καθολικὴ ἐκκλησία τὴν ἕνωσιν ἀπελάμβανε. μεθ' ὧν καὶ τῶν ἐκ τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως ἀποσταλέντων ἡμῖν γραμμάτων ἡ ἀνάγνωσις γεγονυῖα τὸ ἀκραιφνὲς τῆς πατρικῆς παραδόσεως ἐδείκνυε κάλλος, καὶ τῆς ἀληθείας ἡ δύναμις ἐκρατύνετο, προκαταρχόντων δηλονότι τῆς ἀναγνώσεως πατρικῶν χρήσεων πλείστων. τούτων οὕτως γενομένων, ὡμολογεῖτο παρὰ πάντων ἡμῶν τῶν εὐδοκίᾳ Θεοῦ συναθροισθέντων ἡ ὀρθὴ καὶ ἀδιάβλητος ὁμολογία, ἥτις παρ' ὑμῶν ἀπεστάλη ἡμῖν, καὶ δι' ἀναφορᾶς ὑμῶν καὶ τοῖς εὐσεβέσιν ἡμῶν βασιλεῦσι. καὶ πάντες οἱ τῆς αἱρετικῆς ἐκείνης κακίας αἱρεσιάρχαι, καὶ οἱ τούτοις ἀκολουθήσαντες, καὶ ἀδιαστρόφως τὸν βίον ἀποῤῥήξαντες, ὁμοίᾳ ἀφοσιώσει κατεδικάσθησαν τῶν πρὶν αἱρετισάντων ἐν τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ. οἱ γὰρ τῷ βίῳ περιόντες ὡμολόγησαν τὴν σωτηρίαν δι' ἐγγράφων αὐτῶν λιβέλλων. καὶ οὐδαμῶς εἴασε Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, ἡ πέτρα ἐν ᾗ ἐστηριγμένοι ἐσμὲν, τὸν ἄνωθεν ὑφαντὸν δι' ὅλου χιτῶνα, εἴτουν τὴν παρ' αὐτοῦ καὶ ἐπ' αὐτὸν οἰκοδομηθεῖσαν ἐκκλησίαν αὐτοῦ διεσχισμένην καὶ διεῤῥηγμένην, καὶ τὰ μέλη ἄλλοτε ἄλλως κινούμενα. ἀλλὰ ταῖς παλαιαῖς αἱρέσεσι καὶ τὴν πλάνην τῆς καινῆς φαυλότητος τῶν χριστιανοκατηγόρων τε καὶ τῶν σεπτῶν εἰκόνων λυττησάντων, τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ ἀνέτρεψε, καὶ τῇ μαχαίρᾳ τοῦ πνεύματος ἐξεκέντησε. καὶ πεπληροφορήμεθα κατὰ πάντα, καὶ διὰ πείρας αὐτῆς ἔγνωμεν, ὅτι ἰσχύει ὑπὲρ ἅπαντα ἡ ἀλήθεια, καὶ νικᾷ κατὰ τὴν ἀψευδῆ τοῦ εἰπόντος φωνήν· ἀντιτάσσεται δὲ αὐτῇ τὸ σύμπαν οὐδὲν, καὶ ἔστιν εὐσθενεστάτη, ὡς ἐξανίστασθαι παντὸς ἐχθροῦ, καὶ τῶν ἀνθεστηκότων αὐτῇ διαλύει τὰς φάλαγγας. ἰδοὺ γὰρ ἰδοὺ τὰ μὲν τῶν ψευδηγορησάντων ἤργησε χείλη, καὶ πέπαυται τῶν ἐκτόπων δυσφημιῶν ἡ ἀχλύς· ἀνέλαμψε δὲ τῶν τῆς ἀληθείας δογμάτων τὸ κάλλος, πανταχόθεν τῆς αἱρετικῆς δυσφημίας ἐκβεβλημένης· καὶ ἡ ἐκκλησία τὸν ἴδιον ἐκληρώσατο κόσμον, καὶ ἔλαβεν ἀνάπαυσιν ἐκ τῶν συνεχόντων πόνων. ἄσειστος γάρ ἐστι καὶ ἀκαταμάχητος, ἧς πύλαι ᾅδου καὶ ἀπιστίας οὐ κατισχύσαι ποτὲ δυνήσονται, ὡς ἐκ τῆς κυριακῆς φωνῆς ἠκούσαμεν. καὶ ἐπλήσθη χαρᾶς τὸ στόμα ἡμῶν, καὶ ἡ γλῶσσα ἡμῶν ἀγαλλιάσεως· καὶ ἐγενήθημεν εὐφραινόμενοι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ᾗ προκαθεζόμεθα κατὰ Θεοῦ βούλησιν. ταῦτα οὖν γεγόνασι, Χριστοῦ τοῦ ἐπὶ πάντων ἡμῶν Θεοῦ εὐδοκήσαντος, διὰ τῶν ὀρθοδόξων καὶ ἀνδρειοτάτων ἡμῶν βασιλέων. αὐτοὶ γὰρ κατὰ παντὸς τόπου τὰς σεπτὰς εἰκόνας ἀνέστησαν, ἔν τε σεβασμίοις ναοῖς, καὶ ἐν ταῖς αὐλαῖς τῶν βασιλείων αὐτῶν. οἷς κύριος ὁ Θεὸς τὴν ἀντίδοσιν παράσχοι, ὑψῶν τὸ κέρας τῆς βασιλείας αὐτῶν πρός τε εἰρήνην τῶν ἐκκλησιῶν αὐτοῦ, καὶ σωτηρίαν πάντων ἡμῶν τῶν Χριστιανῶν. εἴη τὸ ὄνομα αὐτοῦ εὐλογημένον εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

AN. CHR. 78.

ΤΩι ΤΑ ΠΑΝΤΑ ΑΓΙΩΤΑΤΩι ΚΑΙ μακαριωτάτῳ ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ, κυρίῳ Ἀδριανῷ πάπᾳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, Ταράσιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως ἐν κυρίῳ χαίρειν.

ΠΟΛΥΜΕΡΩΣ καὶ πολυτρόπως, εὐαγγελικῶς, ἀποστολικῶς τε καὶ πατρικῶς διδασκόμεθα ἀφιλάργυρον τρόπον ἔχειν ἐν τῇ τῆς ἱερωσύνης ἁγιστείᾳ, καὶ μὴ χρυσίζεσθαι ἢ ἀργυρίζεσθαι ἢ σφετερίζεσθαι ἐπὶ χειροτονίᾳ παντὸς ἱερατικοῦ ἀνδρός, ὡς ὑποδείξομεν ἐν ταῖς καθυποτεταγμέναις χρήσεσιν ἀπό τε γραφικῶν θεηγοριῶν καὶ πατρικῶν διδασκαλιῶν. οἱ γὰρ ἐπιτιθέντες τὰς χεῖρας, ὑπηρέται τοῦ πνεύματός εἰσιν οὐχὶ πρᾶται τοῦ πνεύματος. δωρεὰν γὰρ λαβόντες τὴν χάριν τοῦ πνεύματος, δωρεὰν δίδοσθαι τοῖς παρ' αὐτῶν μεταλαμβάνουσιν ἀπεφήναντο, ἐκ τῆς κυριακῆς φωνῆς ταύτην τὴν ἐλευθεριότητα εἰληφότες. εἰ δέ τις ἐλεγχθείη χρυσίῳ ταύτην ὠνησάμενος, ἀποκήρυκτον διαγορεύουσι τὸν τοιοῦτον τῆς ἱερατικῆς * τάξεως. εἰ γὰρ καὶ ὀνόματι τὴν ἱερωσύνην κεκλήρωται, ἀλλ' οὖν διαψεύδεται ὁ λόγος ἐπὶ τῷ πράγματι. οὐδεὶς γὰρ Θεῷ δουλεύειν δύναται καὶ μαμμωνᾷ, ὡς εὐαγγελικῶς ἐμάθομεν. καὶ ἐπεὶ ἠκούσαμεν προφητικῶς τοῦ Θεοῦ βοῶντος· ἱερεῖς λαλήσατε εἰς τὴν καρδίαν Ἱερουσαλήμ. αὖθίς τε ἐπαπειλοῦντος καὶ λέγοντος· ὁ σκοπὸς ἐὰν ἴδῃ τὴν ῥομφαίαν ἐρχομένην, καὶ μὴ σημάνῃ τῇ σάλπιγγι, καὶ ὁ λαὸς μὴ φυλάξηται, καὶ ἐλθοῦσα ἡ ῥομφαία λάβῃ ἐξ αὐτῶν ψυχήν, τὸ αἷμα ἐκ τῆς χειρὸς τοῦ σκοποῦ ἐκζητήσω. φόβον τὸν τῆς σιωπῆς κατακρίματος ἀναγγελλόμενοι τοῖς προέδροις πᾶσι τῶν καθ' ἡμᾶς ἐκκλησιῶν, ἵνα μετὰ παῤῥησίας κατὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον εἴπωμεν· καθαροί ἐσμεν ἀπὸ τοῦ αἵματος τῶν παραβαινόντων τὰς κανονικὰς διατάξεις, καὶ πάνυγε μᾶλλον τῶν ἐπὶ χρήμασιν ἢ χειροτονησάντων ἢ χειροτονηθέντων, Πέτρου τοῦ θείου ἀποστόλου, οὗ καὶ τὴν καθέδραν ἐκληρώσατο ἡ ἀδελφικὴ ὑμῶν ἁγιότης, ὡς Σίμωνα τὸν μάγον τούτους καθελόντος. τούτου ἕνεκεν οὐχ ὑποστελλόμεθα τοῦ ἀγγέλλειν τὴν ἀλήθειαν, φυλάττοντες καὶ κρατοῦντες τὰ παρὰ τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων, καὶ τῶν ἀοιδίμων πατέρων ἡμῶν κανονικῶς ἐκδοθέντα· καὶ εἴ τι τούτων παρεβάθη ὑπό τινων, βδελυττόμεθα. ἡ οὖν ἀδελφικὴ ὑμῶν ἀρχιεροπρεπὴς ἁγιωσύνη ἐνθέσμως καὶ κατὰ Θεοῦ βούλησιν πρυτανεύουσα τὴν ἱεραρχικὴν ἁγιστείαν, διαβόητον ἔχει τὴν δόξαν. εἴρηκε γὰρ διὰ τοῦ προφήτου ὁ πρῶτος καὶ μέγας ἀρχιερεὺς Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν· ζῶ ἐγώ, ἀλλ' ἢ τοὺς δοξάζοντάς με δοξάσω. οἶδας γὰρ ἀνὴρ ἐπιθυμιῶν τοῦ πνεύματος, ὅτι φορητοτέρα μᾶλλόν ἐστι Μακεδονίου καὶ τῶν ἀμφ' αὐτὸν πνευματομάχων ἡ δυσσεβὴς αἵρεσις. ἐκείνων γὰρ κτίσμα καὶ δοῦλον τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς τὸ ἅγιον πνεῦμα ληρωδούντων, οὗτοι ἑαυτῶν, ὡς δοκοῦσι, δοῦλον αὐτὸ ποιοῦσι. πᾶς γὰρ δεσπότης ὅ, τι ἂν ἔχοι, εἰ βούλοιτο, πιπράσκει, εἴτε οἰκέτην, εἴτε ἕτερον ὧν κέκτηται· ὡσαύτως καὶ ὁ ἀγοράζων, δεσπότης βουλόμενος εἶναι τοῦ ἠγορασμένου, διὰ τιμῆς ἀργυρίου τοῦτο κτᾶται. οὕτως οἱ ταύτην τὴν ἄθεσμον πρᾶξιν ἐργαζόμενοι, καταβιβάζουσι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἴσα ἁμαρτάνοντες τοῖς βλασφημοῦσιν, ἐν Βεελζεβοὺλ ἐκβάλλειν τὰ δαιμόνια τὸν Χριστόν· ἢ τόγε ἀληθέστερον εἰπεῖν, παρεοίκασιν

PER OMNIA SANCTISSIMO & beatissimo fratri & comministro Hadriano papæ senioris Romæ Tarasius indignus episcopus Constantinopoleos novæ Romæ in domino salutem.

MULTIFARIE multisque modis, euangelice simul & apostolice atque paterne docemur sine avaritia habere mores in sacerdotii sanctificatione, & non aurum, non argentum, aut aliquid aliud usurpare super manus impositione omnis sacrati viri, quemadmodum ostendemus in ordinatis inferius testimoniis, tam ex scripturæ divinæ assertionibus, quam ex paternis magisteriis assumptis. Qui enim manus imponunt, ministri sunt Spiritus, non venditores Spiritus. gratis quippe accipientes gratiam Spiritus, gratis his qui a se percipiunt, dare præcipiuntur, ex dominica voce hanc * libertatem adepti. Si quis autem convictus fuerit pecunia hanc obtinuisse, abjectum fore ab ordine sancto promulgant hujusmodi: & licet nomine sacerdotium sortiatur, sed fallitur sermo * in causa. Nemo enim servire potest Deo & mammonæ, sicut ex euangelio didicimus. Quia vero prophetice audivimus Deo clamante: *Sacerdotes loquimini ad cor Ierusalem*: rursusque comminante atque dicente: *Speculator si viderit gladium venientem, & non insonuerit tuba, & populus se non custodierit; & veniens gladius acceperit ex eis animam, sanguinem de manu speculatoris requiram.* Timorem ex silentio damnationis denuntiamus præsulibus omnibus ecclesiarum quæ apud nos sunt, ut cum fiducia secundum divinum apostolum dicamus: Mundi sumus a sanguine prævaricantium canonicas dispositiones, & multo magis eorum qui per pecunias manus imposuerunt * vel imponunt; Petro divino apostolo, cujus cathedram sortita est fraterna sanctitas vestra, hos tamquam Simonem magum deponente. Hujus ici gratia non subterfugimus, quo minus annuntiemus veritatem, custodientes & tenentes quæ a sanctis & laudatissimis apostolis, & memorabilibus patribus nostris canonice sunt prolata: & hos qui quid horum contempserint, abominamur. Igitur fraterna & summo sacerdotio decorata sanctitas vestra, jure ac secundum Dei voluntatem * pontificalem ordinans pietatem, opinatissimam habet gloriam. Dixit enim per prophetam primus & magnus summus sacerdos Christus Deus noster: *Vivo ego, sed glorificantes me glorificabo.* Nosti enim vir desideriorum Spiritus, quia tolerabilior est Macedonii & eorum qui circa ipsum sunt, Spiritus impugnatorum impia hæresis. Illis enim creaturam & servum Dei ac Patris Spiritum delire fatentibus, isti semetipsius eum, ut autumant, servum efficiunt. Omnis enim dominus quod habuerit, si voluerit, venumdat, sive servum, sive aliud quid eorum quæ possidet. Similiter & qui emit, dominus volens esse ejus quod emerit, per precium pecuniæ illud acquirit. Ita & qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui sancto, æqualiter peccantes his qui blasphemant, dicentes, in Beelzebub ejicere dæmonia Christum. Atque ut verius dicamus,

*Gr. liberalitatem

*in re.

Matth. 6.

Isa. 40.

Ezech. 33.

Act. 20.

*Gr. vel manus impositionem acceperunt.

*Gr. sacrum hierarchicum gubernans ordinem,

1. Reg. 2.

Luc. 11.

ACTIO OCTAVA.

Iudæ comparantur traditori, qui Dei occisoribus Iudæis precio argenti Christum venumdedit. Cum ergo sanctus Spiritus consubstantialis sit Christo Deo nostro, ejusdem omnino & ipsi portionis erunt, ut ostensum est. Si vero non venditur, (perspicuum enim est, quod nullo modo) non est procul dubio in eis gratia Spiritus sancti, id est, sacerdotii sanctitas. Nam quod non acceperunt, non habent. Memores ergo sint sancti Petri, ad eum qui hoc studebat ita dicentis: *Non est tibi pars, neque sors in sermone hoc.* (Act. 8.) Si enim venumdatur sacerdotii dignitas, ergo superflua est apud ipsos vitæ probabilis actio, & in castitate aliisque virtutibus conversatio. Superfluus est secundum ipsos etiam Paulus divinus apostolus docens, oportere *episcopum irreprehensibilem esse, prudentem, ornatum, doctorem, continentem, sobrium, amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* (1. Tim. 3. & Tit. 1.) * Proferuntur igitur hæc omnia de venditore ac emptore ' beneficii. (* Evanescunt 'sacerdotii.) Porro subjecta sanctorum testimonia alienum omnino a sacerdotio pronuntiant eum qui dederit aliquando vel acceperit in aliquo tempore, sive scilicet ante manus impositionem, sive in manus impositione, sive post manus impositionem. Accipere est enim, accipere quandocumque. Sed & omnes promotiones ecclesiasticas auferunt in datione pecuniarum.

A Ἰούδᾳ τῷ προδότῃ, ὃς τοῖς θεοκτόνοις Ἰουδαίοις τιμῆς ἀργυρίου Χριστὸν ἀπεμπολήσατο. ὡς οὖν τὸ ἅγιον πνεῦμα ὁμοούσιόν ἐστι Χριστῷ τῷ Θεῷ ἡμῶν, τῆς αὐτῆς παντί που δῆλον ἔσονται μερίδος, ὡς ἀποδέδεικται. εἰ δὲ οὐ πιπράσκεται· πρόδηλον γὰρ οὐδαμῶς· ἀναμφιλέκτως οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς ἡ χάρις τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἤτουν ἡ τῆς ἱερωσύνης ἁγιστεία· καὶ ὃ οὐκ ἔλαβον, οὐδὲ ἔχουσι. μνησθήτωσαν τοῦ ἁγίου Πέτρου πρὸς τὸν τοῦτο ἐπιτηδεύσαντα οὑτωσὶ λέγοντος· οὐκ ἔστι σοι μερὶς, οὐδὲ κλῆρος ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ. εἰ γὰρ ἀπεμπολεῖται ἡ τῆς ἱερωσύνης ἀξία, ἄρα, περιττὴ παρ' αὐτοῖς ἡ κατὰ τὸν βίον σεμνὴ πολιτεία, καὶ ἡ ἐν ἁγνείᾳ καὶ ἀρεταῖς ἀναστροφή. περιττὸς κατ' αὐτοὺς B καὶ Παῦλος ὁ θεῖος ἀπόστολος διδάσκων, δεῖν τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι, σώφρονα, κόσμιον, διδακτικὸν, ἐγκρατῆ, νηφάλιον, ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ἵνα δυνατὸς ᾖ καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. οἴχεται τοίνυν ταῦτα πάντα ἐκ τοῦ πράτου καὶ ἀγοραστοῦ τῆς ἱερωσύνης. αἱ οὖν ὑποκείμεναι ἁγιόλεκτοι χρήσεις ἀλλότριον πάντῃ τῆς ἱερωσύνης ἀποφαίνονται τόν ποτε δόντα ἢ λαβόντα ἐν οἱῳδήποτε χρόνῳ, εἴτε καὶ πρὸ τῆς χειροτονίας, εἴτε καὶ ἐν τῇ χειροτονίᾳ, ἢ καὶ μετὰ τὴν χειροτονίαν. λαβεῖν γάρ ἐστι, τὸ λαβεῖν ὁτεδήποτε. ἀλλὰ καὶ πάσας ἐκκλησιαστικὰς προβολὰς ἀφαιροῦσιν ἐπὶ τῇ τῶν C χρημάτων δόσει.

Canon sanctorum apostolorum XXIX.

Si quis episcopus aut presbyter, aut diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur & ipse & ordinator ejus, & a communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon magus a me Petro.

Κανὼν τῶν ἁγίων ἀποστόλων κθʹ.

Εἴ τις ἐπίσκοπος διὰ χρημάτων τῆς ἀξίας ταύτης ἐγκρατὴς γένηται, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς καὶ ὁ χειροτονήσας· καὶ ἐκκοπτέσθω παντάπασι καὶ τῆς κοινωνίας, ὡς Σίμων ὁ μάγος ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου.

Cap. 8.

De actibus apostolorum.

Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possidere. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto: cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hac cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.

Ἐκ τῶν πράξεων τῶν ἁγίων ἀποστόλων.

Ἰδὼν δὲ ὁ Σίμων, ὅτι διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν D τῶν ἀποστόλων δίδοται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, προσήνεγκεν αὐτοῖς χρήματα, λέγων. δότε κἀμοὶ τὴν ἐξουσίαν ταύτην, ἵνα ᾧ ἐὰν ἐπιθῶ τὰς χεῖρας, λαμβάνῃ πνεῦμα ἅγιον. Πέτρος δὲ εἶπε πρὸς αὐτόν· τὸ ἀργύριόν σου σὺν σοὶ εἴη εἰς ἀπώλειαν, ὅτι τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ ἐνόμισας διὰ χρημάτων κτᾶσθαι. οὐκ ἔστι σοι μερὶς, οὐδὲ κλῆρος ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ· ἡ γὰρ καρδία σου οὐκ ἔστιν εὐθεῖα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. μετανόησον οὖν ἀπὸ τῆς κακίας σου ταύτης, καὶ δεήθητι τοῦ κυρίου, εἰ ἄρα ἀφεθήσεταί σοι ἡ ἐπίνοια τῆς καρδίας σου. εἰς γὰρ χολὴν πικρίας καὶ σύνδεσμον ἀδικίας ὁρῶ σε ὄντα.

Cap. 13.

Ex libro tertio regnorum.

Non est reversus Ieroboam de via sua pessima; sed e contrario fecit de novissimis populi sacerdotes excelsorum. Quicumque volebat, implebat manum suam & fiebat sacerdos excelsorum. & propter hanc causam peccavit domus Ieroboam, & eversa est, & deleta desuper facie terræ.

Ἐκ τῆς τρίτης τῶν βασιλειῶν.

E Καὶ οὐκ ἐπέστρεψεν Ἱεροβοὰμ ἀπὸ τῆς κακίας αὐτοῦ· καὶ ἐπέστρεψε, καὶ ἐποίησεν ἐκ μέρους τοῦ λαοῦ ἱερεῖς ὑψηλῶν. ὁ βουλόμενος ἐπλήρου τὴν χεῖρα αὐτοῦ, καὶ ἐγίνετο ἱερεὺς εἰς τὰ ὑψηλά. καὶ ἐγένετο τὸ ῥῆμα τοῦτο εἰς ἁμαρτίαν τῷ οἴκῳ Ἱεροβοὰμ, καὶ εἰς ἀφανισμὸν ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς.

Cap. 5.

Ex libro quarto regnorum, de lepra Giezi.

Reversusque Naaman ad virum Dei cum universo comitatu suo, venit & stetit coram eo,

Ἐκ τῆς δʹ. τῶν βασιλειῶν, περὶ τῆς λέπρας Γιεζῆ.

Καὶ ἐπέστρεψε Νεεμὰν πρὸς Ἐλισσαιὲ αὐτὸς καὶ πᾶσα ἡ παρεμβολὴ αὐτοῦ· καὶ ἦλθε, καὶ ἔστη ἐνώπιον αὐτοῦ.

καὶ

NO ISTI 7.

καὶ εἶπεν· ἰδοὺ δὴ ἔγνωκα, ὅτι οὐκ ἔστι Θεὸς ἐν πάσῃ τῇ γῇ, ἀλλ' ἢ ἐν τῷ Ισραήλ. καὶ νῦν λάβε τὴν εὐλογίαν παρὰ τοῦ δούλου σου. καὶ εἶπεν Ελισαιέ· ζῇ κύριος ᾧ παρέστην ἐνώπιον αὐτοῦ, εἰ λήψομαι. καὶ παρεβιάσατο αὐτὸν λαβεῖν, καὶ ἠπείθησε. καὶ μετ' ὀλίγα· καὶ εἶπε Γιεζῆ τὸ παιδάριον Ελισαιέ· ἰδοὺ ἐφείσατο ὁ κύριός μου τοῦ Νεεμὰν τοῦ Σύρου, τοῦ λαβεῖν ἐκ χειρὸς αὐτοῦ ὧν ἐνήνοχε. ζῇ κύριος, εἰ μὴ δραμοῦμαι ὀπίσω αὐτοῦ, καὶ λήψομαι παρ' αὐτοῦ τι. καὶ ἐδίωξε Γιεζῆ ὀπίσω Νεεμάν. καὶ μετὰ βραχέα· καὶ εἶπε Νεεμάν· λάβε δὴ τάλαντον ἀργυρίου. καὶ ἔλαβε δύο τάλαντα ἀργυρίου ἐν δυσὶ θυλακίοις· καὶ δύο ἀλλασσομένας στολάς. καὶ μεθ' ἕτερα· καὶ εἶπε πρὸς αὐτὸν Ελισαιέ· πόθεν Γιεζῆ; καὶ εἶπε Γιεζῆ· οὐ πεπόρευται ὁ δοῦλός σου ἔνθα καὶ ἔνθα. καὶ εἶπε πρὸς αὐτὸν Ελισαιέ· οὐχὶ ἡ καρδία μου ἐπορεύθη μετὰ σοῦ, καὶ οἶδα, ὅτε ἀπέστρεψεν ὁ ἀνὴρ ἀπὸ τοῦ ἅρματος εἰς συνάντησίν σου; καὶ νῦν ἔλαβες τὸ ἀργύριον, καὶ νῦν ἔλαβες καὶ τὰ ἱμάτια· καὶ λήψῃ ἐν αὐτῷ κήπους, καὶ ἐλαιῶνα, καὶ ἀμπελῶνα, καὶ πρόβατα, καὶ βόας, καὶ παῖδας, καὶ παιδίσκας· καὶ ἡ λέπρα Νεεμὰν κολληθήσεται ἐν σοὶ καὶ ἐν τῷ σπέρματί σου εἰς τὸν αἰῶνα. καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ προσώπου αὐτοῦ λελεπρωμένος ὡσεὶ χιών.

A & ait: *Vere scio quod non sit Deus alius in universa terra, nisi tantum in Israel. Obsecro itaque, ut accipias benedictionem a servo tuo. At ille respondit: Vivit dominus, ante quem sto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitus non acquievit.* Et post pauca: *Dixitque Giezi puer viri Dei: Pepercit dominus meus Naaman Syro isti, ut non acciperet ab eo quæ attulit. Vivit dominus, quia curram post eum, & accipiam ab eo aliquid. & secutus est Giezi post tergum Naaman.* Et post pauca: *Et dixit Naaman: Accipe talentum argenti. & coegit eum, ligavitque duo talenta argenti in duobus saccis, & duplicia vestimenta.* Et post alia: *Et dixit Elisæus: Unde venit Giezi? Qui respondit: Non ivit servus tuus quoquam.* B *At ille ait: Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & servos, & ancillas: sed lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo in sempiternum. & egressus est ab eo leprosus quasi nix.*

ACTIO OCTAVA.

4. Reg. 5.

Τοῦ ἁγίου Βασιλείου ἐκ τῆς εἰς τὸν Ἡσαΐαν ἑρμηνείας.

Νόμον ἔδωκεν εἰς βοήθειαν, ἵνα εἴπωσιν, οὐχ ὡς τὸ ῥῆμα τοῦτο, περὶ οὗ οὐκ ἔστι δῶρα δοῦναι περὶ αὐτοῦ. οὗτος δὲ ὁ νόμος οὐκ ἔστιν ὡς τὸ ῥῆμα τοῦτο τοῦ ἐγγαστριμύθου. οὐ γὰρ πρὸς ἀπάτην ἐπινενόηται, ὥσπερ ἐκεῖνα, ἀλλὰ ἀληθείας ἐστὶ διδάσκαλος. κἀκεῖνοι μὲν ἐπ' ἀργυρίῳ μαντεύονται· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ καταγέλαστον, ὅτι ἀργύριον αὐτοῖς τελοῦσι μισθὸν τοῦ ψεύδους οἱ ἀπατώμενοι. τοῦτο δὲ τὸ ῥῆμα, τουτέστι τοῦ νόμου, οὐκ ἔστι τοιοῦτον, ὥστε δῶρα δοῦναι περὶ αὐτοῦ. οὐδεὶς γὰρ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ ἀποδίδοται. δωρεὰν, φησὶν, ἐλάβετε, δωρεὰν δότε. ὁρᾷς πῶς ἠγανάκτησε Πέτρος ἐπὶ τῷ Σίμωνι ἀργύριον ὑπὲρ τῆς τοῦ πνεύματος χάριτος προσκομίσαντι; τὸ ἀργύριόν σου, φησὶ, σὺν σοὶ εἴη εἰς ἀπώλειαν, ὅτι ἐνόμισας τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ διὰ χρημάτων κτᾶσθαι. οὐκ ἔστιν οὖν ὁ τοῦ εὐαγγελίου λόγος ὡς τὰ πωλούμενα ῥήματα τῶν ἐγγαστριμύθων. τί γὰρ ἄν τις δοίη ἄξιον αὐτῶν ἀντάλλαγμα; ἄκουε τοῦ Δαβὶδ ἀποροῦντος καὶ λέγοντος· τί ἀνταποδώσω τῷ κυρίῳ περὶ πάντων ὧν ἀνταπέδωκέ μοι; οὐκ ἔστιν οὖν δῶρα δοῦναι περὶ τούτου ἀντάξια τῆς ἀπ' αὐτοῦ χάριτος. ἓν δῶρον ἄξιον, ἡ φυλακὴ τοῦ δωρηθέντος. ὁ δούς σοι τὸν θησαυρὸν, οὐχὶ τιμὴν ἀπαιτεῖ τοῦ δοθέντος, ἀλλὰ φυλακὴν ἀξίαν τοῦ δεδομένου.

Ex sancti Basilii episcopi interpretatione in Isaiam.

In cap. 8. post medium.

C Legem dedit in adjutorium, ut dicant; non sicut hoc de quo non licet dare munera. Hæc vero lex non est sicut verbum hoc quod est in ventriloquo: non enim ad deceptionem excogitata est, sicut illa, sed magistra est veritatis. & illi quidem * in argento divinant. Hoc enim est quod deridetur, quia & argentum eis tribuunt mercedem fallaciæ hi qui decipiuntur. Hoc autem verbum, id est legis, non est tale, ut munera dent pro eo. Nemo enim gratiam Dei venundat. *Gratis*, inquit, *accepistis, gratis date.* Vides, qualiter indignatus Petrus sit contra Simonem, pecuniam pro Spiritus sancti gratia offerentem? D *Pecunia tua*, inquit, *tecum sit in perditionem; quia existimasti donum Dei per pecuniam possidere.* Non est ergo euangelii sermo, sicut verba quæ venduntur a ventriloquis. Quid enim dabit quisquam dignum pro eis in commutationem? Audi David hæsitantem atque dicentem: *Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Non possunt ergo munera dari de hoc condigna gratiæ, quæ ab ipso est. Unum est donum dignum, custodia videlicet ejus quod donatum est. Quid dedit tibi thesaurum, non precium repetit dati, sed custodiam dignam ejus quod datum est.

* pro argento.

Matth. 10.

Act. 8.

Psal. 115.

Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῆς ἐπιστολῆς τῆς πρὸς τοὺς ὑφ' ἑαυτὸν ἐπισκόπους, ὥστε μὴ χειροτονεῖν ἐπὶ χρήμασιν.

Νομίζουσι μὴ ἁμαρτάνειν, τῷ μὴ ἅμα προσλαμβάνειν, ἀλλὰ μετὰ τὴν χειροτονίαν λαμβάνειν. λαβεῖν δέ ἐστιν ὁ τεδήποτε τὸ λαβεῖν. παρακαλῶ οὖν, ταύτην τὴν πρόσοδον, μᾶλλον δὲ τὴν προσαγωγὴν τὴν ἐπὶ γέενναν ἀπόθεσθε, καὶ μὴ τὰς χεῖρας μολύνοντες τοιούτοις λήμμασιν, ἑαυτοὺς ἀναξίους ποιήσητε τοῦ ἐπιτελεῖν ἅγια μυστήρια.

E *Ejusdem ex epistola ad episcopos destinata qui sub ipso erant, ut non manus imponerent per pecunias.*

Existimant se non peccare, quia non pariter cum manus impositione munus accipiunt. Accipere autem est, quandocumque accipiatur. Rogo ergo, ut hanc oblationem, imo vero * terrenum commodum deponatis, & ne manus talibus contaminantes acceptionibus, vosmetipsos indignos faciatis celebrandi sancta mysteria.

* inductionem in gehennam

ACTIO OCTAVA.

A *De vita S. Ioannis aurei oris.*

Hæc de auctoritate convocati concilii. Qua occasione hæc sacrosancta synodus indicta fuerit, narratur act. 1. in epistola Constantini & Irenæ ad concilium scripta in apologia Tarasii, quæ extat apud Theophanem & Anastasium in translatione concilii VII. nimirum, quod cum Paulus patriarcha Constantinopolitanus ob simulatam fidem & juramento confirmatam perfidiam iconoclastiæ, B pœnitentiam acturus thronum reliquisset, vitamque monasticam suscepisset, dixerit: *Nisi synodus universalis fiat, & error qui est in medio vestri corrigatur, salutem non habebitis:* eoque dicto designatum successorem Tarasium adeo commoverit, ut non nisi sub promissione œcumenici concilii celebrandi oblatum munus episcopale acceptare voluerit.

Actorum synodaliũ triplex editio & translatio.

Actorum synodalium e Græco in Latinum triplex extat editio. Prima quidem e verbo ad verbum adeo inconcinna atque inepta, ut nec eam librarii exscribere dignarentur. Quæ dum plane contemneretur, Anastasius bibliothecarius opportunus interpres occurrit, atque eam secunda editione in Latinum vertit, sensa sensibus quam diligentissime reddens, eamque inter alia e Græco in Latinum translata concilia œcumenica in sanctæ Romanæ ecclesiæ archivo recondidit. Postremo is qui Anastasii versionem ignoravit, exosus primam, elaboravit aliam, quæ cum aliis conciliis in his conciliorum tomis cusa, communique usui exposita habetur. *Cui quantum præstet quæ Anastasii est*, inquit Baronius, *intuebitur lector, si legat, simulque conferat, cum plura apud Anastasium inveniet, quæ in edita desiderantur, & ea quidem haud parvi momenti; prout noster Petrus Morinus, qui contulit, diligentissime annotavit.* Nunc demum juxta votum illa quæ Romæ jam multis annis expectata fuit, lucem aspexit, atque huic editioni conciliorum inserta est, de qua collector Romanæ editionis in frontispicio ista prænotavit: *Septima synodus cum tribus Græcis codicibus manuscriptis collata, duobus bibliothecæ Vaticanæ, tertio Antonii Augustini archiepiscopi Tarraconensis: Latina versio Anastasii nunc primum editur ex vetustissimis codicibus Vaticanis.* Et quæ in Græco textu habentur, & in hac versione desiderantur, vel aliter legisse videtur Anastasius, quam nunc in codicibus Græcis habeatur, in margine indicavimus.

Locus concilii quis.

b *Nicænum.*] Ut Constantinopoli conveniretur, constitutum fuerat, & reipsa observatum. Sed cum ibidem in ecclesia sanctorum apostolorum anno 7. Constantini imperatoris concilii initium fecissent, milites prætoriani qui Iconoclastarum hæresim medullitus imbiberant, sacrosanctam congregationem manu militari plane exturbarunt. D Quo facto imperatores admodum perturbati dimiserunt episcopos ibidem congregatos, quoadusque urbem & exercitum turbulentis istis hominibus, quos Copronymus invexerat, expurgassent, atque ab omni ulteriore metu seditionis liberassent. Quare prudenter miroque successu peracta, *iterum mense Maio anni sequentis*, inquit Theophanes, *mittens per omnem locum congregavit omnes episcopos, qui convenirent in Nicensium civitatem ad celebrandum illic concilium. & per totum tempus æstivum congregati sunt omnes apud Nicæam: siquidem eos qui ex Romanæ sedis & orientalium patriarcharum persona venere, omnino non dimiserat, sed retentos secum habebat.* Ita sacrosancta synodus œcumenica Constantinopoli turbata, Nicææ fuit habita in basilica primaria ejus civitatis, titulo sanctæ Sophiæ nuncupata.

Oecumenicum concilium fuisse probatur.

c *Oecumenicum.*] Id œcumenicum concilium fuisse non E potest negari, cum legati sedis apostolicæ primo loco sedentes, & ante alios primum loquentes, concilio præsederint, aliique aliarum sedium patriarchalium ecclesiarum in oriente legati interfuerint. Unde magna cum injuria sacratissimi concilii Theodorus Studita in epistola 38. ad Arsenium, (quam ob argumentum impium non immerito velut commentum rejeceris) localem hanc synodum appellat.

A quibus pontificibus approbatum fuerit.

d *Approbatum*] Auctoritate Leonis hanc synodum confirmatam esse testatur Ivo 4. p. c. 157. contra calumniam auctorum illius libelli, quem sub nomine Caroli Magni an. 1549. suppresso nomine typographi & loci, dolosus impostor Eli-Phili evulgavit. Hanc sacrosanctam synodum defendit Hadrianus papa in epistola ad Carolum magnum scripta. Quis neget, eumdem apostolica auctoritate synodum sacratissimam velut oraculum Spiritus sancti recepisse & approbasse? Illi qui sub Ludovico Pio interfuerunt conciliabulo Parisiensi aperte profitentur, Nicænam hanc synodum ab Hadriano papa comprobatam fuisse; sed paulo post eumdem Hadrianum reprobasse eamdem, quasi ipsa imagines veluti Deum venerandas esse sanxisset. Illud prius nostræ sententiæ suffragatur, ideoque non inviti amplectimur. Posterius vero, quod de recantata palinodia Hadriani papæ subjungunt, doctissime refellit reverendissimus & illustrissimus cardinalis Baronius, & velut commentum & malitiosam calumniam rejicit. Fueritne hæc sacrosancta Nicæna synodus a patribus concilii Francofordiensis condemnata, inter viros hujus sæculi doctissimos gravis est controversia. Alii negant, alii affirmant. Singuli suas habent rationes, quas infra pluribus attingam. Reverendissimus cardinalis Baronius eam sententiam veriorem esse judicat, qua asseritur, quod patres concilii, mendaciis & imposturis auctorum libri Carolini decepti, Nicænam synodum, quasi ipsa imagines cultu latriæ soli Deo debito colendas esse sanxisset, suo decreto reprobarint & condemnarint: quodque non tantum legati sedis apostolicæ, verum etiam ipse Hadrianus papa, postquam libellum a pluribus auctoribus contra Nicænam synodum & cultum imaginum conscriptum a Carolo imperatore ad se missum accepisset, concilium œcumenicum propugnaverit, actaque Francofordiensis concilii illa, quæ contra Nicænam synodum gesta erant, cassa atque plane irrita reddiderit. Hanc esse communem historicorum & antiquissimorum scriptorum sententiam, probat iis testimoniis, quæ infra in notis concilii Francofordiensis allegabo. Theodorus Studita, aliive Græci impostores hanc sacratissimam synodum calumniantur, quod lapsos pœnitentes episcopos citra dispendium dignitatis receperit, idque non sine sacratissimi concilii injuria, ut patebit infra in notis act. 1. & 2.

e *Trecentorum quinquaginta episcoporum.*] Ita Psellus, quem communis sententia scriptorum fere omnium sequitur. Photius autem trecentos septuaginta septem numerat. In menologio Basilii imperatoris trecenti sexaginta septem episcopi interfuisse scribuntur. Pontifex C Hadrianus & patriarchæ orientales per suos legatos præsto fuerunt. Ex reliquis plurimi confessionis gloria celeberrimi extiterunt, e quorum numero sunt Plato & Theophanes monachi; item Euthymius Sardicensis episcopus: qui tempore Constantini Copronymi vincula & exilia, sediumque privationem passi fuerant. Consessus episcoporum & ordo rerum in hac synodo idem fuit, qui in œcumenicis conciliis supra descriptus habetur.

f *Quo hæresis Iconoclastarum condemnata est*] Septem actionibus; quarum prima habita fuit octavo Kalendas Octobris, indictione undecima, mense eodem tunc inchoata. Exordio illius ad rogationem episcoporum Siciliæ, Tarasius causam cogendæ synodi prælocutus, singulos admonuit, ut adversus exortam hæresim strenue agerent. Ex suggestione Constantini episcopi Constantiæ Cypri deinceps jussi sunt adesse episcopi de hæresi Iconoclastarum accusati. Quibus præsentibus, jussu synodi lectæ sunt literæ imperatorum, quibus significabant, quod exemplo Pauli Constantinopolitani patriarchæ se episcopatu abdicantis, errorem detestantis, atque ad œcumenicum concilium celebrandum adhortantis, animo perculsi, constituissent fidem catholicam exulantem revocare, quodque tantæ molis structuram a creatione Tarasii catholici episcopi inchoassent. Porro inter alia exhortationis verba ad synodum habita, hæc quæ obscure absque germano sensu leguntur in vulgata editione, apud Anastasium ita redduntur. *Igitur quoniam a toto terrarum orbe collegit vos Deus consilium suum statuere volens; ecce propositis sanctis evangeliis, & intelligibiliter clamantibus: Iuste judicate: state stabiles pietatis propugnatores, & omnem novitatem vocum, & noviter apparentem seditionem recidere procurate, quemadmodum & Petrus primus princeps collegii apostolici, qui servilis deceptionis amentia percussa, Iudaicæ auditionis sensum gladio abstulit: extendite securim spiritus, & omnem arborem germinantem fructum contentionis & introductæ novitatis, aut magistralibus vocibus transplantate, aut canonicis increpationibus concidite, & in ignem futuræ gehennæ transmittite*, &c. His præmissis, eas quas ab Hadriano pontifice de congreganda synodo literas acceperat, produxit, easque legi procuravit; sicut etiam quaterniones illos, quos tres orientales patriarchæ per suos legatos ad synodum destinaverant. Quibus perlectis, sancta synodus imperatoribus de fide catholica optime merentibus bene precata, conversa est ad cognitionem lapsorum episcoporum, Basilii Ancyrani, Theodosii Myrensis, atque Theodosii Amorii. Qui omnes ante sacrum concilii consessum stantes, suamque hæresim abjurantes, in ecclesiam recipi, & veniam petiverunt, eamque non gravate impetrarunt, quando alii post alios fidei catholicæ professionem edidissent, atque Iconoclastarum hæresi anathema dixissent. Post hos ad synodalem consessum receptos, producti sunt alii episcopi pariter

lapsi

lapsi, hi: Hypatius episcopus Nicænus, Leo Rhodiensis, Gregorius Pisidiæ, Gregorius Pessinuntis, Leo Iconii, Nicolaus Hierapolis, Leo Carpathi. cumque horum fides non adeo explorata esset, prolixior de iis cognitio adhibita fuit. Tarasius Constantinopolitanus patriarcha dum Leonis Rhodiensis fidem explorat, audissetque illum multo tempore in eadem hæresi permansisse, illam auream memoratu dignam dixit sententiam: *Diuturniores passiones difficiliores sunt ad curandum: sic & anima quæ in obscuro est hæreseos, lumen orthodoxiæ difficile recognoscit.* Quomodo autem prædicti lapsi episcopi, & qui ab ipsis fuerant ordinati, in ecclesiam recipiendi essent, ex sacris antiquis canonibus, sanctorumque patrum assertionibus ex codicibus e patriarchio in synodum allatis, facta est prolixior disquisitio. Tarasius inter disserendum interlocutus ostendit, ejusmodi hæresim jam diu ante ab improbis hæreticis Marcionistis, Manichæis, Petro Fullone, Xenaia Hierapolitano, atque Severo plantatam, adeoque potius hoc tempore renovatam, quam adinventam esse. Cumque ad hosce recipiendos quidam episcopi orthodoxi se difficiliores præberent, quidam episcopus Iuvenalis nomine, commiseratione permotus, ex sua sede surgens, eamdem cum lapsis excepturus sententiam, se illis immiscuit; idque ut facilius veniam quam petebant, consequerentur. Quod cum eadem intentione etiam Illyrici episcopi fecissent, receptionem eorum in sequentem* annum placuit differre.

Secunda actio celebrata est VI. Kalendas Octobris, in qua Tarasius diligenter examinavit, num Gregorius Neocæsariensis episcopus lapsus vere an ficte pœniteret, & ecclesiæ catholicæ restitui cuperet. Sed cum ille ex intimis præcordiis vere pœnitentis signa edidisset, mandatum est illi, ut libellum supplicem, quo se vere catholicum esse profiteretur, ipse conscriberet, & sequenti actione synodo offerret. Post hæc lectæ sunt literæ, quas Hadrianus papa ad imperatorem & Tarasium Constantinopolitanum episcopum, de primatu Romanæ ecclesiæ, de sacrarum imaginum cultu, aliisve fidei articulis conscripsit. His absolutis legati sedis apostolicæ interloquentes rogarunt, quid Tarasius, quidve universa synodus de iisdem sentiret. Respondet Tarasius: *Confirmamus atque permanebimus in significatione literarum quæ lectæ sunt, imaginales descriptiones*, id est, quæ ad sacras imagines pertinent, *suscipientes, secundum antiquam patrum nostrorum traditionem*, &c. Cumque ad eorumdem legatorum sedis apostolicæ interpellationem, sancta synodus de iisdem literis respondisset: *Sequimur & suscipimus, & admittimus*: legati patriarcharum orientalium magnis præconiis easdem Hadriani epistolas, fidemque Tarasii extulerunt, ac deinceps cum reliquis episcopis & archimandritis omnibus easdem sua subscriptione confirmarunt.

Tertia actio secundum accuratiorem Anastasii versionem celebrata habetur III. Kalendas Octobris. Vnde quod in vulgata editione hac nostra mendose legitur, eam VI. Kalendas Octobris habitam fuisse, corrigendum est. nam ex supradictis constat, quod secunda actio VI. Kalendas Octobris celebrata fuerit. In hac propositaest in primis causa Gregorii Neocæsariensis episcopi, quem cum nonnulli ad ecclesiam, non autem ad episcopatum pristinum recipiendum esse dixissent, ideo quod Iconoclastarum antesignanus fuisset, atque orthodoxos tempore persecutionis in oriente graviter vexasset, decretum est tandem auctoritate legatorum sedis apostolicæ, ut una cum collegis in sedem suam recipiatur: maxime quia objectum illi persecutionis crimen probari non posset. Post hæc jussu concilii recitatæ fuerunt epistolæ, quas Tarasius dederat ad patriarchas orientales, quasve eorumdem patriarcharum nomine monachi Palæstinæ Tarasio reddiderant. Quibus approbatis, legati sedis apostolicæ nomine trecentorum decem & octo patrum, qui ante in eadem civitate Nicænum primum concilium collegerant, aliter sentientibus anathema dixerunt: cumque eamdem sententiam sacrosancta synodus plane approbasset, suaque subscriptione corroborasset, faustis acclamationibus imperatoribus oblatis, finis huic actioni impositus fuit.

Quarta actione, quæ juxta translationem Anastasii ipsis Kalendis Octobris celebrata est, omnium sententia jussa sunt afferri sacra volumina, ex quibus de cultu sacrarum imaginum testimonia recitarentur. Primumque ex divina scriptura tam veteris quam novi testamenti, inde ex sanctorum patrum sacris voluminibus decerptæ sententiæ. Addita est lectio historiæ de imagine illa domini nostri Iesu Christi, quam Iudæi circa tempora Constantini & Irenæ Beryti in Syria iterum crucifixerunt, clavis perforarunt, & post turpes irrisiones, contumelias & conspurcationes lancea transfoderunt. De qua memorabile illud continet eadem historia; quod cum latus imaginis lancea perforassent, sanguis & aqua copiose profluxerint: ex quo illi quidem in admirationem versi, nec tamen conversi, novum experimentum tentant, si homines male affecti & morbosi eo sanguine aspersi sanarentur. Quod cum revera præstitum esset, Deo corda eorum attingente, omnes abnegata perfidia in Christum crediderunt, & baptismum susceperunt. Recitatam historiam patres concilii audientes, lacrymis sunt perfusi, non aliter, quam si crucifixionem salvatoris ex uno euangelistarum acceptam recitari audivissent. His locis & auctoritatibus variis de sacrarum imaginum veneratione allatis & recitatis, subjuncta est lectio epistolarum Gregorii papæ II. & Germani Constantinopolitani episcopi. Ad postremum sacra synodus se antiquis traditionibus & patrum sententiis inhærere professa, anathematismos superioribus similes promulgavit, omniumque episcoporum subscriptione firmavit. Hæc actio in editione vulgata, ut supra in margine notavi, non uno in loco mendosa esse reperitur, & in historia imaginis crucifixæ Beryti, quædam apocrypha de imagine Christi a Nicodemo facta admixta habet: a quibus expurgabitur facile, si cum Anastasii versione conferatur. Quæ de canonibus sextæ synodi hac actione dicuntur, non a synodo, sed Tarasio Græco dicuntur: ideoque intelligenda sunt & explicanda, prout supra in notis sextæ synodi verbo *concilium*; & item pseudosexti concilii, verbo *canones* 102. explicata fuerunt.

Quinta actio collecta est quarto nonas Octobris, in qua Tarasius ostendit, Iconoclastas Iudæorum, Sarracenorum, Gentilium, Samaritanorum & Manichæorum sectarios esse: refutatisque eorum argumentis, quæ pro confirmatione suæ hæreseos attulerant, alia plura testimonia ad comprobandum sacrarum imaginum cultum recitari mandavit. Post hæc evidenter demonstravit, quod Anastasius, Constantinus & Victor patriarchæ hæretici tempore vigentis persecutionis sacros codices, in quibus de venerando cultu sacrarum imaginum mentio aliqua inveniebatur, corruperint, aboleverint & incenderint. Denique his peractis, sententia & decreto legatorum sedis apostolicæ iterati sunt adversus Iconoclastas anathematismi, finisque quintæ actioni impositus fuit. Notandum, quod hac actione Ioannes Thessalonicensis ait, angelos & animas esse corporeas, idemque cum Basilio & Athanasio universam ecclesiam sentire, falsum est, & ab ecclesia nequaquam receptum. Quod autem ex professo & instituto synodi allegabat, angelos & animas pingi posse, judicio ecclesiæ probatum est. Rationem quam ille ibidem intulit, synodus non curavit, utpote quod de retinendo usu imaginum dumtaxat in ea ageretur.

Sexta actione, quæ non pridie, (ut habet vulgata editio) sed tertio nonas Octobris, teste Anastasio, celebrata fuit, definitio fidei, quam in pseudoseptima synodo Constantinopolitana sub Copronymo habita Iconoclastæ ediderunt, sub nomine Gregorii Neocæsariensis episcopi recitata fuit: Ioannes & Epiphanius viri orthodoxi eamdem doctissime refutarunt. Vnde quod Gregorius imaginem Christi eucharistiam nominat, Iconoclastis nostri temporis parum patrocinatur. Nam quod ille hac actione dixisse fertur, sub nomine Iconoclastarum proposuit, & ab orthodoxis verbum imaginis in eucharistia plane detestantibus est refutatum.

Cumque ita superioribus actionibus perfidia Iconoclastarum jam satis refutata & condemnata fuisset, septimam & ultimam actionem tertio Idus Octobris celebrantes, ediderunt catholicæ fidei definitionem, in concilio Florentino sessione quinta recitatam & approbatam, in qua ne cum Iconoclastis in aliquo dogmate communicarent, professi sunt, Spiritum sanctum, quod illi negabant, a Patre Filioque procedere; atque imagines deiparæ virginis, aliorumque sanctorum, non minus quam sanctæ crucis retinendas & colendas, non tamen cultu latriæ propter se atque ex sua natura adorandas esse. Hanc limitationem addendam esse putavi in gratiam scholasticorum quorumdam theologorum, qui docent Christi redemptoris, atque sanctissimæ crucis imaginem latriæ cultu respectivo adorari posse. Quå in re a definitione concilii non reipsa, sed verbis tantum & modo loquendi discrepare videntur.

His itaque in synodo definitis X. Kalendas Novembris, actione (secundum novam editionem) octava editum fidei decretum universa synodus acclamando, & contrarium sentientes anathematismis execrando, approbavit, suaque subscriptione firmiter corroboravit. Post hæc viginti duos canones ad ecclesiasticam disciplinam pertinentes ediderunt: atque tandem tres synodales epistolas, unam ad imperatores, alteram encyclicam ad omnes ecclesias, tertiam ad Hadrianum papam perscripserunt, & sacratissimæ synodo XII. Octobris, quæ anniversaria memoria apud Græcos recolitur, finem imposuerunt. De his quæ absolutam sanctam synodum sunt consecuta, Ignatius in Tarasio apud Surium XXV. Februarii ista scribit: *Tandem cum Tarasius & pius qui cum eo collectus*

Anno Christi 787.

Editio vulgata mendis referta.

Actionis 5. compendiosa relatio.

An angeli & animæ definitione hujus concilii sint corporeæ.

Actio 6. describitur & emendatur.

Actionis 7. res gestæ.

Canon. 22.

ANNO CHRISTI 787. *collectus cœtus patrum venerandum literarum decretum tutis monumentis mandassent, & ut id salvum & integrum maneret, precati essent, ut & patres qui primam adversus furiosum Arium victoriam erant consecuti, adjutores haberent, & eorum quæ decreta fuerant, custodem Deum invocassent; & vanæ inanisque hujus sententiæ auctores, & omnis hæresis inventores ab atrio ecclesiastico per anathema separassent: in urbem regiam delata sunt ab istis orthodoxa dogmata. Quos summa benevolentia exceperunt imperatores.* Patres veniunt Constantinopolim. *Erecta itaque cathedra ipsorum imperatorum, & totius a Deo electæ synodi jam dictæ Magnauræ insigni æde, & novo decreto recitato, cum aures imperatorias divinus implesset Spiritus (audiebant enim eos in unum convenisse concentum auxilio ejus qui omnia continet, & in unam consensisse sententiam) iidem admirati sunt accurationem; & esse doctrinam divinæ inspirationis quæ ab eis decreta fuerant, sapienter judicantes, penna & manu imperatoria ea optime comprobant & confirmant: & non vilibus donis synodum prosecuti, unumquemque mittunt in suam civitatem, & ad* B *greges rationis participes.* Qualiter cum lapsis se gessit Tarasius. *Tarasius autem & apostolicarum sedium mystæ eximii, cum ad sacrosanctæ ecclesiæ venissent præfecturas, & divinis doctrinis populum instruxissent ac roborassent: iis qui in clerum cooptati fuerant, aut episcopatum tenebant; nullum ante synodum, aut in synodo, aut post synodum crimen intendunt de priori mala opinione, neque eos qui ordinati fuerant ab hæreticis, a pascuis segregant ecclesiasticis; sed synodalem & paternam sequentes dispensationem, eos quidem qui ad piam transfugerant sententiam, manibus suis complexi sunt tamquam fratres & collegas in munere pontificatus: eos vero qui in re aliqua claudicaverant, & in his quæ ad fidem pertinent perversis aspexerant oculis, & deinde a lapsu resipuerant, & libellis comprehendendam abrogarant opinionem, iisdem amplectentes visceribus, collocabant in suis sedibus, & in pacifico statu & tranquillitate, nullis agitatam fluctibus conservaverunt ecclesiam orbis terræ. Et in iis quidem quæ ad gloriosam fidem pertinent, sic magnus Tarasius affectus, ad eam recte & aperte* C *explicandam, & ad eos qui vacillabant & utrisque pedibus claudicabant, ut recto pede incederent, persuadendos, magnum suscepit certamen & immensum laborem; quotidie quidem eos qui recedebant, honestis monitis inducens: & si quos videbat corde perversos, eos dirigebat verborum congressionibus, eosque legibus colligans veritatis, adducebat ecclesiæ sacras hostias*, &c.

Quo tempore habita synodus. g *Tempore Hadriani papæ I.*] Anno septimo imperatorum inchoatam, & seditione Constantinopolitani præsidii turbatam fuisse hanc synodum, supra ex Theophane recensui. Sed cum per imperatorem metus militum prudenter sublatus esset, contigit anno octavo Constantini & Irenes, mense Septembri, initio indictionis undecimæ hanc synodum vicissim congregari; & in nomine domini Iesu Christi, ut videre est initio actorum synodalium actione I. iterum inchoari. Cum itaque secundum veriorem computationem Baronianam cum prædictæ indictionis undecimæ initio, atque cum octavo anno imperii D Constantini & Irenæ, annus Christi redemptoris nostri 787. concurrat, recte hunc annum Chisti actis synodalibus præfixi; quibus Paulus diaconus 781. Cedrenus 786. Onuphrius 789. male annotarunt. Psellus annos tantum sexaginta inter sextam & septimam synodum esse voluit: quod cum nullo modo defendi posset, quidam, teste Bellarmino de conc. lib. I. cap. 5. mendum librariorum in Psellum irrepsisse, ipsumque centum annos scripsisse suspicantur.

SYN. CONSTANTINOPOLITANA
CONSTANTINI ET EIRENES.

Ex libello synodico.

ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ τοίνυν τὴν βασιλείαν, Λέων ὁ υἱὸς αὐτοῦ ὁ ἐκ Χάζαρος E διεδέξατο· καὶ τὴν βασιλείαν Λέοντος, Κωνσταντῖνος ὁ υἱὸς αὐτοῦ μετ' Εἰρήνης τῆς οἰκείας μητρὸς ἐκληρώσατο· οἳ θείαν καὶ ἱερὰν ἐν τῷ ναῷ τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων σύνοδον ποιησάμενοι, μέχρις ὥρας τετάρτης καθίσαντες, ἀναθεματίσαι εἰκονομάχους κατέσπευδον. ὅπερ γενέσθαι οὐ συνεχώρησαν σχολάριοι.

CONSTANTINO vero in imperio filius Leo Chazarenus successit; ejusque imperium A Constantinus iterum filius cum matre Eirene sortitus est: qui divinam & sanctam in templo sanctorum & celeberrimorum apostolorum synodum instituentes, usque ad quartam horam considentes, anathemate notare imaginum oppugnatores festinarunt: quod tamen ut fieret, scholarii non permiserunt.

SYN. VII. OECVMENICA NICÆÆ.
BITHYNORVM.

Ex eodem libello synodico a Ioanne Pappo primum, tum ab Henrico Iustello edito.

B ΟΙ γοῦν φιλόχριστοι βασιλεῖς καὶ θειότατοι, ἐξορίᾳ τοὺς σχολαρίους παιδεύσαντες, ἁγίαν οἰκουμενικὴν ἑβδόμην συγκροτηθῆναι σύνοδον ἐν Νικαίᾳ τῶν Βιθυνῶν ἐπαρχίας ἐθέσπισαν· ἧς ἐξῆρχον προκαθεζόμενοι, Κωνσταντινουπόλεως ὁ ἐν ἁγίοις Ταράσιος, τὸν Κύπριον Παῦλον διαδεξάμενος· Πέτρος καὶ Πέτρος πρεσβύτεροι, Ἀδριανοῦ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ῥώμης τὸν τόπον ἐπέχοντες, Ἰωάννης καὶ Θωμᾶς μοναχοὶ καὶ πρεσβύτεροι, τοποτηρηταὶ πατριαρχῶν Ἀλεξανδρείας, Ἀντιοχείας, Ἱεροσολύμων, τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως· Η τις ἁγία σύνοδος τοὺς κατὰ τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας λυττήσαντας ἀναθέματι καθυπέβαλε· καὶ ὅρον ἐκθεμένη ὀρθόδοξον, τὰς C εἰκόνας τὰς ἱερὰς πρὸς τὴν ἀνέκαθεν δόξαν αὐτῶν ἀνεβίβασεν.

CHRISTI igitur amantes & divinissimi imperatores, exilio scholarios castigantes: sanctam œcumenicam septimam synodum Nicææ, quæ ad Bithynorum præfecturam spectat, congregari præceperunt: cui præfuerunt præsidentes, sanctus Tarasius Constantinopolitanus, qui Paulo Cyprio successerat, Petrus, & Petrus presbyteri, Adriani sanctissimi papæ Romani locum tenentes, Ioannes & Thomas monachi & presbyteri, patriarcharum, Alexan-D drini, Antiocheni, Hierosolymitani diœceseos orientalis locum tenentes. Hæc sancta synodus eos, qui contra Dei ecclesias latraverant, anathemati subjecit: & definitione orthodoxa exposita, sacras imagines ad pristinam existimationem revocavit.

EADEM SEPTIMA GENERALIS
SYNODVS.

Ex libello Photii de synodis, sive epistola ad Michaelem Bulgariæ principem pag. 14. editionis Londoniensis.

Η δὲ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ ἑβδόμη σύνοδος Νίκαιαν μὲν τῶν Βιθυνῶν μητρόπολιν οὖ-E σαν, καὶ ὀρθοδόξων δογμάτων δικαστήριον πάλαι γεγονυῖαν, καὶ αὐτὴ τῆς εὐσεβείας κριτήριον ἔδειξεν, ἑπτὰ μὲν καὶ ἑξήκοντα καὶ τριακοσίων ἱερῶν ἀνδρῶν πλήθει πλατυνομένη· ταξιάρχους δὲ καὶ προστάτας τῆς ἱερᾶς αὐτῶν καὶ μεγάλης φάλαγγος προβαλλομένη Ταράσιόν τε τὸν ἐν ἀρχιερεῦσι Θεοῦ περιβόητον (θεῖος οὗτος καὶ πανάρετος ἀνήρ, καὶ τῆς βασιλίδος πόλεως τοὺς ἱεραρχικοὺς οἴακας, εἴπερ τις ἄλλος, περιάγειν ἄξιος) καὶ δὴ καὶ Πέτρον τὸν εὐλαβέστατον πρωτοπρεσβύτερον τῆς ἐκκλησίας, καὶ Πέτρον ἄλλον, πρεσβύτερον,

πρεσβύτερον, καὶ αὐτὸν καὶ τῆς ἐκεῖσε μονῆς ἡγούμενον τοῦ ἁγίου Σάββα, οἱ τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας διεπληροῦντο τὸν τόπον, Ἀδριανοῦ τότε ἀρχιερατικὸν κοσμοῦντος ἀξίωμα· ἅμα δὲ τούτοις Ἰωάννην καὶ Θωμᾶν ἄνδρας μοναδικῇ πολιτείᾳ περιωνύμους, καὶ ἱερατικῇ τιμῇ περιλάμποντας, καὶ τῆς ἀνατολῆς ἁπάσης διοικήσεως τῶν ἀποστολικῶν, καὶ μεγάλων θρόνων τοποτηρητὰς, καὶ τῶν ἀρχιερέων πρόνομιον ἔχοντας, λέγω δὴ Ἀπολιναρίου τε καὶ Θεοδωρήτου καὶ Ἠλία, ὧν ὁ μὲν Ἀλεξανδρείας, ὁ δὲ Ἀντιοχείας, καὶ ὁ λοιπὸς δὲ Ἱεροσολύμων ἱεροπρεπῶς τε καὶ πανσόφως προεστήκεισαν. τότε Κωνσταντῖνος καὶ Εἰρήνη ὀρθοδοξίας στεφάνῳ κοσμούμενοι, καὶ τὴν αὐτοκράτορα τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχῆς πορφυρίδα ἐστηρίζοντο. αὕτη τοιγαροῦν ἡ ἱερὰ καὶ μεγάλη σύνοδος ἀρτιφανῆ τε καὶ βάρβαρον αἵρεσιν ὑπὸ δυσσεβῶν καὶ ἀνιέρων ἀνδρῶν παρεισαχθεῖσαν θεοκρίτῳ καὶ κοινῷ ψηφίσματι κατεδίκασε, καὶ τοὺς εἰσηγητὰς καὶ προμάχους αὐτῶν τῷ αὐτῷ συνυποβαλοῦσα κρίματι. οὗτοι γὰρ οἱ δείλαιοι Χριστὸν τὸν ἀληθινὸν Θεὸν ἡμῶν βλασφημεῖν οὐχ ὁμολογοῦντες τοῖς ῥήμασι, διὰ τῶν ἔργων πᾶσαν ἐπήνουν ὕβριν καὶ βλασφημίαν καὶ ἀσέβειαν, καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον δυσφημεῖν ἀμέσως καὶ χωρίς τινος παραπετάσματος οὐ θαῤῥήσαντες διὰ τῆς σεπτῆς εἰκόνος τὸ πᾶν αὐτῶν τῆς χριστομάχου γνώμης ἐξεπλήρουν θέλημα. εἴδωλον γὰρ ὢ τῆς μιαρᾶς καὶ ἀθέου γλώσσης καὶ διανοίας ἀπήχημα, τὴν προσκυνητὴν εἰκόνα Χριστοῦ, δι' ἧς εἰδώλων πλάνη διώκεται προσηγόρευσαν καθυβρίζοντες, καὶ πάσαις αὐτὴν ἀτιμίαις περιβάλλοντες ἀνὰ τὰς ἀγορὰς καὶ τὰς λεωφόρους ποσὶ κατεπάτουν, πυρίσυρον, πυρὶ παρεδίδοσαν, θέαμα Χριστιανοῖς ἐλεεινὸν, καὶ τῆς ἑλληνικῆς χριστομαχίας μόνης ἄξιον. ταῦτα δὲ καὶ κατὰ τῶν ἄλλων ἱερῶν εἰκόνων καὶ εἰκονισμάτων ποσὶ θολεροῖς ἐκχέαι, ἅμα χερσί τε παλαμναίαις καὶ βεβήλοις χείλεσιν ἐνεσέλγαινον, καὶ κόρον οὐδένα τῆς τηλικαύτης μανίας καὶ παραπληξίας οὐδαμῶς ἐλάμβανον οἱ ἀλάστορες. ἀλλὰ τῶν ἑλληνικῶν βδελυγμάτων οὐδὲν ἔλαττον, εἰ μὴ καὶ μᾶλλον, τὰ Χριστιανῶν ἱερὰ σύμβολά τε καὶ ἐκτυπώματα διὰ μίσους ἄγοντες ἐβδελύσσοντο. δι' ὧν αὐτοῖς καὶ ὁ ἄσπονδος πόλεμος κατὰ Χριστοῦ καὶ τῶν αὐτοῦ ἁγίων συνεκροτεῖτο καὶ ἐκρατύνετο. δῆλον γὰρ ἅπασιν ὡς ἡ τιμὴ τῶν εἰκονισμάτων τιμὴ γίνεται τῶν εἰκονιζομένων, ὥσπερ καὶ ἡ ἀτιμία εἰς αὐτὰ διαβαίνει τὰ εἰκονιζόμενα. ἀλλ' οὗτοι τὰ νέα τῶν χριστομάχων ἰουδαίων γεννήματα δι' ὧν μὲν τὴν σεπτὴν εἰκόνα Χριστοῦ καὶ τῶν αὐτοῦ ἁγίων ἐξύβριζον, τὸ προγονικὸν ἀνεπλήρουν ὑστέρημα, εἰς τὰ ἰουδαίων τολμήματα ἐκφερόμενοι καὶ νικᾶν φιλονεικοῦντες τῇ ὑπερβολῇ τῆς προθυμίας τοὺς γεννήτορας· δι' ὧν δὲ Χριστιανῶν ἐν μέσῳ οὐκ εἶχον τολμῆσαι τὸν Χριστὸν καὶ χείλεσιν ἀπαρνήσασθαι, καὶ αὐτοῦ ἐκείνου τοῦ ἰουδαϊκοῦ καὶ πατρῴου ζήλου ἠλέγχοντο διαπίπτοντες, καὶ νόθον καὶ τὴν αὐτῶν δεικνύοντες τὴν μίμησιν καὶ μηδαμοῦ στάσιν ἔχοντες, ἀλλ' ὥσπερ τῷ κακῷ καρωθέντες τῆς αἱρέσεως, ὧδε κἀκεῖσε διεῤῥιπτοῦντο καὶ περιεφέροντο. Χριστιανοὺς μὲν γὰρ ἑαυτοὺς ὀνομάζοντες κατὰ Χριστοῦ ἐφρυάττοντο, καὶ τὴν ἰουδαίων κλῆσιν οὐ προσιέμενοι τὸ χριστόμαχον αὐτῶν παρεζήλων διὰ τῆς εἰκο-

A νομαχίας καὶ ὑπερέβαλον· οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ τοὺς εἰδωλολατρείας ἐγκλίνοντας ὄνομα οὐδὲν εἰδωλολατρῶν ἀνεκτότερα εἴς τε Χριστιανοὺς αὐτοὺς καὶ εἰς τὰ τῶν Χριστιανῶν θεῖα καὶ ἄχραντα μυστήρια ἐπεδείξαντο· διὰ τούτοις μὲν ὅσοι μὴ τῆς μοιχαλίδος ταύτης καὶ πολυσπόρου καὶ συμπεφυρμένης δόξης φυγεῖν ἐθέλησαν τὴν δυσγένειαν, ὡς νόθα γένη καὶ ἔκφυλα τῆς τῶν πιστῶν εὐγενείας, ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος διακρίνασα δεσμοῖς ἀλύτοις τοῦ ἀναθέματος καθυπέβαλεν. τὴν δὲ εἰκόνα Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν κατὰ τὰς ἀνέκαθεν ἀποστολικάς τε καὶ πατρικὰς παραδόσεις, καὶ τὰς τῶν ἱερῶν λογίων ἐκφαντορίας ἐπὶ τιμῇ καὶ σεβασμιό-
B τητι τοῦ εἰκονιζομένου προσκυνεῖσθαι καὶ τιμᾶσθαι ψήφοις ἁπάσαις ἐπεκύρωσέ τε καὶ ἐπεσφραγίσατο τῆς προσκυνήσεως καὶ τιμῆς δηλονότι προσαγομένης, καθ' ὃν τρόπον καὶ τοῖς ἄλλοις ἱεροῖς συμβόλοις καὶ τύποις τῆς καθ' ἡμᾶς ἁγιωτάτης λατρείας προσερχόμεθα· οὐ γὰρ ἐν αὐτοῖς ἱστῶμεν καὶ συμπερικλείομεν τὴν τιμὴν καὶ προσκύνησιν, οὐδὲ εἰς ἑτερόφυλα καὶ διάφορα τέλη σχιζόμεθα, ἀλλὰ διὰ τῆς φαινομένης, διαφόρου καὶ μεριστῆς αὐτῶν θεραπείας καὶ προσκυνήσεως ἱεροπρεπῶς τε καὶ
C ἀδιαιρέτως εἰς τὴν ἀμέριστον ἐκείνην ἑνοειδῆ τε καὶ ἑνοποιὸν θεότητα ἀναγόμεθα. οὕτω τὸν τίμιον σταυρὸν προσκυνοῦμεν, ἐν ᾧ τὸ δεσποτικὸν ἐξετανύσθη σῶμα, καὶ τὸ τοῦ κόσμου καθάρσιον ἀνέβλυσεν αἷμα, καὶ ἡ τοῦ ξύλου φύσις ταῖς ἐκείνου ῥοαῖς ἀρδευθεῖσα τὴν ἀγήρω ζωὴν ἐβλάστησεν ἀντὶ θανάτου. οὕτω τὸν τύπον τοῦ σταυροῦ προσκυνοῦμεν, δι' οὗ δαιμόνων ἐλαύνεται στίφη, καὶ πάθη θεραπεύεται ποικίλα, τῆς ἅπαξ ἐν τῷ πρωτοτύπῳ χάριτος καὶ δυνάμεως ἐνεργηθείσης, καὶ μέχρις αὐτῶν τῶν τύπων μετὰ τῆς ὁμοίας ἐνεργείας συμπαρεϊούσης. τούτων τοιγαροῦν ἕκαστον, τήν τε Χριστοῦ εἰκόνα φημὶ καὶ αὐτὸν τὸν σταυρὸν, καὶ δὴ καὶ αὐτοῦ τοῦ σταυροῦ τὸν τύπον παρα-
D πλησίως τῇ σεβασμιότητι καὶ προσκυνήσει ἐξοσιοῦντες, οὐκ ἐν αὐτοῖς περιγράφομεν καὶ περιορίζομεν τὴν τιμὴν καὶ τὸ σέβας, ἀλλ' εἰς τὸν δι' ἡμᾶς ἐνανθρωπήσαντα πλούτῳ φιλανθρωπίας ἀφάτῳ, καὶ τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἐπονείδιστον θάνατον ἑκουσίως ὑπενεγκόντα, ταύτην ἀναφέρομεν καὶ ἀνιεροῦμεν. οὕτω δὴ καὶ ναοὺς ἁγίων καὶ τάφους καὶ λείψανα πιστοῖς βρύοντα ἰάσεσι πιστῶς προσκυνοῦμεν, τὸν αὐτὰ δοξάσαντα Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν μεγαλύνοντες καὶ ἀνευφημοῦντες· καὶ δὴ καὶ ἔτι τούτοις κατὰ τὰς μυστικὰς καὶ ἁγίας ἡμῶν τελετὰς ὄντι παραπλήσιον διὰ τῆς ἐν αὐτοῖς
E ἐνεργουμένης δωρεᾶς τε καὶ χάριτος, τὸ ἀρχικόν τε καὶ πρωτουργὸν αἴτιον ἐπιγινώσκομέν τε καὶ δοξολογοῦμεν. διὸ καὶ τῶν μακαρίων ἐκείνων καὶ ἱερῶν ἀνδρῶν ἡ θεοφόρος καὶ ἁγία πανήγυρις, οὐ μόνον τὴν εἰκόνα Χριστοῦ, καθάπερ ἔφημεν, ἀλλά γε δὴ καὶ τῆς παναχράντου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας καὶ δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, καὶ πάντων τῶν ἁγίων τὰς ἱερὰς εἰκόνας κατὰ ἀναλογίαν τῆς τῶν πρωτοτύπων ὑπεροχῆς καὶ σεβασμιότητος τιμᾶσθαι καὶ προσκυνεῖσθαι κοινῶν θεσπισμάτων ὅροις, ἐπεσφράγισέ τε καὶ ἐπεκύρωσε· καὶ γὰρ καὶ δι' αὐτῶν εἰς ἑνοποιόν τινα καὶ συναγωγὸν ἀναγόμεθα θεωρίαν, καὶ πρὸς

ANNO CHRISTI 787.

τὸ ἀκρότατον τῶν ὀρεκτῶν δι' αὐτῆς ἀξιούμεθα θείας, καὶ ὑπερφυοῦς συναφείας. ἀλλὰ ταῦτα μὲν σαφῶς τε καὶ θεαρέστως τελεσαμένη διώρισε. πᾶσαν δὲ αἱρετικὴν νόσον καὶ πᾶσαν ἀκοσμίαν τῆς λογικῆς ἀπελάσασα, τὸν οἰκεῖον κόσμον καὶ τὸ κάλλος τὴν ἐκκλησίαν ἐπαναλαβοῦσαν ἀπέδειξεν· καὶ οἷα δὴ νύμφην οὐκ ἐν κροσσωτοῖς χρυσοῖς, ἀλλ' ἐν νοεροῖς ἐξωραϊσθεῖσαν εἰκονίσμασιν, ἐκ δεξιῶν τοῦ νυμφίου Χριστοῦ παραστήσασα ἱλαροῖς καὶ χαίρουσιν ὀφθαλμοῖς καθορᾶσθαι καὶ ἐναγλαΐζεσθαι παντὶ τῷ τῶν πιστῶν πληρώματι παρεσκεύασεν.

SANCTVM & œcumenicum septimum concilium Nicæam quidem Bithyniæ metropolim, quæ & antea rectorum dogmatum judicium fuerat, ipsam quoque religionis tribunal ostendit. Trecentorum autem & sexaginta septem sacrorum patrum multitudine dilatatum, sacræ magnæque phalangis suæ ordinum duces ac præsides constituit Tharasium inter episcopos celeberrimum, (Divinus hic vir atque optimus erat, ac dignus, ut si quis alius, qui sacra regiæ civitatis gubernacula tractaret,) & Petrum religiosissimum protopresbyterum ecclesiæ Romanæ, & alterum Petrum presbyterum ipsum quoque, & illius mansionis præfectum sancti Sabæ: hi sedis apostolicæ sortiti sunt locum Adriano tunc pontificiam dignitatem exercente: & Ioannem ac Thomam monastica vivendi ratione celebres, & sacro honore insignes, & totius orientis diœceseon apostolicarum magnarumque sedium tenentes locum, & vices agentes episcoporum, nempe Apollinarii, & Theodoriti, & Eliæ, quorum primus Alexandriæ, alter Antiochiæ, tertius Hierosolymorum erat antistes. Tunc Constantinus & Irene recte de religione sentientes, & pietatis gloria coronati, Imperii Romani purpuram induebant. Hoc sacrum magnumque concilium recens patefactam & barbaram hæresim, quæ ab impiis & execrandis hominibus parta erat, divina communique sententia simul cum ipsius authoribus condemnavit. Infelices enim homines isti, verbis non confitentes se Christo vero Deo nostro maledicere, factis omnia in eum maledicta & linguæ petulantiam congesserunt. Cumque illum sine medio, & sine aliquo velo contumelia afficere non auderent, per venerandam imaginem, omnem Christo inimicæ mentis cupiditatem expleverunt. Adorandam enim Christi imaginem per quam idolorum error occluditur (proh nefarium sceleratæ atque impiæ linguæ cogitationisque sonum) idolum appellaverunt, & omnibus ipsam ignominiis afficientes, & per plateas ac vias publicas trahentes, & pedibus conculcantes in ignem conjecerunt, spectaculum Christianis hominibus miserandum, & sola Christi hostium impietate dignum. Eadem & in reliquas sacras imagines contulerunt, cum celeribus pedibus effunderent, dirisque manibus & impuris labris petulantiam exercerent, nec ullam tanti furoris atque dementiæ societatem caperent homines pessimi sacras Christianorum notas & effigies non minus quam si gentium essent abominationes, imo vero magis, publice detestabantur. Ex quo bellum gravissimum adversus Christum, & sanctos ejus commovebatur. Om-

A nibus enim perspicuum est honorem imaginibus habitum ad eos transire, quos illæ referunt. Verum isti nova Iudæorum Christi hostium progenies, dum Christi atque sanctorum ejus imagines afficiunt contumelia, ea perficiunt, in quibus patres ipsorum defecerunt. Irruunt enim in facinora Iudæorum, singularique alacritate patres suos superare conantur. Et dum non audent in medio Christianorum labris etiam Christum abnegare, in eumdem ipsum Iudaicum paternumque zelum deprehenduntur incidere, & adulterinam hanc etiam ostendunt imitationem, nec ullo consistunt

B loco, sed tamquam veneno hæresis ebrii, huc illuc jactantur & ruunt. Christianos enim se esse profitentur, & adversus Christum debacchantur. Iudæos se appellari nolunt, & imagines oppugnantes zelum ipsorum Christo inimicum, imitantur & superant. Idololatriæ nomen vitant, & se in ipsos Christianos, divinaque, Christianorum sanctaque mysteria nihilo idololatris leniores præbent. Quamobrem sanctum & œcumenicum concilium eos, qui adulteræ istius, & multis seminibus commistæ opinionis ignobilitatem fugere noluerunt, tamquam nothos a fidelium nobilitate alienos, insolubilibus anathematis vinculis constringendos judicavit. Imaginem autem Christi veri Dei nostri, ex apostolorum & sanctorum patrum traditionibus & sanctorum oraculorum testimoniis, ad honorem & venerationem illius quem ipsa refert, adorandam atque colendam suffragiis omnibus censuit & confirmavit. Cum adoratio nimirum atque honor adhibeatur eodem modo quo in aliis sacris notis & formis sanctissimæ latriæ utimur. Neque enim in illis consistimus, honoremque & adorationem concludimus, neque ad alios diversos ac varios fines distrahimur: sed per diversum & singularem ipsorum cultum & adorationem quæ cernitur sacra convenientique ac minime divisa

D ratione, animos nostros ad invisibilem illam singularemque atque unicam divinitatem dirigimus. Sic venerabilem crucem adoramus, in qua domini corpus extensum est, & sanguis ille, quo mundus universus purgatus est, emanavit, & ligni natura illius fluxibus irrigata pro morte vitam perpetuam tulit. Sic crucis signum adoramus, quo dæmonum agmina fugantur & varii curantur morbi: cum semel in ipso exemplari gratia & virtus exhibita sit, & usque ad exemplaria similis vis sese diffundat. Hæc igitur singula, nempe Christi imaginem, & ipsam crucem, crucisque notam, cultu adorationeque prosequentes honorem, & adorationem non ipsis concludimus, sed ad eum dirigimus, qui propter incredibiles divitias amoris erga

E nos factus est homo, & mortem pro nobis pertulit contumeliosam. Sic & sanctorum templa & sepulcra, & reliquias, ex quibus morborum curationes emanant, fideliter adoramus, Christum verum Deum nostrum qui gloria ipsos affecit, collaudantes & celebrantes. Et si quid his in mysticis & sanctis nostris sacrificiis simile est per munus & gratiam in illis exhibitam præcipuum authorem & principem causam agnoscimus & commendamus. Quapropter & divinus ac sanctus ille beatorum atque sacrorum virorum cœtus, non solum imaginem Christi, quemadmodum diximus, verum etiam immaculatissimæ semperque virginis Mariæ & dominæ

minæ nostræ Dei genitricis, & sacras sanctorum omnium imagines, pro ratione excellentiæ & sanctitatis exemplarium, colendas & adorandas communium oraculorum decretis constituit & confirmavit. Per ipsas enim ad præsentiam quodam modo atque congressum, animi ducimus intentionem, & per hanc divina naturamque superante conjunctione copulamur cum illo qui summus est rerum expetendarum. Hæc igitur sapienter divineque septimum illud concilium decrevit atque constituit. Quo quidem facto omnem hæreticam pestem ac turpitudinem a grege ratione prædito depulit, propriumque decus ac pulcritudinem ecclesiam recipere ostendit, & tamquam sponsam non in fimbriis aureis, sed intelligentibus decoratam imaginibus, ad Christi sponsi dexteram constitutam, hilaribus & lætis oculis toti fidelium multitudini conspiciendam honorandamque demonstravit.

EADEM NICÆNA II. EX NILO.

Ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ ἑβδόμη σύνοδος ἡ ἐν Νικαίᾳ τὸ δεύτερον γέγονεν ἐπὶ τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου καὶ Εἰρήνης τῆς μητρὸς αὐτοῦ συγκροτηθεῖσα ὑπὸ τριακοσίων ἑξήκοντα τριῶν

A ἁγίων πατέρων κατὰ τῶν εἰκονομάχων· ἡγοῦντο δὲ αὐτῆς Ἀδριανὸς πάπας Ῥώμης, Ταράσιος Κωνσταντινουπόλεως, Πολιτιανὸς Ἀλεξανδρείας, Θεοδώρητος Ἀντιοχείας, Ἠλίας Ἱεροσολύμων. ἦν δὲ ἀπὸ κτίσεως κόσμου ἔτη . . . ἀπὸ δὲ Χριστοῦ ἔτη ψκδ΄. ἀπὸ ἑβδόμης ἕως ὀγδόης ἔτη ἑκατὸν εἴκοσι.

ACTIO PRIMA.

SANCTA & œcumenica septima synodus Nicææ secundo habita est, imperantibus Constantino & ejus matre Irene, congregata a " sexcentis sexaginta tribus sanctis patribus adversus iconomachos. Præerant huic Adrianus papa Romæ, Tarasius Constantinopolis, Politianus Alexandriæ, Theodoritus Antiochiæ, Elias Hierosolymorum. Annus erat mundi B * Christi vero 724. A septima ad octavam sunt anni centum viginti.

" trecentis

* Ex auctoris mente & calculo esset annus mundi 6288. sed in hos & supra notatos annorũ numeros non parum irrepsit erroris.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. I.

Ad hanc usque synodum non pervenit Anonymus ille scriptor, cujus Breviarium de sex synodis œcumenicis suis supra locis inseruimus; aut certé fatendum est codicem ms. ex quo edita primum fuit lucubratiunla illa, mutilum fuisse atque imperfectum.

His vero Græce jam Latineque excusis synodi VII. Actis subjiciendam arbitramur vulgatam sive antiquam versionem illam, quæ in regia conciliorum omnium collectione non sat commode præmissa reperitur. Ea autem sic se habet.

SANCTA SYNODVS ŒCVMENICA NICÆÆ SECVNDO HABITA, ORDINE SEPTIMA.

VVLGATA ET ANTIQVA EDITIO. "

" Hanc versionem Anastasianæ Græco textui e regione respondenti præmisit Regius collector, nos ne quid a Romana anni 1608. & Biniana an. 1618. editionibus recederemus, eamdem subjungimus.

ACTIO PRIMA.

IN nomine domini & dominatoris Iesu Christi, veri Dei nostri, imperantibus piissimis & Christo dedititissimis dominis nostris, Constantino cum matre sua Irene, anno consulatus illius octavo, sub octavum Kalend. Octobr. indictione undecima, conveniente sancta & œcumenica, hoc est, universali synodo, quæ per gratiam divinam, piumque illorum imperatorum sancte orbem terrarum gubernantium decretum congregata est in clarissima Nicensium metropoli, quæ est in Bithynia provincia: nimirum, Petro viro religiosissimo archipresbytero, quæ Romæ est, sanctissimę beati Petri apostoli ecclesiæ, preterea Petro piissimo monacho & gubernatore monasterii sancti * Sabæ apud Romanos, vicariis existentibus apostolicę sedis, cui præerat sanctissimus beatissimusque archiepiscopus veteris Romæ Hadrianus, præsentibus Tarasio sanctissimo & beatissimo archiepiscopo inclytæ Constantinopoleos novæ Romæ; Ioanne & Thoma religiosissimis presbyteris monachis, & locum retinentibus apostolicarum sedium ejus, quæ in oriente est, diœceseos.

Agapio episcopo Cęsareę, quę in Cappadocia.
Ioanne episcopo Ephesi.
Constantino episcopo Constantiæ, quę est in Cypro.
Nicolao episcopo Cyzici.
Euthymio episcopo Sardensium.
Petro episcopo Nicomediæ.
Stauracio episcopo Calchedonis.
Elia episcopo Cretę.
Epiphanio diacono, tenente locum Thomæ archiepiscopi Sardiniæ.
Ioanne monach. loco Nicephori ep. Dyrrachii.
Daniele episcopo Amasiæ.
Nicolao monach. & præfecto monasterii quod Apra appellatur, in locũ metropol. Thyanensiũ.
Constantino episcopo Gangrorum.
Niceta episcopo Claudiopoleos.
Theophylacto diacono, in locum metropoleos Stauropolitarum.
Eustathio episcopo Laodiceæ.
Michaele episcopo Synnadon.
Constantino episcopo Perges.
Anastasio episcopo Nicopoleos veteris Epiri.
Christophoro episcopo Phasidos.
Theodoro episcopo Seleuciæ.
Basilio episcopo Sylæi.
Nicolao monacho, in locũ metropol. Mocesi.
Manuele episcopo Adrianopoleos Thraciæ.
Constantino episcopo Rhegii.
Cyrillo monacho, in locũ Nicetę ep. Gotthiæ.
Theodoro episcopo Catanæ.
Ioanne episcopo Tauromeniæ.
Gaudioso episcopo Messanæ.
Theodoro episcopo Panormi.
Stephano episcopo Bibonum.
Constantino episcopo Leontinæ.
Theodoro episcopo Taurianes.
Christophoro episcopo * Adraces.
Theotimo episcopo Crotonis.
Basilio episcopo Tonnesiorum.
Constantino episcopo Carines.
Ioanne episcopo Trecaleos.

* Andryacæ,

ACTIO PRIMA.

Theophane episcopo Lilybæi. A
Theodoro episcopo Tropheorum.
Sergio episcopo Nicoteron.
Galatone archipresbyt. locum tenente Rhegii.
Stephano episcopo Syracusano.
Theodoro episcopo Byzies.
Mauriano episcopo Pompeiopoleos.
Gregorio presbytero, in locum episcopi Leontopoleos, quæ est in Smyrna.
* Encratio — * Eustratio episcopo Apameæ Bithyniæ.
Sisinnio episcopo Parii.
Epiphanio episcopo Mileti.
* Georgio — * Gregorio presbytero, in locum Nicopoleos urbis. B
* Proconnesi. — Niceta episcopo * Præconnesi.
* Encratio — * Eustratio episcopo Methymnes.
Leone episcopo Chii.
Ioanne episcopo Apron.
* Cypselon. — Theophylacto episcopo * Cypsalon.
* Sugdaon. — Stephano episcopo * Suidaon.
Leone episcopo Mesembriæ.
Ioanne episcopo Nyssæ.
* Basizarum. — Georgio episcopo Thermarum * Babæ.
Georgio episcopo Camulianorum.
* Cicesson. — Soterico episcopo * Ciscisson. C
Constantino episcopo Maustaron.
Georgio episcopo Briulon.
Theodosio episcopo Nyssæ alterius.
Theophylacto episcopo Trallium.
Basilio episcopo Magnesiæ, quæ est Anelii.
Ignatio episcopo Prienes.
Saba episcopo Agæorum.
Basilio episcopo Magnesiæ, quæ est prope Mæandrum fluvium.
Gregorio episcopo Palæopoleos.
Theophane episcopo Caloes.
Leone episcopo Algizon.
Nicodemo episcopo Eugazon.
Lycasto episcopo Barilon.
Theophylacto episcopo Hypæpon.
Eustathio episcopo Erythron.
Theophane episcopo Lebedon.
Stratonico episcopo Cumano.
Theophylacto episcopo Cymnon.
Cosma episcopo Myrthines.
Olbiano episcopo Eleas.
* Basilio — * Plaride episcopo Adramytii.
Marino episcopo Antandri.
Ioanne episcopo Assi.
Leone episcopo Phoceæ.
Nicephoro diacono in locum Gargarorum.
* Ægææ, vel Ægaes. — Constantino diacono in locum * Agæon.
* Chion. — Theognide in locum * Sion.
* Teon. — Theophylacto in locum * Teo.
Ioanne episcopo Rhædesti. E
Ioanne episcopo Parini.
Melchisedec episcopo Calliopoleos.
Leone episcopo Madytæ.
f. * Turzuli, aut Trusuli. — Sisinnio episcopo * Tzuruli.
Theophylacto episcopo Chariufes.
Thoma episcopo Danii.
Gregorio episcopo Theodoropoleos.
Sisinnio episcopo Chalcidos.
Ioanne episcopo Bryseos.
Benjamin episcopo Lizici.
Constantino episcopo Heliopoleos.
Petro episcopo Aspones.
Synnesio episcopo Cymes.
Theophylacto episcopo Anastasiopoleos.
Leone episcopo Mesti.
* Berinupoleos. — Antimo episcopo * Herinupoleos.

Spyridone episcopo Cythron.
Eustathio episcopo Solorum.
Theodoro episcopo Citios.
Georgio episcopo * Trimithunton.
Alexandro episcopo Amathunton.
Michael episcopo Melitopoleos.
Theodoro episcopo Germes.
Basilio episcopo * Adranutheron.
Leone episcopo Pœmanini.
Simeone episcopo Oces.
Strategio episcopo Dardani.
Ioanne episcopo Lampsaci.
Theodoro episcopo Palæorum.
Niceta episcopo Ilei.
Leone episcopo Troadum.
Theodoro episcopo Abydi.
Anastasio episcopo Tripoleos.
Leone episcopo * Traculon.
Stephano episcopo Pusalon.
Ioanne episcopo Tabe.
Stephano episcopo Siladon.
Ioanne episcopo Sethon.
Theophane episcopo Minnias.
Lycasto episcopo Philadelphiæ.
Michael episcopo Troales.
Gregorio episcopo Gordorum.
Ioanne episcopo Daldes.
Eustathio episcopo Hyrcanes.
Theopisto episcopo Hermocapyles.
Davide episcopo Helenopoleos.
Cyrione episcopo Lophi.
Theophylacto episcopo Apolloniados.
Constantino episcopo Cæsareæ Bithyniæ.
Georgio episcopo * Basinupoleos.
Leone episcopo Aristes.
Nicephoro episcopo Adranes Thraciæ.
Basilio presbytero, in locum Dascyliorum.
Niceta episcopo Meles.
Neophyto episcopo Gordoserbon.
Leone episcopo Liboes.
Leone episcopo Aspendon.
Ioanne episcopo Etennon.
Leone episcopo * Amysi.
Constantino episcopo Zelon.
Mariano in locum Zalichi.
Gregorio episcopo Sinopes.
Georgio episcopo Nicopoleos.
Constantino episcopo Asemon.
Gregorio episcopo Amastridos.
Gregorio episcopo * Ionopoleos.
Niceta episcopo Dadybron.
* Theophilo episcopo Plusiados.
Constantino episcopo Cratiæ.
Niceta episcopo Adrianopoleos.
Ioanne episcopo Heracleæ Ponti.
Theodoro episcopo Comanorum.
Niceta episcopo * Rhyzæi.
Nicephoro episcopo Claneon.
Leone episcopo Trocnadon.
Leone episcopo Corydalon.
Anastasio episcopo Pataron.
Georgio episcopo Nyssæ.
Stephano episcopo Arazon.
Theodoro episcopo Pinaron.
Nicodemo episcopo Candibon.
Stauracio episcopo * Zenopoleos.
Leone episcopo Lamyron.
Stephano episcopo Camnon.
Constantino episcopo Tlon.
Ioanne episcopo Combon.
Petro diacono, & in locum Orycandon.

Ioanne

Ioanne diacono in locum Cariæ.
Georgio episcopo * Cybirres.
Basilio episcopo Taborum.
Dorotheo episcopo Neapoleos.
Constantino episcopo Alabandon.
Gregorio episcopo Heracleæ.
Davide episcopo Iassi.
Gregorio episcopo * Mylassori.
Sergio episcopo Vigiliarum.
Ioanne episcopo Myndi.
Stauracio episcopo Stadiæ.
Gregorio episcopo Stratonicæ.
Anthimo episcopo Hylarimon.
Theophylacto ..... in locum Amyzonis.
Niceta episcopo Halicarnassi.
Mariano .... in locum Ceramorum.
Theodosio episcopo Chonon.
Michaele episcopo Chæretepon.
Pantaleone episcopo * Valentiæ.
Georgio episcopo Peltarum.
Christophoro episcopo Atanaon.
Leone episcopo Eumenias.
Paulo episcopo Acmonis.
Gregorio episcopo * Timæni Theron.
Leone episcopo Scoputranopoleos.
Leone episcopo Aleus.
Nicephoro episcopo Lubdon.
Georgio episcopo Appiæ.
Ioanne episcopo Eucarpiæ.
Michaele episcopo Hieropoleos.
Niceta episcopo Nacoliæ.
Nicephoro episcopo Promiæ.
Nicolao episcopo * Phyton.
Theophylacto episcopo Cynabon.
Niceta episcopo Augustopoleos.
Ioanne episcopo Cotylæ.
Georgio episcopo Mediæi.
Theophylacto œconomo & vicario * Ipsi.
Stephano designato Troum.
Ioanne designato * Ectorion.
Constantino episcopo Ambladon.
Epiphanio episcopo Perton.
Sisinnio episcopo Philomelii.
Michaele episcopo Papon.
Theodosio episcopo * Sagalassi.
Sisinnio episcopo Apameæ, quæ est * Cibon.
Iona episcopo Coanes.
Nicephoro episcopo Adadon.
Petro episcopo Pythias.
Leone episcopo Bares.
Petro episcopo Seleuciæ, quæ est Pisidiæ.
Leone œconomo & vicario Sozopoleos.
Mariano episcopo Magydon.
Paulo episcopo Attaliæ.
Nicephoro episcopo Phoglon.
Leone episcopo Andidon.
Leone episcopo Sibyllon.
Manzone episcopo Pracanon.
Theodoro episcopo Germanopoleos.
Eustathio episcopo Cilindereos.
Sisinnio episcopo Musbadon.
Eustathio episcopo Lamon.
Theophylacto episcopo Zenopoleos.
Constantino episcopo Dalisandi.
Anastasio episcopo Lauxadon.

Sedentibus his in editissimo templi loco sanctissimæ ecclesiæ magnæ, quæ cognominatur Sophia, præsentibus simul & audientibus illustrissimis juxta ac magnificentissimis senatoribus; Petronio glorioso proconsule & patricio, Theophylacto comite imperialis obsequii, Ioanne A regio ostiario & quæstore ærarii militaris; præterea religiosis archimandritis, gubernatoribus & monachis; depositis in medio sacris & inviolatis euangelii Dei codicibus, religiosissimi Siciliæ insulæ episcopi dicere cœperunt: Dignum arbitramur ante omnia & conveniens huic sanctæ & œcumenicæ synodo, sanctissimum summumque pastorem & rectorem præsidem imperatricis urbis Constantinopoleos novæ Romæ; ad initium quæ deinceps tractabuntur, capitum præfari, & veluti januam aperire, & quæ hoc loco deceant, prius explicare. *Actio prima.*

Sancta synodus respondit: Sanctissimorum episcoporum B voto satisfiat.

Tarasius sanctissimus beatissimusque patriarcha Constantinopoleos dicere cœpit. Admodum sane tempestivum est nunc, propheticam illam vocem, quam sæpe etiam ab ipso euangelio prædicatam audivimus, recitare: *Recta fient quæ obliqua erant, & asperæ viæ in planas convertentur.* (*Luc. 3. Isai. 40.*) Cum Deo siquidem cuncta quæcumque fiunt, prompte peragi possunt, quoniam illius voluntati consiliisque nemo obstare potest. Quamquam autem per insultum veteratoris hostis, qui hoc unum conatur ut discerpat & convellat, disturbetque sanctam & catholicam ecclesiam, anni præteriti tempore, sub Kalendas mensis Augusti, in pia & regia civitate præsiC dentibus nobis in sanctorum & omnibus sæculis laudatorum apostolorum (quos recte Spiritus sancti tubas dicimus) templo, commota sit ingens hominum turba, furore & amaritudine plena, quæ manus in nos injicere tentavit, (a qua tamen divina gratia & favore sumus liberati, idque paucorum episcoporum subsidio, quorum nomina libens relinquo, cum plerisque omnibus sint cognita) visa sit obstaculum aliquod & veluti remora injecta, ne verus impietatis sermo exaudiri & stabiliri posset: attamen clementissimi nostri imperatores, qui a Deo gubernacula mundi acceperunt, cum rectæ fidei acerrimi propugnatores essent, malæ vero & minus sinceræ impugnatores, non potuerunt somnum D dare oculis suis, nec palpebris dormitationem; donec Dei tabernaculum, hoc est, illius ecclesiam, in unitatem reduxerunt, & pacificum conventum eidem indixerint. Qua de causa consilio & divina voluntate rursus in idem illud, quod tum agebatur, nos congregaverunt. Sed pro benefactis istis Christus maximus omnium nostrum rex, qui solus largiter retribuere potest, rependat illis. Nos vero viri sacerdotes ipsum auxiliatorem invocantes, & timorem illius animis nostris infigentes, futurumque judicium in eo constituentes, succinctis superciliis in veritatem ipsam mentes nostras defigamus. Et in omnibus apostolico more sobrie ambulantes, ad æquiliE brium cuncta examinemus, ut omnem orationis vanitatem, contentionem & redundantiam, tamquam zizania puris segetibus innascentia, sine aliqua procrastinatione extirpemus, cum adversus veritatem suppullulent, & ecclesiæ repugnent. Nam quæ in ea hactenus tradita sunt, non sunt, Etiam & Non, sed etiam tantum sunt in veritate, manentque infracta & minime ficulnea in æternum tempus. (*2. Cor. 1.*) Et is qui denuntiat, quod portæ inferorum non prævalebunt ei, mentiri nescius est. (*Matth. 16.*) Et si confidimus gratum esse coram conspectu Dei, adveniant, qui anno præterito contra veritatem restiterunt: & si quisquam eorum habet quod objiciat, aut contradi-

ACTIO PRIMA.

cat, sive aliam quamvis apologiam, intrepide A loquatur. Sic enim omnis inquisitio manifestabitur.

Constantinus sanctissimus Constantiæ, quæ est in Cypro, episcopus inquit: Si sanctæ & œcumenicæ synodo, juxta ea quæ a sanctissimo & beatissimo patriarcha Tarasio dicta sunt, placuerit, ingrediantur sanctissimi episcopi, qui in hac parte ad sacram & œcumenicam synodum convocati sunt.

Sancta synodus respondit: Ingrediantur. Et ingressi sunt omnes præfati episcopi. Deinde quoque ingressi clarissimi senatores, dixerunt: Domini nostri optimi diploma sacrum & venerandum ad sacrosanctam omnem synodum jusse- B runt destinari, id audite.

Sancta synodus ait: Confirmet Deus regnum optimorum nostrorum principum. & simul Leontius vir clarissimus a secretis, in manibus ferens sacrum diploma, legere cœpit.

EPISTOLA IMPERATORIS AD SACRAM SYNODUM.

Constantinus & Irene fideles Romanorum imperatores divina voluntate & nostra gratia, jussuque sacrati nostri imperii congregatis sanctissimis episcopis in Nicæna synodo.

IESUS Christus dominus noster, verus Deus, veraque juxta Dei patris naturam sapientia, per illius in carne divinitatem, mirificamque œconomiam vindicans nos ab errore idolorum, nostram naturam liberando renovavit, cooperante illius congenere Spiritu sancto. Et primus factus summus sacerdos, hujus appellationis reddit nos consortes, o viri sacerdotes.
Luc. 15. Hic igitur pastor bonus ille, qui errantem oviculam in humeris portans, hominem qui ab ovili suo exciderat, restituens in consortium angelicæ suæ sacrique munere virtutis, per seipsum
Colos. 1. nos redemit, solvens intersepti obstaculum, nimirum inimicitiam, in carne sua nobis pa- D cificam rationem vivendi gratuito concessit, ob id & cunctis euangelice prædicari jussit: *Beati*
Matth. 5. *pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.* Hanc igitur ob beatitudinem, quæ nobis donata est, nobilitatisque causa qua Deus nos adoptavit, imperatoria nostra & pia majestas, ad concordiam & pacem universum Romanum imperium erigere contendens, præcipue tamen sanctarum Dei nostri ecclesiarum statum qua possumus cura & consilio conservare intendimus. Sacerdotumque concordiam per omnia firmam & stabilem esse desideramus, orientis videlicet in partibus, septemtrionis, occidentis, & meridiei. Iamque adestis Dei voluntate per præsides provinciarum, perque descriptas sæpius synodicas literas, missasque a sanctissimo patriar- E cha. Hæc est enim a multis sæculis synodica lex per universam ecclesiam, quæ a sæculis per sæcula durabit euangelice instituta, cujus hortatu & veluti jussu vos sanctos viros sacerdotes congregavimus, qui esse dispensatores testamenti illius per incruenta sacrificia vocamini: quo recte sentientium synodorum determinationibus, judicium vestrum confirmetur, om-
Matth. 5. nisque splendor Spiritus sancti reluceat. *Nullus siquidem lucernam accendens, ponit eam sub mo-*
Marc. 4. Luc. 11. *dio*, juxta vocem domini, *sed supra candelabrum, ut lumen det omnibus qui in ædibus sunt.*

ANNO CHRISTI 787

Sic enim & olim a piis patribus nostris constitutum deinceps observetur, ut sanctę Dei ecclesiæ in pacifica constitutione firmentur. Non aliter enim pro veritate depugnamus, pietatemque promotam cupimus: præterea ecclesiasticum statum * eam, qua a principio obtinuit, legislatio- f. *tam quam nem & auctoritatem obtinere volumus, quam militaribus consiliis nos cupimus esse instructos, civilibusque negotiis invigilantes. Atque hæc in posterum melius animo volventes, nunc multo sacratissimam non dubitavimus summis laboribus congregare synodum. Damus quoque unicuique libertatem, ut sine omni formidine ea eloquatur, quæ secum animo deliberaverit, quo veritas magis magisque elucescat, & intrepida voce audiatur: Simul etiam ut ex multis ecclesiis diffidium auferatur, pacisque copulatio & constantia in omnibus connectatur. Et simulatque Paulus sanctissimus patriarcha juxta divinam voluntatem carnem præsentem commutaturus erat, præsensque habitaculum derelicturus, & ad superiores sedes commigraturus, imo vero ad dominum nostrum Christum, episcopatui renuntiavit, monachicam eligens vitam: nobis vero interrogantibus illum, qua de causa hoc fecisset, respondit, quod si morte occupatus & præventus in episcopatu hujus piæ & regiæ civitatis fuisset, etiam extra omnem ecclesiam catholicam Matth. C resurgere cogeretur: quod ipsum in tenebras exteriores quæ diabolo & angelis illius paratæ sunt, abducit. Dolebat enim synodum quamdam hic indictam, quæ subvertere contendebat imaginum picturas, quas sancta ecclesia catholica servat & amplectitur, & ad memoriam præfiguratorum suscipit. Idipsum, inquiebat, est quod animum meum commovet, quod meam conscientiam urget, quomodo judicium Dei effugere queam. At quæ causa est, quamobrem ejuscemodi viris commorari debeam, aut simul cum illis versari? Hæc vero & plura alia ducibus quoque nostris gloriosissimis locutus est, vitamque finivit. Hanc igitur responsionem nostra regia majestas animadvertens, horrebam, præsertim cum & ab aliis antea audieramus hæreticam esse horum hominum cogitationem, animo nostro deliberavimus, quidnam in hac re utile esset & facto opus: & consilium nostrum in medio proposuimus, ut repræsentato electo noviter patriarcha, finis contentionibus per illum imponeretur. Advocantes igitur viros negotiorum ecclesiasticorum haud imperitos, Christum vero verum Deum nostrum invocantes, & cum eis consilium capientes, quem ex omnibus dignissimum haberem, cui primas partes in hanc sacratissimam divinorum observantissimæ & regiæ civitatis nostræ cathedram deferremus, ut animo, concordique sententia Tarasius, qui nunc in sacrosancta dignitate nobis præsidet, dignus declaratus est. Hunc igitur ad nos vocantes, testimonium de illo & suffragia data exposuimus. Verum is nulla ratione acquiescere illis volens, reliquorum electioni assentiri respuit. Nobis vero perquirentibus, qua tandem causa obedire nollet principio quidem occasionem hanc attulit: majus esse summi sacerdotii cathedræ jugum quam illius humeris sustineri. Nos autem considerantes quod occasionem quæreret, nec auscultare nobis vellet, non destitimus virum solicitare, omnibusque viribus in eo perseveravimus, donec assensum nobis præberet, ut summi sacerdotii dignitatem assumeret. Contemplatus itaque nostram

ANNO CHRISTI 787. ACTIO PRIMA.

stram instantem & urgentem sedulitatem, causam recusationis nobis denuntiavit: Quandoquidem, inquit, video & considero, supra petram Christum Deum nostrum fundatam ecclesiam nunc esse discissam, dissipatam & ruptam: nos quoque modo hoc, modo illud diversis animis loquentes, orientis autem unanimi fide præditos Christianos, nostros vero aliter animatos: cumque illis consentientes Christianos occidentis, nos e diverso in singulos dies ab omnibus illis anathematizari, universalem synodum postulo fieri, eorum omnium qui tum ex omnibus loci gubernatoribus a papa veteris Romæ, tum ab orientis summis sacerdotibus mitti possunt. Hæc ubi auribus nostris fuissent percepta, B in faciem præsentium sacerdotum, & clarissimorum nostrorum ducum, totiusque Christicolæ nostræ plebis, virum eduximus: & omnibus libertatem dedimus, ut si quid adversus virum haberent, dicerent, ut purgare sese posset. Illi vero hæc audientes, libenter hominem acceperunt, postulantes simul nostram pacificam & piam dominationem, ut synodum universalem indiceremus. Huic igitur petitioni annuere tum visum est, meoque nutu jussi convenire, imo ut verius loquar, Deo sic volente, nobis vero præeuntibus, congregavi vos. Quandoquidem autem ex universo terrarum orbe Deus vos conjunxit propriam voluntatem confirmare volens, depositis in medio sanctis euangeliis, veraciter & C prudenter clamantibus, *Iuste judicate*: state firmi pietatis propugnatores, & omnem vaniloquentiam, nuperamque inductionem exscindere animo prompto contendite. Quemadmodum & Petrus apostolicæ sedis primus dux servilem & temerariam insaniam verberans, Iudaici auditus instrumentum gladio amputavit. Extendentes igitur securim spiritus, omnem arborem ferentem fructum jurgii & ambiguitatis, & non ferendæ novitatis, aut erudito sermone transplantate, aut canonicis edictis conscindite, & in venturæ gehennæ ignem transmittite, ut corpus ecclesiæ omnibus suis partibus integrum, rationi conveniens & consentiens, auctoritatem tradi- D tionis patrum obtinens, item pax & tranquillitas spiritus conservetur, & totius nostræ Romanæ reipublicæ status in fidei quiete tranquilletur. Accepimus autem ab Hadriano sanctissimo papa veteris Romæ literas per locum tenentes illius, Petrum religiosissimum primatem presbyterum, & Petrum Deum colentissimum presbyterum præsidem monasterii, qui & nobiscum in concilio sedent; quas jubemus juxta synodicam consuetudinem publice legi: vosque omnes cum decenti silentio animadvertere. Post id etiam duos quaterniones umbilicis conclusos legetis, qui a summis sacerdotibus & viris sacris orientalis dioecesis, per Ioannem religiosissimum mona- E chum & assessorem patriarchicæ sedis Antiochenæ, & Thomam presbyterum & rectorem, qui nobiscum in concilio sunt præsentes, missi sunt, ut per eos cognoscatis, quænam sit catholicæ ecclesiæ sententia & judicium.

Sancta synodus respondit: Servet Deus imperium eorum, producat illorum tempora Deus; augeat dominus eos gratia.

Et adductus est Basilius religiosissimus Ancyræ episcopus, præterea Theodorus episcopus Myron, & Theodosius episcopus Amorii. Stantibus autem his in medio sacræ synodi, Basilius Ancyræ episcopus inquit: Quantum erat A mihi in viribus, argumentum & certam persuasionem fidei in me suscipiens, patres, ego minimus vestrum servus, in catholicæ ecclesiæ defensionem processi.

Tarasius beatissimus patriarcha ait: Gloria sit Deo, qui cunctos servatos vult, & in cognitionem veritatis pervenire.

Basilius Ancyræ episcopus e libello sic cœpit legere: Ecclesiastica legislatio jam olim a principio canonice, & a sanctis apostolis, illorumque successoribus sanctis patribus & præceptoribus nostris, præterea sacris & universalibus synodis, reliquisque certis in locis celebratis conventionibus tradita est: qua omnis hæreseos passim suppullulantis suppressa est seges, & ad meliorem orthodoxumque sensum conversa, ut etiam per scripta testimonia stabilis ecclesiæ catholicæ auctoritas adversus omnem hæresim quæ abnegata est, assumpta in locum orthodoxa fide deprehendatur. Hinc & ego Basilius episcopus Ancyranæ civitatis, catholicam ecclesiam conjunctam & consentientem esse cupiens, Hadriano sanctissimo papæ veteris Romæ, Tarasio beatissimo patriarchæ, sanctisque apostolicis thronis, Antiochiæ, inquam, Alexandriæ, & sanctæ urbis, nec minus summis sacerdotibus & presbyteris cunctis orthodoxis hanc, quam descripsi, meam confessionem exhibere volo, insinuans me vobis, qui ex apostolica auctoritate potestatem habetis errata corrigendi & ignoscendi, id unum a congregatione vestra beata stipulando, ne quid ægre feratis, quod serius accesserim. tarditatis enim est, & ineruditæ meæ pigritiæ, qui opus commissum non adimpleverim; cum omnibus viribus laborandum in orthodoxæ ecclesiæ profectum mihi cognoscam. sed hæc, inquam, tardissimi intellectus mei culpa est, ut ob id a Deo & beatitudine vestra juste postulem veniam.

CONFESSIO CATHOLICA.

CREDO igitur & confiteor in Deum Patrem omnipotentem, & in unicum dominum Iesum Christum filium ejus unigenitum, & in sanctum Spiritum dominum vivificantem, Trinitatem consubstantialem, in throno eodem consedentem, in una deitate, potestate, & auctoritate adoratam & glorificatam, in unius sanctæ Trinitatis, & domini Dei nostri Iesu Christi œconomia, quemadmodum sex sacræ œcumenicæ synodi tradiderunt, hæc omnia sic confiteor. Vniversam autem hæreticorum linguæ incontinentiam abjiciens execror, quemadmodum ipsos sese reddiderunt execrabiles. Interpellans etiam intemeratæ virginis nostræ deiparæ, sanctarum cælestium potestatum, omniumque sanctorum intercessionem: horum etiam sanctas reliquias cum omni honore suscipiens & amplectens, honorifice veneror, firmiter credens me illorum sanctitatis fieri posse participem. Eodem modo venerandas imagines, quæ œconomiam Iesu Christi domini & Dei nostri, qui propter salutem nostram homo factus est, & inviolatæ virginis dominæ nostræ deiparæ, sanctorumque apostolorum, prophetarum, martyrum, & omnium sanctorum suscipio & amplector, eisque honorem debitum exhibeo. Abjiciens & execrans ex toto animo & corde congregatam ex depravata mente & insania, & appellatam septimam synodum, apud eos qui recte sapiunt, nimium quam juste & canonice ψευδοσύνοδον, hoc est, falsum conciliabulum

bulum appellatum, utpote ab omni pietate A & religione alienam, &. a Deo traditæ ecclesiasticæ legislationi audenter & præfracte, ne dicam impie, oblatrantem, venerandasque imagines contumelia afficientem, jubentemque has e medio sacrarum ecclesiarum tolli, cui præfuit Theodosius falso nominatus Ephesi episcopus, Sisinnius item Pergæ cognomine Pastillas: Basilius Pisidiæ improbus ille, cognomine Tricacabus: quorum vanus assecla, sed tamen miseratione dignus, Constantinus, qui aliquando fuit patriarcha. Hæc ita confiteor, & in his acquiesco. Ob id simplici corde & recto animi arbitrio, Deum testem citans, subjectas execrationes (hoc est, anathematismos) constitui.

ANATHEMATISMI.

I.

Christianorum accusatores & calumniatores, εἰκονοκλάστας, hoc est, imaginum demolitores, execror.

II.

Qui sacræ scripturæ verba de idolis & gentilium statuis, ad venerandas Christianorum imagines exponentes trahunt, execratio.

III.

Qui venerandas & sanctas imagines non amplectitur, execratio.

IV.

Qui asserunt Christianos, ut Deos imagines adorare, execratio.

V.

Qui favent ex animo violatoribus & ignominia afficientibus sanctas imagines, execratio.

VI.

Qui præter Christum Deum nostrum dicunt alios esse, qui nos liberarunt a cultu idolorum, execratio.

VII.

Qui doctrinas sanctorum patrum, & traditionem catholicæ ecclesiæ contemnunt, quique causantur, & voces Arii, Nestorii, Eutychis, & Dioscori jactant, dicentes quod nisi satis ex veteri & novo testamento instructi essemus, sanctorum patrum, sacrarum sex synodorum doctrinas, & catholicæ ecclesiæ traditiones non sequeremur, execratio.

VIII.

Qui audent dicere catholicam ecclesiam aliquando idola suscepisse, anathema.

IX.

Qui inquirunt diabolicarum insidiarum inventum, sacrarum imaginum culturam, & ædificationem, nequaquam autem sanctorum patrum nostrorum traditionem, execratio.

Hæc quidem sic confiteor & approbo, & ex tota anima, corde & mente demonstro. Quod si autem, sive ex calumnia, sive ex instinctu volens nolens ullo tempore ab his a me prius confessis descivero, aut perverso animo discessero, alienus sim & a Deo Patre & Filio & sancto Spiritu, a catholica ecclesia, & omnibus sacratis actionibus. Custodiam autem hæc omnia, & secundum divinos canones sanctorum apostolorum, & beatorum patrum nostrorum, ab omni corruptione & turpi lucro.

Tarasius beatissimus & sanctissimus patriarcha dixit: Omnis sacratus cœtus Deo det gloriam, & gratiarum actionem rependat, propter hanc confessionem tuam, quam præstitisti catholicæ ecclesiæ.

Sancta synodus respondit: Gloria illi Deo qui concordat dissidentes. Et in medium accedens Theodorus pientissimus Myron episcopus, dixit.

Et ego peccator & indignus, multa investigavi & inquisivi, id quod optimum est eligere cupiens. Deum precor & vestram beatitudinem, ut cum reliquis omnibus sanctæ ecclesiæ catholicæ adjungar & conglutiner.

Tarasius sanctissimus & beatissimus patriarcha dixit: Gratum proculdubio & per quam liberale apud Deum, resipiscentes suscipere.

Theodorus episcopus religiosissimus Myron, priori libello correspondentem suum quoque legit.

B Tarasius sanctissimus patriarcha inquit: Et pro pientissimo Theodoro episcopo Myron, gratiarum actiones Deo agamus.

Euthymius beatissimus Sardensium episcopus ait: Benedictus Deus qui illum ecclesiæ conjunxit.

Et adductus est Theodosius pientissimus episcopus Amorii, & inquit: Sacratissimi, Deumque colentissimi domini hujus sanctissimæ synodi, etiam ego peccator & seductus multa mala adversum venerandas imagines præter veritatem blateravi: quare nunc agnoscens culpam, & condemnans meipsum execror, idipsum porro facturus quod male dixerim, & in mundo hoc C docuerim. precor autem & obtestor sacram synodum vestram, ut in reliquum Christianorum numerum & me licet indignum vestrum famulum recipiatis.

Tarasius sanctissimus patriarcha inquit: Plurimam cordis contritionem explicuit religiosissimus Theodosius: quamobrem receptu dignus est.

Sancta synodus ait: Secundum sacros canones dignus est.

Tarasius beatissimus patriarcha ait: Si nulla res alia canonice prohibet, dignus est.

Theodosius religiosissimus Amorii episcopus D proprium libellum sic ipse legere cœpit.

Sacræ huic & universali synodo, Theodosius ego Christianorum minimus, sic confiteor: In primis approbo, suscipio, saluto & veneror, ante omnia intemeratam domini Iesu Christi veri Dei nostri imaginem, & ejus quæ ipsum sine semine peperit, sanctæ matris virginis, cujus etiam auxilium, protectionem & intercessionem nocte, diuque, ut peccatori mihi subveniat, invoco, ut quæ eam potestatem habet ab illo, quem in mundum edidit, Christo Deo nostro: Qui etiam sanctorum & multis rationibus prædicatorum apostolorum, prophetarum, martyrum, patrum & eremum colentium imagines suscipio & veneror, non ut deos (absit) E verum mentis meæ affectum & desiderium, quo in illos affectus sum, hoc modo indicans, ex toto animo omnes obtestor, ut ad Deum pro me intercedant, quo in oculis ejus misericordiam in die judicii consequar. Eadem ratione & reliquias sanctorum veneror, & honore prosequor, & saluto, veluti athletarum & certatorum pro Christo, quique gratiam a Deo consecuti sunt, & remedia præstare, morbos curare, dæmones ejicere, quemadmodum Christiana ecclesia veluti per manus accepit a sanctis apostolis & patribus usque in præsens sæculum. Probo similiter, quæ a primordio receptæ traduntur imagines, principio Iesu Christi domini nostri

A nostri, & sanctæ deiparæ virginis, sive ex auro, sive ex argento, sive colorum ductibus, sive quacumque materia exprimantur. Vt omnibus manifesta fiat ejus in carne œconomia. Neque dissimili ratione probantur a me sanctorum & omnibus sæculis apostolorum, prophetarum, martyrum gesta, politiæque: ut in omnium oculis prælia & certamina, quæ pro Christo subierunt, hæreant, atque id in compendiosam veluti scripturam, narrationem & eruditionem populi, maxime simplicioris. Nam si imperatorum vexillis sanctioribus & imaginibus in civitates & provincias missis, omnis populus cum cereis & suffimentis odoratis occurrunt: quanto justius est in Christi Dei nostri ecclesiis imaginem servatoris nostri B Dei, & intemeratæ matris ejus, sanctorum etiam omnium patrum & piorum erigere? Quemadmodum D. Basilius inquit: Verum etiam in bello fortia virorum facinora & historici scriptores & pictores sæpe denotant: hi quidem oratione exornantes, hi vero in tabulis depingentes, utrique etiam multos ad virtutem excitarunt. Idem alibi: Quantum tibi laborandum sit, ut unum aliquem e sanctis invenias, quem puduit Christi? Et Chrysostomus ait: Sanctorum enim gratia morte non amputatur, interitu non obtunditur, sed & post mortem viventibus sunt potentiores. Aliaque multa quæ dici vix queunt. Et ob id obtestor vos sancti Dei, & exclamo: *Peccavi in cælum & coram* C *vobis*: suscipite me, ut Deus recepit prodigum, meretricem & latronem. Quærite me, quemadmodum ovem perditam quæsivit Christus, quam & humeris sustulit. Contingat mihi gratia in oculis Dei, sanctorumque ejus angelorum, ut per pœnitentiam salutem consequar, dum vos domini sancti pro me interceditis.

I.

Qui venerandas imagines non veneratur, anathema.

II.

Qui in sanctas & venerabiles imagines blasphemias congerunt, anathema.

III.

D Qui traducere & maledicis verbis incessere audent venerandas imagines, aut easdem rejicere, anathema.

IV.

Qui ex animo Christianum populum non docent venerationem sanctarum & honorabilium imaginum omnium sanctorum, qui ab initio Deo placuerunt, anathema.

V.

Christianorum accusatoribus, aut iconoclastis, hoc est, imaginum demolitoribus, anathema.

Sabas religiosissimus præses Studii dixit: Iuxta apostolicas ordinationes & sacras universales synodos, dignus est ut recipiatur.

E Tarasius beatissimus patriarcha inquit: Qui olim erant orthodoxæ fidei calumniatores, nunc veritatis præcones existunt.

Constantinus beatissimus Constantiæ, quæ in Cypro est, episcopus inquit: Multas mihi lacrymas libellus piissimi Amorii episcopi excussit.

Tarasius sanctissimus patriarcha inquit: Si videbitur synodo, in sedes suas recipiantur.

Religiosissimi monachi dixerunt: Quemadmodum sacræ œcumenicæ synodi eos qui ex hæresi ad meliorem mentem redeunt, ita quoque nos illos recipiamus.

Sacra synodus respondit: Placet nobis omnibus. Confestim Basilius Ancyræ, Theodorus Myron, & Theodosius Amorii, religiosissimi episcopi in sedibus suis & cathedris jussi sunt residere. ACTIO PRIMA.

Euthymius religiosissimus Sardensium episcopus ait: Bene Deus orthodoxum induxit.

Sacra synodus respondit: Orthodoxus adsit synodo, pater patribus.

Post eos autem inducti sunt Hypatius religiosissimus Nicææ episcopus, Leo Rhodi, * Gregorius Pisidiæ, Gregorius alter Pessinunton, Leo alter Iconii, Nicolaus Hierapoleos, Leo alter Carpathi, religiosissimi episcopi. * Georgius

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Non possum satis nosse, unde existatis instructi, ut tam profundum consilium conflaveritis, non propter dominum: item confœderationes inieritis, non ex spiritu ejus, nuper concurrentes clam & latenter, quo veritatem subverteretis. *Isai. 30.* Siquidem vero ex imprudentia id fecistis, date rationem ignorantiæ vestræ: si vero falsa ratione inducti, adducatur ea, ut ab omnibus exaudiatur. Certum enim mihi est, sanctum hunc cœtum complexiones & controversias vestras, auxiliante & propugnante, quæ nunquam vinci potest, veritate, dissolvendo dissoluturum, & confringendo confracturum, ut falsos nexus, injustosque, & qui nullum veritatis argumentum in se continent. *3. Esdr. 3.*

Leo religiosissimus episcopus Rhodi inquit: Peccavimus & coram Deo, & coram ecclesia, coramque hac sacra synodo. Imperitia autem nos excidere a veritate compulit, neque quidquam quod in defensionem adducere possimus, habemus.

Gregorius episcopus Pessinunton inquit: Secundum fidem a sanctis apostolis nobis traditam, sic confitemur & servamus.

Tarasius sanctissimus patriarcha inquit: Si quæ ratio est apud vos, quemadmodum vobis dictum est, adducatur.

Hypatius ejusque complices dixerunt: Nihil est, ter sancti patres, quod loquamur. Secundum ignorantiam & insipientiã fueramus locuti.

Tarasius sanctissimus patriarcha ait: Quæ vos ratio ad veritatem redire coegit?

Hypatius ejusque complices dixerunt: Sanctorum apostolorum, patrumque nostrorum doctrina.

Gregorius religiosissimus Pessinuntum episcopus ait: In Antiochena synodo sanctorum apostolorum dictum est: Servatos non debere amplius ad idola aberrare, sed certandum esse ante columnam Dei hominisque Iesu Christi domini nostri. Sed & divus Isidorus Pelusiotes dicit: ναοῦ λόγος οὐδεὶς, ὃν οὐ στέφει ἄγαλμα. Hoc est, Templi nulla ratio, quod non ornatur imagine.

Leo religiosissimus Rhodi episcopus inquit: Cuncta pie & vere loquimur, etiam si indigni & peccatores simus. Ex legali, prophetica, apostolica, patrumque traditione instructi sumus, hanc esse veritatem, pietatemque, ut in sanctis ecclesiis venerandæ imagines colantur, docente idem multorum annorum consuetudine, ab apostolorum temporibus hucusque probata: atque ex his persuasi sumus.

Tarasius sanctissimus patriarcha inquit: Quo pacto cum fueris decem aut octo annos episcopus, non potuisti hucusque in eam persuasionem venire?

Leo reverendissimus episcopus ait: Quando- quidem

ACTIO PRIMA.

quidem multis temporibus malitia duravit, duravit & improba doctrina: cumque hæc perseveraret ob nostra peccata, declinare nos a via veritatis coegit: sed spes est apud Deum salutis nostræ.

Tarasius sanctissimus patriarcha inquit: Morborum qui longissimi sunt, difficillimi curatu esse solent: sic animus hæreseos tenebris obrutus, lumen veritatis difficillime admittit.

Constantinus sanctissimus Constantiæ, quæ in Cypro est, episcopus inquit: Oportebat vos episcopos existentes ab aliis non debere doceri, sed aliorum esse doctores.

Leo religiosissimus Rhodi episcopus ait: Si in lege peccati non fieret expressio, non opus esset gratia.

Stauracius sanctissimus Calchedonensis episcopus inquit: Sed nos, fratres, sub lege non sumus, sed sub gratia.

Hypatius, ejusque complices episcopi aiunt: Ex malis magistris malas doctrinas assumpsimus.

Tarasius sanctissimus patriarcha inquit: Quandoquidem dixistis, *κακῶν διδασκάλων κακὰ τὰ μαθήματα*, Mali doctoris improba eruditio: Ex malis doctoribus sacerdotes ecclesia nõ recipere debet.

Hypatius religiosissimus Nicææ episcopus inquit: Sic usus obtinuit.

Gregorius religiosissimus Pessinuntum episcopus inquit: Divus Ioannes Chrysostomus inquit: *Ioan. Chrysost.* ἐγὼ ϗ κηρόχυτον ἠγάπησα γραφὴν εὐσεβείας πεπληρωμένην. Hoc est, ego & ex cera fusilem picturam pietate plenam amavi.

Sabas religiosissimus monachus & præses Studii, ait: Benedictus Deus, qui nos in viam veritatis perduxit.

Tarasius sanctissimus patriarcha ait: Audiamus modo rationem & defensionem horum.

Sacra synodus inquit: Recte domine.

Ioannes religiosissimus monachus, presbyter, & locum tenens apostolicæ sedis Antiochiæ, inquit: Multorum ore celebratum est, persancte pater, quo pacto oporteat eos recipere, qui ex hæresi revertuntur: ob id suademus, ut sacra synodus libros sanctorum patrum impræsentiarum afferri jubeat, quo cognoscamus & consideremus, quænam in recipiendis certa ratio conservari debeat. Dubitamus siquidem & nos.

Constantinus religiosissimus Constantiæ, quæ est in Cypro episcopus inquit: Rogamus tuam beatitudinem, domine, afferantur libri de quibus dictum est, ut plena fiducia hanc optimam ordinationem exequamur.

Tarasius sanctissimus patriarcha inquit: Iuxta petitionem Dei amantissimorum virorum locum tenentium, & beatissimorum episcoporum, afferantur libri.

Constantinus vir divinorum studiosissimus, sacri patriarchatus notarius, dixit: Secundum jussionem vestræ sanctitatis adsumus sacros codices afferentes, quos ex bibliotheca sacri patriarchatus, & canonibus sanctorum apostolorum, sacrarumque synodorum, sacrique nostri patris Basilii, & aliorum sanctorum patrum traditionibus sumpsimus.

Tarasius sanctissimus patriarcha inquit: Principio legatur canonicarum ordinationum liber.

Sancta synodus dixit: Legatur.

Idem ille Constantinus Dei studiosissimus diaconus, & notarius sacri patriarchatus, legit.

Canon sanctorũ apostolorum quinquagesimus tertius.

Si quis presbyter eum qui a peccato convertitur, non receperit, sed rejicit, deponitor. Siquidem Christum offendit, qui gaudium in cælo super peccatorem resipiscentem oboriri dixit. *Luc.*

Sabas religiosissimus vir, & qui cum eo erant, inquit: Hoc certe manifestum & clarum est, & ab omnibus receptum, debere videlicet peccatorem unumquemque resipiscentem ab ecclesia recipi.

Tarasius sanctissimus patriarcha inquit: Est & alter canon eadem de re.

Idem divinorum amantissimus notarius legit.

Sacra synodi Nicenæ canon octavus.

De his qui se Catharos, id est, puros nominarunt, si ad communem catholicam & apostolicam ecclesiam redierint, visum est sanctæ & magnæ synodo, ut accepta manus impositione in clero sic maneant. Præ omnibus autem his curandum, ut confessionem per scripturam exhibeant: videlicet ut ecclesiæ catholicæ dogmata suscipiant & sectentur, nimirum communionem ineuntes cum his qui secundas nuptias affectarunt, quique in persecutione lapsi sunt; quibus tamen spatium temporis præscriptum est, ut in omnibus ecclesiæ catholicæ & apostolicæ dogmata sequantur. Vbicumque autem illi ipsi sive in vicis, sive in civitatibus inventi fuerint, modo per manuum impositionem ordinati fuerint, in clero reperti, in eodem ordine sunto. Et quæ deinceps.

Theodorus religiosissimus episcopus Catanes dixit: Ad hæresim istam lectus canon nihil facit.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Imo ad quamcumque hæresim pertinet.

Epiphanius religiosissimus diaconus sanctissimæ ecclesiæ Catanes, quæ est Siciliæ provinciæ, vicarius Thomæ episcopi Sardiniæ, ait: Hic canon de hæreticis Catharis datus est.

Tarasius beatissimus patriarcha inquit. Modo igitur & nos renascentem hæresim quomodo debemus recipere.

Ioannes Dei colentissimus, loci servator apostolici throni orientis, ait: Hæresis quemvis etiam hominem ab ecclesia separat.

Sancta synodus ait: Hoc notissimum est.

Religiosissimi monachi dixerunt: Canon jubet, *χειροθετουμένους*, id est, ordinatos recipi.

Tarasius sanctissimus patriarcha respondit: Quonam modo intelligitis hoc ipsum verbum *χειροθετουμένους*;

Religiosissimi monachi aiunt: Domine, doctrina etiamnum opus habemus.

Tarasius beatissimus patriarcha infit: Fieri potest, ut *χειροθεσία*, id est, manus impositio, pro benedictione accipiatur, non pro ordinatione.

Clarissimi duces dixerunt: Si nihil aliud vetat, ob eorum istam resipiscentiam, juxta canones recipiantur.

Tarasius beatissimus patriarcha inquit: Investigemus & alienos canones de reliquis hæresibus.

Sancta synodus dixit: Id omnes rogamus, veniant canones.

Idem ille studiosissimus notarius legit.

Sacra

Sacræ & œcumenicæ Ephesinæ synodi canon tertius.

Si qui in qualibet civitate clericorum a Nestorio, quique illius dogma sequuntur, prohibiti sunt, ut minus recte senserint, hos, ut gradum proprium recuperent, justum censuimus. Quicumque autem clerici universali & orthodoxæ synodo consentiunt, & nunc & in futurum etiam quovis tempore jubemus, ne omnino episcopis a sacris canonibus & orthodoxa fide deficientibus & absistentibus, eaque transgredientibus, subjiciantur.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Manifestior canon hic de eo articulo quem quærebamus. Legantur & reliqui canones.

B Stephanus venerabliis monachus, & librorum custos sacri patriarchatus, dixit: In manibus sunt epistolæ beati patris nostri Basilii de prædicto argumento, num recipiendi sint in sacrum ordinem, qui ex hæresi revertuntur. Has, si vultis, lecturus sum.

Sacra synodus respondit: Legantur.

Stephanus monachus legere cœpit:

Ex prima ad Amphilochium canonica epistola beati patris nostri Basilii.

Eorum qui Encratitæ nominantur, versutiam operæ precium est considerare. Siquidem, C ut seipsos reddant ne ab ecclesia recipiantur, ausi sunt proprium baptisma occupare. Vnde & suam quoque consuetudinem falsam reddiderunt. Quandoquidem autem nihil expressum de his neque constitutum est, arbitror, non esse nobis inconveniens eorum baptisma irritum & vanum asserere. Et si quispiam ab illis fuerit assumptus, si ad ecclesiam redierit, baptizandus est. Quod si autem illud ipsum universali ordini videbitur impedimento futurum, ad consuetudinem provocandum est. Et patres qui apud nos rerum ecclesiasticarum dispensationem habent, sequendi sunt. Suspicor D autem, ne austeritate sententiæ tardiores ad baptizandum redditi, impediantur, ne minus (alioqui servandi) baptisma consequantur. Si vero illi baptismum nostrum servant, nihil nos angat: non enim illis in gratiæ retributione obnoxii sumus, sed canonibus exacte serviendum est. Omni autem ratione conforme sit, eos qui ad eorum baptisma accedunt, jungi fidelium modo, & ita ad mysteria accedere. Novi vero quod fratres, qui cum Izoe & Saturnino, quique ex eo ordine sunt, conveniunt, in episcoporum sedem receperimus. Vt etiam núc qui ejus sunt ordinis, disseparare ab ecclesia nequeamus, qui canonem quemdam, qui de communicatione cum iis agit, ex episcoporum traditione ediderimus.

E Venerabiles monachi dixerunt: Petimus, ut & afferatur divi Athanasii ad Rufinianum epistola.

Sancta synodus respondit: Fiat juxta venerabilium monachorum petitionem.

Interea Leontius vir clarissimus a secretis, dixit: Legantur ordine & reliquæ divi Basilii epistolæ.

Stephanus venerabilis monachus & librorum custos recitavit.

Ex epistola beati patris nostri Basilii ad Evaisenos.

Quos vero nuper ex Galatia transmiserunt, A ut libertatem recuperandi episcopatum consequantur, tales sunt, quales eos esse noverunt, qui cum illis vel exiguo tempore convixerunt. Iterum: Quod si autem dicunt se resipuisse, doceant per scripturam suam resipiscentiam, & execrationem fidei quam Constantinopoli susceperunt. Præterea ab hæreticis separent se, & simpliciores minime decipiant. ACTIO PRIMA.

Ex ejusdem ad occidentis episcopos epistola.

Eorum etiam qui me non parum afflixerunt, Eustathius unus est: is, inquam, qui ex Sebastea Armeniæ minoris oppido natus est, quique olim Arii discipulus comesque individuus extitit, cum is Alexandriæ inclaruisset, & impias in unigenitum blasphemias meditaretur, quo tempore etiam inter verissimos & maxime germanos viri illius discipulos numeratus est. Posteaquam autem ad sua reversus est, beatissimo episcopo Hermogeni illum accusanti, & de perverso dogmate reprehēdenti, sanioris fidei confessionem tradidit, atque ita manus impositionem ab eo nactus, postquam ille dormivit, confestim ad Eusebium episcopuum Constantinopoleos (quo per ea tempora nemo magis Arii dogma tutabatur) fugit. Illinc etiam iisdem fere de causis expulsus, iterum in patriam rediit, defensionem afferens, impiam suam mentem callide celans, verbaque non iniqua, sed quæ recta sapere videbantur, prætexens. Episcopatum autem facile consecutus, confestim induxit animum ad execrationem consubstantialitatis conscribendam, in eo conventiculo quod Ancyræ ab ipsis habitum est. Illinc autem in Seleuciam profectus, ea quæ cum illis qui ejusdem sunt dogmatis, conscripsit, omnibus notum est. In Constantinopolitana autem urbe, consensit iterum cum iis, quæ ab hæreticis erant proposita, ita ab episcopatu dejectus, quod scilicet in Melitena jam antea fuerat depositus, ipse sibi viam qua in pristinum statum revocari posset, (nimirum reditum ad nos) excogitavit. At quæ fuerint illi a beatissimo episcopo Liberio proposita, quæque ipse composuerit, ignoramus. Hoc unum scimus, epistolam qua restitueretur, ab illa Tyanensi synodo exhibitam: qua etiam in locum est restitutus.

Lecta etiam est ad Terentium comitem ejusdem beati patris nostri epistola, in qua significavit pater idem communicationem & receptionem Eustathii, qui ab hæresi fuerat reversus.

Stephanus venerabilis diaconus & loci servator sancti patriarchici secreti, legere cœpit.

Ex definitione œcumenicæ synodi tertiæ, quæ contra impios Messalianos, hoc est, Euchitas habita est.

Placuit omnibus nobis, & Dei amantissimis episcopis Valeriano & Amphilochio, omnibusque Pamphyliæ & Lycaoniæ provinciarum venerabilibus episcopis, ea quæ in synodica charta descripta sunt, omnia conservare, neque ulla ratione transgredi, firmatis similiter quæ in Alexandria acta sunt, ut quicumque per quamvis provinciam Messaliani, hoc est, furiosæ hæreseos cultores extiterint, sive etiam in suspicionem venerint ejuscemodi morbi, sive clericorum de numero fuerint, sive ex laicis, inquiri & excommunicari. Quod si autem aliquis illud ipsum dogma fuerit execratus, siquidem clericus extiterit, in ea ordinatione permaneat: si vero laicus,

ACTIO PRIMA.

laicus, in ecclesiæ communionem recipiatur.

Petrus venerabilis lector & notarius sacri patriarchici secreti, legit.

Beati patris nostri Cyrilli archiepiscopi Alexandriæ epistola commendatoria ad Maximum Alexandrinæ ecclesiæ diaconum.

Didici a dilecto anachoreta Paulo, tuam pietatem religiosissimi episcopi Ioannis consuetudinē, & in hunc diem usque recusavisse, quod in Antiochensium fortasse ecclesia sint etiamnum aliqui, quibus aut Nestorii dogma placeat, aut aliquando placuerit, sed nunc abstinere cœpisse. Probet igitur tua benevolentia, num illi ipsi nude & irreverenter congregentur, Nestorianaque & sapiant, & apud alios loqui ausint, numve aliquando conscientiam cauterio ustam habuerint. Arbitror enim eos nunc congregari, ut simul resipiscant qui in eodem erant errore deprehensi, quia forte apud alios delictum fateri non ausint. Solent enim pleraque talia apud deceptos fieri. Quod si autem jam videas eos congregari in recta fide, malorum oportet te oblivionem præteritorum inducere. Malumus enim eos videre negantes, quam inverecundo animo collaudantes Nestorii improbitatem. Igitur ne contentiones dicamur amare, religiosissimi episcopi Ioannis familiaritatem amplectamur, hoc illi indulgentes, & ecclesiasticæ œconomiæ causa nec simus tam exacti exploratores in eos qui ad mentem redierunt. Res enim commoda administratione, multaq; (ut dixi) diligentia indiget.

Ejusdem ad Gennadium presbyterum & archimandritam epistola.

Intensam tuam erga pietatem affectionem non jam nunc, sed multis ab hinc annis cognovi: plurimum autem ea de causa studia tuæ vitæ, diligentiamque commendo. Est tamen cum administrationem rerum aliqui transgrediantur, extraque limites paulo plus quam oporteat ferantur, quo majus lucrum consequantur. Quemadmodum illi qui mare navigant, exoriente tempestate & fluctibus concitatis, ita ut navis periculum timeant, onera quædam in mare dejiciunt, ut reliqua conservent: sic & nos in nostris rebus facere oportet, cum non liceat exacte omnes ad salutem perducere, subinde aliquem conniventer relinquimus, ne universorum jacturam & damnum patiamur. Hæc autem scribo, quod inaudierim te ægre affectum esse adversus beatissimum & piissimum nostrum comministrum Proclum episcopum, quod in communionem Æliensium episcopum receperit, quem Palæstinæ ecclesiæ statuta præsidem non agnoscunt. Ad effrenem autem hujus negotii cupidinem vana quædam ambitio excitat, quæ procul dubio finem amarum est assecutura. Itaque nequaquam velim tuam pietatem fugere familiaritatem cum beatissimo & piissimo Proclo episcopo. Siquidem eadem illius sanctitati, mihique sententia est, neque hujus dispensationis modus cuiquam prudentium displicuit.

Lectis his, monachi dixerunt: Si jusserit sancta synodus, afferatur ad Rufinianum beati patris nostri Athanasii epistola, & legatur.

Sancta synodus dixit: Satisfiat petitioni religiosorum monachorum.

Stephanus præfatus monachus inferens in manibus librum, legere cœpit.

Divi Athanasii ad Rufinianum.

Domino dilecto, & desideratissimo comministro Rufiniano, Athanasius in domino salutem. & post alia: Quandoquidem studiose & ecclesiastice (hoc enim tuæ pietati iterum convenit) de iis, qui necessario redacti sunt, nec per improbam fidem sunt corrupti, inquisivisti, eaque de re ad synodos & alios scribere voluisti, ut animi sententiam de iis explicarent, velim mi domine desideratissime sic habeas. In primis cum a vi cessatum esset, synodusque præsentium & eorum qui longinquas regiones incolebant, episcoporum haberetur, nec modo comministris, qui per Græciam passim habitant, verum etiam in Galliis & Hispania: communi decreto placuit, ut & hic & ubique gentium, quicumque lapsi fuissent proprio arbitrio, & antesignani fuissent impietatis, si resipiscerent, ignoscendum quidem illis, verum non restituendos in cleri numerum: qui vero non auctores, sed necessitate & violentia compulsi fuissent, visum est illis quidem ignoscendum, & in cleri locum restituendos, maxime cum probabilem defensionem & excusationem dederint. Atque hoc quoque œconomice & rationabiliter factum videtur. Nam ipsi quidem animo statuerant, non velle ad impietatem delabi. verum quoniam impiissimi quidam eorum causa statum ecclesiæ ad seditionem trahebant, duxerunt longe satius esse, vi compulsos se concurrere & onus gestare, quam populum perdere. Hæc cum afferrent, visi sunt nobis non absurda respondisse, quando & in occasionem facti, exemplo Aaron fratris Moseos se defenderent, qui in eremo populi transgressionibus acquievit. defensionem habens, ne populus in Ægyptum reversus, idolorum cultui iterum se manciparet. Videbat enim si in eremi vastitate substitisset, futurum ut paulatim ab impietate regrederetur, in Ægypto autem nullam esse ad impietatem regressus viam. Hac de causa clero per ea tempora ignotum est. Qui vero in errorem seducti erant, & violentia huc compulsi, data quoque iis communio est: quemadmodum hæc & Romam scripta sunt, Romanorumque ecclesiam omnia comprobasse constat. Hæc quoque tuæ pietati confidenter scribo & significo, quo pietas tua ea quæ decreta sunt, hoc modo amplectatur.

Sabas & qui cum eo aderant monachi dixerunt: Non hæc solummodo D. Athanasii vox est, verum etiam synodorum, propterea quod inquit, idem pater ipsos quoque Romanos, totamque Græciam idem comprobavisse. Definit autem eos qui ex hæresi ad pristinam mentem redeunt, suscipiendos ad pœnitentiam, verum sacerdotii dignitatem minime illis restituendam.

Tarasius beatissimus patriarcha dixit: Non de quovis hæretico redeunte ad mentem, recipiendo beatus pater statuit, sed de eorum principibus & antesignanis, quique in sua hæresi veluti delicientur & se oblectant, verbisque artificiosis veritatem ipsam fucare student haud aliter ac orthodoxi cum libertate solent, ipsi autem sententiam scripturæ perversæ explicant. Verum iterum recitetur eadem epistola ad Rufinianum.

Epistola ejusdem patris.

Lecto autem loco, in quo beatus pater lapsis veniam

ANNO CHRISTI 787.

veniam dat impietatis, sed qui præcipui hæreticorum fuerunt, negat restituendos in ordinem sacerdotalem: qui vero antesignani non fuissent, sed vi & necessitate ad impietatem coacti, ignoscendum quidem illis, & in cleri locum restituendos, quod justam excusationem afferrent.

Venerabiles monachi dixerunt: En quemadmodum in principio diximus, sic est: siquidem beatus pater eos qui ex hæresi revertuntur, in sacerdotii dignitatem non recipit.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Videmini mihi mentem patris non intelligere, quandoquidem eos qui non fuere auctores hæreseos, vi autem compulsi sunt, recipit ad pristinam dignitatem: solummodo vero præcipuos atque adeo parentes, sive auctores hæresium, a dignitate sacerdotii recipienda excludit, recte profecto, justeque id pronuntians.

Et rursum.

Insignem pugilem D. Athanasium ecclesia novit, utpote qui Romam usque varia persecutione ab Arianicæ hæreseos principibus coactus, deinde inhoneste isthinc fugatus, cum rediisset in Græciam, passimque per ecclesias oberraret, adversarii illius pro tempore veluti ad meliorem mentem reversi, cum illo conjuncti sunt: verum illo recedente, confestim solita audentia ad pristinam hæresim reverterunt, piosque omni ratione persecuti sunt. Hac igitur ratione arbitror beatum patrem dixisse, ad sacerdotii dignitatem ejusce modi non recipiendos: utpote a quibus cum ipse, tum reliqui orthodoxi nihil præter gravia expectarent.

Sabas religiosus monachus inquit: Profecto vir erat, qui facile malorum obliviscebatur.

Tarasius sanctissimus patriarcha respondit: Clarum hoc est, non enim alicui mortalium malum pro malo retribuit. Verum propter zelum Dei & confirmationem ecclesiæ, humanitate sua & benignitate insita non potuit uti, nisi ad justitiam Dei tuendam, vindicandamque.

Ioannes venerabilis presbyter monachus, & locum retinens orientalis diœceseos, dixit: Recte hoc statutum in confirmationem audientium explicatum est. Monachi respondentes dixerunt: Verum vi adactos & compulsos beatus pater admittit. dicant igitur hi, an vim passi sint, an adacti sint, ut a veritate desciverint.

Hypatius, ejusque complices episcopi dixerunt: Nos violentiam nullam sustinuimus, neque adacti sumus, sed in hac hæresi nostra nati sumus & conversati, & vitam diu egimus.

Theodorus piissimus episcopus Catanæ, quique aderant illi Siculi episcopi, præterea Epiphanius civitatis Catanæ diaconus, & vicarius Thomæ episcopi Sardiniæ, dixerunt: Qui hactenus lecti sunt beatorum patrum canones, de Novatianis, Encratitis & Arianis dati sunt: hujus autem hæresis magistros quo loco habebimus?

Tarasius beatissimus patriarcha dixit: Invenimus & Manichæos respuisse imagines, sed & præter hos Marcionistas, & illos qui confundunt naturas Christi, quorum princeps Petrus Fullo: præterea " Xeneum Hierapolitanum, sed & Severum, aliosque hæreticos. (" ...iam)

Epiphanius venerabilis diaconus sanctissimæ Catanes ecclesiæ, & vicarius beatissimi Thomæ archiepiscopi Sardiniæ, inquit: Minor ne est, quæ nunc novata est hæresis, an major illis quæ hactenus fuere?

ACTIO PRIMA.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Malum perpetuo idem est & æquale: maxime autem in rebus ecclesiasticis, in quarum decretis, cum parvis tum magnis, errare idem est: siquidem in utrisque lex divina violatur.

Ioannes venerabilis monachus, locum tenens thronorum orientalium, dixit: Hæresis ista omnibus hæresibus pejor est, malorum omnium pessima: utpote quæ œconomiam servatoris nostri subvertat.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Ducit nos in rectam viam id, quod a beato patre nostro dictum est: si nulla alia subsit causa, recipiantur venerabiles episcopi.

Sancta synodus dixit: Legantur & reliqua canonicarum institutionum.

Constantinus venerabilis diaconus, & notarius sacri patriarchatus, legit: Ex actis sanctæ & universalis quartæ synodi Calchedonensis.

Orientales & qui cum illis erant piissimi episcopi exclamarunt: Peccavimus omnes, omnes veniam precamur. Et rursus Thalassius, Eusebius & Eustathius, venerabiles episcopi dixerunt: Omnes erravimus, omnes veniam petimus.

Et exurgens piissimus episcopus Iuvenalius transgressus est in alteram partem, & adjunxit se pœnitentibus. Et exaltata voce orientales, quique cum his erant religiosissimi episcopi clamaverunt: Bono omine Deus huc te adduxit: Orthodoxe, recte venisti.

Et post alia plurima piissimi Illyrici episcopi dixerunt: Omnes lapsi sumus, omnes veniam precamur.

Sabas venerabilis monachus & præfectus " studiorum, inquit: Si visum est sanctæ synodo, videamus ordinationem eorum, quos recipimus, num sint ab hæreticis, an minus. (" Stadii seu Studitarũ.)

Sancta synodus dixit: Quæratur deinceps de electione.

Antonius venerabilis monachus ex libro ecclesiasticæ historiæ Rufini Romani presbyteri legit. (Lib. 1. c. 28.)

Pergit interea Eusebius Alexandriam, ibique confessorum concilio congregato, pauci numero, sed fide integri & meritis multi, quo pacto post hæreticorum procellas & perfidiæ turbines tranquillitas revocaretur ecclesiæ, omni cura & * deliberatione discutiunt. Aliis videbatur fidei calore ferventibus, nullum debere ultra in sacerdotium recipi, qui se utcumque hæreticæ communionis contagione maculasset. Sed qui imitantes apostolum, quærebant, non quod sibi utile esset, sed quod pluribus; vel qui imitarentur Christum, qui cum esset omnium vita, pro salute cunctorum humilians se descendit in mortem, quo scilicet inveniretur & in mortuis vita; dicebant melius esse, * humiliare paulum propter dejectos, & inclinari propter elisos, ut eos rursus erigerent, nec sibimet solis puritatis merito cælorum regna defenderent, sed esse gloriosius, si cum pluribus illuc mererentur intrare. Et ideo sibi rectum videri, ut tantum perfidiæ auctoribus amputatis, reliquis sacerdotibus daretur optio, si forte velint, abjurato perfidiæ errore, ad fidem patrum, statutaque converti, nec negare aditum redeuntibus, quin potius de eorum conversione gaudere; quia & ille euangelicus junior filius pa- (* liberatione) (* humiliari) (Luc. 15.)

ACTIO PRIMA.

ternę depopulator substantiæ, sed in semetipsum reversus, non solum suscipi meruit, sed & dignus paternis complexibus deputatur, & annulum fidei recipit, & stola circumdatur: per quam quid aliud, quam sacerdotii declarantur insignia? nec probabilis extitit apud patrem senior filius, quod invidit recepto: nec tantum meriti habuit non delinquendo, quantum notæ contraxit non indulgendo germano.

Cum igitur hujuscemodi sententiam ex euangelica auctoritate prolatā, ordo ille sacerdotalis & apostolicus approbasset ex concilii decreto, Asterio ceterisque qui cum ipso erant, orientis injungitur procuratio, occidentis vero Eusebio decernitur. Additur sane in illo concilii decreto etiam de Spiritu sancto plenior disputatio, ut ejusdem substantiæ ac deitatis, cujus Pater & Filius, etiam Spiritus sanctus crederetur, nec quidquam prorsus in Trinitate aut creatum, aut inferius, posteriusve diceretur.

Constantinus venerabilis diaconus & notarius legit.

Lib. 1. c. 14. *Ex historia ecclesiastica Socratis.*

Photinus Sirmii existens episcopus, Marcelli Ancyrani fuit discipulus, & ipse purum hominem Christum, quemadmodum præceptor ejus Marcellus, dixit.

Lib. 2. c. 16. *Et iterum idem ex eadem historia legere cœpit.*

Qui vero in Sardicensi synodo fuerant, indicta causa damnarunt, definitionem autem fidei Nicææ datam confirmarunt, omnem impietatem ejicientes & execrantes: reddiderunt vero sedes Paulo & Athanasio, necnon Marcello Ancyrano, apologiam afferenti & dicenti, non intellectum suum librum, cum ipse etiam aversetur omnes, qui purum hominem Christum dicunt.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Plurimi jam canonici, sanctarumque synodorum & patrum libri lecti sunt, qui docent nos reversos ab hæresi recipere debere, modo non subsit improba aliqua causa. Sancta synodus dixit: Recte fecit dominus, qui nos ex epistolicis & synodicis commentariis de hæreticis recipiendis instruxit.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Id quod ex beato patre Athanasio lectum est, denuo legatur.

Stephanus librarius & venerabilis monachus legit: Epistola beati Athanasii ad Rufinianum, ut prius scriptum est.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Quemadmodum in superioribus docuimus, ita mens est beati patris Athanasii.

Venerabiles monachi dixerunt: Nos indigni sanctitatis tuæ servi, & antea testati sumus, quodcumque sacræ synodi admittunt, modo nihil sit quod impediat, & nos recipere.

Petrus Dei studiosissimus presbyter & apostolicæ sedis Hadriani papæ Romani vicarius, dixit: Et Romæ quoque extorris erat Macarius, hæreticus a sancta synodo sexta designatus: verum piæ memorationis pater noster Benedictus deliberandi spatium per triginta dies illi concessit, & quodam tempore Bonifacium consiliarium ad eum misit, quo verbis admonitione plenis ex sacra scriptura illum instrueret: verum ad meliorem mentem haud quaquam perduci potuit. Id autem pater beatus

A ob id egit, quo rursus illum in pristinum statum reciperet. ANNO CHRI. 78?

Sacra synodus respondit: Si ex toto corde episcopi isti delictum agnoverint, gratia Deo, ipsisque. Si vero ficto animo simulant, judicet in eos dominus, quemadmodum in Arium & Nestorium judicavit. Episcopi autem, in quos inquisitum erat, se ipsi execrantes, aperte testati sunt non subesse confessioni fictum animum: dixerunt autem, nisi secundum catholicam ecclesiam senserimus, execrabiles simus a Deo patre, & Filio, & sancto Spiritu.

Tarasius sanctissimus patriarcha ait: Inhærendum est superioribus dictis.

B Petrus Dei studiosissimus episcopus, vicarius sanctissimi papæ Romani Hadriani, dixit: Ut scriptum est ab historicis, divus Meletius creatus fuit ab Arianis episcopus: & cum ascendisset ambonem, prædicavit consubstantialitatem, & tamen illius electio reprobata est.

Theodorus sanctissimus episcopus Catanes, reliquique episcopi Siciliæ dixerunt: Certum est quod inquit protopresbyter apostolicæ cathedræ.

Tarasius sanctissimus patriarcha ait: Nusquam equidem discrepanti animo patres invenimus, verum omnes veluti ejusdem spiritus eadem prædicant, eademque docent: verum ecclesiæ œconomiam [gubernationem] contemplatus C beatus pater Athanasius, ita nobis tradidit, ut judicet recipiendos in cleri consortium, qui hæreseos magistri non fuissent.

Religiosi monachi dixerunt: Si quid in medio synodi judicatum est, censemus recipiendum.

Sancta synodus dixit: Speramus post sanctam synodum non futuros aliquos, qui pervertentur. Ea ratione & episcopi sese anathematismo obligaverunt, ut si ad priorem hæresim reversi fuerint, judicet de eis sancta synodus.

Constantinus vir religiosus episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, dixit: Multa sanctitate conspicui domini, si quidem hi libellos D confessionis exhibuerint, recipiantur: sin minus, judicet de eis sancta synodus.

Clarissimi duces dixerunt: Gestant in manibus libellos, eosque parati sunt offerre.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Consilio meo, de præsenti quæstione quidquid est reliquum sanctorum canonum, evolvatur.

Cosmas venerabilis diaconus, & sacri patriarchatus* cubicularius, ex vita sancti patris nostri Sabæ legit: Itaque cum sancta universalis quinta synodus Constantinopoli esset congregata, communi & generali anathemate rejecti sunt Origenes & Theodorus episcopus Mopsuestiæ, & quæcumque ab Euagrio & Didymo dicta sunt de præexistentia, sive περὶ προϋπάρξεως. Probarunt autem id quatuor patriarchæ præ-E sentes. Præterea imperator noster Dei observantissimus acta synodi Hierosolymam misit: in qua civitate coacto episcoporum conventu, quotquot erant Palæstinorum episcopi, manibus & pedibus & ore sententiam & statutum synodi confirmarunt, nisi quod Alexander episcopus Abyles contrarium sensit: quamobrem episcopatu exutus Byzantium se recepit, & terræmotu absorptus est & defossus. Neolauritas autem, cum se a catholica communione separassent, Eutychius patriarcha diversis rationibus aggressus est, & in octo menses usque varia admonitione

* al. ecclesius.

admonitione & adhortatione usus, cum non A posset fieri voti compos, neque ad unitatem ecclesiæ eos perducere, imperatoriis jussionibus obtemperans, illos per Anastasium ducem a Neolaura expulit, regionem ab illorum peste liberans.

Tarasius beatissimus patriarcha ait: Videtis quod octimestre tempus archiepiscopus exegit, longanimitate & adhortationibus apud illos usus: atqui jam noverat ante eos anathemate in synodo execratos. Quid est igitur quod hæsitamus & præbemus nosmetipsos difficiles, quo minus ex ordinatione canonica, & sanctorum patrum diligentia, & synodicis jussionibus, quæ B redeuntes ab hæresi qualibet recipiunt, & hos admittamus?

Sancta synodus dixit: Sic est revera, nisi tamen canonica subsit causa, quæ impedimento sit.

Tarasius sanctissimus patriarcha inquit: Sic placeat omnibus, quo eos recipiamus.

Sancta synodus dixit: Placet omnibus.

Venerabiles monachi exclamarunt: Et nobis sane placet.

Tarasius beatissimus patriarcha dixit: Denuo dicimus, si alia non subsit canonica causa quæ prohibeat, redeuntes recipiantur. Oportet enim ubique canonicas ordinationes servare.

Venerabiles monachi dixerunt: Iuxta sex sanctas & œcumenicas synodos ex hæresi redeuntes recipimus, nisi causa quæpiam non toleranda subsit.

Tarasius beatissimus patriarcha dixit: Et nos quoque omnes instructi a sanctis patribus nostris, sic definimus.

Venerabiles monachi dixerunt: Si qui monachi a sacra synodo absunt, quid de illis fiet?

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Illis ex canonibus prius lectis hæc persuadebimus: qua autem de causa ab hac synodo absunt?

Sabas religiosissimus monachus dixit: Non novi, sed sibi ipsi adversantur.

Euthymius religiosissimus episcopus Sardensium dixit: Quemadmodum jam admonuimus, afferantur libri, ut plenius erudiamur de his, qui ab hæreticis sunt ordinati.

Constantinus venerandus diaconus & notarius ait: Quandoquidem jubetis, ut de consuetudine ea qua ab hæreticis quidam ordinantur, legamus: Ecce vobis libros, ut si jusseritis, legantur.

Sancta synodus respondit: Legantur.

Stephanus venerabilis monachus librorum custos legit.

Ex historia ecclesiastica Rufini.

Hanc igitur intestinam persecutionem Macedonius ad episcopatum accedens auxit: Acacius vero & Patrophilus, Maximo Hierosolymorum episcopo expulso, Cyrillum suffecerunt.

Et post hæc Cosmas venerabilis diaconus, notarius & cubicularius sacri patriarchatus, legit.

Ex historiæ ecclesiasticæ Theodori lectoris libro quinto.

Dioscorus autem secundum canones sibi visos creatus, episcopatui Constantinopolitano inhæsit: designavit etiam primatem ecclesiæ ejusdem Anatolium quemdam, qui Alexandrinæ ecclesiæ quisquilias Constantinopoli effundebat, habens sibi confestim comministrum Eutychen, ad quem urbane Anatolius inquit: Futurum ignorat, qui in quo statu fuit, & non considerat. Acta autem hæc sunt sub consulatu Protogenis & Asterii.

ACTIO PRIMA.

Tarasius beatissimus patriarcha dixit: Quid de Anatolio dicitis? nonne princeps fuit quartæ synodi? & tamen a Dioscoro impio illo fuerat creatus, atque id etiam presente Eutyche. Ergo & nos ab hæreticis ordinatos recipiamus, quemadmodum quoque Anatolius receptus est. Et iterum: Vera Dei vox est, filios non morituros pro patribus, sed unusquisque pro suo peccato morte morietur. Addatur quod ordinatio a Deo est. Quandoquidem autem de Anatolio dubitant, legatur quid de eo scriptum sit.

Cosmas diaconus & * cubicularius sacri patriarchatus, legit.

* al. cubiclesius.

Præfatio Calchedonensis sanctæ & universalis synodi.

Conveniente sancta & universali synodo secundum sacram præceptionem in Calchedonensi urbe congregata, nimirum Paschasino & Lucentio reverendissimis episcopis, & Bonifacio religiosissimo presbytero, tenentibus locum sanctissimi & reverendissimi archiepiscopi almæ urbis Romæ Leonis, & Anatolio reverendissimo episcopo inclytæ urbis Constantinopoleos novæ Romæ.

Reverendissimi monachi dixerunt: Et istud quoque recipimus.

Iterum Constantinus diaconus & notarius sacri patriarchatus legit.

Ex vita sancti patris nostri Sabæ.

Flaviano igitur & Elia patriarchis, ut dictum est, Sidoni existentibus, literisque adulatoriis & œconomicis ad imperatorem utentibus, præterea Sidonensem synodum, quæ secundum re- D ctam fidem congregata fuit, dissolventibus, cum domum ad proprias sedes redirent, qui a Soterico & Philoxeno stabant, rem indigne ferentes, in iram vehementissimam imperatorem excitarunt, utpote qui deceptus per vafriciem & simulationem patriarcharum fuisset. Accepta autem potestate, quantam ipsi volebant, auroque sufficienti, Antiochensium populo id diviserunt, atque ita variis modis Flavianum afflixerunt & vexarunt, cogentes interim, & obtorto collo huc trahentes, ut acta Calchedonensis concilii anathemate prosequeretur: quo nolente, episcopatu suo privatus, in exilium quoque damnatus est. Cum autem eam rem cognovisset imperator, & ex animo id sibi placeret, E Severum quemdam, principem hæresis Acephalorum, Antiochiam in episcopatum dirigit. Hic episcopatu accepto, qui illius conversationem & consuetudinem detestabantur, in eos pessima quævis exempla edidit. Dirigit etiam synodicas suas literas Eliæ patriarchæ: quo non recipiente, in archiepiscopum imperatorem exacerbavit. Rursus easdem Hierosolymam versus mense Maio indictione sexta mittit, addita clericorum quorumdam & regia quoque manu. Quod cum percepisset beatus noster pater Sabas, ascendens cum reliquis eremi præsidibus in sacram urbem, eos qui cum synodicis Severi veniebant, ex sancta civitate exegit. Multitudine

ACTIO PRIMA.

dine autem monachorum undique confluente, omnes ante sacrum Cranium, sive Calvariæ locum, simul cum Hierosolymitis congregati sunt, unaque voce exclamarunt: Anathema Severo, omnibusque qui cum eo communicant: præsentibus & audientibus adhuc magistrianis principibus & militibus, quos imperator isthuc miserat. Hic autem Severus miris adulationibus auctoritatem sibi apud imperatorem obtinens, & confisus regia potestate, Calchedonensem synodum infinitis execrationibus devovit, omnibus ingenii viribus Eutychis opinionem catholicis adversam defendere, & porro spargere conatus. Eutyches autem unam Christi filii Dei post incarnationem ex virgine naturam asserebat, homo pervertens omnia & tumultuarius, qui plurima nova dogmata ecclesiæ catholicæ fidei & legibus contraria confinxit. probabat enim impiissimam illam & latrociniis maxime infamem secundam Ephesinam synodum; testatus aperte, illam non inferiorem, quam priorem Ephesi habitam, censendam. Præter hæc eruditione & doctrina æquales affirmabat Cyrillum divinum Alexandrinorum archiepiscopum, & Dioscorum, qui in communionem recepit Eutychen hæreticum, veluti convenientem animo & opinionibus suis, & sanctissimum & unice orthodoxum Flavianum sanctæ urbis archiepiscopum interfecit & sustulit. Atque ita ad omnem impietatem promovens Severus his, nihil aliud quam linguam suam in Dei blasphemiam exacuit. divisit autem in suis libris indivisam & unam in Trinitate deitatem & hypostasin, nullam in his nominibus differentiam agnoscens. Unam sanctam adorandam & consubstantialem divinarum hypostaseon Trinitatem, naturarum & deitatum & deorum Trinitatem ausus est dicere. hujuscemodi autem animarum corruptorem & pestem Anastasius imperator compulit Eliam archiepiscopum in communionem recipere: cumque nulla ratione id ageret, ira exardescens imperator, Olympium quemdam Cæsareensem, qui ducatum Palæstinæ curabat, addita generali a Sidone scripta epistola, in qua continebatur non recipiendam Calchedonensem synodum, ad Eliam episcopatu deturbandum misit. Olympius autem cum regia potestate accedens, usus variis artibus, Eliam abegit, Ioannem vero Marciani filium, consentientem cum Severo & communicantem, Calchedonensemque synodum execrantem, episcopum Hierosolymorum die tertio mensis Septembris, in principio decimæ indictionis instituit. Postquam autem honorabilis Sabas & reliqui eremi patres audivissent Ioannem consecratum esse a Severo, congregati apud eum, ex aperto testati sunt, se neutiquam in communionem Severum recepturos, sed pro Calchedonensi synodo extrema passuros, præsertim cum totam populi catervam habeant commilitantem. Ea ratione Ioannes, quia patres suspiciebat, negligit ea conficere quæ a duce erant ei commissa. Anastasius autem imperator postquam percepisset Ioannem fœdera rupisse, in furorem versus, cum Olympius ad manus non esset, statim Anastasium Pamphili ducatui Palæstinæ præfectum mittit, quo Ioannem compellat, uti Severum ad communionem recipiat, & synodum Calchedonensem anathemate devoveat, aut episcopatu deturbetur. Hic igitur cum ingressus esset Hierosolyma, evestigio Ioannem ad se vocatum in carcerem publicum dimittit. Totus autem populus ea causa gaudio dissolutus est, quod is insidiator & proditor archiepiscopi Eliæ fuisset. Quidam autem Cæsareensium civitatem gubernans, clam in carcerem ingressus, consilium dat Ioanni, modo velit rebus suis consultum, & episcopatu suo minime privari, videat ne a quopiam illi persuadeatur, quo in communionem Severum recipiat. persuadeat autem duci, dicatque se omnia quæ jussa sint ut faciat, sine mora effecturum: verum ne per vim & necessitatem videatur compulsus, se, ubi liberatus sit e carcere, post duos dies, quo instat dominica, quævis imperata alacriter facturum. His vero verbis persuasus dux eum ecclesiæ sistit: itaque archiepiscopus a carcere liberatus totum monachorum cœtum, per noctem ad sanctam civitatem convocat. Fuit autem numerata eorum multitudo circiter decem millia monachorum. Quandoquidem autem tantam hominum multitudinem ecclesia capere non poterat, visum est, ut ad sancti protomartyris Stephani templum sese conferrent, quod tantæ multitudini videbatur sufficiens: quo minus autem mali quippiam daretur suspicandum duci, simulavit omnis turba se Hypatio consobrino imperatoris gratulandi causa occurrere, qui a Vitellianæ captivitate liberatus, voti reus Hierosolymam se contulerat. Postquam igitur omnes tum monachi, tum cives in præmemorata basilica convenissent, adfuit & Anastasius dux, & Zacharias vir consularis, adducentes secum cum magna multitudine Hypatium in protomartyris Stephani basilicam, existimante quoque duce omnia pro regis voluntate & arbitrio eventura. His autem congregatis, in cancellos ascendit archiepiscopus, comites habens secum Theodosium & Sabam monachorum coryphæos & præsides. Populus autem universus nihil aliud quam longo tempore exclamabat: Hæreticos anathematiza, synodum confirma. Confestim autem tres illi una voce Nestorium, Eutychen, Severum, & Soterichum Cæsareæ ejus, quæ est Cappadociæ, episcopum, & omnes qui synodum Calchedonensem non recipiunt, condemnant.

Tarasius beatissimus patriarcha dixit: Recte hactenus nostras aures patrum præcepta instruxerunt. quid autem, ab hæreticis creatos recipiemusne, an minus?

Sancta synodus dixit: Sane domine, satis sumus instructi, & sunt recipiendi.

Tarasius beatissimus patriarcha dixit: Sane & plurimi qui in sexta synodo præsides fuerunt, a Sergio, Pyrrho, Paulo & Petro, doctoribus (inquam) hæreseos monothelitarum, fuere creati. Sed & hi vicissim Constantinopolitanas sedes inter clerum distribuerunt, & ab extremo eorum doctore Petro usque ad sextam synodum anni non pauciores quam quindecim intercesserunt. Qui vero intermediis temporibus fuerunt, Thomas scilicet, Ioannes & Constantinus, ab hæreticis fuerunt ordinati, verum ea de causa non sunt reprobati. Circiter enim quinquaginta annos hæresis illa viguit: & tamen in sexta synodo patres quatuor illos prænominatos tantum damnarunt, cumque eorum ordinationem reliquerint.

Sancta synodus dixit: Clarum est.

Constantinus reverendissimus episcopus Constantiæ

ſtantiæ ejus quæ eſt in Cypro, dixit: Satis jam videtur mihi confirmatum, eos qui ab hæreticis ordinati ſunt, recipiendos: ſi quis vero deſtinato animo ad hæreticos ſe contulerit, ab eiſque ordinatus fuerit, eum nequaquam recipiendum.

Venerabiles monachi dixerunt: De his quoque divi Baſilii ad Nicopolitas epiſtolam habemus, rogamuſque ut audiatur.

Taraſius beatiſſimus patriarcha dixit: Legatur. Conſtantinus diaconus & notarius legit.

Ex epiſtola beati patris noſtri Baſilii ad Nicopolitas.

Non novi epiſcopum, neque inter ſacerdotes Chriſti numeraverim, qui a contaminatis manibus in fidei vaſtationem, ad dignitatem aliquam fuerit provectus. Hoc meum eſt judicium: vos vero ſi quam habetis vobiſcum electionem, ipſi judicate, conſultateque, quandoquidem unuſquiſque ſuæ ſententiæ dominus eſt, nos vero innocentes a ſanguine iſto. Hæc autem vobis ſcripſi, non quod quidquam diffidam, ſed ut quorumdam ambiguitatem confirmem & explicem, prolata in diverſum mea ſententia, ne ſcilicet quoſlibet ad communionem ſuſcipiatis, neve manuum impoſitionem ab eis recipiatis, ut poſtea pace facta, violenter ſeipſos ſacerdotali complemento adnumerent.

Venerandi monachi dixerunt: Ecce pater hæreticorum creationem, in eo quod inquit: Neque inter Chriſti ſacerdotes numeraverim, qui ab impuris manibus in fidei vaſtationẽ, ad dignitatem aliquam fuerit provectus: omnino averſatur.

Taraſius ſanctiſſimus patriarcha inquit: Et ego profecto, qui ob hujuſcemodi cauſam & in fidei diſſolutionem creati ſunt, abominor. Tum autem maxime, quoties orthodoxi epiſcopi fuerint præſentes, a quibus potuere creari. Hæc autem eſt ſententia beati patris, ſi ſynodica convocatio fuerit facta, & eccleſiarum in recta fide concordia, qui auſus fuerit impuris hæreticis creandum ſeſe dare, deponi dignus eſt.

Sancta ſynodus ait: Hæc vera ſententia eſt.

Venerandi monachi dixerunt: Id vero, quod in fine epiſtolæ ſcriptum eſt, ut poſtea pace facta, violenter ſeipſos ſacerdotali complemento adnumerent, & poſt pacem creatos quoque non recipit, quid ſibi vult?

Taraſius beatiſſimus patriarcha dixit: Nequaquam inquit pater eos non recipiendos, ſed ne vim ſuſtineant, volentes uniri recte ſentienti clero. Sane enim non ex neceſsitate & difficultate hoc fiet. Attamen divinus patet, cum per ea tempora plurimi eſſent epiſcopi orthodoxi, alumnis eccleſiæ Arianorum creationem interdixit. Nulla enim aderat defenſio. Quod autem illud ita ſe habeat, quodque non ignorarint ſententiam patris noſtri, qui fuerunt in eccleſiæ functionibus illi ſucceſſores, qui ab hæreticis electos, deinde vero emendatos receperunt, clarum eſt ex ſuperioribus. In omnibus enim patres ſibi conſona ſcribunt, contrarietaſque inter ipſos nulla reperitur: ſed illi videntur ſibi contraria apud illos notare, qui diſpoſitionem dictorum, & ſcopos eorum non intelligunt.

Venerabiles monachi dixerunt: Apte ſoluta eſt dubitatio.

Sancta ſynodus dixit: Epiſcopi qui confeſsi

A ſunt, proprios libellos, quod ad eccleſiam redierint, legant.

Taraſius beatiſsimus patriarcha dixit: Legant. diſcuſſa enim exacte quæſtionum duarum capitalium hypotheſis eſt, de iis videlicet qui ad eccleſiam catholicam ex hæreſi redeunt, & qui ab hæreticis ſunt ordinati.

Hypatius epiſcopus Nicææ ſuum libellum legit. eſt autem idem libellus, quem etiam Baſilius reverendus Ancyræ epiſcopus fecit. Leo epiſcopus Rhodi, Nicolaus Hierapoleos, Gregorius Peſsinuntum, Georgius Antiochiæ Piſidiæ, & Leo Carpathi, æquales libellos exhibuerunt.

Taraſius ſanctiſsimus patriarcha dixit: Confeſsiones cognoſcentes, ubi libellos legerimus,
B in ſecunda congreſsione receptio illorum fiet, modo nihil apud eos ſit quod impediat.

Sancta ſynodus dixit: Fiat, ut jubes. Interea ſancta ſynodus exurgens, in hunc modum fauſta precata eſt: Multi ſint anni Conſtantini & Irenes: maximorum regum & imperatorum multi ſint anni orthodoxis imperatoribus. Compeſce domine hæreticorum vanas voces, da domine illis piam vitam.

Taraſius ſanctiſsimus patriarcha dixit: Pax domini ſit cum omnibus nobis. Amen.

C

ACTIO SECVNDA.

In nomine domini & dominatoris Ieſu Chriſti, veri Dei noſtri, imperantibus piiſsimis & Chriſti amantiſsimis dominis Conſtantino & Irene pia ejus matre, anno octavo conſulatus ejus, ſub ſexto Kalendas Octobris, indictione undecima, conveniente ſancta ac univerſali ſynodo, quæ per divinam gratiam, & a Deo decretorum imperatorum piam ſanctionem in Nicæa ſplendida metropoli provinciæ Bithyniæ congregata eſt, videlicet Petro religioſo protopreſbytero eccleſiæ ſanctiſsimæ divi Petri apoſtoli apud Romanos, & Petro venerabili preſbytero, monacho & præſide manſionis piæ ſancti Sabæ apud Romanos, retinentibus locum apoſtolicæ ſedis ſanctiſsimi archiepiſcopi veteris
D Romæ Hadriani, Taraſio beatiſsimo archiepiſcopo almæ urbis Conſtantinopoleos novæ Romæ: Ioanne item & Thoma religioſiſsimis preſbyteris monachis, retinentibus locum apoſtolicorum thronorum orientalis diœceſeos: conſiſtentibus his ante ſacros cancellos templi ſanctiſsimæ eccleſiæ cognominatæ Sophiæ, præſentibus ſimul & audientibus illuſtriſsimis juxta ac magnificentiſsimis ſenatoribus, nimirum Petronio glorioſo exconſule patricio, & Theophylacto comite imperialis obſequii, Ioanne regio oſtiario & quæſtore ærarii militaris, & tota denique ſynodo juxta ordinem in priori actione
E præſcriptum: præſentibus etiam religioſiſsimis archimandritis præſidibus, & toto monachorum cœtu, propoſitis in medium ſanctis & inviolatis Dei euangeliis, Nicephorus reverendus diaconus & chartophylax ſacri patriarchatus, dixit: Ante fores hujus venerandi templi regius quiſpiam homo adſtat, Epiphanium Neocæſareæ epiſcopum ſecum adducens.

Taraſius beatiſsimus patriarcha dixit: Ingrediantur.

Mox ſplendidiſsimus regius mandator ingreſſus, ait: Miſſus fueram ab optimis noſtris dominis, ut venerandum epiſcopum Neocæſareæ ad piam & ſacram veſtram ſynodum adducerem, quem jam vobis ſiſto.

ACTIO SECVNDA.

Sacra synodus respondit: Deus pios nostros imperatores custodiat & conservet.

Tarasius beatissimus patriarcha ad episcopum Neocæsareæ ait: Num ignota tibi hactenus fuit veritas, aut cognitam contempsisti? & si ignota tibi fuit, non pudet te rectum sermonem minime didicisse, quemadmodum non puduit te didicisse perversum?

Gregorius venerandus episcopus Neocæsareæ dixit: Quandoquidem universus iste cœtus idem loquitur, & idem sentit, didici & instructus sum, quod hæc sit veritas, quæ nunc existimatur & prædicatur. Et ea de causa veniam postulo meorum antea delictorum. Cupio autem & cum omnibus his illuminari & doceri. Siquidem errata mea & delicta infinita esse agnosco, & pro pœnitentia apud sanctam synodum, beatumque dominum solicito.

Tarasius beatissimus patriarcha dixit: Nisi forte versuto velamine & prætextu mentem tuam inumbres, verbis quidem veritatem exprimens, sed animo interim doloso aliud sentias.

Gregorius venerandus episcopus Neocæsareę ait: Absit, veritatem confiteor, neque est cur mentiri velim, aut verba mea distorquere.

Tarasius beatissimus patriarcha ait: Debueras ab hinc multo tempore aures aperuisse, & Paulum divinum apostolum audivisse dicentem:
2. Thess. 2. *Traditiones quas accepistis, sive per sermonem, sive*
1. Tim. 6. & Tit. 3. *per epistolas nostras, servate.* Et iterum Tito & Timotheo scribentem: *Impuras verborum vanitates respuite.* Quid autem impurius & vaniloquentius, quam Christianos idololatriæ studiosos dicere?

Gregorius venerandus episcopus Neocæsareæ dixit: Malum est, & malum esse confitemur: sed sic factum est & fecimus: ea vero de causa veniam delictorum nostrorum postulamus. Confiteor domine coram honorificentia sanctitatis tuæ, omniumque fratrum sanctæ synodi, quod erravimus, & iniquitatem improbitatemque designavimus, & veniam ob id poscimus.

Tarasius beatissimus patriarcha inquit: Placeat, ut sequenti auditione cum libellis, quæ ad eum pertinent, cognoscamus.

Sancta synodus ait: Ut jubet sanctitas tua, cum libello in sequenti actione adstans episcopus veniat, & juxta constitutum agetur.

Leontius gloriosissimus imperatori a secretis dixit: Sacra & a Deo collecta synodus meminerit, in priori conventione Dei observantium magnorum imperatorum nostrorum fuisse lectas literas, in quibus mentio fiebat sanctissimi & beatissimi archiepiscopi veteris Romæ, & religiosissimorum pontificum orientis synodicarum literarum, quas in duobus quaternionibus adducimus, de quibus vos, quid fieri vultis, admonemus.

Sancta synodus dixit: Legantur libelli beatissimi & sanctissimi archiepiscopi veteris Romæ. Et legit eas Nicephorus gloriosissimus ab imperialibus secretis.

Interpretatio literarum Romanarum Hadriani Romani archiepiscopi.

Dominis piissimis & serenissimis victoribus, triumphatoribus, filiis in Deo & domino nostro Iesu Christo dilectis, Constantino & Irenæ Augustis, Hadrianus servus servorum Dei.

2. Cor. 4. Deus qui jussit e tenebris lucem splendere, quique nos a potestate tenebrarum per filii sui,

A veræ scilicet lucis, incarnationem, liberavit, in quo cuncta divinitatis suæ specimina jussit conversari, per quem etiam universa renovavit, simul in illo, per sanguinem crucis illius, cum ea quæ in cælis, tum in terra existentia pacificans, per divitiarum bonitatis suæ plenitudinem, in ecclesiæ suæ faciem respiciens, pietatem vestram & prædestinatam serenitatem imperatoriæ mansuetudinis ad perfectionem fidei vocare non dedignatus est, quo omnem mendacii improbitatem per vos contegat, veritatemque in lucem producat. Posteaquam enim quæ a vestra serenitate & pietate nobis missa sunt, cognovimus, dici non potest, quantopere cor nostrum gavisum sit: tanto enim gaudio
B & lætitia repleti sumus, ut ne humana quidem lingua explicare ea sufficiat. Quemadmodum enim a superioribus hæreseos schismatibus eramus conterrefacti, ita nunc rursum per vestram jussionem exultatione sumus perfusi. nam in regia vestra civitate venerandarum imaginum causam jussistis retractari, quæ a retro imperatoribus turpiter in eas commissa sunt. Hi enim non solum eas subverterunt, sed & contumelia affecerunt, ridiculas eas existimantes, atque utinam non computet illis peccatum hoc altissimus. Satius enim fuisset, ne injecisse quidem manus in ecclesiam. unde factum, ut totus orientalium partium populus in errorem sit in-
C ductus, & in propria existimatione & voluntate rebus ecclesiæ abusi sint, donec in regni solium vos erexit, quos sciebat in veritate illius gloriam inquisituros, & quæ a sanctis apostolis, cunctisque doctoribus tradita erant, conservaturos; honoremque debitum venerandis imaginibus, quæ per amentiam hæreticorum subversæ fuerant, reddituros. Nuper vero per piam vestram jussionem de voluntate vestra instructi, omnipotentem Deum pro vestro imperio precibus solicitantes, gratiarum actione gloriam illius prædicavimus. Illud autem in stabilimentum & confirmationem regni vestri maxime sit, quod magnum opus hoc aggressi estis,
D quod sine mediatione vestra in hoc mundo vix fieri potest: reddetur enim jam sibi vetus & antiqua orthodoxa fides, restituentur venerandæ imagines in eam faciem, qua in prima ecclesia conspectæ sunt. Vos autem partem habebitis cum eo, qui nunc in divina requie quiescit, Constantino imperatore & Helena ejus matre, qui orthodoxam fidem illustrarunt & confirmarunt, adeoque sanctam matrem vestram catholicam & spiritualem Romanam ecclesiam exaltarunt, ut plane spes sit, eorum piam appellationem in vestra cognomenta piissima & a Deo data transituram, ut per omnem terrarum orbem novus Constantinus & nova Helena prædicetur, per quos sancta catholica & apostolica ecclesia renovabitur. Vos autem maxime in traditione orthodoxæ
E fidei ecclesię beati Petri & Pauli principum apostolorum acquiescetis, eamque amplectemini, quemadmodum a superioribus imperatoribus factum est, qui vicarium ejus ex toto corde dilexerunt. Quapropter vestra quoque a Deo data majestas, sanctissimam Romanam ecclesiam Matth. principum apostolorum, quibus a Deo ipso data est potestas solvendi & ligandi peccata cum in cælo, tum in terra, honorabit. Ipsi scilicet regni veri propugnatores erunt, cunctasque barbaras nationes pedibus vestris subjicient, ut quocumque ire perrexeritis, victores vos declarent.

Hi

Anno Chr. 78[…] Coloss.

NO ISTI 7. Hi siquidem principes apostolorum sunt; qui catholicam orthodoxam fidem auspicati, per scripta quidem veluti legibus latis fidem suam servandam præceperunt: omnibus scilicet, qui in sedes illorum successuri erant, & in fide eorum usque ad consummationem sæculi permansuri, atque ita nostra servat ecclesia, & sanctas eorum figuras veneratur; unde in hunc usque diem venerandis horum imaginibus ecclesiæ nostræ ornatæ ac conspicuæ sunt. Quemadmodum sanctissimus & beatissimus papa Silvester in principio Christianorum nostrorum orthodoxa fide testatur. Cum aliquando felicis recordationis Constantinus imperator per noctem somnum caperet, ecce beati apostoli Petrus & Paulus dormienti adstiterunt, dicentes: Quandoquidem sanguinis infantium effusionem morbi tui gratia fieri jussisti, en a Christo missi sumus, quo sanitatem tibi afferamus. Audi igitur nostrum consilium, & ea quæ tibi præcipimus, fac impleas. Principio Silvestrum episcopum, qui persecutionis tuæ gratia Roma
teno exulat, & in * Sorapeno monte clam in speluncis cum clero latitat, cura ad te vocari. Is tibi lavacrum pietatis, in quo lavaberis, præparabit, dabiturque tibi non modo lepræ, verum omnium morborum sanitas. Cumque præclaris istis bonis fueris recreatus, confestim jubeto, per omnia loca Romanorum ecclesias restaurari; te vero ipsum purum, abjecto idolorum cultu, declarabis, cultumque debitum soli Deo vero adorando exhibeas, juxta illius voluntatem omnia tua consilia disponens. Imperator itaque e somno excitatus, omnes suos aulicos, quicumque in palatio erant, convocavit, quodque per insomnium illi ostensum fuerat, exposuit: nec mora aliqua, sed confestim ministros suos ad Sorapenum montem, in quo beatus pater Silvester cum clero vacans lectionibus sacrorum librorum, latitabat, misit. Iam cum undique videret milites circumcingentes montem inquirendi causa, existimans quod ad martyrium raperetur, clerum ita affatus est: *Ecce*
6. *nunc tempus expectatum, ecce nunc dies salutis.* Egresso autem de spelunca narrarunt milites, qua de causa quæreretur: cum quibus ad imperatorem, trahens secum comites tres presbyteros cum duobus diaconis, profectus, cum imperatorem vidisset: Pax tibi, inquit, o imperator sursum de cælo, & victoria. Imperator itaque hilari oculo & tranquillo animo illius verba exaudiens, quæcumque sibi per insomnia fuerant revelata, beato Silvestro exposuit. Postquam autem finem narrationis fecisset, quæsivit imperator, qualesnam arbitraretur esse deos Petrum & Paulum, quos viderat. Respondit pater, nequaquam esse deos, sed servos & discipulos domini nostri Iesu Christi, quos in hoc elegisset, ut omnes gentes converterent, ut crederent in eum. Hæc cum audivisset imperator, percontatus est, num alicubi essent historiæ illorum. mox beatus Silvester per diaconos afferri, quas habebat, apostolorum imagines jussit: quas cum imperator aspexisset, clara voce proclamavit: Hi sunt quos per visum conspexeram, neque amplius incredulus sum: paretur lavacrum in meam salutem. Constructo autem lavacro, cum sacro rore tinctus esset, confestim est sanitati pristinæ restitutus. Deinde non immemor accepti beneficii, ecclesias Dei ædificare cœpit, columnas earum passim sacris imagi-

A nibus in memoriam incarnationis domini nostri Iesu Christi omniumque sanctorum reverentiam exornavit: nec alia de causa, quam ut Christianismum in lucem & veritatem, Deique cultum proveheret, & omnes gentes a cultu idolorum & diabolica deceptione converteret. ACTIO SECUNDÆ.
Quemadmodum etiam divus pater Gregorius apostolorum successor prædicavit, ob id depingi in templis euangelicas historias, ut homines illiterati, & qui sacros libros legere nequeunt, (quorum sane maxima pars est) conspectis illis redderent Deo gloriam, & reducerent in mentem, quæ in carne conversatio domini nostri Lib. 7. indic. 2. epist. 109.
B Iesu Christi fuisset. Ut taceam interim orthodoxos alios & Christianissimos imperatores, cum sacerdotibus omnibus & honestis viris Deum colentibus, simul etiam cum universo Christiano populo, qui omnes juxta antiquam sanctorum patrum traditionem, venerandas imagines & receperunt & tenent, & in memoriam & compunctionem cordis conservant, & in hunc usque diem venerantur. Neque aliter fiebat in partibus & regionibus istis, donec proavus vester ex impiorum quorumdam instructione venerandas imagines abstulit. Ex quo tempore magnus error Græciam istam invasit, un-
C de non contemnendum scandalum in mundo factum est. *Sed væ illis per quos scandala* in mundum irrepserunt, ut ipsa veritas mentiri nescia testatur. Matth. 18. Qua de causa in magnam tribulationem uterque Gregorius Romani pontifices per ea tempora sanctissimi conjecti sunt. Sæpius etiam proavum vestræ serenitatis admonuerunt, ne fineret venerandas imagines de statu suo dejici. verum illorum salutiferæ preces nequidquam fusæ sunt, animumque illius haud quidquam commoverunt. Post id & Zacharias, Stephanus, Paulus, & alter Stephanus, qui nobis in episcopatu hujus almæ urbis præcesserunt, avum patremque vestræ serenitatis pro restitutione sanctarum imaginum sæpe interpellarunt. Eadem ratione & nostra exiguitas imperatoriam
D vestram majestatem cum omni humilitate obsecrat, sinat aliquando recordationis causa erigi in ecclesias sacram Iesu Christi juxta incarnationem humanitatis imaginem. ponatur in aula Dei similitudo, ejus ante matris, sanctorum quoque & beatorum apostolorum, prophetarum, martyrum & confessorum, & ex animi desiderio eas veneremur, quemadmodum a sanctissimis patribus majoribus nostris, probatissimisque pontificibus, nobis a multis sæculis traditum est. Reliquum est, ut mansuetudo imperatoria in partibus illis Græciæ hoc idem imperet, & orthodoxam fidem confirmet, quo juxta scripturam, *unum sit ovile & pastor unus:* cum videat in universo terrarum orbe, ubi Christianismus pollet, ab omnibus fidelibus veneran- Ioan. 10.
E das imagines honorari: nimirum, ut per visibilem figuram, ad invisibilem magnitudinis ejus divinitatem spirituali dispositione mentes nostræ rapiantur, secundum carnem, quam Dei filius propter salutem nostram suscipere dignatus est, redemptorem nostrum in cælis existentem adoremus, & in Patre glorificantes, laudemus, quemadmodum scriptum est: *Deus spiritus est:* Ioan. 4. & illud comprobando, secundum spiritum deitatem illius adoramus. Nequaquam autem sic statuamus, quemadmodum quidam nugantur, ut imagines tamquam deos conficiamus. Labor enim & fatigatio nostra, quem exhibemus, in

ACTIO SECVNDA.

in desiderium Dei sanctorumque ejus perficitur. A Et quemadmodum sacra scriptura imagines in memoriam venerationis habet, sic & nos eas habeamus, servantes tamen perpetuo fidei nostræ puritatem. Quinetiam factor noster & artifex dominus Deus, juxta propriam imaginem & similitudinem, hominem de luto terræ finxit illuminavitque, in libera potestate sui ipsum constituens. Præterea primus ille homo liberi arbitrii existens, cuncta animantia terræ & volatilia cæli, annuente Deo, nominibus propriis vocavit. Abel autem ex primitiis ovilis sui propria voluntate dona domino Deo obtulit, de quo legimus: *Respexit dominus ad Abel & ad munera illius.* Deinde Noe post cataclysmum, hoc est, diluvium, altare propria voluntate domino construxit, & ex omnibus animalibus & volatilibus pura dona in altare hoc obtulit. Similiter etiam Abraham, quemadmodum testatur scriptura, propria voluntate aram extruxit in honorem & gloriam Dei, quemadmodum apparuerat. Iacob etiam, cum fugisset a facie fratris sui, vidit per visum angelos Dei per scalam ascendentes & descendentes, & dominum innixum scalæ ad se loquentem. *Postquam autem surrexisset, ex sua voluntate lapidem, in quo caput declinarat, sustulit: & ubi erexisset eum, infudissetque oleum super eum, vocavit locum Bethel. dicens: Non est hic aliud quam domus Dei.* Ob quam sane causam non legimus illi iratum Deum. Non enim illi exprobravit, quod sua voluntate lapidem erexisset. Etenim, o serenissimi filii principes & recto sentientes imperatores, quæcumque in admonitionem hominum ad gloriam Dei spectantia fiunt, Deo displicere nequeunt. Rursus idem Iacob ille in summitate virgæ suæ adoravit, fide dilectionis id agens. De qua beatus Paulus apostolus in epistola ad Hebræos dicit. Non quod virgam illam, sed tenentem eam, in signum dilectionis adoravit. Quid hoc sibi vult? nimirum quod & nos juxta desiderium & amorem, quo erga Deum sanctosque illius affecti sumus, figuras in imaginibus repræsentemus. Non, inquam, in coloribus & tabulis honorem constituentes, sed eorum prædicantes gloriam, quorum appellationem imagines referunt. Accedamus iterum ad scripturam, videamusque quid Mosi a domino mandatum fuerit, cum illum juberet propitiatorium de auro mundissimo conficere, quod duos cubitos & dimidium in longitudine, & cubitum & semissem in latitudine conficiebat. Duos quoque cherubim aureos & productiles, ex utraque parte oraculi. Et paulo post: *Impones testimonium, quod dabo tibi, quo opersenda est arca. Et loquar ad te supra propitiatorium ac de medio duorum cherubim, qui erunt super arcam testimonii.* Quin etiam in velis & cortinis tentorii duorum cherubim opus textile & diversicolorium fieri jussit. Ex his animadvertendum est, serenissimi domini & filii principes, Deum omnipotentem dominum nostrum, de medio cherubim manu hominum factorum, pro salute populi non dedignatum loqui. Quamobrem non est dubitandum, omnia quæ in ecclesiis Dei ad laudem & decorem domus illius constituuntur, sancta & colenda esse. Sed & hoc, o serenissimi imperatores, ad incredulorum certiorem fidem, & errantium castigationem, adjiciendum est, non frustra Mosi famulo suo, quemadmodum in

Gen. 1. Gen. 2. Gen. 8. Gen. 3. Gen. 28. Hebr. 11. Exod. 37. Exod. 25. Exod. 38.

libro Numerorum legitur, propter pestem in populum grassantem præcepisse: *Fac serpentem, & pone illum in signum: & qui tactus fuerit, illumque inspexerit, vivet. Fecit igitur Moses serpentem æneum, & posuit illum, & servati sunt.* O insaniam insipientium adversus fidem & cultum sacrum Christianorum! o stultitiam vetantium venerandas imagines honorari, in quibus servatoris nostri, cujus potentia genus humanum & constat adhuc, & servatur; & præterea genitricis ejus, omniumque sanctorum historiæ continentur. Nam si Israeliticum populum per B inspectionem ænei serpentis servatum a sua peste credimus, Christi vero Dei & servatoris nostri, omniumque sanctorum figuras contemplantes & venerantes, dubitamus nos servari? Absit, ut amplius dubitemus ut a patrum sanctorum traditione diversa sentiamus. hæreamus in doctrina illorum, nec ab illa declinemus. Et Salomon in eo templo, quod domino ædificavit, cherubim in gloriam Dei fecit, & diversis coloribus illud adornavit. Quare ergo non & nos quoque sentientes recte confessionem fidei nostræ & speciositatem domus Dei ex diversis coloribus & picturis exornabimus? C *In diebus illis erit altare domini in medio terræ Ægypti, & columna continens fines ejus: & erit in signum & testimonium domino in terra Ægypti. Clamabunt enim ad dominum a facie tribulantium, & mittet eis salvatorem & propugnatorem qui liberet eos.* Quinetiam psalmorum cantor David hymnum canens, dicit: *Confessio & pulcritudo coram eo.* Iterum: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum tabernaculi gloriæ tuæ.* Rursus idem adventum & incarnationem filii Dei servatoris nostri prædicans, magnifice faciem illius, juxta dispensationem incarnationis illius, adorandam censet, dicens: *Exquisivit te facies mea, faciem tuam domine requiram.* Ite- D rum: *Faciem tuam supplicabunt divites populi.* Rursus: *Signatum est super nos lumen vultus tui domine.* Qua de causa divus Augustinus magnus ille doctor, in sermonibus adhortatoriis suis inquit: Quid est imago Dei aliud, nisi vultus Dei, in quo signatus est populus Dei? In cujus consensum & divus Gregorius Nyssæ episcopus, de patriarcha Abraham sermonem faciens, dixit: Vidi non infrequenter passionis figuram, neque sine lacrymis ejusmodi picturam transii, cum scilicet opus artificii in personam significatam demonstratum esse viderem. & reliqua, quæ ex interpretatione in cantica canticorum affert. Nec aliter deinceps subsequens * sex eadem doctrina sonat. Numquid materia diversorum colorum animæ imitationem non repræsentat? E Nam qui imaginem aspicit, quæ ex arte per diversos colores in tabula est expressa, non ex scriptura & colorum tinctura similitudinem accipit, sed ad contemplationem primi exemplaris animum reducit. Quinetiam in epistola divi Basilii, qua in Iulianum desertorem invehitur: Quemadmodum a Deo Christianam & inculpabilem nostram fidem veluti hereditario jure accepimus, sic confiteor, & in eo maneo. Credo autem in unum Deum Patrem omnipotentem, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum. Vnum Deum hæc tria adoro & glorifico. Confiteor etiam Filii incarnatam οἰκονομίαν: deinde sanctam Mariam, quæ secundum carnem illum peperit, hanc deiparam vocans. Suscipio etiam sanctos apostolos, prophetas & martyres,

A… CHR… 78… Num. 3. Reg. Isa. 1… Psalm… Psal. … Psal. 2… Psal. … Psal 4… Greg. … … nus. * for. …

qui pro me apud Deum supplicant, quo per illorum mediationem propitius mihi sit Deus noster benignissimus, & remissionem peccatorum mihi gratis largiatur. Quam ob causam & historias imaginum illorum honoro, & palam adoro. hoc enim nobis traditum a sanctis apostolis, non est prohibendum, sed in omnibus ecclesiis nostris eorum historias erigimus. Idem in sermone in quadraginta martyres: Quinetiam bellorum trophæa, & victorias, & historici scriptores & pictores demonstrant: hi quidem oratione rem exornantes, hi vero in tabulis depingentes, multos ad virtutem & virilitatem excitarunt. Siquidem quæ historia oratione exprimit, hæc tacens pictura per imitationem ostendit. Ioannes quoque Chrysostomus episcopus Constantinopolitanus, in sermone in parabolam de semente: B Nonne injuria afficit regem, qui regiam vestem violat? Non novisti, quod is qui injuria afficit imperatoriam imaginem, in imperatorem ipsum veluti exemplar imaginis, ejusque dignitatem injurius est? Nescis quod quicumque ex ligno & coloribus imagini convicia dicit, illum non damnari, veluti in rem inanimatam, sed contra regem ipsum dixerit? Indicatur enim occulte regi injuriam intulisse. Et rursus ex eodem in sermone in sanctam quintam diem paschæ: Omnia facta sunt in gloriam Dei, & ad nostram doctrinam. quare ad pluviæ ministerium dictum est: Impleatur terra fructuum copia, mare natantibus: C omnia Deo serviunt, imo potius imagini Dei. Nam cum regiæ figuræ & imagines in civitates inferuntur, populus non ipsam tabulam, aut ex cera factam imaginem honore prosequitur, cumque magistratu illuc obviam procedit, sed potius regiam historiam & veluti præsentiam suscipiunt: eodem sane modo, & ipsa creatio non terrenam istam speciem, sed cælestem historiam admiratur. Similiter beati Cyrilli verba ex interpretatione ejus in sanctum Matthæi euangelium, afferimus. Sic enim inquit: Fides enim depingit verbum, quod in forma Dei existit, quod liberata nostra vita adjunxit se Deo, D similitudineque nostra assumpta factum est homo. Idem paulo post: Imaginum usum nobis supplent parabolæ, quæ signorum virtutem nobis subjiciunt, nimirum per oculorum appositionem, manuum tactum, & quæ in nudo intellectu contemplationem obscure habent. Adducamus etiam & D. Athanasii Alexandrini episcopi verba, de eo quod dominus carnem humanam assumpsit. Ex multis commode pauca sumentes, scripsimus: Quandoquidem ea quæ in tabulis picta sunt, cum figura per sordes & situm deleta fuerit, necessarium est, ut denuo pingatur & reficiatur, modo talis sit, ut adhuc renovari in eadem materia & tabulis possit. E Nam per eamdem formam & materiam, in qua depingitur, non destruitur; verum potius in eo quod ante fuit, consensit. Dicamus & aliud ex D. Ambrosii ad Gratianum imperatorem libro tertio, capite nono: Quid ergo? numquid cum divinitatem & carnem adoramus, Christum dividimus? num, quando in eo & divinam imaginem & crucem adoramus, ipsum partimur? Absit. Itidem audiamus, quid nobis beatus Stephanus episcopus Bostrorum prædicet: Quicumque imagines divorum confitentur, non errant: siquidem omne opus factum in nomine Dei, bonum & sanctum est. Aliud enim imago, aliud ἄγαλμα, hoc est, animalis ab-

A jecti statua. Quando namque Deus Adam plasmavit, hoc est, creavit, dixit: *Faciamus hominem secundum imaginem & similitudinem nostram:* & fecit hominem ad imaginem Dei. Ergo quod imago Dei sit homo, ob id statua, deorum est idololatria & impietas? haudquaquam. Etenim si Adam imago dæmonum fuisset, utique reprobandus fuisset & receptu indignus: quando vero Dei imago est, honore prosequendus est & admitti dignus. Omnis enim imago, sive angelorum, sive prophetarum, aut apostolorum, aut martyrum, aut aliorum justorum virorum, in nomine Dei facta, sancta est. Non enim ipsum lignum honoratur, sed ipsum illud quod in ligno datur contemplandum: atque ita per recordationem veneratio exhibetur. Omnes enim principes, etiamsi pessimi sint peccatores, adoramus & reverenter salutamus. Quid vetat igitur, quo minus non liceat & sanctos Dei ministros venerari, & in memoriam eorum imagines statuere & erigere, ne in oblivionem perpetuam veniant? Verum, inquis, Deus ipse manufacta prohibuit adoranda. Dic mihi, o Iudæe, quid est quod super terram extet, quod non sit manu hominum factum, postquam a Deo fuerat creatum? Quid? arca Dei, quæ ex lignis Sethim constructa est & ædificata, nonne opus est hominum? Quid altare? Quid propitiatorium? quid urceus, in quo manna recondebatur? quid mensa & candelabra? quid interiores & exteriores cortinæ? suntne opera manuum hominum, quæ Salomon fieri mandavit? Quamobrem ea quæ sancta sanctorum dicuntur, cum sint manufacta; præterea cherubim & sex alata illa, quæ circa altare domini fuerunt, cum sint animalia; & imagines angelorum, opera manuum hominum, non fuerunt ejecta, & a Iudæis proculcata? Non aliam sane ob causam, quam quod Dei mandato imagines fuerunt angelorum sacratæ. Gentium autem idola, quia imagines fuerunt dæmonum, Deus ejecit & condemnavit. Nos vero in memoriam sanctorum imagines facimus. quorum, ais? Abrahæ, Mosis, Eliæ, Isaiæ, Zachariæ, reliquorumque prophetarum, apostolorum, & sanctorum martyrum, qui propter Christum tribulati sunt, qui in imagine contemplatur, & meminerit illorum, & glorificet Deum, qui illos quoque magni fecit. Decet siquidem eos honor & veneratio, propter justitiam eorum, ut omnis qui viderit eos, in imitationem illorum operum ducatur. Qualis vero iste est adorationis honor? profecto non alius, quam is, quo nos peccatores quoque invicem prosequimur, salutantes nos inter nos per honorationem & dilectionem. Quid aliud apud dominum Deum nostrum tentamus, quam adorantes, glorificantes & trementes eum! Imago enim nihil aliud est, quam figura illius, * in qua pictura expressus est. Impii vero qui ipsi nihil boni faciunt, neque sanctorum recordantur, caveant bona operantes impedire: neque scandalo sint his, qui sanctos Dei servos honore afficiunt. Boni enim operis bonam mercedem adipiscentur. Impii vero quemadmodum animo suo voluerunt, ita infidelitatis suæ mansionem invenient: quando justitiam negligentes, a Deo desciverunt. Ex his liquido constat, ob recordationem sanctorum imagines tantum pingi, venerari & coli, quos clare constat servos esse Dei, & pro nobis apud deitatem obsecrantes & intercedentes. Dignum namque est, ut ducum nostrorum

ACTIO SECUNDA
Gen. 1.
* qui illi pictura

ACTIO SECVNDA.

strorum memores simus, & Deo gratias agamus. Accedant his, quæ beatus Hieronymus presbyter Hierosolymitanus in quodam sermone scripta reliquit. Etenim, ut * concessit omnibus gentibus adorare quæ manu facta sunt, Iudæis quidem crustas illas quas fabricavit Moses, præterea duo cherubim aurea: ita nobis Christianis crucem largitus est, & bonorum operum imagines pingere & venerari, atque ita nostrum opus apud eum probare. Hæc sunt serenissimi & piissimi imperatores & dilectissimi filii, quæ ex sacra scriptura novi & veteris testamenti, item piis sanctorum patrum sententiis de sacris imaginibus Dei, sanctorumque virorum, item de divina pictura in ecclesiis ad laudem Dei, & memoriam sanctorum suscipienda breviter descripsimus. Quæ per apostolicam relationem serenitatis vestræ potentiæ cum omni humilitate & sincero corde studiose discutienda offerimus. Nos enim perfunctorie ex diversis probatissimis patribus testimonia de venerandis imaginibus desumpsimus: quæ profecto quod in libris eorum non adulterinis, sed germanis inventa sunt, servanda existimamus, & ob id mitissimis vestris imperiis legenda tradidimus, obsecrantes interim ex animi fervore vestram mansuetudinem obtestando, & veluti præsentes genibus advoluti, & coram vestigia pedum volutando, ego cum fratribus meis coram Deo supplico, obtestor, adjuro, quo sacras imagines in ipsa Deum colente & regia urbe, & in utrisque Græciæ partibus in pristinum statum restitui & firmari jubeatis, custodientes traditionem hujus sanctissimæ vestræ ecclesiæ, abjiciendo etiam & execrando impiorum hæreticorum improbam vehementiam, quo sacram hanc vestram catholicam & apostolicam Romanam ecclesiam indissolutam complecti possitis. Amen.

* permisit

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Ipsi vos qui literas has a papa suscepistis, ad pios nostros imperatores deferte.

Petrus & Petrus Dei amantissimi presbyteri, & locum tenentes Hadriani sanctissimi papæ Romani, dixerunt: Nos postquam ab apostolico nostro patre Hadriano literas accepissemus, eas ad pios nostros imperatores pertulimus.

Ioannes magnificentissimus quæstor inquit: Norunt & hoc venerabiles Siculi. Nam Theodorus Catanensium episcopus, & cum illo religiosissimus diaconus Epiphanius, locum retinens archiepiscopi Sardiniæ; ambo, inquam, ex mandato imperatorum nostrorum simul cum piissimo apocrisario beatissimi domini nostri patriarchæ Romam profecti sunt.

Theodorus Dei amantissimus episcopus Catanes inquit: Cum ab imperio piissimorum principum literæ sacræ ad me missæ fuissent, simul cum Leone presbytero vestræ sanctitatis servo, datum quoque est mandatum mihi a provinciæ Siculæ præside, ut Romam proficiscens, orthodoxorum nostrorum imperatorum fidem & rectam animi sententiam archiepiscopo exponerem. Beatus autem papa cum audivisset, inquit: Quod si hæc in diebus horum imperatorum contigerint, non esse dubitandum, quin Deus imperium illorum supra antecessorum suorum regna extolleret. Hinc & superius lectam epistolam responsoriam ad pios imperatores misit. Addidit & epistolas cum ad sanctitatem vestram, tum ad eos qui in concilio præsident, scriptas.

Cosmas notarius & cubicularius inquit: Missæ sunt & aliæ literæ a sanctissimo papa veteris Romæ ad Tarasium sanctissimum & universalem patriarcham nostrum. Quod si autem placuerit sanctæ synodo & cœtui, dicant quid de iis fieri debet.

Sacra synodus dixit: Legantur.

Cosmas præfatus legit.

EPISTOLA HADRIANI SANCTISSIMI PAPÆ VETERIS ROMÆ

Translata ex Romana lingua in Græcum sermonem.

Dilecto fratri Tarasio † generali patriarchæ Hadrianus servus servorum Dei salutem.

†Hoc ... tur Gr... lus qui apposi... nec e... Græco ... tu.

PASTORALIBVS curis & subtilissima consideratione animadvertentes, quomodo præconii vox sana omni tempore a præcone oporteat prædicari: quomodo item pastor in compassione, qualisque in reductione existere debeat, & in eadem ex integro insignis, utque in pia commiseratione omnium infirmitatem in seipsum suscipere debeat, & in divinam voluntatem cuncta sua sagaci inspectione transferre: De his, inquam, omnibus statutum est nobis, vestram dilectam beatitudinem & conventum sacratum appellare, succincte & paucis in his synodicis literis confessionem vestræ fidei prædicando. Nam quas mihi per Leonem venerabilem presbyterum vestrum literas misistis, mox in principio paginæ primæ cognovi pietatem tuam cum laicorum ordinatione, tum imperatorio suffragio in sacrum patriarchatus solium exaltatam. Quam ob causam effuso gaudio exultavit cor meum. Quod si autem non perspecta mihi esset, & probe cognita, erga sacras synodicas sex constitutiones & venerandas imagines vestra sinceritas & orthodoxa fides, nequaquam ad synodum convocandam assentiremus. Verum quemadmodum non leviter cor nostrum ex superioribus vestris dissensionibus dolore tactum est, ita plurimo gaudio anima nostra perfusa est, postquam cognovissem piam vestram confessionem, & rectam fidem esse firmam & stabilem. Invenimus autem in prædicta synodica vestra epistola, quanta sit confessio & recta fides vestra circa cœtus sacros & sex sacras synodos, & erga venerandas & sacras imagines, quæ profecto mira est & compunctione digna. In qua etiã clare est expressum, quod in sextæ synodi divine & legaliter prædicatis canonibus recipitur pictura illa veneranda, in qua agnus digito præcursoris demonstratus, graphice est insculptus: qui in typum gratiæ assumptus, verum nobis per legem agnum, nempe Christum Deum, indicat. Veteres igitur typos, figuras & umbras, tamquam veritatis signa & notas ecclesiæ traditas suscipientes, gratiam & veritatem agnoscimus, tamquam legis plenitudinem hanc arbitrantes. Vt igitur & in colorum effectibus omnium oculis subjiciatur figura illa, quæ agnum illum qui abstulit peccata mundi, nimirum Deum nostrum, juxta humanam effigiem delineat: censemus ab hoc tempore, pro veteri illo agno & novum in ecclesiis Dei erigendum, quo per eum exaltationem humilitatis verbi Dei consideremus, quo in memoriam politiæ illius qua in carne vixit, item passionis ejus & salutiferæ mortis, unde mundo liberatio contigit, veluti manu ducamur. Hac orthodoxæ

Ioan. 1

doxæ fidei testificatione improborum hæreticorum curiositatem & importunam garrulitatem vestra fraterna sanctitas repellat: quemadmodum eorum improba machinatio apud nos Dei gratia non recepta, sed impia judicata est. Succingentes igitur lumbos nostræ mentis, nobiscum cũ catholica & apostolica Romana ecclesia consentiendo, contra hæreticorum insaniam armemur, quamvis ab his sæpe fuerit ecclesia impugnata. Deinceps etiam venerandas imagines primum juxta humanam figurationem Christi Dei nostri, secundum nos & pro nobis & per nos incarnati; deinde inviolatæ & veræ deiparæ; postremo omnium sanctorum suorum * beatitas vestra dilecta colere & adorare pergat. Rogamus etiam interim, ut in eo proposito, quod ab initio constituisti, manere velis. Consulimus etiam pastorali cura, ut orthodoxam fidem quam semel confessus es, inviolatam & stabilem prædicando & docendo conserves. *Fundamentum enim aliud nemo ponere potest, præter id, quod jacet, qui est Iesus Christus.* Quisnam igitur firmamentum dilectionis Dei & proximi conservans, ipsum illum Iesum Christum, Deum & hominis filium, ante oculos fundamentum non proposuerit? In confesso enim est, ubi Christus fundamentum est, ibi bonorum operum structuram sequi. Ipsa vero veritas per se dicit: *Qui non ingreditur per januam in ovile, is fur est & latro: qui vero per fores ingreditur, hic pastor est ovium.* Quemadmodum ipse salvator inquit: *Ego sum janua.* Is igitur ad ovile ingreditur, qui per januam incedit: qui vero per januam intrat, per Christum ingreditur. Quicumque igitur ab ipso creati & liberati generis humani veritatem intelligens conservat, & gradum pastoralis dignitatis portans pondus sustinet, non ad gloriam & honorem prætereuntem respiciens, sed gregem suscipiens diligenter vigilat, ne oves vel a perversis hominibus & perversa loquentibus, vel malo spiritu afflatis corrumpantur. Recte sane beatus Iacob, qui propter uxores multos annos servivit Laban socero suo, visus est dixisse: *Viginti annis fui tecum. oves tuæ & capræ steriles non fuerunt, arietes ovium tuarum non comedi. captum a bestia non ostendi tibi. ego damnum omne reddebam, quidquid furto perierat. diu noctuque æstu urgebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Si tantos labores & vigilias pastor Laban sustinuit, quot quantasque vigilias sustinere debet, qui pascit oves Dei? Sed in omnibus his confirmabit & docebit, qui propter nos homo factus est, dignatus [est] fieri, quod fecit. Ipse dilectionem & sancti Spiritus amorem in nos transfundat, & a cunctis solicitudinibus nos eximat, oculosque mentis vestræ aperiat, ut per laborem & certamen dilectionis & cursus vestri, quo sanctam nostram & apostolicam ecclesiam imitamini, efficiatis aliquando apud pios imperatores nostros, quo sanctorum venerandæ imagines in pristinum locum restituantur, ut in hoc sacerdotium nostrum firmum permaneat. Nam ex confessione fidei vestræ cognovimus beatitudinem vestram id unum egisse apud piissimos, orthodoxos & Christi amantes imperatores nostros, fideles & rectæ fidei propugnatores, quo synodus generalis celebretur; idque illi in præsentia totius fidelis populi supplicationibus vestris annuerunt, synodumque in regia civitate fieri mandarunt. Nos itaque sapientes & probatos sacerdotes, & de rebus quæ ad cõstitutionem

A imaginum pertinent, doctos, cum magno animi desiderio, quemadmodum regia mandata jubebant, misimus, quo in pristinum locum in illis partibus restituerentur. In primis autem vestra sanctitas piissimis & triumphatoribus nostris imperatoribus sine trepidatione inducat in animum, ut falsam congregationem illam sine consensu ac præsentia apostolicæ sedis, contra omnem patrum venerabilium traditionem, contra venerandas imagines sine ordine & debita convocatione factam execretur, & anathematizatam præsentibus apocrisariis nostris cognoscat: quo omne zizanium ab ecclesia eradicetur, & Iesu Christi domini nostri verbum impleatur, cum ait: *Et portæ inferorum non prævalebunt adversus eam.* Et alibi: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & dabo tibi claves regni cælorum: & quacumque in terra ligaveris, ligata erunt in cælis: & quacumque solveris in terra, soluta erunt in cælis*: cujus etiam sedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque ecclesiarum Dei caput existit. Vnde & ipse beatus Paulus apostolus, Dei jussu ecclesiam pascens, nihil omnino prætermisit, sed ubique principatum obtinuit & obtinet: cui etiam & nostræ beatæ & apostolicæ sedi, quæ est omnium ecclesiarum Dei caput, velim beata vestra sanctitas ex sincera mente & toto corde agglutinetur, utpote quæ revera sit recte sentiens, & pietatis incorruptæ conservatrix. Hoc sacrificium primum omnipotenti Deo exhibeatur. Vestraque beatitudo magnos & piissimos nostros imperatores supplicibus verbis admonebit, ut ecclesiæ nostræ vestigia sequentes coram Deo & horribili ejus judicio, venerandas imagines in regia civitate, & omni loco in antiquum statum restituendas curent; jubeantque: nimirum servantes traditionem hujus sanctissimæ nostræ Romanæ ecclesiæ, persequantur improborum & hæreticorum imposturam, & per vestrum certamen & fidelissimos labores, eorum deceptionem execrentur. Nisi enim sacras & venerandas imagines in pristinum locum restituerint, nostram confirmationem nullo modo audemus tradere. Hujus rei causa summo labore fidei & conatu, ante omnia convenit vestræ sanctitati advigilare, ut quamprimum sacræ & venerandæ imagines domini & salvatoris nostri Iesu Christi, & sanctæ ejus genitricis semper virginis, & sanctorum apostolorum, omniumque beatorum prophetarum, martyrum & confessorum in partibus illis, in pristinum ordinem collocentur, ut unanimiter propheticam illam oden cantemus: Domine, salva piissimos imperatores. Et: *Exaudi nos domine, in die qua invocaverimus te: quoniam dilexi decorem domus tuæ, & locum tabernaculi gloriæ tuæ.* Quos autem ad vos misi, Petrum scilicet dilectum nostrum protopresbyterum sanctæ Romanæ ecclesiæ: nec non Petrum abbam & præsidem, ut ad pedes serenissimorum & piissimorum nostrorum imperatorum adducantur, per principem apostolorum Petrum supplicamus, ut cum humanitate & singulari benevolentia ab eis recipiantur, precenturque cum gratiarum actione illis & corporis mentisq; firmum robur. Omnipotens Deus vestram dilectionem, modo constans maneat, conservet, custodiat & protegat, & fructum fidei tibi innatum infinitis modis augeat, & in æternum gaudium deducat. Deus sanum te conservet, frater dilecte.

Petrus & Petrus piissimi presbyteri, & locum tenentes

ACTIO SECVNDA.

Matth. 16.

Psal. 19.

Psal. 25.

ACTIO SECVNDA.

tenentes sanctissimi papæ veteris Romæ Hadriani, dixerunt: Dicat nobis beatissimus patriarcha regiæ urbis Tarasius, consentitne literis sanctissimis papæ veteris Romæ, an minus.

Tarasius sanctissimus patriarcha respondit: Cui Christi lumen circumfulsit, quique nos per euangelium generavit Paulus, vere divinus apostolus, Romanis scribens, & studium sinceræ fidei eorum erga verum Deum nostrum exosculatus, sic inquit: *Fides vestra prædicatur in universo orbe.* (Rom. 1.) Hoc testimonium & nos insequi par est, temerariumque repugnare arbitramur. Quamobrem Hadrianus veteris Romæ primas, & testatorum principum successor, clare & vere cum ad imperatores nostros, tum ad nostram mediocritatem mihi scripsisse videtur, constabilivitque, & rectam esse declaravit catholicæ ecclesiæ antiquam traditionem. Ob id & nos per scripturam inquirendo, argumentando & demonstrando exquirentes, & patrum quoque præceptis imbuti, sic confessi sumus, confitemur & confitebimur, concordamus, & vim literarum lectarum confirmamus, & imaginum picturas secundum priscam patrum nostrorum traditionem recipimus, & has desiderio nostro adoramus, ut in nomine Dei nostri, & intemeratæ dominæ nostræ deiparæ virginis sanctorumque angelorum, & omnium sanctorum factas. Sed apertis verbis testamur nos dumtaxat in unum Deum verum latriam (hoc est, cultum) & fidem nostram referre & reponere.

Sancta synodus dixit: Vniversa sancta synodus sic credit, & sic docet.

Petrus & Petrus Deum amantissimi presbyteri, legati apostolicæ cathedræ dixerunt: Dicat nobis sacra synodus, num recipiat sanctissimi papæ veteris Romæ literas, an minus.

Sancta synodus respondit: Sequimur, recipimus & probamus.

Ioannes Deum colentissimus presbyter & legatus orientalis diœceseos, inquit: Tempestivum est impræsentiarum ex psalmo canere: *Misericordia & veritas obviarunt sibi, justitia & pax sese exosculatæ sunt.* (Psal. 84.) Scimus autem quod Deus noster Iesus Christus ipse misericordia est & veritas, in successione quoque sanctissimi patriarchæ & orbis terrarum pastores idem existunt & dicuntur. Etenim misericordia & veritas occurrũt sibi. Hadrianus sanctissimus papa veteris Romæ, & Tarasius patriarcha imperatricis urbis Constantinopoleos, idem sapiunt, idem sentiunt & fatentur. Et vere nominata pax, Dei suffragio imperans & divinitate potens, desiderans videre ecclesiæ decorem, & literis quoque usa, recte nominatam justitiam, Romanam scilicet ecclesiam, exosculata est, jussitque in medium procedere, & præsentem sanctum cœtum lætitia perfudit, rectam fidem propalavit. Nunc etiam ob sacras Hadriani sanctissimi papæ literas, quæ & ad serenissimos nostros imperatores, & ad sanctissimum & ter amplissimum patriarcham Tarasium scriptæ sunt, plurimum gaudii inter nos erupit. Ea quoque de causa Deo maximas gratias agimus, quod in nobis lætitiam tam immensam effecit. Benedictus Deus, qui nobis ejuscemodi imperium excitavit, quod omni cura & solicitudine satagit, Christianum populum undique in consensionem & unanimitatem, & sacrorum canonum patrumque traditionis observantiam deducere. Sed Christus Deus noster per sanctissimam illius genitricem & omnes ejus sanctos, vosque ipsius sacros sacerdotes, qui idem sentitis, & dolum in cordibus vestris non habetis, sed perpetuo incumbitis in hæc studia, ut omnia quæ scripta sunt, impleatis, promissiones suas veras demonstret. Imperatores autem nostros dominos longævos faciat, induat eos gloria, & cornu eorum exaltet: subjiciat sub pedibus inimicos eorum, donet illis præmium vitæ æternæ, & cum sanctis regibus connumerari. Custodiat etiam sacram hanc & eadem sentientem synodum.

Agapius sanctissimus episcopus Cæsareæ Cappadociæ, dixit: In divinis nostris scripturis exaratum est: *Distinxit Deus inter lucem & tenebras.* (Gen. 1.) Ecce enim postquam hæreticorum caligines discussæ sunt, lux orthodoxæ fidei omnes illuminavit. Quam & ego secutus, suscipio & amplector sanctas & venerandas imagines: qui vero secus sentiunt, eos anathemate devoveo.

Ioannes sanctissimus Ephesi episcopus dixit: Quemadmodum sanctissimi papæ Romani literis continetur, sic credo, & per gratiam Christi Dei nostri veri confiteor.

Constantinus sanctissimus Constantiæ, quæ est in Cypro, episcopus dixit: Iuxta tenorem literarum, quæ ab Hadriano sanctissimo papa Romano ad serenissimos dominos nostros & ad beatissimum patriarcham Tarasium missi sunt, omnibus consentio, & sic confiteor, & cum hac fide ad tribunal Christi veri Dei nostri proficiscar.

Basilius sanctissimus Ancyræ episcopus dixit: Quemadmodum continent literæ sanctissimi papæ veteris Romæ Hadriani, & secundum sententiam beatissimi & universalis patriarchæ Tarasii, sic sentio, sic teneo, sic docebo. Et cum hac mea sententia ad futurum sæculum digredior.

Nicolaus sanctissimus episcopus Cyzici dixit: Secundum literas beatissimi papæ Romani Hadriani, & expositionem confessionis ter sanctissimi patriarchæ Tarasii, sic sentio, sentiamque, & de præsenti sæculo cum illa ipsa confessione discedam.

Euthymius sanctissimus episcopus Sardensium dixit: Et ego ante lectis beatissimi papæ veteris Romæ literis sincere & irrepugnabiliter inhæreo, consentio, & confiteor de orthodoxa fide, deque sanctis videlicet & venerandis imaginibus, non veluti hoc sit novum aliquod dogma, aut nuperum inventum recipiens, sed clare cognoscens ex apostolica traditione, sanctorumque doctorum in ecclesia jussu per manus nobis traditum: ob eam causam venerandas imagines ex toto corde cum debito honore & salutatoria adoratione suscipio. Eos vero qui secus sentiunt, aut reclamant, contrariave docent, alienos a catholica ecclesia arbitror, renuntio, & hæreticos proclamo.

Petrus sanctissimus episcopus Nicomediæ dixit: Iuxta prius lectas Hadriani beatissimi papæ Romani literas, & secundum fidem sanctissimi patriarchæ Tarasii, venerandas imagines recipio, adoro, & id perpetuo docebo, ut possim etiam aliquando in futuro sæculo rationem apud judicem nostrum Deum reddere.

Elias sanctissimus episcopus Cretæ dixit: Iuxta venerandas sanctissimi papæ veteris Romæ Hadriani literas confiteor & teneo, venerandas & sacras imagines nunquam seponens, sed perfecte eas adorans: qui vero secus confitentur, eos anathematizo.

Stauracius sanctissimus episcopus Calchedonis

nis dixit: Secundum epistolam ab Hadriano sanctissimo papa veteris Romæ ad sanctissimum & generalem patriarcham Tarasium missam, confiteor, & sanctas & venerabiles imagines recipio, amplector & honoro, veluti arrhabonem existentes meæ salutis: secus autem sentientes anathematizo.

Nicephorus sanctissimus episcopus Dyrrachii dixit: Iuxta relationem ab Hadriano sanctissimo papa veteris Romæ ad serenissimos nostros imperatores, & ad sanctissimum & universalem patriarcham missam: item juxta sanctissimi archiepiscopi Tarasii doctrinam, fidem & confessionem sentio, teneo, doceo & docebo, & cum hac mea confessione vitæ meæ breve spatium finiam, & timendo tribunali Christi me sistam.

Epiphanius diaconus ecclesiæ Catanes, & locum tenens Thomæ archiepiscopi Sardiniæ dixit: Clarissimam orthodoxiæ definitionem, & sanctorum apostolorum traditionem, relatio ad pios & Christum amantes nostros imperatores a beatissimo papa veteris Romæ Hadriano missa, in præcedenti lectione clare explicavit. Quin etiam idem docuit epistola ad beatissimum universalem patriarcham Tarasium missa. Ob id & ego his omnibus assentior, & recto corde adhæreo, venerorque & adoro, quæ a multis sæculis traditæ sunt in ecclesia, venerandas & sanctas imagines. Qui vero his contradicit, eum tamquam hæreticum consentientem aversor, & diris devoveo.

Leo presbyter sanctissimæ ecclesiæ Constantinopoleos, locum tenens Sidæ metropolis, dixit: Iuxta lectas synodicas epistolas Hadriani sanctissimi papæ veteris Romæ, sanctas & venerandas imagines recipio, quoniam hæc vetustissima traditio est: qui vero aliter sentiunt, anathematizo.

Nicolaus præses mansionis Apræ, & locum tenens Tyanensium metropoleos, dixit: Venerandas imagines, & juxta veterum traditionem, & juxta synodicas literas Hadriani sanctissimi papæ veteris Romæ, recipio: eos vero qui aliter credunt, anathematizo.

Constantinus sanctissimus Gangrorum episcopus dixit: Iuxta lectam relationem sanctissimi papæ veteris Romæ Hadriani, & priscam patrum traditionem, venerandas imagines recipio; & qui idem sibi faciendum non existimant, anathemate devoveo.

Nicetas sive Victor sanctissimus episcopus Claudiopoleos, dixit: Iuxta synodicas literas Hadriani sanctissimi papæ veteris Romæ, venerandas imagines ex traditione prisca recipio: qui secus faxint, anathemati sint obnoxii.

Theodorus sanctissimus episcopus Myron Lyciæ dixit: Iuxta synodicas epistolas lectas, ab Hadriano sanctissimo papa veteris Romæ missas, credo, sicque confiteor, adoro & amplector venerandas imagines: & qui diversum statuunt, anathematizo & aversor.

Theophylactus diaconus & exarchus, locum tenens metropoleos Cariæ, dixit: Iuxta synodicas literas Hadriani sanctissimi papæ Romæ veteris confiteor: eos vero qui secus sentiunt, anathemate percello.

Michael sanctissimus episcopus Synnadon dixit: Iuxta tenorem literarum ab Hadriano sanctissimo papa veteris Romæ missarum confiteor, & juxta priscam traditionem sanctas & veneran-

A das imagines recipio: qui vero non itidem sentiunt, anathemate percutio. ACTIO SECVNDA.

Eustathius sanctissimus episcopus Laodiceæ dixit: Quemadmodum literæ synodicæ jam lectæ, ab Hadriano sanctissimo papæ veteris Romæ, sic confiteor, & eodem modo recipio venerandas imagines, juxta veterum traditionem; repugnantes vero execror.

Anastasius episcopus Nicopoleos veteris Epiri, dixit: Iuxta synodicas Hadriani sanctissimi papæ veteris Romæ confiteor, recipio, & adoro venerandas imagines, idque juxta priscam doctrinam: qui vero secus faxint, aversor ut hæreticos.

Christophorus sanctissimus Phasidos episco-
B pus dixit: Quemadmodum literæ synodicæ Hadriani sanctissimi papæ veteris Romæ jam lectæ tradunt, sic confiteor, & venerandas imagines juxta priscam doctrinam recipio; anathematizo autem qui ita non faciunt.

Gregorius presbyter ejus, quæ est prope Constantinopolim, sanctorum apostolorum ecclesiæ, & locum tenens metropoleos Mocesi, dixit: Iuxta literas synodicas sanctissimi papæ veteris Romæ Hadriani, & juxta priscam traditionem venerandas imagines recipio: qui eas aversantur, condemno anathemate.

Basilius episcopus * Sylæi dixit: Iuxta traditionem veterem ecclesiæ & literarum synodicarum * Silei
C sanctissimi papæ veteris Romæ Hadriani confiteor, & recipio & adoro venerandas & sanctas imagines: qui vero respuunt hoc, anathematizo.

Theodorus sanctissimus episcopus Catanes pronuntiavit in eamdem sententiam.

Manuel sanctissimus episcopus Adrianopoleos Thraciæ in eamdem sententiam pronuntiavit.

Maurianus sanctissimus episcopus Pompeiopoleos in eamdem sententiam pronuntiavit.

Cyrillus in locum sanctissimi episcopi Gotthiæ in eamdem sententiam pronuntiavit.

D Theodorus sanctissimus episcopus Byzies in eamdem sententiam pronuntiavit.

Ioannes sanctissimus episcopus Tauromeniæ in eamdem sententiam pronuntiavit.

Gregorius presbyter, locum retinens episcopatus Smyrnes, in eamdem sententiam pronuntiavit.

Gaudiosus episcopus Messanæ Siculus, &c.

Eustratius sanctissimus episcopus Apameæ Bithyniæ in eamdem sententiam pronuntiavit.

Petrus sanctissimus episcopus Germion, &c.

Ioannes diaconus & locum retinens Apostolopoleos, in eamdem sententiam pronuntiavit.

Theodorus sanctissimus episcopus Panormi,
E in eamdem sententiam pronuntiavit.

Ioannes sanctissimus episcopus Arcadiopoleos, in eamdem sententiam pronuntiavit.

Stephanus sanctissimus episcopus Bibonũ, &c. locum tenens Leontopoleos, &c.

Sisinnius episcopus sanctissimus Parii, in eamdem sententiam pronuntiavit.

Constantinus sanctissimus episcopus Leontinæ, in eamdem sententiam pronuntiavit.

Epiphanius sanctissimus episcopus Mileti, &c.

Nicetas sanctissimus episcopus Proconesi, &c.

Theodorus sanctissimus episcopus Taurianes, in eamdem sententiam pronuntiavit.

Christophorus sanctissimus episcopus * Adryaces, in eamdem sententiam pronuntiavit. * Andryaræ vel Adriæ.

ACTIO SECVNDA.

Eustratius sanctissimus episcopus Methymnes, in eamdem sententiam pronuntiavit.

Theotimus sanctissimus episcopus Crotonum, in eamdem sententiam pronuntiavit.

Leon sanctissimus episcopus Chii, &c.

Basilius sanctissimus episcopus Nesion, &c.

Ioannes sanctissimus episcopus Apron, &c.

Ignatius sanctissimus episcopus Prienes, &c.

* Cypsalon, Theophylactus sanctissimus episcopus *Cypselon, in eamdem sententiam pronuntiavit.

Theodorus sanctissimus episcopus Trophæorum, in eamdem sententiam pronuntiavit.

* Suidaon, Stephanus sanctissimus episcopus * Sugdaon, in eamdem sententiam pronuntiavit.

B

Sergius sanctissimus episcopus Nicoteron, &c.

Gregorius presbyter, locum tenens Nicopoleos, in eamdem sententiam pronuntiavit.

Leo sanctissimus episcopus Mesembriæ, &c.

Theodosius sanctissimus episcopus Amorii, &c.

Cyriacus sanctissimus episcopus Driziparō, &c.

Galatas presbyter in locum Rhegii, &c.

Theodosius sanctissimus episcopus Nyssæ, &c.

Georgius sanctissimus episcopus Camulianorum, in eamdem sententiam pronuntiavit.

*Ciscisson. Soterichus sanctissimus episcopus*Cicesső, &c.

Constantinus sanctissimus episcopus Mastauron, in eamdem, &c.

Georgius sanctissimus episcopus Briulon, &c.

Ioannes sanctissimus episcopus Nyssæ, &c.

C

Basilius sanctissimus episcopus Magnesiæ, &c.

*Sabbas * Sabas sanctissimus episcopus Agæorum, &c.

Gregorius sanctissimus episcopus Paleopolæos, in eamdem, &c.

Basilius sanctissimus episcopus Magnesiæ quæ est prope Mæandrum, in eamdem, &c.

Theophanes sāctissimus episcopus Coloes, &c.

Leo sanctissimus episcopus Algizon, &c.

Nicodemus sanctissimus episcopus Eugazon, in eamdem, &c.

Lycastus sanctissimus episcopus Barilon, &c.

Theophylactus sanctissimus episcopus Hypæpon, in eamdem, &c.

Theophanes sanctissimus episcopus Lebedon, in eamdem, &c.

D

Stratonicus sanctissimus episcopus Cymes, &c.

Cosmas sanctissimus episcopus Myrrhines, &c.

Olbianus sanctissimus episcopus Elææ, &c.

Pardus sanctissimus episcopus Pittanes, &c.

Basilius sanctissimus episcopus Pergami, &c.

Marianus sanctissimus episcopus Antādri, &c.

Basilius sanctissimus episcop. Adramyttii, &c.

Ioannes sanctissimus episcopus Assi, &c.

Leo sanctissimus episcopus Phoceæ, &c.

Nicephorus sanctissimus episcopus Gargaron, in eamdem, &c.

* Ægeon, * Ageæ. Cōstantinus sanctissimus episcopus*Agaes, &c.

Theognis sanctissimus episcopus Sion, &c.

Ioannes sanctissimus episcopus Rhædesti, &c.

E

Ioannes sanctissimus episcopus Panii, &c.

Melchisedec sanctissimus episcopus Calliopoleos, in eamdem, &c.

Leo sanctissimus episcopus Madyti, &c.

Theophylactus sanctissimus episcopus Chariupoleos, in eamdem sententiam pronuntiavit.

Thomas sanctissimus episcopus Danii, &c.

Gregorius sanctissimus episcopus Theodoropoleos, in eamdem, &c.

Sisinnius sāctissimus episcopus Chalcidos, &c.

Ioannes sanctissimus episcopus Bryseos, &c.

Benjamin sanctissimus episcopus Lizicon, &c.

Gregorius sanctissimus episcopus Amastridos, in eamdem sententiam pronuntiavit.

ANNO CHR. 78[...]

Stephanus sanctissimus episcopus Soron, &c.

Gregorius sanctissimus episcopus Dercon, &c.

Heracleus sanctissimus episcopus Iunopoleos, in eamdem, &c.

Constantinus sanctissimus episcopus Heliopoleos, in eamdem, &c.

Antonius sanctissimus episcopus, Trœzenes, in eamdem, &c.

Nicetas sanctissimus episcopus Nacoliæ, &c.

Petrus sanctissimus episcopus Aspones, &c.

Synesius sanctissimus episcopus Cynes, &c.

Synesius sanctissimus episcopus Anastasiopoleos, &c.

Eustathius sanctissimus episcopus Solorum, in eamdem, &c.

Theodorus sanctissimus episcopus * Citutii, in eamdem, &c. *Cit[...]

Basilius sanctissimus episcopus * Trimithunton, in eamdem, &c. * Tri[...]thunt[...]

Alexander sanctissimus episcopus Amathunton, in eamdem, &c.

Michael sanctissimus episcopus Melitupoleos, in eamdem, &c.

Sisinnius sanctissimus episcopus Adranias, &c.

Theodorus sāctissimus episcopus Germes, &c.

Gregorius sanctissimus episcopus Adrianitheron, in eamdem, &c.

Leo sanctissimus episcopus Pœmanii, &c.

Simeon sanctissimus episcopus Oces, &c.

Ioannes sanctissimus episcopus Lampsaci, &c.

Nicetas sanctissimus episcopus Ilii, &c.

Leo sanctissimus episcopus Troados, &c.

Theodorus sanctissimus episcopus Abydi, &c.

Anastasius sanctissimus episcopus Tripoleos, in eamdem, &c.

Leo sanctissimus episcopus Traculon, &c.

Stephanus sanctissimus episcopus Salon, &c.

Ioannes sanctissimus episcopus Abalon, &c.

Stephanus sanctissimus episcopus Silandi, &c.

Nicolaus sanctissimus episcopus Pericommatos, in eamdem.

Ioannes sanctissimus episcopus Sethon, &c.

Basilius sanctissimus episcopus Liparon, &c.

Theophanes sanctissimus episcopus Meoniæ, in eamdem, &c.

Michael sanctissimus episcopus Stratonices, in eamdem, &c.

Lycastus sanctissimus episcopus Philadelphiæ, in eamdem, &c.

Michael sanctissimus episcopus Troalon, &c.

Gregorius sanctissimus episcopus Gordō, &c.

Ioannes sanctissimus episcopus Daldes, &c.

Eustathius sanctissimus episcopus Hyrcanes, in eamdem, &c.

Iosephus sanctissimus episcopus Attaliæ, &c.

Zacharias sanctissimus episcopus Hierocæsareæ, in eamdem, &c.

Davidus sanctissimus episcopus Helenupoleos, in eamdem, &c.

Cyrion sanctissimus episcopus Lophi, &c.

Theophylactus sanctissimus episcopus Apolloniados, &c.

Constantinus sanctissimus episcopus Cæsareæ Bithyniæ, in eamdem sententiam pronuntiavit.

Georgius sanctissimus episcopus Basilinupoleos, &c.

Leo sanctissimus episcopus Aristes, &c.

Nicephorus sanctissimus episcopus * Adranes, &c. *A[...] Thr[...]

Basilius in locum Dascylii in eamdem, &c.

Christophorus

Christophorus sanctissimus episcopus Cerasenes, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Nicetas sanctissimus episcopus Meles, &c.
Neophytus sanctissimus episcopus Gordoserbon, &c.
Leo sanctissimus episcopus Linoes, &c.
Ioannes sanctissimus episcopus Etennon, &c.
Constantinus sanctissimus episcopus Zelō, &c.
Gregorius sanctissimus episcopus Sinopes dixit: Quemadmodum tradiderunt nobis qui ab initio oculati testes verbi fuerunt, quique ab ipsis imbuti sunt sancti nostri patres, ita quoque certior factus in literis ab Hadriano sanctissimo papa veteris Romæ, & ad serenissimos & piissimos dominos nostros, & ad sanctissimum & universalem patriarcham Tarasium missis, contineri, sic credo & sic confiteor, sicque teneo & tenebo ad extremum usque animæ spiritum, venerabor que & adorabo honorabiles, venerandas & sacras imagines: qui vero ita non sentiunt, aut confitentur, eos anathemate execror.
Constantinus sanctissimus episcopus Sasimon dixit: Iuxta prælectas sanctissimi Hadriani papæ veteris Romæ synodicas literas, sic confiteor, credo, adoro, & recipio sanctas & venerandas imagines, ex veteri ecclesiæ traditione: qui vero dissentiunt, eos diris devoveo.
Nicetas sanctissimus episcopus Dadybron, &c.
Theophilus sanctissimus episcopus Plusiados, in eamdem, &c.
Nicetas sanctissimus episcopus Adrianupoleos, in eamdem, &c.
Ioannes sanctissimus episcopus Heracleæ Ponti, in eamdem, &c.
Cōstantinus sanctissimus episcopus Cratiæ, &c.
Nicetas sanctissimus episcopus * Ruzæi, &c.
Nicephorus sanctissimus episcopus Claneō, &c.
Leo sanctissimus episcopus Trocnadon, &c.
Anastasius sanctissimus episcopus Patarachon, in eamdem, &c.
Georgius sanctissimus episcopus Nissoi, &c.
Theodorus sanctissimus episcopus Pimiaron, in eamdem, &c.
Nicodemus sanctissimus episcopus Didymon, in eamdem, &c.
Georgius sanctissimus episcopus * Vniandi, &c.
Constantinus sanctissimus episcopus Candibon, &c.
Stauracius sanctissimus episcopus Zenopoleos, in eamdem, &c.
Leo sanctissimus episcopus Lamiron, &c.
Stephanus sanctissimus episcopus Caunō, &c.
Constantinus sanctissimus episc. Combon, &c.
Petrus sanctissimus episcopus Orycandi, &c.
Ioānes sanctissimus episcopus * Phasilidos, &c.
* Abbas locum retinens metropolis Tii, &c.
Gregorius sāctissimus episcopus Cybirres, &c.
Basilius sanctissimus episcopus Thabon, &c.
Dorotheus sanctiss. episcopus Neapoleos, &c.
Gregorius sāctissimus episcopus Heracleę, &c.
David sanctissimus episcopus Iassi, &c.
Gregorius sāctissimus episcopus Mylasses, &c.
Sergius sanctissimus episcopus Vigiliarū, &c.
Ioannes sanctissimus episcopus * Mybdi, &c.
Stauracius sanctissimus episcopus Stadiæ, &c.
Gregorius sanctissimus episcopus Stratoniceæ, &c.
Theodosius sāctissimus episcopus Chonō, &c.
Michael sanctiss. episcopus Chæretopon, &c.
Pantaleō sanctissimus episcopus Valentiæ, &c.
Georgius sanctissimus episcopus Peltarū, &c.

Christophorus sanctissimus episcopus Atanassi, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Leōtius sanctissimus episcopus Eumeniæ, &c.
Gregorius sanctissimus episcopus Timeni ferarum, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Leo sanctissimus episcopus Tranupoleos, &c.
Nicephorus sāctissimus episcopus Lundō, &c.
Georgius sanctissimus episcopus Appiæ, &c.
Constantinus sanctissimus episcopus Eucarpiæ, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Leo sanctissimus episcopus Aleus, in eamdē, &c.
Michael sanctissimus episcopus Hierapoleos, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Christophorus sanctissimus episcopus Promisi, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Nicolaus sanctissimus episcopus * Phytiæ, in eamdem sententiam pronuntiavit. *Pythiæ
Theophylactus sanctissimus episcopus Cinnabori, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Nicetas sanctissimus episcopus Augustopoleos, in eamdem, &c.
Constantinus sanctissimus episcopus Cotyæi, in eamdem, &c.
Georgius sanctissimus episcopus Mediæi, in eamdem, &c.
Leo sanctissimus episcopus * Docimi, in eamdem sententiam pronuntiavit. * Docimii
Damianus sanctissimus episcopus Meri, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Theophylactus œconomus & locum tenens Ipsi, in eamdem, &c.
Stephanus designatus Itri, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Ioannes designatus Hectorii, &c.
Constantinus sanctissimus episcopus Ampladon, in eamdem, &c.
Epiphanius sanctissimus episcopus Perton, &c.
Sisinnius sanctissimus episcopus Philomelii, in eamdem, &c.
Ioannes sanctissimus episcopus Sibliæ, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Michael sanctissimus episcopus Papparon, in eamdem sententia pronuntiavit.
Theodorus sanctissimus episcopus * Sagalassi, in eamdem, &c. * Agalassi
Sisinnius sanctissimus episcopus Apameæ, quæ est Ciboti, in eamdem, &c.
Constantinus sanctissimus episcopus Conanes, in eamdem, &c.
Leo œconomus & locū tenēs Sozopoleos, &c.
Marianus sanctissimus episcopus Magydon, in eamdem, &c.
Nicephorus sanctissimus episcopus Phlogon, in eamdem, &c.
Leo sanctissimus episcopus Andidon, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Manzo sanctissimus episcopus Pracanon, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Theodorus sanctissimus episcopus Germanicopoleos, in eamdem, &c.
Eustathius sanctissimus episcopus Cilindereos, in eamdem, &c.
Zacharias sanctissimus episcopus Trapezupoleos, in eamdem, &c.
Sisinnius sanctissimus episcopus Musbadon, in eamdem, &c.
Eustathius sanctissimus episcopus Lamon, &c.
Stephanus sanctissimus episcopus Philadelphiæ, in eamdem, &c.
Leo sanctissimus episcopus Sibyllon, &c.
Theodorus sanctissimus episcopus Tiberiupoleos,

ACTIO SECVNDA.

leos, in eamdem sententiam pronuntiavit. A
Ioannes sanctissimus episcopus Azanon, &c.
Basilius sanctissimus episcopus Dionysupoleos, in eamdem, &c.
Manuel sanctissimus episcopus Nicopoleos, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Ioannes presbyter ex commisso Coloneæ, &c.
Eustratius sanctissimus episcopus Debelti, &c.
Theodorus sanctissimus episcopus Bulgarophygi, in eamdem, &c.
Georgius sanctissimus episcopus Plutinopoleos, in eamdem, &c.
Basilius sanctissimus episcopus Perbereos, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Michael sanctissimus episcopus * Pāphyli, &c. B
* Pamphyliæ.
Ruben sanctissimus episcopus Scopeli, &c.
Sisinnius sanctissimus episcopus Garelles, &c.
Petrus sanctissimus episcopus Monēbasiæ, &c.
Gabriel sanctissimus episcopus Æginæ, &c.
Leo sanctissimus episcopus Porthmi, &c.
Dardanus sanctissimus episcopus Dobron, &c.
Andronicus sanctissimus episcopus Leontopoleos, in eamdem, &c.
Leo sanctissimus episcopus Sebastæ, &c.
Nicetas sanctissimus episcopus Halicarnassi, in eamdem, &c.
Leo sanctissimus episcopus Corydalon, &c.
Theodorus sāctissimus episcopus Cremō, &c.
Constantinus sanctissimus episcopus Hadrianes, in eamdem, &c. C

Sancta synodus dixit: Æquum est, ut & venerabiles monachi pronuntient.

Venerabiles monachi dixerunt: Si ordo ita exigit, pronuntiabitur a nobis ut mandatis.

Sabas venerabilis monachus, præfectus " studiorum, dixit: Iuxta priscam traditionem jam a multis sæculis approbatam, & secundum irreprehensibilem a sanctis apostolis, propheticis & ecclesiasticis doctoribus traditam fidem: præterea secundum epistolam a beatissimo & apostolico papa Hadriano ad pios Christi amantes nostros reges, & Tarasium universalem patriarcham missam, quæ oculos nostros & aures fulgore fidei perstrinxit, confiteor & credo. D

" Studii seu Studitarū.

Gregorius venerabilis monachus & præses sancti Sergii dixit: Iuxta priscam traditionem, & ante multa sæcula legislationem, quæ in magna Dei ecclesia per manus beatorum & præclarorum apostolorum tradita est, hactenusque a piis omnibus & sanctis patribus nostris & doctoribus est observata: item juxta sacrarum sex synodorum traditionem, & literas ab apostolico & sanctissimo veteris Romæ papa Hadriano ad piissimos & Deo devotissimos nostros imperatores, nec non ad Tarasium universalem patriarcham missas, quibus intellectus cordium nostrorum illuminatus est, credo, prædico, confiteor, certamque fiduciam accipio, me remissionem peccatorum, si recte egero, consecuturum. E

Ioannes præfectus Pegurii in eamdem sententiam pronuntiavit.
Simeon præfectus Chores, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Eustathius præses monachorum sancti Maximini in eamdem sententiam pronuntiavit.
Georgius præfectus Perges, in eamdem, &c.
Simeon præses Abrahamitarum, in eamdē, &c.
Ioseph præses Heraclei, in eamdem, &c.
Plato præfectus Saculon, in eamdem, &c.
Gregorius præses monachorum sancti Hyacinthi, in eamdem sententiam pronuntiavit.

ACTIO TERTIA.

In nomine domini & dominatoris Iesu Christi, veri Dei nostri, imperantibus piissimis & Christi amantissimis dominis Constantino & Irene pia ejus matre, anno octavo consulatus ejus, sub sextum Kalendas Octobris, indictione undecima, conveniente sancta ac universali synodo, quæ per divinam gratiam, & a Deo decretorum imperatorum piam sanctionem in Nicæa splendida metropoli provinciæ Bithyniæ congregata est, videlicet Petro religioso protopresbytero ecclesiæ sanctissimæ divi Petri apostoli apud almam Romam, & Petro venerabili monacho & præside monasterii sancti Sabæ apud Romanos, vicem agentibus apostolicæ sedis sanctissimi ac beatissimi papæ veteris Romæ Hadriani: Tarasio beatissimo archiepiscopo almæ urbis Constantinopoleos novæ Romæ: Ioanne item & Thoma religiosissimis presbyteris monachis, retinentibus locum apostolicorum thronorum orientalis diœceseos: stantibus his ante sacros cancellos templi sanctissimæ ecclesiæ cognominatæ Sophiæ, præsentibus simul & audientibus illustrissimis juxta ac magnificentissimis senatoribus, nimirum Petrona glorioso exconsule patricio, & Theophylacto comite imperialis obsequii, Ioanne regio ostiario & quæstore ærarii militaris, tota denique synodo juxta ordinem in prima actione præscriptum: Præsentibus etiam religiosissimis archimandritis præsidibus, & toto monachorum cœtu: propositis in medio sanctis & immaculatis Dei euangeliis, Demetrius Dei studiosus diaconus, armamentarius sanctæ ecclesiæ Constantinopolitanæ: Quandoquidem in priore actione visum est magnæ & generali synodo, insequenti doctrinam patrum & legislationem ecclesiasticam, eos qui ex hæresi revertuntur, recipiendos: quin etiam rursus admittendos, qui ab hæreticis ordinati sunt, modo orthodoxam fidem sapiant: ecce adstant ante fores episcopi, qui libellos confessionis orthodoxiæ suæ paulo ante legerunt, rogantes ut admittantur, & de illis judicetur secundum vestram existimationem.

Sancta synodus respondit: Adsint.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Qui dudum advenit Neocæsareæ piissimus episcopus, reddat de se rationem per libellum.

Gregorius piissimus episcopus Neocæsareæ dixit: Confirmet Deus imperium dominorum nostrorum optimorum, lætitia perfundat Deus thronum eorum. Ter sanctum autem dominum nostrum cum sacerdotali cœtu & sancta synodo dominus orantem pro mea paupertate exaudiat. Attulit autem libellum suum, eumque legit, nihil aliud continentem, quam quod in superioribus libellis in prima actione lectis scriptum est: postquam autem legisset.

Tarasius beatissimus patriarcha dixit: Confiteris etiam hæc simplici corde?

Gregorius piissimus episcopus Neocæsariæ dixit: In nomine Dei, & per sacras tuas preces, sanctorumque patrum, pura conscientia & omni simplicitate confiteor, obsecroque vestram beatitudinem pro me orare.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Quid ad hæc definiemus?

Sanctissimus episcopus Siciliæ dixit: Quod cum aliis factum est, fiat etiam cum isto.

Sancta synodus dixit: Fiat.

Sanctissimus patriarcha dixit: Sed verbum A quoddam vulgatum est, quo tempore persecutio fuit, quosdam episcoporum verbera intulisse viris piis: cui tamen rumori sine aperta demonstratione non putarim fidem adhibendam. Sed de hac re cognoscat sancta synodus, canonem quemdam sanctorum apostolorum extare: Si quis presbyter aut diaconus fideles peccantes, aut infideles injuriantes verberaverit, deponitor.

Sancta synodus inquit: Sic prædicant.

Beatissimus patriarcha dixit: Id si hoc modo se habuerit, quid fieri par est?

Theodorus sanctissimus episcopus Catanes B dixit: Iuxta sanctos ecclesiæ catholicæ canones cognoscit hæc synodus.

Sanctissimus patriarcha Tarasius ait: Si intulerit qualiscumque etiam episcopus verbera aut plagas viris Deum timentibus, quique persecutionem patiuntur, indignus est episcopatu.

Sancta synodus ait: Indignus est.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Nam flagellationibus tamquam persecutor grassatus est.

Theodorus sanctissimus episcopus Catanes, & qui cum illo erant religiosissimi Siciliæ episcopi, præterea Epiphanius diaconus & vicem agens Thomę episcopi Sardiniæ, dixerunt: Quarta synodus confestim ubi sedisset, in primis exclamavit: Dioscorum foras pelle, interfectorem ejice, quandoquidem in synodo latronum manus in viros innocentes injecit.

Ioannes religiosissimus presbyter, locum retinens orientalis diœceseos, ait: Sacra synodus ex inspiratione sancti Spiritus hoc recte definiat.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Verbis fictis non adhibemus fidem.

Sancta synodus dixit: Si quispiam habet quo eum accuset, suo tempore apud sanctam synodum insimuletur: ut tandem cognita veritate, synodus hęc sacra de eo per suffragia determinet.

Gregorius episcopus Neocæsareæ dixit: Nemo mortalium me accusare poterit de verberibus aut plagis alicui illatis.

Sancta synodus ait: Hac de causa & nos gaudemus.

Gregorius episcopus Neocæsareæ dixit: Neque etiam in regia piaque civitate, neque etiam in meo territorio, hominum quispiam a me læsus est.

Sancta synodus respondit: Si hoc modo se habet, in pristinum locum recipiatur.

Sabas venerabilis monachus & præses Studii dixit: Videte quid agatis. Archiepiscopi hunc hæreticorum antesignanum confessi sunt. Scitis autem beatum nostrum patrem Athanasium ad Rufinianum scripsisse, hæreticorum antesignanis satis fit, ut ad pœnitentiam recipiantur.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Sed neminem verberavit.

Constantinus episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, dixit: Iuvenalis, quique stabant a partibus illius, principes erant synodi latronum: attamen in quarta synodo recepti sunt.

Ioannes clarissimus quæstor dixit: Placeat sacræ synodo divinitus congregatæ, Gregorium Neocæsareæ episcopum, qui synodo impiæ præteritæ antesignanus fuit, in crastinum conservari, quo ipse suam hæresim & propriam doctrinam condemnet.

Ioannes venerabilis presbyter, & vicem agens orientalis diœceseos, dixit: Gratia Deo, quod viros hos a tam perversa synodo sustulit, qui ipsi reprehendunt & aversantur suas doctrinas & improbas factiones, quique ipsos se pudoris & verecundiæ notaverunt.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Novimus omnes Iuvenalium, patriarcham existentem Hierosolymitanum, ratione dignitatis principem synodi fuisse: postquam autem iniquitatis scivisset se argui, pœnituissetque, susceptus est.

Epiphanius sanctissimus diaconus ecclesiæ Catanæ, retinens locum Thomæ episcopi Sardinię, inquit: Verum Iuvenalis neminem fuerat persecutus.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Atqui hic quoque respondit se neminem persecutum fuisse. Quin etiam Eustathius hæresiarcha Macedonianorum fuerat, sed tamen divus Basilius pater noster cum libello illum recepit.

Venerabiles monachi dixerunt: Verum quia conticuit Iuvenalis, ob eam causā objicimus hoc.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Laudamus fervorem studiumque vestrum, & in canonicas & euangelicas traditiones zelum.

Sabas venerabilis monachus, præses Studii, dixit: Conservet Deus optimos nostros dominos, qui congregationem hanc synodicam ad C uniendam ecclesiæ catholicæ concordiam, convocaverunt.

Sancta synodus dixit: Gratiæ Deo, & in sæcula sæculorum laus.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Sancta synodus jam antea declaravit, reversos ab hæresi juxta patrum traditionem recipiendos, nisi alia quædam causa subsit, quæ ex sacerdotali dignitate eos ejiciat. Hoc igitur & nunc quoque referimus.

Sancta synodus respondit: Omnes hoc ipsum dicimus.

Ioannes venerandus presbyter, locum retinens orientalis diœceseos, dixit: Quę hactenus dicta sunt diversimode, sancta & utilia sunt.

D Petrus religiosus presbyter Romanus, item Ioannes & Thomas Deum colentissimi presbyteri vicem agentes orientis, dixerunt: Recipiant sedes suas.

Sancta synodus dixit: Hoc ipsum omnes jubemus, & in hoc convenimus. Et in suas sedes ascenderunt religiosissimi episcopi, videlicet Nicœensis, Neocæsareanus, Rhodi, Iconii, Hierapoleos, Pessinunton & Carpathi.

Sancta synodus dixit: Bene Deus orthodoxos induxit.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, dixit: Quandoquidem in priori sanctæ synodi consessu, piissimorum nostrorum imperatorum sacram digni habiti sumus E a secretis illius accipere, consequens est, ut videamus quid in ea scriptum fuerit. Habebatur autem in illa, literas fuisse missas ad serenissimam eorum majestatem ab Hadriano sanctissimo papa veteris Romæ: præterea duos quaterniones ad sanctissimum patriarcham ab orientalibus archiepiscopis. Atqui literas papę Romæ veteris legimus & audivimus, quæque in iis dicebantur, cognovimus. Precamur itaque generositatem vestram, illustrissimi patricii, ut & literæ ab orientalibus allatæ huic sanctæ synodo legantur, ut cognoscamus idemne sentiant & doceant papa veteris Romę, & Tarasius beatissimus patriarcha, preterea qui in orientalibus plagis sunt episcopi.

Magnificentissimi duces & sacra synodus dixerunt: Fiat secundum vestram petitionem.

Ioannes & Thomas Deum amantissimi presbyteri, & vicem agentes orientalium patriarcharum,

ACTIO TERTIA.

ACTIO TERTIA. rum, dixerunt: Si huic sacræ synodo visum fuerit, legantur prius literæ a beatissimo Tarasio patriarcha ad pontifices orientales scriptæ: deinde, si videbitur, legemus quoque ea quæ ab illis sunt rescripta.

Sancta synodus dixit: Legantur.

Et legere cœpit Stephanus venerabilis diaconus & notarius sacri patriarchici secreti.

EXEMPLAR LITERARVM AD summos sacerdotes & episcopos Antiochiæ, Alexandriæ, & sanctæ urbis, a Tarasio sanctissimo patriarcha Constantinopoleos missarum.

DOMINVS noster Deus, multa magnaque prudentia hominum vitam dirigens & gubernans, & uniuscujusque vitæ exitum & eventum summa cura respiciens, (namque sine ipso nihil factum est, cum & capilli nostri numerati sint a Deo) me hominem laicum, & in vulgari ordine in hunc diem usque habitum, imperialibusque obsequiis & ministeriis invigilantem, nescio quo judicio (ipse novit) ad sacerdotalem sedem violentis jussionibus imperatorum nostrorum piissimorum, veritatis propugnatorum, item sanctissimorum episcoporum & clericorum, ascendere coegit, ita ut necessitatibus me submittere decreverim, & fructum obedientiæ carpendum illis tradiderim. Quamobrem vos ter sanctos viros, veluti patres obsecro, ut meam pusillanimitatem baculo vestrę virtutis, & paternis doctrinis sustentetis, & veluti fratres, puris vestris precibus mihi per armaturam Dei contra insidias hostium succurratis, & in his tempestuosis fluctibus me gubernetis, ut recta in portum voluntatis Christi Dei nostri navim meam impellam. Est enim vere inter nos bellum acerbum, quod non ferro, sed verbis designatur. Trophæum tamen victoriæ erigere possumus, invictam videlicet veritatem. Neque quidquam est, quod turbulentam adeo tempestatem vereamur, cum defensorem & tranquillatorem omnium malorum Christum habeamus, qui etiam fluctuanti mari minari & increpare potest. At nunc satis procemiorum. Ad alterius sermonis narrationem accingor. Quandoquidem antiqua quædam observantia, imo vero apostolica traditio in ecclesiis diu obtinuit, ut illi qui recens assumpti fuissent ad summi alicujus sacerdotii gradus, illis qui & ante eos & multis temporibus summi sacerdotii gradum obtinuissent, fidem suam exponerent: visum igitur est mihi hæc secuto, & me submittere vobis, & manifeste meæ fidei confessionem apud vos exponere, quemadmodum a Spiritus sancti tubis, quarum *sonus egressus est in omnem terram, & verba eorum in fines orbis terræ*: item a gregibus & ovibus eorum divinis patribus nostris, a teneris unguibus didici.

Ioan. 1. Matth. 10. Matth. 8. Psalm. 18.

Credo in unum Deum patrem omnipotentem, & in unum dominum Iesum Christum Filium Dei & Deum nostrum, genitum ex patre extra tempora & ante sæcula; & in Spiritum sanctum dominum vivificantem, qui ex patre per filium processit, & ipsum esse definimus Trinitatem consubstantialem, ejusdem venerationis & honoris & sedis, sempiternam, increatam, omnium opificem, unum principium, unam deitatem & dominatum, unum imperium, potentiam, facultatem & auctoritatem, in tribus subsistentiis indivisim discretam, & distinctim unitam: non ex imperfectis tribus unum existens, quemadmodum magnus ille Dionysius inquit: Secundum quidem singularitatem personarum, tria adoranda: juxta vero communitatem naturę, unus Deus omnium visibilium & invisibilium factor & prædestinator. Confiteor & propter nostram salutem in extremis temporibus juxta carnem unius sanctæ Trinitatis filii Dei dominique nostri Iesu Christi ex vera deipara & semper virgine Maria generationem, substantiam assumpsisse nobis similem materialiter sine peccato, non * descivisse ab eo quod fuerat, sed in duabus naturis sine confusione manentibus, cumque duabus in illis voluntatibus & effectibus: Crucifixum pro nobis carne, sepultum & resurgentem, in cælosq; reversum, venturum judicare vivos & mortuos. Præter hæc mortuorum resurrectionem expecto, & secundum uniuscujusq; actionem æternam retributionem bonorum simul & malorum. Obsecrans intercessionem sanctissimæ intemeratæ dominæ nostræ deiparæ & semper virginis Mariæ, sanctorumque angelorum, & sanctorum gloriosorum apostolorum, prophetarum, martyrum, confessorum & doctorum. Amplector etiam horum venerandas imagines, & omnem hæreticam vaniloquentiam execror, eorumque antesignanos & primates, Simonem dico, Marcionem, Manenta, Paulum Samosatenum, & Sabellium Afrum, eorumq; scelesta dogmata detestor. Suscipio etiam sex sacras generales synodos, earumque divina decreta. Primæ quidem, quæ definivit patri consubstantialem, & æque sine principio fuisse filium, anathematizans impium Arium, Aetium, Eunomium, Eudoxium, Demophilum; post hos etiam qui recte dicuntur "Anomii, & Semiariani: præterea omnem eorum sceleſtam congregationem. Secundæ autem decreta recipio, quæ definiit Deum esse Spiritum sanctum dominum vivificantem. Aversor autem Macedonium, & omnes qui ab illius partibus stant. Cum his vero & Deo odiosum Apollinarium, hominem plane de divinis insipide loquentem. Ex tertia vero, unum nostrum Iesum Christum, verum Deum nostrum, ex Patre genitum, ipsumq; in extremis diebus nostra causa ex sancta deipara semper virgine Maria incarnatum: & Nestorium hominis adoratorem, ejusq; asseclas, Diodorum, inquam, & Theodorum, quique illius quadruplarem fabulam sectantur, & in Christo dualitatem personalem constituunt, longe a mea confessione propello. Quartæ vero synodi capita hæc accipio, ex duabus naturis, & in duabus naturis unum esse sanctæ Trinitatis Christum Deum nostrũ in carne peregrinantem: anathematizo autem Eutychen, Dioscorum, & omnem acephalon eorum turbam: cum his etiam Dei hostem Severum, & impiũ illum Iulianum Halicarnassensem, qui incorruptibile corpus dominum nostrũ assumpsisse fabulatur. Quintam vero veluti Spiritus sancti machæram amplector, quæ a multis ante temporibus vigẽtes impias hęreses amputavit, & de earum auctoribus triumphavit, Origene nimirum, Didymo & Euagrio; quos omnes ut hæreticorũ magistros execror. Sextam autem laudo, quod ex duabus naturis Christum prædicavit, ob id etiam illi duas naturales voluntates & operationes in alterutra natura, humana scilicet & divina, assignavit: anathemate autem execror Cyrum, Sergium, Honorium, Pyrrhum, Paulum, & omnes qui eorum decretis insistunt, veluti Sodomiticã vitem, & Gomorrhicum palmitem amaros botros producentem, exosos habeo. Ejusdem quoque sextæ synodi omnia, tum recte & divine decreta edita, traditosque canones recipio, præcipue tamen, in quo assignatur quibusdam in picturis agnum

ANNO CHRISTI 787. "Anom Can.

agnum digito præcursoris indicatum feliciter A effigiari, velut in typum gratiæ, verum illum agnum Christum Deum nostrum, per legis præcessionem præfiguratum. Propterea antiquas illas picturas & umbras figurarum, tamquam symbola & notas ecclesiæ traditas, amplectimur: ipsam tamen gratiam & veritatem prius suo honore convenientes. legis enim satisfactio hæc sunt. picturas autem non in alium usum admittimus, nisi ut perfectius omnium conspectui oculisque exhibeantur: quemadmodum agnus qui peccata mundi sustulit, juxta humanam effigiem configuratus a nobis erigitur, ut ex hac B ejus humiliatione altitudinem Verbi Dei considerantes, ad memoriam dispensationis in carne ejus omnia trahantur, & ad illius passionem, salutiferamque mortem, unde mundo liberatio orta est, veluti manu ducamur. Supervacuæ autem verborum nugæ & vaniloquentia, quæ temere a quibusdam effunditur, ob hoc a nobis non recipienda est, quod secundum gratiam divinam non proferatur. His igitur valere jussis, & ab eorum consortio abstinentes, lumbos intellectus nostri in veritate succingimus, pariterque cum imperatoribus nostris piissimis, ve- C ritatis propugnatoribus, ad concordiam ecclesiæ erigimur, quam ob causam ab illis synodum cum libertate totius populi Christiani rite indici postulavimus, illi autem nostræ petitioni innata sua pietate mox assenserunt. Vos autem

2. *supra fundamentum apostolorum & prophetarum, quorum lapis angularis Christus*, ædificatos (quemadmodum ab initio dicere cœperam) commilitones, comites, & pariter defensores accipientes fiduciam hanc a Deo maximo habemus,

3. (non quod nobis quidquam tribuamus, tamquam sufficere ad hanc rem nostra potestate possemus, sed sufficientia nostra a Deo adimpletur) membra ista ecclesiæ; quæ nunc fracta sunt D & divulsa, in unum ecclesiæ corpus coaptari, conglutinari & conjungi, ne amplius dissipentur, posse: quæ tunc augmentum capient, cum sciverint Christum Deum caput eorum esse. Ceterum sanctitatem vestram precamur, quo nobis simul cum epistolio vestro duo mittantur, qui vices vestras hic peragant. Si quid autem ex Dei traditione hactenus, quod ad hoc argumentum facere possit, habueritis, velim nobis declaretis, quo literæ vestræ synodicæ, & vicarii quoque a vobis missi, hi quidem cum gratia audiantur, illæ vero legantur: atque id solum, ne amplius schisma aliquod in ecclesia Dei maneat. Idem etiam hoc a primate veteris Romæ postulavimus. Vos autem fraterne nunc obtestamur, apostolicamque ad vos vocem eloquimur, ut cum Deo optima investigetis, & juxta E divinam vestram speculationem ea quæ investigata sunt, manifestetis. Scriptum enim est: *La-* ch. 2. *bia sacerdotum judicium servabunt, & Dei legem ab ore eorum requirent.* Credimus enim semina veritatis in sacerdotibus servari. Nostri autem pii imperatores, & in omnibus recte sentientes, veritatis stabilimentum erigere cupientes, Deum perpetuo supplicant, juxta divi Gregorii qui a theologia cognomentum invenit, sententiam, ut in uno Deo & in Trinitate uni existentes, uno ore & unanimes per Spiritum sanctum non contrariantes, sed inter nos veritatis sententiam cognoscamus & exerceamus. Absit autem contentio & seditio longissime a nobis: & quemadmodum uno baptismo tincti, summam unamque fidem habemus; ita quoque in omnibus ecclesiasticis negotiis unum animum studeamus habere. Pax autem Dei, quæ omnem intellectum superat, in unitate & nos, & quæ discissa sunt, reducat. Diuturnum quoque ulcus curet, & in firmitudine sinceræ fidei, & veritatis confessione omnes nos confirmet, sanctamque suam ecclesiam custodiat, quæque huic imminent scandala, intercedente immaculata deipara virgine Maria, omnibusque sanctis, avertat. Fiat. Amen.

ACTIO TERTIA: Phil. 4.

Petrus & Petrus religiosissimi presbyteri, vicem agentes Hadriani sanctissimi papæ veteris Romæ, dixerunt: Posteaquam sanctissimus papa ejusœmodi literas accepisset, ea de causa cum rescripto jam lecto nos huc misit.

Ioannes Deum colentissimus presbyter, vicem retinens orientalium pontificum, dixit: Dedit & nobis piissima imperatrix has literas, ne in manus impiorum & hostium ecclesiæ incideremus, sed sisteremur in præsenti synodo.

Sancta synodus dixit: Deus recte vos huc adduxit.

Constantinus Deum amantissimus diaconus & notarius dixit: In manibus gesto præfatos quaterniones ab oriente missos: si videbitur synodo commodum, legentur.

BEATISSIMO ET SANCTISSIMO domino Tarasio archiepiscopo Constantinopoleos, universali patriarchæ, orientales pontifices & sacerdotes in domino gaudere.

LECTIS sanctissimis & divino afflatu editis libellis, & apostolica & patrum doctrina sanctitateque plenis, nos eremum incolere studentium minimi & extremi, timore & gaudio perculsi sumus. Illo quidem propter terrorem, quo plerique nostrum peccatis servientes, in extremo judicio vexabimur, cum impietatem non extinguamus: sed per omne genus mali ambulantes, novas quotidie occasiones excogitamus, quibus nosipsos perdamus & interficiamus. Gaudio autem exultamus, quod fidei orthodoxæ sinceritas, veluti solaribus radiis emicans, in lucem se magis magisque profert: patrum quoque & apostolica dogmata in clarissimam simplicitatem illustrat. Tempestivum igitur esse videtur, ut prophetæ Zachariæ, qui parens fuit vocis indicis verbi illius, carmen alta voce exclamemus: *Visitavit nos oriens ex alto.* Itaque Luc. 1. eum in tenebris & umbra mortis, ignorantiæ & perversæ deceptionis & imposturæ, nimirum Arabicæ impietatis, sedeamus, opus est, ut intellectualibus & prudentibus pedibus in recta pacifici status via incedamus. Quis potis est eloqui magnificentiam domini? Concinat nobiscum David divinus ille pater: *Auditas faciet* Psal. 106. *laudes ejus:* quoniam misertus est Deus populi sui desperantis. Quinetiam quæ divisa erant, in unam fidei convenientiam reduxit: *Erexit enim* Luc. 1. *nobis cornu salutis nostræ, in domo**, & divino * f. David. suo successore unigenito filio domino & Deo, servatore nostro Iesu Christo, cui estis vos beatissimi, primo loco secundum ecclesiæ legem & ordinem vicini, deinde triumphatores & divinitus designati imperatores nostri, & domini terrarum orbis. Sacerdotalis enim dignitas, imperii sanctificatio est & confirmatio: imperium vero, sacerdotalis dignitatis robur & potentia. Qua de re sapiens quispiam rex, & inter reges

facile

ACTIO TERTIA. facile beatissimus dicere solebat: Maxima dona, quæ a Deo hominibus data sunt, sacerdotii dignitatem & imperium existimavi. Illa enim, cælestia curat & dispensat: hoc autem legibus æquis & justis omnia quæ in terris fiunt, procurat. Nunc obstaculi medium ruptum est dissolutum: eminet autem ante discordiam & schisma, unanimitas & consensio. Pax quoque Dei quæ excellit omnem cogitationem, splendide triumphat: nunc qui genuerunt inter nos convicium vicinis, & subsannatio participantibus nobiscum, & improperium qui circumdant nos. Ex hoc quoque tempore in terram prostrati, in cælos divinitus ascendamus, & cum psalmographo in mentis lætitia clamavimus: *In hoc cognovi, quoniam voluisti me, quoniam non est gavisus super me inimicus meus.* Et me quoque propemodum ex mentis simplicitate & innocentia deceptum resumpsi, & iterum erexi, & in petra apostolicæ fidei claudicantes meos pedes defixi. Hæc aliaque his similia gloriosæ literæ vestræ nos scribere coegerunt, ut in omni canonico statu, & a patribus tradita ordinatione incedentes, cognoscat vestra sanctitas in unitate fidei & recta mentis sententia idem nos cum dilectis & religiosissimis fratribus nostris viris sanctis sapere & sentire, quod sanctitudo vestra libellis suis declaravit, quos multis de causis omnes libenti & alacri animo susceperunt: primum, quia vestræ sanctitatis placentem omnibus sententiam continebant: deinde, quod tam ampliter optimorum nostrorum imperatorum bonam mentem & sententiam prædicabant: Postremo totius populi Christiani erga veram pietatem meliorem mentem, & bonam erga divina voluntatem & sententiam, spemque melioris sæculi. Vos vero veluti una anima in duobus corporibus apostolico more sentientes id quod rectum est, & a Spiritu sancto instigati, confirmate fratres vestros, ut diligentes sint contra hostes crucis, atque in eam rem omnibus animi viribus incumbite, consiliaque bona date, quoniam scriptum est: *Consilium bonum conservabit te, intellectus bonus custodiet te.* Nos quoque bono consilio utentes, fratres nostros veritatis studiosissimos, Ioannem & Thomam zelo Dei, orthodoxæ fidei amore ornatissimos, non veluti magnorum patriarcharum sedibus consimiles, sed sanctissimi silentii & quietis amatores. Diximus autem ad eos: Ecce nunc tempus salutis & tranquillitatis, quo nullum aliud vel tempestivius, vel utilius. Ite cum viris his, & viva voce docete, quæ dominos vestros per literas cognovisse putatis, aut potius suspicamini, & falsam accusationem, qua quidam ecclesias Ægypti & * Syrii infamant, infringite: & quis cultus, quæque ex apostolica traditione in ecclesiis Dei observantia fit, exponite, desideratosque dominos nostros salutate. Quamquam autem vos infantes estis, & non admodum docti, confidenter tamen agite. Deus enim ora vestra aperiet, dabitque eloquentiam, qua sufficientes eritis ad omnem contentionem subvertendam. Hæc cum mandassemus illis, ad vos misimus, o viri sanctissimi. Quamobrem precamur vestram sanctitatem, ut bono animo eos recipiatis: habebitis enim trium apostolicorum thronorum concordem sententiam, & concinentem concordiam, qui sane sex generales synodos ante habitas una voce prædicant: aliam autem illam (quam septimam dicunt) non modo

Psal. 40.

Prov. 2.

* Syriæ

A non recipiunt, sed uno animo & voce detestantur, utpote quæ ex hæresi contra apostolicam & patrum traditionem sit congregata, non aliam ob causam, quam ut sacrosanctas & venerandas imagines subvertat. Vos autem viri sanctissimi zelo Dei instructi, cum habeatis adjutores piissimos nostros dominos serenissimos imperatores, totamque simul a Deo vocatam congregationem, estote fortes & animosi, prævaleat cor vestrum contra eos, qui apostolicas traditiones subvertere conantur. In Dei autem Christi obedientiam omnes transferatis. Gaudemus enim, & Christo gratias agimus, quod imperatores B piissimos dominos nostros, & sanctissimum papam veteris Romæ Hadrianum, consentientes & consolicitantes habeatis: qui etiam dicitur suos apocrisarios ad vos misisse. Confessos autem omnes audivimus eam fidem, quæ in sexta synodo prostremum edita est, quæ profecto sine omni controversia sana est & valde vera, & secundum apostolicam sententiam & mentem incedens. Vt autem vestra beatitudo satis copiose de nostra fide instruatur, putavimus consultum quoque, sex synodorum antea habitarum fidem recensere, principio autem Theodori beatæ memoriæ patris nostri patriarchę Hierosolymitani, C deinde aliarum synodorum, quæ ita habet.

EXEMPLAR SYNODICARVM literarum Theodori sanctissimi patriarchæ Hierosolymorum.

CREDIMVS, sanctissimi fratres, quemadmodum a primordio credidimus, in unum Deum Patrem omnipotentem, sine principio existentem & sempiternum, omnium visibilium & invisibilium factorem. Et in unum dominum Iesum Christum filium Dei unigenitum, qui ab æterno & expers affectionis genitus ex Deo & Patre, neque aliud initium quam Patrem cognoscentem, & qui ex ipso * substantiam habet, lumen de lumine, Deum verum e Deo vero. Et D in unum sanctum Spiritum, sine fine ex Patre procedentem, lumen & Deum, * & suiipsius decreti, existentem, & vere existentem, Patri Filioque coæternum, consubstantialem, & ejusdem generis, ejusdemque substantiæ & naturæ, eodem modo etiam deitatis ejusdem Trinitatem consubstantialem, eodem honore affectam, & ejusdem throni existentem, in eamdem deitatem consummatam, & in unam & communem coactam potestatem, sine personali & * substantiali confusione & electione Trinitatem in unitate credimus, & unitatem in Trinitate glorificamus. Trinitatem quidem in tribus subsistentiis, unitatem vero in unitate deitatis, neque unitatem illam confusam habentem, neque Trinitatem per omnia divisam, sed E in altera alteram conservatam. Divisa est enim numerariis subsistentiis, & numerata personalibus alteritatibus, sed substantię & naturæ identitate unita, & nulla ratione partitionem admittens. Vnus enim Deus est. Inde etiam divinitas una absolute prædicatur, & in personarum Trinitate cognoscitur. Et non, inquantum unus Deus, & una deitas, Deus est divisus, & in tres deos partitus: Arianorum enim ista est impietas. neque etiam, inquantum tres unus Deus est, & demonstratur, & tres hypostases prædicatur, & Pater & Filius & Spiritus sanctus dicitur, contractus & conjunctus, & in unam

* subsistentiam

* al. & ipsum per se genitum

* subsistentiali

ANNO CHRISTI 78[illegible]

ACTIO TERTIA.

unam se hypostasim contrahens: Sabellianorum enim ista est impietas. Quamobrem recte a viris divinarum rerum peritis dictum est, unitatem nos sentire in una & singulari deitate, Trinitatem autem in tribus inconfusis subsistentiis: nec alium Deum unum præter tres personas cognoscimus, neque tres Trinitatis consubstantiales personas, quæ sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus, alium præter unum Deum agnoscimus. Ob id etiam unum hæc tria, in quibus divinitas, prædicamus, vel (ut verius dicamus) quæ deitas est & cognoscitur.

Credimus etiam in unum ejusdem sanctæ consubstantialis Trinitatis dominum nostrum Iesum Christum, *Qui in forma Dei existens, non rapinam arbitratus* (ut inquit apostolus) *in eo quod similis cum Deo existat, sed seipsum exinanivit, assumpta servi forma.* Nam patri existens consubstantialis & coæqualis assessor, in extremis temporibus non dedignatus est ex sancta & immaculata domina nostra deipara assumpta carne, animata anima intellectuali & rationali, ab initio a nostra massa, non seminio, sed opificio per Spiritum sanctum nasci. Sic ex duobus contrariis progressus Deus Verbum, perfectus natura Deus existens, idem perfectus natura homo fuit, non vertens naturam, neque phantasmate simulans dispositionem suam, sed assumpta ex sancta virgine rationaliter & intellectualiter carne, & quæ in * seipso id quod erat sortita, unitus secundum hypostasim, inconfusus, indivisus, non naturam deitatis suæ in carnis substantiam mutans, neque etiam substantiam carnis suę in naturam deitatis suæ. Duæ enim naturæ immutabiliter in se invicem unitæ in una Verbi Dei hypostasi, unum filium & dominum nostrum declarant, visibilem & invisibilem, mortalem & immortalem, eodem modo * descriptum, perfectum Deum & perfectum hominem, perfectum in duabus naturis declaratum, & in duabus potestatibus & virtutibus & voluntatibus adoratum. Non enim operatus est divine, neque rursus humaniter, nisi natura fuisset Deus & homo. Hunc vere Deum existentem & hominem confitemur, propter nostram salutem crucifixum, & mortem in carne gustasse tribus etiam diebus in sepulcro receptum, resurgentem a mortuis propriæ deitatis potentia, deprædantem infernum, & eos qui a principio captivi tenebantur, liberantem, in cælum ascendentem, & a dextera patris sedentem, venturum, juxta incorporeorum vocem ad apostolos, in secunda præsentatione judicare vivos & mortuos. Confitemur etiam & a mortuis in extremo die per vocem archangelicæ tubæ resurrectionem, & omnium qui vixerunt, sive bene, sive male, ex justo Dei nostri Iesu Christi judicio retributionem & vitam æternam venturam, neque finem habituram. Suscipimus autem & ex animo amplectimur & amamus sex sacras & universales synodos, quæ ex Spiritus sancti instinctu contra omnes hæreses quæ in diversis locis & temporibus fuerunt, congregatæ sunt, quas sane omnes excellenter universæ, quæ sunt sub sole, ecclesiæ prædicant, earumque rectis & a Deo inspiratis dogmatibus seipsos confirmant, rejicientes quos ipsæ rejiciunt, recipientes vero quos illæ recipiunt.

Et prima quidem in Nicæa congregatis trecentis decem & octo patribus, propter Arii, cognomento insani, hæresim extirpandam, ejusque corruptrices animarum blasphemias: qui sublatam cupivit unam illam & inconfusam deitatem, patris etiam creationem filium inani sua garrulitate prædicabat, negans per filium etiam cuncta ex nihilo in illud quod sunt, producta. Damnavit etiam eadem synodus omnes qui cum illo erant ejusdem sententiæ. Hæc eadem persancte constituit dominum nostrum Iesum Christum ante cuncta sæcula ex patris substantia & hypostasi, ante tempora sine defluxu generatum, præterea Patri consubstantialem, & sancto quoque Spiritui. Atque hæc per symbolum, sive rectam fidem confessa est.

Secunda vero in Constantinopoli, convenientibus centum quinquaginta patribus, congregata est contra πνευματομάχον Macedonium, & eos qui a partibus ejus stabant Deo odibiles Semianianos. Hæc sancta synodus Spiritum sanctum ducem & ductorem nacta, declaravit ex Patre ante tempora & perpetuo Spiritum sanctum egressum habuisse: præterea Patri & Filio consubstantialem, coadoratum & conglorificatum: Eos vero qui blasphemias fuderunt in paracletum, veluti non simul processisset, execrationibus infinitis devoverunt. Sed & cum his insanum Apollinarium, qui & servatorem, hominem sine mente, ipse demens blasphemavit.

Tertia, quæ in Epheso prior ex ducentis patribus emicuit, Nestorii adoratoris hominis vesaniam sustulit & abscidit, ejusque asseclas in perpetuum damnavit. Hic enim ex propria stultitia seductus, alium ante sæcula Deum verbum, alium vero ex virgine pro nostra salute incarnatum nugatus est. Ob id etiam nolens coactus est Trinitati quartam personam superinducere: non solum autem unitas duas Christi naturas in duas hypostases, verum etiam nomen hoc θεοτόκος, hoc est, deipara, impius iste adjurans, pro eo Χριστοτόκος, id est, Christipara, substituit, cum omnes cognoscant eam vere Dei matrem, post partum & ante partum virginem qualibet intellectuali & sensibili natura superiorem, gloria & splendore ornatam. Hunc igitur tertia synodus ducentorum patrum anathemate reddidit execrabilem, illiusque corruptrices animarum nugas plane detestata est, unum ex patre filium ante sæcula splendentem, & in extremis temporibus ex immaculata virgine deipara Maria nostram naturam induentem testata. Quin etiam docuit perfectum Deum & perfectum hominem, ipsius filium Dei prædicans, hoc est, unum & filium & Christum & dominum. Simplicius autem unam naturam verbi Dei incarnatam, quod indicat duarum naturarum secundum hypostasim unitatem. Instituit autem proprie dici, & secundum veritatem, sanctam Mariam θεοτόκον, hoc est, deiparam.

Tempestive & ea quæ in Calchedone celebrata est synodus, in qua sexcenti patres erroneam hæresim, quæ Christi duas naturas confundit, sustulerunt: quam sane primus insanus Eutyches per insipientiam induxit, ausus negare duas naturas in uno Christo incommutabiliter unitas, unam autem naturam ex duabus extitisse compositam prodigiose pronuntians. His Dioscorum scelestum illum hominem commilitonem & advocatum nactus, bonorum dogmatum accusator, & veritatis hostis repertus est. Sed hos duos sancta quarta synodus subvertit, eorum vaniloquas delirationes severis anathematibus, ipsosque auctores subjecit: duas autem

ACTIO TERTIA.

tem Christi veri Dei nostri naturas, sine confusione, incommutabiliter, inconvertibiliter in una ipsius hypostasi uniri prædicavit: perfectum etiam ipsum in deitate & humanitate existere, ex duabus & in duabus naturis cognitum. Præter hæc Nestorii quoque scelesti istius divisionem, ipsumque adeo & qui dogmata illius sectantur, abrenuntiavit.

Deinceps & quinta congregata synodus est in imperatoria civitate, ex sexaginta quatuor supra centum episcopis constans. Hæc, Spiritu sancto duce, priores quatuor synodos confirmavit, jussitque ut harum decretis acquiescceremus, execrans Arium, Nestorium, Eutychen, Theodorum Mopsuestiensem, horumque omnium blasphemias. Præterea Origenem, Euagrium, Didymum, omnesque fabulosas & gentiles eorum prodigiosas narrationes: Adhæc epistolam, quæ Ibæ cujusdam nomine ad Marim Persam circumfertur. His adde Theodoriti commentaria, quæ contra recta duodecim capita beatæ memoriæ Cyrilli conscripta sunt.

Postquam sancta sexta synodus, veluti alter sol, ex ducentis & octoginta novem patribus, in regia civitate locum sortita illuxit: in qua congregata existens, eos, qui duas sui juris voluntates & operationes in Christi Dei nostri incarnata œconomia negant, & unam voluntatem, unamque operationem servatoris nostri deitatis & humanitatis constituunt, anathematizavit: nimirum Sergium, Pyrrhum, Petrum, Cyrum, Honorium, Theodorum dictum Pharan, nec non Polychronium delirantem senem, præterea omnes, qui constituerunt, constituunt, ac constituere tentabunt unam voluntatem & operationem duarum Christi naturarum. Nam si (ut quidam sapiens inquit) involuntariam & inefficacem humanam Christi naturam relinquimus, ubi perfectum illud in humanitate servabitur? Igitur duas voluntates & operationes invicem in Christi naturis, ut naturaliter loquamur, aptantes, efficiemus ut magnum salutaris œconomiæ mysterium manifestissime appareat.

His itaque sex sacris synodis, quas solas universales agnoscimus, concorditer orthodoxa fides stabilita est: neque aliam, præter has, synodum accipimus. Non enim quidquam apostolicarum traditionum, nihil etiam patrum legitimarum editionum, quod dubium movere poterat, aut correctione indigebat, omissum est. Idcirco universos hæreticæ improbitatis auctores, ut seminis zizaniarum diabolicarum plantatores, animarumque corruptores, a principe pessimo, Simone (inquam) Mago, usque ad extremos eorum successores, uno (quod aiunt) fasce deinceps ex tota anima anathematizamus. Maxime autem, quos sex priores synodi universales damnarunt. Quibus etiam adjicio Severum, Acephalorum & unius naturæ clamantium principem, illiusque commilitones omnes. Neque iniquum est his adjicere Petrum Fullonem, qui ter sancto hymno adjicere aliquid ausus fuit, impassibilique deitati passiones affricare tentavit: Quicumque etiam hunc ut ducem sequuntur. Locales autem synodos non aversamur, sed magis amamus, amplectimur & recipimus, earum etiam divinitus inspiratas canonicas constitutiones, correctiones, & utiles earum legislationes summa observantia colimus. Apostolicas autem ecclesiæ traditiones, quibus veneratio culturaque sanctorum docetur, recipimus & veneramur: Eos autem ut ministros, amicos & filios Dei existentes, honoramus. Honor enim qui a conservis idē sentītiēbus invicem exhibetur, indicium est benevolentiæ erga dominum. Sunt enim promptuaria Dei & pura Christi habitacula, Spiritusque sancti immaculata specula. Quin etiam *animæ eorum in manu Dei existunt*, ut scriptum est. (Sap. 3.) Deus enim vita existens, cum sancti in Dei manu sint, in vita & lumine necessum est ut existant. Et ob id, *preciosa in conspectu domini mors sanctorum ejus.* (Psalm.) Hi viventes in libertate Deo adstiterunt. Servator noster Christus fontes salutares, sanctorum reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia in debiles fundentes, unguentum redolentis suavitatis scaturientes. Et ut inquit magnus doctor, cui[a] ab immortalitate nomen est, martyrum ossa morbos fugant, infirmis medicantur, cæcis visum impartiunt, lepras emundant, tentationes & mœrores solvunt. Atque id per Christum, qui in ipsis habitat. Bene etiam psalmographus cecinit: *Mirabilis Deus in sanctis suis.* (Psalm) Et iterum: *Sanctis in terra illius mirificas fecit omnes voluntates ejus in ipsis.* (Psalm) Cum etiam sanctas imagines reveremur, principio adorantes Dei Verbi propter nos incarnati, domini nostri & servatoris Iesu Christi, qui formam servi assumpsit, imaginem. (Phil. 2) Quamquam sciamus ipsam imaginem & typum deitatis, quæ cum carne illius immaculata inconvulsim unita est, minime posse figuram præstare. Invisibilis enim est divina natura, nec depingi, nec figurari se permittit. *Deum enim*, ut ipse inquit, *nemo vidit unquam.* (Ioan.) Sed humanitatis illius imaginem coloribus ducentes adoramus. Visus enim est Deus, & cum hominibus conversatus est, nostroque more & natura laboravit, esuriit, sitiit. (Baruc) Adoramus quidem Christi imaginem, quemadmodum facies ejus visa est, non tamen a deitate separata: absit ut ita sentiamus, cum ab ipsa prima conceptione cum deitate unita sit. Quamvis enim dicat ad Iudæos: *Quia vultis me occidere, hominem qui veritatem locutus sum vobis:* (Ioan 8) non tamen ob id dumtaxat homo fuit, sed & Deus. Et cum inquit, *Ego & Pater unum sumus*, (Ioan. 1) hic non abnegat nostram naturam. Humano enim ore & lingua instrumentaria hæc loquitur. Veneramur etiam & adoramus imaginem deiparæ & dominæ nostræ irreprehensibilis, immaculatæ, & inexplicitæ castitatis matris, quæ illum peperit. Quin etiam sanctorum apostolorum, prophetarum, & victorum martyrum, sanctorumque & beatorum, veluti amicorum Dei, imagines colimus, non in materia aut coloribus honorem constituentes, sed per hoc officium nostrum, quod ipsis adeo, quorum typum imagines gestant, debemus, impartientes: cum sciamus, juxta Basilii magni sententiam, quod imagini honor exhibitus ad ipsum prototypum referatur. (De Spiritu sancto ad Amphilochium.) Ad eos vero, qui contentiosius nobiscum agentes, negant fas esse, imagines sanctorum adorare, cum sint manufactæ, ob id etiam idola impii illi eas vocant: sciant hi, quod & cherubim & propitiatorium, & arca, & mensa, quę admirandus Moses ex Dei mandato præparavit, manu hominum facta sunt & adornata. Divina enim scriptura reprehendit eos qui sculptilia adorant, & qui dæmonibus immolant. (Psal. 9 / Isa. 42) Gentium enim sacrificia abominanda erant, justorum vero probanda. Cum igitur satis crasse scriptura venerandas imagines recepit, adorare eas licitum est, sed prototypi causa. Has igitur

[a] Athanasium intelligit

igitur synodicas literas cum acceperitis patres A sanctissimi, si quid in illis repertum fuerit correctione dignum, petimus ut sine invidia, vestra doctrina nos reddatis participes, idque literis rescriptis admonete. Sic enim fiet, * ut concordes vos & nos in fide * inventi glorificetur Pater & Filius & Spiritus sanctus, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Et postea quam literæ lectæ fuissent, Petrus uterque venerabiles presbyteri, vicem agentes sanctissimi Hadriani papæ veteris Romæ, dixerunt: Confidimus, juxta fidem quam recte confessus est Tarasius sanctissimus patriarcha Constantinopoleos, & apud nos apostolicus papa B Hadrianus, sanctam hanc synodum ambulaturam, utpote quæ jam consensit illis, quæ ipsi confessi sunt. Benedictus etiam Deus, quod orientis sanctissimi præsules in confessione adorationis imaginum venerandarum consoni cum Hadriano sanctissimo papa veteris Romæ & Tarasio beatissimo patriarcha novæ Romæ inventi sunt. Qui vero ita non confitentur, anathemati a trecentis decem & octo patribus hic congregatis, subjiciantur.

Sancta synodus dixit: Fiat, fiat, fiat.

Agapius sanctissimus episcopus Cæsareæ dixit: C Literis, quæ ab orientis præsulibus sanctissimis missæ sunt ad Tarasium universalem patriarcham, veluti columnæ orthodoxæ fidei, omnibus modis assentior, eorumq; communionem recipio: qui vero secus faxint, anathemati subjicio.

Ioannes sanctissimus episcopus Ephesi inquit: Epistolio orthodoxo a præsulibus sanctissimis orientis ad sanctissimum & universalem patriarcham Tarasium destinato acquiesco, eorumque communionem amplector. Qui vero ita non confitentur, neque venerandas imagines colunt, alienos ab ecclesia catholica & apostolica censeo, eosque diris devoveo.

Constantinus episcopus Constantiæ, quę est D in Cypro, dixit: In nullis peccantes cum videam literas, quæ nunc lectæ sunt, & ab orientalibus episcopis ad Tarasium sanctissimum & beatissimum archiepiscopum & universalem patriarcham missæ: item cum in his eamdem fidei confessionem cognoscam, ego indignus etiam assentior, & uno animo idem prædico. Suscipio enim & amplector venerandas imagines, adorationem autem quæ fit secundum λατρείαν, hoc est, Dei culturam tantummodo supersubstantiali & vivificæ Trinitati conservo. Qui vero aliter sentiunt, quique gloriosos sanctos non approbant, a catholica & apostolica ecclesia separo, & anathemati subjicio, & ad eos relego, qui incarnatam Christi Dei veri nostri œconomiam pertinaciter negant: E

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit: Literis, quæ ab orientalibus sanctissimis præsulibus ad beatissimum archiepiscopum & universalem patriarcham Tarasium missæ sunt, acquiesco & adhæreo; & quæ illi sunt confessi, cum omni animi promptitudine recipio: qui vero sic non sentiunt, anathemati subjicio.

Nicolaus sanctissimus episcopus Cyzici dixit: Literis sanctissimi patriarchæ Tarasii ad orientales præsules missis, & rursus libellis orientalium sanctissimorum præsulum ad universalem patriarcham rescriptis de sanctarum imaginum veneratione, assentior, eorumque communionem recipio: qui vero secus sentiunt, anathemati relego.

Euthymius sanctissimus episcopus Sardensium dixit: In omnibus veritatem sectari cupio, & traditionibus sanctorum apostolorum patrumque inhærere contendo. Quamobrem literis dudum lectis, a Tarasio sanctissimo patriarcha scriptis, quasque ille a sanctissimis orientis præsulibus recepit, quoniam illis una est voluntas, acquiesco, & idem sentio, nimirum de sanctis eorum decretis, & quæ venerationem sanctarum imaginum respiciunt. Qui vero extra hoc vaniloqui sunt, nuganturque contra sanctas imagines, neque illis quidquam tribuunt, hæreticos & perversos existimo, & eorum communionem longe valere jubeo. ACTIO TERTIA.

Petrus sanctissimus episcopus Nicomediæ dixit: Iuxta literas a præsulibus orientalis diœceseos ad sanctissimum & universalem archiepiscopum & patriarcham Tarasium missas sentio; & quæ in illis confessa sunt, recipio. Veneror autem & adoro venerandas & sacras imagines, & qui non sunt ejus sententiæ, execror.

Hypatius Nicææ episcopus dixit: Epistolæ, quam miserunt orientales præsules summi ad Tarasium beatissimum & universalem patriarcham, accedo; & quę in ea confessa sunt, recipio. Veneror etiam sacras imagines, & easdem adoro & amplector. Omnes autem qui ita sibi faciendum non existimant, alienos a catholica & apostolica ecclesia esse arbitror, & anathemate devoveo.

Elias sanctissimus episcopus Cretæ dixit: Literis ab oriente missis insisto, & eas approbo.

Stauracius Calchedonis episcopus dixit: Cum videam literas lectas, tum quas sanctissimus & universalis patriarcha Tarasius ad orientem direxit, tum quas ab orientali diœcesi sanctissimi archiepiscopi ad Tarasium rescripserunt, plane convenire, & in nulla re dissonare, sed plena testimonia rectæ fidei dare, ego quoque his assentior, eadem confiteor, & alienos ab ecclesia, qui aliter existimant, judico.

Nicephorus reverendus episcopus Dyrrachii dixit: Ab oriente orthodoxis literis a sacerdotibus summis ad Tarasium sanctissimum patriarcham missis assentior, eorumque confessionis expositionem recipio: qui vero aliter animati sunt, eos condemno.

Epiphanius sanctissimus diaconus ecclesiæ Catanes, locum retinens Thomę sanctissimi episcopi Sardinię, dixit: Verum est, quod scriptum est: *Favi mellis, sermo bonus: dulcedo eorum, medela animæ.* Ecce enim quę jam lectę sunt synodicæ literæ Tarasii sanctissimi & beatissimi archiepiscopi imperialis urbis Constantinopoleos novę Romæ, ad orientis sanctissimos summosque sacerdotes scriptę: quin etiam rursum ab his ad illum destinatæ, dulci & redolenti favo doctrinæ & orthodoxę fidei patrum efflorescentes, omnium nostrorum mentes sensus redolentia perfuderunt, eos etiam qui in fide anima claudicabant, robore & virtute orthodoxæ doctrinæ sanaverunt: ob eam causam ego paria cum his sentiens, recipio, venerorque juxta veterem traditionem sanctas imagines. Et conventiculum illum apostaticum, quam septimam synodum delirantes quidam ausi sunt appellare, omnesq; qui cum hac sentiunt, horrendis diris devoveo. Prov. 16.

Leo sanctissimus presbyter, & locum retinens metropoleos Sides, dixit: Gratia Christo vero Deo nostro, qui concordes esse voluit literas orientalium præsulum cum illis, quas ad illos

ACTIO TERTIA.

ſanctiſſimus patriarcha Taraſius deſtinaverat. quamobrem ego quoque his accedo ac inhæreo. Qui vero diverſe ſentiunt, anathemate execror.

Nicolaus venerabilis monachus, præſes manſionis quæ Apra appellatur, locum retinens metropoleos Tyanenſium, pronuntiavit in eamdem ſententiam.

Gregorius ſanctiſſimus epiſcopus Neocæſareæ dixit: Literis ab orientalibus archipræſulibus ad ſanctiſſimum & univerſalem patriarcham Taraſium miſſis acquieſco, adhæreo, & recipio venerandas colendaſque ſanctorum imagines: qui vero mecum non ſentiunt, anathemati ſubjicio.

Theodorus ſanctiſſimus epiſcopus Catanes dixit: Quibus perpetuo pietatis ratio habita eſt, his ſane continuo orthodoxæ fidei ſermo ſplendeſcit. Merito ſane ob id literis jam lectis, quas ſanctiſſimus patriarcha Taraſius ad orientis archiepiſcopos direxit, & rurſus quas illi ſanctiſſimi præſules ad Taraſium univerſalem patriarcham imperatricis urbis Conſtantinopoleos novæ Romæ remiſerunt, mea tenuitas accedit, cum in illis videam conſenſum orthodoxæ fidei & ſanctorum patrum decreta convenire. Ob id idem etiam ſentiens cum ipſis, recipio & exoſculor ſanctas & venerandas imagines. Septimam autem ſynodum falſo ita appellatam, quæ contra has promulgata eſt, cum omnibus qui huic adhærent, anathemate devoveo.

Anaſtaſius ſanctiſſimus epiſcopus Nicopoleos veteris Epiri dixit: Cum videam conſonas & per omnia convenientes literas ſanctiſſimi & univerſalis patriarchæ Taraſii, & ad illas quoque reſcriptas ab oriente, aſſentior his, & me in finem vitæ in eadem ſententia permanſurum, ſanctaſque & venerandas imagines reverenter habiturum confiteor: eos vero qui ita non ſentiunt, anathemate execror.

Ioannes ſanctiſsimus epiſcopus Tauromeniæ dixit: Quemadmodum convenimus, ut idem ſentiremus, ita & idem eruditi ſumus. Convenientibus enim & concordantibus literis ſynodicis lectis Taraſii ſanctiſsimi & univerſalis patriarchæ pridem ad orientis ſanctiſsimos præſules miſsis, & reſcriptis eorum ad eumdem patriarcham ſecundum traditionem ſex ſacrarum ſynodorum, & orthodoxam fidem, ego quoque his fidem adhibens, eadem credo, & venerandas imagines veneror & adoro, inque hac catholica & orthodoxa fide & vivere cupio, & tribunali Chriſti animo intrepido ſiſti. Qui vero præter hoc aliter exiſtimant, eos anathemate percello.

Gregorius ſanctiſsimus epiſcopus Peſsinunton in eamdem ſententiam pronuntiavit.

Baſilius ſanctiſsimus epiſcopus Silæi in eamdem ſententiam pronuntiavit.

Theodorus ſanctiſsimus epiſcopus Myron, &c.

Leo ſanctiſsimus epiſcopus Rhodi in eamdem ſententiam pronuntiavit.

Euſtathius ſanctiſsimus epiſcopus Laodiceæ, &c.

Theodorus ſanctiſsimus epiſcopus Seleuciæ in eamdem ſententiam pronuntiavit.

Nicolaus ſanctiſsimus epiſcopus Amorſi in eamdem ſententiam pronuntiavit.

Theodoſius ſanctiſsimus epiſcopus Hierapoleos in eamdem ſententiam pronuntiavit.

Nicetas ſanctiſsimus epiſcopus Claudiupoleos in eamdem ſententiam pronuntiavit.

Michael ſanctiſsimus epiſcopus Synnadon in eamdem ſententiam pronuntiavit.

Leo ſanctiſsimus epiſcopus Iconii, &c.

Georgius ſanctiſsimus epiſcopus Piſidiæ, &c.

ANNO CHRISTI 787.

Conſtantinus ſanctiſsimus epiſcopus Perges, &c.

Theophylactus Deum amantiſſimus diaconus, locum tenens metropoleos Tyanenſium, in eamdem ſententiam pronuntiavit.

Leo ſanctiſſimus epiſcopus Carpathi, &c.

Chriſtophorus ſanctiſſimus epiſcopus Phaſidos, &c.

Theodorus ſanctiſſimus epiſcopus Catanes pronuntiavit in eamdem ſententiam.

Manuel ſanctiſſimus epiſcopus Adrianopoleos Thraciæ, in eamdem ſententiam pronuntiavit.

Maurianus ſanctiſſimus epiſcopus Pompeiopoleos in eamdem ſententiam pronuntiavit.

Cyrillus in locum ſanctiſſimi epiſcopi Gotthiæ, in eamdem ſentteniam pronuntiavit.

Theodorus ſanctiſſimus epiſcopus Byzies in eamdem ſententiam pronuntiavit.

Ioannes ſanctiſſimus epiſcopus Tauromeniæ in eamdem ſententiam pronuntiavit.

Georgius preſbyter, locum retinens epiſcopatus Smyrnes, &c.

Gaudioſus ſanctiſſimus epiſcopus Meſſanę Siculus, &c.

Euſtratius ſanctiſſimus epiſcopus Apameæ Bithyniæ, &c.

Petrus ſanctiſſimus epiſcopus Germion, &c.

Ioannes diaconus & locum retinens Apoſtolopoleos, &c.

Theodorus ſanctiſſimus epiſcopus Panormi, &c.

Ioannes ſanctiſſimus epiſcopus Arcadiopoleos, &c.

Stephanus ſanctiſſimus epiſcopus Bibonum, &c.

Siſinnius ſanctiſſimus epiſcopus Parii, &c.

Conſtantinus ſanctiſsimus epiſc. Leontinæ, &c.

Epiphanius ſanctiſsimus epiſcopus Mileti, &c.

Nicetas ſanctiſsimus epiſcopus Proconneſi, &c.

Theodorus ſanctiſsimus epiſcopus Taurianes, &c.

Chriſtophorus ſanctiſsimus epiſcopus * Adryaces, &c. (* Adriacæ vel Adriæ.)

Euſtratius ſanctiſsimus epiſc. Methymnes, &c.

Theotimus ſanctiſsimus epiſc. Crotonum, &c.

Leon ſanctiſsimus epiſcopus Chii, &c.

Baſilius ſanctiſsimus epiſcopus Neſion, &c.

Ioannes ſanctiſsimus epiſcopus Apron, &c.

Ignatius ſanctiſsimus epiſcopus Prienes, &c.

Theophylactus ſanctiſsimus epiſcopus * Cypſelon, &c. (* Cypſelon.)

Theodorus ſanctiſsimus epiſcopus Trophæorum, &c.

Stephanus ſanctiſsimus epiſc. * Sugdaon, &c.

Sergius ſanctiſsimus epiſcopus Nicoteron, &c.

Georgius preſbyter, locum retinens Nicopoleos, in eamdem ſententiam pronuntiavit.

Leo ſanctiſsimus epiſcopus Meſembriæ, &c.

Theodoſius ſanctiſsimus epiſcopus Amorii, &c.

Cyriacus ſanctiſsimus epiſc. Driziparon, &c.

Galatas preſbyter in locum Rhegii, &c.

Theodoſius ſanctiſsimus epiſcopus Nyſſæ, &c.

Georgius ſanctiſsimus ep. Camulianorum, &c.

Soterichus ſanctiſsimus epiſc. * Ciceſſon, &c. (* Ciſc…)

Conſtantinus ſanctiſsimus ep. Maſtauron, &c.

Georgius ſanctiſsimus epiſcopus Briulon, &c.

Ioannes ſanctiſsimus epiſcopus Nyſſæ, &c.

Baſilius ſanctiſsimus epiſcopus Magneſiæ quæ eſt prope Mæandrum, in eamdem, &c.

Theophanes ſanctiſsimus epiſcopus * Coloes, &c. (* Ca…)

Leo ſanctiſsimus epiſcopus Algizon, &c.

Nicodemus ſanctiſsimus epiſc. Eugazon, &c.

Lycaſtus ſanctiſsimus epiſcopus Barilon, &c.

Theophy-

Theophylactus sanctissimus episcopus Hypæpon, in eamdem sententiam pronuntiavit. A
Theophanes sanctissimus episc. Lebedon, &c.
Stratonicus sãctissimus episcopus Cymes, &c.
Cosmas sanctissimus episcopus Myrrhines, &c.
Olbianus sanctissimus episcopus Elææ, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Pardus sanctissimus episcopus Pittanes, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Basilius sanctissimus episcopus Pergami, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Marianus sanctissimus episcopus Antãdri, &c.
Basilius sanctissimus episcopus * Atramyti, &c.
Ioannes sanctissimus episcopus Assi, in eamdem sententiam pronuntiavit. B
Leo sanctissimus episcopus Phoceæ, &c.
Nicephorus sanctissimus episcopus Gargaron, in eamdem, &c.
Constantinus sanctissimus episc. * Agaes, &c.
Theognius sanctissimus episcopus Sion, &c.
Ioannes sanctissimus episcopus * Prædesti, &c.
Ioannes sanctissimus episcopus Panii, &c.
Melchisedec sanctissimus episcopus Calliopoleos, in eamdem, &c.
Leo sanctissimus episcopus Madyti, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Theophylactus sanctissimus episcopus Chariupoleos, in eamdem, &c.
Thomas sanctissimus episcopus * Danii, &c. C
Gregorius sanctissimus episcopus Theodoropoleos, in eamdem, &c.
Sisinnius sanctissimus episcopus * Chalcidos, in eamdem, &c.
Ioannes sanctissimus episcopus Bryseos, &c.
Benjamin sanctissimus episcopus Lizicon, &c.
Gregorius sanctissimus episcopus Amastridos, in eamdem, &c.
Stephanus sanctissimus episcopus Soron, &c.
Gregorius sãctissimus episcopus Dercon, &c.
Heraclius sanctissimus episcopus Ionopoleos, in eamdem, &c.
Constantinus sanctissimus episcopus Heliopoleos, in eamdem, &c.
Antonius sanctissimus episcopus * Trœzenes, in eamdem, &c. D
Nicetas sanctissimus episcopus * Nacaleæ, &c.
Petrus sanctissimus episcopus Aspones, &c.
Synesius sanctissimus episcopus Cynes, &c.
Synesius sanctissimus episcopus Anastasiopoleos, &c.
Eustathius sanctissimus episcopus Solorũ, &c.
Theodorus sanctissimus episcopus Cicutii, &c.
Basilius sanctissimus episcopus * Trimitunton, in eamdem, &c.
Alexander sanctissimus episcopus Amathunton, &c.
Michael sanctissimus episcopus Melitupoleos, in eamdem, &c.
Sisinnius sanctissimus episcopus Adranias, &c. E
Theodorus sãctissimus episcopus Germes, &c.
Gregorius sanctissimus episcopus Adrianitheron, &c.
Leo sanctissimus episcopus Pœmanii, &c.
Simeon sanctissimus episcopus Oces, &c.
Ioannes sanctissimus episcopus Lampsaci, &c.
Nicetas sanctissimus episcopus Ilii, &c.
Leo sanctissimus episcopus Troados, &c.
Theodorus sãctissimus episcopus Abydi, &c.
Anastasius sanctissimus episc. Tripoleos, &c.
Leo sanctissimus episcopus Traculon, &c.
Stephanus sanctissimus episcopus Salon, &c.

Ioannes sanctissimus episcopus Abalon, &c. ACTIO TERTIA.
Stephanus sanctissimus episcopus Silandi, &c.
Nicolaus sanctissimus episcopus Pericomniatos, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Ioannes sanctissimus episcopus Sothon, &c.
Basilius sanctissimus episcopus Liparon, &c.
Theophanes sanctissimus episcopus Meoniæ, in eamdem, &c.
Michael sanctissimus episcopus Stratonices, in eamdem, &c.
Lycastus sanctissimus episcopus Philadelphiæ, in eamdem, &c.
Michael sanctissimus episcopus Troalon, &c.
Gregorius sanctissimus episcopus Gordó, &c.
Ioannes sanctissimus episcopus Daldes, &c.
Eustathius sanctissimus episcop. Hyrcanes, &c.
Iosephus sanctissimus episcopus Attaliæ, &c.
Zacharias sanctissimus episcopus Hierocæsareæ, in eamdem, &c.
Davidus sanctissimus episcopus Helenupoleos, in eamdem, &c.
Cyrion sanctissimus episcopus Lophi, &c.
Theophylactus sanctissimus episcopus Apolloniados, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Constantinus sanctissimus episcopus Cæsareæ Bithyniæ, &c.
Georgius sanctissimus episcopus Basilinupoleos, &c.
Leo sanctissimus episcopus Aristes, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Nicephorus sanctissimus episcopus * Adranes, in eamdem, &c. * Adranes Thraciæ,
Basilius in locum Dascylii, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Christophorus sanctissimus episcopus Cerasenes, in eamdem, &c.
Nicetas sanctissimus episcopus Meles, &c.
Neophytus sanctissimus episcopus Gordoserbon, &c.
Leo sanctissimus episcopus Linoes, &c.
Ioannes sanctissimus episcopus Etennon, &c.
Constantinus sanctisimus episcopus Zelõ, &c.
Gregorius sanctissimus episcopus Sinopes, &c.
Constantinus sanctissimus episcopus Sasimon, in eamdem, &c.
Nicetas sanctissimus episcopus Dadribon, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Theophilus sanctissimus episcopus Plusiados, in eamdem, &c.
Nicetas sanctissimus episcopus Adrianupoleos, in eamdem, &c.
Ioannes sanctissimus episcopus Heracleæ Ponti, in eamdem, &c.
Constantinus sanctissimus episcopus Cratiæ, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Nicetas sanctissimus episcopus * Ruzæi, &c. * Rhizæi,
Nicephorus sanctissimus episcopus Claneõ, &c. * Rhozæi
Leo sanctissimus episcopus * Trocnadon, &c. * Trogmadon,
Anastasius sanctissimus episcopus Pataracbon, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Georgius sanctissimus episcopus Nissoi, &c.
Theodorus sanctissimus episcopus Pimiaron, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Nicodemus sanctissimus episcopus Didymon, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Georgius sanctissimus episcopus * Vinandi, in eamdem, &c. * Vniandi,
Constantinus sanctissimus episcopus Candibon, in eamdem, &c.
Stauracius sanctissimus episcopus Zenopoleos, in eamdem, &c.

ACTIO TERTIA.

Leo sanctissimus episcopus Lamiron, &c.
Stephanus sanctissimus episcopus Cannō, &c.
Constantinus sanctissimus episcopus Combon, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Petrus sanctissimus episcopus Orycandi, &c.
Ioannes sanctissimus episcopus * Phasilidos, in eamdem sententiam pronuntiavit.
* Abbas locum retinens metropolis Tii, &c.
Gregorius sāctissimus episcopus Cybirres, &c.
Basilius sanctissimus episcopus Thabon, &c.
Dorotheus sanctissimus episcopus Neapoleos, in eamdem, &c.
Gregorius sanctissimus episcopus Heracleæ, in eamdem, &c.
David sanctissimus episcopus Iassi, &c.
Gregorius sanctissimus episcopus * Mylasses, in eamdem, &c.
Sergius sanctissimus episcopus Vigiliarū, &c.
Ioannes sanctissimus episcopus Mybdi, &c.
Stauracius sanctissimus episcopus Stadiæ, &c.
Gregorius sanctissimus episcopus Stratonicеæ, in eamdem, &c.
Theodosius sanctissimus episcopus Chonon, in eamdem, &c.
Michael sanctissimus episcopus Chæretopon, in eamdem, &c.
Pantaleon sanctissimus episcopus Valentiæ, in eamdem, &c.
Georgius sanctissimus episcopus Peltarum, &c.
Christophorus sanctissimus episcopus Atanassi, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Leontius sanctissimus episcopus Eumeniæ, &c.
Gregorius sanctissimus episcopus * Timæti ferarum, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Leo sanctissimus episcopus Tranupoleos, &c.
Nicephorus sanctissimus episcopus Lundon, in eamdem, &c.
Georgius sanctissimus episcopus Appiæ, &c.
Constantinus sanctissimus episcopus Eucarpiæ, in eamdem, &c.
Leo sanctissimus episcopus Aleus, &c.
Michael sanctissimus episcopus Hierapoleos, in eamdem, &c.
Christophorus sanctissimus episcopus Promisi, in eamdem, &c.
Nicolaus sanctissimus episcopus Phytiæ, &c.
Theophylactus sanctissimus episcopus Cynnabari, in eamdem, &c.
Nicetas sanctissimus episcopus Augustopoleos, in eamdem, &c.
Constantinus sanctissimus episcopus Cotyæi, in eamdem, &c.
Georgius sanctissimus episcopus * Mediæi, &c.
Leo sanctissimus episcopus Docimi, &c.
Damianus sanctissimus episcopus Meri, &c.
Theophylactus œconomus & locum tenens Ipsi, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Stephanus designatus Itri, &c.
Ioannes designatus Hectorii, &c.
Constantinus sanctissimus episcopus Ambladon, in eamdem, &c.
Epiphanius sanctissimus episcopus * Pertē, &c.
Sisinnius sāctissimus episcopus Philomelii, &c.
Ioannes sanctissimus episcopus Sibliæ, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Michael sanctissimus episcopus Papporum, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Theodorus sanctissimus episcopus * Sagalassi, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Sisinnius sanctissimus episcopus Apameæ, quæ est Ciboti, &c.

* Phaselidis, * Abas
* Mylasson, * Milasi.
* Timæni * Timeni
* Medæi,
* f. Perhen,
* Agalassi

A Constantinus sanctissimus episcopus Cohanes, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Leo œconomus & locum tenens Sozopoleos, &c.
Marianus sanctissimus episcopus Magydon, in eamdem, &c.
Nicephorus sanctissimus episcopus Phlogon, in eamdem, &c.
Leo sanctissimus episcopus Andidon, &c.
Manzo sanctissimus episcopus Pracanon, &c.
Theodorus sanctissimus episcopus Germanicopoleos, in eamdem, &c.
Eustathius sanctissimus episcopus * Cilindereos, in eamdem, &c.
B Zacharias sanctissimus episcopus Trapezupoleos, in eamdem, &c.
Sisinnius sanctissimus episcopus Musdabon, in eamdem, &c.
Eustathius sanctissimus episcopus Lamon, &c.
Stephanus sanctissimus episcopus Philadelphiæ, &c.
Leo sanctissimus episcopus Sibyllon, &c.
Theodorus sanctissimus episcopus Tiberiupoleos, &c.
Ioannes sanctissimus episcopus Asanon, &c.
Basilius sanctissimus episcopus Dionysupoleos, &c.
Manuel sanctissimus episcopus Nicopoleos, in eamdem, &c.
C Eustrathius sāctissimus episcopus Debelti, &c.
Theodorus sanctissimus episcopus Bulgarophygi, &c.
Georgius sanctissimus episcopus Plutinopoleos, &c.
Basilius sanctissimus episcopus * Perbereos, in eamdem sententiam pronuntiavit.
Michael sanctissimus episcopus * Pamphyli, in eamdem, &c.
Ruben sanctissimus episcopus Scopeli, &c.
Sisinnius sanctissimus episcopus Garelles, &c.
Petrus sanctissimus episcopus Monēbasiæ, &c.
Gabriel sanctissimus episcopus Æginæ, &c.
D Leo sanctissimus episcopus Porthmi, &c.
Dardanus sanctissimus episcopus Dobron, &c.
Andronicus sanctissimus episcopus Leontopoleos, &c.
Leo sanctissimus episcopus Sebastæ, &c.
Nicetas sanctissimus episcopus Halicarnassi, in eamdem, &c.
Leo sanctissimus episcopus Corydalon, &c.
Theodorus sanctissimus episc. * Cremon, &c.
Constantinus sanctissimus episcopus Hadrianes, &c.
Reliqui autem sanctissimi episcopi & venerabiles monachi exclamaverunt: Vniversa hæc quæ per gratiam Christi veri Dei nostri, & divinum imperatorum nostrorum decretum, congregata est synodus, propter relationem, E quæ ab Hadriano sanctissimo papa veteris Romæ ad imperatores Christianissimos nostros missa est; & propter chartam, quæ nunc in definitionem rectæ sententiæ lecta est, & ab universali & sanctissimo patriarcha Tarasio ad orientales præsules missa fuit: item ob eas literas, quæ a sanctissimis præsulibus orientis ad beatitudinem præsentis patriarchæ destinatæ sunt, quoniam simul omnes in nulla re dissonant, sed conveniunt, gaudio & lætitia plurimum perfunditur, nosque simul omnes eas recipimus & amplectimur, & venerandas imagines cum summo honore adoramus. Septimam vero falsam synodum, quæ

ANNO CHRISTI 787.
* Celdereos,
* Perb[...]
* Pamphyliæ,
* Crem[...]

quæ contra illas est habita, nimirum ut omnibus in locis subverterentur, diris devovemus. Ceterum Deus custodiat imperatores nostros bonos, & sanctissimum patriarcham.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Rixosa contentio inter nos sedata est, & obstaculum inimicitiæ sublatum est. Oriens enim & occidens, septemtrio & meridies sub jugum unum inclinant, & unam concordiam acceptant.

Sancta synodus dixit: Gloria tibi Deus, qui nos unos reddideris.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Gratiarum actio pacificatori Christo vero Deo nostro, cum Patre & sancto Spiritu, in sæcula. Amen.

Sancta synodus ita bene & feliciter precata est: Multi anni imperatoribus. Constantino & Irenæ magnis regibus multi anni. Orthodoxis imperatoribus multi anni. Custodes fidei domine protegas: propugnatores ecclesiæ confirma. Novi Constantini & novæ Helenæ æterna memoria. Pacificam vitam da illis domine. Patriarchis multi sint anni: sacræ congregationi multi anni. Amen.

ACTIO QVARTA.

In nomine domini & dominatoris Iesu Christi, veri Dei nostri, imperantibus piissimis & Christi amantissimis dominis Constantino & Irene pia ejus matre, anno octavo consulatus ejus, sub sextum Kalendas Octobris, indictione undecima, conveniente sancta ac universali synodo, quæ per divinam gratiam, & a Deo decretorum imperatorum piam sanctionem, in Nicæa splendida metropoli provinciæ Bithyniæ congregata est: videlicet Petro religioso protopresbytero ecclesiæ sanctissimæ divi Petri apostoli apud almam Romam, & Petro venerabili monacho & præside monasterii sancti Sabæ apud Romanos, vicem agentibus apostolicæ sedis sanctissimi ac beatissimi papæ veteris Romæ Hadriani; Tarasio beatissimo archiepiscopo almæ urbis Constantinopoleos novæ Romæ, Ioanne item & Thoma religiosis presbyteris monachis, retinentibus locum apostolicorum thronorum orientalis diœceseos: stantibus his ante sacros cancellos templi sanctissimæ ecclesiæ cognominatæ Sophiæ, præsentibus simul & audientibus illustrissimis juxta ac magnificentissimis senatoribus, nimirum Petrona glorioso exconsule patricio, & Theophylacto comite imperialis obsequii, Ioanne regio ostiario & quæstore ærarii militaris, tota denique synodo juxta ordinem in prima actione præscriptum: præsentibus etiam religiosissimis archimandritis præsidibus, & toto monachorum cœtu: propositis in medio sanctis & immaculatis Dei euangeliis, Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Iuxta actiones præteritas spiritus domini omnipotentis instruens, quantum fieri potuit, ad veritatem labia nostra, in prooemii gratiam præfati sumus. Et nunc quoque testamur synodum sacram hanc gaudere, quod ex lectis literis clarum est & perspicuum, orientis & occidentis sacerdotes summos in unam sententiam convenisse. Iam vero propheticam sententiam inducere oportet: *In altum montem ascende, qui euangelizas Sion: prædica in fortitudine, vocem tuam exalta, qui euangelizas Ierusalem: prædicate, nec timete.* Hanc propheticam admonitionem, o viri sacerdotes, infigentes animo, annuntiemus voce nostra pacem ecclesiæ catholicæ, quæ est vera Sion, & civitas cælestis imperatoris Christi Dei nostri. Fiet autem illud hac ratione. adducantur nobis in omnium auscultationem & conspectum sanctorum patrum præstantiorum libri: e quibus haurientes, potum det unusquisque nostrum ad ovile istud. Sic enim fiet, ut per omnem terram sonus noster exeat, & in fines orbis terrarum virtus verborum. Nec transferamus bene definita a patribus nostris, sed apostolice edocti, traditiones quas accepimus, servemus.

ACTIO QVARTA. Psal. 18. 2. Thess. 2.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro dixit: Iuxta sanctissimi patriarchæ universalis allocutionem, consuetudines & libri sanctorum patrum afferantur, & cursim huic sanctæ synodo legantur.

Leontius clarissimus a secretis dixit: Sanctissimi & beatissimi patriarchæ universalis Tarasii salutiferæ & utili jussioni, nec non hujus universalis sanctæ synodi approbationi acquiescentes, adducimus sanctissimos libros. Horum autem primus codex sacrorum bibliorum est a Deo scriptorum & electorum, quem & primo loco nunc legemus. Omnes igitur attente & studiose auscultemus, ut verborum virtutem cognoscamus, fructumque omnem inde decerpamus. Idem ille sic legit.

E libro Exodi filiorum Israel.

Exod. 25. *Dixitque dominus ad Mosen: Facies propitiatorium ex auro puro, duos cubitos cum dimidio in longitudine, & cubitum unum cum dimidio in latitudine: facies etiam bina cherubim aurea sculpta, impones autem ea utrimque super angulos propitiatorii. Fient autem cherubim hoc modo. Vnus ponatur ex hac parte, & cherubim alter ponatur ex illa parte propitiatorii. Vtrumque latus propitiatorii tegant cherubim expandentes sursum alas, obumbrantes alis suis propitiatorium. Respiciant autem sese adversis vultibus ad propitiatorium versis. Et superpones propitiatorium sursum super arcam, & in arcam testimonia, quæ dabo tibi, immittes. Illinc autem me cognosces. Loquar autem tibi desuper ex propitiatorio in medio cherubim, qui erunt super arcam testimonii, omnia quæcumque volo per te mandari filiis Israel.*

E Numeris.

Num. 7. *Ipsa est dedicatio altaris, post lotionem manuum & unctionem illius, ut ingrediatur Moses ad tabernaculum testimonii, & loquar illi. Et audivit vocem domini loquentis ad se de altari, quod est super arcam testimonii, in medio duorum cherubim, & loquebatur ad illum.*

Ex Ezechiele propheta.

Ezech. 41. *Et introduxit me in templum, ut metiretur * Ailam sex cubitos latitudinis hinc, & sex cubitos latitudinis * Ailam illinc.* Et paulo post: *Domus autem & quæ vicina erant, in gyrum fabrefacta ligno: fundamentum autem & a fundamento usque ad fenestras, eodem modo. Fenestræ autem triplicibus valvis claudebantur, ut darent prospectum. Et usque ad domum interiorem & forinsecus ad mensuram sculpti cherubim & palmæ, & palma per medium cherubim: duasque facies habebant cherubim, faciem hominis juxta palmam ex hac & illa parte: cælata autem erat domus in circuitu a fundamento*

* for. Aulam
* Aula

ACTIO QVARTA.

a fundamento usque ad laquearia cherubim.

Ex epistola ad Hebræos.

Hebr.9. *Igitur habebat & quidem etiam prius tabernaculum justificationes cultus ad sanctum mundanum. Siquidem tabernaculum factum fuit, primum, in quo erant lucernæ, & mensa, & propositio panum, quam vocant sanctam. Post secundum autem velum erat tabernaculum, quod vocatur sanctum sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti undique circumtectam auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron quæ germinaverat, & tabulæ testamenti. Supra hanc autem cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium.*

Sanctissimus patriarcha dixit: Animadvertamus viri sacerdotes, qui vetus scriptura divina habuit symbola, & ex hac assumpsit nova, cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium.

Sancta synodus dixit: Recte domine, ita est veritas.

Sanctissimus patriarcha dixit: Si vetus scriptura habuit cherubim obumbrantia propitiatorium, & nos quoque imagines Iesu Christi & sanctæ deiparæ sanctorumque habebimus obumbrantes altaria.

Magnifici duces dixerunt: Vere Dei mandatum est.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit: Quemadmodum lectum est, cherubim faciem habuit hominis. quanam ergo ratione quidam dicunt, Quis vidit faciem cherubim? Atqui habetur etiam quod faciem cælatam habuerit.

Sanctissimus patriarcha dixit: Omnes sancti quos Deus dignos judicavit videre angelos, conspexerunt eos in forma hominis, quemadmodum multis locis in scriptura legitur. Quamobrem & Exod. 25. de cherubim Mosi dans oraculum Deus, jussit ut omnia faceret secundum formam & typum quem ostendit illi in monte. Hinc est quamobrem famulus Dei Moses, quales figuras vidisset, ejuscemodi etiam faceret, inter quæ & cherubim.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, dixit: Cum autem populus ad idololatriam convertebatur, tunc ad Mosen dominus dicebat: *Non facies tibi similitudinem aliquam, ne populus culturam illi exhibeat.* Exod. 20.

Ioannes sanctissimus presbyter, vicem agens apostolicarum sedium orientis, dixit: Clarius Gen. 28. est his, quod & Iacob columnam erexit Deo, unde & benedixit illum, promittens illi non dicenda dona: sed & alibi & forma hominis cum eo luctatus est, vocavitque illum Israel, quod interpretatur, mens videns Deum. Ipse enim Gen. 32. inquit: *Vidi dominum facie ad faciem, & salvata est anima mea.* Ecce autem non solum intellectuales virtutes illi visæ sunt, sed ipse invisibilis natura Deus & incorporeus, ut hoc in nostra speculatione ostensum est.

Demetrius religiosus diaconus & armamentarius sanctæ ecclesiæ Constantinopoleos, legit.

Sancti patris nostri Ioannis Chrysostomi, ex encomio in Meletium.

Cum undique per sacrum hunc gregem oculos circumferens, totam urbem hic præsentem videam, non habeo quod de beato hoc dicam. paulo post: Religionis autem doctrina erat quod fiebat. Continue enim cogentes, ut appellationis suæ memor esset, irrationalis affectionis & cogitationis expulsionem nomen suum habebat: atque in hoc adeo incumbebat, ut passim in triviis, in foro, in agris, in compitis nominis proprietati satisfaceret: neque enim ad nomen hoc dumtaxat affectus erat, sed & ad corporis typum. Quod autem in nomine faciebat, hoc & in imagine illius effectum est. Siquidem in annulis, in poculis, in phialis, in thalami parietibus, & ubique sanctam illam imaginem multi pinxerunt, ut non tantum sanctam illam appellationem audirent, sed & ubique corporis formam inspicientes, duplicem haberent peregrinationis consolationem.

Petrus sanctissimus episcopus Nicomediæ dixit: Siquidem D. Ioannes Chrysostomus de imaginibus ejuscemodi prædicat, quis est, qui contra illas amplius mutire audeat?

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit: Recepit eas vere, & tanto desiderio erga illum affecti fuere viri pietatis studiosi, ut omnibus in locis S. Meletii imaginem figurarent: unde & beatus pater magnifice eos laudat.

Sanctissimus patriarcha dixit: Et nos ex sanctis patribus nostris accepta instructione confitemur imagines sanctas & venerandas.

Theodosius venerabilis præses S. Andreæ apud Nesium, libellum ejusdem beati patris Ioannis Chrysostomi attulit, quem in manibus acceptum Antonius monachus legit: Beatæ recordationis patris nostri Ioannis Chrysostomi oratio: Quod veteris & novi testamenti unus sit legislator, & in vestimentum pontificis, cujus initium: Euangelium regni Christi prophetæ quidem annuntiant. Et paulo post: Ego & ex cera fusilem picturam pietate plenam amavi. Vidi enim angelum in imagine barbarorum nubes propulsantem, vidi barbarorum cohortes conculcatas, & Davidem vere dicentem: *Domine, in civitate tua imaginem eorum ad nihilum redige.* Psal.

Sanctissimus patriarcha dixit: Qui auro habuit os & sermonem magis lucidum, ausus fuit dicere: Ego & fusilem ex cera picturam amavi. quid ergo dicemus de illis, qui eam execrantur?

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit: Cum is dicat, Ego amavi, quis audebit reclamare?

Ioannes venerabilis monachus presbyter, & locum tenens orientalium diœcesium, dixit: Quis autem est iste angelus, nisi de quo scriptum est: Quia angelus domini centum octogintaquinque 4. R millia Assyriorum in una nocte percussit, qui Isai. pro Ierusalem castrametati fuerant?

Nicephorus sanctissimus episcopus Dyrrachii dixit: Sed Deus nobis sit propitius in iis, quæ perpetravimus contra sanctas imagines.

Gregorius diaconus & notarius legit: Ex oratione beati Gregorii Nysses, dicta in Constantinopoli de deitate Filii & Spiritus, & in Abraham, cujus initium: Quemadmodum afficiuntur erga florida prata. Et paulo post: Vidi sæpius inscriptionis imaginem, & sine lacrymis transire Gen non potui, cum tam efficaciter pictura ob oculos poneret historiam. Procumbit enim ante aram Isaac genibus innixus, circumductas ferens in tergo manus. Ille vero a tergo pueri, innixus pedum curvamini, sinistra comam pueri apprehendit ad se trahens: declinat autem faciem ad puerum,

puerum, miserabiliter intuens, dexteram autem gladio obarmatam gestat, quam etiam ad cædem dirigit: jamque gladii acies ipsum corpus propemodum attingit, cum illum divina vox a facto deterret.

Clarissimi duces dixerunt: Mirum est, patrem ita miratum fuisse picturam, ut fleret.

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit: Frequenter beatus pater historiam legit, sed obiter: postquam autem eam pictura expressam vidit, flevit.

Ioannes venerabilis monachus, locum tenens diœcesis orientalis, dixit: Si tanto doctori historia inspecta peperit utilitatem & lacrymas, quanto magis rudibus & idiotis utilitatem & commoditatem afferet?

Sacra synodus dixit: Variis in locis historiam Abrahæ vidimus, ut pater inquit.

Theodorus sanctissimus episcopus Catanes, dixit: Si beatus Gregorius vigilantissimus ad divina oracula, inspecta Abrahæ historia flevit: quanto magis œconomia domini nostri Iesu Christi, veri Dei nostri, a nobis inspecta, ad lacrymas & utilitatem contemplantes nos adhortabitur?

Sanctissimus patriarcha dixit: Nonne & nos lacrymas fuderimus, si dominum & nos videremus cruci affixum?

Sancta synodus dixit: Mirifice in ea altitudo humilitatis, qua pro nobis homo factus est, inspicitur.

C Stephanus venerabilis notarius, & diaconus, & referendarius, legit: S. Cyrilli episcopi Alexandrini epistola ad Acacium episcopum Scythopoleos, de malorum depulsore, cujus initium: Literis, quæ a tua sanctitate missæ fuerant dudum, lectis valde gavisus sum. Et post multa: Dicimus igitur, quod umbra & figura lex erat, imo veluti quædam pictura, ad contemplationem videntium ipsa opera posita. Vmbræ autem artificii in tabulis pingentium primæ characteres existunt, quibus si superinducti fuerint colores, tunc sane pulcritudo picturæ apparebit. Et post alia: Scriptum autem est in libro de mundi creatione: *Et factum est post verba ista, tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham Abraham. At ille respondit: Adsum. Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram excelsam, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montem, quem monstravero tibi. Igitur Abraham de nocte consurgens, stravit asinum suum, ducens secum duos ministros, & Isaac filium suum, cumq; concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus. Die autem tertio elevatis oculis, vidit locum procul, dixitque ad pueros suos: Sedete hic cum asino, ego autem & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos. Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: Ipse vero portabat in manibus ignem & gladium, & profecti sunt ambo simul.* Et paulo post. *Et ædificavit Abraham altare, & desuper posuit ligna: cumque colligasset pedes Isaac filii sui, posuit eum in altare super struem lignorum, extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium suum.* Num igitur quispiam nostrum cupit cognoscere, quomodo totam hanc de Abraham historiam in tabula depinxerit? num in una omnia jam dicta, an per partes, & in diversis multimode constituta? dico autem nunc insidentem asino, assumpto simul & puero,

A ministris autem subsequentibus: nunc vero, ubi asinum cum famulis jubet manere, oneratque lignis ipsum Isaac, assumendo gladium & ignem. Rursus in alio loco, sed tamen in specie altera: *Adolescentem enim in lignis ligando, armabat ipse dextram gladio, ut puerum immolaret.* Non autem erat alius atque alius Abraham. Diversis enim in locis pictura sæpe visa, ubique pictoris artificio eamdem repræsentabat facti rationem. Non enim conveniebat, cum tam multis daretur conspiciendum artificium, in aliquo dictorum vacillare.

ACTIO QUARTA.

Genes. 22.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, dixit: En & beatus Cyrillus consona cum divo Gregorio Nyssensi B dixit.

Cosmas notarius & cubicularius legit: Ex carmine S. Gregorii theologi, & ex sermone de virtute, cujus initium.

Θεὸν τὸ πάντων αἴτιον πρῶτον καλῶ, Hoc est, Deum cunctorum auctorem primum inuoco.

Nec Polemon mihi tacebitur,
Res mira hæc multorum verbis claruit.
Hic prius erat utique non sobrius,
Turpisque valde voluptatum servus.
Sed postquam amore honesto se occupavit,
Consiliarium nactus non novi satis quemnam,
An prudentem aliquem, an seipsum; confestim
Vsque adeo affectionibus visus est superior,
Vt quoddam ponere cogar illius factorum mirum.
Scortū intēperans aliquis ad se vocarat juvenis:
Illa vero ubi prope limen pervenisset,
De quo in imagine Polemon prospiciebat,
Inspecta illa, (erat autem veneranda)
Spectaculo victa, mox recessit,
Vt vivum reverita pictum.

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit: Beatus Gregorius pater divinus mirandam existimavit Polemonis effigiem.

Sanctissimus patriarcha dixit: Etenim continentia ex ea orta est. nisi enim Polemonis imaginem scortum vidisset, ab improbitate non destitisset.

Nicephorus sanctissimus episcopus Dyrrachii D dixit: Mirifica illa imago, & digna contemplatione, quia mulierculam a delicto turpitudinis vindicavit.

Georgius diaconus & notarius sacri patriarchatus legit: Ex oratione de muliere sanguinis fluore laborante, Antipatri episcopi Bostrorum, cujus initium: Quod Iudæorum vocationem primam docuit scriptura. Et paulo post: Hæc salutares fimbrias attingens, regem naturæ veluti retinens, dominum allocuta est, vehementiamque passionis illi exponens, postquam gratiam nacta fuisset, statuam Christo erexit. Cum autem substantiam in medicos omnem erogasset, quidquid habebat reliqui, Christo applicuit.

Matth. 5.

Sanctissimus patriarcha dixit: Quemadmodum E columnarum depictor imaginem Christo assignat, eodem modo & hæmorrhoissa statuam.

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit: dominus non prohibet imagines, imo recepit quoque eas.

Thomas venerabilis monachus monasterii Lacus anseris, dixit: Librum beati Asterii episcopi affero, & sacræ huic synodo, si jubet, legendum trado.

Sancta synodus dixit: Legatur.

Constantinus venerabilis diaconus & notarius legit.

ACTIO QVARTA.

Beati Asterii episcopi Amasiæ ecphrasis in Euphemiam martyrem.

Nuper, o viri, Demosthenem habebam in manu vehementem illum oratorem. Erat autem locus ille, in quo Æschinem crebris enthymematibus acerbe vexat. inhæsi autem orationi, & sententiarum densitate fessus, animi remittendi causa obambulabam, quo animus aliquantulum refocillatus, redderetur quietior. Egressus autem ædibus, postquam in foro cum familiaribus aliquot aliquamdiu ambulassem, illinc me in Dei templum orandi pro tempore causa recipio. Huc autem cum venissem, ambulabam in una ex porticibus, in qua picturam quamdam contemplatus sum, quæ me suspensum tenuit. Dixisses Euphranoris fuisse artificium, aut alicujus eorum qui picturæ plurimum dignitatis conciliarunt, non aliter pingentes tabulas, ac si vivas formas traderent. Adesdum autem, si voles, modoque otium sit: picturam tibi exponere cupio. Non enim nos musarum filii, pictoribus colores pejores habemus. Mulier quædam sancta, virgo sincera, Deo castitatem suam dedicavit, Euphemiam ipsam vocant. Cum autem tyrannus aliquando pios homines ad mortem cogeret, ipsa mortis periculum alacriter subire cupiit. Cives autem & sacrificii sodales, propter quod mortua est, veluti virilem & sacram admirantes virginem, capsam exponentes, laudibus illam efferunt, festumque annuum cum summa & totius populi solennitate celebrant. Æditui autem divina mysteria populo ostendunt, & oratione memoriam illius celebrant, & quomodo certamen fortitudinis subierit, advenientes docent. Pictor autem & ipse pietatis studiosus, universam historiam, quo potuit artificio, prope capsam in sindone effigians, sacrum hoc spectaculum ibi dedicavit. Habet autem artificium picturæ hoc modo: Iudex in alta sella, acerbe & torve virginem aspiciens, (irascitur enim & inanimata materia, si quando pictura voluerit) collocatus est. Adstant autem latrones regni & cohors militum. Adsunt & commentarienses, tabulas & stylos gestantes manibus: quorum alter abducta a cera manu, serio admodum virginem aspicit, faciem ad illam inclinans, quasi juberet ut altius loquatur, ne auscultatione impeditus vitiose scribat, falsave aut dubia. Adstat autem virgo pulla veste & pallio, ut pictor putavit, philosophiam professa: ut autem ego arbitror, anima virtutibus ornata prædita; facies illius urbana. Ducunt autem eam ad judicem duo milites, hic quidem a fronte illam trahens, ille autem a tergo eam protrudens. Virginis autem habitus pudore & constantia mixtus est. Oculos enim in terram, veluti virorum conspectu pudefacta, defigit. Stat autem intrepida, certaminis amaritudinem nihil exhorrescens. Vt ego tandem pictores etiam laudare cogar, quos Colchicæ illius mulierculæ facinus pinxisse video. Hæc enim adactura in viscera filiorum ferrum, commiseratione & ira vultum habet temperatum. siquidem altero oculorum iram exprimit, altero autem matris naturam, horrentem ad tale facinus, & parcere cupientem liberis, indicat. Nunc autem in hanc picturam miraculum istius operis transtuli. Multum vero pictorem istum admiror, quod longe magis coloribus mores expresserit, affectiones pudoris & virilitatis, quæ tamen invicem pugnant, affabre commiscens. Progrediente vero hac imitatione, populares quidem in tuniculis nudi ipsam rem jam aggrediuntur. Hic enim arrecto capite virginis, & in tergum reflectens, alteri ad pœnam virginis ora exhibet. Adstans ergo ille, dentes virginis excutit. Malleus autem & terebra, tormenti sunt instrumenta. Sed lacrymas fundo. Nam & mihi hæc passio vocem aufert, ut amplius loqui nequeam. Nam tam exacte sanguinis guttas pictor defluentes depinxerat, ut juraveris a labiis profluere. Virgo autem iterum carcerem petens, in pulla veste sola sedet, manusque ad cælum extendens, Deum malorum depulsorem alloquitur. Fundente autem hac orationem, apparet supra caput illius signum, quod scilicet Christianorum consuetudine adoratur, & passim inscribitur. erat autem (ut arbitror) symbolum pœnæ, quam illa erat subitura. Deinde quoque pictor alias ignem vehementem, rutilante colore, hinc inde accenderat, etiam flammam faciens corpoream. Constituit autem eam mediam, manibus quidem ad cælum elatis, nullos dolores horrentem, sed potius vultu læto gaudentem, quod ad incorpoream & beatam vitam sit transmigratura. Hucusque pictor manum tabulæ, ego vero verba adhibui. Tempus vero est, ut & tu, modo velis, picturam absolvas.

Clarissimi duces dixerunt: Pia ergo est pictoris ars, neque, ut aliqui, eam conviciis prosequamur. Quin etiam & ipse pater pictorem, veluti pie agentem, statuit.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, dixit: Imo & sacram tabulam illam vocat, Theologus autem imaginem venerandam, Chrysostomus sanctam: qui vero nunc lectus est, sacram appellat. quis poterit autem amplius his contradicere?

Theodorus sanctissimus episcopus Myron dixit: Sanctorum patrum doctrinas omnes audientes animo compuncti sumus, & ob delicta ploramus. Deo tamen gratias agimus, quod sancta patrum instructione in cognitionem veritatis redierimus.

Theodosius sanctissimus episcopus Amorii dixit: Ter sacri & Deum colentes domini, nos cum tota hac synodo sancta, ubi sanctorum patrum de venerandis imaginibus audissemus sententiam, credimus, confitemur, & imagines venerandas etiam sanctas appellamus: qui vero aliter sentiunt, anathema.

Sancta synodus dixit: Anathema.

Nicephorus sanctissimus episcopus Dyrrachii dixit: Semper artificiosus pictor per artem res ipsas exhibet, quemadmodum etiam qui martyris Euphemiæ imaginem delineavit: quamobrem & in his doctor pingendi artem laudat.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, dixit: Recte dictum fuit, Laudabam prius quæ de Colchide muliere picta fuerunt, donec ad imaginem martyris transii.

Sancta synodus dixit: Et hæc videns, compunctus est.

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit: Lectus pater, eisdem affectionibus fuit obnoxius, quibus etiam sanctissimus Gregorius. Ambo enim per imagines ad lacrymas acti sunt.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Adhortatur pater & facultatem dat in fine, ut qui velint martyrum certamina depingere, faciant. Dicit enim: Tempus est, ut & tu, modo velis, picturam absolvas.

Ioannes religiosissimus presbyter, locum tenens apostolicorum thronorum, dixit: Ergo major est imago, quam oratio. Atque hoc providentia Dei contigit propter idiotas homines.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, dixit: In sanctis istis viris talem compunctionem

compunctionem sacræ imagines excitarunt, quanto magis igitur in nobis.

Theodorus sanctissimus episcopus Myron dixit: Cum ejusce modi patres nostri dicant, non habemus quod dicendum nobis amplius videtur.

Reverendus presbyter locum tenens orientalium diœcesium, dixit: Pictores haudquaquam adversantur scripturis. Nam quod scriptura dicit, hoc illi repræsentant, adeo ut confirmatores videantur scriptorum.

Theodosius Amorii episcopus dixit: Divinus apostolus sic docet: *Quæcumque præscripta sunt, in nostram doctrinam sunt præscripta.* Ipsæ igitur sacræ imagines & picturæ, tum musaicis operibus, tum colorum materia delineatæ, in nostram doctrinam, zelum & typum eriguntur, & pictæ sunt: ut & nos illis conformes, idem certamen apud Deum exhibeamus; quo & nos eo statu & parte constituat, quo illi fuerunt, & coheredes regni sui cælestis faciat.

Theodorus sanctissimus episcopus Catanes dixit: Beatus doctor & Dei studiosus Asterius, velut astrum lucidum, omnium nostrum mentes illuminavit: ut jam non præter æquum & rectum catholica & sancta ecclesia venerandas imagines suscepisse videatur, sed commode & tempestive sanctorum patrum consiliis acquievisse.

Gregorius venerabilis diaconus sanctæ magnæ ecclesiæ legit.

Ex Anastasii Persæ sancti martyris Vita, martyrioque, cujus initium.

* Congeneres filius & verbum Dei, per quod cuncta creata sunt, cum existant. Et paulo post.

Cum vero redundaret in eo desiderium quo illuminaretur, sæpe virum prænominatum precatus est, ut sacri fontis lavacro tingeretur. Is vero Persarum metuens vim, ne per hoc in periculum incideret, rem diutius protraxit. Adiit autem simul cum eo ecclesias precum fundendarum gratia. cum vero istic sanctorum martyrum historias depictas conspicaretur, interrogavit, ecquid ista sibi vellent. Audiens autem ab eo, quænam essent a sanctis miracula designata, quodque intolerabiles cruciatus a tyrannis pertulissent, quantaque constantia firmati, obduravissent, miratus est plurimum, etiam ad stuporem usque. Postquam autem aliquamdiu apud religiosum illum virum hæsisset, subiit illi in mentem, quo Hierosolymam peteret, atque illic sacri baptismatis rore lavaretur.

Theodorus religiosissimus episcopus Myrorum dixit: Venerabilium imaginum traditio, ut videtur, necessaria est & legitima.

Euthymius venerabilis diaconus monachus & notarius Dei colentissimi episcopi Gotthiæ.

Ex miraculis sancti martyris Anastasii, cujus libri initium.

Miraculorum narrationem contexere institui. Et paulo post legit.

Agedum igitur & in Cæsarea Palæstinæ regionis mirifica a sancto viro designata recenseamus. Cum sanctæ civitati reliquiæ sacræ appropinquassent, omnibus res ea fuit declarata & significata. itaque lætitia magna perfusi omnes, surgentes subito, lignaque sacra pulsantes, invicem obviam facti sunt in veneranda virginis deiparæ æde, quæ appellatur Nova. Illinc cum cruce & supplicatione egressi, læti & gaudentes cum gratiarum actione sacris reliquiis occurrerunt. Et reflorescentes, imo veluti novo igniculo iterum excitati, magnam ex infidelitate sua & mortificatione pietatis refocillationem acceperunt. Accedentibus autem illis, & salutantibus sepulcrum martyris, illicque sacris reliquiis munus in memoriam sancti offerentibus, mulier quæpiam ex primariis civitatis feminis, cui nomen Arete, verum a virtute, quam Græci ἀρετὴν vocant, longe alienissima, ad infidelitatem conversa dixit: Ego reliquias e Perside venientes nunquam venerabor. O miseram & desperatam feminam! non audivit hæc misera sacri Davidis vocem increpantis eos, qui impudenti & inverecundo ore quidvis effutiunt: *Cessare*, inquit, *facias linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Quid igitur glorificans eos, quos glorificat Deus, in hanc designavit, deinceps me referente audietis. Cum sacræ reliquiæ in urbem allatæ fuissent, communi sententia cives martyri oratorium prope Tetrapylum (locus est is in medio civitatis) construere decreverunt: quin etiam illius imaginem illic constituerunt. Iam cum esset extructum oratorium, sanctus martyr in habitu monachi per somnum coram misera adstitit, illique ait: E lumbis ægrotas. Ipsa autem respondens: non, inquit, domine, neque enim quidquam mali sentio. Postquam hoc dixisset, expergefacta, subito dolores in se ruere sensit, cœpitque clamare & gemere. Atque adeo graviter affecta fuit, ut ne quidem otii satis habuerit, quo exputare quivisset, quænam illius tam subiti & vehementis doloris causa, quisve auctor esse posset. Sic autem quatuor integris diebus in cruciatibus substitit. Quinto autem die sub crepusculum vidit sibi sanctum illum adstantem, atque ad eam dicentem: Descende ad Tetrapylum, sanctique Anastasii intercessionem apud Deum posce, quo sana fias. Ipsa igitur cum surrexisset ex grabbato, in memoriamque blasphema illa & impia verba, quæ contra caput suum dixerat, redirent, convocatis liberis suis, ad eos dixit: Tollite me, tollite me, inque templum D. Anastasii concedamus: siquidem jam docta sum meo cum periculo, reliquias ex Perside venientes adorandas venerandasque: & quæ Deus sacravit, ea non esse communia appellanda. Impositam itaque eam ferculo bajularunt: cum autem appropinquarent ipsi loco, ipsa eminus conspicata sancti imaginem, cum lacrymis cœpit exclamare: Hic est qui in somnis vere a me visus, instruxit me de malis quæ me habent. Deinde se ipsa in solum prosternens, sanctumque orationibus flebilibus martyrem placans, sana firmaque surrexit. Et quæ paulo ante alienis pedibus incedebat, extremaque patiebatur; nunc suis ititans, domum una cum reliquis, Deum glorificans, martyremque magnificans, perrexit.

Petrus & Petrus religiosissimi presbyteri, vicarii Hadriani papæ veteris Romæ, dixerunt: Ipsa illa imago in præsentem diem Romæ est in monasterio cum precioso capite.

Ioannes episcopus Tauromeniæ dixit: Recte dixerunt venerabiles vicarii. Nam & in Sicilia muliercula cum dæmonio vexaretur, Romam profecta ad imaginem sanctissimam supra dictam, sanata est.

Ioannes colentissimus monachus, vicarius orientalium sedium, dixit: Ex prædictis satis clarum exiitit, sanctorum imagines etiam miraculis clarescere, & medelas facere.

Petrus sanctissimus episcopus Nicomediæ dixit: Affero divi Athanasii in hanc sacram synodum librum, quem (si jubetis) legemus.

Sancta synodus ait: Legatur.

Stephanus itaque notarius & diaconus legit.

ACTIO QVARTA.

Psal. 33.

ACTIO QVARTA.

Sermo beati patris nostri Athanasii de imagine domini veri Dei nostri Iesu Christi, de miraculo in Beryto civitate prodito.

Levate oculos intellectus vestri, novum hoc spectaculum contemplamini. Inspicite in Dei immensum hoc miraculum, date illi gloriam, illius inexplicabilem erga homines amorem, illiusque dispensationis magnitudinem considerate, lacrymas cum lætitia fundite. Apud Deum nihil novum: Deus enim existens cuncta potest. Quod autem in diebus nostris & nostri causa factum est, corda omnia quæcumque audient, in stuporem ducet. Stupuit cælum propter talia ausa. Abyssus conturbata nimis est. Sol, luna, & reliqua sidera obtenebrata sunt ob tale facinus. Rursus autem lætata sunt ob id, quod circa se Deus dispensavit. Cunctæ cælorum virtutes audite, & stupescite in eo quod factum est in diebus nostris. Intelligentes intelligite, inclinate aures vestras, ut ex corde audiatis.

Berytus civitas est in finibus Tyri & Sidonis sita, vectigalis autem Antiochiensibus. In hac civitate cum Iudæorum natio frequens esset, contigit, ut prope synagogam, quam illic amplam habent, quidam e Christianorum numero domicilium a quodam conductum habitaret. Hic ex adverso lectuli imaginem Iesu Christi domini nostri fixerat: erat hæc sane veneranda, quod integram Christi domini proportionem exprimeret. Contigit autem non ita diu post id temporis Christiano mansionem aliquanto ampliorem quærere: neque id omnino fortuito factum est, sed ex divina dispensatione, *quæ omnes cupit in agnitionem veritatis venire, & salvos fieri, exhibens miracula his qui illum colunt, & pie in illum credunt:* verum in redargutionem diffidentium, confirmationem autem & stabilimentum credentibus. Quærebat itaque, ut dicere cœperam, Christianus ædes majores, quas cum in alio civitatis loco invenisset, e domo quam prope synagogam habuit, in alteram migravit. Cumque res suas omnes in eam transtulisset, imaginem tamen illam domini illic forte reliquit; oblivione quidem illud, sed tamen divina dispensatione. Iudæus autem commoditate loci captus ædiculam illam conduxit, nondum animadvertens ejuscemodi imaginem illic affixam: suaque isthuc transferens, aliquamdiu illic habitavit. Quodam autem die hic cum gentilium suorum quosdam in prandium invitasset, contigit, ut quidam convivarum sublatis oculis imaginem Christi domini nostri inspiceret: moxque conversus ad convivatorem: tu (inquit) Iudæus cum sis, qua fronte tandem audes hujuscemodi imaginem domi tuæ habere? Non dicam hic, quot plaustra conviciorum & maledicta in dominum salvatorem effuderit. Convivator autem seipsum purgare studens affirmabat etiam sancte, se hujuscemodi imaginem hactenus non vidisse: atque ita qui invitatus erat, tacuit. Postquam autem fuisset egressus, ad principes sacerdotum hominem detulit, quod imaginem salvatoris in ædibus conservaret, Nazaræumque non ejecisset. Illi vero audita re, interrogaverunt, num id posset approbare. Clamante illo, se posse confirmare quæ diceret, omnes congregati & furore perciti, illo quidem die nihil egerunt, sed mane facto, congregati summi sacerdotes & seniores cum ingenti hominum ejusdem nationis turba, assumpto simul delatore Iudæo, ad ædes illas, in quibus imago domini nostri habebatur, ire pergunt. Cum autem ad eum locum venissent seniores & principes sacerdotum cum ipso simul delatore, irruunt in domum, & confestim imaginem salvatoris domini nostri contemplati, furore pleni, Iudæum quidem extra synagogam ejiciunt, imaginem vero detrahunt, dicentes: Quemadmodum patres nostri illuserunt illi, ita & nos faciamus. Tunc omnes cœperunt expuere in faciem sanctæ imaginis Christi, colaphisque hinc illinc faciem cædêtes dicebant: Quæcumque designarunt patres nostri in illum, ea & nos quoque faciamus in illius imaginem. Deinde inquiunt: Audivimus quod illuserunt ei patres nostri, faciamus idem hoc & nos quoque. Mox talia convicia evomuerunt in Iesu Christi imaginem, quæ nemo sanæ mentis excogitare posset. Addunt deinde: Audivimus, patres nostros pedes manusque illius clavis fixisse: quid obest, quo minus & nos idem tentemus? confestim autem imaginis domini pedes manusque clavis ferreis foraverunt. Deinde insano ore clamant: Audivimus quod & aceto & felle imbuta spongia illum potaverunt: faciamus & nos similiter. acceptaque spongia aceto plena, ad os imaginis applicuerunt. Rursus aiunt: Notum nobis est, quod & calamo caput illius patres nostri percusserint. Fiat idipsum etiam a nobis pariter. sumpto igitur calamo caput domini cædere cœperunt. Tandem aiunt: Clarum nobis est, quod lancea latus illius pupugerunt: nihil a nobis omittatur, addamus & hoc ipsum. itaque lanceam cuidam porrigentes, jusserunt, ut latus imaginis dominicæ transfigeret. Ex eo autem confestim sanguinis & aquæ rivuli emanare cœperunt. Christe gloria tibi. Incomprehensibilis domine, gloria tibi. Quis tibi similis domine? Quis alius præter te, Deus faciens horrenda signa & terribilia, & obstupescenda in cælo & in terra? O admirabilis mediator Dei & hominum, & homousion, mundi redemptor ac salvator, totius bonitatis & pietatis fons & origo. O quantus es domine Iesu in humilitate, qui cum esses Deus, morticinum nostræ carnis suscipiendo, homo fieri dignatus es pro salute generis humani, quem impii & crudeles paulo minus ab angelis minoratum cernentes, horribili morte plectere non erubuerunt. O quam magnus es noster salvator in patientia, qui in tempore tuæ traditionis tuo proditori ad te venienti osculum prebere non renuisti, & servo Malcho apostoli gladio abscissam auriculam redintegrasti, quando ad passionis victimam velut ovis mansuetus deducebaris. O quantus es in misericordia Christe, spes unica mundi, qui cum in cruce teipsum hostiam Deo patri exhibuisses sanctam & immaculatam, pro tuis crucifixoribus veniam postulasti, dicendo ad patrem: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Tunc quidem pro nostra salute incurvatus in eadem carne, quam ex virgine sancta & immaculata assumpseras, mortem pertulisti crudelem. Et qui eras in substantia cum Patre sanctoque Spiritu unus & impassibilis existens & invisibilis, condoluisti humanam perire naturam. Et ideo in hac lacrymarum vallem descendens, pro nostris erratibus & piaculis formam servilem suscepisti, in qua te permisisti ab iniquis teneri, flagellari, ad ultimum vero crucifigi. Nunc autem in sancta imagine tua crucifigeris domine iterum ad confusionem impiorum omnium infidelium, & ad corroborationem omnium in te credentium. Et ideo tibi omnipotenti Deo una cum Patre Spirituque sancto gloria sit per cuncta sæculorum sæcula, decus & fortitudo, virtus atque victoria. Amen.

Audite omnes ecclesiæ filii cetera quæ postmodū facta sunt. Ipsius enim mysterii dispensatio. Postquam enim, (ut superius dictū est) latus sanctæ imaginis illius apertum est, continuo exivit sanguis & aqua. Dixerunt autem principes sacerdotum: Afferatur

Marginalia: 1. Tim. 2. — ANNO CHRISTI 78[…] — Matth. 27. & Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. — Luc. 2[2]. — Luc. 23. — Ioan. 1[9].

ratur vas ad locum vulneris, & videamus exitum rei. Qui illico detulerunt hydriam, & ad locum vulneris, unde sanguis & aqua decurrebant, statuerunt. Quæ absque ulla mora subito repleta est. Dixerunt autem ad invicem: Quoniam susurrant Christum colentes, quod signa & inaudita multa fecerit in mundo, quæ nemo alius agere potuit, accipiamus hunc sanguinem & aquam hanc, & deferamus ad nostram synagogam, & congregemus universos qui se male habent, & ex hoc spargamus eos: & si vera sunt, quæ de Christo dicuntur, continuo sanabuntur: sin alias, ostentui habeantur a nobis cuncta, quæ a suis sequacibus asseruntur de eo. Hæc dicentes, hydriam deferunt ad synagogam, æstimantes se Christo Iesu domino nostro æterni regis filio maximam inferre posse injuriam. Congregaverunt igitur quoscumque repererunt languidos: & in conspectu Hebræorum introducti in synagogam, inter quos quidam provectæ ætatis erat homo, quem a nativitate sua gravissima possederat corporis molestia, quæ Græca locutione παράλυσις, Latine vero dissolutio membrorum dicitur. Hic dum primum ab eis fuisset perunctus, repente de suo grabbato, quasi cervus exiliens, ad laudem filii Dei incolumis redditus, ad propria remeavit. Deinde adducentes cæcos nonnullos, loca eorum luminum perungere studuerunt. Qui ipsi statim in Iesu Christi nomine discussa cæcitate, post multos annos lumen amissum recipere meruerunt. Ægrotantes autem plurimi ad hoc spectaculum sunt adducti, manibus post terga revinctis. Cumque & illi fuissent peruncti, mirabili virtute Dei undique perfusi, sensu redintegrato pristino ad propria dum revertuntur sanissimi, laudes Dei omnipotentis filio Iesu Christo domino salvatori nostro persolvuntur ab omni populo. Tumultus autem exortus est magnus per totam tamdem urbem concurrentibus omnibus propter innumerabilia, quæ fiebant, miracula. Et quicumque variis languoribus infirmos possessos habebant apud se, illuc eos deducentes, perungebant, & statim sanitatem quam desiderabant, consequebantur. Omnes autem, ad quoscumque pervenire potuit opinio, afferentes infirmos, quos habere poterant in domibus, paralyticos, cæcos, claudos, surdos, mutos, & leprosos, sive aridos; deducebant eos ad synagogam Iudæorum, ubi hæc signa fiebant divinitus. Sed quamvis maxima esset hæc eadem synagoga, nequaquam tamen recipere poterat supervenientium multitudinem. infinitæ enim erant populorum catervæ, quæ illuc undique confluebant propter innumerabilia miracula & prodigia, quæ pro sua nimia prolixitate, ne fastidium generent, transgrediendo prætermittuntur. Omnes autẽ principes sacerdotum & seniores, & omnis turba Iudæorum, parvulorum, ac majorum, & mulierum, videntes quæ facta fuerant, crediderunt in dominum nostrum Iesum Christum, & dicebant: Gloria tibi sit æterne Deus & omnipotens pater, qui nobis indignis, quamvis sero, revelasti unicum filium tuum dominum nostrum Iesum Christum, quem, ut Isaiæ vaticinium cecinit, virgo concepit, & virgo peperit, ac post partum virgo permansit. Gloria tibi sit Christe fili Dei, qui tanta mirabilia nobis miseris demonstrasti.* Te credimus, tu nobis esto propitius, & nos suscipere dignare, quia ex toto corde, & tota anima atque virtute ad te confugimus.

A Hæc & his similia clamantes dicebant: lacrymas autem amaras emittebant & singultus. Postquam autem curati sunt cuncti, qui ægritudine detinebantur, occurrit omnis multitudo Iudæorum ad domum sanctæ ecclesiæ, quæ in eadem urbe erat, ubi metropolitanus; cujus provoluti vestigiis, se peccasse, se graviter deliquisse, magnis vocibus fatebantur. ACTIO QVARTA.

Qui cum ab iis perquireret omnem rei gestæ veritatem, sanctam iconam domini salvatoris eidem demonstrantes, annuntiaverunt cuncta quæ in ea exercuerant: & qualiter ab ictu lanceæ sanguis & aqua emanavit ex latere ipsius, B nec non & de mirabilibus ab ea ostensis illi retulerunt per ordinem. Ille vero interrogabat, qualiter icona ipsa ab iis fuisset reperta, & si ab aliquo eam excepissent. At illi retulerunt ei, quod quidam Christicola per oblivionem in cellula synagogæ proxima dimisisset eamdem iconam, dum se ad alium locum transferret hospitandi gratia. Qui statim jubetur inquiri, & repertus, in præsentia domini metropolitani statui. Cumque ab eo studiosissime fuisset interrogatus, quomodo icona apud se devenisset, vel a quo tam mirabiliter posita esset, respondit dicens, quod Nicodemus qui ad Iesum nocte venerat, propriis manibus eam composuisset, & C moriens Gamalieli tradidisset. Gamaliel autem doctoris gentium Pauli διδάσκαλος, cum diem sibi cerneret adesse extremum, Iacobo eam reliquit, & Iacobus Simeoni & Zacchæo, & sic per* successores temporum in Hierosolyma perduravit, usquequo subversio illius urbis patrata est quadragesimo & tertio anno post ascensionem domini & salvatoris ad cælos. Sed biennium antequam Titus & Vespasianus eamdem subverterent urbem, admoniti sunt a Spiritu sancto fideles atque discipuli Christi, ut relicta urbe, ad regnum se transferrent Agrippæ regis; quia ipse tunc Agrippa Romanis fœderatus erat. Qui egressi ab urbe, omnia quę ad cultum nostrę religionis vel fidei pertinere videbantur, secum auferentes, in regiones transtulerunt se. D Quo tempore etiam icona cum ceteris rebus ecclesiasticis deportata, usque in hodie in Syria permansit, quam ego ipse a parentibus ex hac luce migrantibus mihi traditam jure hereditario usque nunc possedi. Hæc certa & manifesta ratio est de icona sancta domini salvatoris, qualiter de Iudæa in Syriæ partes devenit. Auditis his sermonibus, reverendissimus metropolitanus valde hilaris redditus, conversus ad populum Israeliticum, dicebat: Convertere Israel ad dominum patrem universorum viventium, & adora nobiscum ejus filium, per quem sunt omnia creata; & Spiritum sanctum, qui est vivificator cunctorum viventium, & illuminator nostrarum animarum: festina debitum absolvere votum. E Omnis autem turba stirpis Iudaicę clara voce cœpit cantare & dicere: Vnus Deus Pater, & ipse ingenitus. Vnus filius, & ipse unigenitus Christus, quem patres nostri crucifixerunt, & nos ipsum agnovimus verum dominum. Vnus Spiritus sanctus, & ab utroque procedens, per quem veraciter nos credimus esse salvandos.

Ioan. 3.

Act. 22.

* for successiones

Hæc dicentes, prostrati genibus ipsius, veniam postulabant de suis consequi sceleribus per baptismi remedium. Quos suscipiens beatus antistes cum suis clericis, per dies plurimos de disciplina erudivit Christiana. Ad ultimum vero catechumenos factos, & triduano peracto jejunio,

ACTIO QVARTA.

nio, ex aqua & Spiritu sancto regeneravit eos. Postquam verò baptismum consecuti sunt, rogabant enixius sanctum virum, ut synagogam suam ecclesiam consecraret in honorem sancti salvatoris mundi: quorum petitionem minime aspernatus, synagogam illorum, quæ major esse videbatur, in nomine unigeniti filii Dei redemptoris mundi consecravit. Ex tunc itaque per diversas orbis terræ nationes & provincias mos inolevit, ut basilicas plurimas vel oratoria pontifices Christianæ legis in honorem sancti salvatoris mundi condere & dedicare non desinant. Nam antea antiquiores nostri vel majores hoc peragere minime præsumpserunt. Sed ad narrationis nostræ ordinem reflectamus articulum. Rogaverunt autem metropolitanum præfati viri, ut ceteras synagogas eorum in honorem quorumdam beatorum martyrum consecrando reconciliaret. Itaque & huic petitioni libenter animum accommodavit, & quæ suggesserunt, juvamine cuncta explevit devotus. Factum est gaudium magnum in civitate illa non solum de sanitate corporum, quæ emanaverat maxima, sed & de tantis animabus, quæ ab interitu satanæ ad vitam æternam fuerunt revocatæ. Venerabilis vero & summus antistes die noctuque variis fluctuabat cogitationibus de hydria, quæ dominicum intra se retinebat cruorem, valde hæsitans, quid de ea opportunum fuisset peragere. Tandem autem salubri reperto consilio, omnium ecclesiarum, quæ per orbem terræ longe lateque consistebant, inæstimabile atque profuturum providit consolationis remedium. Denique ampullas præcepit fieri vitreas, in quibus portiones misit singulas de sanguine & aqua, quæ de imagine domini salvatoris nostri decurrerunt: quas etiam per Asiam, Africam, Europam, per suos nuntios dirigens, cuncta quæ apud urbem jam dictam suo tempore contigerant devenisse, suis scriptis vel eloquiis manifestissime universis sanctæ ecclesiæ filiis viriliter declaravit. Hoc insuper ab his efflagitans, ut per annos singulos in mense Novembri, qui apud Hebræos est nonus, apud nos vero mensis undecimus, nono die ipsius mensis, id est, quinto Idus Novembris, non minori reverentia, quam natalis domini, vel paschalis, ista dies præcipua observatione colatur. Hæc est vera & vehementer credula ratio de cruore lateris domini nostri salvatoris, qui profluxit de sancta imagine ipsius, quæ crucifixa est in Syria, in Beryto civitate. Hic est etiam sanguis ille dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur. Nec esse aliter æstimandum a vere catholicis, præter id quod scribitur a nobis, quasi ex carne & sanguine Christi aliquid possit in mundo inveniri, nisi illud quod in ara altaris per manus sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur. Hæc ergo sciens, amantissimi patres & fratres, acceleravi declarare vobis ad ædificationem animarum vestrarum, ad incrementum nostræ fidei, ut & in hoc scire valeatis, quanta sit virtus & pietas Dei & salvatoris domini nostri Iesu Christi. Idcirco in fide fortes estote, & congaudete super magna & obstupenda ejus miracula, quæ in nostra generatione a Deo sunt patrata. Et date illi gloriam cum lætitia gaudentes, & cum nimia cordis compunctione ejus majestati immensas gratias agite, eo quod fidei suæ & scientiæ dignos fecit esse. Ipsi Christo Iesu salvatori nostro cum Patre sanctoque Spi-

A ritu gloria sit honorque, laus etiam perennis, qui in sempiternum atque indivisum absque initio & fine obtinet imperium.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, dixit: Ecce is, qui ab immortalitate appellationem sortitus est, totam hanc sacram congregationem ad compunctionem & lacrymas compulit. Non enim venerandas esse tantummodo imagines sanctorum docuit, sed & maximas quasdam medicandi rationes ab his proficisci.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Sed quispiam dixerit: Quamobrem miracula a nostris imaginibus non eduntur? Cui sane ita sit cum apostolo responsum: *Miracula non credentibus data sunt, sed illis qui in incredulitate versantur.* Hi igitur qui imaginem ita tractabant, infideles erant: qua de causa signum illis datum est a Deo per imaginem, ut ea ratione ad fidem nostram Christianam traherentur: *Generatio enim improba & adultera signum quærit, & signum non dabitur illis.*

1. Co

B

Mat.

Theodorus devotissimus diaconus & notarius epistolam beati Nili ad Heliodorum silentiarium legit.

Inter miracula, quæ diversis in locis & temporibus ad infidelium fidem roborandam, stabiliendamque, credentium vero spem augendam, dominus edidit, unum ex mille tibi, Platonis scilicet nostri triumphatoris martyris, recensebo: per quē non solum in nostra patria, sed per omnem civitatem regionemque postulantibus ejus præsentiam dominus mirificam donat gratiam, & incredibilem potentiam ostendit. Nam in monte Sina, in quo Moyses a Deo legem suscepit, cum ingens monachorum, tum indigenarum, tum alienigenarum turba versaretur, quidam ex eis vir Galata cum filio suo vitam solitariam eligens, longam isthic ætatem duxerat: quæque ad exercitium eremiticę vitæ pertinebant, diligenter obierat. Forte autem fortuna cum barbaricæ quædam nationes in præfatum montem irruptionem facerent, eos qui in procinctu erant, simulque Galatæ senis filium, captivos traxerunt, manibusque post tergum revinctis nudos absque calceis, jejunosque per immitia illa & asperrima silentiaque loca vi & necessitate, immensoque terrore compulsos abegerunt. Abscondens autem sese in abdita quadam montis spelunca bonus senex, luctu mœroreque, quod optimo filio orbatus esset, macerabatur, dominumque nostrum Christum per intercessionem Platonis patrii martyris, ad commiserationem solicitabat. Idem quoque filius in vinculis per ejusdem martyris patrocinium tentabat, ut sui misertus dominus miraculum aliquod exhiberet. Vtrorumque autem preces cum essent exauditæ, patris videlicet in spem mortis latentis, filiique in captivitate detenti: ecce confestim martyr noster Plato ipse eques, equumque alium trahens, filio vigilanti, cognoscentique ex pictura sæpe visa effigiem martyris, apparuit, jussitque, ut ex media turba exurgens, equum ascenderet. Vix dixerat hæc, cum vincula aranearum telis fragiliora visa sunt, ipseque solus per divinum nutum admonitus, liberatusque, equum ascendens, gaudens confidensque divinum martyrem ducem suum secutus est. Compendio autem & admodum velociter uterque, tum sanctus ipse, tum adolescens monachus, veluti alati, senis mansionem

C

D

E

ſionem perveniunt aſſequunturque jacentis adhuc in terra, & filii cladem deflentis. Sanum autem patri ex animo dolenti præclarus victor martyrque filium dilectum poſtquam obtuliſſet, nuſquam amplius viſus eſt. Vt non dubitandum ſit, quin omnibus in locis Deum per ipſos martyres invocantibus, mirifica & admiranda præclari illi athletæ per dominum Chriſtum dare poſſint. Hoc tibi ſcripſi, veluti gratum de martyre teſtimonium, quem nunquam ſatietas recordationis beatorum martyrum capere ſolet.

Sancta ſynodus dixit: Demonſtratum eſt, quomodo per præcognitam imaginem martyris, ipſum adeo martyrem præſentem cognovit cum liberaretur.

Theodorus Myrorum epiſcopus dixit: Ego quoque non multum diſſimilia paſſus ſum. Nam cum aliquando ab aulicis quibuſdam injuria eſſem affectus, venit ad me diaconus meus, vir pius & timens Deum, retulitque in ſomnis ſibi viſum metropolitanum noſtrum, pollicentem negotiis meis expectatum finem & ſucceſſum. Ibi mihi inquirenti, qua effigie viſus ſibi eſſet patriarcha, reſpondit: Facie rubicunda & capite cano. inquam ego, non eſſe eam patriarchæ ſimilitudinem, ſed divi Nicolai imaginem, quemadmodum fertur. reſpondit tum is mihi me recte dixiſſe, ſic enim circumfertur illius imago paſſim expreſſa, quemadmodum mihi in ſomnis adſtitit. Mox itaque confiſus ſermonibus, in ſacram & regiam urbem profectus, res quæ ad epiſcopatum meum pertinebant, ex animi ſententia compoſui.

Thomas Dei amantiſſimus preſbyter, monachus & vicarius orientis, dixit: Sunt quidam qui aſſerunt beatum Nilum contra imagines ſcripſiſſe. videamus igitur, cum in manibus ſint libri, quid de iis ſentiat, modo ſynodo placeat.

Sancta ſynodus dixit: Legatur.

Coſmas ſanctiſſimus diaconus & cubicularius, accepto libro, legit.

Ejuſdem beati patris noſtri Nili ad Olympiodorum proconſulem.

Scribis mihi, num decorum putem, cum in animo habeas fani ædificationem in honorem ſanctorum martyrum, ejuſque qui per eorum teſtata certamina, labores & ſudores prædicatus eſt Chriſtus, ut imagines in ſacro loco omnigenarum animantium per parietes undique fieri cures, has quidem a dextra parte, illas vero a ſiniſtris: quo ſpectatores per terram caſſes, apud eoſq; lepores & capreas circumcurſantes, venatoreſque fugientia animalia velociter cum canibus inſequentes videant: in mari vero emiſſa retia, omneque genus piſcium captum, in terramque piſcatorum manibus eductum: præterea, ex gypſo omne id quod oculos paſcere poteſt, effectum, idque in domo domini contemplentur. Nequaquam. Sed in vulgari domo mille cruces figi, quam hiſtorias avium, jumentorum, & ſerpentum, germinumque, malim. Ego vero ad ſcripta ſic reſpondeo, puerile plane eſſe & ſtultum, ejuſcemodi rebus fidelium oculos faſcinare velle. Debet enim eſſe firmæ & virili ſententiæ genuinum, in ſacro loco ab oriente ſanctiſſimi templi, unicam & ſolam effigiari crucem. Per ſolam enim ſalutiferam crucem genus humanum liberatum eſt; perque hanc deſperabundis undique ſpes annuntiatur. Verum novi & veteris teſtamenti hiſtoriis hinc inde pa-

A rietes templi repleri doctiſsimi pictoris opera velim, quo ſcilicet hi qui literas non norunt, neque ſacram ſcripturam legere queunt, contemplatione picturæ in memoriam reducant, quinam germane vero illi Deo per fortia facta ſervierunt, atque in certamen excitentur glorioſorum & laudatorum facinorum, per quæ cum cælo terram commutarunt, venerantes ſcilicet per contemplationem ea quæ non viderunt. In communi vero domo, in qua multa fuerint habitacula, ſufficiat ſingulis veneranda crucis imago. Reliqua omnia, ut ſupervacua, relinquenda neceſſarium puto. Orationibus autem continuis, firma fide, eleemoſynis notabilibus, humilitate, ſpe ad Deum perpetua, divinorum

B ſermonum meditationibus, erga fratres compatientia, erga familiares humanitate, omnibus denique domini noſtri Ieſu Chriſti præceptis veluti muro cingere ſeſe, ſuamque conjugem, liberos, & omnem ſubſtantiam curare, ornare & tueri, laudo, & ad hoc adhortor.

Theodorus epiſcopus Myron dixit: Hæc epiſtola lecta, jamdudum ab aliis corrupta & vitiata exiſtens, perdidit & errare nos fecit. arbitrabamur enim eam eſſe ſinceram & recte conſultricem, ut nunc lecta eſt.

Sanctiſsimi epiſcopi dixerunt: Nos ſi tum audiviſſemus, quod pater iſte hinc & illinc depingi jubet ædem veteris & novi teſtamenti nar-

C rationibus, non ſane fruſtrari crediddiſſemus. Illi enim pro eo quod pater inquit, hinc & illinc hiſtorias colloca, dealba, poſuerunt. id ſcilicet eſt, quod nos potenter in errorem induxit.

Petrus & Petrus Dei amantiſsimi preſbyteri, vicarii Hadriani papæ veteris Romæ, dixerunt: Tale etiam qui nunc in Deo quieſcit, Ioannes olim fecit. nam cum templum Romæ ſalvatoris extrueret, in utroque pariete templi hiſtoriam veteris & novi teſtamenti inſcripſit: hinc quidem Adam exeuntem paradiſum, illinc vero latronem paradiſum ingredientem, & reliqua.

Taraſius ſanctiſsimus patriarcha dixit: Si veri fuerint olim propugnatores dogmatum Chri-

D ſti, quam ob cauſam beati Nili patris librum in confirmatione non exhibuerunt, nimirum in confirmationem omnium dogmatum ſuorum? Dicant itaque religioſiſsimi epiſcopi, Gregorius Neocæſareæ & Theodoſius * Amorrii, num adducti fuerint libri ad ſynodum, an minus.

* Amorii, * Amurii,

Gregorius & Theodoſius religioſiſsimi epiſcopi dixerunt: Nequaquam domine, ſed pro ipſis libris excerpta quædam nobis oſtenderunt, & ex iis deceperunt nos.

Euthymius ſanctiſsimus epiſcopus Sardenſium dixit: Vos autem cum ſummi ſacerdotes eratis, quamobrem non quæſiviſtis integram ſententiam a libris?

Gregorius Neocæſareæ dixit: Crede domine,

E neque negligentia, neque detrectatio laboris in cauſa nobis fuit: ſed, quemadmodum ſcriptum eſt, obtenebratum erat cor noſtrum imprudens, dicenteſque noſipſos ſapientes, ſtulti facti ſumus. Rom. 1.

Theodorus ſanctiſsimus epiſcopus Myron dixit: Scilicet & noſipſos illa ipſa excerpta, quæ vos adduxiſtis, perdere poſſent. Novit enim Deus, quod hæc ipſa ſancti Nili, quæ nunc lecta eſt, ſententia excæcavit nos, maxime autem me: verum nunc ſincere lecta confirmavit & ſervavit me.

Conſtantinus epiſcopus Cypri dixit: Quandoquidem adeſt ejuſdem epiſtolæ alterum exemplar,

ACTIO QVARTA.

ACTIO QUARTA.

plar, legatur. Et accepto codice, Ioannes diaconus & notarius sancti patriarchatus codicem alterum continentem præscriptam epistolam ejusdem Nili legit.

Constantinus sanctissimus episcopus Cypri dixit: En manifestum est, sanctum hunc & divinum patrem Nilum sanctas imagines recepisse. Verum a falsa synodo illa accusatus est, quod contra imagines locutus sit: unde non solum improbi illi Christianorum calumniatores sunt, verum etiam sanctorum accusatores & parricidæ, sycophantice divinos patres mendaciis circumvenientes.

Euthymius sanctissimus episcopus Sardensium dixit: Librum sancti confessoris Maximi in manibus habeo, adducoque, quo legatur. Sumptum illum Ioannes notarius sacri patriarchatus legit.

Ex dogmatibus quæ agitata sunt inter piæ memoriæ Maximum, & Theodosium episcopum Cæsareæ, quæ est in Bithynia, ejusque asseclas, quorum principium.

Quæ agitata sunt de fide inculpata nostrorum Christianorum. Et paulo post Maximus dixit: Domine si sic decretum est, ut fiat, egrediantur qui ita senserunt, & quæcumque jusseris, sequar. Post hæc surgentes omnes, cum gaudio & lacrymis surrexerunt, pœnitentiamque egerunt, factaque precatione, unusquisque sancta euangelia, venerandamque crucem & imaginem Dei servatoris nostri Iesu Christi, nec non dominæ nostræ deiparæ, salutarunt, ponentes manus suas super ea in confirmationem eorum quæ locuti erant. Et paulo post: Conversus autem ad episcopum abbas Maximus, cum lacrymis eum sic affatus est: Magnus dominus, diem judicii omnes expectamus: novisti quæ sancita sunt per sancta euangelia, vivificamque crucem, nec non imaginem Dei salvatoris nostri, ipsiusque sanctam semper virginem matrem.

Constantinus sanctissimus episcopus Cypri dixit: Verbum hoc, salutarunt, hoc loco sanctus pater sumpsit pro adorarunt: siquidem sanctum euangelium & vivificam crucem ipse adoravit, deinde imagines venerandas servatoris & inculpatæ ejus matris.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Annumeratæ sunt sacris vasis venerabiles imagines.

Sancta synodus dixit: Clarum est.

Sanctissimi episcopi Siciliæ insulæ dixerunt: Quemadmodum sacra cum sacris numerantur.

Petrus sanctissimus episcopus Nicomediæ dixit: Habemus & nos eumdem sancti Maximi librum; & si operæprecium putaveritis, iterum prælibata legantur.

Cosmas diaconus & cubicularius, accepto libro, eamdem beati Maximi sententiam legit.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Animadvertamus fratres, quo pacto dixerunt hoc verbum ἠσπάσαντο, id est, salutarunt: quod & nos reverenda acceptione facere debemus. Nam λατρεία ad unum Deum refertur.

Ioannes venerabilis monachus presbyter, vicarius orientis, dixit: Nisi fuissent necessariæ imagines, eas propter stabilitionem factorum non fuissent osculati, ut etiam meo judicio cum sanctis euangeliis & veneranda cruce æquivaleant.

Petrus sanctissimus episcopus Nicomediæ dixit: Neque etiam vulgaris vir qui hoc fecit, sed Maximus Dei philosophus, & cum patribus certans, quin etiam confessor & veritatis propugnator. Sufficiat igitur nobis, ut in salutando venerandas imagines illum sequamur.

A Elias venerabilis protopresbyter sanctæ ecclesiæ dominæ nostræ deiparæ in Blachernis, legit ex charta, quæ definitiones sanctæ & universalis sextæ synodi continet. ANNO CHR. 78[illegible]

Canon sanctæ & universalis sextæ synodi. Can.[illegible]

In quibus sanctarum imaginum picturis agnus digito præcursoris indicatus expressus est, qui in formam acceptæ gratiæ, verum nobis per legem agnum Christum Deum nostrum ostendit. Veteres igitur typos & obumbrata veritatis symbola, præfigurationesque ecclesiæ traditas amplectentes, B gratiam in primis curantes, veritatem tamquam legis plenitudinem acceptamus. Quo igitur perfectius & in colorum varietate omnium oculis subjiciatur character ille, quo secundum hominem agnus Christus Deus noster, qui abstulit peccata mundi, effigiatus est, posthac in imaginibus pro veteri agno erigi debere declaramus. Per hoc enim humilitatis altitudinem Verbi Dei considerantes, & ad memoriam in carne passionis illius & salutaris mortis dispensationis veluti manuducti, quæ mundo illinc contigit liberatio, cognoscimus. Postquam autem hæc legisset, ad sanctam synodum conversus dixit: Venerandi sancti patres ecclesiæ, persecutionem me magis nullus excitasset, nisi divinus hamus me cepisset hac charta, cui sancti patres sextæ synodi subscripserunt: neque solum in recte sentientem fidem ista me traxerunt, verum etiam sanctissimus patriarcha, C cui mercedem cælestem Deus retribuat, plurimum docendo me juvit.

Sabbas venerabilis monachus dixit: Qua de causa hæc non ex libro, sed ex charta lecta sunt?

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Quoniam charta ipsum est autographum, in qua patres subscripserunt.

Petrus metropolites Nicomediæ dixit: Quin etiam habeo & alterum codicem sextæ sacræ synodi canones continentem: quem in manibus sumptum Victor venerabilis diaconus & notarius legit, repetens eumdem canonem.

Sanctissimus patriarcha dixit: Quæ est hæc igno- D rantia, qua plerique laborant circa hos canones? scandalum enim est dubitare, num sint sextæ synodi. Cognoscant igitur tales sextam synodum temporibus Constantini fuisse congregatam, nimirum contra eos, qui tantummodo unam actionem & voluntatem in Christo collocant. Illi igitur hæreticos anathemate verberantes, orthodoxamque fidem confirmantes, sub annum decimumquartum imperii Constantini domum redierunt. post annos igitur quatuor aut quinque iidem illi patres sub Iustiniano Constantini filio congregati, prædictos canones ediderunt: neque hac de re quisquam dubitet. Nam qui temporibus Constantini subscripserunt, iidem illi sub Iustiniano E quoque præsentem hanc chartam subsignarunt, quæ res satis clara est ex eorumdem propriarum manuum immutabili similitudine. Necessum autem erat * post synodum universalem definitam, canones quoque ecclesiasticos ederent. Igitur ad recordationem salutaris illius mortis in carne, politiæ ex venerandis imaginibus nos manuduci declararunt. Quod si autem in dispensationem Christi veri Dei hoc modo manuducimur, quales eos esse arbitrandum est, qui has subvertere conantur? * ut po[illegible]

Sancta synodus dixit: Vere impios, Hebræos, & veritatis hostes.

Sanctissimus patriarcha dixit: Sed Deus noster dominus

INO dominus bonus est ad suscipiendum omnes nos: non enim virgam peccatorum in sortem justorum misit.
ISTI
7. Leo sanctissimus episcopus Rhodi dixit: Ecce
.124. ex sacris scripturis demonstratum est, ecclesiam nostram tot annis fuisse oppugnatam, & veluti discerptam. sed gratias Deo nostro agimus, qui ter sanctum nostrum dominum in correctionem illius suscitavit.

Petrus & Petrus Dei amantissimi presbyteri, & locum servantes Hadriani papæ veteris Romæ, dixerunt: Librum habemus in manibus beati Leontii episcopi Neapoleos, quæ est in Cypro. rogamus autem, ut legatur.

Stephanus autem diaconus & notarius acceptum codicem legit.

Leontii episcopi Neapoleos Cypri, ex quinto libro apologiæ pro Christianis, & contra Iudæos, & de imaginibus sanctorum.

Agedum igitur, & deinceps de venerabiliter pictis imaginibus apologiam texamus, quo eorum ora, qui impietatem garriunt, obturentur. Hæc enim est ipsa legalis traditio. Audi vero
25. Deum dicentem ad Moysen: *Imagines duas cherubim aureas sculptas facies obumbrantes propitiatorium.* Rursus templum, quod ostendit Ezechieli Deus, facies habebat palmarum, leonum, & hominum, & cherubim, a fundamento ipso usque ad laquearia tecti. Vere horrendum verbum Israeli
20. præcipitur, ne ullum sculptile faciant, neque imagines, neque similitudinem eorum, quæcumque
25. sunt in cælo aut super terram. Rursus vero jubetur Moyses facere sculptilia, & cherubim animantia: Ezechielique præcipitur, ut impleat om-
41. nia imaginibus & similitudinibus sculptilium, leonum, palmarum, & hominum, atque ita tem-
6. plum illud ostendit. Vnde & Salomon ex lege formam hanc accipiens, templum sculptilibus æreis, fusilibus imaginibus boum, leonum, palmarum, & hominum implevit; neque tamen ob id reprehensus est a Deo. Igitur si de imaginibus me arguis, redargue ipsum Deum, qui hæc in memoriam eorum, quæ apud nos sunt, fieri jussit. Iudæus dixit: Sed ejuscemodi similitudines non adorabantur ut dii, tantummodo in recordationem fiebant. Christianus dixit: Recte dixisti. Neque enim apud nos, ut dii, adorantur sanctorum imagines, typi, characteres. nam si deos in ligno imaginis adorarent, futurum esset, ut omnes & reliqua quoque ligna adorarent: si vero ut Deum adorarent lignum, non sane ubique extincto charactere imaginem exurerent. Ego vero, quatenus duo ligna crucis colligata sunt, typum quidem adoro propter Christum, qui in eo crucifixus est: cum vero fuerint dissoluta a se, abjicio ea & exuro quoque. Et quemadmodum qui mandatum imperatoris suscepit, illius sigillum osculando, non ipsam ceram, aut characterem, aut plumbum veneratur, verum imperatori ipsi adorationem & cultum exhibuit: ita quoque Christianorum filii, typum crucis adorantes, non naturam ligni adoramus, sed sigillum, & annulum, & characterem, Christum ipsum aspicientes, per hoc eum qui in illo crucifixus est, salutamus & adoramus. Et quemadmodum genuini filii, peregrinante longo tempore patre, ingenti amore ex animo erga eum affecti, quidquid illius in domo viderint, sive baculum, sive sedem, sive chlamydem, hæc inquam omnia cum lacrymis attrectantes, amplexantur, non illa honorantes, sed patrem desiderantes & venerantes: sic & nos fideles omnes crucem Christi tamquam

A virgam adoramus: ut sedem vero & cubile illius, ter sanctum sepulcrum: presepe autem & Bethlehem, reliquaque illius habitacula, ut domum: sic apostolos illius, beatosque martyres & reliquos sanctos, veluti amicos illius colimus. Ita Sion tamquam illius civitatem; Nazareth vero tamquam illius patriam amplectimur. non aliter etiam Iordanem, quam divinum illius lavacrum, reveremur. Magno enim & inexplicabili erga eum amore, quo ascendit, ubi resedit, ubi apparuit, aut quod tetigit, aut omnino obumbravit, tamquam Dei locum colimus & adoramus, non ipsam regionem aut lapides venerantes, sed eum qui in illis conversatus est, apparuit, & in carne cognitus est, quique nos ab errore liberavit, Chri-
B stum dominum Deum nostrum. Hinc etiam propter Christum, Christique passiones, passim in ecclesiis, in domibus & foro, in picturis, in sindonibus, in promptuariis, vestibus, omnibus denique in locis hanc figuram ponimus, quo continuo contemplantibus nobis hæc in mentem veniant, & non obliviscamur, quemadmodum tu oblitus es domini Dei tui. Sicut autem tu adoras librum legis, non naturam membranarum aut atramenti adorans, sed verba Dei quæ in illo continentur: sic & ego imaginem Christi ado-
C rans, non lignorum aut colorum naturam adoro (absit) sed inanimatum characterem Christi. Hunc enim cum habeam, per ipsum Christum me tenere & adorare mihi videor. Quemadmodum etiam Iacob accipiens a filiis suis vestem sanguine conspersam Ioseph, cum lacrymis eam osculatus est, suisque oculis circumposuit, non ipsam vestem diligendo, aut honorando, hoc fecit, sed per eam arbitratus est se Ioseph osculari, & in manibus habere. Sic & Christiani omnes imaginem Christi, aut apostoli, aut martyris tenentes, nostraque carne osculantes, animo videmur nobis ipsum Christum, aut martyrem amplecti. Agedum tu qui arbitraris nullum manu factum, aut plane effigiatum, adorandum esse: numquid sæpe uxoris, aut filiorum mortuorum vestem, aut ornamentum in vestiario videns, illud osculatus es,
D & lacrymis rigasti? neque tamen in hoc damnatus es: non enim ut Deum vestes adorasti, sed ipsum amorem erga eum, qui his amiciebatur, tuum per oscula declarasti. Quandoquidem ipsos nostros liberos & patres, qui creati sunt, & peccatores existunt, subinde osculamur: neque ob id damnabiles sumus, neque illos tamquam deos complectimur, sed amorem nostrum erga eos naturalem per ejuscemodi osculum declaramus. Ergo, ut sæpe dixi, in omni salutatione & adoratione intentio ipsa requiritur & exputatur. Tu vero cum me criminaris, quod ut Deum lignum crucis adoro: quid est, quamobrem non vertis in crimen Iacob, adorantem in summitate baculi
E Ioseph? Sane manifestum est, quod lignum non adoravit, sed per lignum Ioseph, quemadmodum nos per crucem Christum. Quin etiam impios illos viros qui sepulcrum vendebant, Abraham adoravit, & genu illis in terram flexit: verumtamen illos non ut deos adoravit. Rursus Iacob Pharaonem impium & idololatram existentem benedixit, sed* tantum illum non ut Deum benedixit. Rursus procidens coram Esau adoravit, sed non ut Deum adoravit. Quod si autem plures salutationes & adorationes ex scriptura tibi demonstrari postules, quæ non sunt reprehensæ facile efficiam. Atqui & tu quoque conjugem tuam fortassis impiam, affectionibus turbulentam,

ACTIO QUARTA.
Gen. 37.
Hebr. 11.
Gen. 23.
*f. tamen
Gen. 47.
Gen. 33.

ACTIO QVARTA.

lentam, quotidie salutans, non reprehenderis, etsi nequaquam tibi divino ore uxoris salutatio præcepta sit: me vero cum videris Christi, aut ejus inculpatæ matris, aut alterius justi imaginem salutantem, confestim indignaris, blasphemias fundis, & resilis, & idololatras nos vocas. mirum te extra verecundiam, neque horrere, neque tremere, neque erubescere, cum videas me per omnem terrarum orbem idolorum fana destruentem, martyrum vero templa ædificantem. Iam si constat me idola adorare, quid causæ est, quamobrem martyres qui idola destruxerunt, veneror ut deos, & glorifico? Quo pacto ipsos martyres qui statuas ligneas confregerunt, honore prosequor? Si ligna ut deos glorifico, quomodo veneror & adoro martyres & apostolos, qui lapideas effigies perdiderunt? Quomodo honore afficio, laudo, templa erigo, festa celebro tribus illis pueris, qui in Babylone imaginem auream non adorarunt? Vere magna est Iudæorum cæcitas, magna impietas, in veritatem injurii sunt: ingratæ Iudæorum linguæ in Deum convicia dicunt. A sanctorum martyrum reliquiis & imaginibus sæpe dæmones fugantur: hæc tamen scelesti illi contumeliis afficiunt, pervertunt, illudunt & subsannant. Dic mihi, quot inumbrationes, quot scaturigines, sæpe etiam & sanguinis fluores ex imaginibus & reliquiis martyrum extiterunt? ii tamen corde insensati, videntes non credunt, verum fabulas ista & nugas esse arbitrantur. Quinetiam quotidie per orbem terrarum omnem, homines plane impios, exleges, idololatras, homicidas, scortatores & latrones confestim per Christum & crucem illius compunctos, in agnitionem meliorem venire, mundoque renuntiantes, omnem virtutem colere videtis. Velim autem mihi dicas, qua ratione tibi idololatræ sumus, qui ossa, cineres, pannos, sanguinem, sepulcra denique martyrum adorantes, illis tamen non sacrificamus. Iudæus dixit: Qua ratione per universam scripturam præcepit Deus nullam creaturam adorandam? Christianus dixit: Dic mihi, terra & montes, nonne sunt Dei creaturæ? Iudæus dixit: Recte. Christianus dixit: Quomodo igitur ait scriptura: *Exaltate dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est; & adorate in monte sanctum suum?* Et rursus Deus ait: *Cælum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum.* Iudæus: Sed tamen non ut deos, verum per illa eum qui hæc fecit, adoras. Christianus: Fidelis sermo. quamobrem scias & tu, quod & ego per cælum, terram, mare, ligna, lapides, reliquias, templa, crucem, angelos, homines, per omnem denique creaturam visibilem & non visibilem, omnium auctori domino & factori soli adorationem & cultum exhibeam. Non enim per se creatura auctorem adorat, sed per me *cæli enarrant gloriam Dei*, per me Deum adorat luna, per me Deum glorificant astra, per me aquæ, pluviæ, rores, omnis denique creatura Deum adorat & glorificat. Sicuti rege aliquo bonam coronam, pulcram & speciosam suis manibus contexente, omnes qui bene erga regem affecti sunt, eam amplectuntur, & coronam venerantur, non sane aurum aut margaritam venerantes, sed verticem regis, & doctas illas manus, quæ coronam fecerunt: ita o homo, Christianorum populus quascumque crucis & imaginum ejus figuras amplectuntur, non ipsis lignis, aut lapidibus vel auro, aut corruptibili imagini, aut capsulæ, aut reliquiis cultum præstant, verum per hæc Deo omnium factori gloriam, venerationem & cultum exhibent. Siquidem qui in sanctos impenditur honor, in ipsum recurrit. Imago enim Dei est, qui secundum Dei imaginem homo factus

Dan. 3.

Psalm. 98.

Isa. 66.

Psalm. 18.

est, maxime autem qui Spiritum sanctum in habitaculum suum recipit. Iuste itaque imaginem Dei servorum venerans & adorans, donum sancti Spiritus glorificat. *Inhabitabo enim in eis*, inquit, *& circumambulabo.* Pudore suffundantur Iudæi, qui proprios reges, & alienos adorantes, nos Christianos tamquã idololatras derident. Nos autem Christiani, omnibus in civitatibus & regionibus in dies & in horas singulas contra idola stamus armati, contra idola psallimus, contra idola & preces fundimus: & qua tandem fronte Iudæi nos vocant idololatras? ubi nunc sunt, quæ olim ab ipsis oblatæ sunt idolis, boũ, ovium, & filiorum quoque victimæ? Vbi sacrificiorum fumi? ubi aræ & profusiones sanguinum? Nos vero Christiani propemodum, quid sit ara, quid sit victima, ignoramus. Nam Græci adulteris quibusdã hominibus, homicidis, impuris & scelestis templa dicarunt, eorumque idola cum illis ipsis deos fecerunt, nequaquam sane vel prophetarum, vel sanctorum martyrum nomine templum aut aram appellantes. Quemadmodum enim in Babylone Israelitę organa & citharam & alia quædam, quemadmodũ ipsi Babylonii, habebant, & illi quidem ad laudem Dei, hi vero in ministerium dæmonum: sic & de imaginibus gentilium & Christianorum censendum est: siquidem gentes ad cultum diaboli, nos vero ad gloriam & recordationem Dei illa servamus. Alioquin & multa Deus per crucem auditu mira fecit: siquidem lignum vitæ, & lignum scientiæ appellavit: aliam autem plantam vocando Sabech concessionis signũ ponit: deinde virga Pharaonem obtexit, mare divisit, aquam dulcem fecit, serpentem exaltavit, petram rupit, & aquam eduxit: lignum etiam germinans in tabernaculo, Aaronis sacerdotium confirmavit. Sic & Salomon inquit: *Benedicite lignum per quod fit justitia.* Sic & Elisæus lignum in Iordanem projiciens, ferrum in typum Adam velut ex inferis reduxit: sic mandat suo puero per virgam resuscitare filium Sunamitidos mulieris. Is igitur qui tanta miracula per ligna fecit Deus, dic rogo, numquid per sanctæ crucis preciosum lignum miranda efficere potest? Quod si autem est impiũ ossa venerari quamobrem ossa Ioseph cum omni honore ex Ægypto vecta sunt? Quomodo homo mortuus, ossa Elisæi attingens, resurrexit? Iam si per ossa mirifica Deus facit, clarum est quod & per imagines, lapides, pluraque alia idem possit. Adde quod & Abraham noluerit Sarę uxoris corpus alieno sepulcro mandare, sed magis proprio, honoris gratia. Adde Iacob, qui per lapidem Deum veneratus, constituens, eum unxit in typum summi angularis lapidis. Rursus & in Laban, lapidẽ Bunon appellavit. Testatur etiam Iesus filius Nave, duodecim lapides constituens in memoriam Dei. Erant autem, o Iudæe, duo etiam cherubim obumbrantia propitiatoriũ sculpta. Iam ingrediatur aliquis templum tuum Gręcus idololatra, iisque visis carpat te, tamquam & tu quoque idola adores: fare, quid habes quo de duobus cherubim fusilibus, bobus, palmis, & leonibus, quæ in templo sculpta sunt, te defendas? Vere nihil habes quod adversus illum dicas, nisi hoc unum, quod ea non tamquam deos habeas, sed in memoriam Dei, ejusque gloriam, cherubim hæc in templo visantur. Quod si ista sic se habent, qua ratione nos de imaginibus reprehendis? At dices mihi: Mosi a Deo jussum est, ut ejusmodi sculptilia in templo collocanda curaret: ego sane hoc ipsum etiam dico. Sed Salomon illinc digressus, plura in templo apparavit, quæ tamen Deus non mandaverat, quę neq; tabernaculi testimoniũ habuit, neque templum quod vidit Ezechiel: non tamen in hoc a Deo in crimen vocatus

ANNO CHRISTI 787.

Levit. 2[illegible]
2. Cor. 6

Genes.

Sap. 1[illegible]
4. Reg.
4. Reg.

Genes.
4. Reg.
Genes.
Genes.
Genes.
Iof. 4.

Exod.
3. Reg.
Ezech. & 41.

vocatus eſt Salomon. Nam in gloriam Dei, quemadmodum etiam & nos, ejuſcemodi effigies excogitarunt. Habuiſti quoque & tu Iudæe & alia quædam in memoriam & laudem Dei, nimirum virgam Moſis, tabulas a Deo fabricatas, rubum incombuſtum, humidam ex ſiccitate petram, urceum continentem manna, arcam, propitiatorium, velum, & a Deo declaratum ephod, denique a Deo præparatum tentorium. Vtinam & tu hæc adoranda, ſuper omnia Deum invocando, primum vocaſſes, recordatuſque fuiſſes per hæc puſilla imaginum & figurarum veri Dei, & non vitulum ſupra tabulas divinitus datas habuiſſes. Vtinam ſanctum aureum thuribulum ſervaſſes, & non vitulas Samariæ coluiſſes! utinam florentem virgam, & non Aſtartem urbis deſolatricem! utinam a Deo ſtillantem petram pro Baal amplexus fuiſſes! Verum propter hæc omnia non adoras, o quondam Iſraelita, quia Deum ex toto corde non amas. Nam qui amicum ſuum aut regem, maxime autem benefactorem ſuum amat, etiam filium illius modo viderit, aut baculum, aut ſedem, aut coronam, aut domum, aut ſervum, amplectitur, & per hæc ipſum benefactorem honore proſequi ſibi videtur, maxime vero Deum. Cum igitur Chriſtianos crucem adorare conſpexeris, ſcito quia crucifixo Chriſto honos impenditur, tantum abeſt, ut lignum colant. Nam ſi ligni naturam adorarent, profecto omnes ſilvas & arbores adorando venerarentur. Quemadmodum tu Iſrael aliquando hæc adoraſti, ligno & arbori dicens: *Tu mihi eſto Deus, tu me produxiſti.* Rurſus nos crucem ita non affamur, neque etiam ſanctorum imagines, Dii noſtri eſtis. Non enim Dii noſtri ſunt, ſed tantummodo ſimilitudines & imagines Chriſti & ſanctorum illius, ad commemorationem, honorem, & decorem eccleſiarum venerandæ. Nam qui martyrem colit, Deum ipſum colit: qui matrem illius adorat, ipſi honorem aſſignat: qui apoſtolum honore proſequitur, ipſum qui apoſtolum miſit, honorat. Vtinam & tu quoque Moſaicas & propheticas imagines feciſſes, illaſque quotidie adorares. Sic enim eorum domino & Deo veram latriam exhiberes, non autem aureas ſtatuas Nabuchodonoſoris. Qua vero fronte contra me imaginum & crucis cauſa inſurgis, cum noris Abrahamum idololatras adoraſſe, Moſen vero Iethro idololatræ idem feciſſe, Iacob autem Pharaonem, Daniel Nabuchodonoſorem? Hi prophetæ & juſti cum ſint, ob beneficia quædam illis præſtita, in terra exiſtentes illos idololatras adorarunt: me ſcilicet crucem, ſanctorumque effigies, a quibus infinita beneficia, Deo procurante, nobis obtigerunt, adorantem deſpicies? Quandoquidem qui regem metuit, filium illius injuria non afficit. Qui Deum autem timet, hic omnino etiam filium Dei, cruciſque illius typum & ſanctorum illius effigies colit & adorat. Ipſi enim gloria cum Patre & ſancto Spiritu, & nunc & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Conſtantinus ſanctiſſimus epiſcopus Conſtantię, quæ eſt in Cypro, dixit: Pater hic, qui lectus eſt, in una ex civitatibus Cypri decenter & ſancte converſatus eſt, multaque encomia & panegyricas illius orationes etiam habemus, inter quas & extat oratio in transfigurationem domini. Scripſit & ſancti Ioannis Miſericordis appellati epiſcopi Alexandrini vitam: præterea beati

A Simeonis, "turbationeſque propter Chriſtum circa ea tempora in eccleſia factas. Scripſit & alia quædam, in quibus omnibus orthodoxus cognoſcitur. floruit circa tempora Mauritii imperatoris.

ACTIO QVARTA. " Hic graviſſime erravit vetus interpres, alioſque in errorem traxit, ut dicetur in notis.

Ioannes Dei colentiſſimus presbyter, vicarius apoſtolicæ ſedis orientis, dixit: Clarum eſt, quę in laudem prædicti patris dicta ſunt, ſic ſe habere. Quin etiam legati ſanctiſſimi papæ librum iſtum ſynodo exhibuerunt, maxime vero ob eam cauſam, quod copioſe ſanctarum imaginum receptionem & adorationem prædicarit.

B Idem ille vicarius librum ſanctæ ſynodo oſtendens, dixit: Libellum iſtum, reverendiſſimi patres, in hac regia civitate apud Cyrium Procopium ſilentiarium reperi, eamque ob rem gaviſus ſum, quandoquidem exemplar aliud plane & idem immutatum in oriente habemus. Docet autem in illo beatus Anaſtaſius de differentia adorationis: & ſi ſacrę ſynodo viſum fuerit, legatur.

Sancta ſynodus dixit: Legatur. Aſſumptumque librum Stephanus venerabilis monachus legit.

Sancti Anaſtaſii epiſcopi Theopoleos epiſtola, per quam reſpondet cuidam ad dubitationem quamdam, a qua expediri cupiebat. ejus autem principium tale,

C Si doctrina exiſtimaretur ex variis opinionibus. Et paulo poſt: Nemo autem offendatur in adorationis vocabulo. Si quidem & homines & ſanctos angelos adoramus, non autem quod λατρείαν, hoc eſt, cultum divinum exhibeamus. Inquit enim Moſes: *Deum tuum adorabis, & illi ſoli λατρείαν præſtabis.* quo loco diligenter obſervabis, qua ratione poſteriori dicto, nimirum latriæ, adjecerit, ſoli: adorabis vero, hoc ipſum non eſt appoſitum. Quamobrem adorare licet. Quid enim aliud eſt, quam honoris alicui exhibiti veluti emphaſis, adoratio? Latria vero nequaquam. neque etiam licebit προσκυνίζεσθαι, quod eſt proprie Deum adorare. Hæc quiſpiam ad primum dicere poſſet. Secundum vero multorum D opinionibus ſubvertetur, qui experientiam lectionis ſacræ non ſatis perceperint. Deut. 6.

Taraſius ſanctiſſimus patriarcha dixit: Videamus quid de adoratione dicat pater iſte.

Sancta ſynodus dixit: Differentiam adorationis exhibuit. dixit enim, *Deum tuum adorabis, & illi ſoli latriam præſtabis.* ad latriæ præſtationem adjecit, ſoli: adorationi vero haudquaquam ipſum id appoſuit: falſa autem ſynodus hunc ipſum locum in maximum ſtabilimentum ſui aſſumpſit. Matth. 4.

Taraſius ſanctiſſimus patriarcha dixit: Videndum tamen diligentius, quomodo ter ſapiens pater ipſum hoc interpretatur, quod in medio ſcripſit. id enim eſt, quod nos omnes & eos qui contentioſe adverſantur, in imaginum receptio- E nem & adorationem adducit: Honorationis, ait, emphaſis adoratio eſt. Omnes igitur qui ſacras imagines ſe venerari confitentur, adorationem autem recuſant, a ſancto patre tamquam hypocritæ redarguuntur. Nam cum vere adorationem, quod eſt honoris ſymbolum, recuſant, contrarium facere cognoſcuntur, nimirum ſanctis convicia dicere.

Leo ſanctiſſimus epiſcopus Phoceæ dixit: Tempeſtivum eſt cum propheta dicere: *Convertiſti planctum meum in gaudium mihi, rupiſti ſaccum meum, & induiſti me lætitia.* Scripturæ enim animos noſtros ab omni impietate converte- Pſalm 29.

 runt,

ACTIO QVARTA.

runt, & divina ſcientia & eruditione nos im- A
pleverunt.

Conſtantinus ſanctiſſimus epiſcopus Conſtantiæ, quæ eſt Cypri, librum beati Anaſtaſii epiſcopi Theopoleos Stephano diacono & notario legendum tradidit.

*Anaſtaſii

Beati patris noſtri Athanaſii ad Simeonem epiſcopum Boſtrorum ſermo de ſabbato, cujus initium.*

Si patres oportet ſecundum oracula, ut tu ais, interrogare. Et paulo poſt: Quemadmodum enim abſente rege, pro eo illius imago ado- B ratur: præſente vero eo, veluti ſupervacuum hoc mittitur, cum ſatius ſit ipſum, quam imaginem, coli: neque tamen ob id ipſe qui non adeſt, per id quod pro illo adoratur, ignominia affici creditur. Et poſt pauca: Quemadmodum cum quiſpiam temulentus in imaginem imperatoris impetum faciens, juſte corrigitur, veluti ipſum regem ignominia affeciſſet, cum tamen ipſa imago nihil ſit præterquam lignum, aut colores cum cera mixti: eodem modo qui in alicujus typum aut effigiem ignominioſus eſt, in illum, cujus eſt typus, injuriam factam arbitramur. C

Ioannes venerabilis monachus presbyter, & vicarius ſummorum ſacerdotum orientis, dixit: Indicat dictus pater, quomodo abſentis imperatoris imago honore, non ignominia, affici debeat: eodem modo, cum nobis vere omnium dominus Ieſus Chriſtus ſenſibiliter non adſit, (carnalibus enim noſtris oculis divina illius eſſentia videri non poteſt, quamquam ut Deus ubique ſit) tantum illius imago honoranda eſt, quemadmodum de imperatore ſtatuit pater prędictus.

Gregorius venerabilis monachus, præſes manſionis Hermiedon, librum beati Sophronii attulit, quem acceptum Stephanus religioſiſſimus D monachus legit.

Beati patris noſtri Sophronii archiepiſcopi Hieroſolymorum encomium in ſanctum Cyrum & Ioannem.

Venerunt alii aliter ſanctos hos, diverſimode eorum dona magnificantes, benefactaque multifariam prædicantes: hi quidem excelſorum templorum erectionibus, illi vero variorum unionum ornatibus, alii gemmarum & auri contextibus, alii præclaro pictorum artificio, alii aureis argenteiſque donariis, alii ſericis bombycinſque texturis, & (ut uno dicam verbo) omnes in martyrum honorem pro cujuſlibet opibus & voluntate invicem vincere con- E tendant, quo affectionem erga ſanctos hos clare oſtendant, referantque pro corruptibilibus immarceſcentia, pro temporariis ea quæ finem non habent, præmia. talibus enim donis admirandi iſti ſuos amatores rurſum afficere ſolent.

Ex eodem commentario de iiſdem ſanctis miraculum trecenteſimum ſextum, cujus initium.

Alexandriam Ægypti & Libyæ metropolim. Et paulo poſt: Igitur cum veniſſemus in templum quoddam abſoluti operis, forma quidem tremendum & ſupra modum ſplendidum, altitudine vero in cælum uſque aſcendens, ingreſſi ſingula perluſtrantes, ecce imaginem maximam & mirificam vidimus, repræſentantem in medio quidem picturam domini Ieſu Chriſti: Chriſti autem matrem & dominam noſtram deiparam ſemper virginem Mariam a ſiniſtris, a dextris vero Baptiſtam ſalvatoris noſtri præcurſorem, qui in utero ſaltu illum indicaverat: præterea apoſtolorum & prophetarum choros aliquot & martyrum cœtus, qui ante imaginem collocati, genibus flexis & capitibus in ſolum inclinatis, ante dominum procidebant. Et paulo poſt: Et tertio ad imaginem venientes, prædictis verbis modiſque uſi ſunt, horamque longam obſecrarunt, & declinati, hoc ſolum, quod jubes domine, clamabant. Chriſtus vero commiſeratus annuit, & ante imaginem inquit: Illi date. De terra itaque ſurgentes martyres, primo quidem gratias agebant Deo noſtro, qui eorum preces exaudiviſſet; deinde gaudentes & exultantes, ecce (aiunt ad me) gratiam Deus tibi dedit. ingredere itaque Alexandriam, & in magno templo jejunus dormi, parumque olei ex lampade, quæ ſupra ſalvatoris imaginem accenſa dependet, in ampulla ſumpto, rurſus jejunus ea quæ hic ſunt, auferes; & hoc pedes ungens, donum ſanitatis conſequeris. Et paulo poſt: Ipſe vero ſurgens poſt ſomnum lampadis oleum ſumpſit, & ad ſanctorum fanum veniens, manus & pedes inunxit, & confeſtim a morbo liberatus, valetudinem bonam recuperavit.

Taraſius ſanctiſſimus patriarcha dixit: Omnia vera dicit, quæ de decore ſanctarum domorum, picturarum, reliquarum artium, item donariorum celebritate locutus eſt.

Thomas religioſiſſimus monachus, presbyter & vicarius ſummorum ſacerdotum orientis, dixit. Hæc ipſa imago, patres reverendi, Alexandriæ in templo dicto Tetrapylo etiam hodie exiſtit, omneſque morbos curat.

Sancta ſynodus dixit: Gloria Deo, qui etiam per imagines ſanctorum miracula perficit.

Euſtathius venerabilis monachus, presbyter & præſes manſionis Maximi, dixit: Et ego, patres ſancti, ejuſdem patris librum affero, continentem multorum ſanctorum virorum vitas: & ſi placet, adducatur.

Sancta ſynodus dixit: Legatur.

Stephanus itaque monachus acceptum librum legit.

Ejuſdem patris noſtri Sophronii e limonario.

Dixit abbas Theodorus Æliotes, quod erat quidam incluſus in monte olivarum, pugil egregius: oppugnabat autem eum dæmon ſcortationis. Quodam itaque die cum vehementer inſultaret illi dæmon, ſenex lamentari cœpit dixitque dæmoni: Quouſque non relinquas me? Abſiſte poſthac a me, jam enim mecum conſenuiſti. Dæmon oculari aſpectu videndum illi ſe tradens, dixit: Iura mihi quod ea quæ tibi dicam, nemini ſignificabis, & non amplius tecum pugnabo. & juravit illi ſenex per eum qui in altiſſimis habitat, ſe nemini dicturum. Tum illi dæmon dixit: Imaginem iſtam, ſi nolis me tecum luctari, cave amplius adores. habebat autem imago figuram dominæ noſtræ deiparæ virginis Mariæ, geſtantem Ieſum Chriſtum. Dicit illi incluſus: Apage, res erit mihi curę. In ſequenti autem die rem abbę Theodoro Æliotæ, qui tunc habitabat in vico Pharan, ſignificavit, omniaque patri retulit. ſenex autem pater incluſo dixit: Vere

pater

pater delusus es, quod dæmoni jurasti. tantum hoc unum bene fecisti, quod confessus es: profuerit autem tibi, ne sinas in hac civitate amplius lupanar, neque egrediaris, quin adores Christum Iesum dominum nostrum cum matre sua in imagine. Confirmatoque eo ac animato pluribus verbis, ad proprium locum concessit: dæmon autem illi iterum apparuit, dixitque: Quid agis maledice? numquid jurasti mihi, nemini te dicturum? quo pacto autem hæc effutiisti? dico tibi maledice, in die judicii tamquam perjurus condemnaberis. Inclusus respondit: Quod juravi, juratus sum: quodque pejeravi, novi: verum dominum meum & creatorem non abjuravi; te vero non audio.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ, quæ est Cypri, dixit: Quemadmodum monilia aurea, ita divini nostri patres in sanctorum adorationem consentiunt.

Ioannes religiosissimus monachus, presbyter & vicarius summorum sacerdotum orientis, dixit: Sed & aliud indicant etiam verba patris nostri Sophronii, quod scilicet præstat jurantem pejerare, quam plane juramentum in destructionem venerandarum imaginum servare. Hoc autem dico, quia hodie quidam juramento idem statuerunt.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Quandoquidem noverat bonitatem Dei, qui pœnitentes facile recipit, hujus gratia statuit impium juramentum transgrediendum: & nunc qui in hæresim hanc conjurarunt, si aliud peccatum non fecerint, facilis erit excusatio, habebunt quod dicent. Quod si vero aliis peccatis graventur, utinam Deum placent, petantque remissionem illegitimi juramenti.

Theodorus sanctissimus episcopus Subriton, dixit: Coryphæus apostolorum Petrus negavit quidem, sed pœnitens receptus est.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Herodes bene juravit, sed periit. Petrus autem negans dominum cum jurejurando, deinde regressus, postquam flevisset, servatus est. Omnem enim iniquitatem bonus dominus remittit, si quispiam ex toto corde pœnituerit.

Sancta synodus dixit: Recte domine, nam sic & nos sancta scriptura docet.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Princeps primus theologiæ divus Ioannes dixit: *Filioli, si dixerimus quod peccatum non habemus, mendaces sumus.* Igitur si Deum invocaverimus pro peccatis nostris, propitius nobis erit, & connivebit ad peccata nostra.

Nicephorus sanctissimus episcopus Dyrrachii dixit: Multis precibus opus habemus, o pater: multa enim mala fecimus, quia etiam continua pœnitentia & confessione indigemus.

Leo sanctissimus episcopus Phoceæ dixit: Scriptum est, quod *falsum jusjurandum non amabitis.* hujus gratia, falsum nostrum juramentum, veluti nullum habens robur, remittetur.

Ioannes religiosissimus monachus, presbyter & vicarius orientis, dixit: Si jusseritis, fiat excussio de jurando.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: De eo jam dictum est. Verum quia plura restant excutienda, ad propositum redeamus.

Theodosius diaconus, monachus, notarius & oratorii custos legit.

Ex libro miraculorum SS. Cosmæ & Damiani.

Vir quispiam admodum mansuetus fistula in junctura coxæ laborabat: cumque multorum curationes frustra tentasset, medicorumque novaculis annis quindecim esset scissus, exhaustus, & superatus malo, videns ulcus in dies augeri, jamque pro uno foramine quatuor * oscula aperta, perque unum eorum potum etiam & cibum quandoque reddi, medicosque dicentes malum prævalere, neque hominum manu superari posse; desperabundus, statuit deinceps abstinere. Multis autem consulentibus, ut divorum Cosmæ & Damiani famulorum Dei templum sacratum adiret, statuit secum consiliis amicorum (tres enim multi consilii necessitas) acquiescendum. Videt igitur per somnium viros Dei sibi adstantes, dicentes: Ades dum ad nos, & sanaberis. Hac itaq; adhortatione confisus, insigne templum divorum accedit, quotidie ad eos supplicans, quo posset a morbo liberari. Cum autem jam multos dies frustra preces fudisset, neque quidquam, quod solatio esse posset, perciperet: egressus ædem sacram, videt in porticus limine a dextro latere imaginem servatoris nostri positam. picta autem erat & sancta deipara domina nostra, beatique viri Cosmas & Damianus, & quidam ex magnatibus, qui tabulam suspenderat, Leontius nomine. Obsecrationibus igitur rursum factis, amareque illacrymans multis horis, rogat sanctos, ut voti fiat compos. Digressus autem ad cubiculum domus suæ, vidit noctu sanctos viros Dei ad se venientes, in medio autem virginem matrem dicentem ad illos: En hic est, suppetias illi quam primum ferte.

* ora

Idem iterum ex miraculis Cosmæ & Damiani legitur de uxore Constantini Laodicensis. Contigit virum quemquam in militari scientia approbatum, nomine Constantinum, singulariter erga sanctos Dei Cosmam & Damianum affectum, perpetuoque eorum intercessionem implorantem, extra regiam hanc civitatem exercitus sibi commissi causa proficisci, qui & imaginem sanctorum secum etiam peregre ferre solebat. Cum autem venisset in Laodicensium civitatem quamdam, quæ Trimistaria dicitur, hæreretque ibi paulo longius ob mandata quæ procuranda susceperat, uxorem ibidem duxit. Quæ cum paulo post ex maxilla sinistra dolere cœpisset, jamque in abscessum malum vergeret, viro sæpe questa de doloribus: tandem eum adiit, fassaque est, se eos dolores amplius ferre non posse. Is vero illi respondens, consolansque, quatenus fieri posset, ait: Quid vis faciam uxor? nescis nos peregre esse, neque domi nostræ? si quidem in nostra civitate viveremus, possem ego cerea sanctorum meorum Cosmæ & Damiani imagine omnes dolores tuos sedare & auferre. hæc autem fidelis existens, mirataque subitæ sanitatis per sanctos Dei promissionem, rogavit, ut in sancta beatorum æde, postquam reversi fuissent, preces fundere sibi liceret. Compuncta enim animum ex auditione tantummodo de viris sanctis, quievit. Postera autem nocte se somno ubi composuisset, videt tremendos hos & magnos medicos & famulos Christi Cosmam & Damianum, ea qua pinguntur figura, lecto suo assistentes, & dicentes illi: Quid habes? quid torqueris? quid virum tribulas? en adsumus vobis, nihil est quod sitis soliciti. Hæc cum dixissent, abierunt. Hæc vero cum de somno surrexisset, maritum studiose de viso interrogavit, de forma sanctorum Cosmæ & Damiani, de historia, & ratione qua consolationem ferunt

ægris. Ad quæ cum vir respondisset, ipsa quoque cetera, quæ per visum cognovisset, exposuit. Postea autem maritus cogitans & recordatus, quod in manicis sub axilla figuram sanctorum ferret, manicam excussit, uxorique imaginem ostendit. hæc autem cum vidisset, adoravit, & cognovit vere omnia quæ cum sanctis & secum essent acta.

Ioannes venerabilis monachus, locum tenens summorum sacerdotum orientis, dixit: Satis aperte declaratum est nobis, per imagines quoque suas sanctos miracula designasse. Siquidem per imaginem mulierculæ apparentem, hanc curarunt.

Manzon sanctissimus episcopus Pracanon dixit: Postquam ego e regia urbe profectus in civitatem meam pervenissem, subito morbo adeo correptus fui, ut amicorum jussu testamentum condere cogerer: sed jussi, ut inferrent ad me sanctam servatoris nostri Christi imaginem; quam cum vidissem, dixissemque: Domine, qui das sanctis gratiam, respice me: imposuissemque loco dolenti, morbus ab eo repulsus est, & sanitatem recuperavi.

Theodorus sanctissimus episcopus Seleuciæ dixit: Et nobis hoc perceptum est, factum enim est non longe a nobis.

Theodosius diaconus, monachus, & armarii custos sacrarii patriarchici, ex eodem passionis libro, de muliere quæ torminibus agitabatur, legit.

Paulus sapientissimus doctor & columna ecclesiæ clamat: *Spes non pudefacit, quia caritas Dei effusa est in cordibus nostris.* ejuscemodi spem habens fidelis quædam mulier, cum continuis torminibus vexaretur, ob singularem erga sanctos Dei Cosmam & Damianum affectionem, perpetuo precibus apud eos solicitabat, eorumque templum frequentabat, quo posset aliquando a tam sævo malo liberari: nec satis fuit quod in singulos dies eorum templa frequentabat, quin etiam omnibus ædium suarum parietibus imagines eorum appinxit: insatiabile siquidem desiderium ejus erga sanctos Dei apparebat. Neque hoc reprehensione dignum censebitur, quandoquidem in animi simplicitate id, quod esse incredulum potest, judicatur. Contigit autem quodam tempore, ut hæc internis affectionibus supra modum cruciaretur: cumque præ torminibus in grabbato sese volveret, erigens sese præ pœnarum magnitudine ad locum repere cœpit, in cujus parietibus sanctorum effigies depinxerat, fide usa pro scipione. Chrisma autem accipiens in aquam effudit, illamque bibit, & confestim sanitati sanctorum intercessione restituta est. Hæc ergo postquam convaluisset, in magnam ecclesiam ascendit, omnibusque indicavit, quanta beneficia curationis erga eam sancti præstitissent.

Rom 5.

Simeon venerabilis monachus, presbyter, & præses mansionis Choræ, librum obtulit, quem acceptum Victor Dei amantissimus diaconus & notarius sancti patriarchici secreti, legit.

Beati patris nostri Ioannis Chrysostomi oratio in pelvim, cujus initium.

Omnia facta sunt ad gloriam Dei, utilitatem vero nostram. Nubes in pluviarum administrationem, terra in fructuum productionem, mare in mercium copiam, omnia tibi serviunt Deo, imo imagini domini. Non enim cum regiæ imagines & figuræ in civitatem afferuntur, magistratus & populus gratulabundus tabulas veneratur, neque ex cera fusilem imaginem, sed regiam figuram: sic & creatio non terrestrem formam, sed cælestem characterem veneratur.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Libri isti qui lecti sunt, ex templo sunt sanctorum Anargyron in hac regia civitate: clerici autem loci istius eos attulerunt, ut in sacra synodo legerentur.

Sancta synodus dixit: Oportebat eos libros afferri: nam ad utilitatem omnium lecti sunt.

Petrus venerabilis lector & notarius sacri patriarchatus, legit.

Ex quarto libro contra Arianos verba divi Athanasii, cujus initium.

Cum judicatum semel sit Arianorum insanias ab ecclesia descivisse. & post alia: Hoc aliquis ex imagine imperatorum clarius & attentius cognoscere possit. Nam in imagine regis forma & species est, in rege vero ea quæ est in imagine, forma existit: impermutabilis autem est in imagine regis similitudo, ita ut qui imaginem inspexerit, ipsum quoque regem simul inspiciat. Rursus qui regem conspicit, novit eum esse quem in imagine conspexerat. Quandoquidem autem ex eo quod similitudo non differt, volenti post imaginis inspectionem regem videre, recte dixerit imago: Ego in illo sum, & ille in me: & quod in me vides, vides & in illo. qui igitur imaginem adorat, adorat etiam ipsum regem. Illius enim forma & figura est imago.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Hæc sane rerum natura docet, quod honor imagini exhibitus ad ipsum fontem primum referatur: quomodo etiam contumelia. Quæ autem pater dixit illo loco, ad exemplum quoddam pertinent similitudinis.

Epiphanius venerabilis diaconus ecclesiæ Catanes, locumque tenens Thomæ venerabilis episcopi Sardiniæ, dixit: Paradigmata de rebus coincidentibus & convenientibus dicuntur, quemadmodum divinus pater accipit regis imaginem.

Victor venerabilis diaconus & notarius legit.

Ex sancti Basilii magni ad Amphilochium de sancto Spiritu triginta capitibus.
Ex cap. 18.

Quia rex dicitur etiam regis imago, neque tamen ob id duo reges: non enim scinditur potentia, neque honor distribuitur. Nam quemadmodum principatus nos conservans, potestasque una; ita & nostra glorificatio, sive laudatio una, & non plures: quam ob causam etiam imaginis honor ad primum veluti fontem dirigitur.

Ioannes venerabilis monachus, presbyter, & locum tenens orientalium sedium, dixit: Librum quem in manibus ferimus, ab oriente adduximus, petimusque ut legatur.

Constantinus venerabilis diaconus & notarius legit.

Ex libro D. Basilii contra Sabellianos, Arium, & impios alios, cujus initium.

Iudaismus cum gentilitate pugnat, utraque autem

autem cum Christianismo. & post alia: Sed veritatis sermo utrimque contrarietates effugit. Vbi enim unum quidem principium, unum vero quod ex eo, & unum quidem originale, una vero imago, illic unitatis ratio non corrumpitur. Quapropter ex patre genitus filius existens, & naturaliter exprimens in seipso patrem, ut imago quidem, incommutabilitatem habet: ut vero genitum, consubstantiale conservat. Non enim qui in foro regiam imaginem diligentius intuens, regemque illam dicens, eum qui in tabula pictus est, duos reges fatetur, nimirum ipsam imaginem, & eum cujus est imago: Neque si quis in tabula pictum indicaverit, dixeritque, ecce regem; ob id primum & verum exemplar, ipsum scilicet regem, appellatione privavit: profecto videtur magis honorem regis per ejuscemodi confessionem stabilivisse.

Ioannes sanctissimus presbyter, locum tenens episcoporum orientalium, dixit: Falsa synodus sparserat hoc axioma: Quicumque imaginem Christi adorat, in duo Christum dividit: & quicumque imaginem adspiciens dixerit, aut inscripserit ei, hic est Christus, Christum dividit. Stultum id sane est. Nam divinus pater Basilius, veluti lampas & doctor ecclesiæ Christi, quique per Spiritum sanctum ad divina initiatus est, honorem imaginum ad ipsum exemplar primum redire testatus est. Et qui imaginem regis contemplatus inspexerit in ea regem, sive adoraverit, non sane duos reges aut adorat, aut videt, sed unum regem tantum. Clare enim dixit beatus pater, quod & rex dicatur regis imago, neque tamen duo reges. Adeo ut tam clarum sit, quod is qui adoraverit imaginem, & dixerit: Hic est Christus; non peccaverit. Indicat enim quod Christus verus est Dei filius, & patri considens in cælis, idque in proprio suo corpore: verum per imaginem quæ per colores exprimitur, potentia ejus adoratur & glorificatur, & per sensum in cognitionem ejus potestatis pervenimus. Vnde & beatus pater indicavit, non esse duas adorationes, sed unam ipsius imaginis & primi exemplaris, cujus est imago.

Petrus & Petrus Dei amantissimi vicarii Hadriani papæ veteris Romæ, librum obtulerunt, quem Demetrius venerabilis diaconus, notarius & armarius sanctæ magnæ ecclesiæ custos legit.

Ex epistola beati patris nostri Basilii ad Iulianum imperatorem apostatam.

Quemadmodum a Deo Christianam & inculpabilem nostram fidem veluti hereditario jure accepimus, sic confiteor, & in ea maneo. Credo autem in unum Deum Patrem omnipotentem, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum. Vnum Deum hæc tria adoro & glorifico. Confiteor etiam filii incarnatam οἰκονομίαν. Deinde sanctam Mariam, quæ secundum carnem illum peperit, hanc deiparam vocans. Suscipio * enim sanctos apostolos, prophetas & martyres, qui pro me apud Deum supplicant, quo per illorum mediationem propitius sit mihi Deus noster benignissimus, & remissionem peccatorum mihi gratis largiatur. Quam ob causam & historias imaginum illorum honoro & palam adoro. Hoc enim nobis a sanctis apostolis non est prohibitum, sed in omnibus ecclesiis nostris eorum historias erigimus.

Gregorius venerabilis diaconus sanctorum & laudatorum apostolorum legit.

Theodoriti episcopi Cyri, ex vita Simeonis, cujus initium,

Simeon inter præcipuos. Et post alia: Aiunt autem eum in Roma, maxima scilicet illa, tam fuisse fama nobilem, ut in omnibus etiam officinarum vestibulis exiguas ejus imagines collocarint, custodiam quamdam & securitatem rebus suis illinc promittentes.

ACTIO QUARTA.

Ioseph venerabilis monachus mansionis Herculii dixit: Et ego peccator librum affero, qui vitam Simeonis in admirando monte continet: & si jusseritis, legetur.

Sancta synodus dixit: Capita tantummodo historiæ referantur, ut domi ab omnibus postea legatur.

Cosmas autem venerabilis diaconus & cubicularius legit.

Ex vita beati patris nostri Simeonis in mirando monte caput centesimum decimum octavum, de muliere quæ in Rhosopoli mirum in modum a dæmonio exagitata, & sanitati restituta est, & multis annis sterilis existens concepit, & ob id imaginem in domo sua sancti viri collocavit, ad quam plurima miracula contigisse clarum est, quale de hæmorrhoissa quadam, quæ annis decem & quinque malo laborans, tantummodo inspecta imagine sanata est, adhuc beato patre vivente. Item alter quidam Antiochenus civis mercator, qui cum dæmonio vexaretur, ad Simeonem concessit: a quo sanatus, imaginem illi in vestibulo ædium suarum posuit, quam improbi quidam & infideles de loco deturbantes, valide puniti sunt.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ Cypri dixit: Hæc quidem, venerabiles patres, ex iis quæ lecta sunt, & audivimus, & credimus. Et ego pro mea mediocritate, quæ contigere signa his non absimilia, narrabo. Vir quispiam Cyprius in Constantia urbe armentarius in sacellum virginis deiparæ orandi causa concessit, & inter orandum suspiciens imaginem, virginem ex coloribus in pariete expressam animadvertit, aitque: Quorsum hæc? & stimulo, quo boves agebat, sublato, imagini dextrum oculum exsculpsit. egressus autem templum, cum pecus pungeret, stimulus fractus est, parsque ea, cui ferrum infixum est, in hominem delapsa, in oculum illius dextrum infixa est. Hunc ego virum vidi, & unoculum esse etiamnum cognosco.

Alius quidam in civitate quæ dicitur Citium, die decima quinta mensis Augusti cum festum virginis celebratur, ingressus templum ut velis ornaret illud, clavum in parietem malleo adigendo, frontem imaginis divi Petri in pariete depictæ transfodit. Funiculo itaque velo alligato, confestim illius caput frontemque intolerabilis doloris cruciatus invasit, qui constanter per duos festivitatis illius dies permansit. Episcopus autem Citii, re cognita, hominem increpavit, jussitque ut abiens clavum iterum eximeret ex imagine. quo facto, continuo dolor mitigatus est. Interrogetur, si libet, episcopus: adest enim in hac congregatione.

Interrogatus autem episcopus Citii, jurejurando affirmavit ita se habere in medio synodi.

Ante biennium duæ naves in Syriæ civitatem Gabala cum aliquot viris Cypriis navigaverunt. Cum autem in Gabala pervenissent, sagittarii aliquot Agareni circa mare deambulabant, & quidam eorum cum Cypriis ingressus templum in civitatem, cum vidisset in pariete pictam imaginem, quæsivit e Christianis, quidnam prodesset isthic imago. ad quem Christianus inquit: Venerantes eam juvat, ignominia vero afficientes nocet. ad quem Sarracenus ait: En ego effodiam illius oculum, ut cognoscam quid possit. Arrepto igitur conto quem manibus ferebat, in dextrum imaginis oculum intrusit: quo facto

ACTIO QVARTA.

cto statim quoque illius oculus dexter in terram cecidit. Ipse quoque ardenti febre correptus, a comitibus suis ad propria reductus est. Hæc nobis narrarunt redeuntes Cyprii, qui triginta duo numero fuere.

Theodorus sanctissimus episcopus Catanes librum attulit, quem acceptum Gregorius Dei amantissimus diaconus sanctorum apostolorum legit.

Ex oratione divi Basilii in beatum martyrem Barlaam, cujus initium.

In fine orationis. Prius quidem sanctorū mortem. Inter reliqua: O clari athleticorum recte factorum pictores, exurgite, vestris artibus militis mutilatam imaginē magnificate. Obscurius a me corona dignum virum descriptum, coloribus artis vestræ lucidum & splendentem facite. In ostendendis præclaris facinoribus martyris, victrix abeat pictura. Gaudeo in hoc certaminis genere me vobis esse inferiorem. Videā manus exactissimum opus, quo certamen pingitur: videam clariorem pictum in vestra imagine pugilem. Lugeant dæmones, claris martyris facinoribus per nos ostensis attoniti. Inscribatur etiam tabulæ, qui certaminibus præsidet, Christus, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Leo sanctissimus episcopus Phoceæ dixit: Scriptum est, *In duobus aut tribus testibus stabit omne verbum.* Hodie autem nobis plurimi sacrati libelli oblati sunt, qui mentes nostras irrigaverunt, & satis de sanctarum imaginum firmitudine docuerunt.

Deut. 17. & 19. Matth. 18.

Et Petrus lector librum ex vita sanctæ Mariæ Ægyptiacæ legit, cujus initium.

Tob. 12. *Mysterium regis celare decorum.* Inter cetera.

Alios quidem, nemine impediente, templum recepit, me solam autem miseram non admisit, veluti si copiæ militares in hoc subornatæ essent, quo mihi ingressum præcluderent: ita me turbæ vehementia coarctabat. quamobrem in proaulium sive vestibulum templi me recipere coacta sum. Deficiebam enim ex populi impetu & impressione, ab ea quam intuli, & sustinebam. Adeo violenter mecum agebatur. Stabam autem in angulo quodam aulæ ipsius templi; atque ita adhuc vix a populi tumultu me defendere potui. Cumque sursum aspicerem, intuita sum vivificum illud lignum, statimque ratio salutaris oculos mentis meæ tetigit, cum indicaretur mihi, cœnositatem & impuritatem operum meorum in causa esse, quamobrem a templo secluderer. Cœpi ob id flere & lamentari, pectusque tundere, gemitusque ex fundo cordis depromere. Cum autem lacrymarer, ecce in superiore loci, in quo stabam, parte imaginem sanctissimæ deiparæ stantem conspexi. Loquor autem ad eam, non conniventibus oculis eamdem inspiciens: O virgo domina, quæ Deum verbum juxta carnem peperisti, novi profecto, novi non esse decorum neque rationabile, me sordidam adeo & inquinatissimam feminam, imaginem, corpus & animam castitatis tuæ & semper virginitatis continentem inspicere. Iustum enim est impuram adeo me a tua castitate & munditia odio haberi & execrari. Verum quandoquidem (ut audivi) propter hoc Deus, quem tu genuisti, homo factus est, ut peccatores ad pœnitentiam vocaret: auxiliare mihi soli, & non habenti qui mihi suppetias ferat: jube ut mihi quoque contingat in templum ingressus: fac ne priver aspectu ligni, in quo juxta carnem affixus fuit, quem tu genuisti, proprium suum sanguinem in redemptionem mei effundens. Iube ut & mihi quoque fores pateant, ut & divinam illam crucem adorem. Do enim fidejussorem tibi

Matth. 9.

A Deum, qui ex te ortus est, me non amplius corpus hoc meum turpi commixtione conspurcaturam. Verum ut tantummodo crucem filii tui inspiciam, confestim mundo omnibusque rebus mundi valedico & renuntio. Quin etiam extemplo, quo me sponsor ille salutaris jusserit & duxerit, abeo. Hæc cum dicerem, flagrans quædam redundantia fidei in me succrevit, confisaque deiparæ commiseratione, e loco illo, in quo stabam, me movens, precesque continuas fundens, me turbæ ingredientium injicio: neque quisquam erat qui me impelleret, aut a quo ego truderer aut premerer: neque quisquam qui me prohiberet, quo minus ad valvas, per quas in templum itur, appropinquarem. Me igitur & horror animique ecstasis invasit, totaque contremiscere & conturbari cœpi: quantum autem viribus poteram, junxi me ad januam, & quæ antea mihi aditum negabat, nunc visa est recipere, idque adeo libens. Dein procedens, ingressaque sancta sanctorum, sancta crux vivifica me ut eam aspicerem, dignata est, divinaque illic mysteria inspexi. Quantum autem fieri potuit, ad pœnitentiam me convertendo, in terram prostravi, sanctumque illud pavimentum osculata sum. Post id autem egressa, ad locum sponsionis properando, in quo chirographum sponsionis scriptum erat, genibus inclinatis coram ter sancta virgine deipara, verbis istis usa sum: Tibi quidem o bonarum rerum amatrix domina, quæ tantam mihi præter meritum humanitatem exhibuisti, preces meas nec rejecisti, gloria. vidi enim gloriam, quam nos prodigæ pudicitiæ videre non debeamus. tibi, inquam, & Deo qui propter te peccatorum pœnitentiam admittit, gloria. Quid enim ego infelix peccatrix ultra possum aut excogitare, aut loqui? Iam autem o domina tempus est, ut sponsioni satisfaciam: tu vero me quo placuerit, ducito. esto mihi salutis magistra, mihi viam, quæ ad pœnitentiam ducit, indica. Hæc cum adhuc in ore haberem, procul audivi vocem clamantem: Si quidem Iordanem transieris, requiem invenies bonam. Ego vero vocem eam exaudiens, cum lacrymis clamavi, & ad dominum vocem intendi: Domina deipara ne me relinquas. Hæc cum dixissem, aulam templi egressa festinabunda abii.

Ioannes religiosissimus monachus, & vicarius summorum episcoporum orientis, dixit: Talem imaginem nos vidimus in sancta Christi Dei nostri civitate, eamque sæpius salutavimus.

Stephanus Dei amantissimus diaconus & referendarius sacri secreti legit.

Ex martyrio beati martyris Procopii, cujus initium.

Per ea tempora regnum obtinebat Diocletianus tyrannus. inter cetera: Neanias gaudio magno perfusus, & fide audens rem bene gessit. Similiter illius omnes comites: ea autem nocte cum militibus reversus est. Venit autem in Scythopolin, & omne sodalitium aurifabrorum & argenti fusorum convocans, interrogavit autem dicens: Potestisne mihi facere vas aliquod, quod ego tradam vobis? Illi vero hominis austeritate deterriti, communi consilio statuerunt apud illum unum ex omnibus, quem optimum artificem existimabant (nomen illi Marcus erat) dicentes: Si quis est qui voluntati tuæ domine satisfaciet, hic erit. Et paulo post: Marcus autem nequaquā obedire volebat ᵃ juveni. Persuasit tamen tandem is dicens: Hoc mysterium regi usque ad vitam nunquam revelavero. Persuasus itaque Marcus, in abdito ex auro & argento noctu crucem fabricavit. Cum autem opus consummatum erigeretur, tres in eo imagines apparuerunt. Scriptum autem erat

erat Hebraica dialecto in superiore parte, Emmanuel; & utrimque in summitate alarum, Michael & Gabriel. Voluit autem Marcus, sibi timens, expungere imagines, verum non potuit. Confestim enim manus illius sicca permansit. Sub gallicinium autem dux qui dicebatur Neanias, ad ædes Marci, quo crucem auferret, properat. Videns autem illam, protinus adoravit. Ait autem ad Marcum: Quæ sunt hæ personæ? quæque hæc inscriptio? Domine in qua hora crux a me erigebatur, imagines istæ per se enatæ sunt, neque ego cognosco, quænam aut cujus sit inscriptio. Neanias vero cognoscens virtutem quamdam in his esse, adorata cruce, Marco artifici copiosam mercedem solvit, profectusque est in civitatem suam.

Stephanus religiosissimus monachus & librorum custos sacri patriarchii, legit.

Ex vita beati patris nostri Theodori archimandritæ monasterii Sicanon, cujus initium.

Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi. Inter alia: Cum autem natus esset annos circiter duodecim, lethales bubones homines istius loci invaserant, quo & ipse graviter usque ad mortem laborare cœpit. Itaque illum ad templum beati Ioannis Baptistæ, quod erat prope oppidum, ducunt: deposuerunt autem eum in limine ingressus altaris. supra illum vero locum in trabe crucis imago salvatoris nostri Iesu Christi stabat. Eo autem ex bubone ejulante, instillarunt in illum guttas roris ex imagine: confestim autem gratia Dei levius a dolore se habuit, sanitatique pristinæ restitutus est, domumque reversus est. Paulo post autem cum imitari cuperet Davidem in hymnorum melodia, psalterium discere cœpit. Ipse autem difficulter & cum summo labore discebat. cum autem usque ad psalmum decimum sextum processisset, decimum septimum tandem transire non potuit. Igitur meditabundus in oratorium sancti martyris Christophori, quod prope oppidum erat, concedens, in faciem se projiciens, Deum precabatur, uti illum docilem & facile apprehendentem in psalmorum meditationem redderet. Benignus autem Deus & amator humani generis, qui dixit, *Petite, & dabitur vobis*; petitionem illius exaudivit, eique annuit. Cum autem jam a pavimento se levasset, inque Dei imaginem intentius spectaret, dulcedinem sensit melle suaviorem ori illius insertam. Ipse autem cognita gratia Dei, assumptaque dulcedine, Deo gratias egit, & ab illa hora facili negotio & dociliter psalterium didicit.

Cosmas Dei amantissimus diaconus cubicularius legit.

Epistola Gregorii sanctissimi papæ Romani ad sanctissimum Germanum patriarcham Constantinopolitanum.

Quanta qualisque animi delectatio, cum venerabile tuum & honorificum nomen exaudio, quod mihi gratiam annuntiat, non possum satis declarare. Hanc enim nuntiationem, quæ & nuper te tuis venerandis literis mihi euangelizata est, plurimo gaudio & exultatione suscepi, & præ gaudio nimio spiritus meus refocillatus est. Deinde in cælum oculos sustollens, gratiarum actionem Deo omnium rerum principi dixi, qui ita in omnibus beneplacitum suum facit, & nobiscum usque ad finem adest. hic enim omnia vestra ad lucem perducit. hoc est enim quod noctu diuque precor, neque unquam ab hac intentione cesso. Confido enim

A in Christum, neque ab eo absistam. Testatur idem suavis illa & honesta in singulas horas tuæ probitatis recordatio, o benedicte & Deo amate frater. hanc enim in labiis habens non possum dimittere, quin per literas subinde te alloquar. Non enim mihi solummodo hoc utile est, sed omnibus, quod tam insignem ecclesiæ propugnatorem te habeant, ut recte tua certamina omnium ore celebrentur. Maximæ autem in hoc certamine, in quo quamquam multa passus sis, & pro benefactis injuriam acceperis, tamen laudandus es, quod ad summam felicitatem res perduxeris. Cecidit enim impietatis præcursor. Nam postquam putabat juxta suam voluntatem omnia peragere, ex alto in profundum

B ruens, & viribus comminutus, cecidit spe sua insignite frustratus. Audivit autem ab ecclesia, quæ & Pharao Ægyptius tyrannus prius, Mose illi accinente, audierat: Dixit inimicus, *Comprehendam, dividam spolia, implebo animam meam.* Acclamabatur autem illi, veluti diabolus ipse foret, hæc prophetica execratio: *Propter hoc auferet te usque in finem, evellet te & transferet e tabernaculo tuo, & radicationem tuam e terra viventium.* Ita ille præter spem frustratus proposito suo, secundum spem periit, idque fortitudine propugnationis quæ venit desuper, qua ad summam pervenit excidionem, ut de eo verum esse videatur, quod per scripturam dictum est: *Telum potentium imbecillum redditum est, & impo-*

C *tentes succincti sunt fortitudine.* Ob id nihil est quod contra impietatem eorum qui cum Deo pugnant, Deum esse imbecillem credamus. Et si in insanos totus mundus cum Deo pugnare dicitur, quare tu qui sanctificatus es, cum Deo hostes non posses superare? Bellum enim erat cum impiis, in quo licet non aperte, insignem tamen belli socium habuisti Deum nostrum Christum, cujus quidem labarum insigne gestasti, ipsam dico vivificantem crucem, magnum illud post mortem illius trophæum, in quo mundi fines quadripartito descripsit, partes etiam ejus literis tres indicavit. Deinde etiam sanctam omnium dominæ castæ Dei matris imaginem, cujus faciem divites populi supplicant. Sanctum enim est, ut patribus videtur. nam quicumque eam ita venerantur, his sine dubio magna retribuit. Quandoquidem imaginis veneratio in pro-

D totypum, juxta magnum Basilium, redit. Pietate enim plenum est venerandum picturarum argumentum, ut auctor est Chrysostomus. Si quis alius, ego certe, inquit, ex cera fusilem picturam pietate plenam amavi. Vidi enim angelum turmas barbarorum in imagine persequentem, & David vere dicentem: *Domine in civitate tua imaginem eorum annihilabis.* Neque unquam ecclesia erravit in hoc, quod dixerit. Deum nobis imagines concessisse; neque etiam hoc ethnicam traditionem sapit: nam & in Paneadem civitatem hæmorrhoissæ imago transmissa in memoriam miraculi, quo herbæ excrescentes omnibus ægritudinibus auxiliares erant, celebrabatur: idque summa erga nos Dei bonita-

E te. Ergo ecclesiæ capita & columnæ talia fieri permiserunt & tradiderunt, ut in omnium oculis ejuscemodi picturæ exhiberentur, sacer ille & venerandus typus, quo juxta humanitatem Christus qui peccata mundi abstulit, velut columna erigeretur, per quam humilitatis Dei altitudinem nosceremus, & dispositionem illius incarnationis in memoriam reduceremus; inque agnitionem sacratæ mortis illius veluti manu duceremur, quemadmodum ad eam quæ illius contigit, liberationem: neque tamen in hoc quidquam, quod a divinis discordat, dicitur. Si enim prophetica præconia even-

ACTIO QVARTA.

Exod. 15.

Psal. 51.

1. Reg. 2.

Sap. 5.

De Spiritu sancto c. 18. ad Amphil.

Ser. 8. quod novi & veteris, &c. prope finem.

Psal. 72.

ACTIO QUARTA.

tum non assecuta sunt, ne scribantur res ipsæ ad demonstrationem eorum quæ nondum contigerunt: hoc est, nisi incarnatus est dominus, ne figuretur illius juxta carnem imago. Si in Bethlehem non natus est ex gloriosissima virgine deipara, neque magi munera obtulerunt, neque pastoribus adstitit angelus, turbaque cælestis exercitus hymnum nato puerulo cantarunt: si non in brachiis is qui cuncta portat, gestatus est, neque lacte nutritus est, qui dat escam omni carni; neque etiam illa pingantur. Si non a sene susceptus is qui vitæ & mortis, omniumque princeps & dominus est, fuit, (simul ab ipso cognitus, cum ab eo liberationem, dissolutionemque precaretur) ipsum prædicavit: si non in Ægyptum a matre deportatus, & rursus ex ea rediit, Nazarethque habitavit, coloribus non effigietur. Si non mortuos suscitavit, si non dissolutos restituit, si non lepras mundavit, & cæcis oculos reddidit, & impeditam linguam solvit, item gressus claudorum firmavit, dæmoniaque exegit, aures surdorum aperuit, cuncta ultra fidem hominum divinis signis egit, non pingatur. Si passionem volens non subiit, & infernum non despoliavit, & ubi resurrexisset, in cælum ascendit, unde venturus est judicaturus vivos & mortuos, non per picturam indicetur. Neque etiam earum rerum figuræ & historiæ picturis & coloribus repræsententur. Hæc autem cuncta si facta sunt, magnumque hoc pietatis mysterium est, utinam fieri possit, ut & cælum, & terra, & aqua, omnia quoque animantia & plantæ, & si quid aliud est, sive per colores, seu per picturas aut voces posset narrare. Siquidem earum rerum quæ non sunt, effiguratio, imaginativa pictura vocatur. Quam sane & Græcorum fabulositas poesim tacentem esse dixit. Neque tamen volumus, ut in ecclesia Christi idolum aliquod sit, absit. Non enim vaccas adoravimus, neque vitulū in Choreb fudimus, neque Deus nobis factitius existimatus est, neque rursus sculptili procidimus, & Beelphegor initiati sumus, neque filios nostros & filias nostras unquam dæmoniis obtulimus, ut nobis ea quæ in Salomonem dicuntur, objici possint: neque a nobis terra sanguine cædium perfusa est, aut imaginem fecimus quadratam continentem idolum, nec in templum hoc induximus, neque impuritatem serpentium aut volatilium parietibus templi inscripsimus: neque Ezechiel spectavit nos Adonim lamentantes, & thymiama soli offerentes. De quibus inquit apostolus: *Servierunt in colenda creatura, creatorem relinquentes.* Neque etiam imagines duarum meretricum Olodom & Olibas in Ægypto ereximus, aut has adoravimus; neque sacrificia a nobis Bel in Babylone, neque Dagoni in Palæstina obtulimus, neque etiam aliis gentium diis subjecti fuimus. Non sunt ista, vere non ita se habent. nemo hac de re nos accuset. Non enim iis rebus quæ nihil sunt, nomen illud quod supra omne nomen est, inferius Christi populus usque in hunc præsentem diem judicat, sed vivificantem Trinitatem colimus & adoramus. Absint impura illa a nobis. Modus enim quo idola coluntur, satis manifestus est. Christianis autem pietatis studiosis omnium dominus est quem adorant. Quod si autem quispiam Iudaico animo nobis objiciat ea, quæ in eos qui insano in idola amore ferebantur, dici solent, ecclesiamque nostram idololatriæ, propter venerandarum imaginum divina & admiranda ad promotionem & adductionem ad pietatem studia, accuset, habeatur hic non alius ac canis oblatrans, & ut in funda a nobis quam procul abjiciatur. Utinam sane & Israelem Iudæus imitetur, cui jussum erat per visum, ut Deum typica commemoratione adoraret, neque vitulum & muscas ante tabulas testamenti extulisset. Utinam sacrum altare illi placuisset, & non vaccæ Samariæ. utinam virgam Aaron aspexisset, & non Astarten. Profecto longe honestius & justius fuisset illis, petram, per quam Deus aquam dedit, salutare, quam Baal. Utinam satius duxissent virgam Mosis inspicere, & vas aureum, & arcam, & propitiatorium, & velum, & ephod, & mensam, & tabernaculum interius exteriusque, quæ omnia in honorem Dei, quamvis manu hominum erant facta, & sancta sanctorum vocabantur; deinde etiam sculpta cherubim, quorum mentionem facit apostolus, cum ait cherubim, gloriæ inumbrantia propitiatorium, quæque gloriam Dei provehere ex scripturis docti sumus: quam coram idolis procidere, in eisque adorandis sanctitatem collocare. Omne enim opus quod in nomine domini factum est, venerandum & sanctum est. Quid opus est multis verbis? Maxime autem ad virum in divinis eruditum & electum vas Dei, quique gratiam Spiritus sancti accepit. Non sane necessarium est descendere ad divinorum decretorum profunditates, cum tu ad altitudinem scientiæ, Deo duce, facile ascendas. Sed hæc hactenus: ad id autem quod principio dicebamus, revertamur. Propugnatricis illius sanctæ & omnium Christianorum dominæ miranda facta, quæ in te declarata sunt, per quæ tu quoque contra hostes servatus es, non sunt reticenda. Illi enim cum insania multa tumultuarentur, tantum invenerunt in se adversitatis hostilis, quantum eorum causa injustitiæ habuit. Neque hoc tamen mirandum est. Nam si * Betula per manus Iudith Israelitidos mulieris servata est, cujus opus Holophernis erat sublatio, & per ea tempora ob id salus Israelitis vocata est: quomodo non oportebat & tuam sanctitatem, hujuscemodi propugnatrice utentem, hostibus civitatis prævalere, ipsamque victoria coronare? Sane ipsius sanctis intercessionibus, omniumque sanctorum precibus, potens in bello Deus noster fortis & longanimus duxit te super Ioseph, & tamquam ovem custodiet te in longa etiam tempora, ut Christianorum rempublicam universalem beneficiis afficias, & ad divinam regulam cuncta dispenses. Simul autem invicem exhortemur, ut mandata quæ a sanctis patribus accepimus, servemus, errantesque in viam rectam ducamus. pro quo tibi gaudium & oblectatio & bonorum fruitio, o pater sanctissime, & omnibus Christianis expectate.

Luc. 2. — Matth. 2. — 3. Reg. 11. — Ezech. 8. — Rom. 1. — Ezech. 23. — Daniel. 14. — Iud. 16. — Hebr. — * Bet[ulia] vel [Betu]lia Iud. 15.

Sanctissimus patriarcha dixit: Petrum divinum apostolum imitatus & hic beatus pater, buccino nobis ex urbe Roma veritatem cecinit.

Theodosius religiosissimus monachus & notarius legit.

Epistola Germani sanctissimi patriarchæ Constantinopoleos ad Ioannem episcopum Synadon.

Epistolam sanctitatis tuæ Tarasius gloriosus patricius nobis tradidit, in qua de * Theophilo episcopo Nacoliæ scriptum fuit. Significamus autem hac, priusquam a sanctitate tua accepissemus literas, nos ipsum Theophilum convenisse, perscrutatosque quænam illius mens, quæve sententia in causa illa, de qua audieramus, esset: hanc autem nobis apologiam objecit. (oportet autem ut tuæ sanctitati omnia pro mediocritate ingenii mei scribam.) Dicebat se instructum sacra scriptura dicente: *Nullam facies similitudinem ad adorandam illam, neque in*

ACTIO QUARTA.

in cælo desuper, neque super terram. Deinde dixit, non oportet manufacta adorare, hoc est, quæ manu hominū elaborata sunt. Cum vero sanctos Christi martyres, veras fidei margaritas, omni honore dignos arbitremur, & intercessiones eorum postulemus non potui illi non respondere. Christianorum itaque fidem, cultum & adorationem in unum & solum Deum existere dixi, quemadmodum scriptum est, cum ab iis qui in cælo sunt, sanctis & intelligibilibus incorporeis potestatibus, tum ab iis qui in terra sunt, quotquot veritatis viam noverunt. Quemadmodum in omnibus ecclesiis sancta laudatur & glorificatur Trinitas, in unica dominatione & deitate, quemadmodum & nos unum Deum confitemur: neque aliquis est præter eum, qui ex potestate illius dominatur per sæcula, qui ex non existentibus cuncta produxit, tam quæ visibilia sunt, quam invisibilia. Hoc est, in Patrem, Filium, & sanctum Spiritum, sanctam consubstantialem vivificantem Trinitatem inquam, credentes & confitentes baptizati sumus, quemadmodum tradidit Deus verbum existens incarnatum, unus ex sancta & incomprehensibili Trinitate dominus noster Iesus Christus, in nomine Patris & Filii & sancti Spiritus. Hic sane creaturas non adoramus; absit: neque cultum divinæ dominationi debitum in conservos deducimus; absit. Neque principes, aut reges super terram adorantes, æqualem illis cum Deo adorationem præstare videmur. Nam & propheta Nathan apparet, in terra cum esset, David adorasse, quamquam hominem & regem: neque tamen ob id reprehensus est, quod hominem juxta Deum adoravit. Neque imaginum ex cera & colore effigiationem in errorem perfectionis divini cultus suscipimus. Non enim invisibilis deitatis imaginem, aut similitudinem, aut figuram, aut formam expressam, quin etiam ipsorum sanctorum angelorum præstantes ordines, neque intelligere, neque investigare omnino possumus. Sed quando unigenitus Filius, qui in sinu Patris existens, suam creaturam ex mortis adjectione revocando, Patris & sancti Spiritus beneplacito homo fieri dignatus est, non aliter ac nos, carnem & sanguinem assumens, & ut inquit magnus apostolus, *per omnia nobis similis factus, excepto peccato.* Igitur humanitatis illius characteris, & juxta carnem indiscretæ hominis formæ imaginem figurantes, ipsius incomprehensibilem deitatem atque invisibilem (unde ea quæ nostræ fidei præcipua sunt, nascuntur) ostendere nequimus. Non enim juxta phantasiam & umbratice nostram naturam sibi univit, ut quidam ex veteribus hæreticis errantes tradiderunt: verum re ipsa, vereque homo perfectus per omnia, excepto, quod ab hoste nobis insitum est, peccato, factus est. Hanc ob causam, in fide certi, sanctæ illius carnis characterem in imaginibus delineantes salutamus, & cultu & honore omni, quo decet, dignamur; nec ob aliud, nisi in recordationem divinitatis illius vivificæ & * inexpressæ humanitatis. Eadem ratione & intemeratæ ejus juxta carnem matris, sanctæ deiparæ virginis similitudinem referimus: hoc modo ostendentes, quod mulier juxta naturam existens, & a nostra massa haudquaquam aliena Deum invisibilem, & omnia manu sua continentem, ultra omnem & hominum & angelorum existimationem in ventre suo conceperit, & ex se incarnatum genuerit. Etenim ob id eam, ut vere & proprie veri Dei matrem veneramur, & magni facimus, & quavis visibili & invisibili creatura superiorem reputamus. Ad hæc sanctos martyres Christi, apostolos, prophetas, tamquam conservos nostros & veros Dei ministros, bonis operibus & divina prædicatione veritatis, item perpessione pro ipso Deo afflictionum gloriosos amicos Dei veros, quibus ipse etiam magnam loquendi confidentiam dedit, admiramur & beatos prædicamus, nec non ad recordationem fortitudinis eorum, & rectam pro Christo servitutem, similitudines eorum depingimus: non quod de divina natura participent, per hoc demonstrare volentes, neque debitum tantummodo divinæ potestati & gloriæ honorem illis tribuentes, verum desiderium nostrum & amorem, quo erga eos affecti sumus, ita declaramus. Nam quæ per auditionem tamquam vera credidimus, hęc etiam per pingibilem imitationem ad stabiliorem nostram instructionem collocamus. Quando & ipsi sancti Dei, in unum & solum Deum cultum adorationis, & glorificationem, & procreationem conservantes, pro Christo sanguinem suum effuderunt, & veræ confessionis coronam acceperunt. Hæc imaginum apparatus ratio est, non quod nos adorationem in spiritu & veritate, incomprehensibili & investigabili deitati decentē, in manufactas imagines, aut in opera hominum artefacta, aut sane in ea quæ subsunt Deo, sive visibilia sint, sive invisibilia, transferre studeamus: verum ut dilectionem nostram, quam juste in sanctos Dei servos habemus, per istum modum exhibeamus. Et per honorationem illorum, in eum qui per illos glorificatus est, quique illos glorificavit in confessionem potentiæ suæ, Christum, glorificationem & cultum referimus, ita ut & nos imitatores fortitudinis eorum & dilectionis erga Deum, per bonorum operum contra passiones resistentiam, fiamus. Hunc autem esse imaginum in ecclesia Dei usum, unusquisque per hanc instructionem cognoscat, neq; aliunde nos salutis spem, sive in hoc mundo, sive in futuro sæculo expectare, nisi ab unigenito filio Dei, qui simul cum Patre & Spiritu sancto divina dona largitur. *Non enim aliud nomen, per quod salvari queamus, in hominibus datum est.* Act. 4.

At si domini & servatoris nostri, item intemeratæ ejus matris vere deiparæ, nec non sanctorum imagines salutamus, confestim etiam fidem & dispositionem mentis erga illos habemus, sed unum Deum sine principio, sine fine, qui omnia in manu sua habet, factorem nostrum & omnis creaturæ, & vere servatorem, habentem potestatem in cælo & in terra, pro genere humano hominem factum agnoscimus. Ancillam autem & matrem illius existentem, vere pro genere nostro intercedentem præsentissime, ita ut dominus quidem noster salutem dispenset, illa vero materno affectu pro nobis poscat, agnoscimus. Sanctos denique omnes, tamquam conservos nostros, & ejusdem nobiscum naturæ participes, gratissimos Dei ministros, ut dictum est, & hac gratia a Deo donatos, ut beneficia a Deo data nobis ministrent: curationes (inquam) morborum, & periculorum liberationes, quando per memoriam eorum invocatio Dei fit, quatenus nobis in hymnodiis & glorificationibus possibile est, (*Memoria autem eorum cum encomio celebratur*, ut ait scriptura) agnoscimus. Hæc igitur omnia Theophilo Nacoliæ episcopo proposuimus, Prov. 10.

ACTIO QUARTA.

mus, quæ sane & suscepit, & ut divina cofessus est A se servaturũ, neque quidquam amplius dicturum, aut facturum, quod aliis posset esse offendiculo, aut tumultum excitare. Hæc igitur cognoscens vestra sancta congregatio, illum amplius, nisi in eumdem errorem labatur, vexare non pergat: sed tam ipsum cum literis nostris transmissum, & satisfactionem illius condescentiæ accipiens, contenta esto, pro potentissimis nostris dominis & imperatoribus, ut quam diutissime vivant, & victores declarentur, precetur. Oret etiam, ut Christianorum populo Dei pax contingat, quæ omnem mentem exuperat. *Phil. 4.*

Sanctissimus patriarcha dixit: Pater hic noster beatus Germanus cum sanctissimis patribus præcessoribus illius consensit. B

Sacra synodus dixit: Vere domine in omnibus conveniunt.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Literas has episcopus Nacoliæ cum accepisset, celavit, neque metropolitæ suo tradidit. Ob eam causam beatus Germanus deinceps ad eum scripsit. Nam principium hujus hæreseos ex eo ortum est.

Theodosius Dei amantissimus diaconus, notarius, monachus, & armarii sacri oratorii custos legit.

Ejusdem beati patris nostri Germani ad Constantinum episcopum Nacoliæ epistola. C

Ioannes Dei amantissimus Synadon metropolites nobis scripsit, quomodo tua caritas literas nostras illi non tradiderit. Qua de causa non mediocrem propter te dolorem concepimus, quod videris mihi amorem Dei & caritatem & honorem, quæ membra Christi mutuo sibi debent, postposuisse. Quam ob causam per literas istas præsentes caritati tuæ renuntiamus, ut Theophilo Constantino metropolitæ confestim literas traditas, omnemque honorem illi debitum tribuas, illique secundum sacerdotalem ordinationem subjiciaris: quemadmodum quoque sermones nostros tua caritas suscepit, professaque D est eos secuturam, neque propriæ sententiæ inhæsuram. Novisti enim quæ locuti fuerimus, cum me invocasti, ne episcopatu tuo privareris: promittebasque te correcturum ea & confirmaturum, de quibus fides tua vacillare dicebatur: neque etiam quidquam amplius contumeliæ adversum dominum, aut sanctorum ejus imagines dicturum, aut facturum; sed tantummodo e scriptura probaturum, nihil divini honoris in creaturis consistere, sed licere tamen venerationem illis exhibere: quam sane rem & nos docuimus sic se habere, quamque stabiliter tenemus & confitemur. Scripta autem nostra ad Theophilum metropolitam eadem continent, & nos illi E exemplar idem transmisimus. Ne igitur populo innocenti offendiculum præbeatur, in memoriam redigas divinum judicium, quo inquit: *Quicumque unum ex minimis istis scandalizaverit, satius ut submergatur, illi fuerit.* Hoc igitur caritas tua cognoscat, & epistolam nostram metropolitæ reddito, atque per sanctam consubstantialem & venerandam Trinitatem hoc jubeo, ut nisi facias, nunquam sacrum officium amplius administrare possis. Nam si admonitionibus nihil profecerimus, certe sententiæ austeritate, quantum poterimus, te deterrere cupimus, ne Dei subdaris judicio. *Matth 18. Marc. 9. Luc. 17.*

Sanctissimus patriarcha dixit: Venerandi fratres quemadmodum prædixi, inductio peregrinæ istius novitatis a prædicto episcopo Nacoliæ initium cepit.

Constantinus Dei amantissimus diaconus & notarius legit.

Epistola Germani episcopi Constantinopoleos ad Thomam episcopum Claudiopoleos.

Salomon sapientiæ doctor verbis suis ita alibi expressit: *Frater a fratre adjutus, tamquam civitas munita & alta, & regnum vectibus clausum.* Ego autem meipsum non ex eis esse qui auxiliari possunt, sed potius qui auxilio egent, arbitratus, ad vestram caritatem, non sufferens cogitationum turbam, literas has direxi, (quo enim properarem alio, quam quo me veritatis studium pellit?) in quibus si falsa continentur, aut mendacia, ut utar Gregorii theologi verbo, auræ eas ferant: sin autem vera sunt quæ referunt, undique sane me mentis sententia firmet. An non igitur propter multorum tarditatem & pigritiam, quibus verba tantummodo in labiis nascuntur, & delectatio dilectionis cor non intrat, sententiæ scripturarum non exquiruntur, & ad profunda non rimantur? Quamobrem multorum caritatem fictam potius quam veram esse arbitramur, ut neque etiam multos jam videamus animadvertere & indagare, quid sanctæ scripturæ jussionibus nobis demandetur. *Dilectio enim*, ut inquit apostolus divinus, *malum non cogitat.* Hæc cum apud multos expleta sit, necessarium mihi esse putavi, significare & quid nobis de præsenti tumultuatione videatur. Harum autem cogitationum occasio mihi fuit, quod cum vidissem tuam erga Deum affectionem, qua nobiscum versatus es, & multis quæstionibus & orationum meditationibus, cum per scripta, tum per disputationes se exercitantem, nunquam tamen nobis quæstionem aut dubitationem de imaginibus, cum sanctorum virorum, tum ipsius domini nostri Iesu Christi servatoris nostri, & juxta carnem illius sanctæ & veræ & deiparæ matris, a tua caritate propositam, neque quæsitum, quid ego ea de re sentirem. Quapropter ut fraterna approbatione mentem nostram aperiamus, brevibus, quæ de ea re nobis cognita sunt, dicemus. Illud tamen prius subjicientes, oportere nos omnem rerum vanam novitatem observare, & maxime cum in fide in Christi populo discordiæ tumultus, & scandali argumentum suboritur. Deinde in ecclesiis consuetudinem longi temporis tenendam. Etenim si cum consilio scriptura vinum ordinat bibi debere, quanto magis nos opportunioribus temporibus, pleniore consultatione res aggredi oportet, ne tremendo Dei judicio subjiciamur, quo is *qui unum ex pusillis scandalizat, a Deo tollitur?* & alioquin omnes quicumque ad contumeliam ecclesiæ Christi errorem aliquem sive verbis, sive factis consulto inducunt, quive ejus divinum venerandumque honorem infringere tentant, judicantur. Hoc igitur præcognoscere oportet, non solum nunc, verum sæpius, idque maxime Iudæos nobis opprobrio vertisse, cum tamen idololatriæ servi, & ministri vere semper extiterint. Non sane aliam ob causam, quam ut fidem nostram inviolabilem contaminent. Cum autem in manufacta invehuntur, eaque auferre student, non hoc agunt, ut divina natura omnibus visibilibus & sensibilibus superior cognoscatur, sed omne studium cultusque

Prov. *1. Cor.* *Prov.* *Matth*

cultuſque eorum huc vertitur, quo divinam naturam humilient: ſed nos ſatius fuerit relinquere. quid enim aliud quam canes ſunt, latrantes contra ovile Chriſti? Sarracenis autem (quandoquidem & ipſi de ea re aliquid dicere velle videntur) ſufficiat, quod in eremo lapidi inanimato ſacrificia faciant, acclamentque hanc vocem, Chobar: quod a patribus acceptum, per puerilia myſteria & feſta peragunt. Chriſtianis vero, quibus per univerſum orbem terrarum, ſub unum euangelii jugum videlicet (ut propheta inquit) ſervientibus Deo, character propriiſſimus eſt fides & confeſſio in unum Deum Patrem, Filium, & ſanctum Spiritum, Trinitatem increatam, ſempiternam, incomprehenſibilem, inviſibilem, conſubſtantialem, in eodem throno ſedentem, ſimul etiam confeſſa vera Filii Dei humanitate cum reliquis ſacri ſymboli capitibus, quod populus Chriſti convenienter & myſtice in ſacram anaphoram Deo adducit. Deinde ſpiritualis in nomine trium * Dei principalium hypoſtaſium facta per divinum baptiſma regeneratio, & vivificorum incruenti ſacrificii ſymbolorum divinæ operationis transſumptio, communioque. Per quæ ſane veritatis reſplendet illuminatio, impietatiſque tenebræ diſcutiuntur. Afferens etiam ſecum judicium evidens, quo errores in divinis commiſſi, impietaſque diſcerni poſſit. Hæc igitur cum invicem oppoſita ſint, & ut apoſtolice dixerim, ab initio ſegregavit Deus per medium luminis, & per medium tenebrarum. Dicat nobiſcum beatus euangeliſta Ioannes: *Hæc eſt victoria quæ vicit mundum, fides noſtra*: hæc proponatur nobis, de hac nobis dicatur, ipſa eſt petra, ſupra quam Chriſtus ſuam ædificavit eccleſiam in portas inferni, hoc eſt, impreſſionum & inſultationum contrariæ potentiæ inconcuſſum & incommutabile præſidium. Illinc commune nomen accepimus, quod (ut Iſaias ait) benedicetur. Sic enim inquit: Deum verum benedicent, & non dicibilis ejus naturæ inveſtigabile & incomprehenſibile annuntiabunt, incircumſcriptibile, & quod nulla ratione mutari poteſt, & in plenitudine conſtans, prædicantes ejus ſempiternam potentiam & divinitatem a creatione mundi, juxta ſanctiſſimum apoſtolum, in creaturis intellectam conſiderantes: ita Deo viventi & vero ſervire digni habiti ſumus, idque ea libertate agimus, qua ipſe Chriſtus nos liberavit, honorantes eum & glorificantes, omnem idololatriæ errorem & impietatis abjicientes, cui ſingularis cognitio dicere lapidi: Tu me genuiſti: & ligno, tu me feciſti, ut eſt apud prophetam. neque inſpicere vult in cælum, ut Iſaias clamat, neque cogitare quiſnam ſit qui hæc omnia indicaverit, qui in numerato totum mundum eduxit, omnia nominibus vocari fecit per gloriam & roboris ſui plenitudinem: cujus manus omnem cæleſtem exercitum, ut alius quidam propheta inquit, fecerunt, ut cum bonam & harmonicam omnis creationis illius harmoniam inſpexerimus, per animæ intellectum, & verbum illud productificum, & per illud patrem vere exiſtentem Deum intelligamus & adoremus, ut alibi beatus Athanaſius in ſermone contra idola clariſſime explicat. Quemadmodum igitur nulla communio lumini cum tenebris, neque ulla Chriſto cum Belial concordia: ita nulla Chriſtianis, qui Deum unum inenarrabili gloria & potentia adorantes colunt, cum his qui Deum, ut Deus eſt, effingere & formare intendunt. Et hæc quidem apud prophetam juſtę miſeriæ exiſtimantur: illis enim cor cinis eſt, ut ſcriptum eſt. Quorum hi quidem arbitrantur ſe Deum, facto ſibi idolo recenter ex eo quod non erat, facturos: & eo qualicumque de cauſa evaneſcente & obſcurato, firmiter ſibi non eſſe Deum, perſuaſum habent, niſi confeſtim alium in locum ejus erigant. Et hoc nos aperte divina ſcriptura docet de vituli in deſerto Iſraelitarum formatione, quando ſeditione concitati, contra Aaron dicebant: *Fac nobis Deos qui nos præcedant.* (Exod. 32.) Hoc unum arbitrati, non eſſe Deum neque verum neque falſum, niſi cujus idolum formatum videant, cui etiam poſtea egreſſum ex Ægypto attribuerunt. qua ſane re quid aliud, quam exceſſum impietatis ſuæ indicarint, non video. Hi autem qui gentilis ſuperſtitionis & impietatis turpitudinem ſectabantur, & hanc promovere ſtudebant, in nomine deorum, qui ab eis colebantur, ſtatuas erexerunt, nimirum Iovis, quem patrem & primatem deorum omnium & hominum vocabant, reliquorumque plurimorum, quorum nota ſunt nomina. Quorum culturæ, religiones, & ſacrificia, quid aliud erant, quam ſcortationes, ſcelera, & omnis impuritatis demonſtratio? ne dicam interim puras blaſphemias & libidines, ubi & ſacrificia & cultus erat, hominem diis jugulaſſe. Apud Chriſtianos vero ſanctorum virorum imagines, qui & uſque ad ſanguinem peccato obſtiterunt, ut cum apoſtolo loquar, (Hebr. 12.) quique verbo veritatis miniſtraverunt: dico autem apoſtolos & prophetas, qui pia vita in bonorum operum exercitio fuerunt, quique vere Dei ſervi reperti ſunt: nihil aliud ſunt quam fortitudinis eorum delineatio, ſanctæque diſpenſationis & virtutis figuratio, & ad glorificandum Deum, cui in præſenti hac vita ſervierunt, admonitio & inſtructio. Sermo enim qui bonorum virorum actiones recenſet, juvat audientes, & ad imitationem ſæpius adhortatur. Hoc etiam per frequentem imaginum inſpectionem fieri veriſimile eſt. Nam quæ hiſtorica narratio per auditum docet, ea tacens pictura per imitationem oſtendit. Magnus enim Baſilius inquit, (In orat. in 40. martyres.) ex utroque ad fortitudinem incitari. Brevis, & (ut ita dicam) per ſumma facta narratio, & factorum in imagine per picturam expreſſorum imitatrix demonſtratio, nobis contemplantibus utilis eſt. Nam & per idola falſorum illorum deorum geſta impura demonſtrantur. Nam & qui ſæpe audiverunt ejuſcemodi de ſanctis viris narrari, ſi iterum in imagine iſta repræſentari viderint, in memoriam ea quæ audiverunt & legerunt, reducunt. Quin etiam ignorantes ejuſcemodi, cum objecta fuerit eorum oculis talis contemplatio, cauſam inquirendi & perveſtigandi acquirunt. Præterea ab his vehementius in amorem & laudem Dei (Matth. 5.) concitamur, ita ut per hæc utraque illi qui egregia ſanctorum facta vident aut audiunt, patrem noſtrum qui eſt in cælis, glorificare juxta euangelii vocem cogantur. Legiſlatio autem Moſaica (Num. 15.) populum jubet filamenta hyacinthina ad veſtium fimbrias aſſuere, ut memores ſint juſſorum, & ea cuſtodiant. Multo ſane magis per ſimilitudinariam vim apparentem in pictura ſanctorum virorum, egreſſum glorioſæ cataſtrophes rite videre licet, horumque fidem juxta apoſtolicam doctrinam imitari. (Hebr. 13.) Domini autem juxta carnem formæ characterem figurari in redargu-

ACTIO QUARTA.

argutionem hæreticorum, qui eum in phantastico & non vero corpore venisse delirantes dicunt, quid obest? ita ut & his prosit, qui ad summa divinitatis spirituali speculatione pervenire nequeunt. Indigent enim & hi corporeo quodam intellectu, ad eorum quæ audierunt confirmationem. Mysterium enim quod & cælos tetigit, quodque virtute a sæculis & a generationibus in Deo celatum est omnium conditore, non solum ex auditu fidem habet: *Fides enim* (inquit apostolus) *ex auditu*: verum etiam ex visis in animis videntium imprimitur. (Rom. 10.) Deus enim in carne in mundo apparuit, & creditus est, omnibus sanctior & magis salutaris repertus. Quare & per euangelica præconia de dispensatione ejus, quæ in carne cum hominibus fuit scripta, ad populorum memoriam juvandam, & venerationes gloriæ ejus, & bonitatis erga nos recordationem faciunt, quæ etiam eadem claritate per artificium prædicari possunt, & ad adorationem ejus nos perducere. Non enim colorum & lignorum mixtura adoratur, sed invisibilis Deus, qui in sinu patris existit. (Ioan. 4.) Is enim adorationem suscipit in spiritu & veritate, per ipsum ad patrem nobis aditum gratis dans, qui cum eo adoratur. Nam & Iacob in summitate virgæ Ioseph adorasse dicitur, (Gen. 48. Hebr. 11.) non sane ligno illum cultum exhibens, sed suum amorem in eum indicans, qui habuerat eamdem. Ita etiam sanctitatis Christi & supergloriosæ matris imagines a populo Christiano inspiciuntur, & considerantur, & honore afficiuntur. Quare a longis temporibus sanctissimis ecclesiis eas suscipere visum fuit, neque quidquam adhuc accidit ut prohiberentur. Quin etiam post omnes persecutionum turbulentias, & post fidei confirmatæ ubique libertatem, omnibus synodis universalibus usque ad nostram generationem celebratis, cum multi quoque canones de imaginibus ederentur, numquam tamen quidquam de earum abrogatione statutum est: quod certe, si illicitæ fuissent, fieri debebat. Multa autem de idolis & idolorum statuis & execrationibus earum, in scriptura dicta sunt, quæ etiam & nunc ipsa consuetudine exclusæ sunt: hæc enim ad alienationem a Deo ferebant. (Matth. 28.) Nam qui dicebat, apostolis se adfuturum usque ad consummationem sæculi, profecto hoc ipsum & illis qui ecclesiæ suæ curam gerunt, annuntiavit. Non enim illis corporaliter adfuturus erat usque ad hujus præsentis sæculi transitionem. (Matth. 18.) Item & tribus aut quatuor in nomine illius congregatis, adfuturum se illis dixit. Putasne tantas congregationes zelo bono coeuntes, ut illius cultus propagetur, divina illius inspiratio & ductio reliquit, ne posset consummationem perfectæ confirmationis suæ ecclesiæ, in qua neque macula, neque ruga, neque aliquid tale est, videre? (Ephes. 5.) Neque hanc consuetudinem non paucæ aut ignobiles urbes, verum omnium regionum nobilissimæ & principales ecclesiæ servant. Quod autem res pervetusta sit, historicas scripturarum narrationes in imagine effigiare, adstruit beati Gregorii Nysseni episcopi sermo, in Abraham inscriptionem præ se ferens, in quo de oblatione Isaac in tabula expressa recenset. Quod si autem illorum res ita expressæ sunt, quanto magis miracula dominicæ dispensationis & passionis talem demonstrationem habere debent? Sic etiam athleticæ sanctorum martyrum fortitudines, quæ ad zelum & bonam imitationem aspicientes inducunt, exprimi debent, in quibus habetur etiam generosi & admirandi martyris Anastasii veri pugilatus certamen. At illi forte dicent, necessario esse sanctæ scripturæ mandata sequenda, veluti cum dicitur: *Non facies tibi ipsi idolum, neque similitudinem ullam eorum quæ aut in cælo, aut in terra sunt infra, aut in aquis subter terram; neque adorabis ea, neque ea coles.* (Exod.) Iterum: *Non assumatur nomen domini Dei tui in vanum.* (Ibidem) Et in Deuteron. *Legem meam ne transgrediamini, nec facite vobis sculptam imaginem.* (Deut.) Et hæc quidem illi dicunt. Sed clarum habent intellectum. Naturam enim Dei scimus forma repræsentari non posse, incomprehensibilemque esse; neque honorem aliquem esse, qui illi tamquam viso exhibeatur, sed conjecturis & opinationibus ad corporeas conceptiones ducimur. Prædicens enim illis Moyses: *Custodite diligenter animas, ne quam similitudinem aspiciatis, in die illa qua locutus est dominus ad vos in Choreb, in monte ex medio ignis.* (Ibidem) Hæc præfatus, statim subdidit: *Ne legem transgrediamini, nec facite vobis*: & quæ sequuntur. Hoc quidem ob id, quia recordabatur constructionis vituli: atque ita diligenter hoc inculcavit, ne ex Ægyptiorum consuetudine ad tantam impietatem redirent, divinaque illis arbitrarentur similia. Hoc & magnus apostolus in oratione ad populum Atheniensem habita ait: *Genus igitur cum simus Dei, argento, auro, lapidi, aut figuræ artis, aut excogitationis hominis, divinum esse simile existimari non oportebit.* (Act.) Eumdem intellectum habet & illud: *Non accipies nomen domini Dei tui in vanum.* (Exod.) hoc est, non vocabis aut autumabis Deum, in quo nihil divinitatis existit, sed vana opinione & falsa appellatione hoc dignaberis. *Nobis autem*, ut magnus docet apostolus, *unus Deus pater, ex quo cuncta: & unus dominus Iesus Christus, per quem omnia*: (1 Cor.) & unus Spiritus sanctus, in quo universa. Naturalis autem diversitas per præpositionum commutationem ne sit inducta. Etenim tria hæc, unus Deus inter se invicem intellecta sunt, ut sapiens docet Gregorius. Nulli igitur nomen illud super omne nomen existens, populus Christi in hunc usque diem, præterquam ad sanctam vivificantem Trinitatem retulit. Absit ut hoc faciat. Vbique cum verbum hoc, λατρεύειν, divina scriptura ponit, tantummodo dictis assignat, quo a nobis alienum, & non communem, indicet hunc errorem. Manifesta enim est quæ sit latriæ idolorum ratio. Apud nos autem unus Deus adorandus, una & in eum fides, unum salutare baptisma: sic quoque una, quæ illi debetur, latria, quemadmodum a sanctis apostolis traditum est, & hactenus servatur. Laudationisque sacrificium, quod per Christum Deo patri repræsentari inquit divinus apostolus, quid aliud est, quam labiorum nomen illius confitentium fructus, (Hebr.) & in vivificis mysteriis divinissima traditio, quam præsignificavit Malachias propheta, veluti ex persona loquens Dei: *Ab oriente sole usque ad occasum in gentibus glorificatum est nomen meum, & in omni loco sacrificium offertur nomini meo?* (Mala[ch.]) Sacrificium inquam, purum. Nulla itaque confœderatio templo Dei, hoc est, illius ecclesiæ cum idolis. (2. Co[r.]) Absit. Ipsa enim columna & firmamentum veritatis apostolice nominatur: (1 Tim.) *Idolorum autem nomina*, ut Zacharias clamat, *de terra auferentur*, (Zach.) quando omnis locus domui David, hoc est, ecclesiæ Christi, cujus domus sumus

mus nos, per traditionem fidei aperietur. Huc A faciunt omnino, quæ in sapientia Salomonis, & apud magniloquum Isaiam reperiuntur. Illic enim dicitur: *Principium scortationis, respectus idolorum: desiderium eorum, corruptio vitæ. Neque enim erat a principio, neque in perpetuum erit. Vanitas enim hominum ingressa est mundum. Et propter hoc, brevis finis illis deputatus est*, &c. In propheta autem: *Confutabuntur omnes qui sculptilem Deum aut faciunt, aut conflant, & omnes qui inde generantur exsiccati sunt, & fabri ab hominibus facti sunt*; & reliqua: hoc est, fabri lignarii artis industria, & lignorum quorum usus ad ministerium hominum, in formam viri transformatur, & tripudium insipientiæ adorantium ea. Quibus infertur: *Videte, ne dicatis, mendacium in dextera mea.* Quod præmissæ impietatis veluti subversionem induxit. Nos autem cognoscentes & credentes filium Dei, quod sit veritas & dextera patris, alieni a damnatione prophetica demonstramur. Et ob id valde opportune propheticam orationem usurpavero: *Quid paleis ad triticum?* quæ familiaritas sufflatæ a spiritibus nequitiæ, instabilis levitatis colentium creaturam, præterito creatore, ad veræ divinitatis cognitionis nutriens verbum, quod in omni Christi populo invenitur? Illi enim sunt, de quibus Isaias ait: *In verticibus montium sacrificaverunt; & super colles incensum fecerunt. Sub quercu & populo, subter arbore subumbrante, quia bona tegmenta erant*, quemadmodum alius C propheta contemporaneus Isaiæ clamat. Populus autem Christi, regi sæculorum incorruptibili, invisibili, uni sapienti Deo adorationis cultum exhibet, in spiritu & veritate adorando, omnemque laudationem & glorificationem vivificæ Trinitati incessanter offerens. Ea vero quę extra sapientiam de idolis jactantur, brevem finem habent. Nam eorum obscuratio, & quod amplius esse non poterant, non aliunde quam ex Christi Iesu magni Dei & servatoris nostri apparitione factum est; quam etiam ecclesia illius a principio usque ad totius mundi terminum, sanguine illius redempta, per omnia confitetur & D gloriose prædicat. Non igitur in illa scripta idolorum damnatione vituperationeq; verus & germanus Trinitatis adorator populus Christi se notari putabit, quod sanctorum virorum imagines in recordationem virtutis eorum habeat. Neque etiam beato apostolo Paulo carnalem circumcisionem prohibenti, & illis qui per legem justificari volebant minanti, circumcisio Timothei, legalis tonsura, sacrificium in templum inducere, reprehensionem aliquam aut condemnationem conciliavit. Non enim simpliciter designata inspicere oportet, sed undique rerum intentio probanda est. nam qui causam offerentemq; non inspicit, sæpe contraria judicat. Qui vero ita non fa- E ciunt, fortasse apud hos ipsius quidem Dei mandatum irreprehensum nequaquam videbitur: siquidem lege sculptile & conflatile interdicente, subjicitur, cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium, ut apostolus inquit. Hæc enim ejus apparatus fuerunt, quibus divinam gloriam vectam fuisse non solum ex scriptura docemur, sed & divus Athanasius psalmicum hoc verbum exponens: *Qui sedes super cherubim, appareas*: talem de his tradit sententiam. Etenim cherubim illorum exemplaria, ignota juxta naturam omnibus hominibus existentia, spiritus & ignis existunt, & ab omni corporea figuratione & natura

aliena, ea quæ de ipsis a propheta corporalius dicuntur, symbolicum & altius ductum sensum habent. Aliter enim intelligere juxta sacram & corporeis non decentem rationem oportet. Illud vero necessarium est ut dicatur, nequaquam Christianos suorum juxta carnem, aut cognatorum, aut amicorum, aut familiarium figuram pingentes, illam aut colere, aut honore aliquo dignam ducere: imo ne imperatorum quidem jussibus obedientes, potestati talia tribuunt: in quibus sane culpabiles inveniuntur, qui dicentes se sapientes, infatuati sunt, & gloriam Dei incorruptibilis cum similitudine corruptibilis hominis commutarunt, ut inquit apostolus. Adeo ex hac re scire licet, nobis non licere prædictam scripturā in calumniam rapere. Igitur si de Deo pias opiniones ad id quod corporalius est, transponimus; aut Deo decentem gloriam & servitium relinquentes, aut aliqua ratione imminuentes hujusmodi argumento deprehendimur: recte utique auferentur, quæ nos vacare faciunt, & abducunt a cultura & assiduitate erga unum & verum Deum. Nunc vero contrarium fieri videmus, Nam si quispiam cum scientia, sanctorum alicujus imaginem inspexerit, recte Deum laudans dicet; Gloria tibi Deus; nomenque sancti apponet. Vt per hunc modum, id quod in precatione a nobis dicitur, impleatur, ut per visibilia & invisibilia ter sanctum nomen Christi glorificetur. Verum neque sanctorum virorum aliquem Deum appellari sustinuerimus. Proprie enim & vere ejuscemodi appellatio Deo convenit: & iis qui faciunt quod Deo placeant, Deus id nomen tradidit, ut in psalmorum sacro codice scriptum est. Neque rursus, ut sufficientem existimantes cognitionis Dei assertionem, ejuscemodi imagines habentes, despicimus in ecclesiis Dei populi congregationes & concursum: imo in eis diu noctuque, & ut cum psalmographo melius dixerim, vesperi & mane & meridie benedicere Deum oportebit, maxime autem in divinis mysteriis & sacris officiis, dum hæc, inquam, peraguntur. Sed certo sciamus, non aliunde nobis spem salutis accedere, nisi ex pia fidei confessione, quæ fit erga Deum verum & unum in Trinitate adoratum: fidei dico confessionem, quæ partim in corde consistit, partim per os profertur: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Semper laudem ejus qui nos fecit, in ore ferentes, & exaltationes ejus in gutture habentes, omnis populus Christi in transsumptione sanguinis & corporis ejus, per quam, memoriam mortis & resurrectionis illius juxta suam traditionem celebrāmus, insatiabili desiderio & a Deo incitato studio ad ea incitatur, magis quam ad fontes aquarum cervus. Verum ne quempiam offendat, quod ante sanctorum imagines lumina & suaveolentia thymiamata accenduntur. Symbolicos enim ista fieri in honorem illorum opinandum est, quorum cum Christo requies, quorum honor ad ipsum recurrit, hoc ipsum testante sapiente Basilio, quod erga conservos bonos honor, erga ipsum dominum commune benevolentiæ signum exhibet. Sensibilia enim lumina symbolum sunt immaterialis illius & a Deo dati luminis. aromatum autem incensio sincerum & totum sancti Spiritus afflatum & repletionem significat. Et hæc quidem veluti contra subornatas contradictiones, & ex scripturis hinc illinc acceptas objectiones

Marginalia: ACTIO QUARTA. — Rom. 1. — Psalm. 81. — Psalm. 54. — Rom. 10. — Psalm 149. — Luc. 22. — Psal. 41. — Hom. in Gordium mart.

ACTIO QVARTA. Matth. 18. nes scribere nobis permisimus; adhortantes, ut A sine scandalo & sine turbatione cum populo conversemur, quando etiam ne unum ex pusillis despiciendum Deus prohibet. Similiter scandalizare aliquem intolerabile & horrendum judicium affert illis qui intendunt. Nunc autem & totæ civitates, & hominum congregationes non parum hac de re tumultuantur. Caveamus autem nos omni studio, ne hujus rei auctores simus. Ante omnia vero providendum est, ne a sententia permuteris, ne ex hoc inimici nostri & hostes crucis Christi supercilium elevent contra fidem nostram, dicantque: Hucusque Christiani erraverunt: nisi enim institutum suum idololatriam cognovissent, non sane nunc manufacta abjicerent. Quod ipsum quantum contumeliæ subversionisque fidei in Christum conciliat, quivis agnoscere potest. Nam qui semel erraverint, eos in viam reducere difficile est, ut qui a veritate alienantur. Quid autem dicere oportet, cum videamus reges nostros & imperatores, ex propria erga Deum affectione, pro sua statua salutiferam crucem gloriationem sæculi erexisse? Summa autem rerum in hoc concludi potest, quod extra omnem controversiam est, sanctorum imagines mirifica designare miracula, ut & debilibus valetudo bona per eos conciliętur, sæpeque in somnis apparentes optima quæque nobis consulant. Extra omnem controversiam est in Sozopoli Pisidiæ civitate imago virginis matris intemeratæ, quæ ex picta etiam manu sua unguentorum scaturiginem effundit. Cujus sane miraculi plures testes sunt. Hæc omnia sancti per fidem operati sunt in mundo, ut in actis apostolicis legimus: cujus rei etiam evidens testimonium est umbra vestimentorum, & sudaria sanitates largientia. Quod igitur non omnis corporis umbra, neque quælibet sudaria id possint, facile videt is, qui, quæ fides fuerit utriusque erga Deum, animadverterit, ut qui ejusceemodi gratiam per inanimata illa indicaverit. Quamobrem credendum est, & per imagines quoque talia a Deo designari. non per quaslibet tamen picturas aut imaginum species ejusmodi fiunt, sed sanctorum effigies repræsentantium tantum, aut Iesu Christi. Neque etiam ob hujuscemodi curationes spontaneas esse credendum est, sed tantummodo ex Dei gratia. Dignum autem est (ut arbitror) & id recensere, quod apud Pamphili Eusebium historice scriptum est in historia ecclesiastica. In Paneade enim civitate, quam & Cæsaream Philippi euangelium vocat, dicitur fuisse domus hæmorrhoissæ, hoc est, laborantis profluvio sanguinis mulieris, quæ tacta fimbria servatoris sanata est, quemadmodum euangelium testatur. Pro foribus autem domus aiunt ex ære fusam imaginem stare, quæ domini nostri effigiem repræsentat: ex adverso vero statua ejusdem materiæ, mulieris genibus provolutæ, palmasque suppliciter tendentis, expressa est, idque in memoriam miraculi illius, quod circa ipsam factum est; quamobrem & ejusdem procuratione facta est. Sub pedibus autem (veluti apparet) statuæ dominicæ herba quædam excrescit, peregrina specie, neque satis cognobilis, quæ omnium morborum remedia & curationes exhibet: quod & ipse Eusebius oculis se vidisse tradit. Manifestum autem est, quod ex insigni Dei misericordia ejuscemodi dona contingunt, quemadmodum nobis in superioribus demonstratum est.

Hebr. 11. — Act. 5. — Eusebius l. 7. cap 14. — Matth. 16. — Matth. 9. — loco sup. citato.

Idem in eodem libro Eusebius scripsit, se apostolorum Petri & Pauli, item ipsius domini nostri Iesu Christi ex coloribus depictas imagines vidisse: asserit autem ea specie, qua putantur fuisse. Hæc autem non dicimus, quod arbitremur nobis circa ærearum statuarum operositatem laborandum, sed tantummodo ut admoneamus sanctitatem tuam veterem consuetudinem non esse rejiciendam. Deus enim & veritatis dominus in omnem veritatem te deducet, omnesque ambiguitates & disceprandi occasiones ab animo tuo auferet, si unanimiter nobiscum ad veritatis rationem indagandam descendas, B cujus regnum benedictum est in perpetuum.

Sanctissimus patriarcha dixit: Custodes catholicæ ecclesiæ sancti patres nobis acclamarunt, ex superna illa prudentia in præsidiis suis vigilantes; omnemque vaniloquorum exercitum dissiparunt. Suam autem custodiam inconvulsam servantes, phalanges hostium persecuti sunt: simul etiam cum antiquis hæresibus & hanc Christianorum accusatorum novitiam improbitatem gladio spiritus abstulerunt. Dicamus igitur omnes una voce cum sacro nostro doctore Paulo: *Pax nostra Christus, qui ex duobus unum fecit.* Ephes. C Illum omnis gloria, & cum Patre & sancto Spiritu, nunc & in sæcula sæculorum, omnis decet adoratio.

Sancta synodus dixit: Diviniloquorum patrum doctrinæ nos correxerunt; ex iis veritatem haurientes, admoniti sumus: ipsis adhærentes, mendacium persecuti sumus, ab iis eruditi venerandas imagines salutamus, patribus annuntiantibus bona filiis obedientes sumus: gloriamur autem in facie matris, sanctæque traditionis ecclesię, credentes unum Deum in Trinitate laudatum. Venerandas imagines veneramur. Qui sic non credunt, anathema. qui aliter sentiunt, longe ab ecclesia abjiciantur. Nos veteri ecclesiæ legislationi insistamus. Nos statuta patrum conservemus. Nos qui addunt aut auferunt aliquid de ecclesia, anathematizamus. D Nos nuperam Christianorum accusatorum inventionem anathematizamus. Nos venerandas imagines salutamus. Nos, qui sic nolunt, anathemati subjicimus. Christianorum accusatoribus, videlicet iconoclastis, anathema. Qui ex scriptura sententias contra idola dictas, in sanctas imagines torquent, anathema. Qui sacras imagines idola vocant, anathema. Qui dicunt Christianos tamquam deos imagines amplecti, anathema. Qui communionem habent cum iis qui sanctas imagines rejiciunt aut contemnunt, anathema. Qui dicunt, præter Christum aliquem nos a cultu idolorum liberasse, anathema. Qui dicere audent sanctam catholicam ecclesiam idola unquam accepisse, anathema. Cum E autem anathematismi prędentes essent ex charta dicti, sancta synodus iterum subjecta legente Euthymio episcopo Sardésium exclamavit: Domini & servatoris nostri divinam ordinationem sancti patres nostri perficientes, candelam cognitionis ab eo datam non sub modio celarunt, sed super lucernam utilissimæ doctrinæ posuerunt, ut omnibus in domo, hoc est, catholica ecclesia genitis luceat, ut nemo ex iis qui pie confitentur dominum, ad lapidem hæreticę pravitatis pedem impingat. Ipsi omnem hæreticorum errorem expulerunt; ipsi putridum membrum, quatenus curari non poterat, absciderunt: Matth. Marc. Luc.

runt; & ventilabrum in manu ferentes, aream ejus expurgarunt: frumentum autem, hoc est, verbum nutribile, quod mentes hominum firmat, in horreo catholicæ ecclesiæ concluserunt, paleas autem hæreticæ pravitatis ejicientes, combusserunt eas igni inextinguibili. Quapropter sancta synodus Dei voluntate, & piissimorum nostrorum imperatorum Irenæ novæ Helenæ, & Constantini novi jussu, in Nicensium splendida metropoli secundo congregata, per lectiones cognitis sanctorum patrum decretis, ipsum Deum glorificet, a quo illis datum est verbum ad nostram instructionem, & ad perfectionem sanctæ & catholicæ ecclesiæ. Qui vero sic non sunt animati, sed veritatem ob novitia dogmata rejiciunt, eis psalmographi hoc occinemus: *Quantas improbitates hostes in sancto tuo cogitarunt, gloriati sunt cum dicerent, non est amplius qui docet?* Sed nos ignoramus dolos eorum, qui secundum patrum traditionem incedentes, uno ore atque corde veritatem annuntiamus, nihil auferentes aut addentes ad ea; sed his consentimus, his adhæremus, sic probamus nostra, sic confitemur, quemadmodum sex sacræ universales synodi confitentur.

Credimus autem in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem. & in unum dominum Iesum Christum Filium unigenitum, Verbum ejus, per quod cuncta creata sunt. in sanctum Spiritum vivificantem dominum, &c. Salutamus etiam sanctas dominicas, apostolicas & propheticas, item sanctorum, præcipue autem dominæ nostræ deiparæ imagines, quæ nobis veluti exemplaria sunt. & instructiones bonorum operum imitationis & fidei erga Christum; omnem idololatriam execrantes, & latriam solam Christo tribuentes & Deo Patri & Spiritui sancto, tamquam uni Deo, cui honor & laus in sæcula.

Petrus primas presbyterorum in sancta Romana ecclesia subscripsit Romane, cujus hæc est interpretatio: In nomine domini nostri Iesu Christi, Petrus Dei miseratione archipresbyter sanctæ Dei apostolicæ & catholicæ ecclesiæ, & locum retinens Hadriani sanctissimi papæ veteris Romæ, omnes qui ex priori iconoclastarum hæresi resipiscunt, suscipiens, & venerandas imagines admittens juxta traditionem patrum, subscripsi.

Petrus miseratione divina presbyter & præses monasterii sancti Sabbæ, locum secundum retinens apostolici papæ, dictis ipsis subscripsi.

Tarasius miseratione divina episcopus Constantinopolitanus novæ Romæ, in omnibus prædictis veritatem confessus, libens subscripsi.

Ioannes miseratione divina presbyter, & legatus & locum tenens trium thronorum orientis, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum, omnia approbans & laudans subscripsi.

Thomas miseratione divina presbyter & præses monasterii sancti patris nostri Arsenii, quod est in Ægypto, locum retinens trium orientalium diœcesium, subscripsi.

Agapius indignus episcopus Cæsareæ Cappadociæ, omnia prædicta recipiens, subscripsi.

Ioannes indignus episcopus Ephesi, omnia prædicta recipiens, subscripsi.

Constantinus indignus episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, omnia prædicta recipiens, subscripsi.

Basilius indignus episcopus Ancyræ, omnia

A prædicta recipiens, subscripsi. ACTIO QUARTA.

Nicolaus indignus episcopus Cyzici in eamdem sententiam subscripsi.

Euthymius indignus episcopus Sardensium in eamdem sententiam subscripsi.

Petrus indignus episcopus Nicomediæ in eamdem sententiam subscripsi.

Hypatius indignus episcopus Nicææ in eamdem sententiam subscripsi.

Elias indignus episcopus Cretæ, &c.

Stauracius indignus episc. Calchedonis, &c.

Nicephorus indignus episc. Dyrrachii, &c.

B Epiphanius indignus diaconus ecclesiæ Catanes, locum tenens Sardiniæ, in eamdem sententiam subscripsi.

Leo indignus presbyter & locum retinens metropoleos Sides, omnia prædicta recipiens subscripsi.

Nicolaus indignus monaehus * metropolis Tyanensium, in eamdem sententiam subscripsi. * *for.* locum tenens

Gregorius indignus episc. Neocæsareæ, &c.

Theodorus indignus episcopus Catanes, &c.

Anastasius indignus episcopus Nicopoleos veteris Epiri, in eamdem sententiam subscripsi.

Ioannes indignus episcop. Tauromeniæ, &c.

Gregorius indignus episc. Pissinunton, &c.

C Basilius indignus episcopus Sylæi in eamdem sententiam subscripsi.

Theodorus indignus episcopus Myron in eamdem sententiam, &c.

Leo indignus episcopus Rhodi, &c.

Eustathius indignus episcopus Laodiceæ, &c.

Theodorus indignus episcopus Seleuciæ in eamdem sententiam, &c.

Nicolaus indignus episcopus Amorsi, &c.

Theodosius indignus episc. Hierapoleos, &c.

Nicetas indignus episcopus Claudiopoleos in eamdem sententiam subscripsi.

Michael indignus episcopus Synnadon in eamdem sententiam, &c.

Leo indignus episcopus Iconii, &c.

Georgius indignus episcopus Pisidiæ, &c.

D Constantinus indignus episcopus Perges in eamdem sententiam, &c.

Eustratius indignus episc. Methymnes, &c.

Theotimus indignus episc. Crotonum, &c.

Leon indignus episcopus Chii in eamdem sententiam subscripsi.

Basilius indignus episcopus Nesion in eamdem sententiam subscripsi.

Ioannes indignus episcopus Apron in eamdem sententiam subscripsi.

Ignatius indignus episcopus Prienes in eamdem sententiam subscripsi.

Theophylactus indignus ep. * Cypselon, &c. * Cypsalon

Theodorus indignus ep. Trophæorum, &c.

Stephanus indignus episcopus Sugdaon in eamdem sententiam, &c.

E Sergius indignus episcopus Nicoteron, &c.

Georgius presbyter, locum retinens Nicopoleos, &c.

Leo indignus episcopus Mesembriæ in eamdem sententiam subscripsi.

Theodorus indignus episcopus Amorii, &c.

Cyriacus indignus episcopus Driziparon, &c.

Galatas presbyter in locum Regii, &c.

Theodosius indignus episcopus Nyssæ, &c.

Georgius indignus episcopus Camulianorum, &c.

Soterichus indignus episcopus Ciscesson, &c.

ACTIO QVARTA.

Conſtantinus indignus epiſcopus Maſtauron, A in eamdem, &c.
Georgius indignus epiſcopus Briulon in eamdem ſententiam, &c.
Ioannes indignus epiſcopus Nyſſæ in eamdem ſententiam ſubſcripſi.
Baſilius indignus epiſcopus Magneſiæ, quæ eſt prope Mæandrum, in eamdem ſententiam ſubſcripſi.
Theophanes indignus epiſcopus Caloes, &c.
Leo indignus epiſcopus Algizon in eamdem ſententiam, &c.
Nicodemus indignus epiſcopus Eugazon, &c.
Lycaſtus indignus epiſcopus Barilon, &c.
Theophylactus indignus epiſcopus Hypæpon in eamdem ſententiam, &c. B
Theophanes indignus epiſcop. Lebedon, &c.
Stratonicus indignus epiſcopus Cymes, &c.
Coſmas indignus epiſcopus Myrrhines, &c.
Olbianus indignus epiſcopus Elææ, &c.
Pardus indignus epiſcopus Pittanes, &c.
Baſilius indignus epiſcopus Pergami, &c.
Marianus indignus epiſcopus Antandri, &c.
Baſilius indignus epiſcopus * Atramiti, &c. (* for. Adramytti)
Ioannes indignus epiſcopus Aſſi in eamdem ſententiam ſubſcripſi.
Leo indignus epiſcopus Phoceæ, &c.
Nicephorus indignus epiſcop. Gargaron, &c.
Conſtantinus indignus epiſcopus * Agaes, &c. (* Ægeon * Ægeæ)
Theognius indignus epiſcopus Sion, &c. C
Ioannes indignus epiſcopus Rhædeſti, &c.
Ioannes indignus epiſcopus Panii, &c.
Melchiſedec indignus epiſcopus Calliopoleos, &c.
Leo indignus epiſcopus Madyti, &c.
Theophylactus indignus epiſcopus Caſiupoleos, &c.
Thomas indignus epiſcopus Danii, &c.
Gregorius indignus epiſcopus Theodoropoleos, &c.
Siſinnius indignus epiſcopus * Chalcidos, &c. (* Colchidos,)
Ioannes indignus epiſcopus Bryſeos, &c.
Benjamin indignus epiſcopus Lizicon, &c.
Gregorius indignus epiſc. Amaſtridos, &c. D
Stephanus indignus epiſcopus Soron, &c.
Gregorius indignus epiſcopus Dercon, &c.
Heraclius indignus epiſcop. Iunopoleos, &c.
Conſtantinus indignus epiſcopus Heliopoleos, &c.
Antonius indignus epiſcopus Trœzenes in eamdem ſententiam ſubſcripſi.
Nicetas indignus epiſcopus Nacoliæ in eamdem ſententiam ſubſcripſi.
Petrus indignus epiſcopus Aſpones, &c.
Syneſius indignus epiſcopus Cynes, &c.
Syneſius indignus epiſcopus Anaſtaſiopoleos, &c.
Euſtathius indignus epiſcopus Solorum, &c.
Theodorus indignus epiſcopus Cicutii, &c.
Baſilius indignus epiſc. * Trimithunton, &c. E (* Thremethunton,)
Alexander indignus epiſc. Amathunton, &c.
Michael indignus epiſcopus Melitupoleos in eamdem ſententiam ſubſcripſi.
Siſinnius indignus epiſcopus Adranias, &c.
Theodorus indignus epiſcopus Germes in eamdem ſententiam, &c.
Gregorius indignus epiſc. Adrianitheron, &c.
Leo indignus epiſcopus Pœmanii, &c.
Simeon indignus epiſcopus Oces,
Ioannes indignus epiſcopus Lampſaci, &c.
Nicetas indignus epiſcopus Ilii, &c.

Leo indignus epiſcopus Troados, &c.
Theodorus indignus epiſcopus Abydi, &c.
Anaſtaſius indignus epiſcopus Tripoleos, &c.
Leo indignus epiſcopus Traculon, &c.
Stephanus indignus epiſcopus Salon, &c.
Ioannes indignus epiſcopus Abalon, &c.
Stephanus indignus epiſcopus Silandi in eamdem ſententiam, &c.
Nicolaus indignus epiſc. Pericommatos, &c.
Ioannes indignus epiſcopus Sethon, &c.
Baſilius indignus epiſcopus Liparon in eamdem ſententiam ſubſcripſi.
Theophanes indignus epiſcopus Meoniæ, &c.
Michael indignus epiſcopus Stratonices, &c.
Lycaſtus indignus epiſcop. Philadelphiæ, &c.
Michael indignus epiſcopus Troalon, &c.
Gregorius indignus epiſcopus Gordon, &c.
Ioannes indignus epiſcopus Daldes in eamdem ſententiam ſubſcripſi.
Euſtathius indignus epiſcopus Hyrcanes in eamdem ſententiam, &c.
Ioſeph indignus epiſcopus Attaliæ, &c.
Zacharias indignus epiſc. Hierocæſareæ, &c.
Davidus indignus epiſcop. Helenupoleos, &c.
Criton indignus epiſcopus Lophi, &c.
Theophylactus indignus epiſcopus Apolloniados, &c.
Conſtantinus indignus epiſcopus Cæſareæ Bithyniæ, &c.
Georgius indignus epiſc. Baſilinupoleos, &c.
Leo indignus epiſcopus Ariſtes, &c.
Nicephorus indignus epiſc. * Adrianis, &c. (* Ad[...] Thra[...])
Baſilius in locum Daſcylii, &c.
Chriſtophorus indignus epiſcopus Ceraſenes in eamdem ſententiam, &c.
Nicetas indignus epiſcopus Meles, &c.
Neophytus indignus epiſc. Gordoſerbon, &c.
Leo indignus epiſcopus Linoes in eamdem ſententiam, &c.
Ioannes indignus epiſcopus Etennon, &c.
Conſtantinus indignus epiſcopus Zelon in eamdem ſententiam, &c.
Gregorius indignus epiſcopus Sinopes, &c.
Conſtantinus indignus epiſcop. Saſimon, &c.
Nicetas indignus epiſcopus Dadribon in eamdem ſententiam ſubſcripſi.
Theophilus indignus epiſc. Pluſiados, &c.
Nicetas indignus epiſc. Adrianupoleos, &c.
Ioannes indignus epiſc. Heracleæ Ponti, &c.
Conſtantinus indignus epiſcopus Cratiæ, &c.
Nicetas indignus epiſcopus Ruzæi in eamdem ſententiam ſubſcripſi.
Nicephorus indignus epiſcopus Claneon in eamdem ſententiam, &c.
Leo indignus epiſcopus Trocnadon, &c.
Anaſtaſius indignus epiſc. Patarachon, &c.
Georgius indignus epiſcopus Niſſoi in eamdem ſententiam ſubſcripſi.
Theodorus indignus epiſcopus Pimiaron, &c.
Nicodemus indignus epiſc. Didymon, &c.
Georgius indignus epiſcopus * Vinandi, &c. (* Vni[...])
Conſtantinus indignus epiſc. Candibon, &c.
Stauracius indignus epiſc. Zenopoleos, &c.
Leo indignus epiſcopus Lamiron in eamdem ſententiam ſubſcripſi.
Stephanus indignus epiſcopus Caunon, &c.
Conſtantinus indignus epiſc. Combon, &c.
Petrus indignus epiſcopus Orycandi, &c.
Ioannes indignus epiſcopus * Phaſilidos in eamdem ſententiam ſubſcripſi. (* Phal[...]dos)
Abbas locum retinens metropolis Tii, &c.

Gregorius

Gregorius indignus episcopus Cybirres, &c.
Basilius indignus episcopus Tabon in eamdem sententiam subscripsi.
Dorotheus indignus episcopus Neapoleos, &c.
Gregorius indignus episcopus Heracleæ in eamdem sententiam subscripsi.
David indignus episcopus Iassi in eamdem sententiam subscripsi.
Gregorius indignus episcopus Mylasses, &c.
Sergius indignus episcopus Vigiliarum, &c.
Ioannes indignus episcopus Mibdi, &c.
Stauracius indignus episcopus Stadiæ, &c.
Gregorius indignus episcopus Stratoniceæ, &c.
Theodosius indignus episcopus Chonon, &c.
Michael indignus episcopus Chæretopon, &c.
Pantaleon indignus episcopus Valentiæ, &c.
Georgius indignus episcopus Peltarum in eamdem sententiam, &c.
Christophorus indignus episcopus Atanassi, &c.
Leontius indignus episcopus Eumeniæ in eamdem sententiam, &c.
Gregorius indignus episcopus Timæn ferarum in eamdem, &c.
Leo indignus episcopus Tranupoleos, &c.
Nicephorus indignus episcopus Lundon, &c.
Georgius indignus episcopus Appię in eamdem sententiam subscripsi.
Constantinus indignus episcopus Eucarpiæ, &c.
Leo indignus episcopus Aleus in eamdem sententiam subscripsi.
Michael indignus episcopus Hierapoleos, &c.
Christophorus indignus episcopus Promisi in eamdem, &c.
Nicolaus indignus episcopus Phytiæ in eamdem sententiam subscripsi.
Theophylactus indignus episc. Cinnabari, &c.
Nicetas indignus episcopus Augustopoleos, &c.
Constantinus indignus episcopus Cotyæi in eamdem sententiam subscripsi.
Georgius indignus episcopus * Mediæi, &c.
Leo indignus episcopus Docimi, &c.
Damianus indignus episcopus Meri, &c.
Theophylactus œconomus, & locum tenens Ipsi, in eamdem sententiam subscripsi.
Stephanus designatus Itri, &c.
Theophylactus Dei indignus diaconus, locum tenens metropolis Tyanensium, in eamdem, &c.
Leo indignus episcopus Carpathi in eamdem sententiam, &c.
Christophorus indignus episcopus Phasidos in eamdem, &c.
Theodorus indignus episcopus Catanes, &c.
Manuel indignus episcopus Adrianopoleos Thraciæ, in eamdem sententiam subscripsi.
Maurianus indignus episcopus Pompeiopoleos, in eamdem, &c.
Cyrillus in locum indigni episcopi Gotthiæ, in eamdem sententiam subscripsi.
Theodorus indignus episcopus Byzies, &c.
Ioannes indignus episcopus Tauromeniæ in eamdem, &c.
Georgius presbyter, locum retinens episcopatus Smyrnes, in eamdem sententiam, &c.
Gaudiosus indignus episcopus Messenæ Siculus in eamdem sententiam subscripsi.
Eustratius indignus episcopus Apameæ in eamdem sententiam subscripsi.
Petrus indignus episcopus Germion, &c.
Ioannes diaconus & locum retinens Apostolopoleos, in eamdem sententiam subscripsi.
Theodorus indignus episcopus Panormi in eamdem sententiam subscripsi.

Ioannes indignus episcopus Arcadiopoleos, &c.
Stephanus indignus episcopus Bibonum, &c.
Sisinnius indignus episcopus Parii, &c.
Constantinus indignus episcopus Leontenæ in eamdem sententiam subscripsi.
Epiphanius indignus episcopus Mileti, &c.
Nicetas indignus episcopus Prœconnesi, &c.
Theodorus indignus episcopus Taurianes, &c.
Christophorus indignus episcopus * Adryaces, &c.
Ioannes designatus Hectorii, &c.
Constantinus indignus episcop. Ampladon, &c.
Epiphanius indignus episcopus Perten, &c.
Sisinnius indignus episcopus Philomelii, in eamdem, &c.
Ioannes indignus episcopus Sibliæ, &c.
Michael indignus episcopus Papporum, &c.
Theodorus indignus episcopus Sagalassi, &c.
Sisinnius indignus episcopus Apameæ, quæ est Ciboti, in eamdem, &c.
Constantinus indignus episcopus Comanes, &c.
Leo œconomus, & locum tenens Sozopoleos, in eamdem sententiam subscripsi.
Marianus indignus episcopus Magydon, &c.
Nicephorus indignus episcopus Phlogon, &c.
Leo indignus episcopus Andidon, &c.
Manzo indignus episcopus Pracanon, &c.
Theodorus indignus episcopus Germanicopoleos, &c.
Eustathius indignus episcopus * Cilindereos, &c.
Zacharias indignus episcopus Trapezupoleos, &c.
Sisinnius indignus episcopus Musdabon, &c.
Eustathius indignus episcopus Lamon, &c.
Stephanus indignus episcopus Philadelphiæ, in eamdem, &c.
Leo indignus episcopus Sibyllon, &c.
Theodorus indignus episcopus Tiberiopoleos, &c.
Ioannes indignus episcopus Asanon, &c.
Basilius indignus episcopus Dionysiopoleos, &c.
Manuel indignus episcopus Nicopoleos, &c.
Eustratius indignus episcopus Debelti, &c.
Theodorus indignus episc. Bulgarophygi, &c.
Georgius indignus episcopus Plutinopoleos, &c.
Basilius indignus episcopus * Perbereos, &c.
Michael indignus episcopus * Pamphili, &c.
* Ruben indignus episcopus Scopeli, &c.
Sisinnius indignus episcopus Garalles, &c.
Petrus indignus episcopus Monembasiæ, &c.
Gabriel indignus episcopus Æginæ, &c.
Leo indignus episcopus Porthmi, &c.
Dardanius indignus episcopus Dobon, &c.
Andronicus indignus episc. Leontopoleos, &c.
Leo indignus episcopus Sebastæ, &c.
Nicetas indignus episcopus Halicarnassi, &c.
Leo indignus episcopus Corydalon, &c.
Theodorus indignus episcopus Cremon, &c.
Constantinus indignus episcopus Adrianes in eamdem sententiam subscripsi.
Sabas monachus & pręses Studii, similiter subscripsi.
Simeon præses Choræ in eamdem sententiam subscripsi.
Gregorius præses Hormisdę in eamdem sententiam subscripsi.
Ioannes præses Pagurii in eamdem, &c.
Eustathius præses Maximini in eamdem sententiam subscripsi.
Ioseph pręses Heraclii in eamdem, &c.
Thomas monachus ex persona Ioannis præsidis Lacus Anserini, in eamdem, &c.

Marginal notes: ACTIO QUARTA. — * Andryacæ vel Adriæ, — * Celendereos, — * Perbireos, * f. Pamphyliæ, * Rubim

ACTIO QUARTA.

Plato præses & archimandrita Sacri in eamdem sententiam subscripsi.
Theodorus præses Pandiorum in eamdem sententiam subscripsi.
Macarius præses Budanum in eamdem sententiam subscripsi.
Gregorius preses monachorum sancti Hyacinthi, in eamdem sententiam subscripsi.
Theodorus præses Badis in eamdem, &c.
Michael præses sancti Petri in eamdem, &c.
Antonius præses monasterii Dii in eamdem sententiam subscripsi.
Victor preses Gudilorum in eamdem, &c.
Victor præses sancti Alexandri in eamdem sententiam subscripsi.
Theoctistus præses Auleti in eamdem, &c.
B Stephanus præses Careonis in eamdem, &c.
Theophylactus præses sancti Eliæ in eamdem sententiam subscripsi.
Paulus præses Bathylei in eamdem, &c.
Laurentius præses sancti Laurentii in eamdem sententiam subscripsi.
Gregorius præses Callistrati in eamdem sententiam subscripsi.
Sisinnius præses Aretes in eamdem, &c.
Bannes præses Thermarum in eamdem sententiam subscripsi.
Stephanus præses Thermizon in eamdem sententiam subscripsi.
Strategius monachus sanctæ Sion in eamdem sententiam subscripsi.
Ioseph præses Vigilantium in eamdem, &c.
Theophylactus monachus Catharorum in eamdem sententiam subscripsi.
Constantinus præses Calabrorum in eamdem sententiam subscripsi.
Hilarion præses Flori in eamdem, &c.
Theodorus præses Aridi horti in eamdem sententiam subscripsi.
Victor præses sancti Eliæ in eamdem sententiam subscripsi.
Constantinus præses sancti Cyriaci in eamdem sententiam subscripsi.
Nicephorus præses sanctæ Deiparæ in eamdem sententiam subscripsi.
Ioannes præses Chenolacci in eamdem, &c.
Stephanus præses sancti Ceryci in eamdem sententiam subscripsi.
Ignatius preses Zitii in eamdem, &c.
Gregorius præses Monagriæ in eamdem, &c.
Anastasius præses Cançorum in eamdem sententiam subscripsi.
Petrus præses Homericorum in eamdem sententiam subscripsi.
Thomas præses Gyragates in eamdem, &c.
Theophylactus præses Thodiæ in eamdem sententiam subscripsi.
David præses sancti Thyrsi in eamdem, &c.
Ioannes præses Faccorum in eamdem, &c.
Gregorius præses Agauron in eamdem, &c.
Dositheus præses Mnemosynes in eamdem sententiam subscripsi.
Theodorus præses Amorrhæi in eamdem sententiam subscripsi.
Constantinus præses sanctorum trium puerorum in eamdem, &c.
Antonius præses Dodecathei in eamdem, &c.
Paulus præses sancti Petri civitatis Pœmaninon in eamdem, &c.
Macarius præses Psarodi in eamdem, &c.
Antonius præses sanctorum apostolorum Magnesiæ, in eamdem, &c.

A Callistus præses diversorum monachorum Cypri, in eamdem, &c.
Daniel præses Columbarii in eamdem sententiam subscripsi.
Ioannes præses sancti Vitalis in eamdem sententiam subscripsi.
Theodorus præses Lemni in eamdem sententiam subscripsi.
Georgius præses Dominicorum in eamdem sententiam subscripsi.
Euphemius præses Oxybeton in eamdem sententiam subscripsi.
Basilius præses sancti Andreæ in eamdem sententiam subscripsi.
Basilius preses sanctæ Deiparæ in eamdem sententiam subscripsi.
Ioseph preses Salvatoris in eamdem sententiam subscripsi.
Nicephorus præses sancti Andreæ in eamdem sententiam subscripsi.
Leo præses Celleorum in eamdem, &c.
Leo præses aquæ Albæ in eamdem, &c.
Isidorus præses Latri in eamdem, &c.
Nicephorus præses sancti Medicii in eamdem sententiam subscripsi.
Theodorus preses Atractron in eamdem, &c.
Ioannes præses Cœlagiorum in eamdem sententiam subscripsi.
C Paulus præses Cybeon in eamdem, &c.
Euschemon præses Creson in eamdem, &c.
Epiphanius preses Paranandii in eamdem sententiam subscripsi.
David præses sancti Sergii Priiecii in eamdem sententiam subscripsi.
Agapius præses sancti Thyrsi in eamdem, &c.
Theodosius præses sanctę Deiparæ in eamdem sententiam subscripsi.
Theophylactus præses Pepuzon in eamdem sententiam subscripsi.
Antonius præses Ouzias in eamdem, &c.
Philippus præses Beson in eamdem, &c.
Acacius præses sancti Orestæ in eamdem sententiam subscripsi.
D Petrus monachus, & ex persona Cellariorum, in eamdem, &c.
Zacharias præses Sugdaon in eamdem, &c.
Theophilus monachus, & ex persona præsidis sanctæ Deiparæ Photini, in eamdem, &c.
Cerycus præses Dulocomię in eamdem, &c.
Sergius præses Germiorum in eamdem, &c.
Ioannes presbyter sancti Ioseph Germiorum in eamdem sententiam subscripsi.
Victor præses Octovini in eamdem, &c.
Antonius preses Acraborum in eamdem sententiam subscripsi.
Petrus præses Platanii in eamdem, &c.
Marcus præses sancti Ioannis theologi in eamdem sententiam subscripsi.
E Leo preses sanctæ Deiparæ Saldalon in eamdem sententiam subscripsi.
Constantinus preses * Antipsili in eamdem sententiam subscripsi.
Theodorus monachus ex persona Theodoti præsidis Caloceton, in eamdem, &c.
Eutychianus monachus Callistrati in eamdem sententiam subscripsi.
Theodotus monachus sanctæ Deiparæ Epicanzę in eamdem sententiam subscripsi.
Ioannes monachus, & ex persona præsidis Locustarum, in eamdem, &c.
Callistus monachus ejusdem monasterii, in eamdem sententiam subscripsi.

* A[...] psel[...]

Victor

Victor præses sanctæ Deiparæ monasterii castri Tii, in eamdem, &c. A

Samuel monachus archangeli Gabrielis, in eamdem sententiam subscripsi.

Theodosius præses sanctæ Trinitatis, in eamdem sententiam subscripsi.

Ioannes monachus, & ex persona Strategii abbatis sanctæ Deiparæ, in eamdem sententiam subscripsi.

Hilarion monachus sanctæ Deiparæ Cellariorum, in eamdem, &c.

Dositheus monachus sancti Theodori Secundorum, in eamdem, &c.

Paulus præses sanctæ Deiparæ, in eamdem sententiam subscripsi.

Leo præses sancti Cyriaci, in eamdem, &c. B

Epiphanius præses sanctæ Dei paræ Lines, in eamdem sententiam subscripsi.

Georgius præses sanctæ Deiparæ, in eamdem sententiam subscripsi.

Cosmas præses Paradisi, in eamdem sententiam subscripsi.

Euschemius monachus salvatoris prope Byraicen, in eamdem, &c.

Bardas præses & archimandrita Plusiados, in eamdem sententiam subscripsi.

Petrus præses sanctorum apostolorum castri Protiles, in eamdem, &c.

Basilius monachus sanctæ Deiparæ civitatis Amorii, in eamdem, &c.

Basilius presbyter monasterii Acutæ petræ, in eamdem sententiam subscripsi. C

Philippus præses Eumeniæ, in eamdem sententiam subscripsi.

Basilius præses sancti Luciani, in eamdem sententiam subscripsi.

Theophylactus præses Pegasii, in eamdem sententiam subscripsi.

Anthimus monachus Psammathii, in eamdem sententiam subscripsi.

Michael præses sancti Georgii, in eamdem sententiam subscripsi.

Christophorus præses Candelarum, in eamdem sententiam subscripsi.

Nicolaus præses Cæmirgion, in eamdem sententiam subscripsi. D

Sisinnius præses Lithini, in eamdem sententiam subscripsi.

Thomas monachus Mosynon, in eamdem sententiam subscripsi.

Michael monachus, & ex persona præsidis sanctæ Deiparæ a Turri, in eamdem sententiam subscripsi.

Gregorius præses Symbolorum, in eamdem sententiam subscripsi.

Ioannes præses Rudorum, in eamdem sententiam subscripsi.

Constantinus præses sancti Petri Hydendron, in eamdem, &c.

Simeon præses Abraamitarum, in eamdem sententiam subscripsi. E

Gregorius præses sancti Clementis, in eamdem sententiam subscripsi.

Theognis præses sancti apostoli Timothei, in eamdem sententiam subscripsi.

Ioannes præses sancti Martyris, in eamdem sententiam subscripsi.

Theodosius præses sanctæ Deiparæ in Blachernis, in eamdem sententiam subscripsi.

Petrus præses sancti Ioannis theologi, in eamdem sententiam subscripsi.

ACTIO QVINTA.

ACTIO QVINTA.

In nomine domini & dominatoris nostri Iesu Christi veri Dei, imperantibus piissimis & Christo deditissimis nostris regibus & imperatoribus Constantino cum devota ejus matre, anno octavo consulatus eorum, quarto nonas Octobris, indictione undecima, conveniente sancta & universali synodo juxta divinam gratiam, & piorum nostrorum imperatorum a Deo declaratorum mandatum, in Nicæa splendida metropoli provinciæ Bithyniæ congregata, hoc est, Petro religiosissimo primate presbyterorum sanctissimæ Romanæ ecclesiæ beati apostoli Petri; & Petro religiosissimo presbytero, monacho & præside sanctissimi in urbe Roma monasterii sancti Sabæ, tenentibus locum apostolicæ sedis sanctissimi & beatissimi archiepiscopi veteris Romę Hadriani, & Tarasio sanctissimo & beatissimo archiepiscopo inclytæ Constantinopoleos novæ Romæ, Ioanne item & Thoma religiosissimis presbyteris & monachis, locum tenentibus apostolicorum thronorum orientis diœceseos, sedentibus ante sacrum ambonem sanctissimæ magnæ ecclesiæ quæ vocatur Sophia, præsentibus & audientibus gloriosissimis & magnificentissimis ducibus, Petrona glorioso exconsule patricio, comite imperatorii obsequii, & Ioanne regio ostiario quæstore ærarii militaris, ac tota synodo juxta primam ordinationem considente, simul cum devotissimis archimandritis præsidibus monachorum turbæ; depositis in medium sacris & inviolatis euangeliis Dei codicibus, Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Deus qui ventura nobis per prophetas nuntiavit, per prophetam Ieremiam de novis istis in ecclesia catholica vanitatum & dogmatum auctoribus ait: *Duo enim mala fecit populus meus. Dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ non possunt continere aquas.* Cisterna igitur dissipata, hæreticorum quævis oratio est, ex qua Christianorum calumniatores, quique eam hæresim induxere, hauserunt, potaveruntque ex ea simplices perversionem & errorem intolerabilem, quibus per propheticam vocem, *Væ, væ* immittetur. Imitati enim Hebræos, Saracenos, gentiles, Samaritas, item Manichæos, phantasiastas & hæreticos, qui Deum passum fuisse asserunt, sanctarum imaginum usum prohibere voluerunt, quem tamen a primordiis in ecclesia catholica fuisse, ex sanctorum patrum lectione clarum est. *Ierem. 2.* *Habac. 2. juxta 7 d.*

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, dixit: Legantur & si qui plures sunt libri, in redargutionem & triumphum falsæ istius & calumniatricis congregationis.

Leontius Sacratus regius secretarius dixit: Iuxta sacræ synodi jussionem adsunt divini libri, quos legi operæ precium est: quin etiam & canones hæreticorum contra venerandas imagines editi.

Sancta synodus dixit: Legantur.

Cosmas diaconus & notarius & cubicularius legit.

Beati patris nostri Cyrilli archiepiscopi Hierosolymorum in catechesi secunda, cujus initium.

Gravis res peccatum, & animæ difficillimus morbus legis transgressio. Inter alia: Quæ vero tibi sententia est de Nabuchodonosor? Non meministi

ACTIO QVINTA.

ministi scripturæ, ubi impiissimus appellatur, moribus item ferissimus, leonina voluntate? Ignoras quod ossa regum* ad lucem eduxerit? ignoras quod populum captivum duxerit, quod regis oculos eruerit, simul illi jugulatos filios objiciens? non audivisti, quod cherubim rapuerit, non (inquam) intellectilia illa & cælestia, verum ea quæ in templo erant collocata, obumbrantia propitiatorium, e quorum medio Deus loquebatur?

Sanctissimus patriarcha dixit: Animadvertamus quomodo accusetur Nabuchodonosor, quod cherubim subverterit, quantumque ob eam rem increpatus sit, & passus fuerit.

Sancta synodus dixit: Magnum sane casum & condemnationem.

Sanctissimus patriarcha dixit: Igitur quicumque sacrum aliquid e templo ejicit & subvertit, eidem sententiæ subjacebit.

Petronas gloriosissimus patricius dixit: Post istam increpationem & regno ejectus est, & septem annis in desertis herbas voravit instar bovis.

Dan. 4. Cosmas diaconus, notarius & cubicularius legit.

Beati Simeonis Stylitæ, qui in admirando monte vixit, epistola quinta ad Iustinum juniorem imperatorem.

Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum, ut in omnibus diebus miseræ meæ vitæ satis & ex toto corde fleam? Tanta enim vestra serenitate & pietate regnante, tanta scelera & impietates ab impiis & execrandis Samaritis in sanctum templum, quod devota tua majestas extrui jussit, designata sunt, qualia nunquam sunt audita: dico autem eos qui castra habent prope civitatem Porphyrionis. Hæc autem quæ facta sunt, breviter & tenuiter cognoscet vestra serenitas ex his quæ nostra humilitas per sanctissimum episcopum orientalem patriarcham, qui non leviter ex hoc angitur, ad vestram majestatem scripsit. Nec lapides sufficientes sunt, ut omnem illam impietatem exclament, quæ oculis suis dictus sanctissimus archiepiscopus vidit. Citius enim mortem & interitum nostra tenuitas expeteret, quam iterum talia mihi narrari audire. Omnem enim blasphemiam excellit improbum hoc factum, quod in Deum verbum pro nobis incarnatum, ejusque gloriosam matrem, & in venerandam sanctamque crucem designarunt. Hanc rem cum cogitamus, ad divinas vestras aures nos referimus. Nam cum videamus pias vestras leges eos qui imaginem aut statuam imperatoris ignominia afficiunt, extremo & justo mortis supplicio plectere: qua tandem pœna puniendi sunt, qui in imaginem domini nostri, ejusque matris infando facinore grassati sunt? Profecto non video quid mihi dicendum sit: tantum enim sceleris est commissum, ut nec ulla humanitatis mica amplius superesse credatur. Quamobrem obsecramus victoriosam vestram potentiam, ne ulla posthac misericordia eis ostendatur, neque amplius parcere illis quispiam velit, neque ullam apologiam aut excusationem illorum nomine accipere, ne posthac pejora aggrediantur.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Cognoscitisne, qualem sententiam pronuntiavit?

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit: Indignos putavit, ut quibus ignosceretur.

Ioannes religiosissimus presbyter, monachus, locum tenens summorum episcoporum orientis, dixit: Clarum est, Samaritas hos reliquis hæreticis pejores esse, eorumque hæresim exterminandam & auferendam, utpote cum sint longe ab omni gratia. Oratio autem præfata ostendit, eos qui sacras imagines proturbant, illis etiam pejores esse. Dicantur igitur & hi Samaritæ.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, dixit: Ego quidem iconoclastas pejores Samaritis habeo, utpote qui in ignorantia Christianismi versantes, ignorant quid faciunt: hi vero cum in cognitione Christianismi sint, non sunt audiendi, nec excusabiles, quemadmodum scriptum est: *Is qui cognoscit voluntatem domini, & non facit, vapulabit multis.* Luc.

Nicolaus episcopus Cyzici dixit: ut ego vestræ sanctitatis minimus, librum beati patris nostri Ioannis episcopi Thessalonices affero; eum rogo ut legatis.

Sancta synodus dixit: Legatur.

Demetrius religiosissimus diaconus & notarius, armariique custos, legit.

Ioannis episcopi Thessalonicensis ex sermone, cujus initium.

Hucusque adversus dominum nostrum Iesum Christum tentator prævaluit, ut eum duceret in desertum. Et paulo post: Gentilis dixit: Numquid & vos Christiani in ecclesiis vestris imagines pingitis sanctis vestris, easque adoratis; neque sanctis tantummodo, verum etiam Deo vestro? Ita & nos quoque statuas habere existima. non ut eas adoremus, verum ut per cultum nostrum incorporeæ earum virtutes ad nos perveniant. Ma

Sanctus dixit: Verum nos imagines sanctorum, qui re vera in carne fuerunt servi Christi, fingimus, idque in memoriam eorum: neque quidquam indecorum efficimus pingentes eos, ut re ipsa fuerunt: neque enim e nobis fingimus, neque rerum incorporearum corporeas formas cudimus. Neque ipsi imagines, ut tu dicebas, adoramus; sed eum qui per picturam indicatur, glorificamus: neque hos etiam ut deos, absit, sed ut veros Dei servos, & amicos, & potestatem habentes pro nobis apud Deum intercedendi. Dei autem imaginem, (dico Iesu Christi servatoris nostri) quemadmodum ipse super terram cum hominibus conversatus est, pingimus, non ut ipsa natura, Deus est, quæ enim posset esse Dei similitudo, aut quæ figura incorporei non effigiabilisque Verbi patris? *Deus enim*, ut scriptum est, *spiritus est*) quoniam visum est Deo patri, ut unigenitum suum filium e cælis demitteret, quo pro nostra salute * ex Spiritu sancto & inviolata virgine deipara incarnaretur, nos ejus humanitatem ea ratione pingimus, non illius incorpoream deitatem. Ioan. * de

Gentilis dixit: Esto, Deum verbum hominem factum icone exprimatis: Quid ad angelos hoc facit, quos ut homines pingitis & adoratis? hi tamen homines non sunt, sed intellectuales & incorporei, & simpliciter existentes dicuntur. Sane ea ratione & a nobis deos venerabiles existima: non enim sic quidquam absurdi agimus, quemadmodum neque vos dum angelos adoratis.

Sanctus dixit: De angelis & archangelis, & eorum potestatibus, quibus & nostras animas adjungo, Loq ex p sent

adjungo, ipsa catholica ecclesia sic sentit, esse quidem intelligibiles, sed non omnino corporis expertes & invisibiles, ut vos gentiles dicitis, verum tenui corpore præditos & aereo sive igneo, ut scriptum est: *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros ejus ignem urentem.* Sic autem multos sanctorum patrum sensisse cognovimus, quorum est Basilius cognomento Magnus, & beatus Athanasius, & Methodius, & qui stant ab illis. Solummodo autem Deus incorporeus & informabilis, intelligibiles autem creaturæ nequaquam ex toto sunt incorporeæ, & imitabiles pictura existunt: quare etiam in loco existunt, & circumferentiam habent. Quamquam autem non sunt, ut nos, corporei, utpote ex quatuor elementis, & crassa illa materia; nemo tamen vel angelos vel dæmones vel animas dixerit incorporeas: multoties enim in proprio corpore visi sunt, sed ab illis quibus dominus oculos aperuit. Nos igitur eos non, ut Deum, sed ut creaturas intelligibiles & ministros Dei, non non tamen ut vere incorporeos, pingimus & colimus. Quod autem hominis forma pingantur, in causa est, quod in ea visi sunt, si quando ministerium Dei apud homines obierunt.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Animadvertamus dictum patris, quod illic Samaritæ imagines domini & servatoris nostri, item intemeratæ ejus matris subverterunt, hic vero gentiles. Ostendit autem pater, quod & angelos pingere oporteat, quando circumscribi possunt, & ut homines apparuerunt.

Sacra synodus dixit: Etiam domine.

Stephanus monachus legit:

Ex libro disputationum Iudæi & Christiani. Iudæus inquit: Omnibus assentior, & credo crucifixo Christo, quod ipse sit filius Dei viventis. Offendor autem in hoc, o Christiani, quod coram imaginibus prociditis. Scriptura autem ubique prædicat, ne faciamus nobis sculptile, aut aliquam similitudinem. Christianus dixit: Deo ut talis est, scriptura jubet non esse faciendam similitudinem, neque aliquam imaginem adorandam esse ut Deum. Imagines enim quas vides, ad memoriam Iesu Christi salutaris nobis incarnationis pinguntur, personam illius humanitatis exprimentes. Sanctorum autem imagines eodem modo uniuscujusque prælia, certamina & pugnas, item contentiones contra diabolum & mundum, victoriasque significant. Non enim (ut tu arbitraris) Christiani in* Deo sibi illas erigentes adorant, verum zelo & fide flagrantes, sanctorum imagines inspiciunt, recordantes in typo, quanta fuerit eorum erga Deum pietas. Quinimo adorantes, sanctorum Deum invocant, dicentes: Benedictus Deus hujus vel illius sancti, omniumque sanctorum, qui dedisti illis patientiam & tolerantiam, quique eos dignatus es tuo regno, fac nos cum illis participes, & intercessionibus eorum serva nos. Salvatoris autem imaginem contemplantes & adorantes spiritualibus oculis & luminibus mentis, omnium domino Deo gratias agimus, qui formam servi accipiens, hominem mundumque liberavit, nobisque, sine ullo peccato existens, similis factus est. Non igitur ligneæ imagini aut picturæ cultum exhibemus, adoramusque, sed omnium dominum Christum glorificamus. Atqui frater indicabo & Moysen, qui legem eam tulit, talia quædam fecisse. Nam duo cherubim sculpta paravit, volantia super tabernaculum testimonii hinc & illinc, quo sane nulli mortalium dabatur accessus, præterquam summo sacerdoti, idque semel in anno, cum scilicet incensum ferebat sanctis sanctorum. Similiter & serpentem æneum fecit, quem in deserto suspendit in medio tentoriorum ordine, dixitque: *Quemcumque momorderit serpens, hic intueatur hanc serpentem, credatque quod medelam & sanitatem ab ea sumere potest.* Vides hic, quo pacto idem Moyses, qui similitudinem non faciendam jusserat, serpentem fuderit.

ACTIO QUINTA.

Num. 21.

Ioannes sanctissimus monachus presbyter, & locum tenens summorum orientis sacerdotum, dixit: Ecce quomodo sancti nostri patres, negantes incarnatam dispensationem servatoris nostri Iesu Christi, testantur abjecisse sacras imagines, Hebræos dico & Samaritas: quamobrem & qui nunc eas abjiciunt, illis similes sunt.

Epiphanius religiosissimus diaconus locum tenens Thomæ episcopi Sardiniæ, legit:

Ex falso inscriptis sanctorũ apostolorum itinerariis.

Pictor igitur primo die ipsum primis lineamentis denotavit, cessavitque: postridie coloribus eum expressit. Atque ita Lycomedi gaudenti imaginem tradidit, quam in cubiculo positam corollis ornavit, ut Ioannes illi postea cognitus dixerit: Malogranata ista de balneo aufer dilecto fili. solus enim cubiculum ingredior, neque tecum, neque cum aliis orare possum. Hæc dicens, & jocose recitans, simul cum illo ingreditur. Senex autem imaginem ibi corona cinctam videt, lucernasque adstantes, & ante eam aram. advocato autem Lycomede dixit: Quid sibi vult hæc imago? quem deorum tuorum sic depingi curavisti? Video te nondum gentilitatem exuisse. Lycomedes autem illi respondit: Deus quidem hic mihi solus est, qui me a mortuis cum conjuge mea suscitavit. Si vero post Deum ejuscemodi benefactores deos licet appellare, tu es qui in imagine depictus es, quem ego corono, amo & colo, utpote qui mihi dux bonorum omnium fuisti. Ioannes autem cum faciem suam nondum vidisset, dixit illi: Ludis tu quidem me fili mi, putasne me tali forma? quomodo mihi persuadebis, ut hæc imago mihi assimiletur? Lycomedes autem speculum illi obtulit, in quo postquam seipsum fuisset contemplatus, dixit: Vivit dominus Iesus Christus, imago hæc mihi similis est. Male vero hanc rem fecisti.

Ex eodem libro.

Aliquando cum Iesum vellem apprehendere, in materiali & crasso corpore mihi occurrit. alias cum illum tangere studerem, immateriale erat & incorporeum subjectum, ita ut plane nihil esset. Aliquando autem a pharisæo quodam ad cœnam vocatus, isthuc nobis comitantibus concessit. Vnusquisque autem nostrum panem dimensum unum tantum accepit, quin etiam & ipsi datus unus est: quem postquam benedixit, nobis divisit. Brevi autem omnes satiati sumus, neque tamen quisquam nostrum panem suum gustaverat: qua de re perculsi sunt admiratione, qui nos vocaverant. Sæpe autem quando cum illo ambularem, animadverti, num alicubi pedis vestigium, cum pedes de terra elevaret, imprimeret: verum observanti mihi nunquam contigit hoc videre. Illud autem vobis refero, quo fides vestra magis confirmetur. Magnalia enim ejus & admirãda quæ fecit, satius nunc

ACTIO QVINTA.

nunc fuerit tacere. Sunt enim arcana, quæ neque dici, neque audiri possunt. Priusquam autem ab impiis Iudæis comprehenderetur, omnes nos congregans dixit: Antequam ego illis tradar, laudes dicamus patri, & sic ad institutum progrediamur. Iubens itaque nos illum circumgyrare, manibus invicem amplexabamur. Ipse autem in medio consistens dixit: Amen; auscultate autem me. Cœpit igitur hymnum dicere, inquiens: Gloria tibi pater. & nos illum cingentes, subaudivimus, Amen. Gloria tibi Verbum, gloria tibi gratia, Amen. Gloria tibi Spiritus, gloria tibi sancte, gloria tuæ gloriæ, Amen. Laudamus te pater, gratias agimus tibi lumen, in quo tenebræ non morantur, Amen. In quo gratias agimus, dico. Salvari volo, & salvare volo. Solvi volo, & solvere volo, Amen. Vulnerari volo, & vulnerare volo, Amen. Nasci volo, & generare volo, Amen. Edere volo, & edi volo, Amen. Audire volo, & audiri volo, Amen. Intelligi volo, cum sim totus intellectus, Amen. Lavare volo, & lavari volo, Amen. Gratia choreas ducit, canere tibiis volo, vos omnes saltate, Amen. Lamentari volo, tundite pectora omnes, Amen. Et inter alia: Hæc dilecti mei saltate nobiscum. Dominus autem egressus est, nos autem veluti aberrantes, aut e somno mox experrecti, alii alio fugimus. Ego autem cum viderem illum patientem, nequaquam potui passionem illius ferre, sed fugi in montem olivarum, flens ob ea quæ acciderant. Et cum hora diei sexta cruci esset affixus, tenebræ super totum terrarum orbem factæ sunt. Et dominus meus stans in medio speluncæ, & illuminans me, dixit: Ioannes a perversis Iudæorum turbis crucifigor, lanceis & calamis pungor, acetum & fel mihi in potum dant: tibi loquor, & quod loquor audi. Ego jubeo te ascendere in illum montem, ut audias quæ oportet discipulum a magistro audire, & hominem a Deo. Hæc cum dixisset, per lumen mihi crucem ostendit, & circa crucem populum magnum non unius figuræ: at in ipsa cruce erat una forma, & idea similis. Ipsum vero dominum supra crucem vidi non habentem formam, sed solam vocem. Vocem autem non illam quidem n[illegible] consuetam, sed propriam quamdam & bonam, & vere divinam, ad me dicentem: Ioannes unum oportet ut a me audias: unum enim in futuro opus est ut audias. Hæc crux hujus lucis aliquando a me per vos verbum vocabitur, aliquando mens, aliquando Christus, aliquando janua, aliquando via, aliquando panis, aliquando semen, aliquando resurrectio, aliquando Filius, aliquando Pater, aliquando Spiritus, aliquando vita, aliquando veritas, aliquando fides, aliquando gratia.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Videamus, quia totum hoc opus euangelio repugnat.

Sancta synodus ait: Certe domine. dicit enim incarnationem esse opinionem.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: In his periodis scriptum est, quod neque edebat, neque bibebat, neque pedibus super terram ambulabat; quæ ab hereticorum phantasiastarum opinione non abludunt. Verum in euangelio scriptum est de Christo, eum & edisse, & bibisse. Nam & Iudæi de illo dicebant: *Ecce homo edax, & vini potator.* Qua ratione etiam mentiti sunt, quod terram pedibus non calcabat. Quomodo enim scriptum est, *Iesus de via fessus sedit ad puteum?*

Matth. 11. Ioan. 4.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ, quæ est Cypri, dixit: Hic est liber ille, quem falsa synodus adduxit.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Profecto quæ in eo habentur, risu digna sunt.

Theodorus Catanes episcopus dixit: Hic ne liber evertet omnia Dei ecclesiarum ornamenta?

Euthymius Sardensium episcopus dixit: Decebat ejuscemodi congregationem tales habere libros.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, dixit: O insignem blasphemiam! Ioannem inquit apostolum in montem olivarum fugisse tunc, cum crux levaretur: & tamen euangelium testificatur, quod cum illo aulam Caiphæ ingressus sit, & quod steterit prope crucem cum matre domini.

Sancta synodus dixit: Omnis hæresis ab hoc libro dependet.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Heu, heu, o qualibus hæreticorum libris hæresim suam constituunt!

Gregorius Neocæsareæ episcopus dixit: Liber iste omnis impietatis & sceleris est parens, & tamen contra idola de Lycomede ex eo testimonium citant.

Ioannes presbyter, monachus & locum tenens orientalium diœcesium patriarcharum, dixit: Inducit Lycomeden coronantem imaginem apostoli, quemadmodum Græci sua idola.

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit: Absit, quod sanctus Ioannes coram Tito euangelium suum prolocutus sit.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Prælectæ hæ sententiæ suntne euangelicæ?

Sancta synodus dixit: Nequaquam. Non enim quæ prius lecta sunt, recipimus, neque etiam ea quæ de Lycomede postea dicuntur.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Qui priora recipit, recipit & posteriora, & media, & quæ de Lycomede dicuntur, quemadmodum falsum conciliabulum fecit.

Sancta synodus dixit: Anathema sit illi libro a principio usque ad calcem.

Ioannes presbyter religiosissimus monachus, vicarius thronorum trium patriarcharum orientis, dixit: En patres sancti, manifeste declaratum est, antesignanos istos Christianorum calumniatores, vere participes & communicantes cum Nabuchodonosor & Samaritis, imo etiam cum gentibus & Iudæis, ad hæc cum impiis & execrandis Manichæis, quorum testimonia adduxerunt. Hæc enim sunt eorum, qui verbi Dei incarnatam dispensationem phantasiam esse dicunt. Sed illis sit cum ipsis commentariis anathema.

Sancta synodus dixit: Anathema.

Petronas magnificentissimus patricius dixit: Si jubes domine, queramus episcopum Amorii & Neocęsareæ, num ii libri in falsa illa synodo fuerunt lecti.

Gregorius Neocæsareæ episcopus, & Theodosius Amorii, interrogati dixerunt: Non per Deum talis liber illic visus est, sed ex falsis citationibus nos deceperunt.

Sanctissimus patriarcha dixit: Ex propria cogitatione quæ volebant, explicuerunt.

Petronas magnificentissimus patricius dixit: Sed tamen ex regia procuratione cuncta faciebant.

Gregorius Neocęsariæ episcopus dixit: Sępe dixi, & iterum dico pater, nunquam in medium tales libri aut patrum quoque scripta isthuc allata sunt, sed ex falsis quibusdam citationibus nos deceperunt. Hæc autem de Lycomede videntur & nobis abominanda.

Ioannes sanctissimus presbyter monachus, locum tenens orientalium præsulum, dixit: Si videbitur

bitur sanctæ huic & universali synodo, pronuntietur sententia, ne quis amplius eum librum describat, impurum & impium.

Sancta synodus dixit: Nemo amplius describat: nec id solum: verum dignum judicamus qui Vulcano committatur.

Petrus religiosissimus lector legit.

S. Amphilochii episcopi Iconii de falso inscriptis ab hæreticis libris, cujus initium.

Iustum quidem arbitramur omnem eorum impietatem detegere, & errorem eorum in publicum proferre: proferunt enim libellos quosdam, quibus apostolorum titulum affingunt, in hoc, ut rudiores & simpliciores decipiant. Et B paulo post: Ostendemus autem quinam sint hi libri, quos proferunt nobis insani ecclesiæ desertores, non quidem apostolorum Acta, sed dæmonum commentaria. Et inter alia. Hæc sane Ioannes apostolus non dixit: Nam qui scripsit in euangelio, dominum de cruce dixisse, *Mulier, ecce filius tuus*, ut post eum diem in suam acceperit Mariam, quomodo hoc loco dicitur, quod non adfuerit? Sed non est novum illud. Quemadmodum enim dominus veritas ipsa est; ita diabolus mendax existit: est enim vere mendax, & pater mendacii. Cumque mendacium loquitur, de propriis id agit. Et hæc quidem de mendaciis.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Magnus est beatus pater noster Amphilochius. Audivimus C autem quid de itinerariis istis sentiat, quamobrem nihil nos amplius titulus iste moveat.

Basilius Ancyræ episcopus dixit: Nullus liber est, qui euangelio magis repugnat. Non est igitur mirandum, si & de imaginibus alienam habeat opinionem.

Sanctissimus patriarcha dixit: Recte pater sanctus nugacitatem & impudentiam istius libri retudit.

Sancta synodus dixit: Recte pater.

Nicephorus episcopus Dyrrachii dixit: Satius fuisset, ut liber Amphilochii lectus fuisset, & non itinerarium: contaminavit enim aures nostras. D

Sancta synodus dixit: Sed ad majorem cautionem, bonum fuit ut legeretur.

Tarasius patriarcha dixit: Eusebium Pamphili tamquam testem adduxerunt illi, qui contra sanctas imagines nugantur. adducunt autem epistolam illius ad Constantiam Licinii uxorem scriptam. Videamus autem quam habeat opinionem Eusebius.

Stephanus religiosissimus monachus legit.

Eusebii Pamphili ad Euphrationem, cujus initium: Domino meo per omnia confiteor. Inter alia. Non enim coexistere dicimus filium patri, verum præexistere patrem filio. nam si simul existant, quomodo pater erit pater? quomodo filius filius? aut quomodo ille primus, hic se- E cundus? & ille quidem ingenitus, hic vero genitus? Nam duobus secum existentibus, eadem utriusque erit æstimatio. Est aut utraque (ut ita dixerim) ingenita, aut alterutra genita: sed neutrum horum verum est. Neque enim ingenitum, neque genitum fuerit. Sed hoc quidem prius & ordine & dignitate secundo erit, & in eo quod est, & quod ejuscemodi existit.

Sanctissimus patriarcha interrogando dixit: Recipimus hoc?

Sanctus synodus dixit: Nequaquam domine.

A hic reliquis nobis majore odio prosequendus.

Basilius sanctissimus Ancyræ episcopus dixit: Non veniat Christiano homini in mentem, ut sic loquatur. Lectum autem est ex eadem epistola. Inter alia. Eumdem autem & solum verum esse docet per quæ dicit; *Vt cognoscant te solum verum Deum*: non ut uno solo existente Deo, sed ut solo uno existente vero Deo, cum maxime necessaria adjectione, vero: quandoquidem & ipse quidem Deus filius, sed non verus Deus: unus enim est & solus verus Deus, qui neminem habet ante se. Si vero & filius verus, id est, tamquam imago Dei veri, sit & Deus; quando & Deus erat verbum, non tamen ut solus verus Deus.

Christophorus sanctissimus episcopus sanctæ Cyriacæ dixit: Ter sancte domine & sacra sanctaque synode, quemadmodum nos habuimus a Deo scriptos libros apostolorum, prophetarum, reliquorumque sanctorum, ita decebat ejuscemodi libros in testimonium & roborationem illam falsam synodum habere.

Sacra synodus dixit: Anathema & libris illis, & qui illos legunt.

Petrus & Petrus sanctissimi presbyteri, vicarii Hadriani papæ veteris Romæ, dixerunt: Ipsa lectio indicat, quod Arianorum sententiam sapiat. habet enim ante lectus Eusebii Pamphili liber & alias blasphemias, quas synodus audire respuit.

Sanctissimus patriarcha dixit: Libros illius rejiciamus.

Sancta synodus dixit: Rejicimus & anathematizamus.

Stephanus religiosissimus monachus dixit.

Antipatri episcopi Bostrorum refutatio apologiæ pro Origine ab Eusebio Pamphili episcopo Cæsareæ conscriptæ liber primus, cujus initium.

Ego quidem sufficienter & satis scriptum esse, religiosissime & beatissime pater Ioannes, a tua sanctitate in variis tractationibus arbitror. Et paulo post: Quod autem vir multiscius fuit, qui omnes veterum libros & commentaria investigans & inquirens, propemodum omnium sententias & opiniones exponens, plurima commentaria reliquerit, quorum aliqua digna sunt ut approbentur: non eo inficias. Quod autem aliqui ex eo nituntur probare eum non errasse, quod veterum patrum omnium mentem & sententiam, utpote tot libris lectis, tenuerit, hoc ego non omnino tibi concedo. Potuit enim omnium veterum commentaria facile corradere, cum imperatoriam voluntatem & studium pronum sibi in hoc habuerit. Nego autem eum in dogmatibus quidquam profecisse: multimodam etiam cognitionem illi tribuo, dogmatum vero stabilitatem & constantiam illi nego. Fuit enim longe inferior certitudine ista dogmatum. Et post pauca: Vt mihi plane non sit ingrediendum in illius sententiam. prius enim apologiam illam excutere volumus, ut ita non illum solum, pro quo apologia scribitur, sed & ipsum auctorem, hæreticos ostendamus. Inter alia: Indicabam clare & vere & sine ambiguitate quemdam ex præclaris ecclesiæ doctoribus docuisse animas hominum prius existere, neque fallacias aliquas in adstruendo affero. In hoc enim, quod indicare conatus es egressum filii ad patrem, primum quidem peregrina opinio habita est. Tua enim est hæc, & eorum qui stant a partibus tuis; quamobrem in

ACTIO QVINTA.

præsenti de hac re nobis nihil est dicendum: A olim enim universali synodo tractatum est & determinatum. In hoc autem non consentire, neque hæc quæ nobis objecta sunt, exquirere, non putarim decorum esse.

Sanctissimus patriarcha dixit: Ostensa sunt commentaria Eusebii aliena esse a sancta ecclesia catholica.

Demetrius religiosissimus diaconus & armarii custos legit.

Theodori lectoris ex historia ecclesiastica.

Persa quidam Xenæus nomine, qui illis temporibus Calandrion inveniens ecclesiastica dogmata adulterantem, virosque pervertentem, de regione discessit. De hoc multa a diversis audiens, particulatim omnia recensebo. Ex Perside enim proprium dominum fugiens, Romam pervenit. Et paulo post: Hunc Petrus pro Cyro Hierapolim episcopum mittit, hunc non longe postea episcopi Persici insequentes, servilibus parentibus ipsum servum quoque natum, & nondum baptizatum, accusabant. quod cum Petrus cognovisset, neque satis cognosceret quid de illo ageret, dixisse fertur, Sufficere illi episcopi ordinationem ad satisdationem divinæ initiationis.

Stephanus diaconus & notarius sacri patriarchici, legit.

Ioannis Diacrimonii * ex historia ecclesiastica: Non esse decens dicebat Xenæus, angelos existentes incorporeos corporea forma effigiare, & in humana effigie incorporeos repræsentari. Quin etiam & hæc fuit opinio ejus, Christo non dandum esse honorem, aut laudem dicendam in pictura hominum arte elaborata. Esse autem illi solummodo acceptam adorationem in spiritu & veritate. Inter cetera autem dicebat, & hoc esse puerilis animi factum, fingere in columbæ idolo ter adorabilem Spiritum sanctum. Nusquam enim euangelicis scriptis traditum esse Spiritum sanctum columbam esse, sed quod in specie columbæ aliquando visus est: id autem dispensative, & non substantialiter, factum esse. Ita, ut dicam uno verbo, intempestivum putabat & inconveniens, pios homines Spiritum sanctum, ut corpus habentem, delineare. Hæc Philoxenus docens, simul cum ipsa doctrina opere rem demonstrabat. Sæpe angelorum imagines afferens ejecit, Christum autem imagines repræsentantes omnes in unum locum collocavit.

* Diacrinomeni

Ioan. 4. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1.

Sanctissimus patriarcha dixit: Audivimus viri sacerdotes, quales fuerunt qui imagines non receperunt, non baptizati, Manichæi, qui phantasiam de dispensatione domini agnoscunt. Ex sceleribus eorum & impuris dogmatibus, Christianorum accusatores, & hæreseos auctores occasionem acceperunt.

Sabbas sanctissimus præses Studii dixit: Gratias agimus Deo, & bonæ imperatorum nostrorum dominatorum voluntati, quod falsi illi custodes adulterinæ istius synodi victi sunt cum hæreticis qui a partibus eorum stabant.

Sancta synodus dixit: Anathema illis.

Constantinus religiosissimus lector sanctæ magnæ ecclesiæ legit.

Ex sancto patre nostro Saba: Flaviano igitur & Elia sanctis patriarchis in * Syndone existentibus, ut dictum est, literisque adulatoriis & universalibus apud imperatorem utentibus, & in * Syndone congregatam contra fidem rectam synodum dissolventibus, in propriasque sedes revertentibus, Sotericus & Philoxenus in iram * insuperabilem imperatorem excitarunt, utpote qui esset deceptus a patriarcharum vafritia & simulatione: & accipientes quam volebant potestatem, aurumque ingens Antiochiensium populo largientes, Flavianum mirifice tribularunt, & propemodum suffocarunt, compellentes hominem, ut Calchedone habitam synodum anathematizaret. ita illo ab episcopatu fugato, exulem declararunt, Severumque Acephalorum principem episcopum designarunt.

* synodo * f. Sidone

B Antonius religiosissimus monachus legit:

Ex narratione quæ data est sanctæ synodo, quæ congregata est in hac regia civitate contra Severum hæreticum & Acephalum, a clericis & monachis sanctæ Dei ecclesiæ inclytæ civitatis Antiochiæ, cujus initium: Nunc si quando unquam, o beatissimi. Et paulo post: Qualia vero, sanctissimi, & circa Daphnes fontes facere ausus est, magia usus, & incensis impiis dæmonibus serviendo, tota novit civitas. Quin etiam neque sacris altaribus pepercit, neque sacra vasa intacta reliquit. Hec quidem ut detestanda sculpens, illa vero conflans & erogans suis complicibus. Ausus etiam aliud fuit, sanctissimi: C aureas & argenteas columbas, in figura sancti Spiritus supra divinos fontes suspensas, cum aliis abstulit, dicens, non oportere in specie columbæ Spiritum nominare.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Si in nomine sancti Spiritus dedicatas columbas sancti patres receperunt, quanto magis incarnati Verbi, & in terris in corpore visi, recipiendum? Credite autem mihi, Anastasium ducem Constantinopolitanum aureas argenteasque iconas sibi adscripsisse, si modo hoc fecit Severus.

Stephanus religiosissimus monachus, notarius & referendarius, legit.

D *Ioannis episcopi Gabalon, in vitam & politiam Severi hæresiarchæ, cujus initium.*

Si noluisset Severus aut vitæ semper suæ. Et paulo post: Neque etiam sanctorum angelorum honorem illæsum esse sivit. Frequenter autem sermonem, in gradibus stans, hac de re habebat, populumque sæpe persuadere conabatur etiam in ipso templo sanctissimi Michaelis, non decere purpureas angelos vestes, sed albas; non ignorans, sanctis non esse curæ potestatibus quo vestitu utantur. Studebat autem & hæc discerpere & commovere, ne, quomodo res se haberet, cognosci posset.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Animadvertamus, quod præter reliqua etiam in hoc E accusatus est, qui non purpureas vestes angelis, sed albas attribuendas esse docebat.

Demetrius religiosissimus diaconus & armarii custos dixit: In sancta magna ecclesia Constantinopolitana cum velum obtegerem, interiusque manum mitterem in breviarium, inveni duos libros relictos per imagines deargentatos: quas cum quærerem, cognovi eas in ignem conjectas & exustas. Inveni & alium librum Constantini chartophylacis, continentem quædam de venerandis imaginibus. Folia autem illa, quæ de ea re tractabant, exciderunt, eumque librum

brum en sacræ synodo offero. Idem Demetrius librum omnibus indicavit, foliorumque excisionem.

Leontius cathosiomenus a secretis dixit: Est & aliud, quod in hoc libro dignum admiratu est. Nam ut videtis, argenteas tabulas habet, & undique sanctorum imaginibus decoratus existit. Ipsi vero rem relinquentes, hoc est, imagines, ea quæ de imaginibus intus scripta sunt, exciderunt: quod sane extremæ dementiæ facinus est.

Sancta synodus dixit: Anathema, qui sciderunt & consultarunt.

Leo sanctissimus episcopus Phoceæ dixit: Ex hoc libro folia exciderunt & perdiderunt: in civitate autem in qua ego habito, ultra triginta libros igne combusserunt.

Sabbas præses Studii dixit: Moris est, domini, cæcis, ut lumen non videant. hinc etiam & illi cæci existentes in anima obtenebrati sunt.

Demetrius religiosissimus diaconus & armarii custos legit.

Constantini diaconi & chartophylacis sanctissimæ magnæ Dei ecclesiæ Constantinopoleos, in omnes sanctos martyres, qui per omnem terrarum orbem pro Christo certarunt. Deinde judices dixerunt: Putatisne vos quod in ære & lapidibus salutem collocamus? Nonne ad potestatem aliquam provisoriam aut contentricem adspicimus, a qua optima nobis contingunt? Quomodo autem (dixerunt martyres) plastæ & lapicidæ statuarum multitudinem variis formis præparant, templisque affigunt? vos autem sacrificiis eas honoratis, & miseriarum liberationem ab eis poscitis, illas invocantes. Quid est autem causæ, quod & (ut dicitis) divina, quæ tyranni apud vos designarunt, non insculpitis in imaginibus? nos autem accusatis, & tamen longe superstitiosius in hisce rebus nobis estis affecti. * Numquid autem & vos pugiles vestros sculpitis, & tamen non dicendis conviciis imaginum picturam & afficitis? Age, age, de hoc errore & ambiguitate sententiæ vos liberavimus, dicunt sancti martyres. Non enim divinum, simplex existens & incomprehensibile, formis & figuris assimilamus: neque cera & lignis supersubstantialem, & ante principia existentem substantiam honorare nos decrevimus: sed primo per transgressionem superato homine, & audenti illa potestate desertoria detracta, natura opus habuit reparatore. Non enim poterat succumbens ex se conflictum, quo fuerat inferior, restaurare, inimico casum urgente, neque patiente respirare; neque par erat in secunda lucta tyrannum excuti: quare ipse opifex propriæ creationis Trinitatis Deus unus & Verbum, non substituit aliquem ex suis creaturis, sed potestate qua ipse valebat, usus, certamina pro nobis in humana natura subivit. Et paulo post: Igitur in qua visus est ab hominibus figura, & in qua conversatus est inter homines, in tabulis pingitur: qua ratione per divinum typum ejus salutaris potentiæ recordamur.

Sanctissimus patriarcha dixit: Gentiles propter idola martyres accusabant, & dicebant eis, qua gratia certatis, & nostras similitudines contemnitis, cum & vosipsi habeatis proprias imagines? Sancti autem sic respondent: Sed nos statuas dæmonum non facimus, sed verbi Dei incarnati imagines pingimus, ejusque sanctorum; non tamen confestim eos deos facimus.

Cosmas religiosissimus diaconus & cubicularius dixit: Librum hunc quem fero in manibus, veteris est testamenti, cum scholiis suo loco appositis: inveni autem eum in patriarchio. Habet autem scholion in defensionem imaginum. Insidiatores autem veritatis expunxerunt scholion. ecce vestigia: adhuc siquidem fere apparent. Inspicite, obsecro, venerandi patres.

ACTIO QUINTA.

Idem religiosissimus Cosmas aperiens librum, omnibus in sacra synodo existentibus locum deletum indicavit, quæque adhuc aliquantulum extabant, legit: *Non erunt tibi dii alii præter me. Non facies tibi idolum, neque alicujus similitudinem, quæcumque in terra infra, & quæcumque in aquis deorsum subter terram: non adorabis ea, neque servies illis.* Scholion: Et si facimus hominum piorum similitudines, non tamen ea fiunt, ut adorentur ut dii, sed ut eas videntes ad imitationem facinorum illorum *irritemur. Si vero similitudines Christi facimus, sane non propter similitudinem adoramus, sed quo mens per ea quæ conspexit, sursum volet. Non enim imaginem corruptibilem hominis corruptibilis adoramus, sed quia Deus homo incommutate dignatus est fieri, facimus illius imaginem velut hominis, quamvis sciamus eum natura Deum existentem. Non idem igitur Deum & imaginem dicimus: sed Deum cognoscentes, similitudinem in imagine dispensationis illius humanæ figuramus. Gentiles autem errantes, similitudines deos esse arbitrantur.

Exod. 20. Deut. 5. *incitemur

Adductus est & alter libellus, eamdem habens loci illius scripturæ explicationem, in qua & illud lectum scholion erat. Eum autem acceptum Gregorius episcopus Cæsareæ legit, hic facilius apparente scriptura expuncta & prælecta.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Hæc fecerunt dicti patriarchæ, Anastasius, Constantinus & Victor, hæretici.

Theodorus episcopus Myrorum dixit: Si fuisset iste thesaurus omnibus obvius, non sane quisquam mortalium fuisset læsus. Deus autem reddat illis in die illa, qui ejusmodi celant.

Theodorus episcopus Catanes dixit: Tales profecto digni sunt anathemate: veritatis enim depravatores extitere, & patrum insimulatores falsi. Qui autem ab illis anathemate percussi sunt, laudari merito debent.

Sacra synodus dixit: Væ animabus eorum qui veritatem celarunt.

Petrus sanctissimus episcopus Hermion dixit: Deleantur nomina eorum ex libro viventium, & cum justis non scribantur. Psal. 68.

Constantinus sanctissimus episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, dixit: Benedictus Deus, qui post tot ustiones, sectiones & expunctiones, ea reliquerit.

Theodorus episcopus Constantiæ dixit: Qui talia fecerunt, lucernam suam sub modio posuerunt.

Cosmas religiosissimus diaconus & cubicularius dixit: Et istum librum invenimus in armario oratoriorum sacri patriarchatus, varia martyrum certamina continentem, & præter ista quædam de imagine non manufacta Camulianorum. folia autem quæ de imaginibus tractabant, excisa sunt, ecce eum omnibus ostendo.

Michael sanctissimus episcopus Synnadon dixit: Pastillus dicebat, ter sancte domine, anathema sit illis qui scripturam aliter quam jacet, interpretantur, & qui illi insidiantur.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Sed labor ejus in caput suum reversus est.

Ioannes religiosissimus presbyter monachus, &

ACTIO QVINTA.

& locum tenens thronorum orientis, dixit: Ut A vere dicam, impia iconoclastarum, hoc est, imaginum demolitorum, & libros exurentium impietas veritatem reddidit clariorem.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Non solum sacras imagines ejecerunt, sed & euangelium ipsum, & alia secreta quædam. Ita sane potuit veritas tandem melius caput exerere.

Stephanus monachus dixit: Habemus & alium librum, in quem impetum fecerunt iconoclastæ: & si jubes, omnibus ostendam.

Sancta synodus dixit: Omnibus ostendatur. & synodo universæ ostensus est habens in duabus paginis lituras.

Gregorius religiosissimus presbyter & præses Hyacinthi dixit: Est mihi ejus libri integrum B exemplar. Domine, si voles, legetur.

Stephanus monachus bibliothecarius acceptum librum legit.

Ex historia ecclesiastica Euagrii, ex libro quarto.

Cap. 26. Chosroes postquam impressionem in civitatem fecisset, mille insidias tetendit, tantos enim aggeres fecerat, ut per muros saltare posse videretur, aliasque machinas infinitas construxit. Dicam autem quæ facta sunt. Imperavit Chosroes potestatibus suis, ut lignorum copiosam materiam ad extruendam machinam procurarent: quæ postquam accepisset, ea quæ voluit, extruxit, & C in medio aggeris machinam posuit, novumque aggerem circumposuit. stabat autem in civitatem directa. in tantam autem altitudinem erecta est, ut facile possent sine periculo a dextra parte tela in murum & munimenta conjicere. Cum autem qui expugnationibus assueti erant, machinam instar montis muro appropinquare, hostesque arbitrari se posse pedibus ex ea urbem ingredi viderunt, simul omnes mane facto machinam aliam contra hostium aggerem struunt, quam Romani aggestam appellant, quod subter terram duci possit, in qua etiam ignis indi debebat, ut sic inferne lignis exustis, agger superpositus in terram D rueret. Opus autem cum factum esset, ignisque incensus, intentione sua frustrati sunt. Ignis enim non habebat egressum, ut flamma ventilationem accipiens, ligna invaderet. Re igitur ad summam desperationem deducta, imaginem a Deo factam, quam hominum manus non attigit, portant. Augaro autem Christus Deus, quod eum videre desiderabat, misit. Hanc igitur sacram imaginem ad opus a se factum afferentes, ignem quidem succenderunt, ligneæque Chosroæ machinæ immiserunt. Confestim autem divina voluntate & potentia, fideque inspicientium res successit, & quod antea non poterant, nunc perfecerunt. Ligna enim flammam haurientia, dicto citius in E carbones conversa sunt, usque ad ipsam summitatem opus est exustum.

Leo religiosissimus lector magnæ & regiæ ecclesiæ Constantinopoleos dixit: Et ego indignus vester famulus, cum descendissem cum regiis apocrisiariis in Syriam, Edessam petivi, & venerandam imaginem, non factam hominum manu, adorari & honorari a populo vidi.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Hesterno die religiosissimus præses Maximini limonarium attulit, lectumque est: & invenimus nos in bibliotheca exemplar ejusdem limonarii, sed foliis quibusdam excisis, in quibus de imaginibus tractabatur.

Christophorus sanctissimus episcopus sanctæ Cyriacæ dixit: Ter sancte domine, indignus servus tuus audebitne loqui ad sacram & universalem synodum? propheticum verbum est: *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Psal. Nam quæ contra nos in falsa synodo moliti sunt, hoc contra illos factum est; & alia quidem exciderunt, alia adulterarunt, quo eorum impietas, veritate ad lucem perducta, magis clarescat.

Stephanus monachus & librarius dixit: Liber traditus a præside Maximini, continens locum in aliis libris vitiatum de imaginibus, adest, idemque legit: Dixit abbas Theodorus Æliotes, quod erat quidam inclusus in monte olivarum pugil egregius: oppugnabat autem eum dæmon scortationis. Quodam itaque die cum vehementer insultaret illi dæmon, senex lamentari cœpit, dixitque dæmoni: Quousque non relinques me? absiste posthac a me: jam enim mecum consenuisti. Dæmon oculari aspectu videndum illi se tradens, dixit: Iura mihi quod ea quæ tibi dicam, nemini significabis, & non amplius tecum pugnabo. Et juravit illi senex per eum qui in altissimis habitat, se nemini dicturum. tum illi dæmon dixit: Imaginem istam, si noles me tecum luctari, cave amplius adores. Habuit autem imago figuram dominæ nostræ deiparæ virginis Mariæ, gestantem Iesum Christum. Dicit illi inclusus: Apage, res erit mihi curæ. In sequenti autem die abbæ Theodoro Æliotæ, qui tunc habitabat in vico Pharan, rem significavit, omniaque patri retulit. Senex autem pater incluso dixit: Vere pater delusus es, quod dæmoni jurasti: tamen hoc unum bene fecisti, quod confessus es: profuerit autem tibi, ne sinas in hac civitate amplius lupanar, neque egrediaris quin adores Christum Iesum dominum nostrum cum matre sua in imagine. Confirmatoque eo ac animato pluribus verbis, ad proprium locum concessit. Dæmon autem illi iterum apparuit, dixitque: Quid agis maledice? * numquid jurasti mihi nemini te dicturum? quo pacto autem hæc effutiisti? dico tibi maledice, in die judicii tamquam perjurus condemnaberis. Inclusus respondet: Quod juravi, juratus sum: quodque pejeravi, novi: verum dominum meum & creatorem non abjuravi. te vero non audio.

Narrabunt nobis iidem illi patres, & hoc addentes, fuisse in partibus Apameæ feminam quamdam devotam & Christo deditam, quæ puteum fodit. magnos autem sumptus cum fecisset, frustraque laborem expendisset, invenit haudquaquam aquam, magna autem animi molestia cum torqueretur, cum propter labores, tum propter sumptus, in somnis vidit quemdam ad se venientem, & dicentem: Age, mitte ut simulacrum abbæ Theodosii, ejus qui in scopulo vivit, huc afferatur, & Deus tibi dabit aquam. Mulier itaque duos homines misit, qui imaginem afferrent: quæ cum esset allata, demittentes eam in puteum, confestim aqua scaturiit, ut bona pars putei impleretur. Attulit itaque nobis de ista aqua, bibimusque, & Deum nostrum glorificavimus.

Ejusdem.

Narravit nobis Dionysius presbyter ecclesiæ Ascalonis de Ioanne abba anachoreta, dicens: Fuit hic vir nostris temporibus magni nominis, & quod Deo plurimum placeret, miraculum hoc de eo legitur. Habitavit in partibus Sicchus,

Sicchus, ubi possessionem habebat, milliaribus ab Hierosolymis viginti parvis*. Habebat autem senex in spelunca imaginem intemeratæ nostrę deiparæ & semper virginis Mariæ, habentem in ulnis Christum Deum nostrum. Cum autem esset abiturus in desertum vastum, aut Hierosolymam adorandæ crucis gratia & sancta loca, vel in montem Sinai orandi causa, vel ad martyres longe ab Ierusalem distantes, (erat enim studiosus martyrum. nunc enim in Ephesum ad divum Ioannem, nunc vero ad Euchaita ad sanctum Theodorum, vel ad sanctam Teclam in Seleuciam, vel Araphas ad divum Sergium, ibat) candelam parabat, eamque incendebat pro suo more. Et cum accinctus ad iter preces funderet, dicebat ad dominam, totus in imaginem ejus intentus: Sancta domina deipara, quandoquidem restat mihi longum iter conficiendum, candelam tuam cura, eamque inextinctam juxta meum propositum serva. Nam ego tuo fretus subsidio, longum iter ingredior. Hæc autem cum ad imaginem dixisset, abiit, destinatumque iter postquam confecit, rediit, nunc quidem intra mensem, nunc intra duos aut tres. Est & quando quinque aut sex mensibus abfuit, candelam tamen semper accensam deprehendit & ardentem, quemadmodum eam reliquit cum abierat. Neque tamen unquam eam a se extinctam potuit deprehendere, sive de somno excitatus esset, sive ex eremo ad speluncam rediens.

Basilius sanctissimus episcopus Ancyræ dixit: Demonstratum est, sanctarum imaginum usum pervetustæ esse traditionis.

Sanctissimus patriarcha dixit: Iam sane satiati sumus patrum sententiis, novimusque ex iis vetustam esse traditionem, venerandarum imaginum erectionem. Sumus igitur & patrum hac in re imitatores.

Sacra synodus dixit: Imitatores.

Stephanus religiosissimus monachus dixit: Habemus ejusdem argumenti quindecim libros, & si jusseritis.

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Impleti sumus, & sufficit nobis.

Sancta synodus dixit: Sufficit nobis.

Sanctissimus patriarcha dixit: Quandoquidem in præcedenti lectione indicatum est, ab Hebræis, gentilibus, Samaritis, Manichæis & Phantasiastis, ecclesiam veluti in culpam tractam ob sanctarum imaginum cultum, omnibusq; nunc aliter persuasum est, justum est & fratrem nostrum dilectum dominum Ioannem vicarium thronorum apostolicorum orientis audire. Habet enim quædam de origine subversionis imaginum, quæ si vultis audire, narrabit.

Sacra synodus dixit: Cupimus audire, domine, si quid habet.

Ioannes religiosissimus monachus, vicarius orientalium episcoporum, e charta legit: Cupio equidem ego omnium postremus præsentem hanc sacram synodum demonstratione quadam docere, idque omni veritate, qua ratione, quoque tempore, & unde scelestissima ista & a Deo odio habita Christianorum calumnia, & iconoclastarum rabies originem duxerit. Quo autem expeditius & compendio res agatur, de charta mihi pronuntiandum esse statui, ne qua in re veritati parcatur. Cum diem extremum impiorum Arabum tyrannus, quem Suliman nominabant, clausisset, subsecutus illum est Vmarus, qui posteaquam regnum adiisset, Anascaphon Massaman, hostem sane atrocem, per gratiam domini nostri Iesu Christi servatoris, ejusque deiparæ matris, cum magna exercitus sui clade & ignominia a terra ista expulit, in Syriamque fugavit. Neque de redeundo spem illi ullam reliquit. Vmaro autem fato defuncto, Ezidus quispiam homo levis & inconstans regnum accepit. Per ea tempora in Tiberiade dux quispiam erat Hebræorum impiorum, cui nomen Sarantapechys, officina diabolorum, quibus vitiare animas lusus est & jocus, homo præstigiator & veneficus & ecclesiæ Dei hostis implacabilis. Hic animadversa Ezidi regis levitate, hominem aggreditur, pollicetur que Hebræorum ingenita malitia se regi quædam prædicturum, & vatem acturum in maxime necessariis rebus se offert. Ea re cum esset insinuatus tyranno: Volo, inquit, o princeps, modo me audias, rationem quamdam indicare tibi, qua poteris facillime & vitam commodam degere, & triginta annos regnum æquabili in potestate cōservare. Stultus autem tyrannus, spe & desiderio longioris vitæ, animi levitate elatus, (erat enim homo voluptatibus deditus & preditus) respondit: Quæcumque me jusseris facere, modo possim, agam: teque, si modo consecutus fuero quod prædixisti, beneficiis infinitis afficiam. Veneficus autem Hebræus confestim inquit: Sine ulla dilatione jube universum per regnum epistolam, quæ passim circumferatur, scribi & mitti, qua omnem imaginem & picturam, sive ea in tabulis, sive in opere musaico in parietibus, sive in vasis sacris, aut indumentis & altaribus sit, & quæcumque in Christianorum ecclesiis reperitur, deleri, expungi, auferri, & ex toto subverti mandes. Neque illas solum, verum omnes plane similitudines, & earum etiam quæ in foro ornatus & honestatis gratia collocantur. Nulla igitur ratione alia, quam ut odium & furorem adversum Christianos exerceret, præstigiator id tentavit. Tyrannus autem nefandus præstigiatori levitate sua auscultans, missis nuntiis, omnes sanctas imagines & similitudines per universam provinciam abstulit. Hoc itaque modo primum ecclesiæ ornamenta, procurante Hebræo venefico, ablata sunt. Christiani autem cum id suis manibus facere detrectarent, missi sunt Hebræi & Arabes, homines in Deum impii, qui imaginibus exustis, ecclesiarum quasdam calce, quasdam aliis coloribus dealbarunt & incrustarunt. Hæc autem cum pervenissent ad aures pseudoepiscopi Nacoliæ, & qui ejusdem erant cum illo opinionis, impios Hebræos & Arabes imitati, ecclesias Dei veluti crucem Christi verecundantes reddiderunt. Arbitror autem relatu dignum, ut & sanctitas vestra audiat, quem finem ignavus iste & veneficus Hebræus habuerit. Ezidus enim, qui facinus perpetraverat, ultra annum cum dimidiato non vixit, in ignemque æternum descendit: postquam autem mortuus fuit, in pristinum ordinem & statum imagines restitutæ sunt. Filius autem illius Vlidus nomine, indignatus Hebræo, tamquam interfectori patris, turpissima morte hominem mori coegit. Ita is falsi sui vaticinii dignum præmium accepit.

Sanctissimus episcopus Mesenæ dixit: Et ego puerulus eram in Syria, quando Sarracenorum princeps imagines subvertit.

Sabas piissimus monachus & præses Studii dixit: Domine & nos indigni sanctitatis tuæ servi

ACTIO QVINTA.

servi petimus, ut suis in locis imagines restituantur, propriumque & solitum obtineant, Christiani autem apud eas preces fundant.

A

Tarasius sanctissimus patriarcha dixit: Quid dicitis fratres honorandi?

Sancta synodus dixit: Laudamus & nos omnes hos.

Petrus devotissimus presbyter, locum retinens sanctissimi papæ Romani, e charta legit: Tarasio sanctissimo archiepiscopo Constantinopoleos novæ Romæ, & universali patriarchæ, & omni sacræ & universali synodo, Petrus primas presbyterorum sanctissimæ ecclesiæ sancti B & omnibus sæculis celebrati Petri apostoli, & Petrus presbyter & præses sancti Sabæ, ambo vicarii Hadriani sanctissimi papę veteris Romæ: Iustum censemus, ut juxta omnium vestrum sententiam, imo secundum veterem catholicæ ecclesiæ traditionem, quemadmodum sancti patres nos docuerunt, in medium nostri veneranda imago afferatur, quam salutantes, sancti vos sacerdotes, quid de ea fieri debeat, pronuntietis. Deinde aliud capitulum aggrediamur, ut omnia quæ scripta sunt adversus sanctas imagines, aut anathemate devoveantur, aut expungantur, aut igni mancipentur. Et hac de re postulo sacræ synodi sententiam. C

Sacra synodus dixit: Veniat, fiat.

Petrus & Petrus religiosissimi presbyteri, vicarii sanctissimi papæ veteris Romæ, dixerunt: Si jubet sancta synodus, statuatur in crastinum veneranda imago, & omnes eam salutemus.

Sancta synodus dixit: Fiat, fiat.

Ioannes devotissimus monachus, vicarius orientalium archiepiscoporum, dixit: Benedictus Deus, qui hanc Christi amantem Nicensium civitatem in diebus Constantini & Irenes pientissimorum nostrorum imperatorum glorificavit. Benedictus Deus, qui eam duplici gratia dignam censuit. nam & Arius blasphemus D hic subversus est, & nunc iconoclastarum Deo odiosa hæresis per sancta hujus sacræ synodi symbola obscurata est. Benedictus Deus, qui per sanctum apostolum dixit: *Ego sum alpha & omega.* Benedictus Deus, qui ab initio usque in hunc diem orthodoxorum fidem conservavit.

Apocal. 1. & 22.

Sancta synodus in eamdem sententiam proclamavit, secundum singulos versus ter exclamans: Diviniloquorum patrum doctrinæ nos correxerunt. Ex illis haurientes fidem & veritatem, potati sumus. Illos insequentes, mendacium persecuti sumus. Ab illis docti, venerandas imagines amplectimur. Illis ducibus, sanctorum imaginibus juxta honorem adorationem tribuimus. Patres prædicant filiis, filii obedientiæ sumus. Gloriamur in facie matris, nempe in traditione E catholicæ ecclesiæ. Credentes in unum Deum in Trinitate glorificatum, venerandas imagines salutamus. Qui aliter sentiunt, anathema. Qui nobiscum non consentiunt, procul ab ecclesia abigantur. Nos veterem legislationem catholicæ ecclesiæ sequimur. Nos patrum statuta conservamus. Nos eos qui addunt aut auferunt ab ecclesiæ traditionibus, anathematizamus. Nos nuperam & importunam Christianorum accusatorum introductionem & inventionem anathematizamus. Nos venerandas imagines suscipimus. Nos ita non affectos anathemate devovemus.

Christianorum accusatoribus & iconoclastis, anathema.

Qui torquent sententias scripturæ de idolis in venerandas imagines, anathema.

Qui venerandas imagines non complectuntur, anathema.

Qui venerandas imagines idola vocant, anathema.

Qui clamant, Christianos imagines ut deos adorare, anathema.

Qui scienter communicant cum iis, qui ignominia afficiunt sanctas imagines, anathema.

Qui dixerit, alium præter Christum nos ab idolis liberasse, anathema.

Qui dicere audent catholicam ecclesiam aliquando idola admisisse, anathema.

Multi anni Constantini & Irenes. Magnorum regum & imperatorum pacificorum multi anni. Extirpatores nuperæ opinionis domine conserva. Piam illis vitam domine tribue.

ACTIO SEXTA.

In nomine domini & dominatoris nostri Iesu Christi veri Dei nostri, imperantibus piissimis & Christi amantissimis nostris imperatoribus Constantino & Irene ejus devota matre, pridie nonas Octobris, indictione undecima, congregata sancta & universali synodo juxta divinam gratiam, & piorum nostrorum imperatorum a Deo declaratorum mandatum, in Nicæa splendida metropoli provinciæ Bithyniæ, hoc est, Petro religiosissimo primate presbyterorum sanctissimæ Romanæ ecclesiæ beati apostoli Petri, & Petro religiosissimo presbytero, monacho & præside sanctissimi in urbe Roma monasterii sancti Sabæ, tenentibus locum apostolicæ sedis sanctissimi & beatissimi archiepiscopi veteris Romę Hadriani, & Tarasio sanctissimo & beatissimo archiepiscopo inclytæ Constantinopoleos novæ Romæ, Ioanne item & Thoma religiosissimis presbyteris & monachis, locum tenentibus apostolicorum thronorum orientis diœceseos, sedentibus ante sacrum ambonem sanctissimæ magnæ ecclesiæ quæ vocatur Sophia, præsentibus & audientibus gloriosissimis & magnificentissimis ducibus, Petrona glorioso exconsule patricio, comite imperatorii obsequii, & Ioanne regio ostiario quæstore ærarii militaris, ac tota synodo juxta primam ordinationem considente, simul cum devotissimis archimandritis præsidibus monachorum turbæ; dispositis in medium sacris & inviolatis euangelii Dei codicibus, Leo a secretis dixit: Novit sancta & sacra synodus, quod in præcedenti conventu diversas hæreticorum, accusantium sanctam & inculpabilem Christianorum ecclesiam, sententias in sanctarum imaginum dejectione percurrimus. Nunc autem in manibus est scripta eorumdem blasphemia, res, inquam, absurda, & quæ nullo negotio subverti potest, definitionem continens falsæ istius synodi, quam ipsi congregarunt: quæ tamen in omnibus odiosorum Deo hæreticorum impuræ orationi ubique convenit. Neque solum illam afferimus, sed & artificiosam & efficacem ejus confutationem, quam nobis Spiritus sanctus dedit. Oportet enim eorum temeritatem doctis contradictionibus superare, & fortibus resolutionibus dissipare. Hanc autem in præsenti coram sancta synodo deponimus.

Sancta synodus dixit: Legatur.

Ioannes sanctissimus diaconus magnæ ecclesiæ Constantinopolitanę, & cancellarius, legit.

REFVTA-

NO ISTI REFUTATIONIS FALSO NOMINATÆ DEFINITIONIS, A TURBA CHRISTIANI nominis accusatorum confutæ,

TOMUS PRIMUS.

STUDIO est perpetuo dæmoni humani generis osori, hominem ad Dei imaginem factum a Deo quam longissime separare, multijugisque deceptionibus distrahere: neque quidquam illi magis cordi gratiusque quam veram pietatem oppugnare, ecclesiasticæ pacis statum conturbare. Quod sane nostris temporibus non segniter per auxiliares suas copias ostendit, in quibus qui congregati fuerunt, subjectæ expositionis interpretes fuere, & septimam synodum eam vocare ausi sunt, simpliciter omnibus decretum illud & cognitum odium contra idola exclamantes, & tamquam in hamo escam implicantes, abominationes suas & improbas machinationes contra imaginum figuras omnibus proponere studuerunt, simplicioresque rapuerunt, dum antiquatam illam & corruptam idololatriæ vocem in sanctas imagines recudere: per quam sane qui diabolo ejusque perversæ sententiæ in diabolicis statuis, & qua servierunt creaturæ, relicto creatore, idololatræ vocati, recte condemnati sunt. Qui autem Christum induerunt, & per gratiam illius ab idolis & errore liberati, & per illum salvi facti sunt, ejuscemodi conculcantur, eorumque verba, veluti abortiva, quæ confesso vitiata sunt, veluti scelera quædam in ecclesia non ferenda, detestantur. Quamquam autem ea aliquamdiu deliramentis quorumdam, veluti infantes lacte, educata sint, tamen in justam ætatem pervenire non potuere: Spiritus enim sancti gladio occisa sunt. Sed Christus verus Deus noster, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, dirigat cogitata dictaque. Solus enim intellectus est intelligentium & intellectorum, item verbum dicentium & dictorum, omnibus omnia existens & ens, qui dat linguam eruditionis ad cognoscendum, cum opus est, ut verba ferantur. Claritas enim verborum illius illuminat & instruit parvulos, ut mendacium exigatur, veritas autem subintret, omnibus clare & lucide splendescens, quam veritatis imitatores cognoscunt, memores divini apostoli dicen-
.9. tis: *Væ mihi, nisi euangelizem.* Pro hac enim est pugnandum, hæcque defendenda erit, mendacium autem funda spiritus lapidandum. Hinc scriptura & patribus, item indagatoribus & syllogismis, speculationem nugantium, & secundum Phinees venientium, hasta spiritus facile una plaga, eo quod juxta hanc impietatem invicem connexi sunt, dissecuerimus, & falsiloquas eorum linguas per claram demonstrationem omnibus probaverimus, utpote quæ contra unigenitum Filium Dei, & illius ecclesiam exortæ sunt, & impietatem contra illius humanitatis altitudinem locutæ sunt.
4. Ob id machæra spiritus, quod est verbum Dei, vincula eorum dirumpentes, & imperitiæ eorum jugum dissolventes, versutiæ eorum tegumenta aperta omnibus indicemus. Quamobrem dominus illos derisit & subsannavit, ad eos in ira sua loqui-
h.7. tur dicens: *Ite a me, non novi vos.* De quibus per
.14. prophetam Ieremiam locutus est: *Hi prophetarunt mendacia in nomine meo. non enim misi eos, neque præcepi illis. Visiones cordis ipsi locuti sunt, & propter hoc erunt projecti in biviis Ierusalem*; hoc est, in ecclesia catholica; & conculcatio illis, qui recte confiten-
. 49. tur dominum. *Laqueus enim fortis propria labia, & ca-*

A *pientur verbis oris proprii. Retributio enim labiorum eorum debetur illis*, impietatis scilicet redargutio. *Reprehendam enim te*, inquit, *& statuam coram te peccata tua.* Atque hæc quidem hactenus. Ne quid autem longis procemiis orationem extendamus, rectam instantes viam, ad ipsas reprobationes scripti illorum recurramus. Non enim eorum vaniloquentiam apertam, & manifesta convicia indicare poterimus, nisi redarguendo; meliorem contra eos sententiam, judiciumque sinceriùs opponamus. Magnam sane securitatem in eo collocamus, quod nulla recentia inventa ad rem nostram probandam inquirimus, sed apostolicis & patrum doctrinis, item ecclesiasticis constitutionibus acquiescentes, his nostra confirmamus. Rogamus au-
B tem quicumque inciderint in hunc commentarium, ut cum singulari indagatione legant; neque defunctorie inspexisse contenti sint: sic enim clare & vere summam contradictionis intelligentes, victoriæ præmia ecclesiæ persolvent. Usi autem sunt ejuscemodi procemiis.

ACTIO SEXTA. REFUTAT. PARS PRIMA.

GREGORIUS DEI AMANTISSIMUS EPISCOPUS NEOCÆSAREÆ LEGIT:

Definitio sanctæ magnæ & universalis synodi.

Ioannes religiosissimus diaconus & cancellarius legit.

C ICONOCLASTÆ a mendacio inchoantes, per universam hanc novitiam vaniloquentiam synodum in defensionem assumentes, in mendacio quoque cessant. Quo pacto autem sancta dicenda erit, quæ, quid sit sanctum, non intelligit? Execrabilis est, & profana, & adulterina. Nam qui in hac congregati fuere, (ut cum propheta loquar) inter sanctum & profanum non distinxerunt, inter purum & impurum discrimen non statuerunt: imaginem enim domini Dei nostri, cum imagine simul satanæ, idolum appellarunt. Quomodo autem magna & universalis, in quam neque omnes consenserunt, * & reliquarum ecclesiarum præfecti non admiserunt, sed anathemate eam devoverunt? Non habuit cooperarium, ut hæc quæ nunc celebratur, Romanum papam, neque illius sacerdotes, neque
D per vicarios, neque per provinciales literas, quemadmodum fieri in synodis debet. Quin etiam neque concordantes sibi habuit orientis patriarchas, Alexandrinum, inquam, Antiochenum, & urbis sanctæ summos pontifices, neque cum illis etiam mystas & sacerdotes. Vere fumus est, caligine plenus obtenebrans oculos. Insipientium eorum oratio, non lucerna posita super candelabrum, quo lumen præbeat omnibus qui sunt in domo. quamobrem eorum verba veluti sub lectulo enuntiata sunt, non supra montem orthodoxæ fidei: neque in omnem terram apostolice egressus est sonus eorum, aut in fines orbis terrarum verba eorum, quemadmodum sex priores sanctæ univer-
E sales synodi. Septima autem quomodo erit, utpote quæ non concordet cum sex prioribus sanctis & universalibus synodis? Omne enim septimum ordinatum in eadem numeratione, qua res quæ præcesserunt, rebus præcedentibus consentaneum esse debet. Quandoquidem id, quod nihil cum ante numeratis participat, simul connumerari nequit. Veluti si quispiam ordine sex aureos nummos collocet, deinde his addiderit æreum nummum, hunc sane septimum non appellabis, idque propter materiæ diversitatem. Aureus enim preciosus & multi usus, æneus autem neque precio, neque operositate commendabilis. Ita & hæc nihil aureum aut preciosum habens dogmatum, tota subærata est,

Quidquid Gregorius iste post hæc dixisse, aut legisse hoc in loco scribitur, id ex synodo illa falsa VII. dicta sumptum hic confutatur: quare ea quæ hic corsivis (ut vocant) literis exprimuntur, sunt verba synodi falso septimæ dictæ, eaque variatio nõ honoris, sed discretionis causa fit.

Ezech. 22.

* f. & quam

Matth. 5.

Psalm. 18.

ACTIO SEXTA. REFUTAT. PARS PRIMA.

est, adulterina, veneno lethali prægnans, sex sanctis & aureis synodis, quæ verbis Spiritus sancti lucent, connumerari indigna est. Habent autem elationem illius qui dixit: *Ponam thronum meum supra nubes.* Talia pro loquitur.

Isai. 14.

GREGORIUS EPISCOP. NEOCÆSAREÆ.

Sancta magna & universalis synodus, quæ juxta gratiam Dei, & per pium devotorum & orthodoxorum nostrorum imperatorum Constantini & Leonis decretum in hac divinorum studiosa & regia civitate congregata est, in basilica intemeratæ & sanctæ semper virginis deiparæ Mariæ, quæ cognominatur Blachernæ, hæc subscripta determinavit.

IOANNES CANCELLARIUS.

Si per divinam gratiam horum congregatio facta est, quibusnam gratia Dei locutis verbis exornata est? Qua veritate resplendet? Gratia enim cum veritate conjuncta est. Sunt enim hæc duo sub uno jugo, & veluti convictrices. ejus rei testis Ioannes theologiæ princeps: *Gratia & veritas per Iesum Christum* fuit. Ipsi igitur a veritate (in qua gloriatur parœmiasta, hoc est, proverbiorum auctor dicens: *Veritatem meditabuntur fauces meæ*) alieni sunt. *Qui autem ad mendacium festinant, exciderunt a veritate & gratia.* Hinc est quod illorum sermo divino sale non sit conditus, quo gratiam det audientibus. Quod autem aiunt, in sacro virginis nostræ deiparæ templo se congregatos, ne hoc quidem mirum est: nulla enim verecundia ducuntur. Non aliter ac Annas & Caiphas, reliquumque Iudæorum conciliabulum, qui contra Christum convenientes sacrum locum non respexerunt, ut ex eo ab impiis consiliis averterentur. Quinimo ob hoc magis accusandi sunt, utpote qui scelerata & impia conventicula in loco non impio, sed sacro coegerunt. Utinam autem, ut a patrum voce prœmium instituerunt, Dionysii divini voces, ejusque traditiones & sanctorum patrum observassent intemeratas. Profecto non esset quod ob impietatem suam nunc male audirent, quemadmodum per omnem expositionem clarum fiet. Verum per omnia repugnanter & minus cohærenter differentes, veluti lupus ovina pelle tecti, e theologia præfantur.

Ioan. 1.

Prov. 8.

Coloss. 4.

GREGORIUS.

Deitas omnium causa, & perfecte cuncta conficiens, quæ omnia sua bonitate ab iis quæ non erant, ad esse produxit, hæc universa ut ornate & composite ferrentur, definiit; ut bonum juxta gratiam illius traditum habentia habitum, indeclinatam permansionem, & minime labilem ad ambigua nutum statumque veritatis conservent.

EPIPHANIUS DIAC. ET CUBICULARIUS legit.

Omnis creatura a Deo condita, & quæ ab eo quod non est, * id quod jam est, substantialem facultatem sumpsit, nunc ipsius mandato mota & gubernata novit creatoris præceptum servare, veluti ab ipso sic prædisposita, sive inanimata sit, sive animata. Illi autem traditam nobis a Christo in sancta ecclesia ejus, ad recordationem salutiferæ dispensationis illius, observantiam anathemate devovere non dubitarunt. Sed ignorant hi nihil sine Deo in ea fieri. Inveniuntur autem ipsis inanimatis stupidiores, & ratione cassis minus rationabiles. Neque illud dumtaxat, sed recto cursu se ferri arbitrantes, & absurdis sermonibus dogmatibusque falso prædicant sanctam Dei ecclesiam idolis acquievisse. In falso autem spem suam collocantes, eam affantur: *Vias tuas nosse non volumus*, neque traditiones retro traditas sequi curavimus. Non igitur mirum, si a Christo qui fundamenta veritatis collocavit, aliquando audituri sunt: *Non novi vos.* Diabolum autem triumphantem suum, cum ita sentiant, sibi derelinquant.

* f. in id

GREGORIUS.

Posteaquam lucifer ob claritudinem sedem suam apud Deum firmatam habere volens, & contra creatorem suum in superbiam mentis elatus, illinc cum desertorum exercitu ex superillustri Dei principatu per se esset delapsus, cunctorum malorum opifex, auctor, inventor & magister declaratus, defecit, hominem a Deo creatum, in locum, a quo ipse defectus erat, videre non sustinens, omnem adversus eum improbitatem exhausit, & per fraudem illum a gloria & splendore Dei alienavit, & ut creaturam, relicto creatore, adoraret, compulit.

EPIPHANIUS.

Si quidem de ea idololatria & creaturarum adoratione sermo fuisset, quæ ab apostolis, quibus potestas data desuper, & a divinis prophetis, quibus per inflationem divinam sanctus datus est Spiritus, abominata est & renuntiata, omnes sani ecclesiæ alumni cum illis consentirent. Quin etiam tempestivum erat illis, hæc scriptis committere. Verum quoniam illam relinquentes, pro mendacio pugnant, & patrem ejus diabolum veluti superare simulantes, contra irreprehensibilem Dei ecclesiam linguas exerunt, & cauponum more vinum aquis commiscentes, & perdendum errorem proximo propinantes, juste audient divinam vocem, quam in eos divinus vates David intendit, psallens: *Quid est quod narratis justitias meas, & testamentum meum assumitis per os vestrum? Vos autem odistis disciplinam, & ejecistis sermones meos retrorsum*, constituentes partem vestram cum illis qui dogmata veritatis adulterant. Unde simulantes veritatem loquuntur.

GREGORIUS.

Unde opus manus propriæ Deus plasmator in perniciem abire conspicatus, ferre ipsum non potuit. Videns enim quod neque per legis studium, neque per prophetarum sanctorum salutiferam admonitionem genus humanum in pristinam nobilitatem redire posset, filium suum proprium in extremis & definitis temporibus in terram misit, qui patris placito, & Spiritus sancti vivificantis & æquipollentis cooperatione, in utero virginis habitans, & ex sancta & intemerata illius carne, in sua propria substantia sive existentia, carnem accipiens nobis consubstantialem, item hanc mediante anima rationali & intellectuali compingens & configurans, natusque ex ea supra omnem rationem & intellectum, volensque crucem subiens, mortemque eligens, & tertio die a mortuis resurgens, omnem salutarem suam dispensationem implevit.

EPIPHANIUS.

Scriptura dicit, in creatione mundi Deum dixisse: *Faciamus hominem secundum imaginem nostram & similitudinem.* Magna itaque dignitatis magnitudo, qua terrigena imagine Dei honoratus est: sed per deceptionem ex eo statu lapso, neque prioris plasmationis dignitatem servante, genus humanum in idololatriam impegit. Hominem autem hunc Deus & Verbum Patris, perfectus est homo factus, neque naturam commutans, a casu illo erexit, & illum ab errore eximens idolorum, ad immortalitatem formavit, tribuens illi insuper donum certæ spei & confidentiæ, quæ sane priore multo est divinior. Adeoque ipsa formatione melior extitit reformatio,

ANNO CHRISTI 787. tio, quæ est gratia sempiterna. Volentes igitur A donorum magnitudinem obscurare, audenti ore aliam idololatriam successisse, imaginum scilicet apparatum, isti jactitant, & a se novam quamdam ab iis liberationem ostensam jactanter gloriantur, suamque sententiam ornatis verbis consuentes, ecclesiam Dei errasse contendunt, sermonesque suos plusquam oleum emolliunt, dum scripturæ locos quosdam in hoc citant. Sed dolosissima sunt verba eorum, & jaculum vulnerans lingua eorum. Loquuntur enim pacifica, sed in se inimicitiam continent: quare subjungitur.

B

GREGORIVS DEI AMANTISSIMVS EPISCOPVS NEOCÆSAREÆ LEGIT.

Reduxit nos a corruptrice dæmonum doctrina, nempe ab idolorum cultu & errore, & in spiritu & veritate adorationem nobis dedit.

EPIPHANIVS.

Nolentes, optimi viri, ad veritatem trahimini. Omnis enim sanctorum apostolorum consentiens conventus, & patrum multitudo, ad homines venisse Dei filium & Verbum prædicat, C nosque ab idolorum errore reduxisse annuntiat. Quin etiam prænuntiantes voces prophetarum habemus, sic clamantes: *Ecce enim* (inquit dominus) *dies veniunt, & delebo nomina idolorum de terra, & non erit amplius eorum memoria.* Vt sane & vos confiteri cogamini Christum Deum nostrum ab idolorum errore nos abduxisse. Quod si autem abduxit, quomodo rursus in idololatriam inciderunt, qui in illum credunt? Apage cum nugacibus istis deliramentis. Deus incarnatus liberavit, & iterum captivati sumus, & iterum sub potenti manu tyranni sumus? Audite quid scriptura dicat: *Regnum illius, regnum sempiternum; & potentia illius in generationes generationum, regnabitque dominus in æternum: Deus ille tuus Sion in generationem & generationem.* D Non quemadmodum terreni reges, qui nunc quidem victoria superiores, nunc vero inferiores videntur, ita quoque Deus: verum ejus victoria in sæcula perdurabit. *Neque enim Deus instar hominis affectus est, neque ut filius hominis abibit*, ut scriptum est. His autem & apostolus consentit: *Non pœnitenda enim dona Dei*, & judicium illius. Ipsi autem hæc ipsa loquentes, speciosos scilicet se & venerandos exhibere volunt: verum non animadvertunt, quod pugnantia loquantur.

[Margin notes: b. 13. — m. 144. 145. — m. 23. — . 11.]

GREGORIVS.

Et sic in cælos assumptus, sanctos illius discipulos & apostolos doctores ejuscemodi salutaris fidei reliquit, qui nostram sanctam ecclesiam veluti sponsam suam variis pietatis & lucidis dogmatibus exornantes, undique ornatam venustam, veluti aureis tegmentis ornatam indicarunt: cujus speciositatem incly ti nostri patres & doctores, item sex sacræ priores synodi assumentes, incontaminatam conservarunt. E

EPIPHANIVS.

Indocto sane & rudi fastu ingerentes sese, novatæ vaniloquentiæ suæ adulterinam opinionem non intelligunt; & velamento vafro arrogantiam suam obtegere studentes, per negligentiam suam ridiculi reprehenduntur. Laudant enim miris modis ecclesiasticam legislationem, & hanc sex sacras synodos servasse, etsi nolint, fateri coguntur, verbisque lepidis pietatem effigiant, circa sententiam vero depravandam student. Et labiis quidem illam honorant, corde autem quam longissime ab ea absunt. Neque traditionem, tot anteactis sæculis probatam, recipere aut servare desiderant. Vtinam erubescant cum in priscos Christianorum mores inspiciunt, qui nunc dici volunt hoc nomine: sane non damnarent picturarum apparatum, qui ab eo tempore fuit, quo prædicatum est euangelium. Nam ab eo tempore quo celebrata est sacrosancta synodus, usque ad conciliabulum, quo hi convenere qui contra sanctas imagines steterunt, non plus quam septuaginta anni lapsi sunt. Omnibus autem notum est, illis annis sanctorum picturas non fuisse contemptas, omnibus, inquam, hoc notum est. Verum ab illis temporibus, imo (ut verius loquar) ab apostolorum prædicatione extiterunt, quemadmodum omni loco ex earumdem inspectione in templis sacris docemur, id quod & patres sancti testificantur, & historiarũ enarratores tradunt, quorum commentaria etiam in hunc usque diem servantur. In primo enim & quinquies millesimo anno Christus Deus noster ad homines veniens, & triginta tribus annis & mensibus circiter quinq; nobiscum vivens, & magnum illud & salutare mysterium operans, in cælos migravit, ascendens isthuc unde descenderat. Quo sane tempore apostolis mandavit, ut ea quæ a se erant docta, alios deinceps docerent. A temporibus itaque illis usque ad tempora Constantini primi ex imperatoribus plene Christiani, anni propemodum trecenti acti sunt, ante illum fere gentilibus tyrannice regnantibus. Per illa autem tempora Christianorum plurimi certamen præclarum certantes, non sine martyrio vitam hanc liquerunt, idque dum idolorum statum studiose oppugnant. At vero Christianorum cœtus divina æmulatione ducti, templa construxerunt, partim Christi nominis gratia, partim sanctorum martyrum causa. Atque illi quidem historiam humanæ Christi dispensationis in iis pinxerunt, hi vero martyrum gestis effigiandis operam collocarunt. Alii id tabulis expressere, quo martyrum memoriam in oculis perpetuo ferrent, aut ipsius etiam Christi facta: alii autem in vestibus sacratis, in preciosis repositoriis, in quibus incruenta sacrificia peragunt, imagines pinxere. Et sane evidenter hæc ad nostra usque tempora ostenduntur, durabuntque per sæcula, quantumvis amaritudine & bile hæreticorum linguę contra ecclesiam & sex synodos universales flagrent. Ipsæ autem Dei nutu per diversa tempora congregatæ, quo illos subverterent, ea quæ in catholica ecclesia & per scripta & sine scriptis tradita sunt, confirmarunt & stabiliverunt, inter quæ & imaginum etiam confirmationem. Sacra autem sexta & universalis synodus posteaquam sententiam suam de una voluntate Christi sub Constantino, qui per ea tempora imperium administrabat, cujusque nutu & voluntate conventus is erat indictus, pronuntiasset, contigit imperatorem de vita decedere. Iustiniano autem ejus filio imperium assumente, iterum unanimiter omnes divina voluntate post quatuor aut quinque annos congregati, de rebus ecclesiasticis, statusque earum correctione, circiter duos & centum canones edidere, in quorum octuagesimo secundo de imaginibus sic tradiderunt: In quibusdam venerandarum imaginum picturis agnus digito præcursoris indicatus, figuratus est, qui in typum gratiæ

[Right margin: ACTIO SEXTA. REFVTATI PARS PRIMA. — Isa. 29.]

ACTIO SEXTA REFVTAT. PARS II.

est assumptus, verum illum nobis per legem præsignificans agnum Iesum Christum Deum nostrum. Veteres igitur typos & umbras, veluti veritatis symbola & præfigurationes ab ecclesia traditas amplexantes, gratiam & veritatem veneramur, &c. Videmus igitur omnes & intelligimus, quod & ante sacras sex synodos, & post has etiam, sanctorum picturæ in ecclesia traditæ fuerint, non aliter ac sacra euangelii lectio. Nam quæ leguntur, ubi ad aures venerint, ad animum deinde legamus & transmittimus: & quæ oculis videmus in picturis, ea quoque mente complectimur: atque ita per duo ista invicem consequentia, lectionem (inquam) & picturam, unam cognitionem acquirimus, qua ad recordationem rerum gestarum pervenitur. Vnde e duobus istis summis sensibus in canticis canticorum invenire licet efficacem conjunctionem. Sic enim ibi dicitur: *Ostende mihi faciem tuam, & audire fac mihi vocem tuam. Vox enim tua suavis, & facies tua speciosa.* Quibus nos convenienter & illud ex psalmo accantamus: *Quemadmodum audivimus, ita & vidimus.* His igitur sese in hunc modum habentibus, tempestivum contra eos qui in sanctas imagines blaterant, ita dicere: *Vnusquisque vana locutus est ad proximum suum: labia dolosa in corde, & in ore locutus est mala.* A quibus nos gratia Christi liberati sumus.

Cant. 2. Psalm. 47. Psalm. 11.

TOMVS SECVNDVS.

EPIPHANIVS.

IGNORANTES domini, mentiri nescientis, de ecclesia sua promissionem, *Portæ scilicet inferorum non prævalebunt illi*: obstipo capite, & ore minime tecto repugnantissimas afferentes opiniones, ipsi inter se pugnant, & patrum voces suffurati, tamquam proprias sibi adscribunt, sic dicentes.

Matth. 16.

GREGORIVS.

Rursus hujus decorem videre recusans prædictus ille improbitatis architectus, non dubitavit per diversa tempora & modos varios prava quadam persuasione humanum genus sibi subjicere. Quomodo sub prætextu Christianismi idololatriam latenter induxit, propriis suis sophismatibus eos, qui illum respicerent, eo adducens, ut non putarent sibi a creaturis absistendum, verum has adorandas & colendas, Deumque ipsum factitium aliquid esse, Christi nomine appellatum.

EPIPHANIVS.

Qui spiritualem impugnant Ierusalem, videlicet catholicam ecclesiam, configurantur quodammodo iis qui terrestrem Ierusalem oppugnant. Student etiam patrum uti sermone, quemadmodum Rhabsaces aliquando Hebraica lingua contra Israelem usus est. Siquidem contra patres & catholicam ecclesiam hæretici isti patrum doctrinam & ecclesiasticam vocem usurpant. *Sed a fructibus eorum*, inquit dominus, *eos cognoscetis.* Assimilantur enim sepulcris dealbatis, quæ foris quidem hominibus speciosa videntur; quomodo & hi Christianorum accusatores, patrum quidem verbis tecti, intus autem ossibus & impuritate omni, cadaverum (inquam) & fœditatum dogmatibus scatent. Nos autem eorum sepulcrum aperientes, omnem eorum impuritatem ad lucem manifestam producemus, maxime quia juxta libidinem suam ea quæ a patribus sanctis in ecclesia catholica tradita sunt, pervertunt: & vocibus quidem eisdem utuntur, sed sententiam depravant. Nam quæ ipsi contra Arianos determinarunt, hæc illi contra venerandarum imaginum erectionem detorquent. Præclarus enim Gregorius ecclesiæ Nyssensium præsul, in funebri oratione quam habuit in sanctum Basilium & carne & spiritu fratrem suum, quædam contra Arianos decernit, quæ ipsi contra imagines assumpserunt, quemadmodum ex ipsius proœmii argumento videre licet. Habet hoc ad verbum ita: Nullus omnino est, qui scopum illum, quo tempore doctor noster erat, institutorum ignorat. Postquam enim furor ille, quo erga idola animi hominum rapiebantur, prædicatione Christi extinctus est, omnesque culturæ vanarum rerum ruinam fecissent, & essent obscuratæ propter pietatis prædicationem, quæ per universum prope terrarum orbem vagabatur: undique is, qui humanæ naturæ prædominari studebat, prohibitus, per Christi nomen ex terrarum orbe est expulsus. Callidus autem ad improbitatem omnis malitiæ repertor existens, in promptu habuit perversas cogitationes, quo iterum humanum genus per fraudem sibi subjiceret. Enimvero sub prætextu Christianismi idololatriam latentem invexit, propriis suis sophismatibus inducens eos, qui in illum respiciebant, ne putarent sibi a creatura desciscendum, sed hanc adorandam, hanc colendam, Deumque ipsum opus esse, quod Dei appellatione nominaretur. Si vero ex non existentibus est creatio, & divina substantia secundum propriam naturam alterata est, nullam esse hujus rationem habendam: sed Christi nomine creaturæ imposito, hanc adorari debere, huic serviendũ esse, in hac spes omnes salutis ponendas, ab hac judicium expectandum. Et desertor ille & apostata irruens in genus humanum, improbitatem suam multis concessit, Aetio (inquam) & Ario, Eunomio & Eudoxio, & ante illos multis aliis, per quos idololatriam jam cedentem, iterum (ut dictum est) nomine Christianismi induxit, morbusque hic invaluit apud homines, ut creaturam, relicto creatore, adorare gauderent. Huc accessit regum per ea tempora auxilium, quibus eum errorem alere cordi erat. Ita per omnia regna morbus iste invaluit. Cumque omnes propemodum malo superati essent, ecce tibi subito a Deo indicatus est magnus Basilius, quemadmodum Elias tempore Achab, qui religionem lapsam quodammodo suscipiens, tamquam lucernam quamdam deficientem, fidei rationem, per gratiam quam possidebat, iterum ut luceret effecit. 3. Reg. 18.

Videamus quæ sit hoc loco rei veritas. Omnis sane patris sententia in Arianitas expletur. Dicit enim Basilium magnum illis temporibus apparuisse, quibus Arius, Eunomius, Macedonius, Eudoxius, & reliqui scelesti illius & scelerati sodalitii fuere, asserentes filium creaturam esse, & Verbum patris, & dominum nostrum. Hinc Deum, uti creatum, adorantes, juste ab illo & catholica ecclesia idololatræ appellantur. Quamobrem quem adorant, ex non ente ad esse productum, quemadmodum omnium procreationum creatio, asserunt.

Venerandas itaque imagines Christiani neque deos appellant, neque ut Deo cultum exhibent, neque salutis spem in illis constituunt, neque ab iis judicium aliquando futurum expectant. Quod si autem in recordationem & memoriam, item quod singulari quadam affectione in ipsa prototypa ferebantur, salutaverint & honorifice

4. Reg. 18. Matth. 7. Matth. 23.

ANNO CHRISTI 787.

rifice adoraverint imagines, non tamen ob id illis latriam exhibuerunt, aut divinam venerationem adscripserunt. Absit hæc calumniatio. Verum Ariani creaturæ Dei filium & Verbum annumerantes, ab eo spem salvationis concipiebant, & futurum judicium per eum fore arbitrabantur. Ob eam causam admirandus pater illos redarguens dixit: Hanc adorare, nempe creaturam, huic latriam exhibere, in ea spem salutis collocare, ab illa judicium futurum expectare. Nonne igitur hujus scilicet vaniloquentiæ propugnatores, & juxta prophetam, *caupones, miscentes vinum aqua*, veritatis corruptores inveniuntur? Neque id solum, verum etiam patrum traditionum falsarii existunt. Nam quod inquit divinus pater, filii appellatione vocatum: ipsi in imaginum effigurationem sententiam transferentes, pro filii appellatione, Christi scripserunt vocatione. Manifestum siquidem est, cum is dicat filii appellatione nominatum, quod contra Arianos pronuntiet, utpote qui in generationem increatam, & de supernis existentem filii, blasphemabant. Quam ob causam hujus hæreseos antesignanos nominatim perstrinxit, Ario dicens, & Eudoxio, & Eunomio, & Aetio. Verum novi isti hæretici pro filio Christum ponentes, in venerandarum imaginum effigiationem blasphemias convehere studuerunt. Ob id & in hoc falsiloqui, & mendaciorum patroni ostensi sunt, adducuntque quæ non decet, neque fas est usurpare.

(Isai. 1.)

GREGORIVS.

Quamobrem sane, quemadmodum olim dux auctorque nostræ salutis Iesus suos absolute doctos discipulos apostolosque, infusa illis Spiritus sancti potestate, ad ejuscemodi rerum extirpationem misit: ita sane & nunc suos famulos, & qui cum apostolis certant, fideles nostros reges suscitavit, peritos & sufficientes ad componendam, quæ inter nos est, contentionem, & ad disciplinam diabolicæ munitionis subvertendam, quæ erecta est adversus cognitionem Dei, idque in redargutionem diabolici erroris & insidiarum.

EPIPHANIVS.

Quis unquam contumelias tales in altissimum dixit? Quis unquam graviora hac impietate elocutus est? O impudens & improba blasphemia! o dolus occultatus fugatæ versutiæ! utpote cum a diabolo edocti insidias & fraudes loquuntur, quod manifeste & vere ad gloriam Dei ducentem nos contemplationem & inspectionem, per quam humilitatis Verbi Dei altitudinem cognoscimus, & ad memoriam incarnatæ illius dispensationis, passionisque & salutiferæ mortis perducimur, diabolicam munitionem contra cognitionem Dei extructam, & dæmonum insidias, & errores audenti ore appellant. Vere arcum suum ad jaculandum (res infanda) id quod est inculpatum, tetenderunt. Nam si confessum habent, ex alto discipulos, accedente Spiritus sancti ministerio, in extirpationem idolorum virtutem accepisse: quid est quod alios dicunt excitatos, qui de imaginibus traditionem, quæ per octingentos annos valuit, quamque beati patres veluti ancora stabiliverunt & confirmarunt, subverterunt? Nam cum semel a Christo universi ab idolis liberati sumus, quid est quod de iis nos iterum aliquis incuset? Nisi quispiam dicere ausit, post sæcula alias le-

A ges & ordinationes, quæ nos in absurdas occasiones & erroris plenas ducunt, traditas. Hoc enim jactant generosi illi dicentes: Quemadmodum olim salutis nostræ dux & auctor Iesus: Hinc enim subit illis ut ita dicant: Omne quod inveteratum est & senescit, prope est ut intereat: quandoquidem autem apostolorum doctrina inveterata est, consequens est ut novam nos erigamus. Moyses enim & Aaron sacerdotes, inquit apostolus: sed postquam gratia subingressa est, alius nobis sacerdos surrexit. Debebant igitur & ipsi quoque gratiam aliquam amplam invexisse, quæ etiam apostolicam vinceret. Sed operæ pre-

ACTIO SEXTA. REFVTAT. PARS II.

B cium est audire quid dicant: Ad componendam, quæ inter nos est, contentionem & doctrinam, &c. En cum omnes illius synodi fuerint episcopi, & perfectionem apostolicarum institutionum habuerint, alios debebant dissidentes componere, non ab aliis corrigi: ita enim plus extulissent disciplinam & doctrinam traditionum sanctorum apostolorum, patrumq; inclytorum. Quamobrem cum illis & eorum doctrina neque partem, neque locum habent, utpote qui doctrinæ illorum non adhærent. Decantat autem illis David psalmographus dicens: *Perdat dominus labia dolosa, linguam jactabundam.* Dicant nobis, num verus sit David, nosque cum eo, psallens: *Defecerunt jacula inimici in finem, & civitates subvertisti.* Olim enim hostis jacula defecerunt, & civitates, hoc est, munitiones ejus, cum scilicet

(Psal. 11.) (Psal. 9.)

C filius incarnatus est. De quo etiam scriptum est: Dividentur spolia fortis. Non autem de falsa illa synodo, & eorum collegis traditum est: *Defecerunt hostis jacula in finem.* Et si in finem & ubique defecerunt jacula hostis, & si civitates impietatis subversæ sunt, quomodo illas restaurare conantur hi & renovare, ut sibi adscribant earum subversionem, & generis humani liberationem? Deprimentes magnum nostræ salutis mysterium, œconomiam scilicet Christi supra omnes Dei subvertunt, qui vere benedictus in sæcula sæculorum. Amen. Deinde adulationibus ad imperatores usi, sic subjiciunt.

(Luc. 11.)

D

GREGORIVS.

Qui excellenti & divino zelo commoti, fidelium ecclesiam dæmonum fraude deprædatam videre non sustinentes.

EPIPHANIVS.

Talia cum dicunt, non videntur cognoscere promissiones catholicæ ecclesiæ, ab eo, qui illam fundavit Christus, factas: neque confitentur per liberationem eam quæ est in Christo Iesu, humanum genus servatum. Quos enim Deus precioso sanguine suo redemit, eos diabolo revendunt. Quos propria morte vivificavit, eos linguis venenosis occidunt, & in laqueum inferni

E adigunt. Audiant igitur cantica, quæ lepide ad ecclesiam ex persona Christi canuntur: *Tota pulcra es cognata mea, & reprehensio non est in te.* Iam audiverunt illam totam pulcram esse, & cognatam Christi, & absque omni reprehensione. Ad quam per Isaiam loquitur: *In manibus meis descripsi te, & muri tui coram me sunt semper.* Quo pacto autem ecclesia, cum tales promissiones acceperit, ab hostili dæmonum potestate in prædam rapitur? Et ubi Deus est ipsum caput juxta apostolum, quis hanc captivitate pessumdare poterit? Ipse hanc sibiipsi sine macula & ruga addixit, quis autem eam jam inquinabit? Vah cum ista suspicione. Clarum sane est, quod inficiatio

(Cant. 4.) (Isai. 49.) (Ephes. 5.)

ACTIO SEXTA REFVTAT. PARS II.

inficiatio illius humanæ dispensationis ejusmodi opiniones excitet. Sed conati sunt ecclesiam in nihilum redigere: ob id & dominus eos pro nihilo habebit. Eruntque apud omnes qui in ecclesia ejus sunt, contempti & anathematizati. Mansit enim hæc semper prædationi non obnoxia, infracta, inconcussa. Expleti autem adulationibus, in narratione earum quæ apud eos factæ sunt, rerum sermonem gloriosum contexunt.

GREGORIVS.

Vniversum devotorum episcoporum sacrum conventum convocaverunt, quo synodice in unum convenientes, ex sacra scriptura disquisitionem de erronea similitudinum pictura faciant, quæ ab excelsa & Deo decente latria ad humilem, terrestrem & materialem creaturarum latriam hominum mentes detrahit. Hæc, inquam, disquirant, & quid sibi hac de re videatur, exclament, cognoscentes id quod a prophetis dictum est: Labia sacerdotum cognitionem custodient, & legem exquirent ex ore eorum. *Nuntii enim Dei sunt omnipotentis.* Malac. 2.

EPIPHANIVS.

Immemores Verbi Dei ex virgine * generationem, magnum hoc & salutare mysterium, quod ipse nobis incarnatus gratuito donavit, liberando nos ab idolorum errore & insano cultu: hanc ipsi salutem comminuentes, sibi honorem adscripserunt, qua improbe contra catholicam ecclesiam triumphare nituntur. Quibus merito per prophetam Christus alloquitur: *Sacerdotes contaminaverunt leges meas, & sancta mea profanaverunt, inter sanctum & profanum non posuerunt discrimen.* Siquidem imagines domini & sanctorum ejus non discreverunt a dæmonum imaginibus. Quin etiam has simulacra gentium appellantes, sycophantarum more ecclesiam, quam Christus suo sanguine sibi comparavit, accusant, & quod coloribus variis euangelicæ historiæ pingantur, reprehendunt: quam tamen fideles venerandam & sanctam prædicant, cum non respiciant ad ea quæ oculis repræsentantur, sed quæ per res significantur. Nam ut illi qui audiunt auribus, gloriam Deo acclamant: ita qui oculis vident, eumdem glorificant: quia in recordationem conversationis illius inter homines hoc modo pervenimus. Nam si narratio scripta nobis res declarat, quidni & pictura idem demonstret? Qualia autem nugari pergant, videamus. Quæ, aiunt, ab excelsa & Deo decente latria, ad humilem, terrestrem, & materialem creaturarum latriam hominum mentes detrahit. O insanientem linguam, quam instar machæræ acutæ & veneno imbutæ possident, qua Christianorum inculpatam fidem in simulacrorum arbitrantur translatam culturam. Et contumeliose humilem & materialem creaturarum latriam hanc appellant. Nemo enim Christianorum, eorum quæ sub cælo sunt, imagini latriam exhibuit. Etenim hoc est gentilium fabulamentum, dæmonumque inventio, satanicæ demum actiodis aggressio. Verum hoc Christi in hac terra peregrinatione subversum est. Latria nostra est in spiritu & veritate. Inter varia autem quæ Deo dicantur & sanctis ejus, ecclesia quoque ritum imaginum habet. Ipsi autem seipsos redarguunt, cum dicunt: Et quid sibi hac de re videatur. Ignorant igitur quod ore dominico dictum est: *Qui a seipso loquitur, gloriam propriam quærit.* Cum igitur hi a seipsis loquantur, ut testificatum est, & non a spiritu, quis eos audire velit, nisi qui a spiritu alienus existit? Deinde gloriabundi non in domino, sed suorum linguis, sic aiunt.

* generationis aut generati. Ezech. 22. Ioan. 4. Ioan. 7

GREGORIVS.

Et ideo congregata sacra hæc nostra synodus, quam numero trecenti triginta octo constituimus, juxta ritum legislationis synodicæ, voluntarie amplectimur & prædicamus decreta & scita, traditionesque quas illi firmiter approbaverunt, & servare jusserunt.

EPIPHANIVS.

Ingentis multitudinis cœtum habentes, numero & hominum copia jactabundi gloriantur, & quod turbam contra ecclesiam excitarunt: ob id importuno ore & claustrum nesciente, garrire, quæ fas non erat, non cessarunt. Quare juxta populum Hebræum aucti sunt, & multi evaserunt: sed in ipsis sibi non complacuit dominus. Quid vero causæ est? Quia seipsos ab ecclesia expellentes in eremo errarunt, & in sicco & inaquoso spirituale vinum, corda hominum lætificans, non habuerunt. Iterum autem eamdem fabulam inculcant: verbis enim synodicis statutis inhærere pollicentur, factis autem ipsis negant. Quin etiam annumerant synodos universales præhabitas, sic dicentes. Psal.

GREGORIVS.

Et primum quidem, juxta quod sancta synodus magna universalis, quæ temporibus piæ recordationis Constantini magni imperatoris in Nicæa congregata est, quæ impiissimum Arium sacerdotali abdicavit dignitate, propterea quod increatum Filium Dei creaturam esse dixit, cum sit consubstantialis Patri & Spiritui sancto, nec non ejusdem gloriæ & dignationis. Quæ quoque a Deo electum nobis pronuntiavit fidei symbolum. Ita quoque deinceps centum quinquaginta patres congregati in imperatoria civitate, temporibus magni imperatoris Theodosii, Macedonium Spiritus sancti hostem condemnarunt: utpote quem constabat in sanctum & increatum Spiritum blasphemias profudisse. dicebat enim illum Patri & Filio non esse consubstantialem: illa autem synodus, salutaris nostræ symbolum fidei latius extendit, ter sanctum Spiritum & omnipotentem Deum esse prædicans.

EPIPHANIVS.

Has quoque ambas sacras synodos & universales Nestorius impius ille, quique illi aderant hæretici, admiserunt. Eadem etiam ratione & hæc tumultuaria synodus aliam inducens hæresim, a qua, qui huic assentiuntur, Christianorum accusatores a catholica ecclesia nominantur, recepit. Verum hi nihil a dementibus hominibus discrepant. solem enim exortum super terram videntes, & inter se dicentes, splendore solis sidera absconsa sunt, & dies est & non nox; aperta & manifesta otiosiloquentia sua colligentes, admonent.

GREGORIVS.

Post has, ducentorum sanctorum patrum in Ephеso prior congregatio Theodosii junioris imperio, judaizantem & hominis adoratorem Nestorium condemnavit, quia decernebat ipsum Christum proprie ex Deo Verbum, & particulatim alium Christum ex muliere; & proprie quidem creatum Deum Verbum, & particulatim hominẽ. Hinc duas hypostases in uno Christo

Christo constituebat, unionemque juxta hypostasim negabat, secundum quam non alius atque alius adoratur, sed unus intelligitur Christus Iesus unigenitus, una adoratione in propria carne adoratus.

EPIPHANIVS.

Hanc & Eutyches & Dioscorus, & ejusdem farinæ hæretici * confusa Dei appellati, approbant: sed tamen hæretici permanserunt, utpote qui aliam hæresim induxerunt. Recte igitur & illis hi connumerabuntur: vaniloquentiam enim nuperam & hi in ecclesiam adduxerunt. Quemadmodum autem pueri ea quæ a patribus perspicue dicta & facta, ridicule invicem enarrant: ita & hi quoque quæ apud omnes notissima sunt, veluti docendo se proferre putant, & scripto tradunt. Sed apud omnes ridiculi deprehensi sunt. Rursus autem sua propria vaniloquentia utentes dicunt.

GREGORIVS.

Congregata deinde est & in Calchedone magna & universalis synodus, imperante Martiano Dei amantissimo imperatore. Hæc Dioscorum & infelicem Eutychen anathematizavit, docentes in duabus naturis, post exactam juxta hypostasim verbi Dei unionem, non esse eumdem & unum Christum & dominum cum carne, sed ex duabus naturis unitionem factam, unam autem mixtam & confusam perfectam fuisse. Vltra has Constantinopoli congregata Iustiniani imperatoris imperio, qui nunc in Dei pace quiescit, synodus est, quæ Origenem, qui & Adamantius, Euagrium, Didymum, cum gentilibus illorum commentariis anathemate devovit. Præterea Theodorum Mopsuestiæ episcopum, & Diodorum Nestorii præceptorem, Severum, Petrum, Zoaram, cum impiis eorum dogmatibus damnavit. Et epistolam Ibæ appellatam, quæ ad Marim Persam extat. Decreta autem & statuta quartæ synodi universalis approbavit.

EPIPHANIVS.

Vniversales has & sacras synodos, & quæ illas præcesserunt, & Sergius Constantinopolitanus, Cyrus Alexandrinus, & Honorius Romanus, antistites, & omnes illi qui Monothelitæ dicuntur, receperunt: verumtamen ut hæretici a catholica ecclesia damnati sunt, quod nova quædam dogmata per suas hæreses in ecclesiam effuderint. Sic & hi sanctas has & universales synodos recipientes, per novam suam hæresim a catholica ecclesia ejecti sunt. Vana autem de his illorum est oratio & otiosa, neque ulla responsione digna: quia dum sanctas synodos appellant, illis adversari ostenduntur. Quod si autem illud ex ignorantia faciunt, res est & stoliditate & ruditate plena: si vero scientes id perpetrant, impiæ sane & absurdæ conscientiæ. Aut enim synodum synodo sibi adversantem, nobis (nisi sint aliquæ ab ecclesia alienæ & condemnatæ, quemadmodum illorum est) ostendent, aut sanctas has & sinceras sequentur, & quod tota ecclesia, & ipsi recipient. Et si quidem sacras imagines susceperint, ecclesiæ catholicæ adhærebunt, utpote quas sacræ sex universales synodi admiserunt: si vero non sequentur catholicam ecclesiam, nemo eos audiet, utpote qui hujus sacram traditionem non sequantur.

GREGORIVS.

Deinde temporibus Constantini pii imperatoris in hac devota civitate centum septuaginta episcoporum concilium coactum est: in quo Theodorus, quem Pharan vocant, & Cyrus Alexandriæ præsul, & Honorius Romanus episcopus, Sergius item & Paulus, Pyrrhus & Petrus, qui illic præsidebant: item Macarius Antiochenus cum Stephano illius discipulo anathemate percussus est, & extra catholicam ecclesiam ejecit, quod unam voluntatem & operationem in duabus unius Dei nostri Christi naturis statuerunt.

EPIPHANIVS.

Hisce verbulis nihil ædificant: hæc enim antea destructa fuerunt. Adulterina autem cavillatione sacras synodos iterum in medium adducunt, sic dicentes.

GREGORIVS.

Sex igitur istæ sacræ & universales, piæ, & Deo placentes synodi dogmata nostræ inculpatæ fidei ex sanctis euangeliis initiatæ tradiderunt, unam scilicet esse hypostasim in duabus naturis & voluntatibus & operationibus unius Christi domini Dei nostri, illiusque unius esse & miracula & passiones.

EPIPHANIVS.

Ah! quid istud est opinionis & superbæ jactationis? Ecclesiam veluti rudem, & quasi nondum Christi dogmatibus imbutam docere conantur, quæ tamen testimoniis omnium, scientia plena esse deprehenditur, quemadmodum divinus Paulus ecclesiæ mystagogus in spiritus magniloquentia clamat. Sic enim de ea ait: *Vt cognoscatur principatibus & potestatibus per ecclesiam multimode varia Dei sapientia.* (Ephes. 3.) Non igitur recte judicarunt, sed impostorum more, ea quæ non erant dubia, in medium adduxerunt, quæ ecclesia catholica tamquam ancoram firmam & recipit & observat, præceptisque eorum continuo inhæret. Nam & sacræ synodi cum divinis placitis & veneranda imagines admiserunt, & honore & cultu quodam certo eas patres nostri dignati sunt; quin etiam in templis sanctis ab se ædificatis eas collocaverunt: nec illic solum, verum etiam in omni loco convenienti eas pinxerunt salutaruntque. Verum hoc conciliabulum omnem illorum divinum cœtum supergredi ausum est, & suam sedem contra illos posuerunt, juxtaque diabolum patrem mendacii cervices erigentes, quæ sancta erant & sacra contaminaverunt, contempserunt, & in ignem conjecerunt. O violentiam, o insanam audaciam! Pereat eorum superbia: Dominus ex corruptrice malitia illorum populum liberet, omnesque catholicæ ecclesiæ adhærere faciat, & ut euangelicas picturas, & certaminum martyrum effigiationes, quemadmodum ab initio factum est, & ecclesia Dei observat, recipiant, & ut venerentur, efficiat. Deinde eisdem artibus utentes, sic delirando dicunt.

GREGORIVS.

Quæ & nos cum omni diligentia & discussione, consilio tersancti Spiritus exquirentes & cognoscentes, contra ipsum illud salutis nostræ dogma, hoc est, contra Christi œconomiam, nefandam pictorum artem blasphemantem, & sex sacras sanctas synodos subvertentem invenimus.

EPIPHANIVS.

Est & diligentia & discussio, quæ in malo procedit,

ACTIO SEXTA. REFVTAT. PARS II.

cedit, quemadmodum diligentiam & inquisitionem contra proprium patrem suum cum Achitophel exercuit Abesalom. talibus quoque & isti contra sanctos patres usi sunt. Quemadmodum etiam divino consilio, falsorum prophetarum vaticinia oriri * Achaz arbitrabatur: verum spe sua frustratus fuit. Quoniam & Parœmiasta inquit: *Sunt viæ quæ videntur viro rectæ, sed exitus earum in fundum inferni deducunt.* Talia & illis accidunt: nam obnoxii affectibus his, ut hominibus placeant, & de proprio ore loquentes, videntur quidem vias rectas indicare, verum eos qui illis auscultant, in laqueum inferni deducunt. Quomodo enim contra dispensationis Christi mysterium, imaginum pictarum apparatus blasphemias inferunt? aut qua ratione sex sacras synodos contumelia afficiunt? an præter illarum sententiam in ecclesiis imagines collocatæ sunt, cum ipsi illi divini patres nostri, doctorum more & voluntarie veritatem significantes, nostræ salutis mysterium in venerandis templis, pictorum opera utentes, collocarunt? Non autem, ut ipsi aiunt: Quis contra salutis nostræ dogma tempestivum, nimirum adversus Christi dispensationem, nefandam pictorum artem induxit? Nam quod quispiam probat, id vituperari non sustinet. Itaque se delirare cognoscunt, nec nugas suas demonstrari sinunt: arbitrantur autem neminem exorturum, qui fraudes eorum, quibus veritatem deprimunt, se deprehensurum putet. Omnes artes illiberales, quæ a scopo mandatorum Dei declinant, interdictæ sunt. Quæ vero secus agunt, sed in usum aliquem vitæ proficiunt, & non sunt indecoræ, ita a sanctis patribus nostris non sunt damnatæ, nec exclusæ. Picturæ autem arte si in aspectum turpitudinis quispiam usus fuerit, execrabilis est & damnosa: veluti si quis effigies meretricias & spectacula, item molles saltandi flexus, & equestrium certaminum formas, aut si quid his simile fuerit, pingat: sane opus illud turpe & noxium censebitur. Si autem honestorum virorum vitas, & historias certaminum martyrum, eorumdemque passiones, item magni Dei & servatoris nostri Iesu Christi dispensationis mysterium pictura repræsentare voluerimus, tunc quidem pictorum arte utentes, valde recte fecisse dicemur. nam & pictor crucem depingit, neque tamen aliquis, cui sanum cerebrum est, ob eam causam pictorem aversatur, neque a divina gratia illum excludit, quod coloribus eam ornaverit. Rursus & de libris similiter judicandum est. Nam si quispiam turpes historias aut gesta referat, turpis quoque & abjiciendus, & Christianis auribus indignus censebitur: si vero divinitus inspirata verba, & narrationes ad pietatem facientes scribat, commendandus est, & ecclesia Dei non indignus æstimandus. Idem de imagine domini nostri Iesu Christi sanctorumque ejus existimandum. Nam & si quis tibiam aut citharam fecerit, turpe illius opus habebitur: si vero sacrum aliquod vas, suscipiendum quidem hoc erit. Neque quispiam prudens artem vituperaverit, cum quispiam ædificat, quod in vitæ usum ac necessitatem fuerit destinatum. Intentio enim & modus, quorsum scilicet artis opus tendat, inspiciendus. Et si quidem ad pietatem vergat, admittendum erit: si vero ad turpitudinem aliquam, execrandum & rejiciendum. Appingentes autem dictis plures vituperationes, deinceps aiunt.

2. Reg 15. 16. & 17. 3. Reg 18. * Achab

Prov. 14.

GREGORIVS.

Nestorium autem dividentem in filiorum dualitatem unicum filium & verbum Dei pro nobis incarnatum, fingunt.

EPIPHANIVS.

Rursus, quemadmodum & ante diximus, tantummodo pronuntiant, nihil demonstrantes. Quomodo enim Nestorium fingit, qui Christi imaginem pingit? Nestorius duos filios inducit, alterum quidem Verbum patris, alterum autem virginis filium. Veri autem Christiani filium unicum Christum & dominum confitentur. Et cum imaginem illius, quemadmodum caro factus est & habitavit in nobis, perfectus videlicet homo, depingunt, valde recte & pie facere cognoscuntur: est enim Deus verbum in carne apud nos diversatus, non ipsa deitas consideratur depicta. *Deum enim* (ut ait) *nemo vidit unquam.* Siquidem neque depingi, neque videri, neque comprehendi potest, sed tantummodo illius humanitas. Ex duabus enim naturis, & in duabus naturis Christum esse scimus, nempe indivisim divina & humana. Altera quidem ex iis indepingibilis, altera vero pingi valens, in uno Christo consideratur. Et imago non quidem secundum substantiam exemplo primo similis existit, sed tantummodo nominis ratione, & dispositione expressorum lineamentorum per membra. Non enim cum quispiam imaginem alicujus hominis pingit, animam in imagine quærit. Et quidem animæ hominis & divinæ naturæ differentia discreta existit: hæc enim increata est, & temporis nescia, illa vero & creata, & temporaria, & ab hac condita. Nullus autem qui sapit aliquid, hominis imaginem videns, cogitavit hominem ab anima per pictorem separari. Non enim dumtaxat anima privata est imago, sed & ipsa corporis substantia: carne, inquam, musculis, nervis, ossibus, elementis, nempe sanguine, phlegmate, humore & bile, quorum sane commixtio in imagine videri haudquaquam potest. Hæc enim in imagine si conspici possent, hominem utique eam, & non hominis imaginem, appellaremus. Igitur & hæc cum ceteris problematum illorum monstris faciunt. Quæ vero sequuntur, risu digna sunt.

GREGORIVS.

Nec minus Arium, Dioscorum, Eutychen, Severum, qui confusionem & commixtionem duarum naturarum unius Christi statuunt.

EPIPHANIVS.

O incircumspectas & aniles fabulas! magnum enim existimant iisdem insistere nugamentis. Nam aut ignorant, quantum inter se distant hæretici a se numerati, aut voluntarii in has nugas delabuntur. Arii enim & Dioscori & Eutychis hæreses contrariæ quodammodo sunt Nestorio, & inter se non parum pugnant, quamquam impietatis ratione satis conveniant. Arius enim a non existentibus ad esse ante sæcula productum & * increatum Dei patris Verbum dicens, huic impietati & aliam adjicit hæresim. negat enim Christum animam rationalem habere, sed pro ea deitatem, cui affectus applicantur. Dioscorus autem & Eutyches, Nestorio dicenti duas & naturas & hypostases repugnantes, naturas confundentes, unam vaniloque asserunt esse. Et longe

longe a via regia, quæ neque ad dexteram, neque ad sinistram declinat, incedentes, ab apostolica & patrum disciplina exciderunt. Quæ nunc autem concordia & conjunctio catholicæ & sanctæ Dei ecclesiæ, item picturarum explicationibus, cum Ario, Nestorio & Eutyche? verum dant sine mente sonum, & verba inania effutiunt, ab apostolico præcepto longe alienores. sic enim ait apostolus: *Sermo vester sit semper gratiosus, sale conditus.* & bonus Iob eos detestatus, inquit: *Num edetur panis sine sale, aut est gustus in verbis inanibus?* Clarum igitur est, quod & frustra, & inaniter ecclesiam Dei accusant, nunc quidem impio Nestorio & schismatico picturam humanitatis Christi convenire dicentes, nunc B vero Eutychi & Dioscoro impiis illis hæreticis & confundentibus naturas. Clarum autem est, quod inter se sectæ istæ pugnent, & utraque contra ecclesiam insurgat. Nam si duxerimus Nestorium, juxta eorum verba, ecclesiæ adhærere, mendaces deprehenduntur, dicentes eam Eutychen & Dioscorum sequi. Si autem Eutychi & Dioscoro cum ecclesia convenire, & in hoc quoque falsi reperiuntur. Nam ut antea dicebamus, Nestorius & Eutyches inter se pugnant: quare inepta & supervacanea eorum est ratiocinatio.

TOMVS TERTIVS.

EPIPHANIVS.

QVANDOQVIDEM in spinis arantes, aliena ab apostolicis seminibus garriunt, & hæreticorum zizaniorum germinationes colligunt, ad eos Deus per prophetam clamat: *Pastores multi corruperunt vineam meam, contaminaverunt partem meam, hæc dicentes.*

GREGORIVS.

Quamobrem justum censemus, breviter per præsentem hanc nostram definitionem, eorum qui hæc faciunt & venerantur, errorem demonstrare. Igitur sanctorum patrum & universalium synodorum puram & inviolatam & a Deo traditam fidem nostram & confessionem sic observantes, dicimus non debere quemquam divisionem aut confusionem, ultra verum sensum & voluntatem, inexprimibilem & incognoscibilem illam unionem duarum secundum hypostasim unam expressæ personæ naturarum commisceri. D

EPIPHANIVS.

Vere suum errorem ostenderunt vanitatis hujus magistri. Ab omnibus enim sanctis patribus nostris in sex universalibus synodis congregatis, in sanctis templis aliisque convenientibus locis venerandas imaginum picturas collocantibus, propter verba quædam exilia sese abdicarunt: errorem enim esse dicunt, & idololatriam aliam præter dæmonicam istam inducentes, inter duas res contrarias inter se non distinxerunt. E Nam ea quæ in gloriam Christi Dei nostri, & recordationem illius incarnatæ politiæ facta: item quæ in laudem dæmoniorum, eorumque memoriam, a gentilibus & quibusdam Iudæis constructa sunt, una appellatione per ora sua ferunt, jactantque; neque veriti sunt ea scriptis mandare, commiscentes ea quæ misceri nequeunt, & prætexentes occasiones in peccatis, divisionis & confusionis deliramenta in ecclesiam catholicam & theologicam scientiam. Quin etiam nugantur, dicentes nullum divisionis modum in

A unitione Dei verbi secundum hypostasim intelligendum aut excogitandum. Videntur autem illi patrum sententias nunquam legisse: aut si omnino legerint, id defunctorie factum est, & minime diligenter. Gregorius enim theologus ille vanam horum verborum congeriem, sive rhapsodiam dissecat, ita dicens: Quando consideratione distabant naturæ, simul etiam dividebantur nomina. Quin & omnes beati patres nostri confusionem non admittentes, consideratione duas naturas separabiles esse dicunt, idque ratione differentiæ, non divisionis. Itaque necessum est, aut latuisse illos exquisitam horum dogmatum scientiam, aut injuste patres accusavisse, cum ipsi nullo modo divisionem de duabus naturis in unitione dispensationis Christi statuant. Et Nestorius quidem ipsa re distinguit naturas: alıud enim Dei verbum, & alium ex virgine, specialiter ad hominem, & specialiter ad Deum respiciens, existimat. Sed catholica ecclesia a confusione aliam unitionem confitetur, & naturas sola consideratione indivisim distinguit. Nam & post unitionem unum Emmanuel confitetur. Injuriam autem in naribus spirantes, inferunt. [Orat. 1. de Filio ante medium.]

GREGORIVS.

C *Quænam est hæc insana opinio pictorum, ut lucri turpis & miseri causa, ea quæ effici nequeant, studeant conficere, ut & ea quæ ore & corde sunt tantummodo confessa, impiis manibus figurare intendant?*

EPIPHANIVS.

Stupidi est, ejuscemodi verba fundere, animoque tali esse præditum, qui nihil aliud quam probos & innocentes cavillari didicit. Quorsum enim ista insana mens, res in ecclesia sacras nugis & deliramentis æquare? Nam quod dicunt, pictorum esse lucri turpis cupiditatem, ut Christi imagines in templis conspiciantur: non vident & eos lucri cupiditati deditos, qui sacros evangelii codices describunt. Quin etiam appellant illos umbratiles pictores, qui Christum coloribus delineant, depinguntque. Quid ergo? Num & fabrum crucem præparantem, ædificantemve, scæotectona, hoc est, ineptum fabrum & rudem vocabunt? Dicatur & lapicida, qui mensam sacram in ecclesiis polit & aptat, scæolithurgos, id est, improbus lapicida. Similiter aurifaber, & argentarius faber, σκαιοχρυσοχόος, hoc est, ineptus, & minime in ea arte doctus auri cudendi magister, & phrygio: non tamen ob horum insaniam quævis ars & scientia, a Deo ad gloriam illius & nostram utilitatem nostræ vitæ tradita, peribit. Quod autem in crassa ignorantia versentur, & insignite improbi sint, ex sacra scriptura & divinis patrum sententiis audiant. Hæc enim naturæ nostræ a rerum opifice donatam scientiam approbant. Sic enim Iob de Deo dicit? *Quis dedit mulieribus subtegminis & telæ scientiam?* Quin etiam ut asserit testaturque scriptura, a Deo data est Beseleel sapientia in omni fabrili scientia. Sic enim ait Moyses: *Et locutus est dominus ad Moysen, dicens: Ecce nominatim vocavi Beseleel, filium Vria, * filium Or, tribus Iudæ; & implevi illum spiritu divino sapientia eruditionis & scientiæ, ut omne opus fabre excogitet, & faber summus sit, tum in argento & auro, tum ære & ferro, hyacintho & purpura & coccinea tela, & bysso consuendo. Præterea docui* [Iob. 38. secundum translat. LXX.] [Exod. 31.] [* filii]

ACTIO SEXTA. REFVTAT. PARS III.

cui eum lapidicinam ad opera, & fabrilem artem ad ligna usus cujuslibet apparanda. Et dedi illi socium Eliab, filium Scisamachon de tribu Dan; & in corde omnis eruditi collocavi prudentiam, ut faciant omnia quæ mandavi tibi. Quibus sane magnus ille & facundia & eruditione omnigena in theologia Gregorius consona consentientiaque tradit, dicens: Et descendit spiritus domini, & deduxit eos, & spiritus scientiæ replevit Beseleel architectum tabernaculi. Mirum est igitur, cum ex Deo homines isti improbi scientiam esse videant, cognoscantque nobis traditam, quid ita insolenter se gerant. Profecto ob eam causam recensendi sunt inter hæreticos a Deo damnatos. nam ut scriptum est, *Peccatis peccata accumulant.* Germani igitur filii, & non nothi & adulterini, sponsæ exornatæ Christi, quæ neque maculas neque rugas habet, catholicæ ecclesiæ, soli Deo cum obsecratione sacrificia & cultum præsentantes, venerandam Christi imaginem, veræque & indubitatæ virginis nostræ deiparæ, sanctorum angelorum, & omnium denique sanctorum, sensu visus intuentes sanctificantur, & in memoriam eorum animo & corde perpendunt, ut in unum Deum per justitiam credant, & ore confiteantur ad salutem. Eodem modo & euangelii audientes auditione sensitiva sanctificationem, gratia repleti, corde quoque intelligunt scriptorum narrationem. Deinde frustra inflati, aiunt.

Greg. Nazianz. orat. fun. in Basil. circa med.

Isai. 30.

Rom. 10.

A B C

GREGORIVS.

Arbitratus etiam sic est, ipsam imaginem Christum vocando. Est autem Christus hoc nomine Deus & homo. Sequitur, ut & imago Dei sit & hominis: & consequens est, ut aut juxta opinionem vanitatis suæ, deitatem quæ circumscriptione creatæ carnis circumscribi non potest, circumscripserit; aut inconfusam illam unitionem impietatis confusione confuderit, & geminas blasphemias in deitatem & per descriptionem & confusionem intulerit. Iisdem ergo blasphemiis earum adorator involvitur, & væ illud utrisque præmium, quod scilicet & cum Ario, Dioscoro, Eutyche, & Acephalorum hæresi erraverint. D

EPIPHANIVS.

De Spiritu sancto ad Amphil. c. 29.

Non est imaginum structura pictorum inventio, sed ecclesiæ catholicæ probata legislatio & traditio. Nam quod vetustate excellit, venerandum est, ut inquit divinus Basilius. Testatur hoc ipsa rerum antiquitas, & patrum nostrorum, qui Spiritu sancto feruntur, doctrina. Etenim cum has in sacris templis conspicerent, ipsi quoque animo propenso veneranda templa extruentes, in eis quidem gratas orationes suas & incruenta sacrificia Deo omnium rerum domino offerunt. Atqui consilium & traditio ista non est pictoris (ejus enim sola ars est) verum ordinatio & dispositio patrum sanctorum, quæ ædificaverunt. Hoc autem nomen Christus, significativum est & deitatis & humanitatis, duarum Christi perfectarum naturarum. Secundum autem illam naturam qua visus est, homines Christiani illius imaginem depingere didicerunt, non secundum eam qua invisibilis erat. Hæc enim describi non potuit. Audivimus enim ex euangelio, Deum neminem unquam vidisse. Itaque natura humana Christo depicto, ut rei veritas id indicat, secundum nomen tantum Christiani confitentur se adaptare visam imaginem archetypo, & non secundum essentiam. Ipsi autem stolide leves, imaginem & prototypum nihil differre dicunt, & in diversis substantiis identitatem substantiæ indicant.

Ioan. 1.

1. Ioan. 4.

E

Quis autem risu insignem ruditatem & imperitiam non prosequatur, imo magis impietatem eorum non deflebit? Nam in sensum reprobum conversi ea quæ non decent, blaterant: & catholicam Dei ecclesiam propter imaginum apparatum, confusionis causam habere jactitant, & illam deitati speciem circumscriptionis attribuere. Deinde iniquitatem iniquitati superaddentes, væ nobis minantur: sed labor eorum in caput eorum convertetur. Nam si is qui execrabatur veterem Israelem, execrabilis erat, & qui benedicebat, benedictus: quanto magis, qui novum Israelem videntem intelligenter Deum, Dei scilicet ecclesiam execratur, execratione plenus erit? Quis autem illos non detestetur, cum ecclesiam cum Ario, & Dioscoro, & Eutyche, & Acephalorum hæresi, errasse dicant? Hos sane illi magistros & novæ hæreseos suæ antesignanos habent.

In subsequentibus etiam Eusebius Pamphili ab illis in testem advocatur: qui tamen ab omni catholica ecclesia Arianæ hæreseos defensor esse cognoscitur, quemadmodum in commentariis suis & omnibus a se editis libris manifestum fit. Dicit enim secundo loco adorandum Deum verbum & ministrum Patris, & secundas dignitatis partes ferre: qua in re consubstantialitatis opinioni repugnat, & transmutationem sacratæ carnis domini in deitatis naturam tenuit, & ex eo confusionem adstruendo, imagines non recipit. Neque is solum, verum omnium Arianorum insana & impia turba. Opinantur enim, extra animam rationalem, dominum nostrum factum hominem, & pro anima deitatem habuisse, ut affectiones illi quoque assignent, quemadmodum Gregorius theologus testificatur. Et quemadmodum Theopaschitæ hæretici imaginem non admittunt, ita neque Severus, qui confusionem induxit, imaginem Christi Dei nostri in ecclesia [non] recipit, quemadmodum a pluribus historicis illud traditum est.

Quomodo igitur Ario, Dioscoro, Eutychi & Acephalorum hæresi catholicam ecclesiam, quæ imaginum picturas recipit, similem dicunt? Mira profecto sunt. Neque quidquam aliud agunt, quam inanes quasdam blasphemias lingua eorum effrenata eructantes, aerem verberent. Audiant igitur veritatem. Quemadmodum in superioribus diximus, supra omnem circumscriptionem est divina natura: sed humana circumscribi & definiri potest. Neque quisquam adeo delirus est, qui humanam naturam circumscribi posse dicens, per eam circumscribere tentat, quæ circumscribi haudquaquam potest. Dominus enim, quatenus perfectus erat homo, in Galilæa fuit: fuit & in Iudæa. ejus rei fidem ipse faciebat dicens: *Ascendamus in Iudæam iterum.* Et de Lazaro suis discipulis loquens ita ait: *Gaudeo propter vos, ut credatis quod non fuerim ibi.* Quatenus autem Deus est, in omni loco dominationis suæ adest, & usquequaque incircumscriptibilis permanet. Quomodo igitur intemperanti lingua deliramenta ista iteratim effutiunt? Et ita dicunt: Circumscripsit juxta suam opinionem pictor, circumscriptione creatæ carnis, divinitatem, quæ circumscribi non potest. Si in præsepio jacens fasciis * involutus per naturam humanitatis illius divinitatis natura fuit, circumscribetur

N

Gr in ad nu me

Ioa

Ibi

* f ta

circumscribetur & in colorata imagine humanitatis ejus, incircumscriptibilis ejus divinitas. Si vero illud factum non est, neque hoc etiam. Utinam cognoscant divini Dionysii ex libro de hierarchia verbum, sic dicentis: Non enim est exacta similitudo causatis & causis. habent enim causata causarum contingentes imagines: ipsæ vero causæ, secundum proprii principii rationem, exemptæ sunt & supereminent. Ut profecto & illis, qui vel paululum mentis habeant, manifestum sit, collectaneam eorum vaniloquentiam non adversum pictores, sed contra Dei ecclesiam destinatam. Eadem autem impudentia utentes contumaces, dicunt.

GREGORIUS.

Damnati autem a cordatis viris in eo, quod incomprehensibilem & incircumscriptibilem divinam Christi naturam ipsi depingere studuerunt, ad aliam aliquam prava inventione apologiam confugiunt, quod solius carnis, quam vidimus & palpavimus, & cum qua versati sumus, illius inquam imaginem exhibemus: quod sane impium est, & Nestoriana diabolica inventio.

EPIPHANIUS.

Iisdem suis artificiosis technis utuntur iniqui isti veritatis accusatores, quique ad impudentes contradictiones toti propendent. Simul etiam sibiipsis convenientia garrientes, in laqueum blasphemiæ cadunt. Et non sobria verba proferentes, incircumscriptibilem & incomprehensibilem divinam Christi naturam in Christianis accusant, dicentes eos illam circumscribere. Deinde vaframento artis usi, personamque resumentes, mendacium demonstrant, quod carnis solius, quam vidimus & contrectavimus, & cum qua versati sumus, imaginem referimus. Atque id, ut ex hoc rursus in Nestorii dogma ecclesiam abducant. unde & subjiciunt: Quod est impium, & Nestorianæ dæmoniacæ pravitatis inventum. Audiant igitur isti veritatem. Christiani unum Emmanuel Christum Deum noscentes, ipsum pingunt secundum hoc, quo Verbum caro factum est. Varia insuper deliramenta a se rejiciunt, simplici mente omnia, quæ in ecclesia tradita sunt, recipientes: & picturas inspicientes, nihil aliud animo cogitant, quam quod in his significatur. Nam cum in pictura virginem peperisse conspiciunt, angelosque cum pastoribus adstantes, Deum hominem factum esse reputant, natum ob nostram salutem, atque id etiam confitentur, dicentes: Is qui extra carnem est, incarnatus est: Verbum corpus induit, increatus est creatus, intangibilis est palpatus: eumque unum in deitate & humanitate perfectum prædicant. dictum est autem in præcedentibus de Nestorii impia hæresi, quod scilicet imaginum effigiationes nihil cum ea conveniant. Et jam de hac quoque satis dictum est, si modo quippiam de ea dici oportet. Arbitrati autem secum aliquid invenisse, dicunt.

GREGORIUS.

Considerandum est & hoc. Quod si juxta orthodoxos patres simul caro, simul Dei verbi caro nunquam partitionis notitiam suscepisset, sed totaliter tota natura divina assumpta, & totaliter & perfecte deitate arrepta fuisset, quomodo in duas diducetur, & ab impiis illis qui istud facere conantur, privatim separabitur? Consimiliter vero & de sacra ejus anima se habet. Postquam enim assumpsisset deitatis filii in propria hypostasi carnis naturam, inter deitatem & carnis crassitudinem anima mediam se interposuit: & quemadmodum simul caro, simul verbi Dei caro; sic simul anima, simul verbi Dei anima. Et ambabus simul conspectis, videlicet anima & corpore, inseparabilis ab ipsis deitas extitit, & in ipsa etiam disjunctione animæ a corpore in voluntaria passione. Ubi enim anima Christi, illic etiam deitas: & ubi corpus Christi, & illic quoque deitas consistit.

EPIPHANIUS.

Quoties isti, qui catholicam ecclesiam aversantur, improbum & impium aliquem sermonem contexere instituunt, quædam ab omnibus confessa & asserta assumunt, ut propter ista probe dicta, in ceteris quoque fidem acquirant. Quædam enim recte pronuntiantes, litorales lapillos cum unionibus commiscent, & ad proprium vomitum reversi, in duas partes deductum, & privatim separatum unum Christum ab illis qui venerandas imagines recipiunt, docent, & perverse loquuntur de partitione, cujus sententia non est recepta. Sed ut videntur, patrum sententiæ illos latent. Omnes enim consilio quodam & inspiratione divisionem duarum naturarum aperte prædicant. Non quidem rebus ipsis, quemadmodum in superioribus dictum est, ut blasphemus ausus est dicere Nestorius. Sermo autem, qui ob id, quod Christus, quemadmodum fuit perfectus homo, pingatur, divisiones aut privatas separationes, aut alias partitiones factas dicit, a veritate non proficiscitur: neque rursus verus est, qui e contra confusionem jactat, quemadmodum isti falsarii sæpe dixerunt. Aliud enim est imago, aliud prototypum: neque aliquis, modo quid sapiat, proprietates prototypi in imagine exquirit. Nam vera ratio in imagine nihil aliud quam nominis communionem, cujus est imago, neque substantiam prototypi (ut sæpe alias diximus) cognoscit, huc scilicet ipsa significatione dictionum cogente. Desperantes enim contra ecclesiam catholicam se posse aliquid juste objicere, vana quædam & nugacia garriunt, & futili loquacitate auditoribus se insinuare nituntur. Quamobrem & ridiculi apud omnes deprehenduntur, nunc quidem divisionem, nunc confusionem spargentes: & promptissimam, ut verbis peccent, linguam habent. Quare adjiciunt.

GREGORIUS.

Siquidem igitur in passione inseparabilis ab his mansit deitas, quomodo insani isti, & quavis imprudentia irrationaliores, carnem deitati conjunctam & deificatam dividunt, & hanc, ut nudi hominis imaginem, pingere conantur? Et ex hoc in aliud impietatis barathrum labuntur. Nam carnem a deitate separantes, & per se subsistentem eam inducentes, aliamq; personam in carne constituentes, quam in imagine repræsentari dicunt, quartam personam Trinitati adjiciunt, & divinam assertionem prædicant impiam. Itaq; fiet illis qui Christum depingere nituntur, ut aut deitatem circumscriptibilem & cum carne confusam dicant, aut corpus Christi expers deitatis & divisum, præterea personam per se subsistentem in carne asserant: & ita Nestorianæ Deo repugnanti hæresi similes existunt. In talem igitur blasphemiã & impietatẽ cadentes pudore suffundãtur, aversentur seipsos, &

ACTIO SEXTA. REFVTAT. PARS III.

& talia facere desinant: ne hi solum qui faciunt, verum etiam qui falso nomine factam & dictam ab ipsis Christi imaginem venerantur. Absit a nobis ex æquo & Nestorii divisio, & Arii, Dioscori, & Eutychis & Severi confusio, male sibi ipsa repugnantia, & quæ utraque ex æquo impietatem procurant.

EPIPHANIVS.

Nequaquam una via hæreseos, Christianorum accusatorum antesignani incedunt, quemadmodum e contrario orthodoxis mos est regiam viam ambulare, neque huc & illuc declinare, sed in viis domini tantummodo versari: illi autem repugnantissimas inter se opiniones constituentes, propriis sensibus inhærentes, sapientes sibi per omnia videntur. Sed ab Isaia qui veritatem libere proloquitur, audire coguntur: *Væ qui sibi sapientes videntur, & in seipsis eruditi.* Nam quæ nec unquam etiam a Christianis effata sunt, ipsi tamquam confessa accipiunt: falsisque argumentationibus utentes, sophistice ecclesiam invadunt, conviciaque & contumelias quas possunt, congerunt. neque etiam his contenti, impietatis quoque insania laborant. Etenim quæ Diodorus & Theodorus episcopus Mopsuestiæ, item Nestorius, Eutyches, Dioscorus & Severus contra veritatem rabientes adstruxerunt, hæc omnia boni scilicet isti viri ecclesiæ catholicæ adscribunt. Quin etiam malum malo commiscentes, hæresiarcharum istorum verba, deliriis & stoliditate plena & exundantia, cum vero ecclesiæ sermone confundunt. Non aliter autem ac caupones hac in re mihi fecisse videntur. Nam ut illi vinum cum aqua turpis lucri gratia commiscent, ita quoque isti veritatis sermonem cum perverso confundunt. Nam Dioscori hæresis Nestorio plane adversatur: contrarias autem hæreses in una opinione & confessione esse, non contingit. Album enim & nigrum, calidum item ac frigidum, in uno subjecto eodem tempore existere, impossibile: nemo enim in nive calorem, neque in igne frigus deprehenderit. Stoliditatem autem ingenii insani ex his etiam deprehendere licet. Idem esse aiunt, imaginem & exemplar primum imaginis. Eam ob causam ad confusiones & divisiones cogere conantur eos, qui historiam euangelicam depingunt. Nam Eutychianistarum, aut eorum qui unam in unitione secundum hypostasim Christi naturam asserunt, & confusionem ex eo opinantur per subversionem veritatis, qua nihil aliud agunt, quam ut ostendant naturam & hypostasim idem esse: quæ sane inter se differre, veri ecclesiæ catholicæ alumni cognoscunt. ὑπόστασιν enim cum proprietatibus subsistentiam dicimus, ab eo quod est ὑφεστάναι, hoc est, subsistere: φύσιν vero, id est, naturam, rem per se existentem, non indigentem altera ut subsistat, παρὰ τὸ πεφυκέναι, hoc est a nascendo. Hoc modo isti & ipsum Christum & imaginem illius, nihil secundum substantiam inter se differre aiunt. Nam si differentiam cognovissent, monstrosam illam orationem non contexuissent: omnibus siquidem manifestum est, aliud esse imaginem, aliud prototypum. Illa enim res est inanimata, hoc autem anima præditum est. Quandoquidem autem nugati sunt, in imagine divinam naturam circumscribi, excidentes a vero sermone, in reprobum sensum traditi sunt. Petro enim & Paulo in imagine figuratis, certum est eorum non adesse animam: cum neque etiam quispiam, ipso Petri corpore præsente, animam illius videre possit. Et cum ipsa non videatur, quisnam, rogo, qui veritati studet, dixerit, separatam esse carnem Petri ab anima illius? Quæ si ita se habent, quanto magis incircumscriptibilis verbi Dei natura, ex assumpta ab illo carne circumscriptibilis existit? Non enim divina natura ex itinere defatigata fuit, neque a muliercula Samaritide potum petebat: neque cum a Iudæis lapidabatur, divinitatis natura laborabat, aut lapidibus impetebatur. Absit ista a nobis blasphemia. Hæc igitur vaniloquentia iconoclastarum, mirificas strophas & versutias contra imaginum picturam excogitat: quin etiam intemperanti lingua & alia quædam afferunt, iniquitatem iniquitati accumulantes; quartam enim personam ad Trinitatem adjectione nugantur. At qui in gremio ecclesiæ catholicæ tamquam genuini filii se continent, omnia quæ de domino nostro Iesu Christo per œconomiam dispensata sunt, recipientes, Arium Nestorium, Apollinarem, eorumque discipulos Dioscorum & Eutychen execramur, venerandasque imagines suscipimus: Imagines inquam solummodo, neque quidquam aliud eas, quam imagines existimantes, quæ scilicet primi exemplaris nomen tantum habent, ipsam vero substantiam minime. Cancri autem in modum oblique gradientes, ad aliam blasphemiam iter convertunt, dicentes.

GREGORIVS.

Exultent & lætentur, & libertate linguæ fruantur, quicumque veram Christi imaginem, sincerissima mente facientes, desiderant & venerantur, & ad salutem animi corporisque afferunt, quam ipse dominus noster Deus summus sacerdos, ex nobis integre massam assumens, circa passionis tempus in typum & recordationem efficacissimam suis sacerdotibus & mystis tradidit. Nam cum se sponte morti objiceret, gloriosæ, inquam, illi & vivificanti, sumens panem, benedixit postquam gratias egisset, & fregit, tradensque discipulis, dixit: Accipite, manducate in remissionem peccatorum. Hoc est meum corpus. Similiter & calicem tradens dixit: Hic meus est sanguis, hoc facite in mei memoriam. *veluti ne esset ulla alia species electa ab illo, aut quasi non posset ullo alio typo eorum quæ sub cælo sunt, incarnatio illius repræsentari. Ecce igitur vivificantis corporis illius imaginem, quæ honorifice & gloriose exhibita est. Quid enim aliud in his egit Christus Deus? Non sane aliud, quam ut ostenderet & exhiberet nobis hominibus aperte mysterium illud in dispensatione secundum illum operatum. Quia quemadmodum id, quod e nobis assumpsit, materia sola est substantiæ humanæ, juxta omnia non perfecte expressa, quæ per se existit persona, ne adjectio in divinitate accidat: ita & imaginem totam electam, videlicet panis substantiam, mandavit apponi, ne scilicet humana effigie figurata idololatria induceretur. Quemadmodum igitur secundum naturam Christi corpus (utpote quod a Deo esset) sanctum est, sic & positione, videlicet imago ejus sancta, ut quæ per quãdam sanctificationem ipsa Dei gratia manet. Hoc enim (ut diximus) dominus Christus tractavit, ut sicuti carnem quam assumpsit, propria secundum naturam sanctificatione ex sua unitione deificavit: similiter etiam panem eucharistiæ, veluti verã imaginem naturalis carnis per sancti Spiritus aggressionẽ sanctificatam, divinum corpus esse voluit, illiq; sic placuit. Medius autem venit sacerdos, qui ex communi* sanctum

NNO RISTI 87. *sanctum id facit sacra illa anaphora. Ceterum juxta naturam animata & intelligibilis caro domini, per Spiritum sanctum divinitati juncta est. Eodem modo & a Deo tradita imago carnis ejus, panis scilicet divinus impletus est Spiritu sancto, cum poculo quoque sanguinis lateris illius vivificantis. Hæc igitur vera incarnatæ dispensationis Christi Dei nostri imago, quemadmodum prædictum est, quam ipse nobis verus naturæ vividus creator propria voce tradidit.*

EPIPHANIVS.

Videtur quidem tota oratio abominanda. Nam qui semel a veritate exciderunt, in multas & periculosas absurditates per consequentiam proprii erroris deferuntur: sic & istis vaniloquis contigit. Nam a via veritatis descifcentes propter imaginum formationem, in aliam quoque extremam dementiam perducti sunt. Nam tamquam ex Delphico oraculo obliqua ista & perniciosa dogmata vaticinati sunt. Sed a proverbiorum auctore audient:
6. *Laqueus validus viro propria labia, & capietur verbis oris sui.* Ligna enim & fenum & stipulas apposuerunt, quorum finis ad ustionem destinatus est. Nemo enim unquam sanctorum apostolorum, qui tubæ sunt Spiritus sancti, aut gloriosorum patrum nostrorum, incruentum nostrum sacrificium in memoriam passionis Christi domini Dei nostri, & totius suæ dispensationis factum, imaginem corporis illius dixerit. Nam is qui accepit a domino, sic non dicit aut confitetur, sed audiunt eum
8. sic dicentem euangelice: *Nisi comederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non * intrabitis in regnum cælorum: & qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Et cum accepisset panem, & gratias egisset, fregit & dedit discipulis suis, & dixit: Accipite, edite: hoc est corpus meum. Et accepto calice, cum gratias egisset, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Non autem dixit: Sumite, edite imaginem corporis mei. Quin etiam Paulus divinus apostolus, e
11. sacris domini verbis hauriens, dixit: *Ego accepi a domino, quod & tradidi vobis, quia in ea qua traditus est, nocte accepit panem: & postquam gratias egisset, fregit & dixit: Accipite, manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur: hoc facite in meam recordationem. Simili modo & poculum, postquam cœnatus esset, dicens: Hoc poculum novum testamentum est in sanguine meo: hoc facite, quotiescumque biberitis, in meam commemorationem. Quotiescumque panem hunc ederitis, & poculum hoc biberitis, mortem domini annuntiatis.* Legas quousque voles, nunquam invenies, neque dominum, neque apostolos, neque patres incruentum illud sacrificium, quod a sacerdote offertur, imaginem dixisse, verum ipsum corpus, & ipsum sanguinem. Attamen ante sanctificationis consecrationem, quibusdam patribus pie sane visum est, ἀντίτυπα, hoc est, exemplar similis formæ nominare: quorum de numero Eustathius, constans is propugnator orthodoxæ fidei, & Arianicæ insaniæ expugnator clarus; item Basilius ejusdem superstitionis averruncator: qui apertam & planam rectorum & probatorum dogmatum viam docentes, uno ore & spiritu loquuntur: hic quidem, exponens dictum illud in proverbiis Salomonis: Edite meum panem, & bibite vinum quod commiscui vobis: hæc inquit: Per panem & vinum ἀντίτυπα membrorum corporalium Christi prædicat. Ille vero ex eodem fonte hauriens, ut omnes sacerdotii mystæ cognoscunt, in precatione divinæ anaphoræ (*ita Græci missæ partem vocant*) sic alibi legit: Confidentes tuo sacro altari appropinquamus, & proponentes antitypa sancti corporis & sanguinis Christi tui, te precamur & invocamus. Et quæ deinceps sequuntur, sententiam patris amplius confirmant, quod ante sanctificationem antitypa vocaverint, post consecrationem autem, corpus domini & sanguinem Christi, atque ita esse creduntur. Sed generosi isti, sacrarum imaginum cupientes contemplationem obscurare, aliam scilicet imaginem introduxerũt, quæ sane non imago est, sed corpus & sanguis. verum vafritia & improbitate confusi, falso sophismate seipsos subvertunt, hanc sacram oblationem positione fieri dicentes. Verum quemadmodum istud dicere, aperta insania est: sic & imaginem asserere corpus & cruorem domini, ejusdem est dementiæ. Et præter id, quod est singularis ruditatis opus, impietatem quoque admixtam habet. Deinde dimittentes mendacium, quadamtenus veritatem contingunt, confessi divinum corpus panem fieri. At si imago corporis est, non potest sane fieri divinum corpus. Numquid igitur huc illucque se jactantes, inconstantia & minime firma omnia sua dogmata asserunt? Quemadmodum enim oculus conturbatus non recte videt, ita & ipsi pravarum & sententiarum & rationum confusione mentem suam perturbant & pervertunt. Idemque quod insani homines patiuntur, jam hoc, jam illud imaginantes: & nunc quidem sanctum & notabile nostrum sacrificium, imaginem sacri corporis Christi, nunc autem sacrum & divinum corpus asserunt. Hoc autem modo affecti sunt, ut antea etiam diximus, quod imaginum * figurarum contemplationem ab ecclesia rejicere voluerunt, ecclesiasticarum traditionum perversioni insistentes.

ACTIO SEXTA. REFVTAT. PARS IV.

* for. figuratarum

TOMVS QVARTVS.

EPIPHANIVS.

ITERVM insistentes iisdem blasphemiis, linguas suas contumelia tingentes adversum ecclesiam Dei, sic aiunt.

GREGORIVS.

Imaginum autem falsi nominis prava appellatio, neque ex Christi, neque apostolorum, neque patrum traditione cœpit; neque precationem sacram ullam, qua sanctificari posset, habet: sed manet communis & inhonorata, quemadmodum ab artifice pictore absoluta est.

EPIPHANIVS.

Linguam magniloquam possidentes, improbitatem adjiciunt, & longe extra timorem Dei audacia & confidentia cuncta agunt. Nam præter vana nihil cogitant & meditantur. Imagines enim in nomine Christi factas, falsi nominis & improbæ appellationis vocant. Sane si id sub imperatoribus Christianis fecissent, proculdubio meritas pœnas dedissent. Dabunt autem hanc, cum verborum & operum ratio reddetur. Quod autem cum multis aliis, quæ in ecclesia observantur sine scriptura, nobis imaginum veneratio tradita sit ab apostolorum temporibus, late per historias traditum est, de imagine maxime hæmorrhoissæ, quam multis scriptoribus confirmare possumus. Hujusmodi autem cum ipso do-

ACTIO SEXTA. REFUTAT. PARS IV.

Matth. 9.

mino imago, in statuam conflata est. contingit autem ipsa fimbriam statuæ dominicæ, quemadmodum in euangelio traditum: unde etiam salutem consecuta est. atque hæc in libris multorum ecclesiasticorum scriptorum reperire licet. Quin etiam Basilius magnus, cujus scripta per omnes terræ fines resonant, in diversis opusculis suis mentionem imaginum facit. Gregorius etiam illius & carne & spiritu frater, Nyssensium præsul, in sermone in Abraham idem sentit. Item alter Gregorius, qui a theologia nomen sortitus est, in versibus a se conditus, qui de virtute inscribuntur, assentit. & Ioannes qui os auro splendidius & lucidius consecutus est, in oratione funebri in Meletium episcopum Antiochiæ, & in sermone qui inscribitur, quod veteris & novi testamenti unus sit legislator. Cyrillus item expiator Nestorianæ hæresis, in epistola ad Acacium episcopum Scythopoleos, Anastasius episcopus Theopoleos, Sophronius, Maximus. Sed quid hos nominatim citamus? Omnes enim sancti patres nostri imagines receperunt. Quam ob causam mendaces deprehenduntur in hoc, quod dicunt non esse patrum traditionem. At id valde decenter. Nam si euangelium non tradiderunt legendum, tum sane neque imagines fecerunt: si vero illud, etiam & has curarunt edendas. Plane enim pictura convenit cum euangelica narratione. Vtraque honore digna. nam quid aliud quam mutuam enarrationem promittunt, & indubitanter certas inter se demonstrationes & indicationes afferunt? Etenim si dixerimus, sol est super terram, & omnino dies est: sive, Omnino dies, quia sol est super terram: eodem modo res hic se habet. Nam si conspexerimus in imagine angelum annuntiantem virgini, plane in recordationem euangelicæ historiæ venimus, qua narratur, quod angelus Gabriel a Deo ad virginem missus fuerit, & ad illam dixerit: *Salve gratia plena, dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus.* Cum igitur euangelium audimus, & quod ab angelo designatum est percipimus: nonne omnia manifestius & clarius multo intelligimus per picturam contemplantes, quam per simplicem narrationem? Quomodo autem ad aliam ruditatis viam se convertant, operæ precium est audire.

Luc. 1.

GREGORIVS.

Neque precationem ullam qua sanctificari possit, habet, sed manet communis & inhonorata, ut eam absolvit pictor.

EPIPHANIVS.

Veritatem audiant. Multa quæ inter nos sacrata sunt, sacram precationem non accipiunt, cum a seipsis & a nomine suo plena sint sanctificatione & gratia: quapropter ut veneranda & sancta honoramus & amplectimur. Ipse itaque typus salutiferæ crucis, sive sacrata precatione, sive dedicatione, apud nos honorabilis existit. Satisfacit enim nobis figura, quæ tum sanctificationem accipit, cum a nobis fuerit adorata. Nam sive in fronte eam tamquam sigillum imprimimus, sive per vacuum aera crucis signum facimus, speramus & confidimus dæmones crucem posse fugare. Eodem modo per imaginem & per nominis significantiam, quam ad primum exemplar referimus, fieri posse credendum est: quin etiam salutantes eam, & honorifice adorantes, speramus nos sanctificationem consecuturos.

A Nam cum diversa sacra vasa habemus, eaque amplectimur & timemus, sanctificationem quamdam ab iis nos accepisse confidimus: quamquam isti & sacra vasa & crucem nugacibus verbis prosequantur, dicentes ea esse & communia & inhonorata, quemadmodum absolvit ea & faber & pictor & phrygio, quando nullam sanctam precationem habent, quæ ea sanctificet. Volentes autem & alia zizania seminare, tamquam ex spiritu pythonico sic deinceps loquuntur.

GREGORIVS.

B *Quod si autem quidam ex eo errore existentes dixerint, recte & pie a nobis dictum esse, in subversione imaginis Christi a nobis facta, propter indisseparatam & inconfusam essentiam duarum naturarum in una hypostasi convenientium: tamen iterum dubitare oportet, propter imagines ter inculpatæ & supergloriosæ dominæ deiparæ, prophetarum, apostolorum & martyrum, cum sint meri nudique homines, neque ex duabus naturis, divina scilicet & humana, in una hypostasi consistant, quemadmodum in solius Christi imaginibus fieri renuntiavimus.*

EPIPHANIVS.

Nemo eorum qui in ecclesia catholica versantur, cogitaverit hoc modo, aut dixerit, quod recte & pie senserint isti, præsertim in hac nova vaniloquentia: sed quotquot sunt supremi C pontifices & sacerdotes orientis, occidentis, meridiei & septemtrionis, omnes eos qui tali sunt sententia aut opinione, anathemate devoverunt: hujus autem regionis pauci aliquot errarunt, & toto corpore ab ecclesia execti sunt, aut quia domini vocem ignoraverint, aut quia contemptui habuerint, quæ ita tonat: *Quicumque uni ex pusillis istis offendiculo fuerit, satius illi fuerit, ut mola asinaria a collo illius suspensa, projiciatur in mare.* Itaque isti Deum non timentes contra imaginem illius blaterant: neque sanctos illius reverentur, sed & contra illos linguas suas exerunt, sic dicentes.

Ma[tth.]

GREGORIVS.

D *Dubitare autem oportet propter imagines ter inculpatæ & supergloriosæ deiparæ dominæ, prophetarum, apostolorum & martyrum, cum fuerint nudi homines, & non ex duabus naturis constituti, quidnam conveniens aut commodum ad has dicere potuerint, subverso priore argumento. Profecto nihil est quod hic habent.*

EPIPHANIVS.

Neque euangelice, neque apostolice, neque ex scriptis aut patrum sententiis, neque etiam probabilibus ullis argumentis, ut uno dicam verbo, subverterunt ea quæ a nobis pie sunt asserta: sed proprio ore loquentes in aciem contra catholicam ecclesiam sese constituerunt. E Neque enim quidquam habent, quod contra intemeratæ virginis, aut sanctorum imagines vere, pieque asserere possunt, quemadmodum nos, Deo suppeditante orationem, demonstravimus. Nam in præcedentibus ex sanctorum patrum rivis haurientes, imaginis honorem in primum exemplar reverti significavimus. Et qui imaginem imperatoris videt, in ea ipsum imperatorem contemplatur: & qui imaginem ejusdem adorat, ipsum imperatorem quoque adorat: hujus enim forma & figura illius est imago. Et quemadmodum qui desipiens imaginem imperatoris

imperatoris violat, non aliter castigatur, quam si ipsum imperatorem contumelia affecisset, cum tamen illa ipsa imago præter lignum & colores nihil sit, colores inquam cum cera mixtos & contemperatos: eodem modo, qui typum alicujus sive figuram ignominia afficit, in illum ipsum quem typus repræsentat, injurius est. Quin etiam ipsa rerum natura idipsum docet. Hoc etiam universi mortales agnoscunt, patresque sanctos ita tradidisse norunt, & eos qui aliter docent, ecclesiæ catholicæ, imo naturę rerum, contradicere. Rursus autem linguam habentes mendaciis imbutam, impetu verborum ita instant.

GREGORIVS.

Sed quid dicimus de subversione? Quandoquidem catholica nostra ecclesia, media existens inter Iudaismum & gentilitatem, neutram illis consuetam sacrificationem accepit, verum novam pietatis & mysticæ constitutionis a Deo datæ formam & vitam ingreditur. Nam cruenta Iudæorum sacrificia & holocautomata non admittit, & gentilitatis in sacrificando omnem idololatriam & statuarum copiam aversatur. Hæc enim caput & inventrix abominabilis istius artis fuit. Nam cum spem resurrectionis non haberet, dignum sibi ludicrum excogitavit, ut per eum lusum absentes tamquam adhuc præsentes exhiberet. Siquidem igitur nihil novi sapit hæc res, profecto tamquam alienum dæmoniacorum hominum inventum, ab ecclesia Christi longissime abjiciatur.

EPIPHANIVS.

Immoderatæ garrulitatis eorum scriptum belle in deliramentis omnibus est exercitatum, scelestumque & ridiculum propemodum existit. Nam qui in superioribus seipsos propriis suis verbis in præcipitia & barathra conjecerant, nunc in laqueum inferni se protrudunt. Mediam enim inter Iudaismum & gentilitatem Christianam ecclesiam pronuntiant. Deinde sibi iterum male consulentes, dicunt, neutrum illorum sacrificiorum Christianos attigisse. Itaque aut illic mentiuntur, aut hic veritatem non loquuntur. Sed ut verum dicam, sibi mentiuntur. Mendacium enim non modo veritati, sed & sibiipsi contrarium est, quemadmodum sacer psaltes David canit: *Mentita est injustitia sibiipsi.* Basilius itaque Cæsareensium præsul, cujus sonus in totum terrarum orbem egressus est, in ipso procemio libri contra Sabellium scripti, sic inquit: Iudaismus cum gentilitate pugnat, utraque autem cum Christianismo. Isti autem qui sapientia ipsos patres superare sibi videntur, mediam declararunt hisce duobus pugnantibus secum Christianorum fidem. Iudaismus enim deitatis egestatem, gentilitas deorum copiam induxit. Gregorius vero qui a theologiæ professione cognomen accepit, utrorumque horum renuntiationem edisserens, ita inquit: Cum dico Dei, Patris inquam, & Filii & sancti Spiritus, neque ultra hæc deitatem fundo, ne gentem deorum introducamus: neque intra hæc quidquam minus definio, ne divinitatis egestatem decernamus, aut propter monarchiam judaizantes, aut propter copiam gentiliter statuentes. Vitium enim in utrisque, etsi contrariis, simile invenitur. Atque illa quidem sacrificia veteris fuere testamenti, quibus populus Israelita jussis divinis acquiescens adhæsit, hæc autem dæmonum gentilium. Nonne igitur & hoc loco divinis præceptis & mandatis dæmoniaca ista annumerarunt & commiscuerunt? Imaginem enim domini idolum dixerunt, dæmonum imaginibus persimile. Accusant igitur & Abel & Noe & Abraham, propterea quod per animalia sacrificaverint: Item Moysen, Samuelem, David, & reliquos patriarchas, qui nova & gentilia sacrificia Deo obtulerunt: cum tamen scriptura testetur dominum lætatum fuisse in illorum sacrificiis, in odorem suavitatis. Vtinam veritatem non aversarentur: tunc enim facile cognoscerent, ea quæ Deo consecrata sunt, illi esse accepta. Scriptum est enim: *Sacrificaverunt domino Deo suo.* Quæ autem dæmoniis sacrificata sunt, abominanda & respuenda existunt. *Sacrificaverunt enim dæmoniis, & non Deo,* inquit scriptura. A nobis igitur & per nos, bonum & quod bono contrarium est, non autem ex subjecta materia. *Quid enim est idolum?* inquit apostolus: aut quid est id quod idolis fuerit oblatum? Nisi ea quæ sacrificant gentes, dæmoniis sacrificant, non Deo. Maxime autem errantes, & convicia mendaciaque fingentes, inferunt ista.

ACTIO SEXTA REFVTAT. PARS IV.

Deut. 32.

1. Cor. 10.

GREGORIVS.

Cessent itaque ora omnium, quæ loquuntur impia & contumeliosa contra hanc nostram Deo gratam sententiam & decretum. Sancti enim qui Deo placuerunt, & qui ab eo dignitate sanctitatis honorati sunt, etiam si hinc transmigraverint, non tamen eos odiosa mortua ars unquam faciet redivivos. Sed quicumque ex gentilium errore illis statuas aut imagines erigere fuerit conatus, blasphemus judicabitur.

EPIPHANIVS.

Ex his jam lectis verbis alienos docent se & peregrinos a Dei pace, quam dominus noster sincere & minime dolose in eum credentibus dimisit, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Nam quomodo pax esse potest, si contra propriam sententiam & decretum catholica ecclesia insurgat, confirmans & stabiliens eorum traditiones? Quicumque enim divino zelo ducuntur, ubique patrum traditionibus consentanea, & traditioni ecclesiasticorum mandatorum convenientia dicunt; qui vero aliter sentiunt, tamquam inimicos sese abscindunt. Veri autem adoratores, qui in spiritu & veritate Deum colunt, non cessabunt imaginum picturas, quas in historiam & recordationem tantummodo habent, erigere: has venerantes amplectentesque juxta Deo gratam sententiam & decretum suum, thoracem veritatis induent, & hastam Spiritus vibrabunt. Nam qui a sæculo sancti Deo placuerunt, ad nostram utilitatem & salutem vitas depictas nobis relinquentes, & quæ ab ipsis gesta sunt, per picturæ narrationem in catholica ecclesia tradiderunt, maxime in memoriam nostræ mentis, & instructionem eorum politiæ. Etenim & divus Basilius in encomio quadraginta martyrum sic inquit: Agedum in medium eos adducentes recordationis gratia, communem ab illis utilitatem præsentibus constituamus. Ostendemus enim omnibus tamquam in pictura, virorum istorum fortia facta. Nam & bellorum facinora præclara & scriptores historici & pictores sæpius expresserunt: illi quidem oratione rem exornantes, hi autem in tabulis effigurantes: atque ita multos utrique ad fortitudinem excitarunt. Nam quæ sermo historicus per auditum exhibet, hæc pictura tacens per imitationem ostendit. Commiscentes autem encomia suæ versutiæ, sic aiunt.

Ioan. 14.

Ioan. 4.

GREGORIVS.

Quomodo autem & valde laudatam Dei matrem, quam obumbravit plenitudo deitatis, per quam nobis illuxit lumen quod adiri nequit, matrem inquam ipsis cælis altiorem

ACTIO SEXTA. REFVTAT. PARS IV.

altiorem, sanctiorem cherubim, vulgaris gentilium ars pingere audet? Rursus, quomodo eos qui cum Christo regnaturi sunt, & in sedibus cum eo sedebunt judicaturi orbem terrarum, conformes ejus gloriæ, quibus non erat dignus mundus, ut divina " *miracula asserunt, quomodo, inquam, eos non timent per artem gentium exhibere? Profecto non fas est Christianos, qui spem resurrectionis habent, dæmonum culturæ consuetudinibus uti. Et eos qui in tanta & tali gloria resplendebunt, non decebat ignominiosa & mortua materia ignominia afficere. Nos autem ab alienis nostræ fidei demonstrationes non recipimus, & in dæmonibus testimonia non requirimus.*

" oracula

EPIPHANIVS.

In hoc utuntur encomiis, quo simpliciores ad suam vaniloquentiam rapiant. Sed qui mentem habent serpentis, vafritiem vero non habent: item qui simplicitatem columbæ possident, noverunt & verbis & encomiis ter inculpatã & inviolatam vere & proprie Deiparam esse: norunt etiam sanctos venerari, eorumdemque virtutes per historica exempla in memoria habere. Et rursum per specificam effigiationem certamina & virilia eorum facta animo perspicere, & supernis honoribus magnificare, cognoscereque illos secundum divinum apostolum, cum Christo vinctos esse, & pro nobis intercedere, sinceramque & inviolatam fidem & cultum in spiritu & veritate soli Deo offerre, minime vero creaturis illis quæ sunt sub cælo. Quid autem opus erat materiam vituperare, quo veritatem subverterent? Profecto satius fuisset, id quod pejus est evitare, meliora autem eligere: & sacrificia sancta, olim a scriptura probata, erant in mentem revocanda, utpote quæ Deo placuerant: dæmoniorum autem culturæ ab illis erant separandæ, quamquam tamen eadem fuerit utriusque materia, sed altera omni impietate & scelere redundabat. Sed hi respicientes tantummodo in subjectum ipsum, hoc nomine damnant ecclesiam, quod symbola gentilium figmentorum admittat. Non ob id damnata est materia, quod rerum differentes & contrarios usus exhibeat. Nam si turpis est, profecto illius usus rejiciendus est. Porro si sic tandem oportet omnia intelligere & accipere, nihil obstabit, quin omnia ea quæ Deo consecrata sunt, damnentur, sacras dico vestes, vasa sacra, & similia. Nam & gentiles ex auro & argento idola fecerunt, & libamina vini ex eodem libaverunt. Item e farina panes militares militiæ cæli, qui apud Hebræos idololatræ fuerunt, obtulere. Restat igitur ut clarum fiat, illos injuste ecclesiam catholicam accusare. Nam gentiles historicis libris deos suos & dæmones grandibus encomiis prosequuntur: nos autem quemadmodum illi, non facimus; sed omnium Deum, sanctosque illius veris demonstrationibus, non ex alienis acceptis, per encomia prædicamus, Nos enim homines existentes, sensu præditi, ad nostram ignorantiam, & recordationem omnis divinæ & piæ traditionis, rebus sensibilibus utimur. Deinde tamquam adulteratores veritatis, sensum & viam domini subvertentes, dicunt.

Phil. 1.

GREGORIVS.

Ad hæc exquisita & exputata nostra sententia, tum ex scriptura divinitus afflata, tum ex patrum electorum testimoniis efficacibus, convenientibus nobis & asserentibus piam nostram intentionem, exhibebimus nostram definitionem. quibus non contradixerit is, qui conatur hæc in dubium vocare: qui vero ignorat, discat is & erudiatur, quod scilicet a Deo sint. Principio verbum divinæ vocis sic dicentis, præmittimus: Deus est spiritus. *Quicumque Deum adoraverit, in spiritu & veritate adoret. Et iterum:* Deum nemo vidit unquam: neque vocem ejus audivistis, neque formam ejus vidistis. Beati sunt qui non viderunt & crediderunt.

Ioan. 4.
Ioan. 1.

EPIPHANIVS.

Quoties recta dogmata homines juxta suam opinionem subvertere conantur, non miretur aliquis, si scripturæ verba usurpent. Nam & omnes hæresiarchæ suorum errorum occasiones e divina scriptura collegerunt: & quæ recte a Spiritu sancto dicta erant, perversa animi sententia convellunt. Atque hoc coryphæus apostolorum Petrus olim prædixerat, dicens: *Quæ imperiti & minime constantes, secundum proprias cupiditates pervertunt.* Proprium enim est hæreticis, secundum animi cupiditatem cognitionem divinorum & verorum dogmatum subvertere. nam sanctorum patrum universalem hanc sententiam; *Dominus creavit me principium viarum suarum ad opera ipsius,* (quæ de dispensatione Christi secundum carnem exponitur) Arius & Eunomius, eorumque complices, de superna Dei generatione intelligunt, atque ex his veram sententiam perverterunt. Rursus Apollinarius euangelicam vocem male intellexit: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit filius hominis.* Mirum enim est, in quam absurditatem fuerit conjectus, dum conatur ostendere, Deum Verbum cum carne de cælo descendisse, illa, ait, quam in cælis consubstantialem sibi & ante sæcula habuit. quin etiam apostolicum dictum hoc idem adducit: *Secundus homo dominus e cælo,* &c. Deceptus enim est propria sua opinione. Quamobrem non est mirandum, si novæ istius pravitatis hæretici nobis e divina scriptura sumptiones quasdam afferunt: nam e doctoribus suis occasiones sumpserunt, quibus verba quæ de invisibili & incomprehensibili deitate dicta sunt, in dispensationem domini nostri Iesu Christi secundum carnem commutarunt. Quis enim, modo quidquam intelligat, non cognoscit, neminem Deum vidisse unquam? Nam hoc de divina natura scriptum est, quemadmodum & illud: *Neque vocem ejus audivistis, neque formam ejus conspexistis.* Quod si autem hæc secundum humanitatem quispiam intellexerit, totum euangelium subvertet. Vbi enim ista collocabimus, *Dixit dominus discipulis suis?* Et, *Dixit dominus venientibus ad se Iudæis.* Et, *Dixit dominus, Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ.* Aut quomodo rursus hoc intelligemus, *Postquam aperuisset os suum, docuit eos?* Profecto certum est, ista de humanitate dici. Illud vero, *Neque vocem ejus audivistis, neque formam illius contemplati estis,* ad divinam substantiam refertur. Nam qua ratione homo perfectus fuit Deus Verbum, (ut antea diximus) ea sane formam illius inspeximus, & vocem ejus audivimus. Ad hæc & post resurrectionem tangendum se dedit, & discipulis visus est, disserens illis de regno. Post id autem & divinum cultum & adorationem, quam Christiani veram & puram fidem in se servant, honorariæ & obsequenti adorationi assimilaverunt. In his enim duabus rebus omnis eorum perversitas consistit: quamobrem & Christianorum accusatores sunt & dicuntur. Nam cultum Deo convenientem & adorationem Christianos venerandis imaginibus exhibere, ad hæc incircumscriptibilem Dei naturam circumscribere, asserunt. O perversam mentem & stultitiam, aut si quid aliud in eos dici conveniat! Non enim jam amplius habet quo excurrat impia eorum oratio, sed conviciis & sycophãtiis plena existit. Non enim Christiani adorationem in spiritu & veritate imaginibus exhibuerunt, neque

neque etiam divinæ crucis effigiei, neque etiam A unquam invisibilis & incomprehensibilis naturæ imaginem appararunt. Sed quemadmodum Verbum caro factum est, & tabernaculum fecit in nobis, ita quoque humanam ejus œconomiam describunt & depingunt. Cognovimus enim Deum esse Spiritum, & qui adorant eum, in spiritu & veritate id facere debere: & quæ secundum fidem est, adorationem & cultum illi soli, utpote omnium Deo in Trinitate laudato, offerendum. Nam cum divinam crucis effigiem, & venerandas imagines amore & desiderio amplectimur, ad ipsum prototypum respicimus. Quam B ob causam nugamenta illorum vana & nupera, item putrida & a veritate exorbitantia, deprehenduntur, quemadmodum etiam in sequentibus aliena a pietate garriunt.

GREGORIVS.

Et in veteri testamento ait ad Moysen & populum: Non facies tibi idolum, neque omnem similitudinem, quæcumque sunt in cælo supra, & in terra infra. Quam ob causam in monte in medio ignis, vocem verborum vos audivistis, similitudinem autem non vidistis, sed tantummodo vocem.

EPIPHANIVS.

C Ex hoc loco occasionem impietatis hauserunt, qua Christianos veluti pueros larvatis suis sophismatis terrent, hoc modo: Si per imaginariam picturam Christum aut sanctos ejus in memoriam revoces, in idololatriam laberis, & omnem impietatem exerces. Hac enim ratione generosi isti ex illis verbis, Non facies tibi similitudinem, argumentantur. Ipsam autem veritatem in injustitia possidentes, & propriam justitiam quærentes confirmare, ad omnem impietatem seipsos instituunt, continuisque in mendaciis deliciantes, a virtute alienati sunt. nam quæ in veteri lege contra eos qui inter filios Israel vitulum adorabant, & Ægypti abominationibus insistebant, dicuntur, in Christianos quoque jactare non desinunt. Capiuntur autem labiis D proprii oris. Vtinam autem cogitassent, quia dominus eam gentem ducturus erat in terram promissionis, in qua habitabant gentes, quæ adorabant & colebant idola, dæmones, solem, lunam & astra, reliquasque creaturas, quin etiam volucres, quadrupedes, & serpentes, Deum autem verum ignorabant: quare tam diligenter eis præcepit, ne facerent ullam similitudinem eorum, quæ aut in cælo, aut in terra sunt. Postquam autem eos ab idololatria abduxisset, jussissetq; tabernaculum testimonii fabricari, Moyses servus illius fidelis, cui omnia significaverat, sensibilia cherubim, habentia hominum formam, respondentia figura intelligibilibus, ex auro apparavit, inumbrantia propitiatorium, E quod scilicet Christum præfiguravit. nam ipse propitiatio fuit pro peccatis nostris, quemadmodum inquit divinus apostolus. Proinde per duas istas res ad Dei cognitionem illos perduxit, sic dicens: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli latriam exhibebis.* Hoc autem faciens, * & ex auro fusa cherubim obumbrantia propitiatorium, sive adorantia illum; per illa, inquam, adduxit eos, veluti per visum & auditum, ut dominum Deum adorarent, & illi soli servirent. Verum hi, perversione omni plenum habentes animum, apostolicum quoque dictum illud in medium adducunt.

GREGORIVS.

Et mutaverunt gloriam immortalis Dei per imaginem non solum ad mortalis hominis similitudinem effictam, & venerati sunt, & coluerunt ea quæ condita sunt, supra eum qui condidit. *Et sursum:* Si enim cognovimus Christum secundum carnem, jam non cognoscimus: per fidem enim ambulamus, non per speciem. *Et hoc quod ab apostolo aperte dictum est:* Igitur fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Rom.1. 2.Cor.5. Rom.10.

EPIPHANIVS.

Aperte dicere licet, eos similes factos gentibus, qui gloriam Dei mutaverunt, relicto creatore, dum apostolicas sententias secundum proprias cupiditates subvertunt. Clarum enim omnibus est, apostolum gentes reprehendisse, in eo quod ait: *Commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* infert etiam, *volucrum, quadrupedum, & serpentium.* Dolose tamen isti totam phrasim contaminaverunt, ut per eam immutatam simpliciores inescarent, quasi scilicet apostolus de imaginum in ecclesia pictura verba faceret. Nam quæ ab apostolo inferuntur, apertam habent manifestationem: volatilium enim, quadrupedum, & serpentium mentionem facit. Item ea, *& venerati sunt & coluerunt:* creaturas scilicet supra creatorem. Norunt enim qui in historicis triti sunt, Ægyptios olim & boves & reliqua animalia coluisse, ut diversa volatilia, mures, vespas, item vilia alia & abjecta animalium. Persæ vero ignem & solem adorabant. Græci, præter ista, quamvis creaturam colebant. Quin etiam Hebræi quidam, ut testatur liber regum & propheticæ enarrationes. decepti enim sunt omnes, & gentes vanitatem induerunt: quare obscuratum est stultum cor eorum & ante Christi adventum, & post Christum; maxime tamen omnium, antequam in Christum credidissent: clarum enim hoc est. Quod si autem dicant, postquam creditum est in Christum, gentes creaturis & idolis servivisse, œconomiæ, inquam, Christi Dei nostri, falsæ sunt prædictiones in se, quæ per prophetas prænuntiatæ sunt de ecclesia: *Erit Ierusalem sancta, & alienigenæ non ingredientur amplius per eam. Et misericordiam meam non auferam ab ea, neq; testamentum meum profanabo, nec ea quæ per labia mea egressa sunt, irrita faciam.* Quod si autem a cognitione Dei se exterminaverunt, & antequam Christus in mundum veniret, traditi sunt in reprobum sensum servientes diabolo, vana est accusatio, quæ nunc contra Christianos facta est. Proinde Isaias audacter contra eos clamat, dicens: *Væ scribentes iniquitatem. Scribentes enim iniquitatem, scribunt.* Inique enim & malitiose apostoli & scripturæ verba exponentes, mentiuntur, post salutis nostræ mysterium œconomiæ Christi Dei nostri, per quem sumus liberati ab idolorum errore, errorem rediisse, & in idola gloriam esse relatam. Sed Christianorum nullus illis facile crediderit. Confitemur enim omnes, nos ab idolorum errore & omni gentili cultura liberatos tunc, cum Christus secundum carnem ad nos venit. Si vero illi id factum esse negant, cum ecclesia illius non consentiunt. Et ait ad eos apostolus: *Tu quid habes, quod non accepisti?* si vero acceperunt eam liberationem, confiteri debebant, & venerandas imagines admittere, quę ad

Rom. 1. Ioel. 3. Psal. 88. Isai. 10. secundum 70. 1. Cor. 4.

ACTIO SEXTA REFVTAT. PARS IV.

ad oculorum aspectum ecclesiastici decoris gratia nobis sunt factæ, ut narrationes evangelicas per eas in animum & memoriam subinde revocaremus, ut sæpe dictum est. Adducunt autem & alias apostolicas sententias, ita dicentes.

GREGORIVS.

2. Cor. 5. *Si enim cognovimus Christum secundum carnem, jam non cognoscimus: per fidem enim ambulamus, non per speciem.*

EPIPHANIVS.

Chrysost. hom. 11. in 2. ad Cor. Nos in medium adducemus insignes hujus loci interpretes. Ioannes igitur qui ultra aurum & lapidem preciosum eruditionem habet, dictum illud apostoli: *Quare nos hucusque nullum novimus secundum carnem: si vero cognovimus secundum carnem Christum, jam non amplius cognoscimus*: interpretando sic ait: Neminem filium juxta carnem novimus. Quid enim si in carne fuerint, cum vita illa carnalis perierit? de supernis enim nati sumus in spiritu. Novimus etiam aliam vitam, politiam, conversationem, & statum qui in cælis est. Et mox ejusdem ducem Christum existentem ostendit, quapropter etiam induxit: *Si vero juxta carnem Christum novimus, sed amplius jam non cognoscimus.* Agedum igitur num carnem deposuit, & non amplius cum carne est? absit. Nam & nunc in carne est. Act. 1. *Quemadmodum enim Iesus a nobis in cælum assumptus est, ita veniet.* Aut quomodo? in carne cum corpore. Quamobrem ergo inquit: *Nam si Christum secundum carnem cognovimus, sed jam non amplius modo cognoscimus?* Quia si passibilem cognovimus Christum, at jam non amplius. Ad nos enim pertinet secundum carnem, qui in peccatis sumus: sed non secundum carnem huc spectat, quando in peccatis non fuerimus. At cum ad Christum refertur, secundum carnem in affectionibus naturæ esse significat, veluti sitire, esurire, fatigari, dormire. Christus enim peccata non commisit, neque dolus in ore illius inventus est; quam ob causam dixit: Isa. 55. Ioan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & rursum: Ioan. 14. *Venit princeps mundi hujus, & in me nihil invenit.* At non secundum carnem significat, jam liberum esse ab illis passionibus, non quod reliquerit carnem: nam cum hac veniet judicaturus terrarum orbem, cum hac, inquam, passionibus non obnoxia, & sincera, in qua & nos ambulabimus, corporibus nostris conformibus illius glorioso corpori existentibus.

EXPOSITIO CYRILLI in eumdem locum apostoli.

2. Cor 5. Cyrillus. CYRILLVS Alexandrinus fidei nostræ sinceræ propugnator, idem illud dictum explicans, ita commentatur: Quandoquidem unigenitum verbum Dei factus est homo, & radix secunda generis apparuit, non secundum primam quæ ex Adam, sed in melioribus incomparabiliter considerata & existens, contendamus nos ad vitam. Non enim sub morte sumus, sed sub ipsum, quod cuncta vivificat, Verbum. Neque ullus est in carne, hoc est, in infirmitate carnali, qui est interitus. Neque enim hoc dicit apostolus Paulus, quod Christus non est incarnatus: nam quamvis dicat, quod *neminem cognovimus secundum carnem*, non id significat, quasi aliquo modo mortuus fuisset. Hoc enim tantummodo carnis infirmitas. Quod igitur inquit, tale est: Verbum caro factum est, & pro omnibus occubuit: atque ita illum cognovimus secundum carnem, sed amodo non cognoscimus. Nam etsi nunc sit in carne, resurrexit enim tertia die, ascendit in cælos. Verum hæc supra carnem considerantur. Non enim amplius moritur: neque ullam aliam carnis infirmitatem sustinet: enimvero omnibus his superior est veluti Deus. Animadvertitis igitur qui adversari semper didicistis, quod non modo apostolicas sententias pervertitis, sed & sanctis patribus contraria statuitis. Isti enim per prædicta apostolica verba post resurrectionem passiones exuisse ostendunt, & nos veluti factos conformes glorioso illius corpori, non secundum carnem ambulare debere dicunt, hoc est, non insistere carnalibus voluptatibus. Vos vero illorum vestigiis non inhærentes, diversa a patribus sapere gaudetis, & novam quamdam & minime tritam viam incedentes, & vosipsos, & qui vos sequuntur, in præcipitium & rupes ducitis, deinde in laqueos inferni deturbatis. Verum vobis haudquaquam faciliter quispiam assenserit, cum patrum nostrorum sanctorum traditionibus minime inhæreatis. Quod vero sequitur.

GREGORIVS.

Per fidem enim ambulamus, & non per speciem. 2.

EPIPHANIVS.

Hunc locum idem Ioannes Chrysostomus enarrans, ait: Porro ne quis audiens, *peregrinamur a domino*, dicat, cur hæc dicis? Alieni enim ab illo sumus, dum hic agimus: prius hæc corrigit, dicens: *Per fidem enim ambulamus, non per speciem.* Et hic quidem ista scimus, verum haud ita aperte. quod & alibi dicit: *In speculo & ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Atque hæc a divinis istis patribus dicta sunt.. Quamquam etiam aliis in locis ipse apostolus sententiam suam aperte significet, dicens: *Nam quod quispiam videt, * id & sperat: si vero quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.* Manifestum igitur, quod per fidem, non per speciem, ambulamus. Non enim Deum hic videmus, sed credimus in eum: nam & creaturas illius fide dicimus ab illo factas, quemadmodum idem per magniloquentiam spiritus prædicat, dicens: *Fide percipimus sæcula verbo Dei absoluta, ut ex his quæ non apparebant, ea quæ videntur, fierent.* Et contemplantes bene dispositum & ordinatum motum, ad considerationem pervenimus Dei, qui omnia ista sapientia sua fecit. Itaque id est, *per fidem ambulamus, & non per speciem.* Non vero istorum more, (qui indocta sua lingua apostolicam sententiam, quasi contra venerandas imagines faceret, pervertunt) dicta verba exponenda sunt. Nos igitur patrum doctrinas audientes, his adhæreamus, & novam istam vaniloquentiam execremur, dicentes: *Odi ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo.*

TOMVS QVINTVS.

EPIPHANIVS.

QVOD ad omnem improbitatem delati, tandem seipsos in laqueos abduxerint, jam ostensum est. Quod autem nemo eorum qui in ecclesiæ sinu educati sunt, gloriam Dei ex imaginibus, aut alia aliqua creatura immutatam dixerit, age nunc deinceps assertione facta, veritatemque

temque insuperabilem commilitantem habentes, adstruamus. Isti autem additamentis & auctariis malum ditare cupientes, & sanctos patres in medium adducunt, eos hoc nomine insimulantes, quasi contra imaginum picturam scripserint.

GREGORIUS.

Eadem etiam & apostolorum discipuli & successores divini patres nostri tradunt. Epiphanius enim Cyprius inter antesignanos praeclarus, sic inquit: Attendite vobis, ut servetis traditiones quas accepistis. Ne declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram. quibus infert haec: Estote memores dilecti filii, ne in ecclesiam imagines inferatis, neque in sanctorum cœmeteriis eas statuatis, sed perpetuo circumferte Deum in cordibus vestris. Quin etiam neque in domo communi tolerentur. Non enim fas est, Christianum per oculos suspensum teneri, sed per occupationem mentis. Idem in aliis quoque sermonibus suis de imaginum subversione multa dixit, quæ studiosi quærentes, facile invenient.

EPIPHANIUS.

Qui studiosi sunt in rebus ecclesiasticis pervestigandis, invenient istos propriam justitiam asserere cupere, & hoc unum studere, quo gratiæ Dei sese maxime opponant, inque nothis & adulterinis commentariis vim & robur opinionis suæ collocent. Quamobrem eos, tamquam nothos & non germanos fratres, ecclesia catholica recipere recusat, aversaturque illos, & dicit: *Semen Chanaan, & non Iudæ.* Sciunt enim quid ab euangelista dictum sit: *De nobis egressi sunt, sed e nobis non erant: nam si e nobis fuissent, nobiscum mansissent.* Item ab apostolo divino: *Quia post discessum meum ingredientur lupi graves in vos, non parcentes gregi; quo contrahant post se discipulos. Videte autem ne quis sit, qui syllogismis per vanam deceptionem & philosophiam vos seducat.* Et idem rursus inquit: *Omni spiritui ne credatis.* Decet igitur omnem Christianum, cum libros aliquos adulterinos audit aut legit, eos respuere, neque omnino animum adhibere. nam & inter epistolas divini apostoli quædam fertur ad Laodicenses, quam patres nostri tamquam alienam reprobaverunt. Ad hæc Manichæi euangelium secundum Thomam invexerunt: quod ecclesia catholica merito, ut impium, aversatur. Quemadmodum etiam id, quod nunc e beato patre nostro Epiphanio dictum est, cum illius nequaquam existat. Divinus enim hic pater octoginta capitum librum edidit, in quo omnes hæreses gentiles & Iudaicas, item quotquot post Christianismum susceptum invectæ sunt, damnavit: in quo procul dubio & eam posuisset, quæ de imaginibus ab istis fertur, si alienam a Christi religione hanc existimasset. Quod si autem ecclesia has contra venerandas imagines expositiones suscepisset, profecto non fuissent illis * usæ in ornatum templorum ad nostram memoriam juvandam. nam ex illo usu, quem in testimonium afferunt vaniloqui isti, illinc inquam subversionem habet. Beatus enim pater Epiphanius temporibus Arcadii & Theodosii floruit: ab eo igitur tempore ad hanc hæresim usque, anni sunt quadringenti; & tamen libros illos contra imagines nemo Christianorum, præter istos novitatis magistros, recepit. Quod si tanto tempore in ecclesia non sunt recepti, quamobrem nunc a nobis recipi debent? Nam quam afferunt quidam istorum epistolam, veluti scriptam a beato Epiphanio Cypriorum præsule ad Theodosium imperatorem, nos eam in manibus sumentes, & diligenter & minime defunctorie legentes, invenimus circa finem epistolæ ejuscemodi emphasim: Sæpe enim * ministris meis de imaginum ablatione egi: sed ab iis non receptus sum, neque vel in paucis vocem meam audire sustinuerunt. Attendamus autem qui floruerint per tempora supradicti patris nostri Epiphanii in ecclesia, quos tamquam gloriosos doctores & tuta munimenta ecclesiæ dicere possumus. Profecto Basilius sermone & opere magnus, Gregorius cognomento theologus, Gregorius Nyssensium episcopus, quem omnes patrum patrem vocant. Ioannes item, cujus a lingua fluit vox melle dulcior: quamobrem & Chrysostomi appellationem meruit. præter hos etiam Ambrosius, Amphilochius, Cyrillus Hierosolymorum episcopus. Quod si is qui hanc expositionem dictorum contra venerandas imagines edidit, ait se a sanctis patribus qui per ea tempora floruerunt, non fuisse receptum: quomodo ea quæ sancti patres non probaverunt, nos qui circa fines temporum & seculorum occurrimus, quique verbi & cognitionis usu deficimur, & indigni sumus, ut discipuli illorum vocemur, recipiemus, præsertim cum falso contra ecclesiam edita sint? Apage cum ista impia & intolerabili editione. A ratione deviarunt, qui illam contra ecclesiam inferunt. Nos autem Christicolæ, dictum illud apostoli cogitemus: Traditiones quas accepimus, eas servemus, & profanas vaniloquentias recusemus, eaq; omnia falsa & efficta cognoscamus. Libri enim beati patris nostri Epiphanii, præcipue is qui dicitur Ancyrotus, & reliqui quoque per universum terrarum orbem sunt famigerati, quod sonus eorum ita sit per omnes ecclesias paucis etiam temporibus sparsus. * atque contra sanctas imagines verbula scripta sunt, eorum vix tres aut quatuor libelli per omnem ecclesiam reperiuntur, modo non sint nuper editi. Quod si autem essent legitimi in catholica ecclesia, quemadmodum est Ancyrotus beati Epiphanii, profecto per omnes ecclesias essent dispersi. Verum ut novitii & alieni, falsique ab ecclesia existimati sunt, nec unquam fuere recepti. Quam ob causam neq; nunc etiam recipiendi sunt, quo pax Dei, & quę ab initio traditio existit, in ecclesiis conservetur. Neque hic linguas suas acuant & exerceant vaniloqui isti accusatores recte sentientium, quasi illi qui antiquã ecclesiæ traditionem recipiunt, beato Epiphanio adversentur. Nequaquam. Commentarium enim illum rejicimus, beatum autem patrem catholicæ ecclesiæ doctorem agnoscimus. Nam & divini patres, qui in quarta universali synodo fuerunt congregati, epistolam quæ nomine Ibæ episcopi Edessæ ad Marim Persam circumferebatur, anathemate damnarunt, quasi Nestorio consentientem. eodem modo qui in sacra quinta synodo convenerant: ipsum autem Ibam, nequaquam. Non enim demonstrari poterat, quod esset Ibæ. Quamobrẽ in anathematismis non ipsum Ibam devoverunt, sed Ibæ epistolam. Dicebatur enim Ibæ, cum tamen illius haudquaquam esset. Sic igitur ista falsa scripta contra venerandas imagines, dicuntur quidem a quibusdam Epiphanii, non tamen sunt, ut demonstratum est: nam & illius discipuli templum in Cypro, quod ejusdem patris nomine appellaverunt, ædificarunt, & cum multis aliis picturis, illius quoque imaginem ibidem collocarunt. Quod si autem

Marginal notes: * *f.* ministris. — 2. *Thes.* 2. 2. *Tim.* 3. *Tit.* 3. — * *f.* at quæ

tem is tantopere venerandarum imaginum inspectionem fuisset execratus, quomodo in tantam audaciam illius discipuli erupissent, ut illi imaginem collocarent? Iudicate omnes qui auditis, & verum a falso discernite, quia editiones istæ non sunt beati istius patris, sed potius Manichaicæ, quas veluti amara bile plenas fugiamus. Manichæi enim, & quicumque confusionis fuerunt auctores, contemplationem istam numquam ferre potuerunt: non enim accedunt ad hoc, quod Deus Verbum in carne sit homo factus, sed tantummodo secundum existimationem & phantasiam. quamobrem illi alia pro aliis imaginantes, subjiciunt hæc.

ACTIO SEXTA REFUTAT. PARS V.

GREGORIUS.

Similiter & Gregorius theologus in versibus suis dicit: Flagitium est, fidem habere in coloribus, & non in corde. Ea enim quæ in coloribus exstitit, faciliter eluitur: quæ vero in profundo mentis, illa mihi amica.

EPIPHANIUS.

Perverse rursus cogitantes, & aliud dictum Gregorii scilicet theologi subjiciunt, quod a dicto patre sic editum est: Flagitium, fidem habere in coloribus, non in animis; quæ facile elui potest: sed profunditas mihi cara. Ab his autem sic falso scribitur: Flagitium est, fidem habere in coloribus, & non in corde. ea enim quæ in coloribus exstitit, faciliter eluitur; quæ vero in profundo mentis, illa mihi amica. Obturarunt sane aures, & oculos clauserunt. nam isti qui ecclesiasticas traditiones rejiciunt, recta intelligere & considerare nequeunt. Auditionem enim audierunt, & non intellexerunt: videntes viderunt, & non cognoverunt. Indurati enim corde, patrum doctrinas secundum proprias cupiditates pervertunt. Beatus enim Gregorius theologus in metricis suis opusculis dictum illud, quod hi citant, ad moralem quemdam sensum attulit: corrigit enim vitam nostram, ut absistamus a temporalibus & mundanis rebus, voluptatibus scilicet carnalibus; & spiritualem rursus vitam, quæ ad cælestia perducat, eligamus: nec credamus mundo huic, neque temporaneis & non manentibus adhæreamus: (hæc enim colores vocavit) sed potius spiritualibus & veris insistamus, quæ in corde stabilimentum habent, & in æternum manent. Vita autem nostra fluxilis & advena quædam est. Quemadmodum enim color & atramentum facile abluitur, aut a pictore transformatur: sic etiam in hac vita nostra contingit, sicut & ipse alibi dicit: Orbis quidam versat nostras res. fit enim aliquando, ut in uno die aut hora multas ferat mutationes. Omnia enim umbræ in modum obscurantur & pereunt humana: & bulla difflabilior est humanę potentiæ superbia. *Omnis enim homo fenum, & omnis hominum gloria sicut flos feni.* At spiritualium operum demonstratio perfecta est, & in manentibus habet retributionem. Nam si contra imagines ab illo dictum fuisset, dixisset potius: Flagitium est, fidem habere in coloribus, & non in Deum. Sed ipse subjecit, non in animis, quæ sunt fixa, firma & certa, ut operemur quæ sunt regni cælorum, non vero mundi hujus, quæ tamquam fluxa & celeriter se mutantia, fidem non habent. Rursus vero allegorice referentes, & omnia secundum propriam mentem adducentes, magnorum sacerdotum Ioannis & Basilii verba citant.

In distich.

Isai. 40.

GREGORIUS.

Ioannes autem Chrysostomus sic docet: Nos per scripta, sanctorum fruimur præsentia, non sane corporum ipsorum, sed animarum imagines habentes. Nam quæ ab ipsis dicta sunt, animarum illorum imagines sunt. Maxima vero ad recti investigationem, inquit magnus Basilius, meditatio scripturarum divino afflatu nobis datarum. In his enim & rerum argumenta inveniuntur, & vitæ beatorum virorum perscriptæ veluti imagines quædam animatæ, secundum Deum politica imitatione operum exhibentur.

EPIPHANIUS.

Qui quidquam recte sapit, nequaquam hæc ad subversionem sacrarum imaginum pertinere intellexerit. Omnibus enim manifestum est, cum audivimus virilia & fortia sanctorum facta, constantiam firmitudinemque animorum illorum nos beatificare & laudare: quin etiam cum in divinis scripturis sanctorum vitas legimus, cumque in picturis easdem contemplamur, in memoriam revocamus, quantopere in Deum fervore fuerint accensi. nam quæ oratio per auditum exhibet, hæc scriptura tacens per imitationem ostendit, ut magnus inquit Basilius. Sed & Ioannes Chrysostomus in sermone, quod veteris & novi testamenti unus sit legislator, & in vestitum sacerdotis, cujus initium: Regni Christi euangelium prædicant quidem prophetæ. Inter reliqua: Ego & ex cera fusilem adamavi picturam pietatis causa. Vidi enim angelum in imagine, propulsantem barbarorum gentem pedibus conculcatam, & David vere dicentem: *Domine, in civitate tua imaginem eorum comminues.* Demonstratum igitur satis est, ea quæ a sanctis patribus recte tradita sunt, ab his qui extra divinum chorum sunt, perverti. Insistunt etiam adhuc in eadem improbitate, cum ea quæ a beato patre nostro Athanasio contra idola dicta sunt, in subversionem imaginum picturæque allegant.

GREGORIUS.

Et Alexandriæ lumen Athanasius dixit: Quomodo non miseratione prosequendi sunt, qui creaturas adorant, quod illi qui vident, non videntibus cultum exhibent; & audientes, non audientes orant, precanturque? Creatura enim a creatura nunquam servabitur.

EPIPHANIUS.

Papę, quanta insania? Nunc enim novam quamdam blasphemiæ viam excogitantes plane a veritate deviant. Nam ea quæ divinus vir contra idola locutus est, hæc isti homines etiam post cognitionem veritatis & confessionis sinceræ & divinæ regenerationis tribuunt *, & præter unum universorum dominum, creaturis servire Christianos, & idololatriā commisisse, asserunt. Parce domine populo tuo, & nullum horum blasphemia seduci sine. Omnes enim qui tuo nomine vocati sunt, confitemur nos ab idolorum deceptione & errore liberatos. Et postquam te cognovimus, quos divina regeneratione dignatus es, nequaquam ad creaturas quæ sub cælo sunt, tuam divinam adorationem retulimus. Tibi autem soli liberatori nostro psallimus: Domine, præter te neminem novimus, nomen tuum vocamus. Testis ipse angelorum beatorum exercitus: testis apostolorum, prophetarum, martyrum

martyrum & sanctorum patrum cœtus. Ad recordationem autem sensitorii nostri ad tuam gloriam, quo ad magnificentiam & figuram divinæ crucis tuæ adducamur, euangelicam narrationem & imaginum picturam habemus. Habemus item & alia plurima consecrata vasa: hæc, quia in nomine tuo facta sunt & consecrata, exosculamur. Sed isti tamquam lingua mendaci thesauros sibi congregantes, vana prosecuti sunt. Quam ob causam & dolor linguæ eorum, & improbitas tandem peribit. Quemadmodum enim lumine accedente, tenebræ fugantur: sic & veritate apparente, gladio spiritus linguæ illorum venenum excisum est. At iterum assumptiones quasdam adducunt, sic dicentes.

GREGORIVS.

Similiter Amphilochius Iconii episcopus ita inquit: Non enim nobis sanctorum corporales vultus coloribus effigiare curæ est, quoniam his opus non habemus, sed politiæ illorum virtutum memores esse debemus.

EPIPHANIVS.

Hæreticis proprium est mutilatas exquirere sententias. Nam si quis studiose exquirat, haud facile hanc beati patris sententiam invenerit contra venerandarum imaginum repræsentationem: sed affectionis animę sanctorum virilitatem & constantiam celebrans, & prædicans virtutum efficaciam, hæc dicit beatus pater, maxime quo nos ad imitationem perducat. Non enim sanctos propter carnalem amorem laudamus, neque pingimus, sed quo virtutum illorum simus memores. Et in libris quoque vitas illorum describimus, in tabulisque illos depingimus: non quod hoc a nobis postulent ipsi, verum id nostra causa, & propter utilitatem nostram facimus. Non enim solum passiones martyrum nos instituunt, sed & contextus & scriptum de illorum passionibus, picturaque idem indicans. Simili modo & annua illorum memoria. Figura autem orationis tota beati patris hoc innuere videtur: de subversione autem venerandarum imaginum nulla plane apud illum mentio: siquidem nihil, quod eas calumniari possit, hic deprehenditur. nam quid si dicat, Non enim corporales vultus coloribus in tabulis effigiare nobis curæ est? Hæc enim intentione virtutis ab eo dicuntur. Infert enim: Curæ enim nobis est, virtutes bonorum virorum eligere, & operum illorum meminisse, & politiam illorum imitari. Ipsis autem templa fabricari, aut imaginem illorum in tabulis circumferre, contemnentes interim illorum virtutes, haudquaquam laudabile est. Nemo enim laudaverit virum, quem viderit virtutes sanctorum aversantem, & quotidie illorum imagines circumferentem, aut templa illis ædificantem, aut vasa comparantem illis, suiipsius autem templum divinis virtutibus non ornantem. Inquit enim Deus per Isaiam prophetam ad eos qui ira affecti sunt: *Si mihi obtuleris similaginem, frustra. Incensum mihi abominatio est: & quoties manus vestras tetenderitis ad me, avertam oculos meos a vobis: & si multiplicaveritis obsecrationem, non exaudiam vos.* Sed quid facietis? *Lavamini, mundi estote, auferte improbitates ab animis vestris coram oculis meis. Cessate a malitia vestra, discite facere bonum, exquirite judicium, liberate eum qui injuria afficitur, pronuntiate pro orphano, jus dicite viduæ.* Hæc enim si recte fecerimus, tunc ea quæ a nobis offeruntur, grata & suscepta erunt apud Deum, sive ea sancta templa fuerint, sive sacra vasa, sive etiam venerandæ imagines. Ita enim commodum nobis est, ad memoriam horum virtutes exquirere, & pro viribus imitari. Hoc sane martyrum est encomium, electorum ad virtutem convocatio, quemadmodum magnus inquit Basilius in moralibus suis sermonibus. Inter hæc quoque laudanda est templorum exædificatio, imaginum effiguratio, sacrorum vasorum Deo oblatio. Hæc enim oportet etiam facere, & illa non omittere, ut veritatis verbum nos docet. Non enim aliquis virtutem possidere poterit, nisi in aulis domini assederit, nisi per lectionem divina oracula auribus hauserit, & per visum ad euangelicas historias & doctrinas, ad martyrum repræsentationes & certamina fuerit perductus. In omni autem tempore, loco & hora virtutes exercere, perquam necessarium est. Nam & passionibus Christi incumbere, & in iis versari perpetuo & continuo, necessarium: illiusque mortificationem in corpore nostro circumferre, & studiose hoc facere, utile est. Regni enim cælorum hospes est & procurator. Multas autem cruces in ædicula figurare, & præcepta Dei contemnere, imitationisque passionis illius oblivisci, extrema dementia est. *Sine operibus enim fides mortua.* Euangelice enim ait dominus: *Non omnis qui dicit mihi, domine, domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui est in cælis.* Inhærentes autem præsentibus, agedum & aliam demonstrationem his competentem reddamus. Consueverunt patres nostri sancti, qui voluntatem Dei salutiferam nobis exponunt, per exaggerationem mandatorum observationẽ nos docere, & ad quod mandatum illis scopus vergit, eo præparare auditores, hocque extollere & magnificare, quo veluti ancora tuta injecta, in reliquis quoque non simus negligentes. Ne vero in pluribus afferendis longiores simus, unum Asterium Amasiæ episcopum citemus. Hic igitur in Lazarum & divitem epulonem sermonem conscribens, emphasim quamdam de alendis pauperibus contra divites exercet. Adhortatur divites, ut eleemosynarum fructibus divites sint; ne vestitu splendido & molli utantur. Inducit autem inter cetera ethicam quamdam disputationem contra religiosulos quosdam ipsa vita, sed tamen divitiis inhiantes. Sic autem inquit: Ne pingas Christum in vestibus, sed magis sumptu illo & impensis, pauperibus subveni. Deinde adimere cupiens divitiarum appetitum, infert: Sufficit enim illi una incarnationis humilitas. Hoc est, Non placitum est Christo domino Deo nostro, ut per mundanam affectionem & avaritiam, illius œconomiæ mysteria demonstrentur. Non enim pium est aut coram illo acceptum, euangelicę recordationis gratia materiam divitiarum thesaurizare, & causari occasiones peccati. Pauperes autem qui pane & vestitu indigent, negligere, non pietatis, sed avaritiæ opus est. Quemadmodum enim nulla communio est luminis & tenebrarum, neque participatio injustitiæ cum justitia; ita neque divitiarum cupiditas, & mollium vestium indumenta cum euangelica historia & figura conveniunt. Hæc enim nobis dispensationis narrationem, vere ad salutem ducentem, explicat. Illa vero ad miseriam ducit, cum sit subjecta pœnis. Quemadmodũ Iacobus frater domini dicit: *Divites, lugete & lamentamini, ejulantes super miseriis vestris. Divitiæ vestræ cõputruerũt, & vestes vestræ*

ACTIO SEXTA. REFVTAT. PARS V.

Serm in 40. marti.

Matth. 23.

Iac 2.

Matth. 7.

Iac. 5.

ACTIO SEXTA. REFVTAT. PARS V.

vestræ a vermibus roduntur; aurum & argentum A *vestrum rubigine exesum est, & rubigo in testimonium contra vos manet.* Quam ob causam, ut dictum est, quæcumque per avaritiam fiunt, cum mundo simul pereunt. Possumus enim nos perexiguis sumptibus cibos, vestes, tectum, quæ nobis sufficient, comparare. Omne enim quod non ad usum, sed ad speciositatem comparatur, lasciviæ habet accusationem, ut divinus inquit Basilius. Sufficiant igitur nobis, quæ ad usum tantum habemus, & ex iis pauperibus largiamur, manumque porrigamus, ut & nos aliquando Dei vocem audiamus, dicentis: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* B Et, *Quodcumque uni horum fratrum meorum vel minimo feceritis, mihi feceritis.*

Lib. Reg. fusius disputat. c. 22.

Matth. 5.

Matth. 25.

ASSERTIO IMAGINUM EX ASTERIO Amasiæ episcopo, de Euphemia martyre.

QVANDOQVIDEM autem Asterii mentionem fecimus, ejusque verbis tamquam exemplo usi sumus, ostendamus quoque ex eodem perquam veterem esse de imaginibus traditionem. Ipse enim contemplatus imaginem passionis Euphemiæ martyris, hisce encomiis usus est: Mulier quædam sacra virgo inviolata, Deo castitatem conservans extitit; Euphemiam eam vocant. Tyranno autem aliquando pios pellente, animo propenso mortis periculum adiit. Cives autem & sacrificii communicatores pro C quo sacrificabat, virginis virilitatem admirantes, prope templum thecam reveriti, deponentes cistam, honores illi exhibent, annuum festum, communemque celebrantes conventum. Divinorum autem Dei mysteriorum sacerdotes & verbis memoriam illius celebrant, & quomodo fortitudinis certamen certaverit, populum congregatum docent. Pictor autem & is quoque secundum vires per artem pius est, qui omnem historiam in sindone pinxit. Posuit enim illius prope thecam sacrum spectaculum. Habet autem se ad hunc modum suavitas artis. In alto throno judex sedet, amare & horribiliter in virginem D videns, (irascitur enim etiam in ipsis inanimatis rebus, cum vult, ars) satellites vero imperii, & multi milites commentarienses, tabulas & stylos in manibus gestantes, adstant: quorum unus manum a cera auferens, diligenter ad condemnatam aspicit, quasi jubeat clarius virginem loqui, ne in scribendo a se error committatur. Stat autem virgo in pulla tunica & pallio philosophiam significante, ut pictori visum fuit: vultu vero satis urbano, meo autem judicio, animo virtutibus omnibus egregie splendente. Ducunt autem eam ad principem milites duo, quorum alter horsum, alter illorsum virginem trudunt. Vultus autem virginis pudore & constantia mixtus E est: annuit enim in terram, veluti virorum erubescat aspectum. Stat autem imperterrita, nihili omnino faciens miserum certamen. Quemadmodum autem aliquando alios pictores contemplatus sum, in pictura mulierculæ Colchidos, quomodo sit affecta in jugulatione prolium, dum gladium illis intentat: misericordia enim & furore vultum habet divisum, quia alter oculorum iram exhibet, alter vero maternum affectum, horrens & parcenti similis: ita quoque mihi hic contigit. nam admirationem meam ab illa cogitatione ad hanc picturam transtuli. Valde autem miror pictorem qui affectus naturæ pugnantes, pudorem scilicet & virilitatem, commiscuerit. Imitatione autem artis procedente ad historiam, ecce adsunt duo vulgares homines, in tuniculis nudi; quorum alter caput virginis arripiens, & in tergum flectens, ad pœnam alteri commode exhibere videtur: ille vero adstans, dentes virginis excutit. Instrumenta autem pœnæ, malleus & terebra sunt. Hic lacrymas amplius continere nequeo, dolorque sermonem aufert. nam ita manifeste & evidenter sanguinis guttas pictor decoloravit, ut juraveris a labiis effluere, & cum fletu discedere cogaris. Dehinc carcer. Et iterum in pullis vestibus decenter virgo ad cælum manus elevans, Deum in malis auxiliatorem invocat. Hac vero sic precante, apparet a capite signum illud, quod consuetudo est Christianis adorare & depingere; symbolum autem arbitror passionis, quam illa suscepit. Statim autem pictor alibi ignem, huc illucq; se spargentem, rubro colore depinxit, & hic quoque nova arte flammam faciens corpoream. Stat autem ipsa in illo media, manus ad cælum complicans. Dolorem autem nullum vultu præfert, sed magis gaudenti similis est, quod ad vitam incorpoream & beatam iter faciat. Hucusque pictor manum suam extendit, & ego orationem. Tempus autem est, ut & tu picturam perficias, ne nimium extra narrationem veniamus. Hactenus Asterius.

Speculantes autem ea quæ in scriptura sacra dicta sunt, inveniemus illinc quoque desumpta, quæ ab eo narrata sunt. Deus enim famulo Moysi de tabernaculo quædam mandans, variaque & diversa opera fieri jubens, ait: *Facies vela e bysso texta & hyacintho, purpura & coccinea textura, & cherubim artificio texturæ facies.* Et hoc sane mandatum docet nos, ut in iis quæ Deo dicantur, non parcamus sumptibus etiam magnis: in hominum autem rebus non ita se habere debet; dictum enim est populo: *Vestem ex duabus contextam vobis non injicietis.* Clarissime autem divinus apostolus horum sensum explicat, jubens mulieres in habitu decenti cum verecundia & castitate se ornare, non in reticulis auro & margaritis ornatis, aut etiam veste preciosa, sed quam decet mulieres, quæ bona prædicant opera. Hæc igitur nos, qui Deo soli & uni latriam exhibemus in spiritu & veritate, scientes, quæcumque illi offeruntur aut consecrantur, sive divina fuerit venerandæ crucis figura, sive sacer euangelii codex, sive venerandæ imagines, sive sacra vasa, ea amplectimur & veneramur, ut qui spem habeamus sanctificationis ab ipsis reddendæ, & illis ob id adorationem honorificam exhibemus. *Adorate* enim, ait, *scabellum pedum ejus, quia sanctus est ipse.* Quam ob causam Gregorius theologus in sermone natalium domini sic inquit: Bethlehem honore affice, & præsepe adora. nam quæ Deo oblata sunt, ejus participatione & contrectatione sancta fiunt. Quemadmodum idem & tota scriptura testatur, & ob hoc sancto honor sanctitatis illius non aliter conservatur, quam per nostram devotam adorationem. Isti vero nova mendacia spirantes, aliena quædam a catholica ecclesia consuentes, dicunt.

Exod. 2[5]

Deu[t.]

1. T[im.]

1. P[et.]

Psa[l.]

non ... a fin...

GREGORIUS.

Consentanea his etiam Theodotus Ancyræ episcopus sic docet: Sanctorum formas & species ex materialibus coloribus formari minime decorũ putamus: horum autem virtutes, quæ per scripta traditæ sunt, veluti

veluti vivas quasdam imagines reficere subinde oportet. Ex his enim ad similium imitationem & zelum pervenire possumus. Dicant enim nobis, qui illas erigunt statuas, quanam utilitus ex illis ad se redit? an quod qualiscumque recordatio eos habet ex tali speciali contemplatione? Sed manifestum est, quod vana sit ejuscemodi cogitatio, & diabolicæ deceptionis inventum.

EPIPHANIUS.

Si Theodotus esset in præsenti vita, clamaret utique cum beata Susanna ad dominum, dicens: *Deus æterne, arcanorum cognitor, qui nosti cuncta priusquam facta sunt, tu novisti domine*, quod falso me accusant, imitati presbyteros Babylonicæ confusionis, qui omnis vaniloquentiæ sunt auctores. Sed seipsos idoneos & claros demonstrare volentes, nova quædam garriunt, & mendax calamus scripturæ illorum reperitur, & aperte veritatis proditores deprehenduntur. Multi enim nostrum diligenter quærentes & indagantes in sermonibus hujus Theodoti præsentem sententiam, num alicubi apud illum extaret, nusquam sane invenimus. Nihil enim tale ipse unquam sermocinatus est. Satis autem argumenti fuerit, quia totus hic sermo amarulentia & exacerbatione plenus sit: & linguæ incontinentis & labiorum impurorum audacia, imo diabolicæ fraudis inventio, ita contra effigiationem sanctarum imaginum garrire. Quamobrem Christianos accusantium figmentum est & idioma, non autem Theodoti. Nam si illius esset, debebant utique aperte locum designasse sermonis aut libri, unde hæc sententia esset descripta. Sed quia noverunt falsum esse mendacium, locum silentio præterierunt. Nos igitur cum congregassemus illius libros, sex ad Lausum tomos contra Nestorium scriptos, interpretationem in symbolo sanctorum patrum qui in Nicæa convenerant, sermonem in natalem domini, in luminaria, in Eliam & viduam, in sanctum Petrum & Ioannem, & in claudum sedentem ad portam speciosam, in eos qui talenta acceperant, in duos cæcos; nusquam sane dictam sententiam invenire potuimus. Neque etiam fieri potuit, ut hanc falso colligentem sententiam de veris Ancyrani libris protulerint, sed fortassis alicubi in chartula conscriptam, tamquam pestem evitandam deprompserint, quo scilicet simpliciores caperent. Nam qui mentem habent & veritatem audiunt, talia ementita esse cognoscunt. Duces autem hæreseos suæ in aciem nondum vocare desinunt, Arii scilicet protectores & contribules illius, Eusebium Nicomediæ, Theognium Nicææ, & Maridem Calchedonis, sic dicentes.

GREGORIUS.

Similiter & Eusebius Pamphili ad Constantiam Augustam, petentem Christi imaginem ad se ab illo mitti, talia dicit: Quoniam autem de Christi imagine ad me scripsisti, ut tibi mitterem, velim mihi significes, quamnam putes Christi imaginem, utrum illam veram & incommutabilem, natura illius characteres ferentem; aut hanc quam propter nos assumpsit, servilem formam pro nobis induens. Sed sane de divina forma non arbitror etiam ipse ego te esse solicitam, cum fueris ab illo edocta, neminem patrem cognovisse, præter filium, neque ipsum filium condigne quempiam cognovisse, nisi qui illum genuit pater. Et post alia: Sed omnino servi requiris imaginem formæ, & carnem, quam propter nos induit. sed & hanc gloria deitatis suæ commixtam esse didicimus, & passam mortuamque. Et post pauca: Quis igitur gloriæ ejuscemodi & dignitatis splendores lucentes & fulgurantes effigiare mortuis & inanimatis coloribus & umbratili pictura posset? cum neque divini illius discipuli in monte illum contemplari qui verint, qui cadentes in faciem suam, non posse se ejuscemodi spectaculum inspicere confessi sunt. Matth. 17. *Igitur si carnis illius figura tantam ab inhabitante in ea divinitate accepit potentiam, quid oportet dicere tunc cum mortalitatem exuit, & corruptionem abluens, formam servi in domini & Dei gloriam transtulit? post mortis scilicet victoriam, post ascensum in cælos, post cum patre regio in throno a dextris consessum, post requiem in ineffabilibus & innominandis finibus patris: in quam ascendentem & descendentem cælestes potestates illi benedictis vocibus acclamabant, dicentes:* Principes, tollite portas vestras: aperiamini portæ cælestes, & introibit rex gloriæ. Psal. 23.

EPIPHANIUS.

Optime in hos quadrat prophetica vox, quam dominus per Ieremiam vatem Iudaicum populum reprehendens dixit: *Me dereliquerunt fontem aquæ viventis, & foderunt sibi cisternas pertusas, quæ non potuerunt aquam continere.* Ierem. 2. Relinquentes enim selectorum nostrorum patrum sententias, sectantur eos qui ventilabro ex area dominica judicio divino excreti sunt: aream dico catholicam ecclesiam. Hos enim in protectionem suæ hæreseos afferunt. Quis enim fidelium in ecclesia, quique verorum dogmatum scientiam habet, ignorat Eusebium Pamphili, in reprobum sensum traditum, consensisse "Arii placitis? Nam in cunctis historicis suis libellis filium & verbum Dei creaturam vocat, item subministrum, & secundo adorandum loco. Si vero quidam asserunt eum in synodo subscripsisse, concedimus quidem hoc ita se habere, verum labris illum dicimus veritatem coluisse, corde autem longe ab ea abfuisse, quemadmodum & omnes epistolæ illius & commentaria ostendunt. Quod si autem alias aliquando pro temporis & rei conditione mutatus apparuit, nunc hos laudans qui stabant a partibus Arii, nunc vero veritatem simulans; profecto ob id, secundum Iacobum fratrem domini, homo duplicis animi, inconstans in omnibus viis suis dicetur: neque putet, quod quidquam a domino accepturus sit. Iacob. 1. Etenim si corde credidisset in justitiam, & ore quoque ad salutem verbum veritatis fuisset confessus in omnibus suis commentariis, & veniam poposcisset. Rom. 10. Verum pro epistolis suis nusquam apologiam conscripsit: mansit enim ut Æthiops, non commutans cutem suam. nam in expositione illius loci: *Dixi domino, dominus meus es tu*: extra cognitionem veritatis rem aggressus, sic inquit: Psal. 15. Lege naturæ, cujusvis filii pater, dominus quoque ejus existit: ob id unigeniti illius filii Dei, qui genuit illum pater, fuerit sane illius & dominus, & Deus, & Pater. Simili modo & in epistola ad beatum Alexandrum magistrum & doctorem Athanasii, cujus initium: Quanto labore & diligentia in has literas inciderim: (hic apertissime blasphemans, sic ait) Arium ejusque studiosos accusant hæ literæ, quod filium ex non ente, instar unius omnium, factum esse dixerint. Illi vero epistolium attulerunt, quod ad te scripserunt, in quo fidem suam exponentes, his verbis

"Videsis lector epistolam Photii 144. ad Constantinum patricium.

Actio sexta. Refutat. pars V.

ACTIO SEXTA. REFUTAT. PARS IV.

bis confitentur quæ sentiunt: Legis, prophetarum, & novi testamenti Deum ante sempiterna sæcula sibi filium unigenitum generasse, per quem & sæcula, & omnia fecit. generasse autem non videtur, sed in veritate propriæ voluntati substituisse, immutabilem & inalterabilem creaturam Dei perfectam: verumtamen non ut unam creaturarum. Tua vero epistola accusat eos quasi dixerint, quod filius factus, tamquam unus omnium: cum tamen hoc non dixerint, sed aperte pronuntient, non ut unam creaturarum. Vide ne dederis statim illis occasionem, ut ea etiam calumnientur, & assumant, quæcumque voluerint. Iterum accusas eos, quod dixerint, quod qui est, non existentem genuit. Miror sane si quispiam aliter dicere poterit. Nam si unus est, qui est, manifestum est, quod ex eo genitum est omne quod est, estque id post illum. Si vero qui est, non unus sit, sed & filius sit qui est; quomodo eum qui est, qui est genuit? Sic enim qui est, duo fuerint. Et hæc quidem Eusebius ad gloriosum Alexandrum. Feruntur ejus ad eumdem gloriosum virum & aliæ epistolæ, in quibus variæ sunt blasphemiæ, dum Arium defendere conatur. Eodem modo in epistola ad Euphrasionem blasphemus est. Initium ejus epistolæ est: Domino meo cum omni gratia confiteor; & cetera. Non enim filium patri coexistere dicimus, sed patrem ante filium fuisse. Porro ipse filius Dei, hæc nobis omnibus exactius cognoscens, alterum seipsum, & minorem a patre, subjectumque cognoscens, admodum valde pie nos id docet dicens: *Pater qui me misit, major me est.* Et inter alia: Quoniam filius & ipse quidem Deus, sed non verus Deus. Ex his igitur scriptis illius apparet, aperte illum Arianicæ esse opinionis & sententiæ. Cum hac autem abominanda hæresi insani isti Ariani & unam naturam in unitione hypostasis esse dicunt. Opinantur autem Christum dominum nostrum carnem sine anima assumpsisse, addentes in salutari illius dispensatione divinitatem implevisse animæ cōsilia, motionesque, nimirum quo passionem (ut ait Gregorius) divinitate circumscribant, & ob id vere Theopaschitæ sunt. Qui autem hujus sententiæ sunt, imaginem non habendam censent, quemadmodum impius Severus, Petrus Fullo, Philoxenus Hierapoleos episcopus, & omnis denique illa multi capitis" & sine capite hydra contendit. Hujus igitur societatis existens & Eusebius, (quemadmodum ex illius epistolis & historicis commentariis demonstratum est) imaginem Christi Theopaschitarum more rejicit: qua de causa & Constantiæ Licinii uxori scribit, apud se imaginem non reperiri. nam & in eadem epistola dicit, quod illius *incarnata forma in deitatis naturam mutata sit. Nemo tamen sanctorum patrum nostrorum sic sensit aut docuit. Neq; etiam veritas sic se habet. Audiamus Athanasium insaniæ Arii vindicatorem: alia enim docet in dogmatica ad Eupsychium presbyterum Cæsareæ epistola. Similiter & Cyrillus in prima ad Successum Diocæsareæ episcopum. Similiter in oratione contra * libidinosos dicta. Ambo enim, sicut unam terrestris reipublicæ administrationem habentes, ita & cælestis, veluti ab unico spiritu afflati, consona invicem loquuntur.

Ioan. 14.

Epist. 1. ad Cledo. post princip.

" Acephalorum

* commixtores.

Athanasius in epistola ad Eupsychium, cujus initium: In quibus existimasti nos piissime, inter cetera sic inquit: Communis ovium fructus est, hæc, inquam, tergoris messis, haud quæ omnibus ad communem usum præstat: verum postquam tinctura, quæ de mari accipitur, subdita fuerit, purpurea dicitur, & appellatione mutata & usu, propter excellentiam regibus tantummodo aptatur. Ita lana est, & non est. Natura quidem manet id, quod a principio fuit; usu autem non amplius: vulgaris enim usus fuit, propter colorationis dignitatem. Ita quoque caro, natura communi assumpta. postquam enim facta fuerit regis tegumentum, cum ipso rege ejusdem fit dignitatis, quamquam natura non fuerit talis. Quare recte dominus gloriæ dicitur: & secundum quod homo quoque fuit, affectiones & passiones naturæ eum invaserunt, & contumeliis aliorum fuit quoque obnoxius. quonam modo enim rex veste utitur, sic ipse carne quoque se circumvinxit. Quemadmodum autem qui regis purpuram rumpens, regi pœnam dat, quasi insidiator aut malevolus, quamquam ipse rex nihil fuerit gravius passus; purpuræ autem passio ad ipsum refertur: ita quoque carnis passio, verbo Dei manente impassibili, in ipsum propter contumeliam descendere dicitur. Et ob id Paulus dominum Christum, quatenus homo, filium Dei tradit. Et ante hunc Gabriel archangelus paradoxum novi partus Mariæ euangelizans, *Ave*, inquit, *gratia plena, dominus tecum. Ecce tu in utero habebis, & paries filium, & vocabunt eum Iesum: hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur.* Quare Iesus filius Dei vocatur, non quod caro in divinam naturam fuerit mutata, sed propter unitionem ad Deum verbum cognominem dignitatem accepit.

Eodem modo Cyrillus in prædicta ad Successum epistola, cujus initium: Incidi in commentarium a tua sanctitate mihi missum; inter cetera inquit. Post resurrectionem idem illud corpus, quod passum fuit, mansit, nisi quod debilitates humanæ naturæ in se amplius non recepit. Non enim aut fame, aut lassatione, aut alia aliqua tali passione torquebatur, sed deinceps incorruptibile mansit. Nec id solum corpus est, verum præter hoc etiam corpus vivificans. Vitæ enim corpus est, hoc est, unigeniti. nam Deo decentissima gloria illuminatum est, & intelligitur Dei corpus. Proinde si quis ipsum divinum corpus, ut certe hominis, humanum dixerit, non sane quidquam erraverit, decentique sermone fuerit usus. Hinc arbitror doctissimum Paulum dixisse: *Si vero Christum secundum carnem cognovimus, sed jam nunc amplius non cognoscimus.* Dei enim, ut dixi, proprium corpus existens, humana omnia excedit. Corpus autem quod a terra est, non potest mutationem secundum divinam naturam subire. Etenim hoc impossibile: quoniam in deitate veluti generationis aliquid, & quod nullam secundum naturam habet secum proprietatem, existit. Æque enim absurdum est, si quis dicat, quod corpus in deitatis naturam mutatum sit, & quod verbum in carnis naturam sit alteratum. Nam ut hoc impossibile, (immutabile enim & inalterabile verbum est) ita & aliud. Non enim possibile est creaturam aliquam in deitatis naturam aut substantiam transgredi posse. Creatura autem caro est. Quamobrem divinum esse didicimus corpus Christi, quoniam Dei corpus est, & ineffabili gloria illuminatum, incorruptibile, sanctum, vivificans: quod autem in deitatis naturam sit mutatum, neque patrum aliquis dixit aut cogitavit, neque nos ita sentire possumus.

Similiter

Similiter & in oratione contra* libidinosos, cujus initium: Longam nuper de veritatis dogmatibus contexuimus orationem; inter cetera inquit: Proinde num carne ejus in deitatis naturam mutata, desinit esse filius hominis? manifestum fuerit omni quod ex hoc sequitur, quod nos ex adoptionis gloria rejecti sumus, veluti non haberemus amplius primogenitum in multis fratribus. Et paulo post: Num igitur de tam bona fama, quæ nobis data fuit gratis, adeo subito excidimus? non sane. Non enim stoliditate, insipientia & stultissimis quibusdam inventis, in reprobum sensum perducti, ea quæ non decet, sentimus. Sacram autem scripturam, veluti canonem rectitudinis & incommutabilis fidei habentes, dicimus, quod qui natus nobis est primogenitus & unigenitus, Dei scilicet verbum, non destitit esse post illud verus Deus & filius hominis. Neque in naturam deitatis incommutabiliter & inconfuse unita sibi caro transmigrasse videtur, imo gloria propria illam illustrans intelligitur recte Deum decentibus impleta dignitatibus. Sic etiam secundum tempora per universum terrarum orbem rediens e cælo videbitur. Atqui cum carne quoque, postquam bene hoc dispensationis mysterium obivisset, rediit in cælum. nam qui rem eam viderunt; stupore perculsi sunt. Quia ut scriptum est: *Nubes illum assumpsit.* tum admirantibus illis vox angelorum sanctorum audita est, *Viri Galilæi, quid statis suspicientes in cælum? Hic Iesus qui a vobis assumptus est in cælum, ita veniet quemadmodum eum vidistis ascendentem in cælum.* Num igitur hi, quibus hoc dictum est, viderunt eum sine carne ad patrem ascendentem, aut abjicientem nostram similitudinem, qua in corpore tactili & visibili fuit, * & intangibilem & invisibilem naturam commutasse? Quis hoc usus sit dicere? Si vero veniet sicut discessit, non vere dixerimus, veniet rursum in corpore, non nudum & sine carne verbum? Et paulo post: Cognosce igitur, quod descensum illum quem facturus est in fine sæculi, ipsis prius manifestaverit, cum scilicet se transfiguraret.
17. Hæc autem transfigurationis figura (mirandus inquit euangelista) facta est, non secundum depositionem speciei, videlicet humanæ figuræ abjectionem, imo circa solam gloriam. Resplenduisse inquit faciem illius, non aliter ac a solis radiis fulgor emittitur. Et mox: Scripsit vero & de Christo doctissimus Paulus: *Qui humilitatis nostræ corpus transformabit conforme gloriæ illius.* Quid ad hoc dicent, qui in verbi naturam carnem illius commutatam asserunt? Num scilicet sanctorum corpora transibunt in naturam deitatis, ut fiant corpori illius glorioso conformia? profecto hæc extremæ imperitiæ & inscitiæ nugacitas existit. Mutata enim carne in naturam deitatis, ut aiunt, quonam utetur corpore Deus verbum existens? Deitas enim res est incorporea, & verum est quod Deum nemo vidit unquam. Deinde clarissime idem deducens, veluti contra Eusebium, sic idem beatus pater in eodem sermone dicit: Videtur pro illis facere (quemadmodum aiunt) de his rebus & aliud verbum. nam divinus apostolus sic scripsit: *Si enim cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc non amplius cognoscimus.* Igitur, aiunt, si secundum carnem non cognoscitur, necessarium est illum carnem in verbi sui naturam mutasse, ut tamquam Deus cognoscatur. Dixerit autem ad hos (arbitror) confestim aliquis: Igitur quando de nobis scribit: *Cum vero in carne sumus, Deo placere non possumus. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu.* Num, inquam, tum nos carne & sanguine nudatos esse cognovit? Vtrum spiritibus incorporeis ista scribit? Quo pacto non fuerint ista monstro similia? Quamobrem de nobis dicit carnem, nimirum carnis absurdas & quæ castigatione opus habent, affectiones. De nostro autem omnium castissimo servatore, qui errare non novit, neque peccatum fecit, alio modo illud secundum carnem considerare oportet: non enim amplius est in carnalibus infirmitatibus. Clare igitur ex diviniloquis istis patribus cognoscimus, nugamentorum istorum magistros, non ex fontibus Israel, quo illis suppetat, in vitam æternam hausisse, sed in fontibus iniquitatis & desolationis sibi potum quæsivisse: alienos enim secuti, in præcipitia & anfractus seducti sunt. Debebant igitur, si ecclesiæ alumni sunt, Basilium magnum in testem citasse, qui imaginis honorem ad prototypum referri asserit; & Gregorium Nyssæ episcopum dicentem: Vidi imaginem passionis loquentem, & non sine lacrymis rem contemplatus sum, historiam ipsa arte pulcre repræsentante; & Ioannem, qui se imaginem e cera fusam, pietate plenam, amasse dicit. Debebant, inquam, illos fuisse secuti, & quicumque cum illis faciunt. Isti vero in malis auctarium addentes, ita deinceps dicunt. Rom. 8.

GREGORIUS.

Hæc igitur ex multis pauca scripturæ patrumque testimonia, in hac definitione nostra parcentes sane copiæ, ne in longum res protraheretur, collocavimus: reliquis enim quæ infinita sunt, volentes supersedimus, ut qui velint, ipsi requirant. Ex his igitur a Deo inspiratis scripturis, & beatorum patrum sententiis stabiliti; & super petram cultus divini in spiritu pedes confirmantes, in nomine sanctæ & supersubstantialis vivificantis Trinitati, unanimes & ejusdem sententiæ nos, qui sacerdotii dignitate succincti sumus, simul existentes, una voce definimus, omnem imaginem, ex quacumque materia improba pictorum arte factam, ab ecclesia Christianorum rejiciendam, veluti alienã & abominabilem.

EPIPHANIUS.

Ecclesiasticæ traditioni cervicem subdere nolentes; sed excæcati in electione convenientis, & apprehensione veritatis, pietatis traditionem abdicarunt, neque torrentem voluptatis bibere sustinuerunt, quo illis esset fons saliens in vitam æternam: sed e lacubus pertusis irrigati, male olentem truncum, habentem fructus bilis & amaritudinis; produxerunt. Mendacium enim mendacio agglutinantes dixerunt: Aliisque testimoniis, quæ infinita sunt, supersedimus volentes. At ut nos indicavimus, quascumque patrum sententias attulerunt, quibus propriam justitiam conantur asserere, omnes perverse intellexerunt: quæ vero contrariæ plane fuerant, non erant ex spiritu divino. Quamobrem beatus vates David alloquitur eos, in spiritu canẽs: *Vana locuti sunt singuli ad proximũ suum: labia dolosa in corde, in corde locuti sunt mala.* Et Isaias libertimus prophetarum contra illos dicit: *Consilium impiorum impia consulit.* Recte enim sentire nequeunt, quia obscuratus est visus oculorum eorum. Sanas enim definitiones & leges relinquentes, verbis pietatem figurant, conanturque pie-

Ioan. 4. Psal. 11. Isai. 44.

ACTIO SEXTA. REFVTAT. PARS VI.

pie quædam concionari, quo scilicet in hoc recte dicentes; in aliis quoque fidem inveniant. aiunt enim: In nomine sanctæ & supersubstantialis & vivificantis Trinitatis. sed circa sensum & intellectum impie agere nituntur. Nam ex propria sententia loquuntur, & impietatem nudam ob oculos ponunt, neque judicium Dei reveriti, neque dominicam declarationem & pronuntiationem respicientes, quæ sic habet: *Nam qui scandalizaverit vel unum ex parvulis istis credentibus in me, satius illi fuerit, uti mola asinaria alligata illius collo, submergatur in mari.* Deinceps & tamquam porci margaritas proculcantes, ecclesiasticas dico traditiones, omnem imaginem ab ecclesia Christianorum rejiciendam & abominandam statuunt, consilia ineuntes non per dominum, & fœdera ferientes non per spiritum ejus. etenim tamquam graves lupi, in ovile Christi insidias tendunt. Ceterum veritatis splendor, & luminis fulgor, inconcussam habent libertatis audaciam. Quis enim ignorat, imagine contumelia aut ignominia affecta, illum lædi cujus est imago? Hoc & ipsa veritas, hoc rerum natura docet: hoc & beati patres tradiderunt. Basilius enim magnus inquit: Honos imaginis in ipsum prototypum redit. Athanasius: Qui imaginem adorat, in ipsa imperatorem adorat. Similiter & Chrysostomus: Non novisti, quod is qui imaginem imperatoris violat, in prototypum dignitatis injustus est? Atque ita patres rerum naturam secuti sunt. Hi vero & ab ecclesia & veritate desciscentes, non solum blasphemia pleni sunt, sed & insania & imperitia. Debebant enim communem & non dissonantem vocem eloqui, veteremque traditionem confirmare, quam fidelium multitudo ex ttraditione apostolorum & patrum servavit hactenus & confessa est: omnem autem nuperam vaniloquentiam evitare, & consuetudinem quæ pie hactenus apud nos valuit, nullo modo infringere & labefactare. Nam quæ in ecclesia tradita sunt, neque additionem, neque ademptionem sustinent. Maxima enim eos, quia ita agunt, pœna manet: *Maledictus* enim, inquit, *qui transponit* horrea patrum suorum.* sed non ducuntur amore & studio veritatis, quamobrem audient hoc Sapientiæ: *Qui studet thesaurizare lingua mendaci, vana persequitur, & in laqueum veniet diaboli.*

Matth. 18. Marc. 9. Luc. 17.

Deut. 27. * terminos

Prov. 21.

TOMVS SEXTVS.

EPIPHANIVS.

VOCEM, qua dominus ad coryphæum apostolorum Petrum usus est, animo debebant intelligere: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt illi.* sed ab hac ædificatione & harmonia alienati, digna quæ risu excipiantur, definiunt.

Matth. 16.

GREGORIVS.

Nemo hominum, qualiscumque tandem fuerit, tale institutum & impium & impurum posthac sectetur. Qui vero ab hoc die imaginem ausus fuerit sibi parare, aut adorare, aut in ecclesia, aut in privata domo constituere, aut clam habere, si episcopus fuerit aut diaconus, deponitor: si vero solitarius aut laicus, anathemate percellitor, imperialibusque constitutionibus subjicitor, ut qui divinis decretis repugnet, & dogmata non observet.

EPIPHANIVS.

Non satis illis fuit, quod ecclesiam omnem carpserint & vellicaverint, nisi nunc quoque impie definiant, non faciendam esse imaginem, nec illi etiam, qui sibi sic faciendum esse persuaserit. Usque adeo enim venerandarum imaginum demonstratio in ecclesia obtinuit, ut ab eo tempore, quo euangelium prædicari cœptum est, ad hæc usque tempora receptæ fuerint. Iam autem cognoscimus omne quod antiquitate excellit, venerandum esse. Quid enim aliud * Corinthiis mandat divinus apostolus, dicens: *Servate traditiones quas accepistis?* Et rursus Timotheo & Tito: *Profanas vaniloquentias aversemini.* Omnes igitur Christiani, qui in ecclesia catholica geniti sumus, traditiones quas accepimus, servamus, & in iis stabiliti sumus, novamque hanc vaniloquentiam, secuti divinum apostolum, rejicimus. Et quæcumque patribus pro tempore super fundamentum apostolorum & prophetarum ædificare placuit, recipimus: quæ vero secus se habent, ut hostilia respuimus. Dico autem quæcumque ab inimicissimis & impiis hæreticis veluti nugæ allata sunt, in quorum numero quoniam & hi nuperi vaniloqui Christianorum accusatores sunt, ob id eos execramur. nam non modo linguam habent impietate & peccato imbutam, sed & manus docuerunt omnem sycophantiam expedire, verberareque, dicentes: Constitutionibus imperialibus subjicitor, qui non ita fecerit. Ex hac igitur voce per omnem terrarum orbem multa & varia designata sunt. Continuam autem crudelitatem & ipsi principes, duces, & falsi episcopi exercuerunt. Sed quænam lingua calamitatem istam poterit exprimere? Unde & quomodo hanc narrationem aggrediar, non video. Nam quot terrores, persecutiones, per omnes civitates custodiæ, monachorum flagellationes, carceres, multis his annis extitere? Taceo pedicas, catenis ligatos pedes, sacrorum vasorum ablationem, librorum exustionem, sanctorum templorum profanationes, sanctorum monasteriorum profanas in mundana hospitia & habitacula translationes, quod scilicet in iis pietatis & religionis studiosi viri habitarent, post raptum substantiæ & bonorum, transmigrationes in barbaras nationes existimantium se posse apostolice meliorem vitam inter gentes quam apud suos ducere. Et quod omnium gravissimum est, in hunc usque diem profanatio ista ministeriorum apud quosdam adhuc manet. Et pro sacris hymnis & voce lætitiæ in tabernaculis justorum, cantica meretricia & satanicæ melodiæ audiuntur: & pro geniculationibus, saltationes theatrales celebrantur. His adjice pericula, turbationes, vexationes, verbera, pœnas, oculorum extritiones, narium amputationes, linguarum abscissiones, inhonestas fugas & exilia piorum, qui per omnem terram dispersi sunt, sanctarum facierum adustiones, barbæ vellicationes adustionesque, virginum, postquam Christo dedicatæ fuerant, impias & violentas nuptias, & quod vehementissimum est malorum, cædes. Hi sunt fructus horum hominum, qui contra veritatem insurgunt. Hæc vera insania, & non judicium verum. Inspexit hæc Deus, & ex omnibus malis liberavit ecclesiam suam. Gloria sit illi. Amen. Ab impio autem consilio suo seducti, ex ipsa veritate arguunt, dicentes.

* 1. Corinth. 11. 2. Thess. 2. 1. Tim. 6. & 2. Tim. 2.

GREGORIVS.

GREGORIVS.

Determinamus & hoc, ne quis hominum ex iis qui præsunt ecclesiæ, aut sacratis ædibus, sub prætextu exterminationis aut elevationis talis imaginum erroris, manus in ea quæ sunt Deo sacrata, injiciat, quia possunt transferri in alios usus ejusmodi idola.

EPIPHANIVS.

Hæc eructant ora, quæ dominum non verentur, neque venerantur. Quis enim, modo mentem divino timore firmatam habeat, ea quæ Deo oblata sunt & dedicata, idolorum appellatione * dedignetur? profecto non satis novi, num & rudes & imperiti rerum id ausint. Nisi plane obliti essent magni & salutaris illius mysterii, quod Deus verbum caro factum, & in nobis habitans, operatus est, cum scilicet nos ab idolorum errore liberaret ζῶδα enim (qua voce isti utuntur) a piis gentilium idola nominantur. Sed sunt nugaces verborum strepitus & battarismata, & apophthegmata oris illius, quod stercoreis alimentis usum, vapores fœtidos animo mentique immittit, & deliros insanosque istos homines risu dignos indicat. quamobrem inferunt.

GREGORIVS.

Neque etiam in sacras vestes, aut alia vela, aut quidquid consecratum est in sacrum Dei ministerium, ne qua ratione in abusum convertantur.

EPIPHANIVS.

Qui hactenus calumniis prosecuti sunt, definieruntque venerandas imaginum picturas non recipiendas in sacris Dei ecclesiis, & qui eas idola & ζῶδα vocaverunt, nunc tamquam obliti impii sui decreti, has in ecclesiis manere volunt. Quod si autem Deo consecrata sunt, quomodo turpes & diabolicæ insidiationis inventiones habebuntur? Sed manifestum est, quod sit Caiaphica assertio. Nam is animi quidem malitia Christum occisum * capiebat: at ignorantia veritatem dicens, servatorem illum humani generis confessus est. Eodem modo & isti, malitia quidem errorem, idola, ζῶδα, & diabolicæ insidiationis inventa, * sanctorum imaginum inspectionem cavillantur, verum contra animi sententiam has sacras & Deo dedicatas confiteri coguntur, & laqueis propriæ nugacitatis implicantur. Quare illos qui se sequuntur, præstigiis decipientes alloquuntur.

GREGORIVS.

Si quis autem a Deo potestatem nactus, hæc ipsa vasa, aut vestes in meliores usus convertere voluerit, non ausit hoc sine sententia & voluntate sanctissimi & beatissimi universalis patriarchæ, & imperatorum nostrorum piorum jussu, ne diabolus sub eo prætextu ecclesias Dei humiliet. Neque aliquis ducum, aut magistratus, aut laicorum cohortes sub illis constitutæ, in divinas ædes manus injiciant, easque veluti captivas profanent, quemadmodum a quibusdam indecenter antehac factum est.

EPIPHANIVS.

Quis propter hanc legislationem non insigniter rideat, imo magis non lugeat? Propter hæc enim vana verba, multi ausi fuerunt Briarei giganteasque manus sacris armariis injicere, ab his

A videlicet occasionem sumentes. Labilis enim est & lubrica improbitas. Videntes enim ipsos sanctissimos, (ut isti aiunt) revera autem falsos episcopos, aurum & argentum ex dedicationibus, & imagines quæ in museis, sibi ascribere, & in privatos usus vertere, & ipsi quoque sic fecerunt. Hæc enim in gutturnia, pelves, theatra commutarunt: & quæ quandoque sacra fuerunt, horum judicio profanata sunt.

ACTIO SEXTA. REFVTAT. PARS VI.

GREGORIVS.

His ita se probe habentibus, & Dei gratia confirmatis, justum esse decrevimus, hoc nostro catholico & Deo grato scripto definitiones breves veluti in summam edere, quandoquidem & nos

B *videmur apostolice dicere: Quin etiam credimus nos spiritum Christi habere, & quemadmodum qui antea in illum crediderunt, & synodos congregaverunt, decretaque & definitiones ediderunt, ita & nos quoque idipsum credimus. Quamobrem post sacras aliquot præmissas patrum definitiones, consequenter & convenienter nostra determinavimus.* 1. Cor. 7.

EPIPHANIVS.

Multa & diversa in superioribus nugati, & propriam improbitaté manifeste determinantes, & in multa distrahentes, nunc seipsos doctoribus ecclesiæ contendunt comparare, & sacris illorum declarationibus has impias suas definitiones

C connumerare se jactant, nimirum mendacium cum veritate, tamquam venena noxia cum melle, miscere contendentes. Sed qui spiritu Dei aguntur, facile malum a bono dijudicaverint, & quæcumque a sanctis patribus recte statuta sunt, recipient: quæ vero ab his perverse & improbe statuuntur, aversabuntur. Isti enim falsidici confitentur se Deum cognoscere, verum a regia via per calles & anfractus decedunt: nostræ enim sinceræ fidei verba veneno improbitatis imbuunt. Habent namque consimilem cum hæresiarchis veteribus ignorantiam. nam & ipsi multa cum catholica ecclesia convenientia dixerunt.

D In uno autem aut altero transgressi, anathema acceperunt: cum quibus sane & isti partem habent, etiam si sic dicant.

PRIMA DEFINITIO.

GREGORIVS.

Si quis secundum apostolicas & patrum traditiones, de Patre, Filio & sancto Spiritu non confessus fuerit unam & eamdem deitatem, naturam & substantiam, voluntatem & actionem, virtutem & dominatum, regnum & potestatem, in tribus subsistentiis sive hypostasibus, nempe personis glorificatam, anathema.

Secunda.

E *Si quis non confessus fuerit ejusdem sanctæ Trinitatis unum videlicet Filium & verbum Dei & Patris, dominum nostrum Iesum Christum, ante sæcula quidem ex Patre secundum deitatem, in extremis autem temporibus ipsum propter salutem nostram e cælis descendisse, & incarnatum ex Spiritu sancto & Maria virgine, & ex eadem natum supra omnem humani intellectus comprehensionem, anathema.*

Tertia.

Si quis non confitetur Deum esse secundum veritatem Emmanuel, & ob id virginem sacram deiparam, quæ secundum carnem, carnem factum ex Deo verbum genuit, anathema.

ACTIO SEXTA. REFVTAT. PARS VI.

Quarta.

Si quis verbum ex Deo Patre, carni secundum hypostasim non unitum, & unum esse cum propria carne Christum, eumdem videlicet Deum & hominem, non confessus fuerit, anathema.

Quinta.

Si quis non confessus fuerit Dei carnem vivificantem esse, & propriam ipsius ex Deo Patre verbi, sed veluti alterius præter ipsum, unitam secundum dignitatem, videlicet quasi tantummodo in ea divinam habitationem habuerit, minime vero vivificantem, ut diximus, quod factum sit in proprietate verbi omnia vivificare potentis, anathema.

Sexta.

Si quis non confessus fuerit in uno Christo vero Deo nostro duas naturas, & duas naturales voluntates, & duas naturales actiones, communicanter, indistinctim, incommutabiliter, impartibiliter, inconfuse, secundum patrum sanctorum traditionem, anathema.

Septima.

Si quis non confessus fuerit, dominum nostrum Iesum Christum, post assumptionem animatæ rationalis & intellectualis carnis, simul sedere venturum Deo & Patre, atque ita quoque rursus venturum cum paterna majestate judicaturum vivos & mortuos, non amplius quidem carnem, neque incorporeum tamen, ut videatur ab iis a quibus compunctus est, & maneat Deus extra crassitudinem carnis, anathema.

EPIPHANIVS.

Hucusque recte sentiunt, & patrum traditionibus convenientia dicunt, imo potius tamquam sua propria dogmata asserentes, sibi laudem & gloriam vendicant: in subsequentibus autem amara venenatæ & viperinæ linguæ dogmata, pharmacis lethalibus plena, evomunt.

GREGORIVS.

Octava.

Si quis divinam Dei verbi secundum incarnationem figuratam materialibus coloribus studuerit effigiare, & non ex toto corde oculis intellectualibus ipsum sedentem a dextris Patris, super solis splendorem lucentem in throno gloriæ adorare, anathema.

EPIPHANIVS.

Absurdi & præter modum admirabiles allegoristæ in hac venefica definitione judicantur. Apostolo enim filium Dei patris figuram prædicante, propter incommutabilitatem substantiæ ipsius commutatione facta in carnem a Deo verbo assumptam oblique cogitant, & ex animis insipientibus novam quamdam definitionem eructant. Novimus enim omnes, quod caro quam assumpsit, diversæ substantiæ a natura verbi Dei existat: hoc, inquam, in veritate præsides ecclesiæ sancti apostoli, & admirandi nostri patres nos docuerunt. Nam absconditorum spectator Paulus divinus (quemadmodum dictum est) apostolus, volens consubstantialitatem filii & Dei verbi ad Deum & patrem prædicare, nihil aliud appropriatum & concinens invenit, quam ut exclamet, characterem hypostaseos patris ipsum filium. (Hebr. 1.) Isti vero veritatem mendaciis subvertere

A conantes, tumultuariis & putridis vocibus insistentes, odio venerandarum imaginum, mendacium inducere conantur. Vnde in blasphemum & perversum sensum collabentes, & in reprobam sententiam traditi, dicunt.

GREGORIVS.

Nona.

Si quis incircumscriptibilem verbi Dei essentiam & hypostasim, propterea quod incarnatus est, naturalibus coloribus in imaginibus ad formam hominis depinxerit, & qui non theologice sentit eam post carnem non minus incircumscriptibilem remansisse, anathema.

B

EPIPHANIVS.

Tamquam circa opportuna apostolicarum traditionum negotia occupati, pestilentem morbum spirantes, sententiamque corrumpentes, omnia dicunt. Nam turpitudinem erroris & fraudis rectis verbis prætexunt, & impostore animo ad naturam incircumscriptibilem divini verbi carnem assumptam ab eo & circumscriptam coaptant. Hoc enim aperte indicat, quod ab illis dictum est, nihil minus incircumscriptibilem existentem. Vbinam hanc vaniloquentiam invenire sapientes isti in rebus vanis? Blasphemiæ enim plenum est, quod post incarnationem, incircumscriptibilem fuisse asserunt Iesum omnium dominum, nostrum verum Deum,
C maxime cum in discipulos suos ita affatur: *Lazarus amicus noster dormit, & gaudeo propter vos, quod isthic non fuerim.* (Io.) Nonne igitur hoc, *quod isthic non fuerim,* circumscribi potest? Profecto potest. Et ut ea quæ ante mortem de illo euangelice dicta sunt, omittamus, cum post resurrectionem se exhiberet mulieribus, numquid hac ratione circumscribi nequit? (Io.) Profecto potest. Cum se duobus discipulis ostendit, nonne circumscriptione dignum est? (Lu.) Est profecto. Quod clausis januis ingressus sit, & a Thoma contactus, quid aliud quam circumscriptio? (Io.) Item quod discipulis in Galilæam profectis, & eum isthic videntibus & adorantibus, quidnam est? (M.)
D Nempe ipsum quod dixi. Quod discipulis intuentibus, in cælum assumptus est, & ab angelo ipsis adstante & dicente, audierint: *Quid statis, o viri, defixis oculis in cælum aspicientes? hic Iesus qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis illum abeuntem in cælum.* (A.) Nonne hæc sunt circumscriptione digna? Sunt sane. Sic enim omnes nostri divini patres tradiderunt. Et manifestum est recte sentientibus, quod quemadmodum Deus & verbum Dei Patris, invisibile, incomprehensibile, & in omni loco dominationis suæ existit: ita secundum naturam humanam quam assumpsit, visibilis est, & circumscriptibilis est, quemadmodum ipse discipulis suis dixit, *quod isthic non fuerim.*
E Item est comprehensibilis, sicut Thomas nos credere fecit. (I.) In multas igitur improbitates propter unam istam blasphemiam, qua Christianos decipere conantur, ruunt. Calumniantes autem deinde loquuntur.

GREGORIVS.

Decima.

Si quis indivisam Dei verbi naturæ & carnis secundum hypostasim unitionem, videlicet ex utrisque unam

unam inconfusam & impartibilem perfectionem factam, in imagine depingere conatur, vocatque eam Christum, (Christus enim nomine uno & Deum & hominem significat) & ex ea re confusionem duarum naturarum monstrose asserit, anathema.

EPIPHANIUS.

Impudentia deceptionis verbo recto imprimitur. Et indivisæ & inconfusæ secundum hypostasim unitioni imaginum structuram opponentes, tamquam confusionem duarum naturarum, mendaciter & improbe accipiunt. Sed veritas domini ligata non est: quod autem Christi nomen duarum naturarum significativum est, apertum: altera enim ratione visibilem, altera invisibilem naturam demonstrat. Ipse enim Christus hominibus per velum carnis suæ visus est: quamquam divina natura in eo celabatur, tamen per signa elucebat. Sancta igitur catholica ecclesia, quemadmodum accepit ab apostolis & patribus, ipsam formam quæ ab hominibus visa est, pingit: neque tamen ob id Christum dividit, quemadmodum isti falso dicunt. Imago enim secundum nomen tantum, & non secundum definitionem, cum primo exemplari communicat: quia (quemadmodum in superioribus sæpe diximus) anima * privata est, quam nemo circumscribere potest, quia invisibilis est. At si animam, quamvis creata sit, nemo pingere potest: quanto minus investigabilem & incomprehensibilem unigeniti filii deitatem potuerit quisquam cogitatione comprehendere, ut sensibiliter a se depingatur? Conversus est itaque dolor eorum in caput ipsorum. Anathema enim quod ipsi nugantur, in illis manebit in perpetuum.

GREGORIUS.

Undecima.

Si quis carnem hypostasi verbi Dei unitam diviserit, & in nulla excogitatione mentis eam habens, ex eo conatus fuerit illam in imagine depingere, anathema.

EPIPHANIUS.

Divus Gregorius, qui a theologia cognomen invenit, sic ait: Quando naturæ distant excogitationibus, simul dividuntur etiam nomina. Quin etiam plurimi patrum hac notione usi sunt: etenim ita revera se habere videtur. Ab illa autem & a patrum traditionibus desciscentes dicunt: Si quis carnem hypostasi verbi Dei unitam diviserit excogitatione mentis. Itaque in hoc reprehenduntur repugnantes patrum traditioni. Sed cum subinde eamdem rem inculcant, veritati * apertissime contradicere cognoscuntur. Ecclesiam enim cum Nestorio sentire falso asserere nituntur. Sibiipsis autem consentanea dicentes, inferunt.

GREGORIUS.

Duodecima.

Si quis unicum Christum in duas hypostases diviserit, ab una parte Dei Filium, & ab altera parte Mariæ filium collocans, neque continuam unitionem factam confitens, & ob id in imagine tamquam per se subsistentem Mariæ filium depinxerit, anathema.

EPIPHANIUS.

Eadem toties infarciunt, ut brevibus satis dici nequeat, quæ ad ipsis nugæ proferantur. Adjungentes autem impiam Nestorii opinionem sacrarum imaginum effigurationi, paradoxa quædam & inanes sermones commiscent, quorum destructionem cum antea sæpe ostendimus, nunc eadem silentio præterire decrevimus. Eructant autem iterum talia.

ACTIO SEXTA. REFUTAT. PARS VI.

GREGORIUS.

Decima tertia.

Si quis ex unitione ad divinum verbum deificatam carnem in imagine pinxerit, veluti dividens eam ex assumpta & deificata deitate, & indeificatam ex hoc eam conficiens, anathema.

EPIPHANIUS.

Cum ecclesia catholica Christum pingit humana figura, non dividit eum a divinitate illi unita, magis autem deificatam illam credit, & consimilem Deo illam confitetur, quemadmodum rei veritas habet, & magnus docet Gregorius. Non vero ut ipsi indocte & imperite barbarismum committentes, indeificatam dicunt carnem domini ex hoc confici & formari: quemadmodum aliquis hominem pingens, non inanimatum hominem facit, sed ille animatus manet, & imago, ipsius imago, ab eo quod illum imitetur, dicitur: ita quoque imaginem Dei facientes, deificatam carnem domini confitemur: imaginem autem nihil aliud esse cognoscimus, quam imaginem, significantem scilicet primi exemplaris imitationem, unde & nomen accepit: & hac ratione cum ea dumtaxat communicat, & ob eam quoque causam pia & veneranda. Quod si autem hominis sit improbi, aut dæmonis, profana & execrabilis existit, quoniam & ipsum primum exemplar, ad quod facta est. Laborantes igitur in vanum, fructum sterilitatis secum afferunt, a quo non desistent, cum dicant hæc etiam.

Nazianz. orat. 2. in Pasc. circa med.

GREGORIUS.

Decima quarta.

Si quis in forma Dei existentem Deum verbum, servi formam in propria hypostasi assumentem, & per omnia nobis similem factum sine peccato, conatus fuerit materialibus coloribus figurare, veluti si nudus homo fuisset, & hoc modo ab inseparabili & incommutabili deitate sejungere, veluti quaternitatem inducturus in sanctam & vivificantem Trinitatem, anathema.

EPIPHANIUS.

O insaniam & dementiam! nullusne pudor est congerendi anathematis? Sed quemadmodum vermes in cœno volutantes, ita hi quoque vivunt. Hanc posteaquam semel acceperunt, satietatem ejus capere nequeunt. Neque quidquam aliud agunt, quam quod ecclesiam Dei execrentur, ipsi execratione dignissimi. *Eam enim qui benedicunt*, (ut scriptura testatur) *benedicentur: & qui eam devovent, ipsi devoventur.* Ipsum autem servatorem nostrum nudum hominem existimare, & Christum a deitate separare, & ex illa re quaternitatem per picturam inducere, quis non crasso risu eorum dementiam, qui sic loquuntur, prosequatur, imo magis defleat blaphemiam istam? Non enim qui Christum humana specie in imagine pingit, mox etiam quaternitatem

Genes. 12.

ACTIO SEXTA. REFVTAT. PARS VI.

quaternitatem inducit; sed Deum verbum hominem in veritate factum, non in phantasia fatetur: insanus autem Nestorius duas hypostases tamquam duas personas in Christo blaspheme asserens, quaternitatem induxit. Verum Dei ecclesia unam hypostasim Christi in duabus naturis recte confessa, ad recordationem salutaris illius in carne dispensationis, illum imagine excipere divinitus docta est. Volentes autem seipsos probos ostendere, & veritatis aliquid aspergunt, dicentes.

GREGORIVS.

Decima quinta.

Si quis non confitetur sanctam semper virginem Mariam proprie & vere deiparam, quavis visibili & invisibili creatura superiorem; & cum sincera fide ejus intercessiones, tamquam quæ libertatem apud eum qui ex se genitus est, Deum habeat, non postulaverit, anathema.

EPIPHANIVS.

In his firmata & stabilita catholica ecclesia, ab iis qui aliter quam dogmata & traditiones ejus habent, sentiunt, non vult confirmari. Nam & dominus a dæmonibus prædicatus, eos tamen
Marc. 1. Luc. 4. Act. 16. expulit. Et Paulus divinus apostolus & comites itineris ejus, probati ab ipsis tamquam homines Dei altissimi, & viam salutis annuntiantes, ab ipso persecutionem perpessi sunt: ita quoque isti. quamquam enim aliquid vere dicant, tamen ab ecclesia expulsi sunt & rejecti. Rursus autem tamquam canes ad vomitum proprium reversi,
2. Pet. 2. & sues in volutabro luti, talia grunniunt.

GREGORIVS.

Decima sexta,

Si quis sanctorum omnium ideas in imaginibus inanimatis & mutis, materialibus coloribus depingere studeat, cum nullum omnino usum afferant picturæ, anathema. Vana enim est excogitatio, & diabolicæ insidiationis inventio. Nonne enim satius fuerit illorum virtutes & virilia facta, quæ nobis per scriptas historias tradita sunt, veluti vivas quasdam imagines in seipso depingere, & ad eadem ista seipsum zelo istiusmodi excitare, quemadmodum sancti patres nos docuerunt?

EPIPHANIVS.

Divini patres neque hoc docuerunt, neque prædicarunt, sed sibiipsis hoc nomen assignant falsi isti accusatores. Eorum enim est deliramentum hoc, nam & postea seipsos septimam synodum appellant. Sed sapiens quidam dixit: *Com-*
Prov. 27. *mendet te vicinus tuus, non autem os proprium tuum: alienus, & non labia tua.* Isti autem neque ab aliquibus laudati, neque ab aliis instructi, sibi ipsi laudem arrogant, & ab hominibus vocari volunt Rabbi: cupientes esse patres catholicæ ecclesiæ, quam sycophantiis circumveniunt, & verum Deum reliquisse, idololatriæque adhæsisse asserunt. Sane Deus per Isaiam
Isai. 60. secundũ 70. prophetam ad eam ait: *Ponam te exultationem æternam, lætitiam generationibus generationum.*
Cant. 4. Et per Ecclesiasticum: *Tota pulcra es propinqua mea, tota pulcra, & reprehensio non est in te.* Inspiciamus igitur eorum insaniam, quoniam accusant eam idololatriæ, cujus ipsi se gloriantur esse doctores. Siquidem igitur idololatriæ sunt patres,

A dicant nobis, num partis ecclesiæ idololatriam agentis, an totius sint doctores. Si autem partis, debebant sane ipsi ecclesiæ catholicæ auctoritati concinuisse, & ab hac judicium postulasse, fructusque veritatis ab ea carpsisse, quemadmodum omnes nostri divini patres errata correxerunt, & quæ rupta & conscissa erant, connexuerunt. Quoniam autem catholica ecclesia hac traditione exclarata est, ipsi ab ea avulsi videntur eam totam ut errantem condemnavisse. Horrendum est talia loqui, & condemnatio, omnino tacere. Periit enim illis in Christum confessio vera, & omnium rerum corruptela universa invasit. Sed absint hæc, frustra a nobis dicta * sunt. Illi enim hinc illinc se abducentes, *
B nusquam consistunt. Venerandarum imaginum pictura multis retro annis in ecclesia catholica & venerandis templis publicata fuit, hanc sancti patres & tradiderunt, & universus Christianorum cœtus recepit: ab hoc isti non solum exciderunt, sed & gravissime & horribilissime clamor anathematis illorum, Sodomitarum & Gomorrhæorum more, omnia implevit, unde peccatum illorum valde ampliatum est. Et quis poterit amplius sustinere insaniæ immensitatem, & satyricorum tumultuum larvationes? Vtinam cognovissent veritatem: omnibus enim pietatis cultoribus manifestum est, quod quemadmodum per scripta, quæ sanctorum passiones no-
C bis ad memoriam reducunt, ad similia imitanda excitamur: ita quoque per imaginum picturas certamina illorum aspicientes, in recordationem virilitatis & divinæ vitæ pervenimus. Deinde recta animi sententia loquuntur.

GREGORIVS.

Decima septima.

Si quis non confitetur omnes, qui a sæculo hucusque & ante legem, & in lege, & in gratia a Deo data fuerunt, sanctos venerandos esse coram Deo & anima & corpore, & horum intercessiones non
D *petierit, utpote qui libertatem apud Deum habeant pro mundo secundum ecclesiasticam traditionem intervenire, anathema.*

EPIPHANIVS.

Cum ecclesiasticam traditionem dicebant, debebant utique apposuisse: Si quis imaginum picturas non recipit, anathema sit. Perquam vetusta enim traditio ecclesiæ catholicæ veraciter habetur, & recte nobis in recordationem prototyporum decreta. Sed hanc respuentes impudentia, sane ejuscemodi imitationem damnabilem ecclesiæ catholicæ annuntiant, dicentes: *Vias tuas scire recusavimus.* Vnde & 10
E post hanc illorum editionem, & intercessionum Deo acceptabilium consuetudinem rejecerunt, expungentes eam ex hoc illorum scripto. Atque hoc omnes novere. Hunc namque morem habent hæretici, quoties uno verbo pietatem contempserint, & a veritatis via aberraverint, in multos & varios errores labi: uniformis enim res veritas, mendacium autem in varia distrahitur. Ariani enim Deum verbum creaturam dicentes, post hanc illorum blasphemiam impiam, ex anima illum hominem factum nugati sunt. Eutyches quoque miser, unam in dispensatione Christi naturam asserens, diviniorem carnem illum assumpsisse, neque nostræ humanæ consubstantialem, effingit. Simili modo & hujus hæreseos

præsides

præsides illos imitati agunt: nam vaniloquentiæ & malitiæ non videntes finem & satietatem, vicina quoque mala ad se trahunt. Et verbula quædam sanctis patribus consentanea dicunt, sed hypocrisi tandem veritatem simulant. quare inferunt.

GREGORIVS.

Decima octava.

Si quis non confitetur resurrectionem mortuorum, judicium, & pro merito cujusque secundum justam Dei liberam retributionem, neque finem esse punitionis, neque regni cælestis, quæ est in Deo voluptas & delectatio: non enim est regnum Dei esca & potus: *sed secundum divinum apostolum,* B justitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto, *anathema.*

EPIPHANIVS.

Hæc est principium veræ nostræ fidei sanctorum apostolorum & divinorum patrum certa sententia, & catholicæ ecclesiæ unica confessio. at quæ sequitur, illis propria est, ignorantia & ruditate plena, sic strepens.

GREGORIVS.

Decima nona.

Si quis hanc nostram sacram universalem septimam synodum non receperit, sed eam quocumque modo calumniatus fuerit, & cum satisfactione omnia, quæ in ea definita sunt doctrina a Deo afflata, non amplexus fuerit, anathema illi sit a Patre & Filio & sancto Spiritu, & a septem sanctis universalibus synodis. C

EPIPHANIVS.

Defectio a veritate, mentis & animi excæcatio est. Hæc enim illorum sententia, plena omni impietate, inscitiam & omnem insaniam secum affert: non enim docti sunt, nisi in ruditate. nam seipsos septimam synodum vocant, & tamen anathematismos suos ita conficiunt, quasi a septima aliqua alia synodo essent antea notati. Sic enim dicunt: Anathema sit a septem D sanctis universalibus synodis. Quare non magis ridiculi sunt ob inscitiam, quam miserabiles ob impietatem. Veritatem enim relinquentes, & extra regiam & militarem viam ambulantes, in foveas & rupes præfractas se præcipitarunt: & recte illis ob id proverbialis sententia acclamatur: Asciæ" propriæ agricolationis erraverunt, & congregaverunt manibus sterilitatem. quapropter sagittas illorum veneno imbutas, & arcus intensos, quos contra ecclesiam extenderant, amatores veritatis & justitiæ inquisitores in corda illorum detorserunt. Et David in * spiritu melodia psallentem arripiunt. Lacum aperuerunt hujus novæ improbitatis auctores, & effoderunt eum; inciderunt in foveam quam fecerunt. Perversus est labor eorum, & injustitia E eorum peribit. *Dicunt enim dulce amarum, & amarum dulce.* Statuunt tenebras esse lumen, & lumen tenebras esse dicunt.

GREGORIVS.

His a nobis cum omni diligentia & industria decretis, definimus nullam aliam fidem præter hanc afferendam, aut conscribendam, aut componendam, aut docendam. Qui secus facere ausint, docendo scilicet aliam fidem, aut afferendo, aut tradendo illis qui ex quacumque hæresi ad cognitio- A *nem veritatis redeunt, aut quicumque novam aliquam vanitatem, aut verborum inventionem, ad destructionem eorum quæ a nobis determinata sunt, afferunt, si episcopi fuerint aut clerici, ab episcopatu & clericatu deponuntor: si vero monachi aut laici extiterint, anathemate devoventor.* ACTIO SEXTA REFVTAT. PARS VI.

EPIPHANIVS.

Hæc bubulci isti & indocti a sanctis patribus nostris suffurati sunt, & tamquam propria sibi adscripserunt. quamobrem vanus & otiosus est illorum sermo, nec responsione dignus.

GREGORIVS.

Divinissimi imperatores Constantinus & Leo dixerunt: Dicat nunc sancta & universalis synodus, num ea quæ nunc lecta est definitio, ab omnibus sanctissimis episcopis collaudetur.

Sancta synodus exclamavit: Omnes sic credimus; omnes idem sapimus; omnes approbando volentes subscripsimus; omnes orthodoxe credimus; omnes intellectualiter intellectualē divinitatē colimus, adoramus. hæc est fides apostolorum, hæc est fides patrum, hæc est fides orthodoxorum. Sic omnes latriam exhibentes adorant. Multos annos imperatorum. Illuminatores pacis domine custodi, piam vitam domine da eis. Leoni & Constantino perpetua memoria. Vos estis pax orbis terrarum. Custodiat vos fides vestra. Christum honorate, ipse vos servabit. Orthodoxam fidem vos stabilivistis: piam vitam domine da eis. Absit invidia a regno ipsorum. Deus custodiat robur eorum. Dominus imperium illorum pacificabit: vestra vita, vita orthodoxorum. Rex cælestis, reges terrenos custodi: per vos universalis ecclesia pacificabitur. Vos estis faces orthodoxæ: faces orthodoxæ fidei domine custodi. Perpetua memoria Constantino & Leoni. Constantino novo piissimo imperatori multi anni. Orthodoxū ab ipsis majoribus domine custodi: vitam piam domine da illi. Absit ab imperio illius invidia. multi anni piissimæ Augustæ. piam orthodoxam domine custodi. Absit ab imperio vestro invidia. Vos inconfusam Christi dispensationem probe dijudicastis. Vos indivisum duarum Christi naturarum stabilimentum prædicastis. Sacrarum sex synodorum universalium dogmata confirmastis. Omnem idololatriam obscurastis. Doctores ejuscemodi erroris vos triumphastis. Vos eos qui contraria statuunt, notastis.

EPIPHANIVS.

Quæ consueverunt imperatoribus acclamari proferentes, & animam habentes œstro mendacii flagrantem, ex ipsa diaboli insidiatione loquuntur, dicentes: Omnem idololatriam vos obscurastis. Vtinam aures nostræ essent obturatæ, ne cogeremur hanc corruptricem animarum vocem exaudire: *Ne intenderis mulieri meretrici,* inquit Parœmiasta. Salutarem enim dispensationis rationem contaminare volentes, omnes blasphemiæ angulos perscrutati sunt. Quid autem ad hanc tristem rabiem dicam aliud, quam quod per Spiritum sanctum regius propheta David locutus est: *Venenum aspidum sub labiis eorum, sepulcrum apertum guttur eorum, & linguis suis dolose agunt?* Vnde & a consiliis suis exciderunt, judicati ab eo qui nos liberavit a cultu idolorum, Christo Deo nostro. Ipse enim homo perfectus ob nostram salutem dignatus fieri, omnem idololatriam obscuravit. inquit enim per prophetam: *Ecce dies venient, & nomina idolo-*

Prov. 9.

Psalm. 13. & 19.

Zach. 13.

ACTIO SEXTA. REFVTAT. PARS VI.

rum a terra delebo, & non amplius erit illorum memoria. Clarum est, prophetiam in ipsum dirigi, & non, ut isti aiunt, in potentiam & robur imperatorum. Defectionis enim signum est hanc gratiam & donationem aliis tribuere præter Christum. Clamant Christiani, ex magniloquo Isaia haurientes: Isai. 13. *Non legatus, non angelus, sed ipse dominus servavit nos.* Si vero (ut ipsi aiunt) conventus episcoporum, & robur imperatorum nos ab idolis liberavit, genus humanum a veritate fallitur. nam cum ab errore idolorum Iesus Christus dominus Deus noster nos liberavit, quomodo poterunt gloriari & jactare a se idipsum factum? O insanam jactantiam! nam a veritate deficientes, & animo & mente excæcati sunt: & propriis imaginationibus & opinationibus adulatione imbuti, in mille errores lapsi sunt. Et ea quæ apta & convenientia regibus acclamari encomia solita sunt, a Christo abstulerunt, & imperatoribus assignarunt. Quod sane impium est & blasphemum valde. Debebant potius virilia illorum facta proclamare, debebant ab hostibus victorias procedere. Item barbarorum casus & excidia, quæ a multis in tabulis & imaginibus ob id suspenduntur, quo posteros illorum ad similia imitanda excitent. Debebant item prædicare, quot subegerint sibi inimicos, consilia, trophæa, mundi gubernationem, politicas constitutiones, civitatum emendationes. Hæ sunt imperatoribus convenientes acclamationes & laudes, quæ omnes subditos ad benevolentiam trahunt. Linguas autem suas adhuc veneno habentes imbutas, & spirantes iras & sycophantias, in obscuro noctis se rectos & probos de gradu dejicere posse opinantes, sic dicunt.

GREGORIVS.

Germani, Georgii, & Manzuris sententiam minus rectam vos dispulistis. Germano bilingui & animo duplici adoratori lignorum, anathema. Georgio consentienti illi, & falsario paternorum dogmatum, anathema. Manzuri ignominioso & Saracenico, anathema. Iconolatræ & falsigrapho Manzuri anathema. Doctori impietatis & perverso interpreti divinæ scripturæ Manzuri anathema. Trinitas hos tres abstulit.

EPIPHANIVS.

Ierem. 3. Dicamus ad hæc propheticum verbum, *Facies meretricis facta est tibi, depuduisti apud omnes qui te viderunt.* Nam hæ in sua convicia & contumelias & turpitudinem se exornantes, qui honeste & probe vivunt, subsannant. Peccatoribus enim pietas est abominatio. Ita & isti labiis præditi dolosis, contra justos ganniunt iniquitatem. Sed Deus Psalm. 11. illos in abdito vultus sui abscondit, & a conturbatione horum protexit illos, a contentione linguarum liberavit eos. Nam ut faces in ecclesia resplenduerunt, habentes verbum vitæ. Germanus enim in literis sacris eruditus fuit, & veluti Samuel a puero Deo dedicatus, divinis patribus semper adhæsit. quare dialogis illius, qui per totum terrarum orbem evulgati sunt, par est acquiescere: Psal. 149. *Altitudo* enim *Dei in ore illius, & enses ancipites in manibus illius*, scindentes eos qui ecclesiasticæ traditioni adversantur. Georgius autem cui patria Cyprus, civiliter in hac vita degens, Christum Deum, qui nobis suam dispensationem descriptam reliquit, imitatus, non fuit contentiosus, non clamosus, non calumniator, non retaliator conviciorum: ab aliis vexatus, non minabatur: qui illum ad maxillam verberabat, exhibebat huic confestim & alteram: qui cogebat eum ad milliarii unius iter, adjecit duplum. Iugum Dei a juventute portavit, optimum ratus, secundum prophetam, sedere in solitudine. Ioannes vero, qui ab illis Mansur contumeliose nominatur, cunctis relictis cum Matthæo apostolo, Christum secutus est, longe majores divitias, quam sunt Arabicæ, existimans contumeliam pro Christo. Maluitque simul cum populo Christi affligi, quam temporariam in peccato voluptatem. Ipse igitur cruce sua sublata pro Christo, Christique caris, Deum secutus est, & ex oriente per Christum tuba cecinit, non arbitratus ferendam, quæ in aliena effundebatur regione, vaniloquentiam, & eum qui contra Dei catholicam ecclesiam instructus est, apparatum rabiosamque insaniam: sed hanc triumphans, ubique adhortatorie & consolabiliter tutam vitam duxit. In ecclesiis enim veterem consuetudinem diligenter servandam novit. Pacificam quoque illarum constitutionem & statum, quem dominus etiam discipulis in signum quo cognoscerentur, quod sui essent discipuli, dedit, dicens: *Pacem meam relinquo vobis:* conservare & roborare Ioan. studuit. Hos igitur venerabiles & dignos fide viros in ecclesia catholica probatos, illorum seditiosa sycophantia ferre non potest: ita per crassam ignorantiam exacuerunt turpiter propriam linguam. Germanum sacerdotem Dei, ancipiti animo hominem & ligni cultorem, similiter & Georgium & Manzurem appellaverunt. Nemo enim eorum qui in honore sunt, fratrem qui in una fide secum vivit, ita blaspheme alloqui solet. Hebræi autem & Agareni, & alii item infideles, ejuscemodi convicia & maledicta in divinam crucem & venerandas imagines, item in ipsos Christianos, cójicere solent. Christiani enim non solent se invicem (ut dixi) hujusmodi conviciis proscindere. Hi autem fugitivi a veritate & ecclesiasticis decretis, tradiderunt se falsis accusationibus & conviciis, neque aliud quidquam convehunt, quam plaustra maledictionum & accusationum contra Christianos, eorumque pontifices & sacerdotes, quasi hi reliquerint scilicet Deum viventem & verum, & imaginibus culturam exhibuerint: facti procul dubio conviciatores, contumeliatores, loquentes sine judicio, & in verbis peccantes. Quis autem timentium Deum, non propter hanc eorum impietatem in maximum risum effunditur, aut potius luctum tristem non assumit? Quoniam (ut ait divinus apostolus) malorum investigatores sunt, & suas nugas valere affirmarunt, quas tamen per gratiam Dei satis ex falsis illorum sententiis & decretis retulimus, & hæresibus antiquis eorum nuperam vaniloquentiam recte annumeravimus, abscindentes eam gladio spiritus. Age autem, quo moraliter auditorum animos præparemus, apud intelligentes, & qui recta discernere noverunt, & veritatem amant, singula explicemus.

QVANTOPERE IN ECCLESIA VTILES sint imagines, quæ historias veteris & novi instrumenti repræsentant, brevis demonstratio.

SANCTA Dei catholica ecclesia ad pœnitentiam & cognitionem observationis mandatorum Dei omnes nostros sensus trahit, & ad gloriam Dei cognoscendam studet nos deducere, non modo per auditum, sed & per visum, morum correctionem moliri cupiens: quare ea quæ acta sunt, omnium oculis optat etiam esse conspicua. Cum enim ex avaritia & habendi studio aliquem rapit, Matthæum ex teloneo apostolum illi indicat, qui relicta avaritiæ insania, Christum secutus est. Eodem modo Zacchæum

Zacchæum ascendentem in sycomorum arborem, & Christum desiderantem videre, & comparantem sese ut dimidietatem bonorum suorum det pauperibus: & si quem defraudarit, ut reddat illi quadruplum. Ita imaginum pictarum jugis contemplatio, continuo memoriam exercet, ne iterum recurratur ad proprium vomitum. Si quem autem amore meretricio detentum rapere cupit, casti Ioseph imaginem proponit, qui adulterium execratus, & temperantia * illam vincens: atque hoc ipsum factum in imagine repræsentatum, amatores hujus virtutis multum confirmat. Rursus alibi beatam Susannam continentia exornatam exhibet extensis manibus auxilium ex alto invocantem, Danielemque præsidentem judicem, eruentem eam e manibus impiorum sacerdotum. Ipsa autem pictura, ad recordationem temperantis & continentis vitæ facit. Rapere vult aliquem luxuriosum, mollibusque vestimentis indutum, & non erogantem in pauperes, quæ posset ab illis preciosis vestibus sumere, & a sua delicata vita? Ioannem huic pilis camelorum indutum, edentem silvestre mel, & digito Christum, qui suffert peccata mundi, indicantem exhibet. His adjungit Basilium magnum, & cum eo solitariorum jejunantiumque, corporibus in terram stratis, multitudinem. Sed satis sit horum paucorum mentionem fecisse: reliqua auditoribus investiganda relinquo. Habemus etenim totam euangelicam narrationem depictam, & in recordationem divinorum nos ducentem, gaudioque nos implentem. Hæc enim cum nobis ob oculos fuerint posita, corda illorum qui timent Deum, exultant, florent vultus, anima contristata in voluptatem transformatur. Et cum divino patre David psallit: *Recordatus sum Dei, & exultavi.* Itaque semper per eam Dei recordari possumus. nam est cum lectio in sacratis templis non pronuntietur, imaginum autem apparatus, & mane, & meridie, & vespere in his fixus, actorum veritatem nobis narrat & annuntiat. Traditionem itaque ecclesiæ recipiamus, legislationem ejusdem veneremur, ne floccipendamus piam & divinam consuetudinem, in vetera & prisca judicia ne simus curiosi. Omne enim quod in recordationem Dei erigitur, acceptum illi esse constat. Qui autem se excludunt ab ista traditione, quam acceptarunt, quicumque germani in ecclesia catholica filii fuerant, an non sunt nothi & minime legitimi? An nondum sentimus probam & laudabilem esse imaginum erectionem? an non sentimus spiritualiter nos per eas referri ad prototyporum recordationem? Sane sentimus. Quapropter non indignas habebimus eas honore, salutatione & veneratione, debitamque adorationem illis dare debemus. Sive igitur placebit salutationem, sive adorationem appellare, idem profecto erit, modo sciamus excludi latriam. Hæc enim est alia a simplici adoratione, ut alibi sæpe est ostensum. Qui autem est adoraturus venerandam imaginis picturam, si dignus est, accedat: si indignus sit, purgetur, deinde accedat. Non autem in seditione satanica aut timiditate suspicionis occasionem malignę habeat, quod scilicet latriam sit illi exhibiturus. Absit ista suspicio: Dei enim impugnatores & vaniloqui, serpentem imitantes, hæc lingua impudica dicunt. Serpens enim ad mulierem veniens, stridens mendacia loquebatur. Quid est quod dixit Deus: *Ab omni ligno paradisi * comedes, a ligno autem quod est in medio paradisi, ne comedatis ab illo?* Sic & hi mentes muliebres decipiunt, dicentes: Quod si quis adoraverit imaginem domini, aut intemeratæ deiparæ dominæ nostræ, aut sanctorum angelorum, aut alicujus e sanctis, is in spiritu latriam illi exhibet. Cavete ne decipiamini oratione istorum. Cavete ne dolosa labia vos seducant. Admonitio & transgressio diaboli hæc est. Gregorius ille theologus ejuscemodi cogitata subvertit, adhortatus nos omnes ad Bethlehem venerationem, ad præsepis adorationem. Cum illo gloriosus Maximus, cujus laus in omnibus ecclesiis, quando cum quibusdam de ecclesiasticis negotiis agebat, divinam figuram venerabilis crucis, item sacrum euangelium & venerandam imaginem jussit in medium adduci, voluitque ut in confirmationem actorum oscularentur ab omnibus. Qui vero ab immortalitate nomen habet Athanasius, clarissime nobis in epistola ad Marcellinum, quam præposuit libro interpretationum psalmorum, differit, sic dicens: Librum psalmorum aliquis assumens, prophetias de salvatore continuo, ut in aliis scripturis, admiratus & adorans enarrat. Vides quomodo admirandus pater noster prophetias adorandas esse jubet. Quod si autem pium est eas adorare, quanto magis exitus propheticarum declarationum in imagine videntes, necessario adorabimus? Habet enim prophetia: *Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium.* Hanc igitur prophetiam nos in imagine videntes, nempe virginem in ulnis habentem quem peperit, quomodo non poterimus adorare & salutare? Quis tam indoctus, qui audebit differre salutationem? Dignos igitur nos faciamus adoratione, ne indigne aggressi, pœnam * Ozan incurramus. Hic enim arcam domini nutantem attingens, eadem hora interiit, cum indigne ad eam appropinquaret: quamquam & ipsa ex diversis figuris esset variata, & ex lignis constructa, quemadmodum imaginum materia est. Qui vero dicunt, sufficere usum imaginum ad memoriam solum, non vero ad salutationem eas habendas, illud quidem recipientes, hoc vero recusantes, semiprobi quadamtenus & falsoveri, ut ita dicam, deprehenduntur, altera quidem parte veritatem confitentes, ex altera vero perverse agentes. O insignem quoque horum insaniam! Igitur qui accusatores sunt veritatis & orthodoxæ fidei, nunc consonos nos habituri sunt? & in reprobatione ecclesiasticarum traditionum accusabimur, veniamque postulabimus? In omnibus his præcepta servemus: in mandatis, propheticam vocem auribus percipientes ambulemus. hæc ita dicit: *Si annuntiatum fuerit tibi, o homo, bonum aliud, quam dominus a te requirit, aut quam facere judicium, & diligere misericordiam, & paratum esse ambulare cum domino Deo tuo, huic non acquiescas.* His itaque animum applicemus, linguam refrenemus, quo a mendacio, convicio & turpiloquentia discedat. Oculum contineamus, ventrem disciplinemus, in psalmodiis & precationibus fortes simus. In omnibus quæ a Deo nobis largita sunt, gratias agamus. Iuramentis non insistamus, sed vocem domini audiamus, dicentis: *Ego dico vobis, ne jurate.* Inanem gloriam sub pedibus calcemus. Maximum bonorum omnium misericordiam & dilectionem amplectamur, & hanc timori Dei conjunctam. nam dilectio quæ est sine timore Dei, reproba est. Quia & Iosaphat amabatur ab

ACTIO SEXTA. REFVTAT. PARS VI.

Nazianz. in orat. de nativit. Christi, non longe a fine.

Isa. 7.

1. Reg. 6. * Ozæ

Mich. 6.

Matth. 5.

ACTIO SEPTIMA. 2. Par. 19.

ab Achab, sed audivit: Si cum peccatore amicitiam inieris, si exoso a Deo suppetias tuleris. Igitur cum timore Dei omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ deiparæ & semper virginis dominæ nostræ Mariæ; item sanctorum angelorum, omniumque sanctorum: salutantes & venerandas illorum reliquias, ut nos sanctitudinis eorum fiamus participes. Sic enim reddemur perfecti in omne opus bonum, in Christo Iesu domino nostro, quem decet gloria, potentia, & superadoratio sive latria, cum Patre & sancto Spiritu, nunc & in sæculorum sæcula.

ACTIO SEPTIMA, EADEMQVE VLTIMA.

B

IN nomine domini & dominatoris nostri Iesu Christi veri Dei nostri, regnantibus piissimis & Christum amantibus dominis Constantino & Irene religiosa ejus matre, anno VIII. consulatus eorum, tertio Idus Octobris, indictione XI. conveniente sancta & universali synodo, juxta divinam gratiam & pium imperatorum a Deo electorum decretum, congregata in Nicæa splendida metropoli Bithyniæ provinciæ, hoc est, Petro religiosissimo protopresbytero sanctissimæ Romanæ ecclesiæ sancti Petri apostoli, & Petro religiosissimo presbytero, monacho & præside venerandæ mansionis sancti Sabæ, agentibus vicem apostolicæ sedis beatissimi & sanctissimi episcopi veteris Romæ.

C

Tarasio sanctissimo archiepiscopo almæ Constantinopoleos * novæ. (* f. novæ Romę.)

Ioanne & Thoma religiosissimis presbyteris & monachis, agentibus vicem sedium apostolicarum orientis diœcesis.

Agapio sanctissimo episcopo Cæsareæ Cappadociæ.

Ioanne sanctissimo episcopo Ephesi.

Constantino sanctissimo episcopo Constantiæ, quæ est in Cypro.

Basilio sanctissimo episcopo Ancyræ, quæ est in Galatia.

D

Nicolao sanctissimo episcopo Cyzici.

Euthymio sanctissimo episcopo Sardensium.

Petro sanctissimo episcopo Nicomediæ.

Elia sanctissimo episcopo Cretæ.

Hypatio sanctissimo episcopo Nicææ.

Theophilo sanctissimo episcopo Thessalonicę.

Stauracio sanctissimo episcopo Calchedonis.

Leonte religiosissimo presbytero, & vices agente metropoleos Sidæ.

Epiphanio religiosissimo diacono, vices agente Sardiniæ.

Nicephoro sanctissimo episcopo Dyrrachii.

Nicolao religiosissimo presbytero, præside & vices agente metropoleos Tyanensium.

Daniel sanctissimo episcopo * Amasiæ. (* Amaseæ)

E

Gregorio religiosissimo presbytero, & vices agente Mocesi.

Constantino sanctissimo episc. Gangrorum.

Niceta sanctissimo episcopo Claudiopoleos.

Gregorio sanctissimo episcopo Neocæsareæ.

Gregorio sanctissimo episcopo Pissinunton.

Theodoro sanctissimo episcopo Myron.

Eustathio sanctissimo episcopo Laodiceæ.

Michaele sanctissimo episcopo Synnadon.

Georgio sanctissimo episcopo Antiochiæ, quę est Pisidiæ.

Theophylacto religiosissimo diacono & vices agente sanctissimi episcopi Cariæ.

A

Leonte sanctissimo episcopo Iconii.

Anastasio sanctissimo episcopo Nicopoleos veteris Epiri.

Constantino sanctissimo episcopo Perges.

Gregorio religiosissimo presbytero & vices agente Tyanopoleos.

Leonte sanctissimo episcopo Rhodi.

Christophoro sanctissimo episcopo Phasidos.

Manuele sanctissimo episcopo Hadrianopoleos Thraciæ.

Nicolao sanctissimo episcopo Hierapoleos.

Basilio sanctissimo episcopo Silæi.

Theophylacto sanctissimo episc. Euchaiton.

Cyrillo venerabili monacho ex persona Gothiæ.

Theodoro sanctissimo episcopo Seleuciæ.

Stephano sanctissimo episcopo Sugdaon.

Antonio venerabili monacho & vices agente Smyrnæ.

Constantino sanctissimo episcopo Rhegii.

Ioanne venerabili monacho ex persona Patrarum.

Theodoro sanctissimo episcopo Catanes.

Ioanne sanctissimo episcopo * Tauromenii.

Gaudioso sanctissimo episcopo * Messenę.

Theodoro sanctissimo episcopo Panormi.

Stephano sanctissimo episcopo Bibonum.

Constantino sanctissimo episcopo * Leontinæ.

Ioanne sanctissimo episcopo * Trocalon.

Theodoro sanctissimo episcopo Taurianes.

Christophoro sanctissimo episcopo sanctæ Cyriacæ.

Basilio sanctissimo episcopo Carines.

Theophane sanctissimo episcopo Lilybæi.

Theodoro sanctissimo episcopo Trophæorũ.

Sergio sanctissimo episcopo Nicoteron.

Theodoro sanctissimo episcopo Byzies.

Mauriano sanctissimo episc. Pompeiopoleos.

Ioanne sanctissimo episcopo Salonintiæ.

Eustathio sanctisimo episcopo Apameæ, quæ est in Bithynia.

Petro sanctisimo episcopo Germiorum.

Ioanne sanctisimo episcopo Arcadiopoleos.

Constantino religiosisimo presbytero, ex persona Nicopoleos Armeniæ secundæ.

Sisinnio sanctisimo episcopo Parii.

Epiphanio sanctisimo episcopo Mileti.

Niceta sanctisimo episcopo Proconnesi.

Ioanne religiosisimo presbytero, vices agente Colonæ.

Eustratio sanctisimo episcopo Methymnæ.

Leonte sanctisimo episcopo Chii.

Vrso sanctisimo episc. ecclesiæ Baritianorum.

Ioanne sanctisimo episcopo Apron.

Theophylacto sanctisimo episc. Cypselon.

Laurentio sanctisimo episcopo ecclesiæ Apsetianorum.

Leonte sanctisimo episcopo Carpathi.

Eustathio sanctisimo episcopo Troadis.

Cyriaco sanctisimo episcopo Driziparorum.

Leonte sanctisimo episcopo Mesembriæ.

Gregorio sanctisimo episcopo Derci.

Theodoro sanctisimo episcopo Heracleæ.

Theodosio sanctisimo episcopo Amorii.

Ioanne sanctisimo episcopo Nyssæ.

Georgio sanctisimo episcopo Thermarum * Basizarum.

Georgio sanctisimo episc. Camulianorum.

Sotericho sanctisimo episcopo * Ciscison.

Theophylacto sanctisimo episc. Hypæpon.

Damiano sanctisimo episcopo Mitylenæ.

Theophylacto

Theophylacto sanctissimo episcopo Trallium.
Constantino sanctissimo episcopo Mastauron.
Ignatio sanctissimo episcopo Prienes.
Georgio sanctissimo episcopo Briulon.
Constantino religiosissimo presbytero, vicem agente * Agaes.
Theodosio sanctissimo episcopo Nyssæ alterius.
Basilio sanctissimo episcopo Magnesiæ.
Basilio sanctissimo episcopo Mæandri.
Saba sanctissimo episcopo * Aneon Thraciæ.
Nicephoro religiosissimo presbytero ex persona Gargaron.
Gregorio sanctissimo episcopo Palæopoleos.
Theophane sanctissimo episcopo Caloes.
Leonte sanctissimo episcopo Algizon.
Nicodemo sanctissimo episcopo Eugazon.
Lycasto sanctissimo episcopo Bareton.
Theognio religiosissimo presbytero, vices agente Sion.
Thoma sanctissimo episcopo Lebedi.
Stratonico sanctissimo episcopo Cumarum.
Eustathio sanctissimo episcopo Erytheon.
* Theophilo sanctissimo episcopo * Tymnon.
Cosma sanctissimo episcopo Myrrhines.
Olbiano sanctissimo episcopo Eleæ.
Pardo sanctissimo episcopo Pitanes.
Basilio sanctissimo episcopo Pergami.
Basilio sanctissimo episcopo * Atramyton.
Mariano sanctissimo episcopo Antandri.
Ioanne sanctissimo episcopo Assi.
Leonte sanctissimo episcopo Phoceæ.
Ioanne sanctissimo episcopo Rhædesti.
Ioanne sanctissimo episcopo Panii.
Melchisedec sanctissimo episcopo Calliopoleos.
Theophylacto sanctissimo episc. Chariupoleos.
Leonida sanctissimo episcopo Madyti.
Sisinnio sanctissimo episcopo * Tzuruli.
Thoma sanctissimo episcopo Daonii.
Gregorio sanctissimo episc. Theodoropoleos.
Sisinnio sanctissimo episcopo Colchidos.
Benjamin sanctissimo episcopo Lizicon.
Ioanne sanctissimo episcopo Bryseos.
* Spyridone sanctissimo ep. Paleæ sive Cithron.
Eustathio sanctissimo episcopo Solorum.
Theodoro sanctissimo episcopo Citii.
Georgio sanctissimo episcopo * Trimithunton.
Alexandro sanctissimo episcopo * Trimithunton alterius Badenæ.
Constantino sanctissimo episcopo Heliopoleos.
* Synnesio sanctissimo episcopo Tabiæ.
Theophilo sanctissimo episc. Anastasiopoleos
Leonte sanctissimo episcopo * Amazi.
Petro sanctissimo episcopo Aspones.
Anthimo sanctissimo episcopo Berinopoleos.
Michaele sanctissimo episcopo Melitupoleos.
Sisinnio sanctissimo episcopo Hadrianes.
Theodoro sanctissimo episcopo Dermes.
Basilio sanctissimo episcopo Hadriani.
Leonte sanctissimo episcopo Pæmaninon.
Simeone sanctissimo episcopo Oces.
Strategio sanctissimo episcopo Dardanes.
Ioanne sanctissimo episcopo Lampsaci.
Theodoro sanctissimo episcopo Palæon.
Leonte sanctissimo episcopo Troados.
Theodoro sanctissimo episcopo Abydi.
Niceta sanctissimo episcopo Ilii.
Anastasio sanctissimo episcopo Tripoleos.
Leonte sanctissimo episcopo Traculon.
Stephano sanctissimo episcopo Salon.
Ioanne sanctissimo episcopo Gabalon.
Isaia religiosiss. presb. & vices agente Thyatiron.

A Stephano sanctissimo episcopo Silandi. ACTIO SEPTIMA.
Nicolao sanctissimo episcopo Perlcommatos.
Ioanne sanctissimo episcopo Sethon.
Constantino sanctissimo episcopo * Atrasi. * Arazon.
Theophane sanctissimo episcopo Meoniæ.
Michaele sanctissimo episcopo Stratoniceæ.
Gregorio sanctissimo episcopo Gordi.
Ioanne sanctissimo episcopo Daldes.
Eustathio sanctissimo episcopo Hyrcanes.
Ioseph sanctissimo episcopo Attaliæ.
Theopisto sanctissimo episcopo Hermocapylon.
Zacharia sanctissimo episcopo Hierocæsareæ.
Michaele sanctissimo episcopo Cerason.
David sanctissimo episcopo Helenupoleos.
Cyrione sanctissimo episcopo Lophi.
B Basilio religiosissimo presbytero & vices agente episcopi * Dascyli. * Dascylii.
Theophylacto sanctissimo episc. Apolloniados.
Constantino sanctissimo episcopo Cæsareæ, quæ est Bithyniæ.
Georgio sanctissimo episcopo Basilinopoleos.
Leonte sanctissimo episcopo Neocæsareæ, Thraciæ, aut Aristes.
Nicephoro sanctissimo episcopo Adranes.
Theodoro sanctissimo episcopo Pruses.
Epiphanio sanctissimo episcopo Lampes.
Theodoro sanctissimo episcopo Heracleopoleos.
C Anastasio sanctissimo episcopo Gnosi.
Melitone sanctissimo episcopo Cydonii.
Leontio sanctissimo episcopo Cysami.
Theodoro sanctissimo episcopo Subriton.
Leonte sanctissimo episcopo Phanicon.
Ioanne sanctissimo episcopo Arcadiæ.
Epiphanio sanctissimo episcopo Eleutherio.
Photino sanctissimo episcopo Cantani.
Sisinnio sanctissimo episcopo Chersonesi.
Gregorio religiosissimo presbytero, & vices agente Cephaleniæ.
Philippo sanctissimo episcopo Cercyron.
Antonio sanctissimo episcopo Trœzenes.
Petro sanctissimo episcopo Monembasiæ.
Gabriele sanctissimo episcopo Ægines.
Leonte sanctissimo episcopo Porthmi.
D Philippo sanctissimo episcopo Horei.
Leonte sanctissimo episcopo Zacynthi.
Leonte sanctissimo episcopo Linoes.
Niceta sanctissimo episcopo Meles.
Neophyto sanctissimo episcopo Gordoserbon.
Ioanne sanctissimo episcopo Erennon.
Leonte sanctissimo episcopo Aspendi.
Constantino sanctissimo episcopo Zelorum.
Gregorio sanctissimo episcopo Sinopes.
Mariano venerabili diacono, vices agente Antrapon.
Georgio sanctissimo episcopo * Amastris. * Amastridis.
Heraclio sanctissimo episcopo * Inopoleos. * Iunopoleos.
Niceta sanctissimo episcopo Dadybon.
E Theophane sanctissimo episcopo Soron.
Ioanne sanctissimo episcopo Heracleæ Ponti.
Theophilo sanctissimo episcopo Plusiados.
Constantino sanctissimo episcopo Cratini.
Niceta sanctissimo episcopo Hadrianopoleos.
Niceta sanctissimo episcopo Rhœzei.
Constantino sanctissimo episcopo Polemonii.
Theodoro sanctissimo episcopo Cormanon.
Ioanne sanctissimo episcopo Cerasunton.
Nicephoro sanctissimo episcopo Clanei.
Leonte sanctissimo episcopo Troncadon.
Ioanne venerabili diacono ex persona * Phaselidos. * Phaselidis
Theodoro sanctissimo episcopo Pinaron.

ACTIO SEPTIMA.

Stephano sanctissimo episcopo Cauni.
Anastasio sanctissimo episcopo Pataron.
Georgio sanctissimo episcopo Nyssæ.
Constantino sanctissimo episcopo * Candibon. (* Candybon.)
Leonte sanctissimo episcopo Corydalon.
Nicodemo sanctissimo episcopo Didymorum.
Leonte sanctissimo episcopo Limyrom.
Constantino sanctissimo episcopo Tlon.
Petro venerabili diacono ex persona Orycadon.
Stephano sanctissimo episcopo Anaxi.
Georgio sanctissimo episcopo Hymandi.
Constantino sanctissimo episcopo Cobon.
Stauracio sanctissimo episcopo Zenopoleos.
Gregorio sanctissimo episcopo Cybires.
Basilio sanctissimo episcopo Tabon.
Dorotheo sanctissimo episcopo Neapoleos.
Constantino sanctissimo episcopo Alabandon.
David sanctissimo episcopo Iasi.
Gregorio sanctissimo episcopo Milasi.
Sergio sanctissimo episcopo Bargylii.
Gregorio sanctissimo episcopo Latmi.
Ioanne sanctissimo episcopo Myndi.
Stauracio sanctissimo episcopo Stadiæ.
Gregorio sanctissimo episcopo Stratonicea.
Niceta venerabili diacono ex persona Halicarnassi.
Michaele sanctissimo episcopo Chæretapon.
Pantaleonte sanctissimo episcopo Valentiæ.
Georgio sanctissimo episcopo Peltarum.
Christophoro sanctissimo episcopo Atanassi.
Leonte sanctissimo episcopo Eumeniæ.
Paulo sanctissimo episcopo Acmoniæ.
Gregorio sanctissimo episcopo Tymeni ferarum.
Philippo sanctissimo episcopo Tranupoleos.
Leonte sanctissimo episcopo Aleon.
Nicephoro sanctissimo episcopo Lundon.
Georgio sanctissimo episcopo Appiæ.
Ioanne sanctissimo episcopo Sibilion.
Zacharia sanctissimo episcopo Trapezopoleos.
Leonte sanctissimo episcopo Sebastiæ.
Andrea sanctissimo episcopo Cidissosi.
Dositheo sanctissimo episcopo Psonon aut Colassæon.
Constantino sanctissimo episcopo Cotyæi.
Niceta sanctissimo episcopo Nacoliæ.
Leonte sanctissimo episcopo Docimii.
Theophylacto religiosissimo presbytero, & ex persona Ipsi.
Constantino sanctissimo episcopo Eucarpiæ.
Michaele sanctissimo episcopo Hierapoleos.
Ioanne religiosissimo presbytero, & ex persona episcopi Actoii.
Nicolao sanctissimo episcopo * Phytiæ. (* Pythiæ.)
Theophylacto sanctissimo episc. Cinnabareos.
Damiano sanctissimo episcopo Myri.
Christophoro sanctissimo episcopo Promisi.
Niceta sanctissimo episcopo Augustopoleos.
Constantino sanctissimo episcopo Ambladon.
Stephano religiosissimo presbytero, vices agente Otri.
Georgio sanctissimo episcopo * Medæi. (* Mediæi.)
Gregorio religiosissimo presbytero, & vices agente Polyboti.
Sisinnio sanctissimo episcopo * Philomilii. (* Philomelii.)
Michaele sanctissimo episcopo Papon.
Sisinnio sanctissimo episcopo Apameæ, quæ est Ciboti.
Constantino sanctissimo episcopo Comanes.
Nicephoro sanctissimo episcopo Adadon.
Petro sanctissimo episcopo Petrasi.
Theodoro sanctissimo episcopo * Sagalassi. (* Agalassi.)

Leonte sanctissimo episcopo Bares.
Petro sanctissimo episcopo Seleuciæ Pisidiæ.
Nicephoro sanctissimo episcopo Phoglon.
Mauriano sanctissimo episcopo * Magydon.
Leonte sanctissimo episcopo Andidon.
Stephano sanctissimo episcopo Parnasi.
Bardano sanctissimo episcopo Doaron.
Eustathio sanctissimo episcopo Debelthi.
Euphemio sanctissimo episcopo * Sozopoleos.
Theodoro sanctissimo episcopo Bulgarophyci.
Georgio sanctissimo episcopo Plotinopoleos.
Basilio sanctissimo episcopo Perbireos.
Michaele sanctissimo episcopo * Pamphili.
* Rubim sanctissimo episcopo Scopelon.
Sisinnio sanctissimo episcopo Gateles.
Callisto sanctissimo episcopo Eudonidos.
Constantino sanctissimo episcopo Laginon.
Ioanne sanctissimo episcopo Codrullon.
Theodoro sanctissimo episcopo Cremnon.
Constantino sanctissimo episcopo Hadrianes.
Theophilo sanctissimo episcopo Chii.
Galata sanctissimo episcopo Meli.
Sergio sanctissimo episcopo Leri.
Mauzone sanctissimo episcopo Diocæsareæ.
Eustathio sanctissimo episcopo Celendereos.
Zacharia sanctissimo episcopo Cardabendon.
Sisinnio sanctissimo episcopo Musbadon.
Eustathio sanctissimo episcopo * Lami.
Theodoro sanctissimo episc. Germanicopoleos.
Sisinnio sanctissimo episcopo Syces.
Constantino sanctissimo episcopo Dalysanes.
Leonte sanctissimo episcopo Sibyllon.
Stephano sanctissimo episcopo Philadelphiæ.
Eudoxio religiosissimo presbytero, & vices agente Metellipoleos.
Theodoro sanctissimo episcopo Cadon.
Theophylacto sanctissimo episcopo Mosynon.
Basilio sanctissimo episcopo Dionysiopoleos.
Stephano sanctissimo episcopo Sinao.
Constantino sanctissimo episcopo Andri.
Eustathio sanctissimo episcopo Toni.
Ioanne sanctissimo episcopo Decateron.
Ioanne sanctissimo episcopo Nicææ Thraciæ.
Theophane sanctissimo episcopo Lebedi.
Ioanne sanctissimo episcopo Lithoprosopi.
Nicephore sanctissimo episcopo Arcadiopoleos.
Theodoro sanctissimo episcopo Heracliopoleos, aut Pidachtoes.
Constantino sanctissimo episcopo Metron.
Lycasto sanctissimo episcopo Phyladon.
Michaele sanctissimo episcopo Trallensium.
Ioanne sanctissimo episcopo Lemni.
Leonte sanctissimo episcopo * Amissi.
Michaele sanctissimo episcopo Tii.
Epiphanio sanctissimo episcopo Pertorum.
Ioanne sanctissimo episcopo Thymbriadon.
Stephano sanctissimo episcopo Orynnon.
Heraclio sanctissimo episcopo Sami.
Ioanne sanctissimo episcopo Præneti.

Sedentibus his ante sacrum ambonem templi sanctissimæ & almæ ecclesiæ, quæ cognominatur Sophia, presentibus & audientibus gloriosissimo & magnificentissimo duce Petrona clarissimo consule, & Petro patricio & comite imperatorii obsequii: præterea religiosissimis archimandritis, præsidentibus & monachis eo ordine qui in præcedenti actione est annotatus, propositis sanctis & inviolatis Dei euangeliis, Theodorus sanctissimus episcopus Taurianes insulæ Siciliæ, acceptam in manibus editam definitionem legit.

DEFINITIO

DEFINITIO SANCTÆ MAGNÆ ET VNIVERSALIS IN NICÆA synodi secundæ.

Sancta magna & universalis synodus, quæ gratia Dei, & juxta pium Christi amantium imperatorum nostrorum Constantini & Irenes illius matris decretum, secundo in splendida Nicææ metropoli, quæ est in Bithynia, in sacra Dei ecclesia Sophia congregata, traditionem catholicæ ecclesiæ secuta, hæc definivit subjecta.

QVI nobis cognitionis suæ lumen gratis dedit, & tenebras caliginemque idolorum insaniæ discussit, nosque ab ea liberavit Christus Iesus Deus noster, qui suam ecclesiam non habentem maculam aut rugam sibi desponsavit, eam diligenter custodiendam esse præcepit, & discipulis sanctis confirmavit, dicens: *Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi:* Hanc vero promissionem non solum illis, sed & nobis fecit, qui per illos credidimus in nomen illius. Hanc igitur donationem quidam contemnentes, ab impostore & defraudatore inimico elatiores facti, a recta ratione desciscentes, catholicæque ecclesiæ opponentes sese, circa veritatis intelligentiam peccarunt: & ut dicit proverbialis sermo, axes propriæ agricolationis errare fecerunt, & manibus congregaverunt sterilitatem. Quandoquidem sacrarum dedicationū & oblationum Deo decentem ornatum, calumniari non dubitarunt, appellantes se sacerdotes, cum revera non sint. De his Deus per prophetam clamat: *Multi pastores destruxerunt vineam meam, contaminaverunt portionem meam.* Minime enim sancte viros, qui sibiipsi multa tribuunt, secuti sanctam nostram ecclesiam, quam sibi Deus adaptavit, accusarunt, *neque inter sacrum & profanum ullum discrimen posuerunt:* nam imagines Dei & sanctorum suorum, similiter cum statuis satanicis idolorum nomine appellarunt. Igitur obedientiam suam ab insania istorum corrumpi amplius non ferens dominus Christus, nos undique sacerdotalis dignitatis præfectos secundum suum beneplacitum convocavit, accedente huc divino zelo & nutu Constantini & Irenes fidelissimorum nostrorum imperatorum, quo divina traditio ecclesiæ catholicæ communi suffragio auctoritatem accipiat. Igitur cum omni diligentia perscrutantes & investigantes juxta scopum veritatis nobis propositum, nihil adjicimus, nihil demimus: sed cuncta ecclesiæ catholicæ dogmata conservamus, & sex universalibus conciliis inhærentes, eorum acta comprobamus. Principio secundum synodum in splendida Nicæa congregatam, deinde in regia urbe: Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium: & in unum dominum Iesum Christum, filium Dei unigenitum, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero: genitum, non factum: consubstantialem Patri ante omnia sæcula, per quem cuncta facta sunt: qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato: passus & sepultus: Et resurrexit tertia die secundum scripturas: Et ascendit in cælos, sedens ad dexteram Patris: Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, dominum, vivificantem, qui ex Patre Fi- A lioque procedit; qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per prophetas. In unam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum, & expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen. Execramur & anathematizamus Arium & asseclas ejus, & qui communicant cum illius improbis opinionibus. Macedoniumque & sodales illius, qui recte appellantur pneumatomachi, id est, impugnatores Spiritus. Confitemur etiam dominam nostram sanctam Mariam proprie & vere deiparam, ut quæ peperit unum sanctæ Trinitatis Christum Deum nostrum: quem- B admodum prior Ephesina synodus constituit, & impium Nestorium, sociosque illius, tamquam dualitatem personarum inducentes, ab ecclesia depulit. Ad hæc duas naturas incarnati propter nos ex immaculata virgine Maria confitemur, perfectum Deum & perfectum hominem cognoscentes, quemadmodum synodus in Calchedone habita declaravit: Eutychenque & Dioscorum, blasphemantes in illius divinitatem, exterminavit: adjicientes his Petrum, Severum, & catenam istorū blasphemam non concorditer connexam. Præterea Origenis, Euagrii, & Didymi fabulositates anathematizamus, quemadmodum synodus Constantinopoli conflata, quinta nu- C mero, docuit: deinde duas voluntates & actus secundum naturarum proprietatem in Christo prædicamus, quemadmodum sexta Constantinopolitana synodus definiit, detestamurque cum ea Sergium, Honorium, Cyrum, Pyrrhum, Macarium impios istos pietatis impugnatores, omnesque illis consentientes anathematizamus. Fatemur autem unanimiter nos ecclesiasticas traditiones, sive scripto sive consuetudine valentes & decretas, retinere velle, quarum de numero est imaginum effiguratio, ut quæ historiæ euangelicæ promissionis concinat, ad credulitatem veræ & non phantasticæ incarnationis Dei, & ad utilitatem similitudinis, quam nobis exhibet, utiliter inventam. His sic se habentibus, regiam viam in- D cedentes, & sanctorum nostrorum & divinorum patrum doctrinæ insistentes, & catholicæ ecclesiæ, in qua sanctus Spiritus inhabitat, traditionem observantes: definimus cum omni diligentia & cura, venerandas & sanctas imagines ad modum & formam venerandæ & vivificantis crucis e coloribus & tessellis, aut alia quavis materia commode paratas, dedicandas, & in templis sanctis Dei collocandas, habendasque: tum in sacris vasis & vestibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus privatis, in viis publicis: maxime autem imaginem domini & Dei servatoris nostri Iesu Christi, deinde intemeratæ dominæ E nostræ deiparæ, venerandorum angelorum, & omnium deinde sanctorum virorum. Quo scilicet per hanc imaginum pictarum inspectionem, omnes qui contemplantur, ad prototyporum memoriam & recordationem & desiderium veniant, illisque salutationem & honorariam adorationem exhibeant, non secundum fidem nostram, veram latriam, quæ solum divinæ naturæ competit: sed quemadmodum typo venerandæ & vivificantis crucis, & sanctis euangeliis, & reliquis sacris oblationibus suffitorum & luminarium reverenter accedimus, quemadmodum veteribus pie in consuetudinem hoc adductum est: imaginis enim honor in prototypum resultat, & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque de- scriptum

ACTIO SEPTIMA.

ACTIO SEPTIMA

ſcriptum argumentum. Sic enim ſanctorum noſtrorum patrum obtinet diſciplina, vel traditio catholicæ eccleſiæ, quæ a finibus uſque ad fines euangelium ſuſcepit. Paulo ergo ſic in Chriſto loquenti, omnique apoſtolico cœtui & patribus ſanctis idem ſentientibus inhærentes : *Servamus traditiones quas ſuſcepimus.* Quare & victoriæ carmina ad eccleſiam cum propheta accinimus : *Gaude valde filia Sion, prædica filia Ieruſalem, exulta & lætare ex toto corde tuo : a te Deus abſtulit iniquitates adverſantium tibi, liberata es de manu inimici tui. Dominus rex tuus in medio tui, & pax tibi in ſempiterna ſæcula.*

1. Theſ. 2.

Sophon. 3.

Igitur qui auſi fuerint aliud ſentire, aut docere, aut more impiorum hæreticorum eccleſiaſticas traditiones contaminare, aut novam quamdam vaniloquentiam inducere, aut quidquam de conſecratis in eccleſia abjicere, euangelii inquam depictum codicem, aut figuram crucis, aut imaginis alicujus picturam, aut reliquias martyrum, quas ſciverint eſſe germanas & veras, aut contra iſta vafre & improbe aliquid excogitare, quod ſit contra conſtitutionem eccleſiaſticam, aut uti, tamquam communibus, ſacratis Deo, repoſitis precioſis, aut monaſteriis reverendis ; ſi fuerint epiſcopi aut clerici, deponuntor ; ſi monachi aut laici communione privantor.

Petrus miſeratione divina protopreſbyter ſanctiſſimæ eccleſiæ Romanæ beati Petri, & locum retinens Hadriani papæ veteris Romæ, definiens ſubſcripſi.

Petrus indignus preſbyter & præſes ſancti patris noſtri Sabbæ, & vices agens Hadriani papæ veteris Romæ, definiens ſubſcripſi.

Taraſius miſeratione divina epiſcopus Conſtantinopolitanus novæ Romæ, patrum dogmatibus inſiſtens, & catholicæ eccleſiæ adhærens, definiens ſubſcripſi.

Ioannes miſeratione divina preſbyter, aſſeſſor patriarchicus, & vices agens trium apoſtolicorum thronorum orientis, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hieroſolymorum, patrum dogmatibus inſiſtens & catholicæ eccleſiæ inhærens, definiens ſubſcripſi.

Agapius indignus epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ, patrum dogmatibus inſiſtens, &c. ſubſcr.

Ioannes indignus epiſcopus Epheſi in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Conſtantinus indignus epiſcopus Conſtantiæ, quæ eſt in Cypro, in eamdem, &c.

Leontius indignus epiſcopus Heracleæ Thraciæ in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Baſilius indignus epiſcopus Ancyræ, quæ eſt in Galatia, in eamdem, &c.

Nicolaus indignus epiſcopus Cyzici, &c.

Euthymius indignus epiſcopus Sardenſium in eamdem ſententiam, &c.

Petrus indignus epiſcopus Nicomediæ in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Elias indignus epiſcopus Cretæ in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Hypatius indignus epiſcopus Nicææ, &c.

Theophilus indignus epiſcopus Theſſalonicæ in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Stauracius indignus epiſcopus Calchedonis in eamdem ſententiam, &c.

Leontius indignus preſbyter, & vicem agens metropoleos Sydæ, in eamdem, &c.

Epiphanius diaconus, vicem agens Sardiniæ, in eamdem, &c.

Nicephorus indignus epiſcopus Dyrrachii, &c.

Nicolaus preſbyter * præſidi, & vicem agens metropoleos Tyanenſium, in eamdem, &c.

Daniel indignus epiſcopus Amaſiæ in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Gregorius preſbyter, & vicem agens Moceſi, in eamdem, &c.

Conſtantinus indignus epiſcopus Gangrorum in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Nicetas indignus epiſcopus Claudiopoleos in eamdem ſententiam, &c.

Gregorius indignus epiſc. Neocæſareæ, &c.

Gregorius indignus epiſc. Peſſinunton, &c.

Theodorus indignus epiſcopus Myron, &c.

Euſtathius indignus epiſcopus Laodiceæ, &c.

Michael indignus epiſcopus Synnadon in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Georgius indignus epiſcopus Antiochiæ, quæ eſt Piſidiæ, in eamdem, &c.

Theophylactus diaconus, & vicem agens ſanctiſſimi epiſcopi Cariæ, &c.

Leontius indignus epiſcopus Iconii, &c.

Anaſtaſius indignus epiſcopus Nicopoleos veteris Epiri in eamdem ſententiam, &c.

Conſtantinus indignus epiſcopus Perges, &c.

Gregorius preſbyter, & vicem agens Tyanopoleos, in eamdem, &c.

Leontius indignus epiſcopus Rhodi, &c.

Chriſtophorus indignus epiſc. Phaſidos, &c.

Manuel indignus epiſcopus Hadrianopoleos Thraciæ in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Nicolaus indignus epiſcopus Hierapoleos in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Baſilius indignus epiſcopus Sylæi in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Theophylactus indignus epiſcopus Euchaiton in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Cyrillus monachus, ex perſona Gotthiæ, in eamdem, &c.

Theodorus indignus epiſcopus Seleuciæ in eamdem, &c.

Stephanus indignus epiſcopus Sugdaon, &c.

* Antoninus monachus & vicem agens Smyrnę in eamdem, &c.

Conſtantinus indignus epiſcopus Rhegii in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Ioannes monachus, ex perſona Patrarum, in eamdem ſententiam, &c.

Theodorus indignus epiſcopus Catanes in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Ioannes indignus epiſcopus Tauromeniæ in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Gaudioſius indignus epiſcopus Meſſenæ in eamdem ſententiam, &c.

Theodorus indignus epiſcopus Panormi in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Stephanus indignus epiſcopus Bibonum, &c.

Conſtantinus indignus epiſcopus Leontenæ in eamdem ſententiam, &c.

Ioannes indignus epiſcopus * Trocalon in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Theodorus indignus epiſcopus Taurianes in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Chriſtophorus indignus epiſcopus ſanctæ Cyriacæ in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Baſilius indignus epiſcopus Carines in eamdem ſententiam ſubſcripſi.

Theophanes indignus epiſcopus Lilybæi in eamdem ſententiam, &c.

Theodorus indignus epiſcopus Trophæorum in eamdem ſententiam, &c.

Sergius

Sergius indignus episcopus Nicoteron, in eamdem sententiam, &c.
Theodorus indignus episcopus Byzies, in eamdem sententiam, &c.
Maurianus indignus episcopus Pompeiopoleos, in eamdem sententiam subscripsi.
Ioannes indignus episcopus sanctæ Salonintiæ, in eamdem, &c.
Eustratius indignus episcopus Apameæ, quæ est in Bithynia, in eamdem, &c.
Petrus indignus episcopus Germiorum, in eamdem sententiam subscripsi.
Ioannes indignus episcopus Arcadiopoleos, in eamdem sententiam subscripsi.
Constantinus presbyter, & ex persona Nicopoleos Armeniæ secundæ, in eamdem sententiam subscripsi.
Sisinnius indignus episcopus Parii, in eamdem sententiam, &c.
Epiphanius indignus episcopus Mileti, &c.
Nicetas indignus episcopus Prœconnesi, &c.
Ioannes indignus presbyter, & vicem agens Coloniæ, in eamdem, &c.
Eustratius indignus episcopus Methymnæ, in eamdem, &c.
Leontius indignus episcopus Chii, in eamdem sententiam subscripsi.
Vrsus indignus episcopus ecclesiæ Baritianorum, &c.
Ioannes indignus episcopus Apron, in eamdem sententiam subscripsi.
Theophylactus indignus episcopus Cypselon, in eamdem, &c.
Laurentius indignus episcopus ecclesiæ Apsetianorum, &c.
Leontius indignus episcopus Carpathi, &c.
Eustathius indignus episcopus Troadis, &c.
Cyriacus indignus episcopus Driziparorum, in eamdem, &c.
Leontius indignus episcopus Mesembriæ, &c.
Gregorius indignus episcopus Derci, &c.
Theodorus indignus episcopus Heracleæ, &c.
Theodosius indignus episcopus Ammorii, &c.
Ioannes indignus episcopus Nyssæ, &c.
Georgius indignus episcopus Thermarum * Basizarum, in eamdem, &c.
Georgius indignus episcopus Camulianorum, in eamdem, &c.
Sotericus indignus episcopus Cicesson, in eamdem, &c.
Theophylactus indignus episcopus Hypæpon, in eamdem, &c.
Damianus indignus episcopus Mitylenæ, &c.
Theophylactus indignus episcopus Trallium, in eamdem, &c.
Constantinus indignus episcopus Mastauron, in eamdem, &c.
Ignatius indignus episcopus Prienes, &c.
Georgius indignus episcopus Briulon, &c.
Constantinus indignus presbyter, vicem agens * Agaes, in eamdem, &c.
Theodosius indignus episcopus Nyssæ alterius, in eamdem, &c.
Basilius indignus episcopus Magnesiæ, in eamdem, &c.
Basilius indignus episcopus Mæandri, &c.
Sabas indignus episcopus * Aneon, &c.
Nicephorus indignus presbyter ex persona Bargarorum, in eamdem, &c.
Gregorius indignus episcopus Paleaspoleos, in eamdem, &c.

A

B

C

D

E

Theophanes indignus episcopus Caloes, &c.
Leontius indignus episcopus Algizon, &c.
Nicodemus indignus episcopus Eugazon, &c.
Lycastus indignus episcopus Bareton, &c.
Theognius indignus presbyter vicem agens Sion, in eamdem, &c.
* Thomas indignus episcopus Lebedi, &c.
Stratonicus indignus episcopus Cumerum, &c.
Eustathius indignus episcopus Erytheon, in eamdem, &c.
Theophilus indignus episcopus Thymnon, in eamdem, &c.
Cosmas indignus episcopus Myrrhines, &c.
Olbianus indignus episcopus Elææ, &c.
Pardus indignus episcopus Pitanes, in eamdem sententiam subscripsi.
Basilius indignus episcopus Pergami, in eamdem, &c.
Basilius indignus episcopus Antamynton, in eamdem, &c.
Marianus indignus episcopus Antandri, in eamdem, &c.
Ioannes indignus episcopus Assi, in eamdé, &c.
Leontius indignus episcopus Phoceæ, &c.
Ioannes indignus episcopus Rhædesti, &c.
Ioannes indignus episcopus Panii, &c.
Melchisedec indignus episcopus Calliopoleos, &c.
Theophylactus indignus episcopus Chariopoleos, in eamdem, &c.
Leonidas indignus episcopus Madyti, in eamdem, &c.
Sisinnius indignus episcopus * Tzuruli, in eamdem, &c.
Thomas indignus episcopus Daonii, &c.
Gregorius indignus episcopus Theodoropoleos, in eamdem, &c.
Sisinnius indignus episcopus Chalcidos, in eamdem, &c.
Benjamin indignus episcopus Lizicon, &c.
Ioannes indignus episcopus Bryseos, in eamdem sententiam subscripsi.
* Spyridon indignus episcopus Palææ, sive Chytron, in eamdem, &c.
Eustathius indignus episcopus Solorum, in eamdem, &c.
Theodorus indignus episcopus Citii, in eamdem sententiam subscripsi.
Georgius indignus episcopus * Trimithunton, alterius Badenæ, in eamdem, &c.
Alexander indignus episcopus Trimithunton, alterius Badenæ, &c.
Constantinus indignus episcopus Heliopoleos, in eamdem, &c.
Synesius indignus episcopus Tabiæ, in eamdem sententiam subscripsi.
Theophilus indignus episcopus Anastasiopoleos, in eamdem, &c.
Leontius indignus episcopus Minzi, in eamdem sententiam subscripsi.
Petrus indignus episcopus Aspones, &c.
Anthimus indignus episcopus Berinopoleos, in eamdem sententiam subscripsi.
Michael indignus episcopus Melitopoleos, in eamdem, &c.
Sisinnius indignus episcopus Hadrianes, in eamdem, &c.
Theodorus indignus episcopus Dermes, in eamdem, &c.
Basilius indignus episcopus * Hadriani, in eamdem sententiam subscripsi.

ACTIO SEPTIMA.

*Theophanes

*f. Turzuli, aut Tinzuli

* Spiridión

* Trementanton,

* Hadrianes

ACTIO SEPTIMA.

Leontius indignus episcopus Pœmaninon, in eamdem sententiam subscripsi.

Simeon indignus episcopus Oces, &c.

Strategius indignus episcopus Dardanes, in eamdem, &c.

Ioannes indignus episcopus Lampsaci, in eamdem sententiam subscripsi.

Theodorus indignus episcopus Palçon, in eamdem sententiam, &c.

Leontius indignus episcopus Troados, in eamdem, &c.

Theodorus indignus episcopus Abydi, in eamdem sententiam subscripsi.

Nicetas indignus episcopus Ilii, &c.

Anastasius indignus episcopus Tripoleos, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Traculon, &c.

Stephanus indignus episcopus Salon, &c.

Ioannes indignus episcopus Gabalon, in eamdem sententiam subscripsi.

Isaias indignus presbyter, & vicem agens Thyatiron, in eamdem, &c.

Stephanus indignus episcopus Silandi, in eamdem sententiam, &c.

Nicolaus indignus episcopus Pericommatos, in eamdem, &c.

Ioannes indignus episcopus Sethon, in eamdem sententiam subscripsi.

Constantinus indignus episcopus Arasi, in eamdem, &c.

Theophanes indignus episcopus Mæoniæ, in eamdem, &c.

Michael indignus episcopus Stratoniceæ, in eamdem, &c.

Georgius indignus episcopus Gordi, in eamdem sententiam subscripsi.

Ioannes indignus episcopus Daldes, in eamdem sententiam subscripsi.

Eustathius indignus episcopus Hyrcanes, in eamdem, &c.

Ioseph indignus episcopus * Attaliæ, in eamdem, &c. (* Athaliæ)

Theopistus indignus episcopus Hermocapilon, in eamdem, &c.

Zacharias indignus episcopus Hierocæsariæ, in eamdem, &c.

Michael indignus episcopus Ceraseon, in eamdem sententiam subscripsi.

David indignus episcopus Helenopoleos, in eamdem, &c.

Cyrion indignus episcopus Lophi, in eamdem sententiam subscripsi.

Basilius indignus presbyter, & vicem agens episcopi * Dascyli, in eamdem, &c. (* Dascylii)

Theophylactus indignus episcopus Apolloniados, in eamdem, &c.

Constantinus indignus episcopus Cæsareæ, quæ est Bithyniæ, in eamdem, &c.

Georgius indignus episcopus Basilinopoleos, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Neocæsareæ, aut Aristes, in eamdem, &c.

Nicephorus indignus episcopus Adranes Thraciæ, in eamdem, &c.

Theodorus indignus episcopus Pruses, in eamdem, &c.

Epiphanius indignus episcopus Lampes, in eamdem, &c.

Theodorus indignus episcopus Heracleopoleos, in eamdem, &c.

Anastasius indignus episcopus Gnosi, in eamdem sententiam subscripsi.

A

Meletinus indignus episcopus Cydonii, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Cysami, in eamdem, &c.

Theodorus indignus episcopus Subriton, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Phanicon, in eamdem, &c.

Ioannes indignus episcopus Arcadiæ, in eamdem sententiam, &c.

Epiphanius indignus episcopus Eleutheriæ, in eamdem, &c.

Photinus indignus episcopus Cantani, in eamdem sententiam, &c.

B

Sisinnius indignus episcopus Cherronesi, in eamdem, &c.

Gregorius indignus presbyter, & vicem agens Cephaleniæ, &c.

Philippus indignus episcopus Cercyron, in eamdem, &c.

Antonius indignus episcopus Trizenes, in eamdem, &c.

Petrus indignus episcopus Monembasiæ, in eamdem, &c.

Gabriel indignus episcopus Ægines, in eamdem sententiam, &c.

Leontius indignus episcopus Porthmi, in eamdem, &c.

C

Philippus indignus episcopus Horei, in eamdem sententiam, &c.

Leontius indignus episcopus Zacynthi, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Linoes, in eamdem sententiam, &c.

Nicetas indignus episcopus Meles, in eamdem sententiam, &c.

Neophytus indignus episcopus Gordoserbon, in eamdem, &c.

Ioannes indignus episcopus Etennon, in eamdem sententiam, &c.

Leontius indignus episcopus Aspendi, in eamdem sententiam, &c.

D

Constantinus indignus episcopus Zelorum, in eamdem, &c.

Gregorius indignus episcopus Sinopes, &c.

Maurianus indignus episcopus vicem agens Antrapon, in eamdem, &c.

Gregorius indignus episcopus * Amastris, in eamdem, &c. (* An dis)

Heraclius indignus episcopus * Iunopoleos, in eamdem, &c. (* Iun)

Nicetas indignus episcopus Dabyron, in eamdem sententiam, &c.

* Theophanus indignus episcopus Soron, in eamdem, &c. (* Th nes)

Ioannes indignus episcopus Heracleæ Ponti, in eamdem sententiam subscripsi.

E

Theophilus indignus episcopus Plusiados, &c.

Constantinus indignus episcopus Cratini, in eamdem, &c.

Nicetas indignus episcopus Adrianopoleos, in eamdem, &c.

Nicetas indignus episcopus * Rhozæi, in eamdem sententiam, &c. (* R * R)

Constantinus indignus episcopus Polemonii, in eamdem sententiam subscripsi.

Theodorus indignus episcopus Cormanon, in eamdem, &c.

Ioannes indignus episcopus Cerasunton, in eamdem, &c.

Nicephorus

A Nicephorus indignus episcopus Clanei, in eamdem sententiam subscripsi.

Leontius indignus episcopus Trocnadon, in eamdem, &c.

Ioannes indignus diaconus ex persona * Phasilidos, in eamdem, &c.

Theodorus indignus episcopus Pinaron, in eamdem, &c.

Stephanus indignus episcopus Canni, &c.

Anastasius indignus episcopus Pataron, in eamdem sententiam subscripsi.

Georgius indignus episcopus Nissæ, in eamdem sententiam subscripsi.

Constantinus indignus episcopus Candibon, in eamdem, &c.

B Leontius indignus episcopus Corydalon, in eamdem, &c.

Nicodemus indignus episcopus Didymorum, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Limyron, in eamdem sententiam subscripsi.

Constantinus indignus episcopus Tlon, in eamdem, &c.

Petrus indignus diaconus ex persona Orycandon, &c.

Stephanus indignus episcopus Anaxi, in eamdem sententiam subscripsi.

*Gregorius indignus episcopus Hymandi, &c.

Constantinus indignus episcopus Cobon, in eamdem, &c.

C Stauratius indignus episcopus Zenopoleos, in eamdem, &c.

Gregorius indignus episcopus Cybires, in eamdem, &c.

Basilius indignus episcopus Tabon, in eamdem sententiam subscripsi.

Dorotheus indignus episcopus Neapoleos, in eamdem, &c.

Constantinus indignus episcopus Alabandon, in eamdem, &c.

David indignus episcopus Iassi, in eamdem, &c.

Gregorius indignus episcopus * Mylassi, in eamdem, &c.

D Sergius indignus episcopus Bargylii, in eamdem sententiam subscripsi.

Gregorius indignus episcopus Lami, &c.

Ioannes indignus episcopus Mindi, in eamdem sententiam subscripsi.

Stauratius indignus episcopus Stadiæ, in eamdem sententiam, &c.

Gregorius indignus episcopus Stratoniceæ, in eamdem, &c.

Nicetas indignus * diaconus ex persona Halycarnassi, in eamdem, &c.

Michael indignus episcopus Chæretopon, in eamdem, &c.

Pantaleontus indignus episcopus Valentiæ, in eamdem, &c.

E Georgius indignus episcopus Peltarum, &c.

Christophorus indignus episcopus Atanassi, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Eumeniæ, &c.

Paulus indignus episcopus Acmoniæ, in eamdem, &c.

Gregorius indignus episcopus * Timæni ferarum, in eamdem, &c.

Philippus indignus episcopus Tranopoleos, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Aleon, in eamdem sententiam subscripsi.

Nicephorus indignus episcopus Lundon, in eamdem sententiam subscripsi.

Georgius indignus episcopus Appiæ, &c.

Ioannes indignus episcopus Siblion, in eamdem sententiam subscripsi.

Zacharias indignus episcopus Trapezopoleos, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Sebastæ, in eamdem sententiam, &c.

Andreas indignus episcopus Cidissosi, in eamdem sententiam, &c.

Dositheus indignus episcopus Psonon, aut Colassæon, in eamdem, &c.

Constantinus indignus episcopus Cotyæi, in eamdem, &c.

Nicetas indignus episcopus Nacoliæ, in eamdem sententiam, &c.

Leontius indignus episcopus Docimii, in eamdem sententiam, &c.

Theophylactus indignus presbyter, & ex persona Ipsi, in eamdem, &c.

Constantinus indignus episcopus Eucarpiæ, in eamdem, &c.

Michael indignus episcopus Hierapoleos, in eamdem, &c.

Ioannes indignus presbyter, & ex persona episcopi Actorii, in eamdem, &c.

Nicolaus indignus episcopus * Phytiæi, in eamdem, &c. *Pythiæ

Theophylactus indignus episcopus Cynnabareos, &c.

Damianus indignus episcopus Myri, in eamdem sententiam, &c.

Christophorus indignus episcopus Promisi, in eamdem, &c.

Nicetas indignus episcopus Augustopoleos, in eamdem, &c.

Constantinus indignus episcopus Ambladon, in eamdem, &c.

Stephanus indignus presbyter, & vicem agens Otri, in eamdem, &c.

Georgius indignus episcopus Medæi, in eamdem sententiam, &c.

Gregorius indignus presbyter, & vicem agens Polyboti, in eamdem, &c.

Sisinnius indignus episcopus * Philomilii, in eamdem, &c. * Philomelii

Michael indignus episcopus Papon, in eamdem sententiam, &c.

Sisinnius indignus episcopus Apameæ, quæ est Ciboti, in eamdem, &c.

Constantinus indignus episcopus Comanes, in eamdem, &c.

Nicephorus indignus episcopus Adadon, in eamdem, &c.

Petrus indignus episcopus Potrasi, in eamdem sententiam subscripsi.

* Theodosius indignus episcopus * Sagalassi, in eamdem, &c. * Theodorus * Agalassi

Leontius indignus episcopus Bares, in eamdem sententiam, &c.

Petrus indignus episcopus Seleuciæ Pisidiæ, in eamdem, &c.

Nicephorus indignus episcopus Phoglon, in eamdem, &c.

Maurianus indignus episcopus Magydon, in eamdem, &c.

Leontius indignus episcopus Andidon, in eamdem sententiam, &c.

Stephanus indignus episcopus Parnasi, in eamdem, &c.

Bardanus indignus episcopus Doaron, in eamdem

ACTIO SEPTIMA.

dem sententiam subscripsi. A

Eustratius indignus episcopus Debelti, in eamdem, &c.

Euphemius indignus episcopus Sozopoleos, in eamdem, &c.

Theodorus indignus episcopus Bulgarophygi, in eamdem, &c.

Georgius indignus episcopus Plutinopoleos, in eamdem, &c.

Basilius indignus episcopus Perbireos, in eamdem sententiam subscripsi.

Michael indignus episcopus Pamphyli, in eamdem, &c.

* Ruben * Rubim indignus episcopus Scopelon, in eamdem, &c. B

Sisinnius indignus episcopus Garelles, &c.

Callistus indignus episcopus Eudonidos, in eamdem, &c.

Constantinus indignus episcopus Laginon, in eamdem, &c.

Ioannes indignus episcopus Codrullon, in eamdem, &c.

Theodorus indignus episcopus Cremnon, in eamdem, &c.

Constantinus indignus episcopus Adrianes, in eamdem, &c.

Theophilus indignus episcopus Chii, &c.

Galatas indignus episcopus Meli, &c.

Sergius indignus episcopus Leri, in eamdem sententiam, &c. C

Mauzones indignus episcopus Diocæsareæ, in eamdem, &c.

Eustathius indignus episcopus Celendereos, in eamdem, &c.

Zacharias indignus episcopus Cardabendon, in eamdem, &c.

Sisinnius indignus episcopus Musbadon, in eamdem sententiam subscripsi.

Eustathius indignus episcopus Lami, &c.

Theodorus indignus episcopus Germanicopoleos, in eamdem, &c.

Sisinnius indignus episcopus Syces, &c.

*Dalisandi Constantinus indignus episcopus *Dalysanes, in eamdem, &c. D

Leontius indignus episcopus Sibilon, in eamdem sententiam subscripsi.

Stephanus indignus episcopus Philadelphiæ, in eamdem, &c.

Eudoxius indignus presbyter, & vicem agens Metellipoleos, in eamdem, &c.

Theodorus indignus episcopus Cadon, in eamdem, &c.

Theophylactus indignus episcopus Mosynon, in eamdem, &c.

Basilius indignus episcopus Dionysiopoleos, in eamdem, &c.

*f. Sinaon Stephanus indignus * Sinai, in eamdem sententiam subscripsi.

Constantinus indignus episcopus Andri, in E eamdem, &c.

Eustathius indignus episcopus Tini, &c.

Ioannes indignus episcopus Decateron, &c.

Ioannes indignus episcopus Nicææ Thraciæ, &c.

* *Superius scribitur* Thomas * Theophanes indignus episcopus Lebedi, &c.

Ioannes indignus episcopus Lithoprosopi, in eamdem, &c.

Nicephorus indignus episcopus Arcadiopoleos, in eamdem, &c.

Theodorus indignus episcopus Heracleopoleos, aut Pidachroes, &c.

Constantinus indignus episcopus Metron, in eamdem sententiam subscripsi.

Lycastus indignus episcopus Phylladon, in eamdem, &c.

Michael indignus episcopus Trallensium, in eamdem, &c.

Ioannes indignus episcopus Lemni, &c.

Leontius indignus episcopus * Amissi, in eamdem sententiam subscripsi. * An

Michael indignus episcopus Tii, in eamdem sententiam subscripsi.

Epiphanius indignus episcopus Pertorum, in eamdem, &c.

Ioannes indignus episcopus Thymbriadō, &c.

Stephanus indignus episcopus Orynnon, in eamdem, &c.

Heraclius indignus episcopus Sami, in eamdem sententiam subscripsi.

Ioannes indignus episcopus Prænesti, in eamdem sententiam subscripsi.

Sancta synodus exclamavit: Omnes sic credimus, omnes idem sapimus, omnes approbantes subscripsimus. Hæc est fides apostolorum. hæc est fides patrum. hæc est fides orthodoxorum. hæc fides orbem terrarum confirmavit. Credentes in unum Deum in Trinitate laudatum, venerandas imagines amplexamur. Qui secus agunt, anathemate percelluntor. qui sic non sentiunt, ab ecclesia depelluntor. Nos antiquæ ecclesiæ legislationi insistimus, nos decreta patrum custodimus. nos, adjicientes aliquid aut auferentes ecclesiæ, anathematizamus nos venerandas imagines suscipimus. nos, qui secus faxint, anathemate percellimus. Quicumque sententias sacræ scripturæ de idolis contra venerandas imagines adducunt, anathema. Qui venerandas imagines idola appellant, anathema. Qui dicunt quod imagines Christiani ut deos adorent, anathema. Qui scientes communicant cum illis qui contra venerandas imagines sentiunt, aut eas dehonestant, anathema. Qui præter Christum dominum Deum nostrum dixerit alium nos a cultu idolorum liberasse, anathema. Qui audent ecclesiam catholicam dicere idola aliquando suscepisse, anathema. Multi anni imperatorum. Constantini & Irenes ejus matris multi anni. Victorum imperatorum multi anni. Novo Constantino & novæ Helenæ perpetua memoria. Deus imperium Augustorum conservet. Imperator cælestis terrenos reges custodi. Cunctis hæreticis anathema. Rugienti conciliabulo contra venerandas imagines anathema. Impia hæreseon verbula æstimantibus anathema. Theodosio falsi nominis episcopo Ephesi anathema. Sisinnio cognomento Pastillæ anathema. Basilio maledico Tricacabo anathema. Trinitas trium eorum dogma sustulit. Anastasio, Constantino, & Victori, qui successive thronum Constantinopolitanæ ecclesiæ ascenderunt, non aliter ac novo Ario, Nestorio, Dioscoro, anathema. Sancta Trinitas horum trium dogma sustulit. Ioanni Nicomediæ, & Constantino Nacoliæ heresiarchis, anathema. In nihilum redegerunt imaginem domini & sanctorum ejus: Dominus eos ad nihilum deduxit. Si quis ex Iconoclastarum hæresi aliquem existentem defenderit, anathema. Si quis Deum secundum humanitatem non circumscriptibilem confessus fuerit, anathema. Si quis euangelicas narrationes per picturam repræsentatas non acceptaverit, anathema. Si quis has non salutaverit in nomine

nomine domini & sanctorum ejus, anathema. Si quis traditionem ecclesiæ, sive scripto sive consuetudine valentem non curaverit, anathema. Germani orthodoxi perpetua memoria. Ioannis & Georgii perpetua memoria. Præconum veritatis perpetua memoria. Trinitas hos tres approbavit. Horum disputationibus inhærentes, digni reddamur misericordiis & gratia primi & magni supremi sacerdotis Iesu Christi Dei nostri, intercedente simul inviolata domina nostra sancta Deipara, & omnibus sanctis. Fiat, fiat. Amen.

PIISSIMIS ET SERENISSIMIS imperatoribus nostris, Constantino & Irenæ matri, Tarasius indignus episcopus Dei observantis & imperatricis nostræ urbis novæ Romæ, & universa sancta synodus, quæ secundum divinam voluntatem & jussu imperatoris in hac splendida Nicensium metropoli secundo convenit.

CHRISTUS Deus noster, fortissimi imperatores, caput ecclesiæ prædicatur: quoniam cor nostrum in manu ejus existens, verbum bonum scaturiit: suo enim decreto & mandato vos in nomine suo convocavit, ut dogmatum ecclesiasticorum oracula fixa firmaque conservetis. Etenim quemadmodum caput vestrum auro & lapidibus preciosis exornatum est, ita & mentes vestræ euangelicis patrum doctrinis sunt exculptæ: nam quorum sonus in universum terrarum orbem est egressus cum sitis veluti discipuli & consodales, universique Christiani populi duces & principes, ad pietatem veritatis sermonem contulistis, & orthodoxæ fidei pietatisque figuram descripsistis. Vnde fidelibus tamquam faces ardétes relucetis, & periclitanti ecclesiæ manum porrexistis: nam & sanas doctrinas conservatis, & dissidentium unanimem concordiam gubernatis (absit verbo invidia) Dei beneplacito: pietatis officia & honestæ actiones per vos sunt stabilitæ. Quamobrem *os nostrum impletum est gaudio, & lingua nostra exultatione*: nam per scriptam nostram vocem res ipsas linguæ loquuntur. Quid enim splendidius magnificentiusque esse possit principi, quam ecclesiasticarum constitutionum firmitatem & stabilimentum integrum conservavisse? Quandoquidem autem quidam, imaginem quidem pietatis circumferentes, sacerdotii dignitate conspicuos se exhibent, verum ipsum robur sacerdotii denegantes consurrexerunt, Babyloniorumque sacerdotum accusationem arripuerunt, quos & propheta triumphat, dicens: *Egressa est ex Babylone iniquitas*, Caiaphaicumque conciliabulum coegerunt, facti parentes impiorum dogmatum, execrationis & amaritudinis, quorum os non alio quam ad maledicendum spectat, & hinc gloriam famamque venatur, linguam habentes blasphemam, & calamum bene huic inservientem, pugnantes verbis Dei, imperatorum majestatem monstrosis verbis corrumpentes: gentem sacram, quæ semel Christum induit, & ex gratia illius servata est, quasi in idolorum errore existentem, idololatras vocantes, & improbitatis animo præditi, illis hactenus manus injecerunt, arbitrantes se posse obscurare venerandarum imaginum picturam, atque eas partim veluti communi suffragio exterminarunt, partim vero quæ ex cera fusæ erant in singularem ornatum, in turpes usus converterunt: quæ vero ex tabulis & asserculis depictæ erant, tum Christi, tum etiam sanctorum illius, igni tradiderunt: &, ut uno verbo dicam, omnes nostras ecclesias contaminantes, disturbarunt; & hierarchæ, id est, sacrarum rerum præsides antea existentes hæresiarchæ facti sunt: & pro pace rixas ad populum locuti sunt, pro frumento zizaniam ecclesiasticis agris inseverunt: vinum cum aqua miscuerunt, & proximo potaverunt subversionem noxiam. Præterea cum essent lupi Arabici, pellem ovinam egregie simularunt se gestare. Defraudantes quoque veritatem, mendacium vires cupiverunt acquirere posse. Sed aspidum ova fregerunt, & secundum prophetam, telam araneæ filarunt. Qui autem de ovis istis edere debebat, postquam confregisset ea, ventum inanem reperiens, simul & basiliscum accepit veneno & lethali afflatu plenum. Quoniam autem hæc ita se habent, & veritatem ad tempus mendacium ademit, o vos mitissimi & fortissimi imperatores, non ferentes ejuscemodi pestilentem & animis lethalem errorem diutius in terris hærere, sed hunc Spiritus divini, qui in vobis inhabitat, afflatu obscurare contendistis, quo scilicet firma maneat ecclesiæ constitutio, & totius populi coagmentum, ac imperium vestrum pacifice secundum nominis appellationem gubernetur. Neque putastis ferendum aut tolerabile, quod in reliquis omnibus rebus bene inter nos conveniret, de vitæ autem nostræ summa & præcipuo, nimirum pace ecclesiæ, inter nos essent dissidia, maxime cum nostrum caput unicum sit Christus, nos autem deinceps illius unius corporis membra, propter eam, quæ inter nos, communem fidem & sententiam. Quapropter vos sacrum hunc nostrum copiosum in hac Nicensium metropoli convenire jussistis cœtum, quo ecclesiarum dissensionem auferremus; & male disjuncta ad unitionem commodam reduceremus; & ut eam, quæ nuper ex spinosis confutata est sententiis, *vallam, hoc est falsam doctrinam convelleremus & disrumperemus; & vestem orthodoxæ fidei conservaremus illæsam. Quare apostolicis & patrum adhærentes traditionibus, ex afflatu Spiritus sancti in unum convenientibus animis, item ecclesiæ catholicæ & sacrarum sex universalium synodorum dogmata habentes nobis concordantia, audemus anathematizare Arii insaniam, Macedonii rabiem, Apollinarii dementiam, Nestorii idololatriam in homine, Eutychis & Dioscori conspirantem vanitatem, & horum multorum capitum hydram, Origenis, Didymi & Euagrii nugas fabulasque, Sergii, Honorii, Cyri, & Pyrrhi, eorumque asseclarum unam voluntatem, imo malam & improbam voluntatem.

Deinde & qui post hos vana & nova excogitarunt nugamenta contra venerandas imagines, eodem suffragio, & convenienter accepto a sancto Spiritu verbo, & pura fontis illius aqua, spongia divinorum dogmatum abstersimus & expunximus, inventoresque nuperæ vaniloquentiæ longe extra ecclesiasticos muros ejecimus. Et quemadmodum pedes & manus competenter animæ consiliis moventur, ita & nos a Spiritu accepta gratia, & robur habentes fortitudinis vestræ coadjutans, & pietatem reconciliavimus, & veritatem deprædicavimus. Quamobrem omnibus modis recipiendæ sunt, veneran-

ACTIO SEPTIMA.

Isai. 59.

*f. vanam vel novam.

Actio septima.

dæ imagines domini nostri Iesu Christi, quatenus scilicet perfectus homo fuit, & hæ quoque omnes quæ historice e sacra evangeliorum narratione depinguntur, nempe intemeratæ dominæ nostræ deiparæ, sanctorum quoque angelorum: nam hominibus ipsi quoque in forma hominis visi sunt. item sanctorum omnium, quorum prælia & certamina tabulis & parietibus, sacris item vestibus & vasis insculpta amari debent: quemadmodum catholica ecclesia multis retro sæculis in hisce est instructa. Sic enim ea accepit, sic a sanctis nostræ disciplinæ ducibus, & eorum successoribus patribus nostris statutum est. Sunt autem hæ adorandæ quoque, hoc est exosculandæ & amandæ. idem enim significant hæc juxta antiquam Græciæ dialecton. nam προσκυνεῖν, id est adorare, & ἀσπάζεσθαι, id est amplecti, & φιλεῖν, id est amare, significat. Præpositio autem πρὸς, intentionem significat desiderii, quemadmodum in προσφέρω, & φέρω, κυρῶ, & προσκυρῶ, κυνῶ, & προσκυνῶ, quod significat & amplexum, & vehementem amorem. Nam quod quis φιλεῖ, (hoc est amat) id etiam προσκυνεῖ (hoc est amplectitur:) & quod adorat, sive amplectitur, nempe προσκυνεῖ, hoc etiam omnino φιλεῖ, id est amat. Testatur id sane humana natura & affectio, qua erga amicos sumus affecti: sic enim inter duos res agitur, & hoc modo sibi occursantes agunt. Non solum autem apud Græcos hæc loquendi ratio in usu est, sed in divina quoque scriptura idem annotare licet. In libris enim Regum scri-
1. Reg. 20. ptum est: *David surrexit, & cecidit in faciem suam, & adoravit ter Ionatham, & osculatus est eum.* Rursus, nonne dominus de Pharisæis dicit
Luc. 14. in evangelio: *Amant primos accubitus in conviviis, & salutationes in foro.* Certum est ἀσπασμὸν, id est salutationem, hoc loco a domino appellari προσκύνησιν, id est adorationem. Pharisæi enim glorioso animo præditi, & seipsos justos existimantes, ab omnibus adorari studebant. Non enim ore osculari petebant: fuisset etenim hoc humilitatis signum, & haudquaquam Pharisaici supercilii. Iterum Paulus apostolus divinus sane, quem-
Act. 21. admodum in Actibus scribit Lucas: *Nam cum* (inquit) *essemus nos in Hierosolymis, libenter & alacriter exceperunt nos fratres: sequenti autem die Paulus nobiscum ad Iacobum ingreditur, aderant autem omnes presbyteri: salutatis autem illis, singula, quæ in gentibus per illum fecisset dominus, exposuit.* Hic enim salutationem, honorificam adorationem mutuo factam, apostolica sententia significat. Quemadmodum de Iacob legitur: *A-*
Hebr. 11. *doravit in summitate virgæ suæ.* Cum his convenit Gregorius cognomento theologus dicens:
Nazianz. in orat. de Christi nativit. *Bethlehem venerare, præsepe adora.* Quis autem, modo recte & sincere scripturas intelligat, ea quæ ita in scripturis occurrunt non viderit, inde latriam quæ fit per spiritum non dici, nisi omnino expers sit intelligentiæ, & plane in sententiis scripturæ & patrum rudis? Non enim in summo virgæ Iacob latriam fecit. Neque etiam Gregorius præsepi latriæ vocabulum addit, nequaquam. Rursus cum crucem vivificam salutamus, convenienter canimus: Crucem tuam adoramus domine. Lanceam, quæ vivificans latus sanctitatis tuæ aperuit, adoramus. Quæ sane adoratio nihil aliud est, quam salutatio, sive amplexum malis dicere, quod indicat hoc, quod labiis quoque nostris propriis ea contingimus. Si vero sæpius in scriptura & elegantibus nostris patribus adora-

A tionem quis dixerit, pro cultu sive latria, quæ in spiritu fit, sumi non negamus: nam cum vox sit multæ significationis, non potest non aliquando pro cultu adorationis in spiritu sumi. Adoratio enim est, cum venerationem, desiderium & timorem significet: ita nos vestrum victoriosum & placidissimum imperium adoramus. Est adoratio, quæ tantummodo victorem significat, quemadmodum Iacob adoravit Esau. Est quæ gratiam notat, quomodo Abraham pro agro, quem accepit a filiis Chet in sepulcrum Saræ uxoris suæ, adoravit illos. Rursus, qui sperant beneficium se accepturos a potentioribus, eos adorant, quemadmodum Iacob adoravit Pharaonem. Hinc divina scriptura dicens: *Deum tuum adorabis, & illi*
B *soli cultum exhibebis: adorabis,* absolute ponit, neque adjicit, soli, ut significetur vox diversæ notionis & æquivoca. *Cultum* autem *exhibebis*, sive *servies soli* dixit: quam ob causam latriam uni Deo tribuimus, ad quem illum referimus. His ita se habentibus, in confesso & sine ulla dubitatione credimus, acceptam & placitam coram Deo esse venerandarum imaginum depictionem, & earum quæ dispensationem domini nostri Iesu Christi exprimunt, & virginis quoque Mariæ deiparæ intemeratæ, quin etiam gloriosorum angelorum, & omnium sanctorum, has quoque adorandas & salutandas putamus. Qui vero ita non est animatus, sed circa venerandarum ima-
C ginum adorationem laborat & dubitat, eum anathematizat sancta & veneranda nostra synodus, quæ efficacia divini Spiritus & ecclesiasticis patrum traditionibus munita est & cincta. Anathema autem istud, nihil aliud est quam separatio a Christo. Si vero aliqui repugnaverint adversum ea quæ statuta sunt, his non adhibentes fidem sane contra stimulum calcitrant, & propriis animis injurii sunt. Nam & Christo adversantur, & sycophantiis quæ adversus ecclesiam Dei exercentur gaudent, ipsamque pietatem subvertere conantur: quare hæreticorum veterum asseclæ, socii & contribules propter im-
D pietatem vere dicendi sunt. Nos autem fratres & comministros nostros Dei amantes episcopos, & cum his præsides & clericos misimus, ut omnia quæ inter nos acta sunt ad divinas aures vestras renuntient. Ad consignationem autem & majorem certificationem eorum quæ a nobis decreta sunt, & quo majestati quoque vestræ piissimæ satisfiat, auctoritates quasdam patrum ex multis paucas subnexuimus, quarum splendore veritatis stabilimentum elucidari magis possit. Salvator autem omnium, & qui vobiscum regnat, ecclesiæ suæ pacem pro præmio tribuat. vestrum autem imperium cum senatu & ducibus, & fidelissimo militum exer-
E citu, in multos annos conservet, & victoriam vobis concedat. Ipse enim dixit: *Vivo ego, dicit dominus: * & glorificantes me glorifico.* Ipse est, qui accingens vos potentia, omnem hostilem impressionem a vobis auferet, obedientiam autem apud omnes conciliabit. Gaude igitur civitas, exulta nova Sion; totius terrarum orbis veluti alta specula. Regnavit enim & illic David, & Davidice illam allocutus est: Dominus in medio tui, cujus nomen sit benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

An. Chr. 78[?]
Genes.
Genes.
Gen.
Matt.
Deut.
1. R[eg.]
* f.
Psal.

DEI

ACTIO SEPTIMA.

DEI AMANTISSIMIS SACERDOTIBVS & clericis sanctissimæ magnæ Dei ecclesiæ, & omnium ecclesiarum Dei colentis & imperialis urbis, sancta synodus quæ in Nicæa secundo congregata est.

CHRISTVS Deus noster, vera veritas, Patris lumen & splendor; qui e tenebris nos in mirandam suam lucem vocans; ex idolica insania nos liberavit, & nomina idolorum de terra delevit, ut nulla plane eorum sit posthac memoria, placitum sibi existimavit, pios & in omnibus orthodoxos nostros fideles imperatores excitare, qui nos in splendidam metropolim Nicæam convocarent, ut novistis, quo dissidentia in unum per nos convenirent & medius paries inimicitiæ sustolleretur, & vetusta ecclesia catholicæ legislationis auctoritatem obtineret. Igitur Spiritus sancti inspiratione in hoc ipsum convenientes, ejusdem cooperatione omnes in idem consensimus. Oriens, inquam, occidens, septemtrio, & meridies, in unam unionem, ut ita dicam, convenimus: sanctarum ecclesiarum pacificus status propter consentientem fidem & sententias constitutus est: pedes enim nostros in rectam viam dirigens dominus, truncum, qui ex zizaniis vetustæ & improbæ hæreseos excreverat, funditus eradicavit. Ecce euangelizamus vobis, in monte excelso stantes, ecclesiasticæ pacis gaudium & celebrem festivitatem. Quid enim gratiosius est confidentis illius Isaiæ verbo: *Quam speciosi sunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?* Dignum autem fuisset & vestram devotam præsentiam rebus omnibus interfuisse, quo omnem a Deo electam nostram congregationem uno in loco inveniretis, & per Dei gratiam spectatores fieretis omnium quæ acta sunt: ita & dissertationis vim quoque cognovissetis, quæ in confirmationem legalium ecclesiæ catholicæ traditionum, & destructionem eorum qui insurrexerunt contra veritatem, & apostolicas, & patrum traditiones ab ecclesia catholica alienarunt, facta est. Sed quoniam inter nos & vestram sanctitatem, & humidum iter est, & longa terrestris via; duabus rebus opus fuit, navibus scilicet & jumentis, quibus deferri possetis. At quoniam utrorumque copiam non habentes, nobis corpore adesse non potuistis, certum est, vos mente & animo idem sentientes nobis adfuisse, quod sane ecclesiæ catholicæ magnum adjumentum existit. Quandoquidem autem inter nos membra sumus, habentia unum caput Christum dominum nostrum, necessarium duximus omnem eorum quæ divine apud nos acta sunt seriem narrare: nam & linguæ res per litteras effari possunt, eæque ita subinde repræsentant omnia, quasi coram visa fuissent. Postquam igitur ex præscripto patrum & doctrina convenimus, omnes idem sentire cœpimus. Recordatique sumus carminis quod a Moyse factum est & doctum: *Interroga patrem tuum & renuntiabit tibi: quære seniores tuos, & dicent tibi.* Ita quoque & nos ecclesiasticæ ordinationi insistentes, neque quidquam illi adjecimus, neque etiam ademsimus, sed apostolice instructi, traditiones quas accepimus servamus, omnia scilicet suscipientes quæ sancta catholica ecclesia & scripto & consuetudine admisit. Quorum de numero cum & venerandarum imaginum essent figurationes, de his peculiariter egimus. Rursus omnia quæ divini nostri patres rejiciunt, ea quoque & nobis indigna & catholicæ ecclesiæ adversa & hostica arbitramur, in quibus sane recensetur & continuata vaniloquentia Iconoclastarum, & eorum qui falso Christianos accusant gangræna, hactenus ecclesiam depascens. Sed Deus dominus noster eam in finem non sustinuit: nam postquam veritas detecta est, orthodoxa & sincera fides omnibus resplenduit, mendacium cum tenebris sibi congenitis evanuit: nam si, ut ipsi asserunt, imaginum pictura idolis comparabilis existit; nostræ liberationis mysterium, quod Dei filius per suam in carne sine peccato præsentiam operatus est, vanum reputatur. Quin etiam vanæ sunt propheticæ promissiones, quarum quædam jubet nos eum adorare & colere in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ nostræ. *Luc. 1.* Alia vero dicit: *Surrexit tamquam ex somno Deus, tamquam potens a crapula vini: percussit inimicos suos, & dedit eis in posterum improperium sempiternum.* *Psal. 77.* Si improperium sempiternum datum est inimicis nostris, hoc est improbis potentiis per resurrectionem, quomodo rursus Christiani idolis servient? Vah eorum impietatem & ruditatem. Vtinam cogitassent illud: *Qui scandalizat unum ex pusillus credentium in Christum: indignationem intolerabilem Dei incurrit.* *Matth. 18.* Sed verbum domini nihili fecerunt, ecclesiasticas traditiones cassaverūt, quam ob causam in nihilum rediget eos dominus. Et cum Ario, Eunomio, Macedonio, Apollinario, Nestorio, Eutychete, Dioscoro, Sergio, Honorio, & reliquis istis improbe sentientibus, conspiratio istorum connumerata est: nam horum stultitiam abstergentes, ipsi quoque stulta locuti sunt. Iam tamen funda veræ confessionis cum ipsis prostrati sunt, & acies eorum est dispersa. Non enim Deus in sæculum dimisit virgam eorum in sortem justorum, hoc est ecclesiæ: Iudaice enim vana cogitarunt, & alteras in conciliabulo Iudæ tulerunt: quare conciliabulum illorum Caiaphaicum inventum est. Hoc enim contra dominum conflatum est: sed Iconoclastarum adversus ejus imaginem illud conciliabulum, liberationem nostram per Christum factam, sibi & aliis inscripsit. Hoc autem concilium profundum, non per Christum cœpit: confederationes iniit, sed non per Spiritum illius, quia ornatum venerandorum templorum sustulit. In hoc conciliabulo nullus invenietur, qui imaginem ad similitudinem Dei ferat, quia imaginem domini & sanctorum illius ignominiose confringentes, igni tradiderunt. Hoc conciliabulum insania & dementia occasionem dedit multarum & satanicarum cædium. Hoc conciliabulum falso nomen sibi assumpsit, sacerdotale & sacrum concilium: improba enim & profana mente conflatum est. Hoc conciliabulum os habet intemperans: spiritu autem falso Christum & veritatem simulavit, mendaciis vero in totum est confisum. Hoc conciliabulum catholica ecclesia tamquam zizania ex area dominica, hoc est ecclesia catholica extirpavit, & * sputo divini judicii ejecit. ** ventilabro* Itaque ex ecclesia catholica ablatum est, & vafra ejus consilia redargutionem incurrere. Verum enim & rectissimum ecclesiæ judicium innovari in se nihil patitur, neque ullam semel probatæ rei ablationem ferre potest. Nos igitur patrum legibus insistentes, ab uno eodemque Spiritu gratia accepta, sine ulla novitia machinatione, & incontaminate cuncta ecclesiæ dogmata custodivimus, quemadmodum sacræ sex universales synodi constituerunt. Et quæcumque in ecclesia honore affici jusserunt, sine omni controversia recipimus, e quibus est, ut antea diximus, imaginum quoque apparatus. Quare eas honorabiliter adoramus & salutamus: idē enim significant hæc duo verba. Quique eadem confitetur, hic catholicæ ecclesiæ verus & germanus filius & particeps illius existit.

Actio septima.

Cuncta itaque scandala abierunt, cuncta obscurata sunt. Veritas gubernat omnia, mendacium exterminatum est, seminator zizaniorum omnino defecit, frumentum, hoc est devotus Christi populus, in unum horreum, nempe Christi ecclesiam, comportatum est. Orthodoxæ fidei lumen resplenduit, erroris tenebræ succubuerunt, mœror in gaudium versus est, luctus in exultationem commutatus est. Conversus est dolor noster in lætitiam, omnia in meliorem partem respexerunt. Quapropter & nos apostolice vos alloquimur: Gaudete in Christo, gaudete. Terna gaudia Trinitas nobis peperit: quam decet omnis gloria, honor, & potentia in sæcula sæculorum. Amen. A

CANONES

SANCTÆ ET VNIVERSALIS VII. SYN.

Interprete Gentiano Herveto.

TITVLI CANONVM.

I. *Quod oporteat divinos canones omnino servari.*

II. *Quod ordinandus episcopus certo debet promittere, se canones servaturum, sin minus non promoveatur.*

III. *Quod non oporteat a principibus eligi episcopum.*

IV. *Quod abstinere debeant episcopi a dando quidlibet & accipiendo.*

V. *Qui clericis exprobrant, quod in ecclesia sine largitionibus constituti sint, mulctæ subjiciantur.*

VI. *De cogendo concilio provinciali per annum.*

VII. *Vt templa sine reliquiis sanctorum consecrata supplementum accipiant.*

VIII. *Quod non oportet Hebræos recipere, nisi quando sincero corde conversi fuerint.*

IX. *Ne quis librum celet hæreseos Christianos accusantes.*

X. *Non oportet clericum relinquere suam parœciam, atque ad alteram se conferre citra consensum episcopi.*

XI. *Oportet œconomos esse in ædibus episcopalibus & monasteriis.*

XII. *Non oportet episcopum vel præpositum suburbana ecclesiæ alienare.*

XIII. *Magno supplicio digni sunt qui monasteria profanant.*

XIV. *Non oportet citra manus impositionem legere in sacro cœtu super pulpito.*

XV. *Ne aliquis clericus in duabus collocetur ecclesiis.*

XVI. *Non oportere virum sacerdotio præditum sumptuosis vestibus amiciri.*

XVII. *Qui non habet quæ ad structura perfectionem pertinent, ne aggrediatur extruere sacrum.*

XVIII. *Non oportet feminas vitam degere in ædibus episcopalibus, vel in monasteriis virorum.*

XIX. *Vt sine muneribus constitutiones sacerdotum, monachorum & monacharum fiant.*

XX. *Non oportet deinceps ex uno duplex fieri monasterium, & de duplicibus monasteriis.*

XXI. *Non oportet monachos sua relinquere monasteria, & in alia migrare.*

XXII. *Oportet cum gratiarum actione & omni reverentia monachos, si usus venerit, cum mulieribus cibum capere.*

CANONES.

I.

IIS qui sacerdotalem dignitatem sortiti sunt, testimonia & ad recte se gerendum instituta sunt canonicarum constitutionum descriptiones. Quas cum diviniloquo David lubenter recipientes, ad dominum cantamus, dicentes, *In via mandatorum tuorum lætatus sum, tamquam in omnibus divitiis:* &, *Mandasti justitiam testimonia tua in sæculum: intellectum da mihi, & vivam.* Et si in sæculum nos jubet vox B prophetica testimonia Dei servare, & in eis vivere, liquet ea nequaquam concutienda, nullaque ratione labefactanda permanere: nam & venerandus Moyses sic ait: *Eis non licet addere, nec eis licet detrahere.* Et divinus apostolus Petrus in iis glorians exclamat: *Ad quæ angeli declinare desiderant.* Atque etiam dicit Paulus: *Etiamsi vel angelus annuntiet vobis aliud quam vobis annuntiavimus, sit anathema.* Cum hæc ergo ita se habeant, & sint nobis testata, iis exultantes, ut si quis C multa spolia invenerit, divinos canones libenter amplectimur, eorumque constitutionem integram & illabefactabilem confirmamus, quæ edita fuerunt a sancti Spiritus tubis, omni ex parte celebrandis apostolis, & sex sanctis universalibus synodis, iisque quæ ad ejusmodi decretorum traditionem provinciatim coactæ fuerunt, & nostris sanctis patribus. Ex uno enim omnes eodemque Spiritu illuminati, quæ erant utilia decreverunt: & quos anathemati quidem transmittunt, nos quoque anathematizamus: D quos vero depositioni, nos quoque deponimus: quos autem segregationi, nos itidem segregamus: quos autem pœnæ tradunt, nos quoque similiter subjicimus. Ab avaritia enim alieni mores sint, præsentibus contenti, is qui tertium cælum conscendit, & arcana verba audivit, Paulus divinus apostolus aperte vociferatur.

Psal. | Deut. | 1. Petr. | Gal. | Hebr. | 2. Cor.

II.

Quoniam psallentes Deo spondemus: *In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos:* omnes quidem Christianos salutare est hoc servare, eos au- E tem præcipue qui sacerdotalem dignitatem obtinent. Quamobrem decernimus quemlibet, qui ad episcopalem gradum est provehendus, psalterium omnino nosse, ut ex eo omnem quoque suum clericum ita institui moneat. A metropolitano autem bene examinari, an ad sacros canones diligenter, ac cum perscrutatione, non autem obiter cursimque legendos, prompto paratoque sit animo, & sacrum

Psal.

crum etiam euangelium, & librum divini apostoli, omnemque divinam scripturam, & in divinis præceptis versari, & populum suum docere. Nostræ enim hierarchiæ substantia sunt eloquia divinitus tradita, divinarum scilicet scripturarum vera scientia, sicut magnus ait Dionysius. Si quis autem dubius animi fuerit, & non lubenter hæc facere & docere voluerit, non ordinetur. Prophetice enim dicit Deus: *Tu repulisti scientiam, & ego te repellam, ne sis mihi sacerdos.*

III.

Omnem electionem quæ fit a magistratibus, episcopi, vel presbyteri, vel diaconi, irritam manere, ex canone dicente: Si quis episcopus sæcularibus magistratibus usus, per eos ecclesiam obtinuerit, deponatur & segregetur, & omnes qui cum eo communicant. Oportet enim eum qui est promovendus ad episcopatum ab episcopis eligi, quemadmodum a sanctis patribus Nicææ decretum est in canone, qui dicit: Episcopum oportet maxime quidem ab omnibus qui sunt in provincia constitui: si autem hoc difficile fuerit, vel propter urgentem necessitatem, vel propter viæ longitudinem, tres omnino eodem convenientes, iis quoque qui absunt simul suffragium ferentibus & assentientibus per literas, tunc facere electionem: eorum autem quæ a se fiunt, confirmationem dari in unaquaque provincia metropolitano.

IV.

Præco veritatis Paulus divinus apostolus quemdam veluti canonem Ephesiorum presbyteris imponens, vel universæ potius sacerdotali multitudini, sic libere dixit: *Argentum vel aurum vel vestem nullius concupivi, omnia vobis ostendi, quod oportet sic laborantes infirmos suscipere; dare beatum existimans.* Quocirca ab eo edocti statuimus, ne turpis lucri gratia episcopo in mentem veniat, quærenti excusationes in peccatis, aurum vel argentum, vel ullam aliam speciem ab iis qui sibi subsunt episcopis, vel clericis, vel monachis exigere. Dicit enim apostolus: *Injusti regnum Dei non possidebunt:* nec debent liberi parentibus thesaurum parare, sed parentes liberis. Si quis ergo per auri exactionem vel alicujus alterius speciei, vel propter aliquam propriam affectionem a ministerio arcere inventus fuerit, vel segregare suorum clericorum aliquem, vel venerandum templum claudere, ne in eo divina fiant ministeria, ad id quod non est sensu præditum suam insaniam immittens, est revera sine sensu, & talionis erit legi obnoxius, & labor ipsius in caput ejus redibit, ut qui sit mandati Dei &

A apostolicarum traditionum transgressor. Præcepit enim & Petrus suprema apostolorum summitas: *Pascite gregem domini, episcopatum gerentes, non per vim, sed sponte ac voluntarie, secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed prompte & alacriter: nec ut dominatum in clerum obtinentes, sed gregis exemplaria existentes; & cum summus pastor apparuerit, quæ nec corrumpi nec marcescere potest, gloriæ coronam referetis.* ACTIO SEPTIMA. 1. Petr. 5.

V.

B Est peccatum ad mortem, quando peccantes aliqui manent incorrigibiles. Hoc autem est deterius, quando & erecta cervice adversus pietatem & veritatem insurgunt, mammona Dei obedientiæ præferentes, & ejus canonicas constitutiones non ferentes. In iis ergo non est dominus Deus, nisi forte humiliati a suo delicto resipuerint. Oportet enim eos magis Deo supplicare, & cum corde contrito hujus peccati remissionem & condonationem petere, & non de illicita donatione
C se jactare: *Deus enim prope est iis qui sunt contrito corde.* Psalm. 33. Eos ergo, qui per auri dationem se fuisse in ecclesia constitutos gloriantur, & in ea improba consuetudine spem habent, quæ a Deo & ab omni sacerdotio alienat; & ideo impudente vultu, & ore aperto, probrosis & contumeliosis verbis eos, qui propter actam ex virtute vitam a sancto Spiritu selecti ordinatique sunt præter auri dationem, vilipendunt ac negligunt; primum quidem
D eos qui hoc faciunt ultimum proprii ordinis gradum sumere: sin autem perseveraverint, inflicta quoque pœna corrigi decernimus. Si quis autem in ordinatione hoc quandoque fecisse visus fuerit, fiat ut vult canon apostolicus, qui dicit: Si quis Can. 36. episcopus per pecunias hanc sit dignitatem assecutus, vel presbyter, vel diaconus, deponatur & ipse & qui ordinavit, & exscindatur omnino a communione, ut Simon magus a me Petro. Et secundus canon sanctorum patrum, qui Calchedone convenerunt, qui dicit: Si quis epi- Can. 2. scopus pecuniis ordinationem fecerit, &
E non venalem gratiam in emptionem deduxerit, & pecuniis ordinaverit episcopum, vel chorepiscopum, vel presbyterum, vel diaconum, vel aliquem eorum qui in clero enumerantur, vel pecuniis promoverit œconomum, vel defensorem, vel paramonarium, vel omnino aliquem ex canone turpis lucri gratia; qui hoc aggressus esse convictus fuerit, proprii gradus id faciat periculo: & qui ordinatur, ex ea ordinatione vel promotione, quæ precio dato instar mercaturæ facta est, nihil juvetur: sed sit alienus a dignitate, vel munere, seu curatione, quam pecuniis assecutus

ACTIO SEPTIMA.

assecutus est. Si quis autem rebus adeo turpibus & lucris illicitis intercessor seu sequester apparuerit, hic quoque, si sit quidem clericus, a proprio gradu excidat; sin autem laicus, vel monachus, segregetur.

VI.

Concil Nicæn. C. 5. Quoniam canon est qui dicit bis in anno in unaquaque provincia per congregationes episcoporum fieri oportere quæstiones canonicas; propter vexationem, & quod itineri perficiundo minus sufficerent qui cogebantur, statuerunt sancti sextæ synodi patres, ea omnino & quacumque postposita causa semel in anno fieri, & delicta corrigi. Hunc ergo canonem nos quoque renovamus: & si quis magistratus hoc prohibere inventus fuerit, segregetur. Si quis autem metropolitanus hoc fieri non curaverit, præterquam vi vel necessitate & justa aliqua de causa, canonicis pœnis subjiciatur. Cum autem de canonicis & euangelicis rebus fiat synodus, opus est ut congregati episcopi magnam curam & diligentiam gerant, ut divina & vivifica mandata serventur. In eis enim servandis est retributio multa: quoniam lucerna est mandatum, lex vero lux, & via vitæ probatio & disciplina, & præceptum domini lucidum illuminans oculos. Ne liceat autem metropolitano ex iis quæ secum affert episcopus, vel jumentum, vel aliquam rem aliam petere. Si enim hoc fecisse deprehensus fuerit, reddet quadruplum.

(Can. 8. — *Psal.* 118. — *Prov.* 6.)

VII.

1. Tim. 5. Ait Paulus divinus apostolus: *Quorumdam hominum peccata sunt manifesta, nonnullos autem consequuntur.* Præcedentibus autem peccatis, alia quoque ea sequuntur. Impiam ergo hæresim eorum, qui Christianos accusant, alia quoque impia consecuta sunt. Quemadmodum enim venerabilium imaginum aspectum ex ecclesia sustulerunt, alios quoque mores reliquerunt, quos quidem oportet renovari, & tam ex jure scripto quam non scripto sic observari. Quæcumque ergo templa consecrata sunt absque sacris reliquiis martyrum, in iis fieri statuimus reliquiarum depositionem cum consuetis precibus. Episcopus autem posthac templum consecrans sine sanctis reliquiis, deponatur, ut qui ecclesiasticas traditiones transgressus sit.

VIII.

Quoniam Hebræorum religionis quidam errantes Christum Deum nostrum subsannare visi sunt, sese Christianos esse fingentes, ipsum autem clanculum & occulte negant, sabbata observantes, & alia Judaica facientes: statuimus, ut neque ad communionem, neque ad orationem, neque ad ecclesiam admittantur, sed aperte sint secundum suam religionem Hebræi; & neque filios eorum baptizari, neque servum ab eis emi vel possideri. Sin autem ex pura & sincera fide quis eorum conversus, & ex toto corde confessus fuerit, eorum moribus & rebus insultans, veluti triumphum agens, ut & alii refellantur & corrigantur; eum recipi & baptizari & ejus liberos, & cautos reddi, ut se ab Hebræorum studiis & institutis abstineant. Si autem non ita se gerant, eos nullo modo admitti.

IX.

Puerilia omnia ludibria, furiosaque ac insana dicta & scripta, quæ adversus sanctas imagines edita sunt, oportet dari episcopo Constantinopolitano, ut cum reliquis libris hæreticis reponantur. Si quis autem hæc celare inventus fuerit, si sit quidem episcopus, vel presbyter, vel diaconus, deponatur: sin autem laicus vel monachus, segregetur.

X.

Quoniam nonnulli clerici canonicam constitutionem circumscribentes, sua relicta parœcia in alias parœcias excurrunt, utplurimum autem in hanc a Deo custoditam & imperatoriam urbem, & apud principes assident, & in eorum oratoriis divina ministeria faciunt: eos sine proprio episcopo & Constantinopolitano non licet in quavis æde vel ecclesia recipi: si quis autem hoc fecerit, si perseveret, deponatur. Quicumque autem cum prædictorum sacerdotum consensu hoc faciunt, non licet eis curas sæculares & mundanas suscipere, ut qui sint a canonibus prohibiti hoc facere. Si quis autem eorum, qui majores, id est curatores appellantur, curationem obtinere deprehensus fuerit, vel cesset, vel deponatur: potius autem offerat se ad docendos filios & servos, legens eis divinas scripturas: ad hoc enim etiam sacerdotium sortitus est.

XI.

Cum omnes divinos canones servare teneamur, eum quoque, qui jubet œconomos esse in singulis ecclesiis, illæsum omnino servare debemus. Et si quidem unusquisque metropolitanus in sua ecclesia œconomum constituit, bene habet: sin minus, Constantinopolitano episcopo speciali auctoritate licebit œconomum in ejus ecclesia præficere. Similiter & metropolitanis, si qui eis subsunt episcopi nolint in suis ecclesiis œconomos constituere. Hoc ipsum autem servari etiam in monasteriis oportet.

XII.

Si quis episcopus vel monasterii præfectus

fectus inventus fuerit ex episcopatus vel monasterii agris, in principis alicujus manus alienare, vel alteri personæ tradere, nullius sit momenti traditio, ut sanctorum apostolorum vult canon qui dicit: Omnium rerum ecclesiasticarum episcopus curam gerat, & ea administret tamquam Deo intuente. Ne liceat autem quidquam ex eis sibi vendicare, vel propriis cognatis quæ Dei sunt elargiri. Si sint autem pauperes, ut pauperibus suppeditet: sed non eorum prætextu res ecclesiæ venumdet. Sin autem detrimentum afferre causetur, nec quidquam ex agro emolumenti percipi, ne sic quidem principibus, qui sunt in eo loco, alienet prædium, sed clericis vel agricolis. Sin autem aliqua improba calliditate utentur, & ab agricola vel clerico agrum princeps emerit, sic quoque nullius sit momenti venditio, & episcopatui vel monasterio restituatur. Porro episcopus vel monasterii præfectus qui hoc fecerit, exturbetur quidem episcopus ab episcopatu, monasterii vero præfectus a monasterio, ut qui male dissipent quæ non congregavere.

XIII.

Quoniam per eam quæ fuit propter peccata nostra in ecclesiis calamitatem sacrosanctæ quædam ædes a quibusdam viris arreptæ sunt, & episcopatus, & monasteria, & facta sunt communia diversoria: si qui ea quidem tenent, volunt reddere, ut in pristinum statum restituantur, bene & pulcre habet: sin minus, si sunt quidem sacerdotalis catalogi, eos deponi jubemus: sin autem monachi vel laici, segregari, ut qui sint condemnati a Patre, & Filio, & Spiritu sancto: & ponantur ubi vermis non moritur, nec ignis extinguitur: quia voci domini adversantur, quæ dicit: *Ne facite domum Patris mei domum negotiationis.*

XIV.

Quod ordo in sacerdotio versatur, est omnibus manifestum: & sacerdotii munera exacte servare Deo gratum est. Quoniam ergo videmus nonnullos a pueris cleri tonsuram accipientes, nondum vero accepta episcopi manuum impositione, in congregatione in suggestu legentes, & id non canonice facientes, hoc a præsenti canone fieri non permittimus: hoc ipsum autem etiam in monacho servari. Lectoris autem manuum impositionem licet in proprio monasterio tantum unicuique monasterii præfecto facere, si ipsi præfecto scilicet ab episcopo manus est imposita ad præfecturam hegumeni, dum sit & ipse presbyter. Similiter & ex antiqua consuetudine chorepiscopos epi-

A scopi permissu oportet lectores ordinare. ACTIO SEPTIMA.

XV.

Clericus ab hoc deinceps tempore in duabus ecclesiis non collocetur. Hoc enim est negotiationis & turpis lucri proprium, & ab ecclesiastica consuetudine alienum. Ab ipsa enim domini voce audivimus, non posse quempiam duobus dominis servire. *Vel enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit & alterum contemnet. Vnusquisque ergo*, ut vox Matth. 6. est apostolica, *in eo, in quo vocatus est, debet* 1. Cor. 7.
B *manere, & in una ecclesia assidere.* Quæ enim propter turpe lucrum fiunt in ecclesiasticis negotiis, ea a Deo sunt aliena. Ad hujus autem vitæ usum sunt diversa studia: ex iis ergo, si quis velit, ea quæ sunt corpori ad usum necessaria comparet. Dixit enim apostolus: *Vsui meo & iis qui mecum* Act. 20. *sunt subministraverunt manus meæ.* Et hoc quidem in hac a Deo custodita civitate. In iis autem quæ extra sunt locis, propter hominum inopiam, permittatur.

XVI.

Omnis luxus & ornatus corporeus est
C a sacerdotali statu alienus. Episcopos ergo vel clericos, qui se splendidis & insignibus vestibus exornant, se corrigere oportet: sin autem permaneant, supplicio tradi: similiter & eos qui sunt unguentis delibuti. Quoniam autem radix acerbitatis sursum pullulans, fuit nostræ ecclesiæ inquinamentum, Christianos scilicet accusantium hæresis; & qui eam susceperunt, non solum imaginum picturas aversati sunt, sed omnem etiam pietatem ac religionem extruserunt, in eos qui pie &
D honeste vivunt invehentes; & in eis impletum fuit quod scriptum est: *Execratio* Eccles. 1. *peccatori Dei cultura.* Si inventi itaque fuerint nonnulli eos irridentes, qui vilem & modestum amictum induti sunt, pœna corrigantur. A superioribus enim usque temporibus omnis vir sacerdotalis cum moderato & honesto indumento versabatur. Quidquid enim non propter usum, sed ostentatorium ornatum assumitur, in nequitiæ reprehensionem incurrit, ut ait magnus Basilius. Sed nec ex sericeis texturis variatum quis vestimentum habebat, neque in extremis vestimentis adje-
E cta erant alieni coloris additamenta. Ex divina enim lingua audierunt, quod qui Matth. 11. mollia ferunt sunt in ædibus regum.

XVII.

Quidam monachi suis monasteriis relictis, ut qui imperare desiderent, & parere recusent, oratoria ædificare aggrediuntur, cum ea non habeant quæ ad perfectionem pertinent. Si quis ergo hoc facere aggressus fuerit, prohibeatur ab ejus loci episcopo. Si quis autem ea habet quæ

Actio septima.

ad perfectionem sufficiunt, quæ ab ipso A deliberata sunt, ad finem deducantur. Idem autem servetur in laicis & clericis.

XVIII.

1. Cor. 10. Sine offensione esse etiam iis qui extra sunt, inquit divinus apostolus. Mulieres autem in episcopiis vel monasteriis versari, est omnis offensionis causa. Si quis ergo ancillam vel liberam in episcopio possidere deprehensus fuerit, vel in monasterio ad ministerium aliquod obeundum, puniatur: sin autem perseveret, deponatur. Si vero etiam in suburbanis mulieres esse contigerit, & voluerit B episcopus vel monasteriis præfectus illuc iter facere, præsente episcopo vel monasterii præfecto mulier eo tempore nullo modo ministerium obeat, sed alio in loco seorsum versetur, donec recesserit episcopus, aut hegumenus, ut omnis reprehensionis occasio vitetur.

XIX.

Tanta execrabilis avaritiæ labes ecclesiarum præfectos invasit, ut nonnulli eo- C rum virorum ac mulierum, qui pii ac religiosi dicuntur, domini mandati obliti fallantur, & eos qui ad sacerdotalem ordinem & vitam monasticam accedunt, pecuniis admittant: & quorum reprobum est principium, universum quoque rejiciendum efficitur, ut ait magnus Basilius; Matth. 6. nec enim Deo licet & mammonæ servire. Si quis ergo inventus fuerit hoc facere, qui hoc facit, si sit quidem episcopus, vel monasterii præfectus, vel ex sacerdotali ordine, vel cesset, vel deponatur, ut vult 2. canon Calchedonensis synodi. Sin autem, monasterii præfecta a mona- D sterio extrudatur, & alii monasterio tradatur ad subjectionem. Similiter & monasterii præfectus, qui presbyterii ordinationem habet. De iis autem quæ dantur liberis a parentibus instar dotis: vel rebus suis propriis oblatis, profitentibus iis qui ea offerunt, esse Deo consecrata, statuimus ut sive maneant, sive exeant, ea in monasterio maneant, ut fuit ipsorum professio; nisi is qui præest in culpa fuerit.

XX.

A præsenti statuimus non fieri duplex E monasterium, quoniam hoc fit multis scandalum & offensio. Si qui autem volunt cum cognatis mundo renuntiare, & vitam sequi monasticam, viros quidem oportet in virorum monasteria discedere, feminas autem ingredi in mulierum monasteria: hoc enim est Deo acceptum. Quæ autem hucusque duplicia fuerunt, serventur secundum canonem sancti patris nostri Basilii, & secundum ejus constitutionem ita regantur. In uno autem monasterio ne versentur monachi & monachæ. Adulterium enim inest media conversatione. Nec monachus libere cum monacha, vel monacha cum monacho seorsum confabuletur, nec cubet monachus in feminarum monasterio, nec cum monacha seorsum comedat. Et quando quæ sunt vitæ necessaria a parte virorum ad regulares feminas deferuntur, extra portam hæc accipiat monasterii muliebris præfecta cum aliqua anu monacha. Si autem eveniat, ut aliquam velit cognatam monachus aspicere, præsente præfecta cum ea colloquatur exiguo & brevi sermone, & mox ab ea recedat.

XXI.

Non oportet monachum vel monacham proprium relinquere monasterium, & ad aliud se conferre. Si hoc autem contigerit; ipsum ut hospitem accipi est necessarium: sed eum recipi sine mente monasterii ejus præfecti non convenit.

XXII.

Deo quidem universum dedicare, & non propriis voluntatibus servire, res magna est. *Sive enim comeditis, sive bibitis,* inquit divinus apostolus, *omnia in Dei gloriam facite.* Christus autem Deus noster in suis euangeliis jussit peccatorum principia resecare. Non enim adulterium solum apud ipsum punitur, sed etiam cogitationis motus ad aggrediendum adulterium condemnatur, ipso dicente: *Qui aspexerit mulierem ad concupiscendam ipsam, eam jam in corde suo adulteravit.* Vnde nos quoque edocti, debemus cogitationes purgare. *Etsi enim omnia licent, non tamen omnia expediunt*, ut a voce apostolica docemur. Cuivis ergo homini necesse est comedere, ut vivat: & quibus est vita quidem matrimonii, & liberorum, & laicæ constitutionis, permixtim comedere viros & mulieres, est ab omni reprehensione alienum, si modo ei qui dat nutrimentum gratias agant, non cum scenicis quibusdam studiis, sive satanicis canticis & citharœdicis ac meretriciis inflexionibus; quos prophetica execratio persequitur, sic dicens: *Væ qui cum cithara & psalterio vinum bibunt, domini autem opera non respiciunt, & opera manuum ejus non considerant.* Et sicubi tales fuerint inter Christianos, corrigantur: sin minus, adversus eos robur suum obtineant quæ ab iis qui nos præcesserunt canonice tradita sunt. Cui autem quieta est vita & solitaria: ut qui domino Deo jugum monasticum tollere statuerit, in solitudine & silentio sedebit. Atqui nec iis etiam, qui vitam sacerdotalem elegerint, licet omnino seorsum cum mulieribus comedere, nisi utique cum divinis & religiosis viris ac mulieribus: ut ipsum etiam convivium ad spiritalem

5 talem correctionem adducat. Porro id-
sri ipsum etiam in cognatis faciat. Si autem rursus contingat, ut quæ sunt ad usum necessaria non afferat monachus vel sacerdos, & propter necessitatem velit sive in publico diversorio, sive in alicujus domo divertere, ei liceat hoc facere, utpote urgente necessitate.

Post editionem canonum extat epistola, sic se habens.

In omnibus sanctissimo & beatissimo fratri & comministro, domino Hadriano papæ veteris Romæ, Tarasius divina miseratione episcopus Constantinopoleos novæ Romæ, in domino gaudere.

SUFFICIT quidem salutaris dispensatio magni Dei & servatoris nostri Iesu Christi ad pacem & concordiam omnibus Christianis. Ipse
c enim * post resurrectionem a mortuis, apostolis
4. suis inspirando dixit: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*. Qua de causa is qui raptus fuit in cælum, & in paradisum ingressus, au-
12. divit verba quæ non oportebat dici: Paulus, inquam, apostolus divinus omnibus nobis testatus
2. est, dicens: *Christus est pax nostra, qui omnia facit ex diversis, & medium parietem obstaculi dissolvens*, inimicitiam scilicet de carne sua. Et ite-
r. 2. rum ad Thessalonicenses scribens admonet: *Igitur, fratres, state, & servate traditiones, quas edocti estis, sive per verbum, sive per epistolas nostras*. Sed postea inveteratus hostis diabolus, ecclesiam super fundamentum apostolorum & prophetarum per diversa tempora, juxta beneplacitum Dei ædificatam, non studuit non convellere & interturbare, seipsum scilicet vi inferens per quosdam asseclas suos viros improbos, per quos etiam zizania seminavit in hac eleganti terra ab apostolis exculta. Hi siquidem, accepta a supernis potestate, in sulcis divinæ efficaciæ seminatum frumentum reliquere, quorum divinam doctrinam arripientes patres nostri admirandi, zizania quidem extirparunt, nimirum hæreses & nuperas vaniloquentias radicitus usque evellentes, & dimisere messem puram ecclesiæ. Vestra igitur Deo decens sanctitas horum adhærens doctrinis, & ab ipsis veritatis sermonem accipiens, turbas illas spinosas nunc pullulantes, adjungente se tibi imperatorum fidelissimorum sinceritate, extirpare machæra Spiritus sancti satagit. Misisti enim nobis postulantibus viros concordes, & dignos apostolica sede sancti Petri, quos ad se missos imperatores nostri sincerissimi humaniter suscipientes, ad nos jusserunt proficisci: a quibus postquam literas sanctitatis tuæ accepissemus, easque legissemus, adduximus ad sanctos & reverentes viros Ioannem & Thomam verbo & cognitione vobiscum sentientes, qui eisdem temporibus, una cum variis episcopis, zelo Dei & voluntate huc se ad sacram synodum, jubentibus & volentibus etiam sincerissimis imperatoribus, contulerunt. Verum nos ante annum sedem colligere synodi statueramus, cum improbi aliquot homines, & quorum mentes insania tumultuabantur, turbam in nobis cientes, cathedram prohibuerunt. Quamobrem coacti sumus integrum annum a proposito nostro desistere, nihilque quod ad eam rem attinebat tentare. Tempore deinde succedente, iterum venerabiles isti episcopi in

A splendida metropoli Nicæa provinciæ Bithyniæ, imperatorum nostrorum mandato, congregati sunt. Nos autem accipientes comites itineris, & venerandos viros legatos vestros, & vicarios quoque orientis, ad ipsam metropolim venimus: & omnibus sedentibus, eligere caput, nempe ipsum Christum, visum est. Iacebat autem in sacro throno euangelium sanctum, quod omnibus nobis qui convenerant, Iustum judicium judicate, Iustitiam pro sancta Dei ecclesia administrate, proclamabat. Itaque prærogativa quadam literas sanctitatis tuæ primo loco legi jussimus, & eramus quidem tunc

B omnes veluti in regio convivio epulis Spiritus intenti, quod tali convivio animi nostri recrearentur. Pedesque nostri in viam rectam veritatis per te ducebantur. Sic confracta membra in unum corpus componebantur, sic vera concordia revaluit, sic catholica ecclesia in unionem est collecta. Post illas autem literas legimus quoque eas quæ ex orientalibus diœcesibus nobis missæ fuerant: atque ita patrum traditionis lumen acrius exactiusque resplenduit, & vis veritatis clarior fortiorque evasit. His se ita habentibus, ab omnibus nobis qui divina voluntate conveneramus confessa est vera & calumniæ ex-

C pers confessio, quæ & a nobis ad vos missa est: Per relationem itaque nostram piis imperatoribus nostris omnes hæreticæ pravitatis principes, quique eos insequuntur, profanatione & execratione condemnati sunt, propterea quod sanctam catholicam ecclesiam injuria affecerint: nec vero illi tantum, qui in hac vita in eadem opinione manent, sed etiam qui vitam turpiter & perverse projecerunt. Sed quidam eorum adhuc præsentes, salutem suam per scriptos libellos confessi sunt. Neque Christus Deus noster, petra scilicet in qua fixi sumus vestem illam de- *Ioan. 19.*
super contextam, ipsam nimirum catholicam a se & super se ædificatam ecclesiam suam & disruptam diutius pati potuit, neque membra huc illucque dispersa diutius diffundi sustinuit; sed simul cum veteribus hæresibus errorem novæ

D pravitatis Iconoclastarum, qui contra venerandas imagines rabiem suam exercuerunt, verbo gratiæ suæ subvertit, & machæra spiritus
exsecuit. Abunde autem instructi sumus, & ex- *3. Esdr. 3.*
perientia cognovimus, veritatem super omnia posse & valere. Quidquid illi repugnat, id tandem semper cedit, & aciem relinquere cogitur. Ipsa est omnium fortissima, ita ut facile quosvis inimicos superet, & repugnantium phalangas dissipet. Ecce enim falsiloquorum & mendacium labia compressit, tenebræ absurdarum blasphemiarum cessarunt, pulcritudo ve-

E ritatis dogmatum resplenduit. Iam omnis hæretica blasphemia ejecta est & propulsata. Ecclesia proprium ornatum recepit, requiem ex immensis laboribus invenit. Veritas est inconcussa & inexpugnabilis, adversus quam portæ inferorum & infidelitatis non prævalebunt, quemadmodum ex ore dominico audivimus:
Et gaudio repletum est os nostrum, & lingua nostra *Psalm. 125.*
exultatione. Gavisi autem sumus in ecclesia, cui præsidemus juxta Dei voluntatem. Hæc igitur facta sunt, Christo Deo nostro, qui super omnes est, rem procurante, auxiliantibus etiam orthodoxis & fortissimis nostris imperatoribus. Ipsi enim omnibus in locis venerandas imagines restituerunt, cum in sacris templis, tum etiam in portis regiarum, quibus Deus præmium, exal-

ANNO CHRISTI 787 "

" Imo post conc. Francofordiense, ut videtur anno 794.

tando cornu imperii illorum, ad pacem ecclesiæ suæ, & salutem omnium nostrorum Christianorum; cujus nomen sit benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA HADRIANI PAPÆ AD CAROLVM REGEM,

De imaginibus, qua confutantur illi qui synodum Nicænam secundam oppugnarunt.

Domino excellentissimo filio nostroque spirituali compatri Carolo regi Francorum & Longobardorum, ac patricio Romanorum, Hadrianus papa.

DOMINVS ac redemptor noster, qui provido suo consilio auctor est, dignatus est de B cælis ex sinu Patris descendere .... euangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto & omnium apostolorum principi Petro claves regni cælorum, & totius ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: *Petre, amas me? Pasce oves meas.* Ipsi dicitur: *Ecce satanas expetivit cribare vos sicut triticum, & ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ipsi dicitur: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in cælo: & quodcumque solveris super terram, solutum erit & in cælo.* Ecce cura ei totius ecclesiæ & C principatus committitur. Et ipse vices suas vicariis suis pontificibus relinquere dignoscitur ecclesiæ curam gerendi. Nam etiam claves regni cælestis accepit, & potestas ei ligandi & solvendi tribuitur. Vnde fiducialiter freti existimus, quod si vestra a Deo præfata regalis excellentia, erga ejus sanctam catholicam & apostolicam Romanam ecclesiam, & nos, ut cœpit, usque in finem in amore & dilectione fideliter extiterit, non solum eam ab omni peccati macula abluens eripiet, sed etiam in hoc mundo super omnes barbaras gentes cum ea committentes suffragiis suis victorias tribuet immensas, insuper & regnum D cælorum sine fine. Præterea directum a vestra clementissima præcelsa regali potentia suscepimus fidelem familiarem vestrum, videlicet Engilbertum abbatem, & ministrum capellæ, qui pene ab ipsis infantiæ rudimentis in palatio vestro enutritus est, & in omnibus consiliis vestris receptus; ut ideo sicut a vobis in omni familiaritate recipitur, ita & a nobis reciperetur, & condecenter honoraretur. Vnde pro nimio amore, quem erga vestram mellifluam gerimus regalem excellentiam, sicut misistis cum nimio amore dulcedinis eximiæ, eum suscipientes, prout voluit, & qualiter voluit, cum magna familiaritate E nobis enarrantem, aure placabili & mente benigna eum suscepimus, & quasi vestra corporali excellentia nobis narrante, nostrum ei patientius credidimus consilium, ad profectum sanctæ nostræ Romanæ ecclesiæ, & vestræ a Deo protectæ regalis potentiæ exaltationem. Inter quæ edidit nobis capitulare adversum synodum, quæ pro sacrarum imaginum erectione in Nicæa acta est. Vnde pro vestra melliflua regali dilectione per unumquodque capitulum responsum reddidimus: non quemlibet, absit, hominem defendentes, sed olitanam traditionem sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ tenentes, priscam prædecessorum nostrorum sancto-

Ioan. 21. Luc. 22. Matth. 16.

A rum pontificum sequimur doctrinam, rectæ fidei traditionem modis omnibus vindicantes.

IN ACTIONE TERTIA.

In primo quidem capitulo ferebatur, in eo quod dicit: Et in Spiritum sanctum dominum ac vivificatorem, ex Patre per Filium procedentem.

REPREHENSIO. Quod Tarasius non recte sentiat, qui Spiritum sanctum non ex Patre & Filio, secundum Nicæni symboli fidem, sed ex Patre per Filium procedentem in suæ credulitatis lectione profiteatur.

RESPONSIO. Hoc dogma Tarasius non per se explanavit, sed per doctrinam sanctorum patrum confessus est: quorum capitula pro vestro nimio amore, quod erga vestram præerectissimam a Deo protectam regalem excellentiam gerimus, breviter exaramus: scilicet S. Athanasii de apparitione domini in carne, inter cetera: Et propter hoc insufflat in facie apostolorum, dicens: *Accipite Spiritum sanctum:* ut cognoscamus quia de plenitudine deitatis est qui dabatur Spiritus discipulis. *In Christo enim*, inquit, *habitat*, hoc est in carne ejus, *omnis plenitudo deitatis corporaliter*, sicut & euangelista Ioannes dicit: *Nos omnes ex plenitudine ejus accepimus.* Corporali enim specie sicut columba apparuit Spiritus sanctus descendens & manens super eum. In nobis etenim primitiæ & pignus deitatis inhabitat, in Christo autem omnis plenitudo deitatis. Et ne quis arbitretur, quia quasi non habens ipse accipiebat: ipse enim sibi desuper mittebat sicut Deus, & ipse sibi deorsum suscipiebat, sicut homo. Ab ipso ergo in ipsum descendebat, ex deitate ejus in humanitatem ejus. Et post plura: Manifestum est, quia per ipsum omnia fecit Pater. per ipsum ergo eum suscitat, per ipsum eum sanctificat, & per ipsum eum exaltat, & per ipsum vitam dat.

Item ejusdem S. Athanasii de virginitate, inter cetera: Et in Spiritum sanctum, qui in Patre & Filio existens, qui a Patre emittitur, & per Filium datur.

Item de hist. eccles. lib. 7. Eusebii Cæsariensis, post plura: Gregorii martyris & episcopi Neocæsareæ fides: Vnus Deus Pater verbi viventis, sapientiæ subsistentis, & virtutis suæ, & figuræ, perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. Vnus dominus, solus ex solo, figura & imago deitatis, verbum perpetrans, sapientia comprehendens omnia, & virtus qua tota creatura fieri potuit. Filius verus veri, & invisibilis ex invisibili, & incorruptibilis ex incorruptibili, & immortalis ex immortali, & sempiternus ex sempiterno. Vnus Spiritus sanctus, ex Deo substantiam habens, & qui per Filium apparuit, imago Filii perfecti, perfecta viventium causa, sanctitas sanctificationis præstatrix, per quem Deus super omnia & in omnibus cognoscitur, & cetera. Et non solum historiographus iste hanc memorat S. Gregorii fidem, sed & maximus prædicator S. Gregorius Nyssenus in sermone Græco mirifice atque splendide ea explanavit, qualiter, & a quibus eidem S. Gregorio disposita atq; ostensa & visa est.

Item S. Hilarii ex lib. 8. de fide, inter cetera: Cum Spiritus sanctus, qui & Spiritus Christi, & Spiritus Dei est, res naturæ esse demonstretur unius; quæro igitur, quomodo non ex natura unum sunt? A Patre procedit Spiritus veritatis, a Filio mittitur, & a Filio accipit, sed omnia quæ habet Pater, & Filius. Et idcirco qui ab eo accipit, Dei

S. A[...] sius [...] mor[...] hum[...] tura[...] pta gen[...] bo. Ioan. Colo[...] Ioan. Luc.

Lib. [...] Tri[...]

Dei Spiritus est, sed idem & Spiritus Christi est. A Et post pauca: Est enim in nobis Spiritus Dei, sed & est in nobis Spiritus Christi, & cum Spiritus Christi inest, inest Spiritus Dei. Ita cum quod Dei est, & Christi est, & cum quod Christi est, Dei est, non potest aliud quid diversum Christus esse, quam Deus est. Deus igitur Christus est, unum cum Deo Christus: & illud euangelicum: *Ego & Pater unum sumus*, &c.

Item de epistola sancti Basilii ad Amphilochium episcopum Iconii, inter cetera: Vnum idem & Spiritum sanctum, & ipsum in unitate dictum per unum Filium uni Patri conjunctum, & per ipsum complens superlaudabilem & beatam trinitatem. B Et post pauca: Enimvero una Dei scientia est, ab uno Spiritu per unum Filium in uno Patre. Et iterum: Naturalis bonitas & secundum naturalem sanctificationem, & regalem dignitatem, ex Patre per unigenitum in Spiritu pertransit, &c.

c. 3. Item sancti Ambrosii ex lib. I. de Spiritu sancto, inter cetera: Vos autem baptizabimini Spiritu sancto. Et post pauca: Vnitas ergo operationis, unitas prædicationis, quæ non potest separari. Quod si hoc loco separetur Spiritus ab operatione Patris & Filii, quia dictum est, Ex Deo omnia, &, Per Filium omnia, ergo & ibi, quia apostolus de Christo dixit. *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, non solum eum creaturis omnibus, sed etiam Patri, quod dictu est nefas, prætulit; sed absit. C Non enim inter omnia Pater, non inter plebem quamdam creaturarum suarum. Subter creatura omnis, supra divinitas Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Illa servit, hæc regnat: illa subjacet, ista dominatur, &c.

Item sancti Gregorii theologi de secundis epiphaniis, inter cetera: Nobis autem unus Deus Pater, ex quo omnia, & unus dominus Iesus Christus, per quem omnia, & unus Spiritus sanctus, in quo omnia. Hoc ipso autem quod dicimus, Ex quo, & per quem, & in quo, non naturam secamus, neque enim præpositionum syllabæ mutatæ naturæ veritatem mutabunt, sed D unius naturæ sui cujusque nominis proprietatem designat. Quod manifestissime indicatur ex eo quod rursus in unum revocatur ista ipsa diversitas: si quis tamen non transitorie apud ipsum apostolum legat illud quod scriptum est, cum dixit: *Quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso omnia.* & addidit: *Ipsi gloria in sæcula sæculorum.*

Item sancti Augustini ex sermone de ascensione domini inter plura: Dedit in terra conspicuus, & proximis proximus Spiritum sanctum, insufflando in faciem eorum: & ab hac maxime caritate quæ in cælis est, de cælo misit Spiritum sanctum. Spiritum sanctum accipe in terra, & diligis fratrem: accipe de cælo, & diligis Deum: E quia & in terra quod accepisti, de cælo est. In terra Christus dedit, sed de cælo est qui dedit. Ille enim dedit qui de cælo descendit, &c.

Ejusdem sancti Augustini de pentecoste inter cetera: Desinant namque insipientes blandiri nobisque dicere: Quid accepturi sumus, cum vobis accesserimus, cum jam nos baptismum Christi habere fateamini? Respondeamus eis: Habetis baptismum Christi, venite ut habeatis & Spiritum Christi. Timete quod scriptum est: *Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Induistis Christum forma sacramenti, induite imitatione exempli.

ANNO CHRISTI 787.

Et ejusdem sancti Augustini lib. 4. de trinitate, inter cetera: Nec possumus dicere, quod Spiritus sanctus & a Filio non procedat: neque enim frustra idem Spiritus & Patris & Filii Spiritus dicitur. Lib.4.c.20. Neque video quid aliud significare voluerit, quod sufflans ait: *Accipite Spiritum sanctum.* Ioan. 20. Neque enim flatus ille corporeus, cum sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore, substantia Spiritus sancti fuit: sed demonstratio per congruam significationem, non tantum a Patre, sed & a Filio procedere Spiritum sanctum, Quis enim dementissimus dixerit, alium fuisse Spiritum, quem sufflans dedit, & alium, quem post ascensionem suam misit? *Vnus enim Spiritus est, Spiritus Dei, Spiritus Patris & Filii, Spiritus sanctus qui operatur omnia in omnibus*, &c. I. Cor. 12.

Item ejusdem S. Augustini in lib. 15. de Trinitate, inter cetera: De utroque autem procedere sic docetur, quia ipse Filius ait: *De Patre procedit.* Lib.15.c.26. Ioan. 15. Et cum resurrexisset a mortuis, & apparuisset discipulis suis, *insufflavit, & ait: Accipite Spiritum sanctum*: Ioan. 20. ut etiam eum de se procedere ostenderet. *Et ipse est virtus, qua de illo exibat*, sicut legitur in euangelio, *& sanabat omnes.* Luc. 6. Et post pauca: Hoc significans dominus Iesus, bis dedit Spiritum sanctum: semel in terra, propter dilectionē proximi, & iterū de cęlo, propter dilectionē Dei.

Item de sententia S. Cyrilli inter cetera: Si quis eum, qui unus est, dominum Iesum Christum glorificatum esse a Spiritu sancto tamquam aliena potentia, qua per eum operari posset adversus immundos spiritus, & per eum implesse divina signa, & non magis proprium ejus esse Spiritum dicat, per quem signa operatus est, anathema sit, &c. Anathematismo nono.

Item ejusdem sancti Cyrilli ad Ioannem Antiochenum inter cetera: *Ne transferas terminos æternos, quos posuerunt patres tui.* Deut. 19. Non enim erant ipsi loquentes, sed Spiritus Dei & Patris; qui procedit quidem ex ipso, non est autem a Filio alienus secundum essentię rationem. Et ad hoc nos sanctorum, qui mysteria tradiderunt, dicta confirmant. In actibus enim apostolorum scriptum est: *Venientes autem circa Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non eos permisit Spiritus Iesu.* Act. 16. Scribit etiam & venerabilis Paulus: *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne; sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, & cetera. Rom 8.

Item sancti Cyrilli de Spiritus cultura, ex libro primo inter cetera: Sicuti est Dei, & Patris, simul & Filii substantialiter, ex utroque, videlicet ex Patre per Filium, procedente Spiritu. & reliqua.

Item ejusdem sancti Cyrilli ex libro acclamatorio ad Theodosium imperatorem, inter cetera: Itaque etsi dicetur ubicumque vivificare Pater, operatur hoc omnino per Filium Spiritu sancto, &c.

Item ex epistola encyclica sive synodica sancti Leonis papæ ad Flavianum archiepiscopum Constantinopolitanum directa, inter cetera: Epist. 12. Ideo & clausis ad discipulos januis introivit, & flatu suo dabat Spiritum sanctum, & donato intelligentiæ lumine, sanctarum scripturarum occulta pandebat. & reliqua. Ioan. 20.

Item ex sermone ejusdem sancti Leonis præcipui doctoris de pentecoste, inter cetera: Omnes ergo dilectissimi, qui in dominum Iesum crediderant, infusum sibi habebant Spiritum sanctum,

ANNO CHRISTI 787.

sanctum, & remittendorum peccatorum etiamnunc apostoli acceperunt potestatem, cum post resurrectionem suam dominus *insufflavit, & dixit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt,* &c.

Ioan. 20.

Vnde & egregius prædicator atque mellifluus doctor sanctus Gregorius papa in 26. sancti euangelii homilia, inter cetera inquit: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre.* Si enim mitti, solummodo incarnari deberet intelligi, sanctus procul dubio Spiritus nullo modo diceretur mitti, quia nequaquam incarnatus est. Sed ejus missio ipsa processio est, quia de Patre procedit & Filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit, ita & Filius non incongrue mitti dicitur, quia generatur. *Hoc cum dixisset, & insufflavit, & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum.* Quærendum nobis est, quid est quod Spiritum sanctum dominus noster & semel dedit in terra consistens, & semel cęlo præsidens.

Ioan. 15.

Ioan. 20.

Item ejusdem sancti Gregorii papæ ex libro 27. super Iob, inter cetera: de quo Ioannes dicit: *Omnia per ipsum facta sunt.* Ita etiam os dicitur, ac si oris nomine patenter diceretur verbum, sicut nos quoque pro verbis linguam dicere solemus, ut cum Græcam vel Latinam linguam dicimus, Latina vel Græca verba monstremus. Os ergo domini non immerito ipsum accipimus, per quem nobis omnia loquitur. Hinc est enim quod propheta ait: *Os enim domini locutum est hæc,* &c. Sed & sancta catholica & apostolica ecclesia ab ipso sancto Gregorio papa ordinem missarum, solennitatum, orationum suscipiens, plures nobis edidit orationes, ubi Spiritum sanctum per dominum nostrum Iesum Christum infundi, atque illustrari, & confirmari nos suppliciter petere docuit. Item sancti Sophronii, cujus orthodoxa dogmata in sancta sexta synodo venerantur, inter plurima: Omnia enim per unigenitum Filium Pater in sancto fecit Spiritu, quæ ut sapienti providentia continet, ut Deus suis operibus præsidens, &c.

Ioan. 1.

Isai. 58.

IN EADEM ACTIONE.

Cap. 1. Reprehensio.

Vtrum Theodorus archiepiscopus Hierosolymorum recte sentiat, qui cum Patrem sine principio penitus & sempiternum se credere dixit, Filium, nescio sub qua ambage verborum, non aliud principium quam Patrem agnoscentem, & ex ipso subsistentiam habentem, professus sit.

Responsio.

Iste Theodorus patriarcha Hierosolymorum, cum ceteris præcipuis patriarchis, videlicet Cosma Alexandriæ, & Theodoro alio Antiochiæ, dudum prædecessori nostro sanctę recordationis quondam Paulo papæ, miserunt propriam eorum rectæ fidei synodicam: in qua & de sacratissimis imaginibus subtili narratione, qualiter una cum nostra sancta catholica & apostolica universali Romana ecclesia ipsi ceteri orientales orthodoxi episcopi & Christianus populus sentiunt, & in earumdem sanctarum imaginum veneratione sincero mentis affectu ferventes in fide existunt, studuerunt intimandum. Quam synodicam in Latino interpretatam eloquio prædecessor noster quondam sanctissimus dominus Stephanus papa in suo concilio, quod & ipse pro sacris imaginibus una cum diversis episcopis in partibus Franciæ seu Italiæ fecit, suscipientes ac relegentes, placuerunt tam de diversis Francorum patrum testimoniis, quam de symbolo fidei, ubi facti sunt, dicentes: Si quis alium terminum fidei, sive symbolum, aut doctrinam habet præter quod traditum est a sanctis magnis & universalibus sex synodis, & confirmatum est ab his sanctis patribus qui in eis convenerunt, & non adorat imaginem sive figuram domini nostri Iesu Christi, neque humanationem ejus confitetur, sicut qui descendit & incarnatus est propter genus humanum, talem impium anathematizamus, & alienum extraneumque deputamus sanctæ catholicę & apostolicæ ecclesiæ: & cetera quæ longum est enarrari. Et ideo prædictus Theodorus archiepiscopus taliter professus est, sanctorum patrum sequens doctrinam, id est sancti Hilarii Pictavensis episcopi ex libro primo contra hæresim Arianorum, inter cetera. Ita vero natum esse, ut semper fuisse manifestemus: sicque in eo non innascibilitatis exceptio, sed nativitatis æternitas, quia & nativitas auctorem habeat, neque careat æternitate divinitas, &c. Item ejusdem sancti Hilarii ex lib. 11. de fide, inter cetera: A nobis bene intelligitur & creditur: nam ipsa sermonum enuntiatione cum natum confitemur, non tamen non natum prædicamus. Neque enim idipsum est non natum, atque nasci: quia illud ab altero, hoc vero a nemine est: & aliud est sine auctore semper esse æternum, aliud quod patri, id est auctori, est coæternum. Vbi enim pater auctor est, ibi & nativitas est. At vero ubi auctor æternus est, ibi & nativitatis æternitas est. Quia sicut nativitas ab auctore est, ita & ab æterno auctore æterna nativitas est, &c.

Item S. Gregorii, qui & theologi, in sermone de epiphania, inter cetera: Pater ergo pater est sine initio; non enim est aliud aliquid unde Pater est. Filius filius est, sed non absque initio; de Patre enim est. Si vero temporale spectas initium, & ipse sine initio est. Creator namque est temporum, & non ipse initium sumit ex tempore. Spiritus sanctus vere Spiritus sanctus est, procedens quidem ex Patre, sed non & ipse Filius; non enim generatur, sed procedit, &c.

Orat. sancti[...] mina[...] medi[...]

Item ejusdem S. Gregorii theologi ex sermone de natali domini infra, & cetera. Hoc est ipse sermo Dei, qui est ante sæcula, qui est invisibilis, & incomprehensibilis, & incorporeus: qui est initium ab initio, qui est lux de luce, fons vitę & immortalitatis, figura vera & expressa substantiæ Dei, signaculum veritatis, imago invisibilis Dei Patris, &c.

Post[...] dium[...]

Item ejusdem sancti Gregorii theologi de sermone pacifico secundo: Ego autem deitatis principium introducens sine tempore, & indivise, & immense, quique principium honorifico, & quæ de principio, qualiter, &c.

Orat[...] pace[...] medi[...]

Item ejusdem sancti Gregorii theologi de sermone apologetico infra, &c. Cujus enim erit Filius, si non origo sua referatur ad Patrem. Vt sit ille qui genuit, & iste sit qui est ex illo progenitus. Origo enim Patris est, non exigui alicujus & indigni, sed deitatis & bonitatis. Origo est Pater in Filio & in Spiritu sancto, intelligitur & sentitur in illo, vel ut in Filio verbo, in hoc veluti Spiritu ab ipso procedente, &c.

Orat[...] dogn[...] consti[...] circa[...]

Item sancti Augustini de Genesi ad literam, ex libro primo infra, &c. Nam dicente scriptura: *In principio fecit Deus cælum & terram,* intelligimus autem in Dei nomine, & Filium in principii nomine, qui non Patri, sed per se ipse creatæ primitus,

Gen.[...]

primitus, ac potissimum spiritali creaturæ, & consequenter etiam universæ creaturæ, principium est. Dicente autem scriptura: *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas*, completam commemorationem Trinitatis agnoscimus, &c. A

Item ejusdem sancti Augustini ex lib. 38. super Ioannem euangelistam inter cetera: Filius enim Patris est filius, & Pater utique filii Pater est. Sed Deus de Deo Filius dicitur: Lumen de lumine Filius dicitur. Pater dicitur lumen, sed non de lumine. dicitur Pater Deus, sed non de Deo. Si ergo Deus de Deo, lumen de lumine principium est; quanto facilius intelligitur principium lumen de quo lumen, & Deus de quo Deus? Videtur itaque absurdum carissimi, ut dicamus Filium principium, & Patrem principium non dicamus? B Sed quid agamus, numquid duo erunt principia? Cavendum est hoc dicere. Quid ergo Pater principium, & Filius principium, quomodo non duo principia? quomodo dicimus Patrem Deum, Filium Deum, & tamen dicimus non duos deos. Nefas enim dicere duos deos. Nefas est enim dicere tres deos. Et post pauca: In eo quod dicitur Spiritus Patris & Filii, non est quod dicam tres; nisi & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; unum Deum, unum omnipotentem: ergo unum principium, &c.

Item ejusdem ex lib. 6. de sancta Trinitate, inter cetera: Quomodo ergo Deus de Deo, lumen de lumine? C Non enim simul ambo Deus de Deo, sed solus Filius de Deo, scilicet Patre: nec ambo simul lumen de lumine, sed solus Filius de lumine Patre, &c.

Item sancti Sophronii archiepiscopi Hierosolymorum ex synodica ejus, quæ oblata est in sancta sexta synodo, inter cetera: Credo igitur, beati, secundum quod a principio credidi, in unum Deum Patrem omnipotentem, sine principio penitus, & sempiternum, omnium visibilium atque invisibilium factorem. Et in unum dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, qui sempiterne & impassibiliter ex ipso natus est Deo & Patre, & non aliud principium quam Pa- D trem agnoscentem: sed nec aliunde quam ex Patre ipsam subsistentiam habet: lumen de lumine, consubstantiale, Deum verum de Deo vero, consempiternum. Et in unum Spiritum sanctum, qui sempiterne a Deo Patre procedit, & lumen, & Deum ipsum agnoscendum, &c.

IN SEXTA ACTIONE.

Quod idem Tarasius non recte Spiritum sanctum contribulem Patri & Filio dixerit, cum sufficeret dicere coæternum, consubstantialem, ejusdemque essentiæ & naturæ.

Item ipse sanctus Sophronius: Et quoniam perjuravit. Oportebat enim illi mentientem perjurare eum. Ex malorum electione melius erat utiliora eligere, &c. E

Item ex D. Augustino in præfatione in psalmum 31. inter cetera: Debemus nulla opera proponere fidei, id est, ut ante fidem quisquam dicatur bene operatus. Ea enim ipsa opera quæ dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt: & ita mihi videntur esse, ut magnæ vires & cursus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem, &c.

...propositæ respondent verba quæ habentur infra cap. 61. item ...ii episcopi Hierosolymitani usque ad finem cap. Videntur au...leesse capita undecim.

IN ACTIONE QUARTA.

Anno Christi 787.

Cap. 15. Reprehensio.

Quod non propter eos scriptum sit, qui imagines adorare contemnunt, sicut illi dicunt qui eas adorant, quod in psalmo legitur: *Quanta malignatus est inimicus in sanctis tuis?* (Psal. 73.)

Responsio.

Veraciter propter hæreticos hæc dixerunt, sicut beatus Augustinus in ejusdem psalmi explanatione inquit: Quanta maligne operatus inimicus in sanctis tuis, in his quæ sancta tua erant, id est in templo, in sacerdotio, in illis omnibus sacramentis, quæ illo tempore fuerunt, &c. Similiter & nunc ampliora mala inimici sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ malignantes adversus olitanam orthodoxamque traditionem pro sacris imaginibus, depositione ad nihilum redacti sunt.

Item sancti Gregorii Nazianzeni, qui & theologi, in sermone de philosopho Irone, inter cetera: Quomodo enim non gloriabantur? Quomodo enim non polluerunt templum sanctum superventionibus multimodis? Et in omnibus malis principabatur quidem vir impius & iniquus, & neque nomen Christianitatis circumferens, &c. (Orat. in laudem Ieronis circa med.)

IN ACTIONE QVINTA.

Cap. 16. Reprehensio.

Quod epistola, quam illi sancti Simeonis Stylitæ dicunt, missa ad * Iustinianum imperatorem, multum distet a divinis scripturis, sive sanctorum patrum documentis, in eo quod ait præfato imperatori: Pro quibus commemorantes referimus divinis vestris auribus: sive in eo, quod idem imperatori misericordia uti prohibuerit. (* Iustinum)

Responsio.

Sanctus quippe Ambrosius scribens ad Gratianum imperatorem librum orthodoxæ fidei, numquid peccavit quia dixit ei; sancte imperator? Et quid extra dixit iste, scribens ad Christianissimum * Iustinianum imperatorem pro zelo fidei suæ, divinis auribus, exprimens? Et ideo divinis auribus, quia per divinos sermones audit, & fideliter atque orthodoxe eos observat, recte divinas aures, videlicet auditum divinum habere monstratur. De misericordia vero uti prohibente, non ita est, sed petens morari neque ad modicum, sed fieri decentem vindictam sanctus ille poposcit: nam non sine misericordia, ut superius fati sunt, verum etiam tantum amorem erga imagines sanctorum habere videbatur, ut impios illos anathematis jacularet ictibus. Quod agnitum habere vestram a Deo inspiratam excellentiam magnopere credimus, ubi sanctus Gregorius in dialogis suis meminit de beato Bonifacio, qualiter miserum illum, qui cum simia veniens cymbala percussit, sermone suo cum mœrore ad mortem jaculavit. Vnde & post pauca sanctus Gregorius, inquit: Metuenda ergo tanto est ira justorum, quanto & constat quia in eorum cordibus ille præsens est, qui ad inferendam ultionem, quam voluerit, invalidus non est. (* Iustinum; Lib. 1. c. 9.)

Item idem ipse sanctus Gregorius in explanationem beati Iob, ubi dum de fortibus sanctæ ecclesiæ prædicatoribus tractaret, adjunxit: Vnde ad prophetam de bonis doctoribus dominus dicit: *Devorabunt & subjicient lapidibus funda.* Sancti quippe doctores, qui ad virtutem & alios instruunt, hostes devorant, dum eos intra corpus suum per vim conversionis immutant. Fortes ex illa ecclesia viri prodeunt, quibus quasi lapideis ictibus iniquorum corda tundantur. Vnde (Lib. 34. Cap. 10.; Zach. 9.)

Anno Christi 787.

1. Reg 17.

de & Golias immanissimus saxo fundæ moritur, quia angulari sanctæ ecclesiæ lapide diabolica celsitudo superatur.

IN EADEM ACTIONE.

Cap. 17. Reprehensio. De eo quod omnibus hæreticis Samaritanos deteriores, & Samaritanis eos deteriores dicunt, qui imagines destruunt, cum parentes eorum secundum eorum opinionem omnibus hæreticis deteriores fuerint, qui utrique imagines destruxerunt.

Responsio. Et in his mellifluus doctor beatus Gregorius theologus in sermone de natali domini, inter cetera, inquit: Offenderis carne; hoc & Iudæi. Si Samaritanum vocabis, & ut reliqua sileam, non credis deitati; hoc neque dæmones. O & Iudæis infidelior tu, & dæmonibus deterior: &c.

Item ex edicto Iustiniani imperatoris inter cetera: Sed neque Theodorus Mopsuestenus, qui & Iudæos & * Hellinas superavit in sua impietate, &c. Item sancti Gregorii papæ in explanatione beati Iob, de libro 14. inter cetera: *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est majestatis, opprimitur a gloria.* & infra: Gloria invisibilis conditoris, quæ moderate inquisita nos erigit, ultra vires perscrutata premit. Unde & hæretici quanto de sublimi intelligentia amplius repleri ambiunt, tanto amplius inanescunt. Immoderatis namque auribus cognitionis supernæ scientiam quo plus appetunt, plus amittunt. At contra ii, qui in sancta ecclesia veraciter sunt humiles & veraciter docti, norunt de secretis cælestibus & quædam considerata intelligere, & quædam non intellecta venerari: ut & quæ intelligunt veneranter teneant, & quæ necdum intelligunt humiliter expectent. Quam præsumptionis audaciam bene prædicator egregius refrænat, dicens: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Et ideo prædecessores eorum plus quam oportet sapere se extollentes, & novitate imponere molientes, hæretici deteriores effecti, ad nihilum redacti sunt.

* id est Græcos

Prov. 25.

Rom. 12.

IN EADEM ACTIONE.

Cap. 18. Reprehensio. Quod nulla euangelii lectio tradat Iesum ad Abagarum imaginem misisse, ut illi dicunt.

Responsio. Prædecessor noster sanctæ recordationis dominus Stephanus quondam sanctissimus papa, in supradicto concilio præsidens, inter plurima veridica testimonia per semetipsum asserens, docuit ita: Sed nec illud est prætereundum, quod relatione fidelium de partibus orientis advenientium sæpe cognovimus. In quibus licet euangelium sileat, tamen nequaquam in omnibus incredibile fidei meritum. & hoc affirmante de ipso euangelista: *Multa quidem & alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Denique fertur ab asserentibus, quod redemptor humani generis, appropinquante die passionis, cuidam regi Edessenæ civitatis, desideranti corporaliter illum cernere, & ut persecutiones Iudæorum fugeret ad illum convocare, ut auditas miraculorum opiniones, & sanitatum curationes illi & populo suo impertiret, respondisset: Quod si faciem meam corporaliter cernere cupis, en tibi vultus mei speciem transformatam in linteo dirigo, per quam & desiderii tui fervorem refrigeres, & quod de me audisti impossibile nequaquam fieri existimes. Postquam tamen complevero ea quæ de me scripta sunt, dirigam tibi unum de discipulis meis, qui tibi & populo tuo sanitates impertiat, & ad sublimitatem fidei vos perducat, &c.

Ioan. 20.

Euseb. lib. 1. cap. 13.

Item ex synodica trium patriarcharum, videlicet Cosmæ Alexandriæ, Theodori Antiochiæ, & Theodori Hierosolymæ, quæ in prædicto concilio relecta, ab omnibus fideliter honorata venerabiliter suscepta est: ubi post multa sanctorum patrum testimonia, Theodorus patriarcha Hierosolymorum inquit: Restat mihi tempus enarrandi de Abagaro Edesseno, & alia, aut similia sanctorum patrum, quæ & vos melius cognoscitis. Persevera, sanctissime pater, persevera in eadem bona fide, corroboratus super petram fidei, sicut deiloqua vox affata est apostolum Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Vere non prævalebunt ei in sæculum sæculi. Cognitum facimus tibi sanctissimo domino ego humilis Theodorus patriarcha Hierosolymorum, & hi qui nobiscum sunt, Cosmas patriarcha Alexandriæ, & Theodorus patriarcha Antiochiæ: idipsum intelligimus, & credimus, sicut & vestræ sanctitati patet. & cetera.

Mat.

IN EADEM ACTIONE.

Cap. Reprehensio. Quod nec illud ad hanc pertineat, ut illi dicunt, quod scriptum est: *Quoniam non est jam propheta, & nos non cognoscet amplius.*

Psal.

Responsio. Pro hæreticis illis, qui in pseudosyllogo sub Constantino quondam heretico imperatore gloriantes se aliquid sapere & intelligere, nescientes talia, ipsi psalmifice dixerunt: Coæquantes eos Iudæis, de quibus beatus Augustinus in eodem psalmo explanavit, dicens: Ecce isti Iudæi, qui se dicunt non agnosci adhuc. & post pauca: Iam signa tua non vides, jam non est propheta, & dicis: Et nos non cognoscet adhuc, quia vos non agnoscitis adhuc. Iam non est propheta, & nos non cognoscet adhuc: Usquequo Deus, exprobravit inimicus? Similiter & ipsi hæretici: usquequo princeps eorum videlicet Constantinus hæresiarcha, exprobratus est, non intellexerunt, & ideo redacti sunt ad nihilum.

IN ACTIONE SEXTA.

Cap. Reprehensio. Quomodo intelligendum est quod in canticis canticorum scribitur: *Ostende mihi faciem tuam: auditam fac mihi vocem tuam: quoniam vox tua suavis est, & facies tua speciosa:* quod quidem capitulum illi impudentissime ad imaginum visionem protulerunt.

Cant.

Responsio. Recte illud protulerunt, quia visio sacrarum imaginum ad speciosam formam domini & salvatoris nostri Iesu Christi secundum carnem, sanctæque ejus genitricis, & sanctorum pertinet. In persona enim Christi & ecclesiæ diversa sanctorum patrum opuscula in cantica canticorum explanata sunt: & si, quomodo intelligendum est, scire velint, sancti Epiphanii episcopi Cypri proferimus expositionem, in qua inter multa diversa inquit: Ostende mihi faciem tuam, & auditam fac mihi vocem tuam: hoc est, per legem & prophetas, non mihi loquaris, sed temeipsum totum mihi demonstra: sicut & Moyses tali desiderio comprehensus, fiducialiter dicebat ad Deum, *Ostende mihi teipsum, ut te videam.* Sed tunc equidem dixit Moysi: *Nullus videbit faciem meam, & vivet.* Sponsæ autem suæ volens semetipsum ostendere, incarnatus ei se induto corpore

Exod.

ANNO CHRISTI 787.

pore demonstravit, per virtutis modum, per sustentationem & innocentiam, tradens ei pietatis aspectum. Ostendit igitur ei faciem suam conceptus in Dei genitrice virgine, & audire eam fecit vocem suam, cum doceret in Oliveti monte discipulos. & rursus dum per eos in universum orbem terrarum prædicationis dogmata destinasset. *Quoniam vox tua suavis, & facies tua speciosa.* Vox ejus vere suavis est, quæ dicit: *Venite benedicti Patris mei*, &c. Vox tua suavis, hoc est quæ cæcos videre fecit, cum diceret: *Secundum fidem vestram fiat vobis.* Vox tua suavis, id est dicendo: *Venite ad me omnes qui laboratis*, &c. Vox suavis est dicens paralytico: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Vox suavis est, dicens: *Confide fili, remittuntur peccata tua.* Vox tua suavis est, dicens: *Confide filia, fides tua te salvam fecit; vade in pace.* Et alia plura quæ per ordinem exarare longum est.

IN ACTIONE SEXTA.

In tomo primo.

Quod non ad adorandas imagines pertineat, quod scriptum: *Creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.*

Si sic intelligunt, quod *creavit Deus hominem ad imaginem & ad similitudinem suam*, quia propter adorandas imagines explanavit hoc Tarasius patriarcha, de intellectu habere nihil quidpiam videntur, ut scriptum est, & intelligere non potuerunt. Tarasius namque patriarcha dum concilio hæreticorum renueret & exprobraret, quod in eorum obscuritate contra sacrarum imaginum stabilitatem dicere ausi sunt. Quatenus propriæ manus opus plasmator Deus videns perire, &c. idcirco hoc dixit sensu, quoniam quidem terrigena imagine Dei honoratur, &c. Et post pauca: Imaginum facturæ, & deliberatione vacua sævissime gloriari per eos facta, & variis sermonibus eorum mentem consuentes, ecclesiam Dei ut errantem judicant, &c.

Nam creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Beatus Augustinus in lib. 5. ex eo quod in Genesi sexto die factum legitur, inter cetera inquit: Et modo attendite: In pœna sua constitutus est homo, & quantum valent reliquiæ imaginis Dei, quæ in illo remanserunt. Obtrivit ipsam imaginem per peccatum, & ipsa reformatur per gratiam, quæ per libidinem obsolefacta est. Quomodo enim nummus, si confricetur ad terram, perdit imaginem imperatoris; sic mens hominis, si confricetur libidinibus terrenis, amittit imaginem Dei. Venit autem monetarius Christus, qui repercutiat nummos. Et quomodo repercutit nummos? Donando peccata ex gratia: & ostendet tibi, quia Deus quærit imaginem suam. Nam quando illi de tributo Cæsaris dictum est: *Licet tributum dare Cæsari?* Tentabant enim eum, ut si diceret, Non detur, calumniarentur illi per exactores tributi: Ecce qui docet ut non demus tributum: si autem diceret, Detur: Ecce qui maledixit Ierusalem: fecit illam tributariam. Quid ergo ipse dixit, & quid admonuit? *Quid me tentatis hypocritæ? Afferte mihi nummum: & obtulerunt illi. Et ait: Cujus habet imaginem & inscriptionem? Responderunt: Cæsaris. Tunc ait: Reddite ergo Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt*: id est, Si Cæsar quærit imaginem in nummo, Deus non quærit imaginem in homine? &c. Item sancti Severiani Gabalanensis episcopi de homilia quæ in sabbato dicta est, *Ad imaginem & similitudinem*, inter cetera: Et sicut nos, si non adest imperator, honoramus imaginem imperatoris, sic & creatura & non videns invisibilem, qui ad imaginem factus est, honorabat, &c.

IN ACTIONE QUARTA.

Quomodo intelligendum sit quod scriptum est: *Abraham adoravit populum terræ filios Heth*, sive quod Moyses Ietro legitur adorasse: quibus exemplis ii, qui propter adorandas imagines synodos faciunt, suum errorem fulcire affectant: & quia nec Iacob Pharaonem, nec Daniel Nabuchodonosor regem, ut illi dicunt, uspiam leguntur adorasse. Cap. 22. Reprehensio. Gen. 23.

Beatus Augustinus in 46. psalmum nos docuit, dicens: Dominus Deus noster fidem, in qua vivimus per libros suos, scripturas sanctas, multipliciter nobis varieque diffundit, sacramenta quidem verborum varians, fidem tamen unam commendans. Vna enim eademque res ideo multis modis dicitur, ut modus ipse dicendi propter fastidium varietur, sed propter concordiam una fides teneatur, &c. Item ejusdem beati Augustini de filio Abraham ducto ad sacrificium, inter cetera: Duo illi servi dimissi, & perducti ad locum sacrificii, Iudæos significabant: asina illa nescio quid Iudæorum significabat. Nolite mirari, quia toties una res potest multis modis significari, &c. Responsio.

IN EADEM ACTIONE.

Quod non ad adorationem imaginum pertineat, nec in nostris codicibus, qui ex Hebraica veritate translati sunt, inveniatur, quod illi in sua synodo dicunt: Iacob suscipiens a filiis suis vestem talarem tabefactam Ioseph, osculatus est cum lacrymis, & propriis oculis imposuit. Cap. 23. Reprehensio.

Sancti Gregorii theologi de sermone pacifico tertio, inter cetera: Pax amica, quæ ab omnibus quidem laudatur bonum, a paucis vero conservatum, ubi aliquando reliquisti nos tantum jam tempus, & quando reverteris ad nos? Et præsentem amplector, & recedentem invocabo multis lamentationibus & lacrymis, quibus neque Iacob Ioseph illum patriarcham a fratribus venditum, a bestia autem raptum, ut sperabat: neque David Ionatham suum amicum, aut filium Abessalon postmodum: quorum unus visceribus paternis laceratus. Fera rapuit, clamabat Ioseph, fera pessima & immansueta: & pueri veste tabefacta apposita, sicuti pueri carnes osculabatur, &c. Vnde & in multorum patrum opusculis de diversis historiis asserta leguntur. In libro enim tertio sancti Ambrosii ad Gratianum imperatorem ita inter cetera invenitur: Neque ad præjudicium trahas, quia non moritur Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Vriel. Ecce & in nostris codicibus, quæ ex Hebraica veritate translati sunt, nequaquam invenitur Vriel scriptum. Responsio. Orat. 2. de pace. Gen. 36. Locus obscurus. Lib. 3. c. 8.

Item in ejusdem sancti Ambrosii libro secundo de Spiritu sancto, inter cetera: Esdra nos docuit, dicens in tertio libro. Similiter nec in nostris codicibus, qui ex Hebraica veritate translati sunt, susceptus est tertius liber Esdræ, nisi tantummodo duo. Sed & S. Gregorius egregius papa in epistola sua Theoctistæ patriciæ missa, inter cetera inquit: Quantæ autem virtutis præcursor nostri redemptoris fuit novimus, qui per sacrum eloquium non solum plus quam propheta, sed etiam angelus vocatur: sed tamen, sicut mor- Lib. 2. c. 7. Lib. 9 epistola 39.

ANNO CHRISTI 787.

tis ejus historia testatur, post mortem a persecutoribus corpus ejus incensum est. Et nos legimus in sancto euangelio, corpus ejusdem sancti Ioannis Baptistæ a discipulis suis sepultum esse: & beatus Gregorius dicit per historiam, ejusdem sancti Ioannis Baptistæ corpus incensum esse. Et ideo, ut diximus, sanctorum dicta nequaquam respuuntur, quia sacram totam divinam scripturam quis aliquando comprehendere valebit? (Matth. 14.)

IN EADEM ACTIONE.

Cap. 14. Reprehensio. De eo quod indocte & inordinate dicunt: Si calumniaris me, quoniam ut Deum adoro lignum crucis, cur non calumniaris Iacob adorantem summitatem virgæ Ioseph? Sed manifestum est, quoniam non lignum videns adoravit, sed per lignum Ioseph, sicut & nos per crucem Christum.

Responsio. Ipsam namque virgam, videlicet sceptrum, fideliter atque pulcre in typo crucis explanavit beatus Augustinus in psalmo 37. inter cetera dicens: Imo jam in nomine Christi evenire gaudeamus. Iam tenentes sceptrum subduntur ligno crucis: jam fit quod prædictum est: *Adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes servient illi.* (Psal. 71.) Iam in frontibus regum preciosius est signum crucis, quam gemma diadematis.

IN EADEM ACTIONE. ET "REPERTUM *est in actione septima.*

"REPETITVM.

Cap. 25. Reprehensio. Non pertinere ad imaginum adorationem, ut illi dicunt, quod scriptum est: *Iacob Pharaonem benedixit.*

Responsio. Semper benedicere nos docet sancta scriptura: *Benedicite, & nolite maledicere.* (Rom. 12.) Item: *Benedicite omnia opera domini domino*, (Daniel. 3.) docemur: & & rursus prostrati in oratione spiritaliter ante sancta sanctorum, psalmifice dicimus: *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* (Psal. 66.) Quapropter si de divinæ scripturæ benedictionibus exarare volumus, antequam sermo, ut opinamur, chartæ cessabunt. Tamen unum vobis sancti Augustini addimus testimonium de eo ipso Iacob luctante cum angelo, ubi inter cetera inquit: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* (Genes. 32.) Quia per carnem nos prius benedicit dominus, norunt fideles, quid accipiunt, quia per carnem benedicuntur: sciunt quia non essent benedicti, nisi caro illa crucifixa daretur pro sæculi vita.

IN ACTIONE QVINTA.

Cap. 26. Reprehensio. Quod vana sit spes eorum qui salutem suam in imaginibus ponunt, dicentes: Sicut Israeliticus populus serpentis ænei inspectione servatus est, sic nos sanctorum effigies aspicientes salvabimur.

Responsio. Antea jam hoc in prædictis sacris conciliis prædecessorum meorum sanctissimorum pontificum explanatum est, dicentibus etiam hoc sanctissimis patribus. Addendum est ad incredulorum satisfactionem & directionem Francicam, quid Deus famulo suo Moysi præceperit, dicens: In libro enim Numeri ita legitur contra pestem quæ eis irruerat: *Fac serpentem, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit pro signo: quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* (Num. 21.) O insania frementium contra fidem & religionem Christianam, ut asserant non colere aut venerari imagines, in quibus figuræ sunt salvatoris, ejus genitricis, vel sanctorum, quorum virtute subsistit orbis, atque potitur humanum genus salutem. Ænei serpentis inspectione credimus Israeliticum populum a calamitate injecta liberari: Christi Dei nostri & sanctorum effigies aspicientes atque venerantes dubitamus salvari? Absit talium nefariæ temeritatis cedere amentiæ: patrum priscas sequamur traditiones, & ab eorum doctrina nulla declinemus ratione. Possumus enim ita tenentes, quemadmodum nostri prædecessores atque patres, eorum plenam gratiam obtinere.

Ita beati Augustini de eo quod apparuit Deus, de virga & manu colorata, & aqua in sanguinem versa: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam:* (Ioan.) hoc est, Quicumque percussus fuerit a serpentibus peccatorum, Christum intueatur, & habebit sanitatem in remissionem peccatorum.

Item ejusdem sancti Augustini super Ioannem euangelistam de eodem sermone homilia, inter cetera: Interim modo fratres, ut a peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur: quia *sicut Moyses*, inquit, *exaltavit serpentem in eremo*, usque in eo, ubi dicit; *Sed habeat vitam æternam.* Et post pauca: Hic autem ait: *Vt habeat vitam æternam.* Hoc enim interest inter figuram sive imaginem, & rem ipsam: figura præstabat vitam temporalem, res ipsa, cujus illa figura erat, præstabat vitam æternam, & cetera. (Tract.)

Item ejusdem sancti Augustini libro tertio de Trinitate, inter cetera: Nam sicut unctio lapidis Christum in carne, in qua unctus est oleo exultationis præ participibus suis, ita virga Moysis conversa in serpentem, ipsum Christum factum obedientem usque ad mortem crucis. Vnde ait: *Sicut exaltavit Moyses serpentem in eremo, sic oportet exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* (Lib.) (Ioan.) Sicut intuentes illum serpentem exaltatum in eremo, serpentum morsibus non peribant. Vetus enim homo noster confixus est cruci cum illo. Per serpentem enim mors intelligitur, quæ facta est a serpente in paradiso, modo locutionis per efficientem id quod efficitur demonstrante. Ergo virga in serpentem, Christus in mortem, & serpens rursus in virgam, Christus in resurrectionem totus cum corpore suo, quod est ecclesia, &c. (Gen.)

Item sancti Severiani episcopi Gabalanensis in sermone sanctæ crucis, inter cetera: Putas non erat justum dici; Si quis vestrum morsus fuerit, respiciat in cælum sursum ad Deum, & salvabitur? Vt enim & attendi cælo relinquat, non potuit dicere: Si quis morsus fuerit, aspiciat lucernam luminis, & salvabitur? aut aspiciat ad mensam propositionis sanctorum panum, & salvabitur? aut ad altare, aut ad velum, aut in arcam, aut in imaginem cherubim, aut in propitiatorium? Sed nihil horum ad medium adduxit legislator magnus, sed solam fixit crucis imaginem, & hanc per maledictum serpentem. Dic mihi ut fidelis famulus: Quod interdicis, facis? quod abrenuntias, ædificas? Qui dicis, Non facias sculptile, & fusilem sculpis serpentem? Sed illam quidem legem posui, ut materias abscindam impietatis, & populum hunc eruam omni idolorum cultura: nunc autem effundo serpentem, ut

ut præfigurem imagine salvatoris dispensationem, præplanans cursum apostolorum, &c.

IN ACTIONE QVINTA,

& repertum est in quarta.

Importuna & deliramento plena dictio Leonis Phoceæ episcopi, qui in eo quod ad imaginum adorationem conversus est, sibi versiculum psalmistæ accommodat, dicentis: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.*

Omni homini Christiano licet cum psalmista orare, ut quando a tenebris in lucem per gratiam venerit Christi, juste dicat: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi*: quia quando erutus est ab hæresi, tunc scissus est saccus ejus. Quando vero rectæ fidei cognovit veritatem, tunc ab orthodoxis sanctæ catholicæ ecclesiæ circumdatus est lætitia. De hoc ipso sanctus Augustinus in ejusdem psalmi explanatione similiter inquit: Conscidisti * lamentum peccatorum meorum, tristitiam mortalitatis meæ, & cinxisti me stola prima, immortali lætitia. Et iterum: Vt non plangat, sed cantet tibi, non humilitas, sed gloria mea: quia jam ex humilitate exaltasti me, & non compungar conscientia peccati, timore mortis, timore judicii, & cetera.

IN ACTIONE SEXTA.

In tomi primi fine.

Quod non pertineat ad imaginum adorationem contemnentes illud quod psalmographus cecinit: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde, & corde locuti sunt mala.*

Non ita est, ut illi contempsissent quod psalmographus cecinit: *Vana locuti sunt*, &c. sed contemnentes deliramenta hæreticorum in perversa facie ipsorum, cum psalmographo cecinerunt de illis: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum*, & quod sequitur. Beati Augustini in ejusdem psalmi explanatione, inter cetera: Veritas una est, qua illustrantur animæ sanctæ. Sed quoniam multæ sunt animæ, in ipsis multæ veritates dici possunt, sicut ab una facie multæ in speculis imagines apparent. Et post pauca: Superbi hypocritæ significantur, in sermone suo spem ponentes ad decipiendos homines, sed Deo non subditi.

IN ACTIONE SECVNDA.

Quomodo intelligendum est quod psalmographus cecinit: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax complexæ sunt se:* quod temere aut adulatorie a Ioanne presbytero & legato orientalium in participatione beati papæ Hadriani & Tarasii dicitur esse completum.

Recte dictum est, quia Deus misertus est ecclesiæ Constantinopolitanæ, & obviavit veritati sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ, quæ semper justitiam tenuit, ut scriptum est:

Iustitiæ sedes, fidei domus, aula pudoris.

Quam justitiam, fidem atque pudorem, ut confessa est, ecclesia Constantinopolitana amplectens, quando ab errore conversa est, fecit pacem: quia tantummodo ipsa sola sedes Constantinopolitana resistebat olitanæ orthodoxæ fidei. Nam sedes Alexandrina, seu Antiochena & Hierosolymitana semper nobiscum tenuerunt

A priscam traditionem, scilicet orthodoxam fidem, ut apud nos synodica earum pro sacrarum imaginum stabilitate habere monstratur. Beati Augustini in ejusdem psalmi explanatione inter cetera: Quia justitia & pax se osculantur, non litigant. Tu quare litigas cum justitia? Ecce justitia dicit tibi: Ne fureris, & non audis: Ne adulteres, & non vis audire: Non facias alteri quod tu pati non vis: Non dicas alteri quod tibi dici non vis. inimicus es amicæ meæ, dicit tibi pax, quid me quæris? Amica sum justitiæ: Quemcumque invenero inimicum amicæ meæ, non ad illum accedo. Vis ergo venire ad pacem? Fac justitiam. Ideo alius psalmus dicit, tibi: *Declina a malo, & fac bonum,* hoc est ama justitiam; & cum declinaveris a malo, & feceris bo- *Psal. 36.*
B num, quære pacem, & sequere eam, &c.

IN ACTIONE QVARTA.

Quod non ad adorationem imaginum pertineat, ut illi dicunt, quod scriptum est: *Exaltate dominum Deum nostrum; & adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* *Cap. 30. Reprehensio. Psal. 98.*

Beati Augustini in ejusdem psalmi explanatione, ubi inter cetera inquit: Timeo non adorare scabellum pedum domini mei, quia psalmus mihi dicit: *Adorate scabellum pedum ejus:* & post pauca: Converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & invenio quomodo si- *Responsio, circa med. Ibidem.*
C ne impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Et post pauca: Ideo & terram quamlibet, cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cujus pedum scabellum est quod adoras; propter ipsum enim adoras. Ideo & hic subjecit: *Adorate scabellum* *Ibidem.*
D *pedum ejus, quoniam sanctum est.* Quis sanctus est, in cujus honore adoras scabellum pedum ejus? &c.

IN EADEM ACTIONE.

Quod nec de eo imaginum adoratio astrui possit, ut illi putant, quod scriptum est: *Adorate in monte sancto ejus.* *Cap. 31. Reprehensio. Ibidem.*

Beati Augustini in ejusdem psalmi expositione, inter cetera: Hæretici non adorant in isto monte, quia mons iste implevit universam faciem terræ. Hæserunt in parte, & totum amiserunt. Si agnoscant ecclesiam catholicam, adorabunt in isto monte nobiscum. Etenim lapis ille, *Responsio, circa fin.*
E qui præcisus de monte sine manibus, jam videmus quantum creverit, & quantas regiones terræ occupaverit, & usque ad quas gentes pervenerit. Et post pauca: Videmus confracta ab illo lapide omnia regna terræ. Quæ erant omnia regna terræ? Regna idolorum, regna dæmoniorum fracta sunt. Regnabat Saturnus in multis hominibus; ubi est regnum ejus? Regnabat Mercurius in multis hominibus; ubi est regnum ejus? Fractum est, redacti sunt illi in regnum Christi, in quibus ille regnabat. Et post pauca: Natus est ergo de monte sine manibus lapis ille, crevit, & crescendo fregit omnia regna terrarum. Factus *Daniel. 2.*

ANNO CHRISTI 787.

est autem mons magnus, & implevit universam A faciem terræ. Hæc est ecclesia catholica, cui vos communicare gaudete: illi autem qui non ei communicant, qui præter ipsum montem adorant & laudant Deum, non exaudiuntur ad vitam æternam, &c.

IN EADEM ACTIONE.

Cap. 32. Reprehensio. Psal. 124. Quod non propter illos qui imaginum adorationem spernunt, ut illi delirant, per prophetam dicitur: *Declinantes ad obligationem adducet dominus cum operantibus iniquitatem.*

Responsio. circa finem. De hæreticis dixerunt: Sicut beatus Augustinus in eodem psalmo explanavit, inter cetera: id est, quorum facta imitati sunt: quia eorum B præsentes lætitias amaverunt, & futura supplicia non crediderunt. Et post pauca: Ergo quia Christus Filius Dei pax est, ideo venit colligere suos, & secernere ab iniquis. Quibus iniquis? Qui oderunt Ierusalem, qui oderunt pacem, qui volunt conscendere unitatem, qui non credunt paci, &c.

IN ACTIONE QUINTA.

Cap. 33. Reprehensio. Luc. 11. Absurdissime & incaute contra eos, qui imagines adorare contemnunt, ab his qui eas adorant prolatum est testimonium sancti euangelii: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio.*

Responsio. Valde nimis atque pulcre contra eos qui imagines contemnunt, dixerunt poni lucernam sub modio, quia lucerna fides nostra est, videlicet C sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ, de qua Lib. 7. c. 11. fide sanctus Ambrosius Mediolanensis episcopus super sanctum euangelium secundum Lucam explanatione inter cetera testatur, dicens: Luc. 11. *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum.* Ergo quia in superioribus ecclesiam synagogæ prætulit, hortatur nos, ut fidem potius nostram ad ecclesiam tranferamus. Lucerna enim fides est, juxta quod Psal. 118. scriptum est: *Lucerna pedibus meis verbum tuum domine.* Verbum enim Dei fides nostra est, verbum Dei lux est, lucerna est fides. Et post pauca: Ioan. 1. *Nemo ergo fidem sub lege constituat.* Lex enim intra mensuram est, ultra mensuram gratia. Lex obumbrat, gratia clarificat: & ideo nemo fidem D suam intra mensuram legis includat, sed ad ecclesiam conferat, in qua septiformis Spiritus relucet gratia, quam princeps ille sacerdotum fulgore supernæ divinitatis illuminat, ne eam legis Homil. 15. post medium. umbra restinguat. Item S. Ioannis Chrysostomi de interpretatione euangelii secundum Matthæum, inter cetera: Ego enimvero accendi, inquit, lumen: esse vero ardentem, vestræ fiat celeritatis: non propter vos solum, sed & propter eos qui futuri sunt, hujus splendore lætificari, & ad virtutem deduci, &c.

IN ACTIONE QUARTA.

Cap. 34. Reprehensio. Quod non ita intelligenda sit sententia beati E Athanasii Alexandrinæ urbis episcopi, ut illi eam intelligendam putant, qui hanc ad adorationem imaginum accommodare nituntur.

Responsio. Multæ quippe sententiæ beati Athanasii in eadem feruntur synodo, & qualem ex ipsis singulatim sententiam dixerint, minime in hoc capitulari exaraverunt: sed sicut in sacris conciliis prædictorum nostrorum prædecessorum sanctissimorum pontificum ejusdem S. Athanasii sententiæ inter cetera scriptæ sunt, fideliter proferimus. Interrogatio Antiochi ad sanctum Athanasium pro imaginibus: Cum lex & prophetæ dicant: Statuas & similitudines nō adorabitis, quomodo vos facitis imagines, & adoratis eas? Respondit: Non sicut deos imagines adoramus nos fideles: absit, pagani: sed tantummodo affectu & caritate nostræ animæ ad vultum faciei imaginis apparentis. Vnde multoties vultu deserto, sicut lignum purum atque commune eam, quæ dudum fuerat imago, comburimus. Sicut enim Iacob approximans morti, summitatem virgæ Ioseph adoravit, non virgam honorificans, sed qui eam tenebat: sic & fideles non pro aliquo alio modo imagines adoramus, nisi pro desiderio effigie declarati: & alia plura similia, ut sequitur.

IN ACTIONE SEXTA.

Quod non ad adorationem imaginum pertineat testimonium quod de sexta synodo protulerunt.

Idcirco testimonium de sancta sexta synodo protulerunt, ut clarifice ostenderent, quod jam quando sancta sexta synodus acta est, priscis temporibus sacras imagines & historias pictas venerabantur. Vnde ipsa sancta sexta synodus fideliter per canones orthodoxe statuens, ita constituit dicens: In quibusdam venerabilium imaginum picturis, agnus digito præcursoris monstratus designatur, qui in signum relictus est gratiæ. Et post pauca: Secundum humanam figuram & in imaginibus a nunc pro veteri agno retitulari decernimus, &c. Vnde & beatus Augustinus in 93. psalmo explanavit: Si autem non adoras in Christo ista terrena, quamvis de illis similitudo quædam data est ad significandos sanctos, de quacumque creatura ducta fuerit similitudo, tu intellige similitudinem creaturæ, & adora artificem creaturæ, &c.

IN ACTIONE QUARTA.

Quod nunquam ab apostolis exemplis aut verbis, ut illi garriunt, imagines adorare institutum sit.

Sanctus Dionysius Areopagita, qui & episcopus Atheniensis valde nimirum laudatus est a sancto Gregorio papa, confirmante eum antiquum patrem & doctorem esse. Iste sub temporibus apostolorum fuit, & in actibus apostolorum monstratur. Vnde & a prædictis sanctissimis prædecessoribus nostris pontificibus in sacris conciliis eorum, ejus confirmata sunt veridica testimonia pro sacrarum imaginum veneratione, inter cetera: Amplectentes ista ex epistola sancti Dionysii episcopi Atheniensis, quæ directa est ad sanctum Ioannem euangelistam. Et infra: Quid mirabile, si Christus verax, & discipulos iniqui de civitatibus ejiciunt? ipsi digne sibi judicantes, & de sacro scelerati * interdicunt recedentes? In veritate & manifeste imagines sunt visibilia invisibilium. Nec enim in sæculis supervenientibus * culpabilis erit ex ejus justitia respectus Dei.

Item ejusdem de cælesti militia: Prædicta enim incorporea* agmina diversis coloribus effigurantur, & compositionibus varios per colores tradidit, quatenus * tacite nosmetipsos per sacratissimas effigies ad simplices & incorporales pia mente transeamus. Etenim impossibile est, nostra mente ad incorpoream illam pertingere cælestis militiæ imitationem visionemque * nisi per elementorum poterimus per visibilem ad invisibilem pulcerrimamque attingere effigiem, & visibiles odoriferasque imagines rationali traditione invisibiles præfulgi, &c.

sibiles formas, & sensibiles odores habens, ut imagines invisi[...] critudinis, & intellectualis diffusionis.

IN EADEM ACTIONE.

Quod non ad adorationem imaginum pertineat, ut illi asserunt, sententia beati Cyrilli in expositione euangelii secundum Matthæum.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus, & S. Gregorius Nyssenus, uno tenore in historia Abrahæ pro sacrarum imaginum veneratione dixerunt: Nam in sacris conciliis prædictorum nostrorum sanctissimorum pontificum ita fertur de sermone sancti Cyrilli Alexandrini episcopi. Quemadmodum imaginem si quis designatam jucundam respexerit, mirabitur quidem regis figuram, & quæ in illa apparet. hanc & ejus noscens conscriptionem pariter cernens delectabitur, ut ipsum regem aspiciat, &c.

IN ACTIONE SEXTA.

Quod magnæ sit temeritatis ingentisque absurditatis, sæpe memoratas imagines corpori & sanguini dominico æquiparare velle.

Non æquiparaverunt, sed magis scripturaliter dixerunt: Nullus enim aliquando tubarum spiritus, sanctorum apostolorum aut probabilium patrum nostrorum, quæ sine sanguine nostram liberationem, quæ ad memoriam passionis Christi Dei nostri & omnis ejus dispensationis facta, dixit imaginem corporis ejus, nec susceperunt a domino sic dicere aut confiteri, sed audiunt dicentem eum euangelice: *Nisi comederitis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non intrabitis in regnum cælorum.* Et alia plurima ex domini doctrina & beati Pauli apostoli, quæ exarare noluimus, quia in eadem per ordinem scribitur synodo: Nam æquiparare, ut dicunt Iconoclastæ hæretici in eorum pseudosyllogo, venerandas imagines corpori & sanguini dominico, insensabiliter æquiparaverunt.

IN EADEM ACTIONE.

Quod præsumptivæ & indocte eas Tarasius cum complicibus suis sacratis vasibus æquiparare non formidet.

Pro hoc in synodo dictum est a Tarasio patriarcha Constantinopolitano: Quia & sacra diversa vasa habentes, hæc osculamur & amplectimur, & sanctificationem quamdam accipere ab iis speramus, eo quod hæretici in eorum pseudosyllogo oblatrantes delirabant, neque orationem sacram sanctificantem eam, ut ex hoc ad sanctam a communi transferatur, sed manere communem & inhonoratam, sicut eam operatus est pictor. Nos vero in his fideliter & veraciter dicimus & probamus, quia usus sanctæ nostræ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ fuit & est, quando sacræ imagines vel historiæ pinguntur, prius sacro chrismate unguntur, & tunc a fidelibus venerantur: instar facientes, ut locutus est dominus ad Moysen dicens: *Faciesque unctionis oleum sanctum unguentum, compositum opere unguentarii, & unges ex eo tabernaculum testimonii, & arcam testamenti, mensamque cum vasis suis, candelabrum & utensilia ejus, altaria thymiamatis & holocausti, & universam supellectilem, quæ ad cultum eorum pertinet: sanctificabisque omnia, & erunt sancta sanctorum: qui tetigerit ea, sanctificabitur.*

IN ACTIONE SEXTA.

In tomo secundo Epiphanius legit.

Quod non ad eorum parentes pertineat, sicut illi dicunt: *Disperdat dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam.* Cap. 40. Reprehensio. Psal. 11.

Bene prophetice dixerunt, cum psalmista canentes, sicut beatus Augustinus in eodem explanavit psalmo, dicens: *Disperdat dominus universa labia dolosa*, &c. *Universa* dixit, quis se exceptum putet? sicut apostolus dicit: *In omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci. Et linguam superbam.* Responsio. Psal. 11. Rom. 2.

IN EADEM ACTIONE.

Quod non in eorum parentibus, ut illi dicunt, impletum sit quod scriptum est: *Inimici defecerunt frameæ in finem, & civitates eorum destruxisti.* Cap. 41. Reprehensio. Psal. 9.

Hunc versum semper cum propheta prophetici psalmifice dixerunt. Unde & beatus Augustinus in eodem psalmo explanavit, dicens: *Inimici defecerunt frameæ in finem:* non pluraliter inimici, sed singulariter hujus inimici. Cujus autem inimici, nisi diaboli frameæ defecerunt? Hæ autem intelliguntur diversæ opiniones erroris. Et post pauca: *Et civitates destruxisti.* Civitates autem istæ sunt in quibus diabolus regnat, ubi dolosa & fraudulenta concilia tamquam curiæ locum obtinent, & cetera. Et ideo adimpletum est in ipsis hæreticis, quando sacras imagines temerantes procaciter deposuerunt. Responsio. Post principium.

IN ACTIONE QUARTA.

Quomodo intelligendum est: *Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges:* quod quidem capitulum, sicut & cetera, illi aliter quam dictum sit intelligunt. Cap. 42. Reprehensio. Psa. 72.

Pro divitibus hujus mundi in errore existentibus, atque & aliis modis intelligitur. Nam & ipse sanctus Ioannes Chrysostomus, ubi se ostendit picturam sacrarum imaginum diligere, explanavit, dicens: Ego & ceræ infusam dilexi imaginem pietate repletam. Vidi enim angelum in imagine persequentem multitudinem barbarorum, & Davidem vere dicentem: *Domine, in civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges.* Ecce lucidissime ostendit pater, quomodo intelligendum est. Responsio. Orat. quod veteris & novi testamenti unus sit legislator, &c. Psal. 72.

Item sancti Athanasii de interpretatione psalmorum, inter cetera: Civitas enim domini, quæ sursum Ierusalem: imago autem eorum, terrestris. Quod enim dicit, tale est: Quoniam terrestris, inquit, induti sunt imaginem, & non cælestis, propter hoc ad nihilum redigentur. Audient enim illo tempore: *Nescio vos:* utpote non indutos eadem domini imagine, &c. Matth. 25.

Item sancti Augustini in ejusdem psalmi explanatione, inter cetera: Quicumque ista non habetis, non cupiatis: quicumque habetis, non in eis præsumatis. Ecce dixi vobis: non dico: Damnamini, quia habetis; sed damnamini, si de talibus præsumatis, si de talibus inflemini, si propter talia magni vobis videamini, si propter talia pauperes non agnoscatis, si generis humani conditionem communem propter excellentem vanitatem obliviscamini. Tunc enim Deus necesse est retribuat in novissimo, & in civitate sua imaginem talium ad nihilum redigat. Circa med.

Anno Christi 787.

IN EADEM ACTIONE.

Cap. 34. Reprehensio. Quod non, ut illi gloriantur, propter illos dictum est qui imagines adorant: *Quoniam non derelinquet dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.* Psal. 124.

Responsio. Recte cum propheta dixerunt: quia virga peccatorum hæretici sunt, & sors justorum orthodoxi, quemadmodum sanctus Augustinus in eodem psalmo explanavit, dicens: Post. med. Sentitur ad tempus virga peccatorum super sortem justorum, sed non ibi relinquitur, non erit in æternum. Matth. 25. *Veniet tempus, quando Christus in claritate sua apparens, congreget ante se omnes gentes, & dividat eas, sicut dividit pastor hœdos ab ovibus. Oves ponet ad dexteram, hœdos ad sinistram*, &c.

B

IN ACTIONE QUARTA.

Cap. 44. Reprehensio. De eo quod Ioannes presbyter, Theodosio abbate monasterii sancti Andreæ, recitante verba Ioannis Chrysostomi, & dicente: Vidi angelum in imagine persequentem barbarorum multitudinem, dixit: Quis est iste angelus, nisi de quo scriptum est, 4. Reg. 19. quoniam angelus domini percussit centum octogintaquinque millia Assyriorum in una nocte, in circuitu Ierusalem exercitantium?

Responsio. Iam superius vobis exaravimus, propter quod sanctus Ioannes Chrysostomus protulit ipsum aspectum, sed ipsa varia multitudo unde fuisset transiit. Idcirco Ioannes presbyter ex proprio arbitrio dixit, secundum divinam scripturam existimans esse, quando angelus domini percussit centum octoginta quinque millia Assyriorum in una nocte, in circuitu Ierusalem exercitantium? Nam utrum sic esset, an non, minime confirmavit, sed interrogative taliter memoravit.

C

IN EADEM ACTIONE.

Cap. 45. Reprehensio. Dementissimum & ratione carens dictum Ioannis presbyteri orientalium, in eo quod ait, quoniam non assistente imperatore imago ejus honoratur: non enim inhonoratur: quatenus & nunc dominatore omnium Iesu Christo visibiliter nobis non apparente, (invisibilis enim est carnalibus nostris oculis, sicut enim Deus, ubique adest) honorandam ejus imaginem, sicuti & in imperatore, pater sensit.

D

Responsio. Non ex se hæc dixit Ioannes presbyter orientalium, sed de libro sancti Anastasii episcopi Theopoleos, qui in eadem synodo lectus est, & ideo dixit: Ostendit pater, quod non assistente imperatore imago ejus honoratur; non enim inhonoratur, & quod sequitur, ut supra.

IN ACTIONE QUARTA.

Cap. 46. Reprehensio. De eo quod Ioannes presbyter & legatus orientalium incaute imaginum adorationem stabilire nitens, dixisse legitur: Erexit Iacob titulum Deo, quatenus & benedixit eum.

E

Responsio. In similitudine hoc dixit, quia cum evigilasset, tunc ille erexit titulum lapideum in loco, quo locutus fuerat ei Deus, libans super eum libamina, & effundens oleum, vocansque nomen loci Bethel. Gen. 35. Et ideo plures similitudines interpretationum habere videtur. De libro beati Augustini, de tractatu Esau & Iacob: Intelligit, inquit, sanctitas vestra; multis enim modis significatur una res, id est, ecclesia. Et post pauca: Quia una res multis modis significatur, quæ nihil horum est per evidentiam, omnia est per figuram, &c.

A

IN EADEM ACTIONE.

Cap. Repr. sio. Quam absurde agunt, qui ad confirmandas imagines exemplum divinæ legis proferunt, dicentes propitiatorium, & duos cherubim aureos, & arcam testamenti, præcipiente domino, Moysen fecisse.

Resp. Iam superius mitissime exaravimus, qualiter prædecessores nostri sanctissimi pontifices ad confirmandas imagines divinæ legis exemplum in eorum posuerunt sacris conciliis. Vnde sanctus Orat. Gregorius theologus in sermone de pascha, inter pasc. cetera ait: Et qui loquebatur ante ipsum ad tem. Moysen, tunc cum de istis legem daret, *Vide* Exod. *enim*, inquit, *omnia facies secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte*, adumbratione quadam descriptionem invisibilium ostendens esse visibilia: & suadeor nihil horum sine causa, neque irrationabiliter, nec humi repens ordinatum esse, nec quod indignum esset & Dei constitutionibus & Moysis ministerio, &c.

Item beati Augustini de libro Exodi inter cetera: Facta credimus, quemadmodum facta legimus, & tamen ipsa facta umbras fuisse futurorum apostolica doctrina cognoscimus. Putamus ergo specialiter esse investiganda quæ facta sunt, facta tamen esse negare non possumus, &c.

Cap. Rep. sio. Quod non parvi sit piaculi, scripturas sanctas aliter intelligere, quam intelligendæ sunt, & ad hos sensus usurpatas accommodare, quos illæ non continent: sicut in erronea synodo, quæ in Nicæa regnante Constantino mediante Irene matre ejus, residente Tarasio Constantinopolitano neophyto episcopo, gesta est.

Resp. Hæ subjectæ reprehensiones non ex synodo, sed de sensu tractæ sunt libri beati Augustini de eo quod apparuit Deus Moysi, ad finem ejusdem libri, ubi ita explanatum est. Omnia ergo futuri populi signa sunt & mysteria de domino nostro Iesu Christo, & si qua alia sunt in libris veteribus sacramenta, sive illa intelligamus, sive non intelligamus, quærentem desiderant, non reprehendentem. Petamus ergo, quæramus & pulsemus, ut aperiatur nobis. Illis futura prædicta sunt sacramenta, nos præsentia videmus in ecclesia.

Cap. Quæ sit differentia imaginis & similitudinis, sive æqualitatis.

Quis de fidelibus ignorare se putat aliquando, quæ sit imago, aut similitudo, vel æqualitas? In sancta vero catholica & apostolica ecclesia humilibus datur gratia. Nam differentia mathematicorum exterioris arte disciplinæ fideles conservare despiciunt, beato Ambrosio dicen- Lib. te in libro primo de fide, ubi inter cetera inquit: Dicendum est nobis quod scriptum est: Col. *Cavete ne quis vos deprædetur per philosophiam & inanem seductionem, secundum traditionem hominum, & secundum elementa hujus mundi, & non secundum Deum.* Omnem enim vim venenorum suorum in dialectica disputatione constituunt, quæ philosophorum sententia definitur, non adstruendi vim habere, sed studium destruendi. Sed non in dialectica complacuit Deo salvum facere populum suum. Regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis.

Cap. Rep. sio. Quod contra beati Gregorii instituta sit, imagines adorare seu frangere, & quia vetus & novum testamentum, & pene omnes præcipui doctores

doctores ecclesiæ consentiunt beato Gregorio in non adorandis imaginibus, nec ut aliquid præter Deum omnipotentem adorare debeamus, in multis locis confirmat sanctus Gregorius papa.

Nequaquam sacras contempsit imagines aliquando, sed magis constantissime observavit, & eorum veneratus est figuras. Illud autem, quod pene omnes præcipui doctores ecclesię consentiunt beato Gregorio, irrationabile fuit scribere: quia sanctus Gregorius ad prædecessores suos patres atque præcipuos doctores sanctæ catholicæ ecclesiæ obediens & consentiens fuit. Nam illi beatum Gregorium in hoc existentes mundo nescierunt, nisi solus ille qui quos præscivit & prædestinavit, &c. Nam qualiter sanctos prædecessores suos veneratus sit, proferimus epistolam ejusdem sancti Gregorii ad Eulogium patriarcham Alexandrinum directam, ubi inter cetera: Praeterea de Eudoxii hæretici persona, de cujus errore in Latina lingua nihil reperi, mihi a vestra beatitudine largissime gaudeo satisfactum. Virorum quippe fortissimorum Basilii, Gregorii, atque Epiphanii testimonia protulistis, & manifeste peremptum cognoscimus eum, in quem heroes nostri tot jacula dederunt, &c. De veneratione vero sacrarum imaginum, sicut in ceteris epistolis suis sanctus Gregorius docuit, ita & in epistola sua ad Ianuarium episcopum Calaritanum, quæ sic incipit: Iudæi de civitate vestra huc venientes questi nobis sunt, quod synagogam eorum, quæ Calaris sita est, Petrus qui ex eorum superstitione ad Christianæ fidei cultum Deo volente perductus est, adhibitis sibi quibusdam indisciplinatis, sequenti die baptismatis sui, hoc est dominico, in ipsa festivitate paschali, cum gravi scandalo sine vestra occupaverit voluntate, atque imaginem illic genitricis Dei dominique nostri, & venerandam crucem, vel birrum album, quo de fonte surgens indutus fuerat, posuisset. Et post pauca: Considerantes hac de re vestræ voluntatis intentum ac magis judicium, his hortamur affatibus, ut sublata exinde cum ea qua dignum est veneratione imagine atque cruce, debeatis quod violenter ablatum est reformare. Et post pauca: Ne ergo suprascriptus Petrus, vel alii qui ei in hac indisciplinationis pravitate præbuere solatium sive consensum, hoc zelo fidei se fecisse respondeant, ut per hoc quasi eis necessitas fieret convertendi, admonendi sunt; atque scire debent, quia hac circa hos temperantia magis utendum est, ut trahatur ab eis velle non reniti, non ut adducantur inviti, quia scriptum est: *Voluntarie sacrificabo tibi*, &c. Ecce sanctus Gregorius non est ausus contradicere tali fidei pro sacris imaginibus, sed magis eam confirmavit, ubi dixit: Non adducantur inviti.

Quod contra dominicæ vocis imperium faciunt hi qui parentes eorum anathematizant: & si secundum eorum opinionem prædecessores eorum hæretici fuere, isti ab hæreticis geniti, docti, & consecrati sunt, sive de non judicandis his qui de sæculo recesserunt, vel quantum istorum error a parentum errore dissentiat, cum videlicet illi imagines frangere, isti adorare, censuerint.

Isti qui hoc ex sensu scripserunt, vel ad magnisonum Ezechielem prophetam attendere debebant, dicentem: *Vivo ego, dicit dominus, si erit vobis ultra parabola hæc in proverbium in Israel. Ecce omnes animæ meæ sunt: ut anima patris, ita & anima filii mea est. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et infra: *Et cum averterit se ab impietate sua, quam operatus est; & fecerit judicium & justitiam, ipse animam suam liberavit.* Et post plura: *Nolo mortem impii, sed ut revertatur impius a via sua & vivat. Convertimini a viis vestris pessimis, & quare moriemini domus Israel? Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui; Iustitia justi non liberabit eum, in quacumque die peccaverit: & impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*, &c. Nam ut sanctus Gregorius in dialogis suis meminit, Ermigildo regi ab Ariana hæresi ad fidem catholicam converso, quid nocuit pater suus Arianus Livigildus Vvisigothorum rex? Prorsus credimus quia nihil, sed magis cum in perditionem animæ suæ ipse pater ejus Arianus pro vera & orthodoxa fide eum occidi fecit, constantissimus Dei confessor & martyr effectus est: pater vero ejus Arianus in ignem æternum pro Ariana fide sua deductus est. Et quid potuit fidelem filium suum in quocumque lædere capitulo? Tunc namque gaudet sancta catholica & apostolica ecclesia, quando inimicos suos, videlicet hæreticos, videt in vera confessione ad eam reverti, domino dicente: *Gaudium erit super uno peccatore*, &c. Et si de uno gaudium fit, quanto magis de tot millium hominum reversione? quis audebit de fidelibus tandem aliquando resistere? Item ex sancto Augustino in psalmum 84. inter cetera dicente: Peccata parentum non pertinent ad filios, quæ faciunt parentes jam natis filiis. Iam enim filii nati ad se pertinent, & parentes ad se pertinent. Itaque illi qui nati sunt, si tenuerint vias parentum suorum malas, necesse est portent & merita ipsorum. Si autem mutaverint se, & non fuerint imitati parentes malos, incipiunt habere meritum suum, non meritum parentum suorum. Vsqueadeo autem non tibi obest peccatum patris tui, si te mutaveris, ut nec ipsi patri tuo obsit, si se mutaverit, &c.

Quod inutiliter & incaute Græci ecclesiam catholicam anathematizare conati sunt in eorum synodo, eo quod imagines non adoret: cum utique prius debuerint omnino scrutari, quid uniuscujusque partis ecclesia de hac causa sentire vellet.

Illi non anathematizaverunt catholicam ecclesiam, sed magis ad eam reversi, anathematizaverunt pseudosyllogum illum una cum complicibus ejus hæreticis, qui sacras imagines in sancta ecclesia a priscis temporibus constitutas, inverecunde & incaute non solum deposuerunt, sed insuper incenderunt Et ideo secundum traditionem sanctæ catholicę & apostolicæ ecclesię ab ipsa reversi hæresi, specialiter eam contemnentes anathematizaverunt. Item ex epistola sancti Gregorii ad Eusebium archiepiscopum Thessalonicensem directa: Hortamur, ut cum omni vivacitate ac solicitudine fraternitatis hoc vestra rimari cura non desinat, & si ab hac eos insontes pravitate reperit, scandalum de filiorum suorum mentibus habitatorum satisfactione removeat, atque inter omnes hæreses specialiter Severum ac Nestorium anathematizent, &c. Sic & isti fecerunt de propria eorum hæresi revertentes.

Quia mulier in synodo docere non debet, sicut Irene in eorum synodo fecisse legitur.

Margin notes (right): Anno Christi 787. — Lib. 3. c. 31. — Luc. 15. — Post principium. — Cap. 52. Reprehensio. — Responsio. — Lib. 7. ind. 2. epist. 8. — Cap. 53. Reprehensio.

ANNO CHRISTI 787.

Responsio. In ipsis enim exordiis Christianorum, cum ad A fidem converteretur imperator Constantinus, mater sua Helena Augusta ad eum cum duodecim scribis & Pharisæis, ac magistris & principibus Iudæorum in urbem venit Romam & ipsa una cum filio suo Constantino Augusto concilium Iudæos cum Christianis facere censuerunt. In quo præsidens sanctus papa Silvester cum pluribus sanctissimis episcopis, in ampliorem statum dilatantes Christianorum fidem, tam per sacram scripturam, quamque per miracula, domino protegente, victores effecti sunt. Sed & sanctus Leo papa egregius doctor, pro sacrosancto quarto concilio ad Pulcheriam Augu- B stam emisit epistolas suas. Vnde & ipsa per semetipsam in sancta quarta synodo sedit, una cum fidelissimo Marciano imperatore. Item ex libro sancti Augustini, de eo quod in Genesi sexto die factum legitur, inter cetera: Produxit terra herbam pabuli & ligna fructifera: producunt & homines in ecclesia opera misericordiæ: post ipsa opera, quæ etiam domino exhibita sunt, cum esset in carne, non solum a viris, sicut fuit Zachæus, sed etiam a mulieribus quæ ei ministrabant de substantia sua, &c.

Cap. 54. Reprehensio. Quod non ideo adorandæ sunt imagines, quod per eas, ut illi dicunt, nonnulla signa demonstrata fuisse videntur, cum tamen non omnes res adorentur, per quas vel in quibus miracula apparent.

Responsio. Iam superius exaravimus pro adorandis ima- C ginibus, qualiter in eorum explanaverint definitione, demonstrantes eis osculum & honorabilem salutationem reddere, nequaquam secundum fidem nostram veram culturam, quæ decet solam divinam naturam. Ex libro S. Augustini in psalmum 75. inter cetera: Tu vere magnus Deus faciens mirabilia in corpore, in anima solus faciens. Et post pauca: Fecit & Moyses, sed non solus; fecit & Elias; fecit & Elisæus; fecerunt & apostoli, sed nullus eorum solus. Illi cum facerent, tu cum eis; tu quando fecisti, illi non tecum. Non enim tecum fuerunt cum fecisti, quando & ipsos tu fecisti. Tu es Deus, qui facis mirabilia solus, &c. (Post medium.)

Cap. 55. Reprehensio. De eo quod apocryphas & omni derisione dignas nænias suis locutionibus interposuerunt.

Responsio. Ad derisionem & opprobrium hæreticorum, qui pseudosyllogum illum fecerunt, eorum apocryphas nænias, quas deliraverunt, in medium deduxerunt, demonstrantes eis, qualem errorem conabantur in sanctam catholicam & apostolicam introducere ecclesiam. Et idcirco qui ex ipsa reversi sunt hæresi, cum propheta canebant pro ipsis hæreticis: *Inimici defecerunt framea in finem*, &c. alia plura. (*Psalm. 9.*) Item S. Gregorii theologi de sermone in epiphaniis, inter cetera: Accedamus ad lucem, & efficiamur etiam E ipsi lux participatione lucis æternæ. (Oratione in sancta lumina, in initio.) Et post pauca: Numquid tale aliquid in mysteriis suis habent paganorum delira commenta, & mysteria obscura, adinventiones dæmonum, aut furiosæ mentis vesana figmenta, tempore confirmata, & fabulis commendata? Ea enim, quæ tamquam vera adorant, rursum ficta esse & composita per fabulas docent. Quod si essent vera, utique fabulosa non essent, cum sint omni genere contraria sibi veritas & figmentum. Sed agunt omnia, tamquam vere pueri in plateis ludentes, ac sibi invicem illudentes. Nulla ibi virilis sensus & perfectæ rationis assertio, nihil quod præferre valeant adversus cultores verbi Dei, & alia similia plura.

Cap. Reprehensio. De eo quod quanto plura exempla hæreticorum, & imagines spernentium vel despicientium trahunt, tanto parentes suos majoribus conviciis & injuriis inhonorant, quos procul dubio eorum sequaces in hac parte fuisse profitentur.

Responsio. Ecce ipsum unum tenorem in hoc capitulari sæpius referunt, quia parentes eorum despexerunt, atque injuriantes inhonoraverunt. Et ideo & nos, ut superius exaravimus, pro hujusmodi breviter addentes dicimus, quia nec parentes boni possunt filiis malis prodesse, neque filii boni possunt parentibus malis auxilium ferre, sed unusquisque pro se reddet rationem Deo. Magis autem multum laudabiles sunt, qui parentes eorum non sequuntur in sævissimo errore, reversi ad veram fidem orthodoxam sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ. Ex libro sancti Augustini de prophetia, ubi ad oves loquitur Deus, inter cetera: Ergo quicumque ab hæreticis transierint ad catholicam, non habebunt hoc opprobrium gentium, nec portabunt maledictum dissensionis, quia permanent in radice unitatis, in plantatione caritatis: *Non portabunt maledictum, & scient quoniam ego sum dominus Deus eorum, & ipsi populus meus domus Israel, dicit dominus Deus.* (Tract... fine... Ezech.)

Cap. Reprehensio. Quod non sit contra religionem Christianam, ut illi dicunt, non colere & non adorare imagines.

Responsio. Ex libro beati Augustini de tractatu Proverbii Salomonis, inter cetera: Invenis hominem porrigentem manu eleemosynas pauperum, nec tamen de Deo ibi cogitantem, sed hominibus placere cupientem. Lanea vestis videri potest, interiorem lineam non habet. Invenis alium dicentem tibi: Sufficit mihi in conscientia Deum colere, Deum adorare; quid mihi opus est aut in ecclesiam ire, aut visibiliter misceri Christianis? Lineam vult habere sine tunica: Non novit, non commendat talia opera mulier ista. Di- D cenda sunt quidem & docenda spiritalia sine carnalibus, sed illi qui accipiunt, debent tenere spiritalia, & non carnaliter operari carnalia, &c.

Cap. Reprehensio. Quod non parvi sit erroris, manufactas imagines arcæ testamenti domini coæquare conari, ut illi in sua synodo facere conati sunt.

Responsio. Item ex tractatu sancti Augustini de Esau & Iacob, inter cetera: Duo testamenta dicuntur in lege, unum vetus, alterum novum. Vetus promissiones habebat temporales, sed significationes spiritales. Intendat caritas vestra. Si promissa est Iudæis terra promissionis, significat aliquid spiritaliter terra promissionis. Si promissa est Iudæis civitas pacis Ierusalem, significat aliquid nomen civitatis Ierusalem: & similia alia plura. Vnde, ut superius exaravimus de eodem libro sancti Augustini una res multis modis significatur: quæ nihil horum est per evidentiam, omnia est per figuram, &c.

Cap. Reprehensio. Quod non sint coæquandæ imagines reliquiis sanctorum martyrum & confessorum, ut illi in sua erronea synodo facere nituntur, eo quod reliquiæ aut de corpore sunt, aut de his quæ circa corpus cujusdam sancti fuerunt. Imagines vero nec in corpore, nec circa corpus fuisse vel fore creduntur, illis quibus adscribuntur.

Responsio. In sacris prædictis conciliis prædecessorum meorum

Anno Christi 787.

meorum sanctissimorum pontificum hæc oblata sunt testimonia, id est sancti Gennadii Massiliensis episcopi, qualiter veneranda sint corpora vel reliquiæ sanctorum, capitulo 40. Sacrorum corpora, & præcipue beatorum reliquias ac si Christi membra sincerissime honoranda, & basilicas eorum nomine appellatas, velut loca divino cultui mancipata, affectu piissimo & devotione fidelissima adeundas. Si quis contra hanc sententiam venit, non Christianus credatur, sed Eunomianus. Item de petitione clericorum & monachorum sanctæ Antiochenæ ecclesiæ adversus Severum hæreticum in sancta quinta synodo: Neque enim de sanctis altaribus pepercit, sacratissima vestimenta vasaque nonnulla discerpens, ceteraque fundens distribuit consentientibus sibi. Ausus fuit enim ille, beatissimi, quæ in typum Spiritus sancti aureæ argenteæque columbæ pendebant supra sacratissimos fontes & altaria, cum reliquiis usurpare, dicens: Non est necesse in specie columbæ Spiritum sanctum nominare, &c.

Quod hæc synodus, quæ nec synodus quidem dicenda est, nullatenus æquiparari possit Nicænæ synodo, quamquam in eodem sit agitata loco, sicut Ioannes presbyter adulanter dixisse perhibetur: quippe cum ab ea non solum in ceteris, sed in symbolo discrepare noscatur.

Iam superius exaravimus hujus synodi divina dogmata irreprehensibilia existere, sicut præcipuorum sanctorum patrum mirifice demonstrant opuscula. Nam si quis a prædictæ synodi symbolo discrepare se dixerit, discrepare videtur a sanctarum sex synodorum symbolo, eo quod isti non ex se, sed per sanctorum dogmatum constitutiones locuti sunt. Ex libro sanctę sextæ synodi, inter cetera: Sufficiebat quidem ad perfectam orthodoxæ fidei cognitionem atque confirmationem, pium atque orthodoxum hoc divinæ gratiæ symbolum. Sed quoniam non destitit ab exordio adinventor malitiæ, cooperatorem sibi serpentem inveniens, & per eum venenosam humanæ naturæ afferens mortem: ita & nunc organa ad propriam suam voluntatem apta reperiens, &c.

Item ex libro sancti Augustini de prophetia, ubi ad oves loquitur, inter cetera: Lateribus & humeris vestris impellebatis, & cornibus vestris percutiebatis, & omne quod deficiebat comprimebatis, quousque dispergereris eas foras: & salvabo oves meas. Sicut detestanda eorum iniquitas & crudelitas, ita laudanda pastoris nostri & Dei nostri misericordia. Et post pauca sequitur: Et super omnem terram gloria tua. Sponsus in cælo est, sponsa in terra est. Ille super omnes cælos, illa super omnem terram. O hæretice, credis quod in cælo non vides; negas quod in terra vides? Dicat ergo hæc, dicat & audiatur, salvet oves suas. Et salvabo, inquit, oves meas, & jam non erunt in devastationem: & judicabo inter ovem & ovem, & excitabo super eas pastorem unum, & reliqua.

Contra eos qui dicunt: Sicut divinæ scripturæ libros, ita imagines ob memoriam venerationis habemus, nostræ fidei puritatem observantes.

Sancti Gregorii papæ ex epistola ad Serenum episcopum Massiliensem directa, inter cetera: Dic frater, a quo factum sacerdote aliquando auditum est quod fecisti? Si non aliud, vel illud te non debuit revocare, ne despectis aliis fratribus solum te sanctum & esse crederes sapientem? Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis pictura præstat cernentibus: quia in ipsa ignorantes vident quid sequi debeant: in ipsa legunt qui literas nesciunt. Unde & præcipue gentibus pro lectione pictura est: quod magnopere a te, qui inter gentes habitas, attendi debuerat. Et post pauca: Et quia in locis venerabilibus sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit. Et rursus: Quia picturas imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, ut nescientes literas, ipsam historiã attendentes, quid actũ sit discerent, &c. Item Sophronii episcopi Hierosolymitani, qui ita explanavit in sancta sua synodica, quæ in sancto sexto concilio oblata & mirabiliter suscepta est, de Spiritu sancto dicens: Vere Patri & Filio consempiternum, consubstantialem, atque contribulem ejusdemque essentiæ atque naturę. Similiter & deitatis trinitatem consubstantialem, cohonorandamque ac consessorem, connaturalem & cognatam atque contribulem, in unam conrecapitulandam deitatem, atque in unam copulandam communem dominationem, absque personali confusione, & absque substantiali divisione. Trinitatem itaque in unitate credimus, & in unitate trinitatem glorificamus, & cetera. Item ex epistola sancti Athanasii ad Epictetum directa, inter cetera: Eorum vero, qui putantur recte credere secundum omnia quæ dicta sunt a sanctis patribus, qui propter inquisitionem immutare volentes, nihil aliud faciunt, nisi secundum quod scriptum est: Proximum quidem potant insipientia: repugnant autem ad nullam utilitatem, sed ut simplices tantum evertant, &c. Item sancti Augustini lib. 7. de trinitate, inter cetera: Sic dicamus tres personas, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, quemadmodum dicuntur aliqui tres amici, aut tres propinqui, aut tres vicini, quod sint adinvicem, non quod unusquisque eorum sit ad seipsum. Quapropter quilibet ex eis amicus est duorum ceterorum, aut propinquus, aut vicinus, quia hæc nomina relativam significationem habent, &c. Item ejusdem sancti Augustini libro 8. de trinitate, inter cetera: Tantam esse æqualitatem in ea trinitate, ut non solum Pater non sit major quam Filius, quod attinet ad divinitatem, sed nec Pater & Filius simul majus aliquid sint quam Spiritus sanctus, aut singula quæque persona quælibet trium minus aliquid sit quam ipsa trinitas. Dicta sunt hæc, & si sæpius versando repetantur, familiarius quidem innotescunt: sed & modus aliquis adhibendus est, Deoque supplicandum devotissima pietate, &c.

(Hoc loco ante Sophronii dicta quædam deesse videntur.) (Lib. 7 c. 6.) (Libro 8. in principio.)

IN ACTIONE PRIMA.

De eo quod Basilius archiepiscopus in suæ fidei lectione, post confessionem Patris, & Filii, & Spiritus sancti, imaginum & lipsanorum osculationem & adorationem inseruit, fidem se habere dicens, participari ab his sanctificationem: remissionem vero peccatorum, sive carnis resurrectionem, seu vitam futuram omnino tacuit. (Cap. 4. Reprehensio.)

Sanctus Ambrosius Mediolanensis episcopus in libro 1. de fide, quem ad Gratianum imperatorem misit, de Patre & Filio orthodoxe dogmatizans, inter cetera inquit: Est enim plenitudo divinitatis in Filio. Et de Spiritu sancto nil dixit, (Responsio. Lib. 1. c. 2.)

ANNO CHRISTI 787.

dixit, quia tantummodo de Patre & Filio explanavit: Et Basilius hæresim, quam abjiciens anathematizavit, & confessionem de vera religione orthodoxæ fidei faciens, imagines sacras & lipsana sanctorum amplectens venerabiliter suscepit, de quibus dudum errorem habuit. Nam de remissione peccatorum, sive carnis resurrectione, seu vita futura, nullum habuit errorem, neque orthodoxæ fidei sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ in hoc contradixit, sicut illi flebiles & infelices hæretici, qui ex occasione imaginibus & lipsanis sanctorum detrahere conati sunt, cum ipsis sacris imaginibus ipsa lipsana sanctorum ejicientes atque abnegantes contempserunt. Sed væ illis, quia de via recta declinantes, per erroneam semitam plenamque frutetis gradientes, in foveam inciderunt, quam facientes, arsuri sunt in æternum. Si enim explanare voluerimus de lipsanorum sanctorum veneratione per divinarum scripturarum, & sanctorum patrum opuscula, quis valebit scribere, aut chartas proferre? Pauca enim ex multis breviter memoramus sancti Basilii episcopi Cæsareæ Cappadociæ, in interpretatione psalmi 115. inter cetera: Ante hoc dicebatur sacerdotibus & Nazareis. Quoniam omnis qui tetigerit mortuum, immundus erit, & ut lavet vestimenta sua. Nunc autem qui tetigerit ossa martyrum, accipiet aliquam participationem sanctificationis de corpore assistente gratia. *Preciosa in conspectu domini mors sanctorum ejus*, &c. Item sancti Ioannis Chrysostomi episcopi Constantinopolitani in sermone in epistolam beati Pauli apostoli ad Romanos, inter cetera: Ego autem & propter hoc Romam diligo. Insuper adhuc & aliunde eam habeo laudare, & pro magnitudine, & pro antiquitate, & pro specie, & pro multitudine, & potentia, & directionibus in præliis. Omnia autem talia derelinquens, pro hoc eam beatifico, quia & vivens eis scribebat, & sic eos diligebat, & præsentialiter eis locutus est, & vitam ibi temporalem finivit, & sanctum corpus ejus ibi habent, pro quo & honorabilior civitas magis quam pro aliis. Et sicut corpus magnum & forte oculos habet duos splendentes, sacrorum horum corpora, id est Petri & Pauli: ita non est cælum splendidius, quando sol emittit radios, sicut Romanæ urbis hæ duæ lampades ubique in mundo illuxerunt. Exinde ergo rapietur Paulus, exinde Petrus. Considerate & tremite: qualia videbit insignia Roma, Paulum subito surgentem a loco requietionis suæ simul cum Petro, & proficiscentem obviam Christo? Quale mandat Christo donum Roma? quales coronas civitas continet duas? quales catenas aureas circumnectit? quales habet fontes? Pro hoc admiror civitatem, non pro multitudine auri, non pro columnis, non pro alia phantasia, sed pro egregiis cacuminibus summæ ecclesiæ. Quis mihi tribuet perfundi corpore Pauli, & adhærere sacræ sepulturæ, & pulverem sanctum videre corporis illius, in quo imitatus est Christum, in quo Christi stigmata portavit, in quo ubique prædicationem disseminavit? Pulverem illum corporis ejus, per quod ubique occurrit? pulverem oris illius, per quod Christus annuntiabatur, & lux lucescebat, &c.

Psalm. 115. Serm. 32.

Item ex sermone sancti Augustini in natali sanctorum apostolorum, inter cetera: Nam iste beatissimus Petrus piscator, cui jubebat, non dico curator, sed infimus obsonator, modo genibus provolutus eum adorat imperator, &c.

Item ejusdem sancti Augustini in expositione psalmi 44. inter cetera: *Filiæ regum delectaverunt te in honore tuo:* quia non quæsierunt honorem patrum suorum, sed quæsierunt honorem tuum. Ostendatur mihi Romæ in tanto honore templum Romuli, in quanto ostendam ibi memoriam Petri. In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis, &c. (Psal. 4[4]; Post m[edium])

Item sancti Gregorii papæ ex epistola Eusebio episcopo Thessalonicensi directa, inter cetera: Si autem Theodorus lector ad orationem sanctos huc ad apostolos venire voluerit, eum fraternitas vestra sine aliqua mora transmittat. Et alia plura talia testimonia, quæ exarare per ordinem longum prævidemus. (Lib. 9 ep. 69)

IN EADEM ACTIONE.

De eo quod Theodosius Amorii episcopus desidiose sanctæ & unicæ trinitatis fidem tacuerit, de imaginibus vero incaute & extraordinarie dixerit: Confiteor & promitto, & suscipio, & osculor, & adoro imagines. Et post pauca: Qui non instruunt diligenter omnem Christo dilectum populum adorare & venerari sacras & venerandas imagines omnium sanctorum, qui a sæculo Deo placuerunt, anathema. (Cap. Repre[hen]sio.)

Putamus, quia zelo fidei fervens prædictus Theodosius talem orationem confessus est, qualem in eorum definitione explanaverunt. Nam & prædecessores nostros, videlicet beatissimos pontifices Gregorium, & Gregorium, Zachariam, & Stephanum, Paulum, & iterum Stephanum, reperimus pro sacrarum imaginum erectione in Spiritu sancto ferventes, rectæ fidei zelum habere. Pro quo dominus Gregorius papa secundus junior, una cum 79. sanctissimis episcopis ante confessionem beati Petri apostolorum principis præsidens, multorum sanctorum patrum testimonia roborantes, venerari & adorare sacras imagines in eorum concilio censuerunt. Porro & prædecessor noster sanctæ recordationis quondam dominus Stephanus papa similiter cum episcopis partium Franciæ atque Italiæ præsidens in basilica salvatoris domini nostri Iesu Christi, quæ appellatur Constantiniana, prædecessoris sui venerabile concilium confirmans atque amplectens, magis magisque & ipse una cum omnibus episcopis præsidentibus, sanctorum patrum testimoniis adhærentes, adorare atque venerari sacras imagines statuerunt. Vnde & beatus Paulus apostolus docens inquit: *Tenete traditiones quas accepistis.* Et iterum: *Sed licet nos, aut angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizamus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit*, &c. (Respo[nsio]; 2. Th[ess.]; Gal.)

IN ACTIONE TERTIA.

Ridiculose & pueriliter dictum in sententia fidei Theodori archiepiscopi: *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Et continuo: *Sanctis qui in terra sunt ejus, mirificavit omnes voluntates meas inter illos*, tamquam hic versiculus illum priorem subsequeretur. (Cap. Repre[hen]sio. Psal. Psal.)

In hoc modo gratis calumniari conantur; quia sancta ecclesia in matutino Deo canere laudes surgens, in primis: *Domine labia mea aperies* dicit, & post: *Venite exultemus domino*: Sic incipit: *Beatus vir.* Similiter Paulus apostolus fideliter (Resp[onsio]; Psal. Psal. Psal.)

liter prophetarum nomina percurrens per ordinem, post Iephte David memoravit, & sic Samuel. Sed & plura sanctorum opuscula invenimus ferre testimonia de novo, & sic postmodum de vetere testamento : sed ob hoc nullus audet quispiam de fidelibus talia in ridiculo habere. Item sanctus Ioannes Chrysostomus in interpretatione epistolæ beati Pauli apostoli ad Hebræos, inter cetera docens, inquit : *Non videbit dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Et iterum : *Labia nostra a nobis sunt, quis noster dominus est?* Et iterum : *Propter quid irritavit impius Deum?* Et rursum : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in voluntatibus suis*, &c.

Item ejusdem sancti Ioannis Chrysostomi in interpretatione epistolæ beati Pauli apostoli ad Romanos : Pro quo & Matthæus initium faciens euangelii, utrumque horum memorat primum, & tunc per ordinem profert parentes eorum, dicens : *Liber generationis Iesu Christi.* Non sustinuit dicere post Abraham, Isaac, & Iacob, sed ante Abraham David memoravit, &, quod est mirabile, quoniam ante Abraham David posuit, sic dicens : *Filii David, Filii Abrahæ*, & tunc cœpit dicere per ordinem, &c.

IN ACTIONE PRIMA.

Contra eos qui dicunt : Deo cooperante nos direximus congregare vos, sive, Congregavit vos Deus, concilium proprium statuere volens.

In fine euangelii sancti Marci : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Item sancti Cyrilli in sermone sanctæ Dei genitricis, inter cetera : Gloria quidem tibi a nobis sancta mystica trinitas, quæ hos & nos omnes convocavit in hanc vocationem Dei genitricis Mariæ, &c. Item ex sancta sexta synodo, actione decimaoctava, post subscriptiones episcoporum & imperatoris, Constantinus piissimus imperator dixit : Deum testem proferimus. Et post pauca : Cum ergo Deo complacuit tempus concedere, invitavimus fieri collectionem vestram, ad considerandum nobis sanctas Dei scripturas, omnemque vocis sive assertionis novitatem, quæ adjecta est ad intemeratam nostram Christianorum fidem in his vicinis temporibus, a quibusdam prava sentientibus, expellendam, &c.

IN ACTIONE TERTIA.

Contra eos qui dicunt quod imaginis honor in primam formam transit.

Qui huic contradicere voluerit, sancti Basilii contradicet expositioni, quem nullum ex fidelibus credimus adversus ejus orthodoxam fidem expugnare. Quia ipse in sacratissima epistola sua, quam misit ad Amphilochium, inter cetera istud explanavit capitulum. Item sancti Severiani episcopi Gabalanensis, alias Gavalensis, in homilia, in qua demonstravit scripturas per dominum explanatas, inter cetera : Vestem imperialem si injuriaveris, numquid qui eam induit injuria afficis? Nescis quoniam si quis imaginem imperatoris injuriaverit, primæ formæ dignitati affert injuriam? Nescis quoniam si quis imaginem, quæ a ligno detrahit, non sicut in inanimatam materiam audens sic judicatur, sed sicut qui adversus imperatorem manus extendens fœdat materiam, sine anima imperatoris, segregatam ab imperatore? Imago enim omnino si feriatur, ejus injuria imperatorem attingit, &c.

ANNO CHRISTI 787.

IN EADEM ACTIONE.

Cap 9. Reprehensio.

Quod infauste & præcipitanter sive insipienter Constantinus Constantiæ Cypri episcopus, dixit : Suscipio & amplector honorabiliter sanctas & venerandas imagines, & quæ secundum servitium adorationis, quæ substantiali & vivificatrici trinitati emitto. Et qui sic non sentiunt neque glorificant, a sancta catholica & apostolica ecclesia segrego, & anathemati submitto, & parti eorum qui abnegaverunt incarnatam & salvabilem dispensationem Christi veri Dei nostri emitto.

Responsio.

Ex prava revertentes hæresi, totis nisibus eorum, tentaverunt sanctæ catholicæ & apostolicæ in ipsorum confessione satisfacere ecclesiæ, & ideo talem adorationem se confessi sunt pro sacris imaginibus credere, qualis in definitione synodi constituta est inter cetera : Reordinari venerandas & sanctas imagines, quæ ex coloribus & metallo & cetera materia opportune habentur in sanctis Dei ecclesiis, in sacris vasis, & in vestibus, parietibus & tabulis domibusque & viis : quasque domini & salvatoris nostri Iesu Christi imagines, intemeratæ dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, pretiosorum angelorum, & omnium sanctorum, & justorum virorum. Quantum enim frequenter per imaginariam reformationem videntur, tantum & qui eas aspiciunt assurgunt ad * primæ formæ memoriam & dilectionem, & ut his osculum & honorabilem salutationem reddant, nequaquam autem secundum fidem nostram veram culturam, quæ decet solam divinam naturam, sed quemadmodum signo pretiosæ & vivificæ crucis, & sanctis euangeliis & ceteris sacris ornatis, &c. (Act. 7.) (* prototyporum)

IN ACTIONE SECVNDA.

Cap. 10. Reprehensio.

Quod Euthymius Sardensis episcopus a præfati Constantini errore non multum dissentit in eo quod ait : Ex toto corde suscipio venerandas imagines, cum condecenti honore & amplectibili adoratione. Illos enim qui aliter aut contrarie sentiunt, aut dogmatizant contra sanctas imagines, alienos catholicæ ecclesiæ deputans prædico, & hæreticos annuntio.

Responsio.

Ecce, ut supra diximus, secundum definitionem synodi confitentur se puram facere ecclesiæ catholicæ confessionem in eo, ubi iste ex toto corde se dicit suscipere venerandas imagines; & cum decenti honore & adoratione amplecti, ut superius in definitione synodi dictum est; Nequaquam secundum fidem nostram veram culturam, quæ decet solam divinam naturam, sed quemadmodum signo pretiosæ & vivificæ crucis, & sanctis euangeliis, & ceteris sacris ornatis. Et ideo dixit, cum condecenti honore; & promisit se contrarios catholicæ ecclesiæ hæreticos annuntiare.

IN ACTIONE QVARTA.

Cap 11. Reprehensio.

Quod nulla auctoritate vigeat, neque in ullo authenticorum librorum reperiatur, quod illi dicunt per imaginem cujusdam Polemonis quamdam ab adulterii perpetratione coercitam fuisse : quod quidem æquare nituntur miraculo, quod fimbria dominicæ vestis actum est, quam mulier contingens exoptatam recepit sanitatem.

Responsio.

In hoc capitulo qui hæc scripserunt, incrimi-

nari

ANNO CHRISTI 787.

nari moliuntur, & contradicere veritati nitun- A
tur. Quod probare nequaquam possunt de illis, quod æquare Polemonis miraculum auderent cum fimbria dominicæ vestis. In synodo vero miraculum imaginis Polemonis de sermonibus episcopi sancti Gregorii theologi, ubi de industria versum scripsit, ipsum ostensum est testimonium, & a Basilio Ancyræ, seu & a Tarasio patriarcha Constantinopolitano, simul & a Nicephoro episcopo Dyrrachii singulatim responsum est. Basilius quidem episcopus respondit: Sanctus Gregorius deiloquus pater mirabilem putavit imaginem Polemonis. Et patriarcha di- B
xit: Etenim castitas ex ea peracta est. Nisi enim vidisset imaginem prostituta Polemonis, nequaquam ab adulterio recessisset. Simulque & Nicephorus episcopus respondit: Mirabilis imago & digna valde nimis, quoniam potuit mulierem eruere de abominabilis ludibrii operatione. Et post hæc sic alius lector legit: Beati Antipatri episcopi Bostrorum ex sermone de fluxu sanguinis, ubi post multam explanationem, sanctus inquit: Adepta donum, titulum erexit Christo, divitias quidem medicis expendens, divitias vero reliquas offerens Christo. Et post hæc sic iterum separatim pro miraculo C
fluxuosæ mulieris patriarcha respondit: Sicut & imaginem quæ titulatur Christo eam offert, quemadmodum fluxuosa titulum. Similiter & Basilius episcopus respondit: Proprie dicere jubet, & suscipit prolixe qui faciunt imagines. Tamen vestra a Deo inspirata veridica excellentia, ipsam synodum legi facere potest in actione quarta, utrum sic est, an non.

IN ACTIONE SEXTA.

Tomo tertio.

Cap. 12. Reprehensio. Quod non pertineat ad imaginum adorationem, ut illi stultissime & irrationabiliter putant, quod per legislatorem scriptum est: *Ecce* D
Exod. 31. *vocavi ex nomine Beseleel filium Huri filii Hur de tribu Juda, & replevi eum spiritu sapientiæ & intelligentiæ ad perficiendum opus ex auro & argento: & dedi ei socium Ooliab filium Achisamech*, &c.

Responsio. Pro his firmissimis exemplis prædecessor noster sanctissimus dominus Gregorius secundus junior papa, in suo sacro concilio, (quod & in alio concilio prædecessoris nostri domini Stephani papæ, una cum sacerdotibus partium Franciæ atque Italiæ acto, susceptum & veneratum est) in eo ipso præsidente sanctissimo ac beatissimo quondam domino Gregorio papa per semetipsum, similiter dixit: Si contraria sentientibus, & irritas facere quærentibus antiquas patrum traditiones, salutis occurreret conversio, sufficerent utique ea, quæ superius a no- E
bis ex patrum testimoniis vel sacris dicta sunt documentis. Sed quia videmus, quod mœrentes dicimus, plerosque turbatis mentibus statuta conturbare ecclesiæ: ideo, fratres carissimi, extenditur sermo, & cupimus ad compescendam erroris insaniam adhuc ex veteribus documentis aliquid dicere: forsan resipiscent inquieti. In

Exod. 25. libro enim Exodi sic legimus: *Locutus est dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias; ab omni homine, qui offert ultroneus, accipietis eas. Hæc sunt autem quæ accipere debetis, & cetera per ordinem, usque ad duos cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quæ per te mandabo filiis Israel.* Nam & aliud protulit testimonium ex libro tertio Regum, ut sileant garrientes mandato Dei. A Salomone constructo templo, *Inter alia fecit in oraculo duos cherubim de lignis olivarum.* Et infra: *Et sculpsit in eis picturam cherubim, & palmarum species, & anaglypha valde prominentia, & texit ea auro: & operuit tam cherubim, quam palmas, & cetera auro.* Ecce, carissimi fratres, consideremus quid Deo mandante Moyses fecerit, quidve Salomon sapientissimus jussu construxerit divino, &c. Quanto debemus puro corde & animo sculptum Christum Deum nostrum, sanctamque semper virginem ejus genitricem Mariam, apostolos quoque, vel omnes sanctos Dei per eorum sacras effigies atque imagines colere vel adorare, & ad propitiandum nobis petere & relaxari delicta? Nos non ob aliud nomen imagines facimus & adoramus, sed pro nobis incarnato Verbo Dei. Si autem manufacta omnia abjicienda sunt, neque arca fœderis, neque aurei & cælati cherubim ejus, debuerunt recipi, quæ per Beseleel & Ooliab facta sunt juxta præceptum Dei. Si vero illa suscepta sunt, & hæ imagines opportune recipiuntur, quoniam secundum Deum fiunt. Unde & operantur, sicuti & arca, multa miracula. Nam & arca & cherubim, ut & hæ sine anima erant, & manufacta, & sculpta. Sed sicut illic per illa operabatur Deus & glorificabatur, ita & hæ simili modo secundum visiones & revelationes prophetarum coloribus distinctæ efficiuntur. Et ne aliquis propter adorationem, quæ a prædecessoribus nostris sanctissimis præsulibus promulgata est, oblatrare præsumat, sciat ipsos talem adorationem docuisse, qualem prædecessor noster sanctus Gregorius egregius doctor & papa in epistola sua, quam in prefato concilio domini Stephani pape Herulphus episcopus provincie Galliarum civitatis protulit, ubi inter cetera Secundinum servum Dei inclusum Galliæ docuit dicens: Scimus quia tu imaginem salvatoris nostri ideo non petis, ut pro Deo aut quasi Deum colas, sed ob recordationem filii Dei, ut in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre consideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, aut in throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet. Ideoque direximus tibi surtarias duas, imaginem salvatoris, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, beatorumque Petri & Pauli apostolorum continentes, per supradictum filium nostrum diaconum, & unam crucem, & clavem pro benedictione a sanctissimo corpore Petri apostolorum principis, ut per ipsum a maligno sis defensus, per cujus sanctum lignum munitum te esse credis, &c.

IN ACTIONE QUARTA.

Quod Theodosius Myrensis episcopus ridiculose & pueriliter egerit, qui ut imaginum adorationem adstrueret, somnia archidiaconi sui in eadem synodo retulit.

Cui dubium est quod & in vetere & in novo testamento pluribus per somnia futura revelata sunt? Sed ut de pluribus optimum unum memoremus, sancti Ambrosii Mediolanensis episcopi testimonium proferimus, qui in expositione sanctorum martyrum Gervasii & Protasii inter reliqua ait: Tertia vero nocte, confecto jejuniis corpore,

NO ISTI 7. corpore, non dormienti, sed stupenti quædam mihi apparuit tertia persona, quæ similis erat beato Paulo apostolo, cujus vultus me pictura docuerat, &c. Hoc testimonium a Sergio sanctissimo quondam archiepiscopo ecclesiæ Ravennatis per Ioannem diaconum suum in præfato concilio sanctæ recordationis domini Stephani prædecessoris mei pro sacrarum imaginum veneratione oblatum est.

Fu- a lau- Cæsa- rca fi- Item sancti Gregorii theologi in epitaphio Cæsarii fratris sui, inter cetera: Tunc Cæsarium meum videbo, nunquam abeuntem, nunquam remeantem, nunquam lamentatum, nunquam misertum, sed splendidum, gloriosum, excelsum, qualis mihi & in visione apparuisti. Hoc dilecte fratrum mihi, &c. Sed & sanctus Gregorius papa in dialogis suis meminit de quibusdam beatissimis viris, atque religiosis feminis, simulque puellis, quod sanctam Dei genitricem Mariam atque principes apostolorum Petrum & Paulum, & sanctos martyres viderint in transitu suo. Vnde eos cognoverunt nisi per picturam, sicut & beatus Ambrosius, ut superius exaravimus, dixit?

IN EADEM ACTIONE.

14. hen- Deliramentum errore plenum, quod de retruso quodam dixerunt, qui dæmoni jurasse, & ipsum juramentum irritum fecisse perhibetur: cujus abbas non mediocriter delirasse dignoscitur, dicens ei commodius esse omnia in civitate lupanaria ingredi, quam abnegare adorationem imaginis domini, aut ejus sanctæ genitricis.

fio. Hoc testimonium ex libro præcipui doctoris sancti Sophronii oblatum est, & nullus est, ut opinamur, inter orthodoxos Christianos, qui ejus deiloqua dogmata, vel quodlibet explanationis opusculum respuere auderet.

Item sancti Ioannis Chrysostomi in amputatione capitis sancti Ioannis Baptistæ, inter cetera: Oportebat enim eum non vetare venerationem sacrarum imaginum.

ad.2. Item in epistola sancti Gregorii papæ ad Ianuarium episcopum Calaritanum directa, vobis demonstrantes jam superius exaravimus.

IN ACTIONE SECVNDA.

en- Inutile & dementia prolatum, & risu dignum dictum Agapii Cæsareæ Cappadociæ episcopi reprehenditur in eo quod dixit: Scriptum est in nostris divinis scripturis.

fio. Divina scriptura pro salute hominum prædicari a fidelibus videtur. Et ideo extimamus quod dixisset: In nostris divinis scripturis, gloriam & decorem fideliter ex ipsis se habere desiderans, simulque ab eadem sacra scriptura se docente dicere, quemadmodum in sanctorum patrum opusculis scriptum est, &c. Sancti Augustini de proverbio Salomonis tractatu, inter cetera: Habent & ipsi sacramenta nostra, habent scripturas nostras, habent Amen & Alleluia nostrum; habent plerique symbolum nostrum, &c.

IN ACTIONE QVARTA.

3. en- Inutile & demens, & errore plenum dictum, quod dicunt: Qui Deum timet, honorat omnino, adorat & veneratur sicut Filium Dei Christum dominum nostrum, & signum crucis ejus, & figuram sanctorum ejus.

fio. Ex libro beati Augustini de filio Abraham ducto ad sacrificium, inter cetera: Non enim frustra moti estis, cum hoc dicerem: Crux cornua habet. Sic enim duo ligna compinguntur in se, ut spe- A ciem crucis reddant. Sicut ergo in imagine crucis multis locis videmus, ut fiant duo cornua, quibus infigantur manus, cornibus hærentem arietem crucifixum dominum video, &c. ANNO CHRISTI 787.

IN EADEM ACTIONE.

De eo quod idem Ioannes non recte dixit: Per imaginem, quæ per colores apparet, adoratur fortitudo ejus & glorificatur, & ad memoriam venimus de ejus in terra præsentia. Cap. 4. Reprehensio.

Item ex epistola S. Gregorii papæ, Secundino servo Dei incluso directa, inter cetera: Quod imaginem illius, quem colis, tibi dirigendam per B Dulcitium diaconum tuum rogasti, valde nobis tua postulatio placuit: quia illum in corde tota intentione quæris, cujus imaginem præ oculis habere desideras, ut visio corporalis quotidiana semper reddat exoptatum, & dum picturam vides ad illum animo inardescas, cujus te imaginem videre consideras, &c. Responsio. Libri 7. epist. 53.

IN ACTIONE QVINTA.

De eo quod dicunt: Ejusdem criminis reus est qui imagines spernit, cujus & Nabuchodonosor, qui ossa regum Iuda protulit e sepulcris, & Iudaici C regis oculos occisis filiis eruit, & cherubim de templo abstulit. Cap. 5. Reprehensio.

Iam per epistolam sancti Gregorii papæ superius exaravimus, qualiter imagines non sunt spernendæ, sed venerandæ. Vnde prædecessores nostri sæpius dicti sanctissimi pontifices in sacris conciliis talem dedere sententiam: Si quis sanctas imagines domini nostri Iesu Christi, & ejus genitricis, atque omnium sanctorum secundum sanctorum patrum doctrinam venerari noluerit, anathema sit. Responsio.

IN EADEM ACTIONE.

De eo quod secundum Demetrii diaconi dictum, incaute & inordinate parentes eorum egerunt, duos libros inargentatos, eo quod quiddam de imaginibus in his continebatur, comburentes, & alterius libri duo folia præciderunt. Cap. 6. Reprehensio.

D Hoc proprium hæreticorum factum demonstratur, quemadmodum in eorum pseudosyllogo sub quondam Constantino hæretico imperatore deliraverunt. Responsio.

Sancti Cyrilli ex epistola ad Successum episcopum Neocæsareæ, inter cetera: Deficientes adversus has increpationes machinati sunt aliquid amarum, & hæretica impietate dignum. Corrumpentes enim epistolam, & quędam auferentes, & quædam addentes ediderunt, ut putaretur memorabilem illum similia sentire Nestorio, & qui cum eo, &c. Circa finem.

Item sanctæ sextæ synodi in tertia actione, inter cetera: Sermo sanctæ memoriæ Mennæ archiepiscopi Constantinopoleos ad Vigilium beatissimum papam Romanum de eo quod una sit Christi voluntas. Exurgentes legati apostolicæ sedis Romæ, exclamaverunt: Piissime domine, falsatus est præsens liber quintæ synodi, &c.

Item fertur in ipsa sancta sexta synodo: Sancta sexta synodus dixit: Ecce & hoc testimonium sancti patris peremisti. Non congruit orthodoxis ita circumtruncatas sanctorum patrum voces deflorare: hæreticorum potius proprium hoc est. Macarius hæreticus dixit: Et jam dixi, quia quærens instabilire intentionem meam, hoc modo defloravi. Sancta synodus exclamavit: Hæreticum seipsum manifeste demonstravit, &c. Act. 8. post medium.

ANNO CHRISTI 787.

IN EADEM ACTIONE.

Cap. 7. Reprehensio. De eo quod in eodem libro in tabulis argenteis, Leontius a secretis imagines cernens, antiquissimam & ingeniosissimum sui erroris emolumentum se invenisse gloriatus est.

Responsio. Item ex eodem sancto sexto concilio inter cetera: Constantinus piissimus imperator, & sancta synodus dixerunt: Edicat Macarius, ut quid hæc necessaria sunt circumrecidit de testimonio sancti & probabilis patris? Macarius hæreticus dixit: Ego testimonia quæ defloravi, secundum proprium intentum defloravi. Et post pauca: Sancta synodus dixit: Ecce, benignissime domine, & hoc testimonium abscidit. Namque post testimonia per jussionem vestræ fortitudinis relegantur, ostendent defloratione ejus obumbrata, &c.

Act. 8. post medium.

Loco citato.

IN EPISTOLA IMPERATORIS.

Cap. 8. Reprehensio. De eo quod Constantinus & Irene in epistola sua venerabili papæ urbis Romæ scripserunt: Rogamus tuam paternitatem, & maxime Deus rogat, qui nullum hominem vult perire.

Responsio. In sancto euangelio ita ait dominus: *Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cibraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*, &c.

Luc. 22.

Item in epistola beati Pauli apostoli, inter cetera: *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.*

2. Cor. 5.

Item sancti Ioannis Chrysostomi in sermone de ascensione domini, inter cetera: Disce quod non nostra deprecatione, qui eum offenderamus, sed postulatu ejus, qui juste nobis fuerat iratus, pax facta est. *Pro Christo namque*, ait apostolus, *legatione fungimur, tamquam Deo rogante per nos.* Quid hoc est? Ipse rogat qui injuriam passus est? Valde inquit. Nam Deus clemens, & ipse tamquam misericors pater deprecatur. Et vide qui medius est, qui reconciliator accessit, non angelus, non archangelus, sed ipse filius deprecantis, &c.

Ibidem.

Homil. 5. circa finem. Item ejusdem sancti Ioannis Chrysostomi in interpretatione epistolæ ad Romanos, inter cetera: Quid enim post hæc? Iam non prophetas, jam non angelos, jam non patriarchas, sed ipsum misit Filium: & occisus est, & ipse veniens, & nec sic extinxit amorem, sed accendit amplius, & manet rogans. Et infra: Et clamat Paulus, dicens: *Pro Christo enim legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Et post pauca: Consideremus quoties eum injuria affecerimus post millia bona, cum tamen perstiterit rogans: quoties eum transgressi simus, cum tamen ipse non negligat nos, &c.

Ibidem.

IN ACTIONE QVARTA.

Cap. 9. Reprehensio. De eo quod præfatus Ioannes dixit: In hominis forma luctatus est cum ipso, & vocavit eum Israel, quod est interpretatum mens videns Deum.

Genes. 32.

Responsio. Ex libro sancti Gregorii theologi de deitate, inter cetera: Iacob enim scalam excelsam vidit. Et post pauca: Et quasi cum homine, Deo colluctabatur. Et post cetera: Et certamen pietatis translationem vocationis accepit, transnominatus pro Iacob Israel, &c.

Orat. 2. de theolog. post mediũ. Genes. 28. Genes. 35.

Item sancti Augustini de luctatione Iacob cum angelo, inter cetera Tenebat ergo & luctabatur, quasi cum carnali habitu Iacob amplecti volens, dicebat: *Dimitte me carnaliter, quia ecce jam mane est, ut spiritualiter illumineris*, &c.

IN EADEM ACTIONE.

Genes. Cap. Reprehensio. Quod non recte sentiant qui dicunt: Si secundum Moysis legitimam traditionem præcipitur populo, purpura hyacinthina in fimbriis in extremis vestimentis poni, ad memoriam & custodiam præceptorum, multo magis nobis per assimilatam picturam sanctorum virorum videre exitum conversationis eorum, & horum imitati fidem secundum apostolicam traditionem.

Exod. Hebr.

Responsio. Credimus quia incognitum non habetis illud quod sanctus Gregorius papa, ut superius exaravimus, in epistola sua dixit, & quia in locis venerabilibus sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit. Et quatenus iterum, dum super Ezechielem prophetam tractaret de distinctione sacri eloquii, adjunxit: Scriptura sacra cibus noster est & potus. Et post pauca: In rebus enim obscurioribus quæ intelligi nequeunt, nisi exponantur, cibus est: quia quidquid exponitur, ut intelligatur, quasi manditur ut glutiatur. In rebus vero apertioribus potus est. Potum enim non mandendo glutimus. Apertiora ergo mandata bibimus, quia etiam non exposita intelligere valemus, &c. Vnde & a prædecessoribus meis sanctissimis pontificibus in eorum sacris conciliis expositum est, de veteribus historiis inter plura promulgantibus: Si vero illa suscepta sunt, & hæ imagines opportune suscipiuntur, quoniam secundum Deum fiunt. Vnde & operantur, &c.

Lib. Hom. in

IN ACTIONE QVARTA.

Cap. Reprehensio. Quod non bene Ioannes presbyter senserit, qui ut imaginum adorationem adstrueret, dixit: Et Iesu Nave duodecim lapides statuit in Dei memoria.

Ios.

Responsio. In libro Iosue scriptum est: *Iosue vero scidit vestimenta sua, & cecidit pronus in terram coram arca domini usque ad vesperum, tam ipse quam omnis Israel, miseruntque pulverem super capita sua.* Et post pauca: *Dixitque dominus ad Iosue: Surge, cur jaces pronus in terra? Peccavit Israel, & prævaricatus est pactum meum.* Et iterum post pauca: *Surge, sanctifica populum, & dic eis: Sanctificamini in crastinum*, &c. Ecce prostratus ante arcam fœderis Iosue, exauditus est. Vnde mellifluus doctor sanctus Gregorius papa in epistola sua, de qua superius exaravimus, Secundino servo Dei in Galliis incluso directa, inter cetera monuit, dicens: Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante ipsam prosternimur, sed illum adoramus quem per imaginem aut natum, aut passum, aut in throno sedentem recordamur, &c.

Ios. Ibidem. Lib.

Cap. Reprehensio. Quod non sit æqualis adoratio, ut illi dicunt, Nathan prophetæ erga David regem, adorationi imaginum.

Responsio. Lib. Ex libro sancti Gregorii papæ super Iob, inter cetera: Ita cum in sacro eloquio sola historia aspicitur, nihil aliud quam facies videtur: sed si huic assiduo usu conjungimur, ejus nimirum mentem quasi ex collocutionis familiaritate penetramus. Dum enim alia ex aliis colligimus, facile in verbis agnoscimus, aliud esse quod intimant, aliud quod sonant. Tanto autem quisque notitiæ illius extraneus redditur, quanto in sola superficie ligatur, &c.

Item in eodem libro inquit: Quid per David qui manu fortis vel desiderabilis interpretatur, nisi redemptor noster accipitur? Quid per ejus donum, nisi ecclesia designatur? & post pauca: Inquisitio enim divinitatis domini, fons occultus est: apparitio vero incarnationis ipsius, fons patens. Quid autem per Ierusalem, quæ visio pacis accipitur, nisi

niſi eadem ſancta eccleſia demonſtratur? In ipſa enim mundi corde dominum contemplantur, de quo ſcriptum eſt: *Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit utraque unum*, &c.

Quod ſententia Ioannis Conſtantinopolitani, quam illi in teſtimonium adorandarum imaginum trahunt, non ad id quod illi putant pertinere dignoſcitur.

Multæ ſententiæ ſancti Ioannis Conſtantinopolitani in ſæpius nominata referuntur ſynodo, & qualis ex ipſis ſit, quæ non ad id quod putaverunt pertineat, ſiluerunt. Nam in prædeceſſorum noſtrorum ſanctorum pontificum conciliis ſancti Ioannis Chryſoſtomi ita fertur ſententia, inter cetera: Omnia tibi miniſtrant homini, magis autem imagini: quia & quando imperiales vultus & imagines in civitatem introeunt, obviant judices & ſenatus cum laude & timore, non tabulam honorantes, neque fuſæ ceræ ſcripturam, ſed vultum imperatoris: ſic & mundi hominum non terrarum ſpeciem honorantes, ſed cæleſtem vultum veneremur, &c.

IN ACTIONE QVARTA.

Quod judices, qui in præfata ſynodo fuerunt, inſolenter & incongrue artem pictoriam extollere conati ſunt, dicentes: Pia eſt enim ars pictoris, & non recte eam quidam inſipienter detrahunt. Ipſe enim Pater pictorem pie agentem commendat.

Beatum Aſterium toto oriente ſanctum habent, & dum de geſtis ſanctæ Euphemiæ ſermonem feciſſet, laudavit ejus martyrium, ſicut per ordinem viderat illud liquidius pictum. Et ideo ſimiliter & illi ipſam laudaverunt picturam adverſus hæreticos, dicentes quia inſipienter eam detrahunt. Sancti Gregorii theologi in ſermone de beato Gregorio Nyſſeno, inter cetera: Putas ergo ſufficiunt hæc, aut & breviter virum nobis ſermo deſcribet? Si oportet, quemadmodum ſtudioſi pictores multoties committentes colores, ut perfectiorem vobis ſermonis formam addam, & deſcribam vobis puriſſimum & manifeſtiſſimum, &c.

Item ſancti Ioannis Chryſoſtomi in ſermone in cœna domini, inter cetera: Nam ſicut pictores pingendam tabulam veſtigiis quibuſdam obumbrare conſueverunt, & ſic colorum varietate perficere, ita & Chriſtus fecit. In menſa & typi paſcha deſcribit, & paſcha veritatis oſtendit, &c.

Item ex libro ſancti Auguſtini de Proverbio Salomonis, inter cetera: *Os noſtrum patet ad vos, o Corinthii.* Os ſuum aperuit attente, & ordinem poſuit linguæ ſuæ, laudans creaturam tamquam creaturam, creatorem tamquam creatorem, angelos tamquam angelos, cæleſtia tamquam cæleſtia, terreſtria tamquam terreſtria, &c.

IN EADEM ACTIONE.

Inutile & mendacio plenum dictum Ioannis preſbyteri & legati orientalium, dicentis: Non contraeunt pictores ſcripturis, ſed quidquid ſcriptura dicit hæc demonſtrant, quatenus concordes ſint ſcripturis.

Iam ſæpius ſuperius exaravimus, qualiter per ſacram epiſtolam ſuam, Sereno epiſcopo Maſſilienſi directam, ſanctus Gregorius eximius doctor & papa, inter cetera docuit: Ac deinde ſubjungendum, quia picturæ imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi factæ fuerant, ut neſcientes literas, ipſam hiſtoriam intendentes, quid dictum ſit diſcerent, &c.

Item ſancti Ioannis Chryſoſtomi in interpretatione pſalmi 50. cujus initium: Pictores imitantur arte naturam, & colores coloribus permiſcentes, viſibiles corporum depingunt imagines. Et poſt pauca: Et imperatorem ſedentem, & barbarum ſubditum, & gladium acutum, & fluvios decurrentes, & campos variis coloribus adornatos, & omnia quæ videntur per artem imitantes, mirabilem hiſtoriam videntibus præſtant, &c.

IN ACTIONE QVINTA.

Et inventum eſt in quarta.

Falſiſſimum & omni ridiculo dignum dictum Ioannis preſbyteri, qui non minus ceteris in imaginum adoratione inſaniſſe dignoſcitur. Ait enim: Qui adorat imaginem, & dicit, quoniam hic eſt Chriſtus Filius Dei, non peccat. Cap. 16. Reprehenſio.

Sancti Auguſtini in pſalmi 86. explanatione, inter cetera: Anguſtias enim omnia pene corpora patiuntur, nec ubique eſſe poſſunt, nec ſemper. Divinitas autem quæ ubique præſto eſt, undique ad eam poteſt duci ſimilitudo, & totum poteſt eſſe in ſimilitudinibus, quia nihil eorum eſt in proprietatibus. Numquid Chriſtus eſt janua, quemadmodum videmus januas factas a fabro? non utique, & tamen dixit: *Ego ſum janua.* Aut numquid ſic eſt paſtor, quomodo videmus paſtores iſtos præpoſitos pecorum, &c. Reſponſio. Poſt principium. Ioan. 10.

EX SENSV.

Quod illi libri, Vitæ patrum, quorum auctores ignorantur, non prorſus idonei ſint ad teſtimonia danda, & ad hæc quæ in contentionem veniunt confirmanda. Cap. 17. Reprehenſio.

Item ex libro ſancti Auguſtini de quæſtionibus in euangelio ſecundum Lucam, inter cetera: Vaſa ejus in domo, ſunt ſenſus carnales quibus ad inveſtigandam veritatem, quæ intellectu capitur, multi utentes penitus erraverunt, &c. Vitæ enim patrum ſine probabilibus auctoribus minime in eccleſia leguntur. Nam ab orthodoxis titulatæ & ſuſcipiuntur & leguntur. Magis enim paſſiones ſanctorum martyrum ſacri canones cenſuerunt, ut liceat eas etiam in eccleſia legi, cum anniverſarii dies eorum celebrantur. Reſponſio. Quæſt. euang. lib. 2. quæſt. 42.

Quod non bonam habeant memoriam, qui ut non obliviſcantur ſanctorum, vel certe ipſius domini, idcirco imagines erigunt. Cap. 18. Reprehenſio.

Ex commentario ſancti Hieronymi in Matthæum euangeliſtam, inter cetera: Iſtiuſmodi homines dum volunt alterius imperitiam reprehendere, oſtendunt ſuam. Quamvis enim tenuis humor & liquens eſca, tamen cum in venis & artubus concocta fuerit & digeſta, per occultos meatus corporis, quos Græci πόρους vocant, ad inferiora delabitur, & in ſeceſſum vadit, &c. Reſponſio.

Item ſancti Auguſtini in interpretationem pſalmi 98. inter cetera: Sion dicta eſt civitas, quæ eſt Ieruſalem: dicta autem ex interpretatione quadam nomen accipiens, quia Sion ſpeculatio dicitur, id eſt viſio & contemplatio. Speculari enim proſpicere eſt, vel conſpicere, vel intendere, ut videas. Eſt autem Sion omnis anima, ſi intendit videre lucem quæ videnda eſt. Nam ſi ad ſuam attenderit, tenebratur: ſi ad lucem illius attenderit, illuminatur. Quia tamen manifeſtum eſt Sion civitatem Dei eſſe; quę eſt civitas Dei niſi ſancta eccleſia? &c. Ante medium.

ANNO CHRSITI 787. Cap. 19.

INTEROGATIO.

Vt scientes non faciant, ubi in veteri vel novo testamento, aut in sex synodalibus conciliis jubeatur imagines facere, vel factas adorare.

RESPONSIO.

Nos quidem infra scientes facimus, sicuti jam fecimus, quia & in veteri & in novo testamento, sive in sex synodalibus conciliis semper venerandæ ' faciunt sacræ imagines, & factæ inter sancta sanctorum titulabantur. Nam illi nobis dicere debebant, in quali de ipsis sex synodalibus conciliis reprehensæ sint sacræ imagines. Enimvero in primo sancto concilio sæpius ostensum est, quia sanctus Silvester papa, & Constantinus Christianissimus imperator venerati sunt sacras imagines, & cum nomine Christianitatis palam coram omnibus fideliter atque mirabiliter eas ostenderunt, & a tunc usque hactenus sanctorum pontificum videlicet Silvestri, Marci & Iulii miræ magnitudinis sanctæ eorum ecclesiæ apud nos sunt depictæ, tam in musivo, quamque in ceteris historiis cum sacris imaginibus ornatis. Item in sancto secundo concilio sanctus Damasius elegantissimus papa propriam suam fecit ecclesiam, cujus sanctus Gregorius papa meminit in dialogis, quæ ex nomine conditoris Damasi vocatur: similiter a tunc usque hactenus historiis sacris & imaginibus pictam habemus. Iterum & de sancto tertio concilio, sanctus Cælestinus papa proprium suum cœmeterium picturis decoravit. Magis autem successor ejus beatus Sixtus papa fecit basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ cognomento Majorem, quæ & Ad præsepe dicitur. Simili modo & ipse tam in metallis aureis, quamque in diversis historiis, sacris decoravit imaginibus. Sed & per rogatum ejus. Valentinianus Augustus fecit imaginem auream cum duodecim portis & salvatore, gemmis preciosis ornatam, quam voto gratiæ super confessionem beati Petri apostoli posuit, & a tunc usque hactenus apud nos ab omnibus fidelibus venerantur. Itemque de sancto quarto concilio, egregius atque mirificus prædicator sanctus Leo papa & ipse fecit ecclesias, quas in musivo & diversis historiis seu imaginibus pingens decoravit. Magis autem in basilica beati Pauli apostoli, arcum ibidem majorem faciens, & musivo depingens salvatorem dominum nostrum Iesum Christum, seu vigintiquatuor seniores, nomine suo versibus decoravit: & a tunc usque hactenus fideliter a nobis venerantur. Et de sancto quinto concilio sanctissimus Vigilius papa in Lateranensi patriarchio basilicam faciens, pulcerrime eam decoravit picturis, tam in historiis, quamque in sacris imaginibus: Multo amplius vero ejus sanctissimi successores dominus Pelagius atque dominus Ioannes miræ magnitudinis ecclesiam apostolorum a solo ædificantes historias diversas tam in musivo, quam in variis coloribus cum sacris pingentes imaginibus, & a tunc usque hactenus a nobis venerantur. Sed & sanctus Gregorius papa in monasterio suo pulcrum fecit oratorium, & ipsum diversis historiis pingi fecit, atque sacras ibidem erexit imagines: ubi & cum beato Eleutherio pro ægritudine stomachi sui ingressus, in oratione pariter exauditi sunt. Et ille vir sanctus Eleutherius, quem dicunt & mortuum suscitasse, ante ipsas sacras imagines se prosternens, divinam exorare clementiam cum sancto Gregorio non dubitavit: sed fidem ferentes perfectam, pariter exauditi sunt, & usque hactenus apud nos venerantur. Sed & ecclesia Arianorum, cujus ipse sanctus Gregorius in dialogis suis meminit, placuit eidem sancto Gregorio, ut in fide catholica, introductis illic beati Sebastiani & sanctæ Agathæ martyrum reliquiis, dedicari debuisset, quod & factum est. Et post miraculum, quod in eadem ecclesia factum est, diversis historiis ipse beatus Gregorius pingi fecit eam, tam in musivo quam in coloribus, & venerandas imagines ibidem erexit: & a tunc usque hactenus venerantur. Si enim voluerimus enarrare per ordinem nostri prædecessores pontifices quantas ecclesias fecerunt usque nunc, mirifice in eis sacras imagines erigentes, atque diversas historias pingentes, nec non & venerantes, apostolice audemus dicere, deficiet nos tempus enumerandi, atque eorum ædificia cum sacris imaginibus & historiis explanandi. In sexto vero sancto concilio non solum contemnere non sunt ausi, sed etiam easdem sacras imagines venerantes statuerunt, agnum Christum Deum nostrum secundum humanam figuram, & in imaginibus a nunc pro veteri agno retitulari. Quapropter, sanctus Ambrosius Mediolanensis episcopus in libro tertio de fide, inter cetera pro hujusmodi docuit: Servemus ergo præcepta majorum, nec hereditaria signacula ausi rudis temeritate violemus. Librum signatum illum propheticum non seniores, non potestates, non angeli, non archangeli aperire ausi sunt: soli Christo explanandi ejus prærogativa servata est. Librum sacerdotalem quis nostrum resignare audeat, signatum a confessoribus, & multorum jam martyrio consecratum? Quem qui resignare coacti sunt, postea tamen damnata fraude signarunt. Qui violari non ausi sunt, confessores & martyres extiterunt Quomodo fidem eorum possumus denegare, quorum victoriam prædicamus? Nemo metuat, nemo formidet, &c. Si vero hæretici sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam non oppugnassent, sancta sex synodalia concilia necesse fieri non fuisset. Similiter si a Leone & Constantino hæreticis imperatoribus ipsa sancta catholica & apostolica ecclesia pro sacris imaginibus non fuisset oppugnata, prædecessores mei sanctissimi pontifices concilia nequaquam fecissent, neque nos postmodum fieri annueremus, nisi pro tot millibus animarum, quæ in hæresi manentes, & quotidie in eam deficientes, in laqueo periclitabantur diaboli. Sicut enim in sancta quarta synodo definitum est, pro vera fide dicentibus ita: Quam nos a nostris majoribus traditam debemus cum omni competenti devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis beato apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare; quatenus beatissimus Romanæ civitatis episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide & sacerdotibus judicare. Et ideo prædecessor noster sanctissimus Gregorius junior papa, scribens ad Leonem & Constantinum hæreticos imperatores: Pro sacris imaginibus, inquit, omnia & ipsa nostra tradimus, si contigerit, corpora. Nam nunquam novitatem recipimus, aut a religione paterna ulla declinamus ratione. Divina enim vox interminatur, quæ per omnia debet præcaveri: *Si totum mundum quis lucretur, & animæ suæ faciat detrimentum, lucratus est nihil.*

' fuerunt

Greg. lib. 3. dial. c. 33.

Item

Item & in alia sua epistola pro ipsis sacris imaginibus rationabiliter eos increpans, inter cetera dixit: Legitur namque dixisse quidam doctissimus ac venerabilis pater, quia duo sunt, quibus principaliter hic regitur mundus, auctoritas videlicet sacrata pontificum, & regalis potestas. In quibus tanto gravius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. Et idcirco nequaquam nos quispiam terminos patrum nostrorum transgredi facere valebit, neque novitates vocum imponere: sed in ea orthodoxa fide, quam suscepimus, manentes, & olitanam traditionem amplectentes, prædecessorum nostrorum sanctissimorum pontificum procul dubio veneramur & tenemus pro sacris imaginibus concilia, nullum quemlibet jam exinde contrarium sermonem suscipientes, neque rationem reddentes. Nam sanctus Gregorius mellifluus doctor in homilia super Ezechielem prophetam, dum de intellectu sacri eloquii per temporum incrementa pollente tractaret, adjunxit:
2. *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.* Sancti patres, quos per sacram scripturam cognoscimus, ante legem quidem in unius Dei cognitione salvati sunt, perfectam vitæ simplicis obedientiam habentes, & sæpe videndo angelos, jam aliquid de contemplatione tangentes. Data autem lege, sancti patres etiam in decem sunt mandatis eruditi, ut per cognitionem unius Dei, etiam in legis se operibus exercerent. Superveniente autem gratia per testamentum novum, omnis fidelis populus unum Deum Trinitatem esse cognovit, & virtutem decalogi in ejus agnitione complevit. Vnde sciendum nobis est, quia & per incrementa temporum crevit scientia spiritalium patrum. Plus namque Moyses quam Abraham, plus prophetæ quam Moyses, plus apostoli quam prophetæ in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt. Fallor, si hæc ipsa scripturæ testi-
2. moniis non affirmo. *Pertransibunt*, inquit, *plurimi, & multiplex erit scientia.* Sed hæc eadem quæ de Abraham, Moyse, prophetis & apostolis diximus, ex ejusdem scripturæ verbis, si possumus, ostendamus. Quis enim nesciat, quia Abraham cum Deo locutus est? & tamen ad Moy-
3. & sen dominus dicit: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob: & nomen meum Adonai non indicavi eis.* Ecce plus Moysi quam Abrahæ innotuerat, qui illud de se Moysi, indicat, quod se Abrahæ non indicasse narrabat. Sed videamus, si prophetæ plus quam Moyses divinam scientiam apprehendere potuerunt. Ec-
128. ce psalmista dicit: *Quomodo dilexi legem tuam domine? tota die meditatio mea est.* atque subjungit: *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.* Et iterum: *Super seniores intellexi.* Qui ergo legem meditari se memorat: & super omnes docentes se ac super seniores intellexisse testatur, quia divinam scientiam plus quam Moyses acceperat, manifestat. Quomodo autem ostensuri sumus, quia plus sancti apostoli edocti sunt quam prophetæ? Certe
10. veritas dicit: *Multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ videtis, & non viderunt.* Plus ergo quam prophetæ de divina scientia noverunt, quia quod illi in solo spiritu audierant, ipsi etiam corporaliter videbant. Impleta itaque est ea,
12. quam diximus, Danielis sententia: *Quia pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.* Quanto enim mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus largius aperitur, &c.

Item sancti Gregorii super Iob, inter cetera: Sancti quippe doctores, qui ad virtutem & alios instruunt, hostes devorant, dum eos intra corpus suum per vim conversionis immutant: quos lapidibus fundæ subjiciunt, quia dum fortes quosque in sancta ecclesia viros instituunt, per eos adversariorum superbientium pectora dura confringunt. Quid namque per fundam, nisi sancta ecclesia figuratur? Funda namque dum in gyrum mittitur, sicut de illa lapides exeunt, quibus adversariorum pectora feriantur, ita sancta ecclesia dum volubilitate temporum per tribulationum circumitum ducitur, fortes ex illa viri prodeunt, quibus quasi lapideis ictibus iniquorum corda tundantur. Lib. 4. c. 10.

IN ACTIONE SEPTIMA.

Quanta ratione mysterium dominicæ crucis ab imaginibus distet, quas quidem illi eidem æquiparare contendunt. Cap. 26. Reprehensio.

Sancti Ambrosii Mediolanensis episcopi ex libro de incarnatione, inter cetera: Numquid cum & divinitatem ejus adoramus & carnem, Christum dividimus? Numquid cum in eo imaginem Dei crucemque veneramur, dividimus eum? apostolus certe qui de eo dixit: *Quoniam etsi crucifixus est ex infirmitate, vivit tamen ex virtute Dei:* ipse dixit: *Quia non divisus est Christus*, &c. Responsio. Cap. 7. 1. Cor. 13. 1. Cor. 1.

Item ejusdem sancti Ambrosii ex libro primo de fide, inter cetera: Imaginem apostolus dicit, & Arius dicit esse dissimilem? Cur imago, si similitudinem non habet? In picturis nolunt homines esse dissimiles, & Arius dissimilem Patrem contendit in Filio. Et post pauca: Prophetæ dicunt: *Splendor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius*, &c. Lib. 1. c. 4. Sap. 7.

Item ex epistola sancti Gregorii papæ Leontio exconsuli missa, inter cetera: Oleum quippe sanctæ crucis & aloes lignum suscepimus: unum, quod tactu benedicat; aliud, quod per incensum bene redoleat. Decebat igitur, ut bonus vir ea transmitteret, quæ iram nobis domini placare potuissent. Et post pauca: Præterea benedictionem vobis sancti Petri apostolorum principis, clavim sacratissimi sepulcri ejus, in qua benedictio de catenis illius est inserta, transmisimus: ut quod ejus collum ligavit ad martyrium, hoc vestrum ab omnibus peccatis solvat. Lib. 7. epist. 34.

IN FINE LIBRI.

De eo quod Constantinus & Irene in suis scriptis aiunt: Per eum, qui corregnat nobis Deus. Cap. 21. Reprehensio.

Ex proverbiis Salomonis, inter cetera: *Meum est consilium & æquitas, mea prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo.* Et post plurima: *Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus ejus*, &c. Responsio. Prov. 8.

IN ACTIONE QVARTA.

De eo quod non bene intelligant hoc: quod dictum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies:* ut adorationem quasi absolute diceret, & servitium ipsi soli dixisset. Cap. 22. Reprehensio.

Sancti Ambrosii Mediolanensis episcopi ex libro Responsio.

ANNO CHRISTI 787.

bro de fide quinto, inter cetera: Cum legimus, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies:* utrum Christum non adorandum, & Christo non existiment serviendum? Quod si illa, quæ adoravit eum, Chananæa impetrare meruit quod poposcit, & Paulus apostolus, qui servum se Christi prima scriptorum suorum præfatione profitetur, apostolus esse meruit, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum: dicant quid arbitrentur sequendum: utrum cum Ario malint sibi societatem esse perfidiæ, ut solum & verum Deum Christum negando ostendant, quia nec adorandum eum, nec serviendum ei judicent: an vero consortium malint habere cum Paulo, qui serviendo atque adorando etiam Christum, utique solum verum Deum voce affectuque non diffitebatur, quem pio servitio fatebatur? Quod si quis dicat, Quoniam Deum patrem adoret & filius, quia scriptum est: *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus:* consideret quando, & apud quem, & cujus suscepto loquatur affectu, &c.

Matth. 16. Rom. 1. Gal. 1. Ioan. 4.

IN EADEM ACTIONE.

Cap. 23. Reprehensio. Quod cum Deus illocalis sit, illi minus docte dixerint: Veneramur & adoramus sicut locum Dei.

Responsio. post principium. Beati Augustini in explanatione psalmi 86. inter cetera: *Fundamentum*, inquit apostolus, *nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Quomodo ergo fundamenta prophetæ & apostoli? & quomodo fundamentum Christus Iesus, quo ulterius nihil est? Quomodo putamus, nisi quemadmodum aperte dicitur sanctus sanctorum, sic figurate fundamentum fundamentorum? Si ergo sacramenta cogites, Christus sanctus sanctorum: si gregem subditum cogites, Christus pastor pastorum: si fabricam cogites, Christus fundamentum fundamentorum. Et post pauca: Divinitas autem, quæ ubique præsto est, undique ad eam duci potest similitudo, & totum potest esse in similitudinibus, quia nihil horum est in proprietatibus, &c.

1. Cor. 3. Daniel. 9.

Lib. 2. c. 17. Item ejusdem sancti Augustini ex libro secundo de Trinitate, inter cetera: Quid enim sibi vult quod ait dominus: *Ecce locus est penes me, & stabis super petram?* Quis locus terrenus est penes dominum, nisi hoc est penes eum, quod eum spiritaliter attingit? Nam quis locus non est penes dominum: *qui attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter?* &c.

Exod. 33. Sap. 8.

Item sancti Ioannis Chrysostomi de sermone sancti Pauli apostoli, ubi ait: *Nonquod volo, hoc ago:* & quoniam Iacob figura factus est Christi, inter cetera: Venit in medio fluminum, & ut vidit somnium, dixit: *Non est hic aliud, nisi domus Dei.* Etenim non vidisti ædificium, sed scalam. Sed quoniam sciebat quia scala figura est ecclesiæ, dicebat: *Hæc domus Dei*, hæc ecclesia est. Et unde hæc domus Dei ecclesia est, dicit Paulus Timotheo hæc scribens: *Spero venire ad te cito. Si autem tardavero, ut scias quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei vivi*, &c.

Rom. 7. Genes. 28. 1. Tim. 3.

IN EADEM ACTIONE.

Cap. 24. Reprehensio. Quod enim " habeo quod dicitur Salomon in templo fecisse boves, & leones, imaginum adoratio firmari possit, ut illi dicunt, qui in earum adorationem anhelant. Sive illud quod in Ezechiele scriptum est: *Facies & cherubim usque ad cameram.*

" ab eo quod

Iam sæpius hæc invenientes capitula exaravimus, qualiter ea prædecessores nostri sanctissimi pontifices in eorum sacris referentes conciliis pro venerandis imaginibus constituere; & nimirum constat eorum apostolicam censuram apud nos observandam ac venerandam existere. Item ex libro sancti Augustini de psalmo 84. inter cetera: In veteri testamento figurabatur novum testamentum, nonnulla figuraverat hæc expressio veritatis. In illa autem figura secundum quamdam prænuntiationem futurorum data est illi populo " terraque dicta promissionis, &c. Item ex libro sancti Augustini de quæstionibus in euangelium secundum Lucam, inter cetera: Quid est quod dicit dominus: *Qui fuerit in tecto, & vasa ejus in domo, non descendat tollere illa.* In tecto est, qui " excidens carnalia tamquam in aura libera spiritaliter vivit. Et post pauca: Hujus ergo spiritalis viri jam vasa ista vacant in domo, quia mente corpori supereminens, per aciem intelligentiæ tamquam in tecto positus, perspicuitate sapientiæ veluti cælo apertissimo fruitur, &c.

ANNO CHRISTI 787. Ezech. Resp. " te quæ Quest. euang. 2. quæst. tom. Luc. " ex

Ultimum capitulum est, ut sciat domnus apostolicus & pater noster, & cuncta simul Romanorum ecclesia, ut secundum quod continetur in epistola beatissimi Gregorii, quam ad Serenum Massiliensem episcopum direxit. Permittimus imagines sanctorum, quicumque eas formare voluerint, tam in ecclesia, quamque extra ecclesiam propter amorem Dei & sanctorum ejus. Adorare vero eas nequaquam cogimus, qui noluerint. Frangere vel destruere eas, etiamsi quis voluerit, non permittimus. Et quia sensum sanctissimi Gregorii sequi in hac epistola universalem catholicam ecclesiam Deo placitam indubitanter libere profitemur.

Cap. Lib. epistola

Hoc sacrum & venerandum capitulum multum distat a totis supradictis capitulis. Et idcirco eum agnovimus vestræ a Deo servatæ orthodoxæque regalis excellentiæ esse proprium, in eo ubi rectæ fidei plena penitus confessa est sensum sanctissimum Gregorii sequi. Meminit enim vestra prærectissima regalis præexcelsa scientia, qualiter in ipsa sancti Gregorii papæ epistola Sereno episcopo Massiliensi directa, fertur inter cetera contineri, ubi eumdem episcopum increpans inquit: Aliud enim est picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid est adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa etiam ignorantes vident quod sequi debeant, in ipsa legunt qui literas nesciunt. Unde præcipue gentibus pro lectione pictura est; quod magnopere a te, qui inter gentes habitas, attendi debuerat. Et post pauca: Et quia in locis venerabilibus sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit. Et intervallo: Quia picturas imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, ut nescientes literas ipsam historiam intendentes, quid actum sit discerent. Iterum post pauca: Sed hoc solicite fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant: & in adorationem solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur. Simili modo & de alia sua epistola Ianuario Calaritano episcopo directa pro sacrarum imaginum veneratione, breviter superius exaravimus. Sed & de epistola Secundino servo

Resp. Loco cito. Lib. 7. indict.

servo Dei incluso Gallias directa, similiter intimavimus, ubi in ea ita fertur: Imagines enim, quas nobis tibi dirigendas per Dulcitium diaconum tuum rogasti, misimus. Valde nobis tua postulatio placuit, quia illum in corde tota intentione quæris, cujus imaginem præ oculis habere desideras: ut visio corporalis quotidiana te semper reddat exercitatum, ut dum picturam vides, ad illum animo ardescas, cujus tu imaginem videre desideras. Et post pauca: Scimus quia tu imaginem salvatoris nostri ideo non petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre desideras: & nos quidem non quasi ante divinitatem ante ipsas prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, aut in throno sedentem recordamur. Et dum nos ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam Filii Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet. Ideoque direximus tibi surtarias duas continentes imagines salvatoris, sanctæ Dei genitricis Mariæ, beatorumque apostolorum Petri & Pauli per supradictum filium nostrum diaconum, & unam crucem & clavem pro benedictione, ut ab ipsa a maligno defensus permaneas, cujus signo te esse munitum credis, &c. Et quoniam in his vestrum a Deo inspiratum regalem orthodoxum sensum memorandum est etiam & docendum, qualiter sanctus Gregorius papa Sereno episcopo docuit, de sacris imaginibus, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant; hoc est easdem sacras imagines aspicientes in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur. Eo ipso tenore Secundino servo Dei incluso, inquit: Ideo enim petis, ut non quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore calescas, cujus imaginem te videre desideras: & nos quidem non quasi ante divinitatem ante ipsas prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, aut in throno sedentem recordamur. Sicut vero innuit Sereno episcopo, aspicientem sacras imagines in adorationem humiliter se prosterni solius omnipotentis sanctæ Trinitatis, sic & Secundino incluso servo Dei docuit, non quasi Deum colere, sed ante easdem sacras imagines se prosternens, non quasi ante divinitatem, ante ipsas prosterni; sed prosternente illum adorare, quem per imaginem aut natum, aut passum, aut in throno sedentem recordamur. Ita vero & nos eumdem ipsum irreprehensibilem & orthodoxum sensum sancti Gregorii papæ sequentes & amplectentes dudum, Irene & Constantino imperatoribus pro sacris imaginibus prædicandis erectione, emisimus dicentes: Quia in universo mundo, ubi Christianitas est, ipsæ sacræ imagines permanentes, ab omnibus fidelibus honorantur, ut per visibilem vultum ad invisibilem divinitatis majestatem mens nostra rapiatur spirituali affectu pro contemplatione figuratæ imaginis secundum carnem, quam Filius Dei pro nostra salute suscipere dignatus est; eumdem Redemptorem nostrum, qui in cælis est, adoramus, & in spiritu glorificantes collaudamus: quoniam, juxta ut scriptum est, *Deus spiritus est*; & ob hoc spiritaliter divinitatem ejus adoramus. Nam absit a nobis, ut ipsas imagines, sicut quidam garriunt, deificemus: sed affectum & dilectionem nostram,

A quam in Dei amorem & sanctorum ejus habemus, omnimodo proferimus: & sic divinæ scripturæ libros, ipsas imagines ob memoriam venerationis habemus, nostræ fidei puritatem observantes, & reliqua. Quidquid namque de sanctis patrum opusculis aliquantula ibidem exaravimus testimonia, in eodem sensu atque tenore; ut præsentem diximus, cum prædecessore nostro sancto Gregorio papa, eumdem sensum fidei tenentes, emisimus prædicantes. Illi vero, ut nobis missi nostri, videlicet Petrus archipresbyter sanctæ nostræ Romanæ ecclesiæ, Petrus religiosus presbyter & abbas venerabilis monasterii sancti Sabæ viva voce dixerunt, statim nostras apostolicas amplectentes syllabas, concilium fieri jusserunt. Sed ab hæreticis seditione facta in Sicilia insula missi nostri sine responso reversi sunt: & demum post eos mittentes iterum Constantinopolim eos ascendi fecere. Et sic synodum istam secundum nostram ordinationem fecerunt: & in pristino statu sacras & venerandas imagines erexerunt. Et sicut de imaginibus, sancti Gregorii '' sensum & nostrum continebatur: ita & ipsi in eadem synodo definitionem confessi sunt, his osculum & honorabilem salutationem reddidere; nequaquam secundum fidem nostram, veram culturam, quæ decet soli divinæ naturæ. Insuper & pseudosyllogum illud quod ab hæreticis factum est C sub Constantino hæretico imperatore anathematizantes, cum eorum sequacibus atque complicibus damnaverunt; ad fidem orthodoxam sanctæ catholicæ & apostolicæ reversi ecclesiæ, per libellos eorum fecerunt rectæ fidei confessionem. Et ideo ipsam suscepimus synodum: nam si eam minime recepissemus, & ad suum pristinum vomitum erroris fuissent reversi, quis pro tot millium animarum Christianorum interitu habuit reddere rationem ante terribile tremendum divini judicis examen, nisi nos solummodo? Si enim super unum peccatorem pœnitentiam agentem gaudium factum est in cælis, quanto magis de tot millibus Christia- D norum, qui sunt ab errore reversi, quis non gaudeat? & cum psalmista canat: *Accedite ad eum & illuminamini, & vultus vestri non erubescent*, & reliqua. Nos vero adhuc pro eadem synodo nullum responsum hactenus eidem imperatori reddidimus; metuentes ne ad eorum reverterentur errorem. Dudum quippe quando eos pro sacris imaginibus erectione adhortati sumus, simili modo & de diœcesi tam archiepiscoporum, quam & episcoporum sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ commonentes quæsivimus restituere eidem sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ, quæ tunc cum patrimoniis nostris abstulerunt, quando sacras E imagines deposuerunt, & nec responsum quodlibet exinde dederunt: & in hoc ostenditur, quia ex uno capitulo ab errore reversis, ex aliis duobus in eodem permaneant errore. Si enim ubique Christianorum ecclesiæ canonicæ intactas suas possident diœceses; quanto amplius sancta catholica & apostolica Romana ecclesia, quæ est caput omnium Dei ecclesiarum, sua diœcesi, videlicet archiepiscoporum & episcoporum, imo & patrimonia pro luminarium concinnatione atque alimoniis pauperum irrefragabili jure & tenere & possidere modis omnibus debet? Vnde si vestra annuerit a Deo protecta regalis excellentia, eodem adhortamur impetu pro sacris ima-

ANNO CHRISTI 787.

'' Hic & in tota hac epistola multa videntur corrupta quæ mss. codd. desiderant.

Luc. 15.

Psal. 33.

Anno Christi 787.

ginibus, in pristino statu erectione gratiam agentes. Sed de diœcesi sanctæ nostræ Romanæ ecclesiæ tam archiepiscoporum quam episcoporum seu de patrimoniis iterum increpantes commonemus, ut si noluerit ea sanctæ nostræ Romanæ ecclesiæ restituere, hæreticum eum pro hujusmodi erroris perseverantia esse decernemus. Plus enim cupimus salutem animarum & rectæ fidei stabilitatem conservare, quam hujusmodi habitum mundi possidere. De vero vestra prærectissima a Deo protecta excellentia orthodoxæ fidei stabilitate roborata freti existimus, quia radix ejus firmissima a pravis & infidelibus hominum unquam concutitur vel movetur; sed in ea, quæ cœpit rectæ fidei traditionis doctrina spiritualis B matris suæ sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ tenere & amplecti, incunctanter usque in sæculum sæculi sine reprehensione manere credimus: & ideo confidimus de Dei nostri potentia, quia quantum erga beatorum principum apostolorum Petri ac Pauli ecclesiam fidem geritis & amorem, semper pro ejus profectu & exaltatione regali nisu, undique certantes habueritis; tanto brachii sui propitius in regalibus triumphis ab adversis & iniquis hominibus vos defendere & circumtegere dignetur, ut una cum spirituali filia nostra domina regina vestraque præcelsa nobilissima prole longiori ævo in hoc regnantes mundo, in futuro sine fine vitam cum regno in arce poli habere mereamini. C Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Anno Christi 787.

CONCILIVM VVORMATIENSE V.

IN QVO TASSILONIS BAIOARIORVM ducis perstricta est versutia, decretaque ad illum de præstanda fide legatio, anno DCCXXCVII.

De hac synodo Rhegino, post narrationem eorum quæ Carolus Romæ cum Hadriano papa & cum Tassilonis legatis egerat, paucis scribit in hæc verba: *Rex, inquit,* oratione ad limina apostolorum completa, & benedictione percepta, in Franciam cursum dirigit, & Vvormatiam, ubi erat conjunx ejus Fastrada, pervenit: ubi synodum congregavit, & manifestavit sacerdotibus & optimatibus regni causas itineris, & qualiter versutia Tassilonis coram summo pontifice esset deprehensa. Misit itaque, cum consultu fidelium, ad eumdem Tassilonem, monens ut apostolicis adhortationibus obtemperaret. Qui cum nollet obedire, rex in partibus Baioariæ exercitum movit, *& cetera, quibus Tassilonem Caroli armis undique circumseptum, ad deditionem compulsum, sacramenta denuo renovasse narrat, obsidesque electos* XII. *Carolo dedisse, ac tertiumdecimum filium suum Theodonem.*

Anno Christi 788.

CONCIL. IN VILLA INGILENHEIM, E

IN QVO TASSILO DVX PERFIDIÆ DAMNATVS, vita concessa, monasterium cum Theudone filio ingressus est anno Christi DCCXXCVIII.

Synodi hujus, judiciique in ea peracti seriem explicat Ademarus in vita Caroli, & Rhegino abbas anno DCCXXCVIII. *Narrant autem accusatum a Baioariis Tassilonem, quod fidem promissam violasset, suadente uxore Luitberga, confessumque quod Avaros contra regem solicitasset, dixissetque se, si decem filios* A *haberet, omnibus orbari malle, quam quæ juraret observare; cum capitalem in eum sententiam omnes acclamarent, commiseratum Carolum, quia consanguineus ejus erat, obtinuisse ut non mereretur. Tassilonem vero interrogatum quid agere vellet, cum Theodone filio impetrasse, sibi ut in monasterium intrare, atque ibi pœnitentiam agere liceret. Paucos deinde Baioarios, qui illi adhæserant, exilio multatos esse.*

CONCILIVM NARBONENSE,

HABITVM ANNO VT VOLVNT DCCLXXXVIII. In quo inter cetera actum est de finibus parochiæ, id est, episcopatus Narbonensis præsente Desiderio sedis apostolicæ legato.

Ex archivo archiepiscopi Narbonensis, ediderunt Guillelmus Catellus in commentariis historiæ Landgothicæ & Stephanus Baluzius in additionibus ad cap. 25. libri VI. de concordia sacerdotii & imperii pag. 163. tom. II.

Anno incarnationis dominicæ DCCLXXXVIII. indictione XII. gloriosissimo quoque domino imperatore Karolo regnante ann. XXIII. v. Kalend. Iul. dum pro multis & variis ecclesiasticis negotiis, præsertim pro Felicis Vrgellitanæ sedis episcopi pestifero dogmate, monente per suæ auctoritatis literas domno apostolico Adriano, ac domino imperatore per missum suum nomine Desiderium, convenissemus urbem Narbonam intra Basilicam sancti Iusti & Pastoris, Ego scilicet Danihel, licet indignus atque peccator, gratia tamen Dei sanctæ metropolitanæ præmissæ urbis episcopus, necnon & Elifantus Arelatensis episcopus, cum plurimorum collegio venerabilium episcoporum, una cum auctoritate domni apostolici, missoque prædicto domni imperatoris Karoli: inter cetera quæ veraci sermone finem acceperunt, orta est querela coram nobis omnibus de parochia Narbonensi. Vnde D præcipiente domino imperatore, subtili examinatione & speciali, ob prolixas altercationes, examinari jusserat. De qua Danihel episcopus per testes idoneos, Iustum scilicet Agathensem, & Vviteringum Nemausensem episcopum, atque Amicum Magalonensem comitem, ceterosque quamplures, discutiendo elucidans, totum Redensem pagum super Vvinedurium * Heltnensem episcopum justissime evindicavit; & marginem parochiæ Narbonensis ex alia parte usque ad flumen qui vocatur Orbus, quamdiu vocabulum suum idem comitatus retinet, superius & inferius perduxit, plenissime ratione Vulfegarii episcopi Biterrensis cum prædictis testibus superata. Præterea idem Danihel archiepiscopus de Ausonensi parochia rationem adhibens, ostendit quod nullo modo episcopum ponere illuc potuisset ob paganorum infestationem, & quemadmodum auxiliante Deo per antecessoris sui industriam quondam ibidem hæresis extincta fuerit; & quia ejusdem pagi plebs, sicut quidam ipsorum in præsentia retulerunt, nulli parochiæ adhærere vellet nisi Narbonensi, ob principalitatem tantæ sedis præcipuæ. Cujus archiepiscopi rationem salubrem esse comprobantes, pro prædictis commoditatibus, & ne confinio Hispaniæ occasionem tristitiæ ingereremus, unanimiter justo perpendimus examine ut nulli sedi deinceps sociata

*Al[...] lum [...] stien[...]

sociata habeatur nisi Narbonensi; servata verumtamen auctoritate, si per se episcopum habere nequiverit. Rogamus igitur cunctos subsequentes nos, & hoc nostræ auctoritatis decreto confirmamus, sancimus, stabilimus, tam de Redensi pago, quam etiam de Ausonensi, sive confinio Narbonensi & Biterrensi, quod est "Orbus, ut sicut coram nobis discussum & comprobatum est, ita inconvulsum & incontaminatum nullius contradictione valente in perpetuum permaneat. Si quis vero nostram communem contemnens diffinitionem, per aliquam insidiam aut subreptionem hoc nostræ firmitatis decretum infregerit, aut aliqua machinatione violaverit; si ordini ecclesiastico est adunatus, canonica sententia irrecuperabiliter feriatur, sicut temerator tanti concilii ac decreti. Quod si laica potestas in hoc se per atrocitatis violentiam miscuerit, nisi a temeraria præsumptione se citissime substraxerit satisfaciendo quod deliquit, digna ultione totius anathematis sit undique & ubique multatus, domini nostri Iesu Christi & nostra auctoritate vigente. Vt autem hoc nostræ firmitatis decretum certiorem roborationis obtineat vigorem, manus nostræ subscriptione illud roborare studuimus.

In Christi nomine Danihel Dei miseratione sedis Narbonensis metropolitanæ ecclesiæ episcopus hujus decreti institutione subscripsi.

Ego Elefantus primæ sedis Arelatensis episcopus confirmavi.

Desideratus Diensis episcopus subscripsi.

Ego Salicus Arausiscensis episcopus.

Ego Arricho Tolosanæ sedis episcopus confirmavi.

In Dei nomine Donadeus Vvappencensis episcopus.

Ego Francolinus Conseranensis episcopus subscripsi.

Ego Lupus Cavalionensis episcopus subscripsi.

Ego Arimundus Vceticensis episcopus subscripsi.

Ego Hiscipio Carcassensis episcopus subscripsi.

In Christi nomine Magincus Adtensis episcopus subscripsi.

Vviteringus Nemausensis episcopus confirmavi.

Felix episcopus Vrgellitanæ sedis subscripsi.

Ego Bonitus Valentinæ sedis episcopus subscripsi.

Ego Iustus Agatensis episcopus subscripsi.

Ego Adaulfus Ierundensis episcopus subscripsi.

In Christi nomine Vvenedurius Helnensis episcopus subscripsi.

Ego * Se. ...... Barcinonensis episcopus subscripsi.

Ego Autbertus Antipolitanæ sedis episcopus subscripsi.

Ego Iohannes Cimelanensis episcopus subscripsi.

Ego ..... Forojulensis episcopus subscripsi.

Ego Ioannes Madolonensis episcopus subscripsi.

Ego Asinarius Vicujuliensis episcopus.

Abraham " Commenensæ sedis episcopus subscripsi.

Ego Amatus Carpentoratinensis episcopus subscripsi.

Ego Raganbaldus diaconus, Dunensis vocatus episcopus subscripsi.

Ego Ansebrandus diaconus ad vicem Landeberti Eglinensium episcopi subscripsi.

Ego Riccimirus indignus presbyter ad vicem Vulfegarii sedis Biterrensis episcopi subscripsi.

Ego Arricho cancellarius, ac si indignus presbyter, hoc decretum scripsi die & anno quo supra.

SYNODVS BRITANNICA APVD ACLEAM.

Anno Christi 788.

In splendido veteri manuscripto codice bibliothecæ publicæ Cantabrigiensis, cui titulus est: De tempore regum Britannorum, *sic deprehenditur.* Anno dominicæ incarnationis DCCLXXXVIII. Elfuvaldus rex Nordanhymbrorum, postquam 10. annis regnavit, conjuratione facta ab ejus patricio Siga nomine, miserabili morte XI. Kalendas Octobris occisus est, juxta Murum, &c. Quo etiam anno III. Kalendas Octobris synodus fuit in loco qui dicitur * *Acclech. Nulla de actis mentio.* Lib. I. c. 19. *al. Acleth.

CAROLI MAGNI REGIS [1] CAPITVLARE AQVISGRANENSE, SIVE EDICTVM LEGATIONIS, QVOD IN AQVISGRANI PALATIO

Anno Christi 789.

datum est die x. Kalendas Apriles, anno Christi DCCXXCIX. indictione XII. anno Hadriani papæ XVIII. Caroli ejusdem regis XXI.

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *De his qui ab episcopo proprio excommunicantur.*
II. *De his qui ad ordinandum veniunt.*
III. *De clericis fugitivis & peregrinis.*
IV. *De presbyteris, diaconis, vel his qui in clero sunt.*
V. *De usuris.*
VI. *De presbyteris missas cantantibus, & non communicantibus.*
VII. *De his qui a synodo, vel a suo episcopo damnati sunt.*
VIII. *De suffraganeis episcopi.*
IX. *De chorepiscopis.*
X. *De episcopis, vel quibuslibet ex clero.*
XI. *De ordinationibus, vel quibuslibet negotiis.*
XII. *De cura episcoporum.*
XIII. *De provincialibus episcopis.*
XIV. *De monachis & clericis.*
XV. *De die dominica, qualiter servanda est.*
XVI. *De ignotis angelorum nominibus.*
XVII. *De mulieribus, ne ad altare accedant.*
XVIII. *De maleficis vel incantatoribus.*
XIX. *De episcopis, ubi non oporteat eos constitui.*
XX. *De libris canonicis.*
XXI. *De episcopis ordinandis, vel quibuslibet ex clero.*
XXII. *De monachis, & clericis, & presbyteris,*
XXIII. *De servis alterius non solicitandis.*
XXIV. *De stabilitate episcoporum vel clericorum.*
XXV. *De presbyteris non absolute ordinandis.*
XXVI. *De proposito monachorum & clericorum.*
XXVII. *De monachis qui ad clericatum provehuntur.*
XXVIII. *De negotio clericorum inter se.*
XXIX. *De conspiratione clericorum vel monachorum.*

ANNO CHRISTI 789.

ITEM ALIA CAPITULA.

PRÆFATIO.

Regnante domino nostro Iesu Christo in perpetuum, ego Karolus gratia Dei, ejusque misericordia donante, rex & rector regni Francorum, & devotus sanctæ Dei ecclesiæ defensor, humilisque adjutor, omnibus ecclesiasticæ pietatis ordinibus, seu sæcularis potentiæ dignitatibus, in Christo domino Deo æterno perpetuæ pacis & beatitudinis salutem.

CONSIDERANS pacifico piæ mentis intuitu, una cum sacerdotibus & consiliariis nostris, abundantem in nos nostrumque populum Christi regis clementiam, & quam necessarium est, non solum toto corde & ore ejus pietati agere gratias incessanter; sed etiam continua bonorum operum exercitatione ejus insistere laudibus, quatenus qui nostro regno tantos contulit honores, sua protectione nos nostrumque regnum in æternum conservare dignetur. Quapropter placuit nobis vestram rogare solertiam, o pastores ecclesiarum Christi, & ductores gregis ejus, & clarissima mundi luminaria, ut vigili cura & sedula admonitione populum Dei per pascua vitæ æternæ ducere studeatis, & errâtes oves bonorum operum exemplo, seu adhortatione, humeris intra ecclesiasticæ firmitatis muros reportare satagatis; ne lupus insidians aliquem canonicas sanctiones transgredientem, vel paternas traditiones universalium conciliorum excedentem, quod absit, inveniens devoret. Ideo magnæ devotionis studio admonendi & adhortandi sunt, imo compellendi, ut firma fide, & infatigabili perseverantia, intra paternas sanctiones se contineant. In quo operis studio sciat certissime sanctitas vestra nostram vobis cooperari diligentiam. Quapropter & nostros ad vos direximus missos, qui ex nostri nominis auctoritate una vobiscum corrigerent quæ corrigenda essent. Sed & aliqua ex canonicis institutionibus, quæ magis vobis necessaria videbantur subjunximus. Ne aliquis, quæso, hujus pietatis admonitionem esse præsumptiosam judicet, quia nos errata corrigere, superflua abscindere, recta coartare studuimus; sed magis benevolo caritatis animo suscipiat. Nam legimus in regnorum libris, quomodo sanctus Iosias regnum sibi a Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum veri Dei studuit revocare. Non ut me ejus sanctitati æquiparabilem faciam, sed quod nobis sint ubique sanctorum semper exempla sequenda, & quoscumque poterimus ad studium bonæ vitæ, in laudem & in gloriam domini nostri Iesu Christi, congregare necesse est. Quapropter, ut prædiximus, aliqua capitula notare jussimus, ut simul hæc eadem vos admonere studeatis, & quæcumque vobis alia necessaria esse scitis: ut & ista & illa æquali intentione prædicetis; nec aliquid quod vestræ sanctitati populoque Dei utile videtur omittatis, ut pio studio nos admoneatis, quatenus ut & vestra solertia & subjectorum obedientia æterna felicitate ab omnipotente Deo remuneretur.

I. OMNIBUS.

Sunt enim aliqui qui culpis exigentibus ab episcopo proprio excommunicantur, & ab aliis ecclesiasticis vel laicis præsumptiose in communionem accipiuntur: quod omnino sanctum Nicænum concilium, simul & Calchedonense, nec non & Antiochenum, atque Sardicense fieri prohibent.

De his qui excommunicantur, sive clerici, sive laici, ab episcopis per quasque parochias, servetur ista sententia, ut ii qui ab aliis excommunicantur, ab aliis non recipiantur. Requiratur

tur sane, ne forte pro aliqua indignatione animi, aut contentione, aut qualibet tali commotione stomachantis episcopi abjecti sint. Vt ergo hæc digna possint examinatione perquiri, rectum esse visum est, per singulos annos in singulis quibusque provinciis bis in anno episcoporum concilia fieri: ut simul omnes in unum convenientes ex universa provincia, ejusmodi examinent quæstiones: ut ita demum qui ob culpas suas episcoporum suorum offensam merito contraxerunt, digne etiam a ceteris excommunicati similiter habeantur; usquequo vel in commune omnibus, vel ipsi episcopo suo, fuerit visum humaniorem circa eos tenere sententiam. Agantur autem concilia, semel quidem ante dies quadragesimæ, ut omnibus, si quæ sunt, simultatibus amputatis, mundum Deo solenne munus possit offerri. Secundo vero agatur circa autumni tempus.

Non autem liceat communicare excommunicatis: neque per domos ingredi, & cum eis orare qui ecclesiæ non participant: nec in alteram ecclesiam recipi, qui ab alia segregantur. Quod si visus fuerit quilibet episcoporum, vel presbyterorum, aut diaconorum, vel etiam qui in canone detentus, excommunicatis communicare, & hunc oportet communione privari, tamquam ecclesiæ regulas confundentem.

Si quis a proprio episcopo excommunicatus est, non eum prius ab aliis debere suscipi, nisi a suo fuerit receptus episcopo, aut concilio facto occurrat & respondeat: & si synodo satisfecerit, & statuerit, sub alia sententia recipi oportere. Quod etiam circa laicos & presbyteros & diaconos, & omnes qui in clero sunt, convenit observari.

Osius episcopus dixit: Hoc quoque omnibus placeat, ut sive presbyter, sive diaconus clericorum, ab episcopo suo communione fuerit privatus, & ad alterū episcopum perrexerit, & scierit is, ad quem confugit, eum ab episcopo fuisse abjectum, non oportet ut ei communionem indulgeat. Quod si fecerit, sciat se convocatis episcopis causas esse dicturum. Vniversi dixerunt: Hoc statutum & pacem servabit, & concordiam custodiet.

II. AD SACERDOTES.

Item habetur in eodem concilio, ut eorum qui ad ordinandum veniunt, fides & vita prius ab episcopo diligenter discutiatur, & sic ordinentur.

Si qui sine examinatione provecti sunt presbyteri, & examinati confessi sunt peccata sua, & cum confessi sunt, contra regulam venientes homines manus eis temere imposuerunt, hos ecclesiasticus ordo non recipit. In omnibus enim, quod irreprehensibile est catholica defendit ecclesia.

III. OMNIBVS.

Item in eodem concilio, nec non & in Antiocheno, simul & in Calchedonensi, ut fugitivi clerici & peregrini a nullo recipiantur, nec ordinentur sine commendatitiis literis, & sui episcopi vel abbatis licentia.

Si qui sine respectu agentes, & timorem Dei ante oculos non habentes, neque ecclesiastica statuta custodientes, recesserint ab ecclesia sua, sive presbyteri, sive diaconi, sive in quocumque ordine ecclesiastico positi fuerint, hi nusquam suscipi debent in alia ecclesia: sed cum omni necessitate cogantur ut redeant ad ecclesias suas: aut si permanserint, excommunicatos eos esse oportet. Si quis autem ausus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet, ordinare in suam ecclesiam, cum non habeat consensum episcopi illius, a quo recessit clericus suus, irrita sit hujusmodi ordinatio. ANNO CHRISTI 789. Ibid. can. 17.

Si quis presbyter, vel diaconus, vel quilibet clericus, deserta sua ecclesia, ad aliam transeundum esse crediderit, & ibi paulatim tentat, quo migravit, perpetuo permanere, ulterius ministrare non debet: præsertim si ab episcopo suo ad revertendum fuerit exhortatus. Quod si & post evocationem sui episcopi non obaudiat, sed perseveraverit, omnibus modis ab officio deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere. Si quem vero post hanc culpam depositum alius episcopus susceperit, & ipse a communi synodo pœnam merebitur increpationis, tamquam ecclesiastica jura dissolvens. Conc. Antioch. can. 3.

Peregrinos clericos & lectores in aliena civitate sine synodicis literis episcopi sui penitus nusquam ministrare posse. Cōc Calcid. can. 13.

IV. AD SOLOS SACERDOTES.

Item in eadem synodo interdictum est presbyteris & diaconibus; vel omnibus qui in clero sunt, mulierem non habere in domo sua, propter suspicionem, nisi matrem aut sororem, vel eas tantum personas quæ suspiciones effugiunt. Lib. 1. c. 4.

De suspectis vero, omnimodis interdicit sancta synodus, neque episcopo, neque presbytero, neque diacono, neque omnino ulli clericorum, habere secum mulierem extraneam; nisi forte mater sit, aut soror, aut avia. In his namque personis, & harum similibus, omnis suspicio declinatur. Qui autem præter hæc agit, periclitabitur de clero suo. Conc. Nic. can. 3.

V. OMNIBVS.

Item in eodem concilio, seu in decretis papæ Leonis, nec non & in canonibus qui dicuntur apostolorum, sicut & in lege ipse dominus præcepit; omnino omnibus interdictum est ad usuram aliquid dare. Lib. 1. c. 5.

Quoniam multi clerici avaritiæ causa turpia lucra sectantes, oblitique divini præcepti, quod dicit, *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, fenerantes centesimas exigunt; statuit hoc sanctum concilium, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipere, vel ex quolibet tali negotio turpia lucra sectari, vel etiam species frugum ad sexcuplum dare, omnis qui tale aliquid commentus fuerit ad quæstum, abscindatur ex clero, & alienus ab ecclesiastico habeatur gradu. Conc. Nic. can. 17.

Episcopus, presbyter, aut diaconus usuras a debitoribus exigens, aut desinat, aut certe damnetur. Can. apost. 44.

VI. AD SACERDOTES.

Auditum est aliquos presbyteros missam celebrare & non communicare, quod omnino in canonibus apostolorum interdictum esse legitur: vel quomodo dicere recte potest, si non communicaverit, Sumpsimus, domine, sacramenta? Hæc vero per singula capita in statutis Nicæni concilii legere potestis, seu & in aliis sanctorum patrum synodalibus institutis, vel edictis. Libro 1. c. 6.

Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, vel quilibet ex sacerdotali catalogo, facta oblatione non communicaverit, aut causam dicat, ut si rationabilis fuerit veniam consequatur, aut si non dixerit, communione privetur, tamquam qui populo causa læsionis extiterit, dans Can. apost. 9.

Anno Christi 789.

dans suspicionem de eo qui sacrificavit quod recte non obtulerit.

VII. OMNIBUS.

Libro I. c. 7. *In Antiocheno concilio, quod his qui damnati sunt a synodo, vel a suo episcopo, & postea ministrare præsumunt, præcipitur ut nullus audeat communicare: si quis vero eis communicaverit, simili sententiæ subjaceat, sicut & damnatus.*

Conc. Antioch. can. 4. Si quis episcopus a synodo, vel presbyter, vel diaconus, a proprio episcopo fuerit exauctoratus, & præsumpserit sacri ministerii quidpiam, non ei amplius liceat, neque in alia synodo spem habere, neque assertionis alicujus locum: sed & communicantes ei omnes abjiciantur ab ecclesia, & maxime, si postquam cognoverunt sententiam adversus eum prolatam, ei contumaciter communicaverint.

VIII. EPISCOPIS.

Libro I. c. 8. *Item in eodem concilio, ut ad metropolitanum episcopum suffraganei respiciant, & nihil novi audeant facere in suis parochiis sine conscientia & consilio sui metropolitani, nec metropolitanus sine eorum consilio.*

Conc. Antioch. can. 9. Per singulas provincias episcopos constitutos scire oportet episcopum metropolitanum, qui præest, curam & solicitudinem totius provinciæ suscepisse. Propter quod ad metropolitanam civitatem ab his qui causas habent sine dubio concurratur. Quapropter placuit eum & honore præire, & nihil ultra sine ipso reliquos episcopos agere, secundum antiquam patrum nostrorum, quæ obtinuit, regulam; nisi hæc tantum, quæ uniuscujusque ecclesiæ per suam diœcesim competunt. Unumquemque enim episcopum oportet potestatem habere suæ diœcesis ad hanc gubernandam secundum competentem sibi reverentiam, ad providendum regioni quæ subest ipsius civitati. Ita ut etiam ordinare ei presbyteros & diaconos probabili judicio liceat; & de singulis moderatione & pondere disceptare: ultra autem nihil agendum permittitur citra metropolitani episcopi conscientiam.

IX. SACERDOTIBUS.

Libro I. c. 9. *Item in eodem concilio, simul & in Ancyronensi, ut chorepiscopi cognoscant modum suum, & nihil faciant absque licentia episcopi, in cujus parochia habitant.*

Conc. Antioch. can. 10. Qui in fundis & villis constituti sunt chorepiscopi, tametsi manus impositiones ab episcopis susceperunt, & ut episcopi consecrati sunt, placuit sanctæ synodo, scire eos oportere modum proprium retinere, & gubernare adjacentes ecclesias sibi commissas, & esse contentos propria solicitudine & gubernatione, quam susceperunt. Constituere autem his permittitur lectores, & subdiaconos, & exorcistas: quibus sufficiat istorum tantum graduum licentiam accepisse; non autem presbyterum, non diaconum audeant ordinare præter conscientiam episcopi civitatis, vel ecclesiæ, cui adjacens invenitur, seu ipse, seu regio in qua præesse dignoscitur. Quod si prævaricari ausus fuerit constituta, deponi eum & dignitate, qua præditus est, debere privari. Chorepiscopus autem ab episcopo civitatis vel loci, cui adjacet, ordinandus est.

Conc. Ancyr. can. 13. Vicariis episcoporum, quos Græci chorepiscopos dicunt, non licere presbyteros vel diaconos ordinare: sed nec presbyteris civitatis, sine episcopi præcepto, amplius aliquid jubere; vel sine auctoritate literarum ejus in unaquaque parochia aliquid agere.

X. OMNI CLERO.

Lib. I. *Item in eodem concilio, ut episcopus, vel quilibet ex clero, sine consilio vel literis episcoporum, vel metropolitani, non audeant ad regalem dignitatem pro suis causis clamare, sed in communi episcoporum concilio causa examinetur.*

Conc. Antioch. 11. Si quis episcopus, vel presbyter, vel omnis omnino qui est sub ecclesiastica regula constitutus, præter consilium & literas eorum episcoporum qui sunt intra provinciam, & maxime metropolitani, ad imperatorem perrexerit, hunc abdicari & ejici non solum communione debere, sed a propria dignitate privari, tamquam molestum & importunum imperialibus auribus, contra ecclesiastica constituta. Si autem necessitas cogat ad imperatorem excurrere, cum deliberatione & consilio metropolitani ipsius provinciæ episcopi, & ceterorum conscientia, qui in eadem provincia sunt, & literis ire debebit.

XI. EPISCOPIS.

Lib. *Item in eodem concilio, simul & in Sardicensi, nec non & in decretalibus Innocentii papæ, ut nullus episcopus in alterius parochia ordinationes aliquas audeat facere, vel negotia peragere, quæ ad eum non pertinent.*

Conc. Antioch. 13. Nullum episcoporum debere ex alia provincia ad aliam transitum facere, & ordinare aliquos in ecclesiis, aut provehere ad sacrum ministerium: nec alios illuc secum attrahat episcopos, nisi forte rogatus per literas abierit, non solum a metropolitano, sed ab his qui cum eo sunt provinciæ episcopis. Quod si nullo invitante inordinate superveniat, & aliquos vel ordinare præsumpserit, vel quoslibet actus illi ecclesiæ competentes, ad se minus pertinentes, usurpare tentaverit, vacua quidem & inania erunt omnia quæ gesserit; ipse vero hujus indisciplinati ausus, & irrationabilis cœpti dignas causas expendat, tamquam depositus a sancta synodo, & propter hujusmodi præsumptionem jam prædamnatus.

Conc. can. Ianuarius episcopus dixit: Illud quoque statuat sanctitas vestra, ut nulli liceat episcopo alterius episcopi civitatis ministrum ecclesiasticum solicitare, & in suis parochiis ordinare. Universi dixerunt: Placet, quia ex his intentionibus solet nasci discordia. Et ideo prohibet omnium sententia ne quis hoc facere audeat.

Innoc. epist. Deut. 27. Prov. Innocentius Florentino episcopo Tiburtinensi. Non semel, sed aliquotiens clamat scriptura divina, transferri non oportere terminos a patribus constitutos: quia nefas est, si quod alter semper possederit, alter invadat. Quod tuam bonitatem frater & coepiscopus noster Ursus asserit perpetrasse. Nam Nomentanam, sive Feliciensem parochiam, ad suam diœcesim a majoribus pertinentem, invasisse te, atque illic divina celebrasse mysteria inconsulto eodem ac nesciente, non sine dolore conquestus est. Quod si verum est, non leviter te culpam incurrisse cognoscas. Unde si declinare cupis tantæ usurpationis invidiam, nostris literis admonitum te convenit abstinere. Certe si aliquid tibi credis justitiæ suffragari, integris omnibus, & in pristino statu manentibus, post dies venerabiles paschæ adesse debebis, ut memoratis possis intentionibus respondere, partibusque in medio collocatis, quid antiquitas aut veritas habeat, inquiramus.

XII. EPISCOPIS.

Lib. *Item in eodem concilio, ut episcopus ejus ecclesiæ*

clesiæ curam habeat, ad quam ordinatus est.

Episcopum de diœcesi ad alteram diœcesim non debere transire, neque si seipsum ingesserit, neque si a populis fuerit violenter attractus, neque si etiam hoc ei ab episcopis suadetur. Manere autem eum debere in ecclesia Dei, quam ab initio sortitus est, & non ab ea alio demigrare, secundum regulam super hoc olim a patribus constitutam.

XIII. EPISCOPIS.

Item in eodem concilio, nec non & in Calchedonensi, ut provinciales episcopi cum suo metropolitano bis in anno propter causas ecclesiæ concilia celebrent.

B Propter ecclesiasticas curas, & quæ existunt controversias dissolvendas, sufficere visum est, bis in anno per provincias singulas episcoporum concilium fieri. Primo quidem post tertiam hebdomadam paschalis festivitatis: ita ut in quarta hebdomada quæ consequitur, id est mediæ pentecostes, concilium compleatur: admoneant autem provinciales episcopos hi qui in amplioribus, id est qui in metropolitanis civitatibus degunt. Secundum vero concilium Idibus Octobris habeatur, qui dies apud Græcos Hyperberetæi mensis decimus quintus invenitur. In ipsis autem conciliis & presbyteros & diaconos præsentes esse oportet, & omnes quotquot se læsos existimant, & synodicam expectare sententiam. Nec liceat aliquibus apud semetipsos sine metropolitanorum episcoporum conscientia synodos facere, quibus de omnibus causis constat permissum esse judicium.

C Ad aures nostras pervenit, quoniam in provinciis non fiunt episcopotum synodi secundum canonum constituta; & hinc multa rerum ecclesiasticarum, quæ emendanda sunt, negligi. Sancta igitur synodus constituit, secundum canones patrum, bis in anno episcopos in id ipsum in unaquaque provincia convenire, quo metropolitanus constituerit, & omnia quæcumque emerserint corrigere. Episcopi vero, qui non convenerint, in propriis positi civitatibus, & non per profectionem absentes, maxime suppeditante salute, & a necessariis & excusabilibus occupationibus liberi, fraternitatis intuitu corripiantur.

XIV. EPISCOPIS.

In concilio Laodicensi, nec non & in Africano, præcipitur, ut monachi & clerici tabernas non ingrediantur edendi vel bibendi causa.

D Quoniam non oportet altario servientes, a presbyteris usque ad diaconos, & deinceps ordinis ecclesiastici omnes, usque ad ministros, aut lectores, aut psaltas, aut exorcistas, aut ostiarios, aut etiam eos qui in proposito sunt continentiæ, tabernas introire.

Vt clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

XV. AD OMNES.

Item in eodem concilio præcipitur, ut a vespera usque ad vesperam dies dominica servetur.

E Non oportet Christianos Iudaizare, & in sabbato vacare, sed operari eos in eadem die. Dominica vero, præponendo eamdem diem, si hoc eis placet, vacent tamquam Christiani. Quod si inventi fuerint Iudaizare, anathema sint.

XVI. OMNIBVS.

Item in eodem concilio præcipitur; ut ignota angelorum nomina nec fingantur, nec nominentur, nisi illorum quos habemus in auctoritate. Hi sunt Michael, Gabriel, Raphael.

Anno Christi 789.

Quod non oportet Christianos derelicta ecclesia Dei abire, & angelos nominare, & congregationes facere, quæ omnia interdicta sunt. Quicumque autem inventus fuerit occulte huic idololatriæ vacans, anathema sit: quoniam derelinquens dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei, accessit ad idola. Conc. Laod. can. 35.

XVII. CLERICIS ET NONNANIS.

Item in eodem concilio, quod non oporteat mulieres ingredi ad altare. Lib 1.c.17.

Non oportet mulieres ingredi ad altare. Conc. Laod. can. 44.

XVIII. AD SACERDOTES.

In eodem concilio, ut ' caucleariii, malefici, incantatores & incantatrices fieri non sinantur. Lib.1.c.21. ' gocleatii

Quoniam non oportet ministros altaris, vel clericos, magos aut incantatores esse, aut facere quæ dicuntur phylacteria, quæ sunt magna obligamenta animarum: hos autem qui talibus rebus utuntur projici ab ecclesia jussimus. Conc. Laod.can. 36.

XIX. OMNIBVS.

Item in eodem concilio, nec non & in Sardicensi, quod non oporteat in villulis, vel in agris episcopos constituere. Lib.1.c.18.

Non oportet in vicis & in villis episcopum ordinari, sed eos qui circumeant constitui. Hos autem, qui hinc ordinati sunt, nihil agere sine conscientia episcopi civitatis. Similiter etiam presbyter nihil sine præcepto episcopi & consilio agat. Si enim subito aut vicus aliquis, aut modica civitas, cui satis est unus presbyter, voluerit sibi episcopum ordinari, ut vilescat nomen episcopi & auctoritas, non debent illi ex alia provincia invitati facere episcopum, nisi aut in his civitatibus quæ episcopos habuerint, aut si qua talis aut tam populosa est, quæ mereatur habere episcopum. Hoc omnibus placet? synodus respondit: Placet. Conc. Sard. can. 6.

XX. SACERDOTIBVS.

Item in eodem concilio, ut canonici libri tantum legantur in ecclesia. Lib.1.c.20.

Non oportet ab idiotis psalmos compositos & vulgares dici in ecclesiis; neque libros qui sunt extra canonem legere, nisi solos canonicos novi & veteris testamenti. Quæ autem oporteat legi, & in auctoritatem recipi, hæc sunt: Genesis mundi, Exodus Ægypti, Leviticum, Numeri, Deuteronomium, Iesu Nave, Iudices, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Esdræ libri duo, liber psalmorum CL. Proverbia Salomonis, Cantica Canticorum, Ecclesiastes, Iob, Esther, duodecim prophetæ, id est Osee, Amos, Ioel, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Item Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel. Novi testamenti euangelia quatuor, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Ioannem: Actus apostolorum: catholicæ epistolæ, Petri duæ, Iacobi I. Ioannis III. Iudæ I. epistolæ Pauli XIV. ad Romanos, ad Corinthios prima & secunda, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses prima & secunda, ad Timotheum II. ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Conc. Laod. can. 59.

XXI. CLERICIS ET MONACHIS. Lib.1. c. 19.

Item in concilio Calchedonensi, nec non & in canonibus apostolorum, ut non oporteat episcopum, aut quemlibet ex clero, per pecunias ordinari: quia utrique

ANNO CHRISTI 789.

utrique deponendi sunt, & qui ordinat, & qui ordinatur: nec non & qui mediator est inter eos.

Cōc. Calch. can. 1.

Si quis episcopus ordinationem pro pecunia fecerit, & vendiderit rem quæ nisi gratia non acquiritur; & sub pecunia ordinaverit episcopus provincialem episcopum, sive presbyterum, vel diaconum, aut eorum quemquam qui in numero clericorum continentur, aut accepta pecunia fecerit œconomum, vel defensorem, vel ostiarium, vel quemcumque hujuscemodi, pro turpitudine lucri; qui hoc fecisse probatur, sui gradus periculum sustinebit. Sed & is qui ordinatur, nihil ex ordinatione, quæ pro negotiatione processit, utilitatis acquirat; sed fiat dignitatis, vel rei quæ ipsi pro pecunia commissa est, alienus. Si quis autem his tam turpibus & nefariis lucris medius interfuisse videtur, & is, si quidem clericus fuerit, degradetur; si vero laicus, aut monachus, anathematizetur.

Can. apost. 30.

Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur & ipse, & ordinator ejus, & a communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon magus a Petro.

XXII. OMNIBVS.

Lib. 1. c. 22.

Item in eodem concilio infra duo capitula, nec non & in decretis Leonis papæ, ut nec monachi, nec clerici, nec presbyteri in sæcularia negotia transeant.

XXIII.

Lib. 1. c. 23.

Et ut servum alterius nullus solicitet ad clericatum, vel monachalem ordinem, sine voluntate & licentia domini sui.

Conc. Calch. can. 4.

Item qui revera & manifeste solitariam vitam sectantur, honore competenti fungantur. Quoniam vero quidam, sub prætextu habitus monachalis, ecclesias, & conventus, & res communes disturbant, civitates indiscrete circumeuntes, & monasteria sibi constituere studentes; placuit nusquam ullum ædificare debere, neque monasterium constituere, neque oratorium, absque civitatis episcopi voluntate. Monachos vero, qui sunt per singulas civitates & provincias, episcopis subditos esse, & quietem diligere, & jejuniis esse intentos & orationibus, & in illis locis observare, in quibus sæculo renuntiasse videntur. Nequaquam autem ecclesiasticis vel sæcularibus rebus communicare, nec importunitatem inferre desertis propriis monasteriis, nisi forte quæsiti fuerint propter causam necessariam a civitatis episcopo. Sane in monasteriis non esse suscipiendum servum ad monachum faciendum præter proprii domini voluntatem. Qui vero hoc constitutum nostrum excesserit, eum a communione suspendi decrevimus, ne nomen Dei blasphemetur. Civitatis autem episcopos oportet competentem providentiam monasteriis impendere.

Leo cap. 1.

Admittuntur passim ad ordinem sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur. Et qui a dominis suis libertatem consequi minime potuerunt, ad fastigium sacerdotii, tamquam servilis vilitas hunc honorem capiat, provehuntur: & probari Deo posse creditur, qui domino suo nec dum probare se potuit. Duplex itaque in hac parte reatus est: quod & sactum ministerium talis consortii vilitate polluitur, & dominorum, quantum ad illicitæ usurpationis temeritatem pertinet, jura solvuntur. Ab his itaque, fratres carissimi, omnes vestræ provinciæ abstineant sacerdotes, & non tantum ab his, sed ab aliis etiam, qui originali, aut alicui conditioni obligati sunt, volumus temperari: nisi forte eorum petitio, aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eos vindicant potestatis. Debet enim esse immunis ab aliis, qui divinæ militiæ fuerit aggregandus, ut a castris dominicis, quibus nomen ejus adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur.

XXIV. SACERDOTIBVS.

Lib. 1.

Item in eodem concilio infra duo capitula, nec non & in Sardicensi, ut nec episcopus, nec clerici transmigrent de civitate in civitatem.

Conc. Calch. 5.

De episcopis vel clericis, qui se de civitate in civitatem transferunt, placuit ut canones, qui a sanctis patribus de his ipsis constituti sunt, suam habeant firmitatem.

Conc. can.

Osius episcopus dixit: Vt de civitate in civitatem quisquam si migraverit aut episcopus, aut clericus, excommunicatus remaneat.

XXV. OMNIBVS.

Lib.

Item in eadem synodo, ut nullus absolute ordinetur, & sine pronuntiatione & stabilitate loci ad quem ordinatur.

Conc. Calch. can.

Nullum absolute ordinari, neque presbyterum, neque diaconum, neque penitus quemquam eorum qui sunt in ecclesiastico ordine, nisi specialiter ecclesiæ civitatis vel vici, vel martyrii, qui ordinandus est, fuerit declaratus. Horum autem ordinationem hujusmodi, qui absolute ordinantur, constituit sancta synodus inefficacem esse, & nusquam posse ad ordinantis injuriam prævalere.

XXVI. SACERDOTIBVS.

Libr. cap.

Item in eodem concilio, ut clerici & monachi in suo proposito & voto quod Deo promiserunt permaneant.

Conc. Calc. can.

Qui semel sunt ordinati, aut qui monachi facti sunt, constituimus neque ad militiam, neque ad sæcularem dignitatem venire. Cum vero hoc arripuerint, nisi pœnitentes ad hoc revertantur, quod propter Deum elegerant, anathematizentur.

XXVII. OMNIBVS.

Libr. cap.

Item in decretis Innocentii papæ de eadem re, ut monachus, si ad clericatum provehatur, propositum monachicæ professionis non amittat.

Inne.

De monachis, qui diu morantes in monasteriis, postea ad clericatus ordinem perveniunt, non debere eos a priori proposito deviare. Aut enim, sicut in monasterio fuit, & quod diu servavit, in meliori gradu positus amittere non debet: aut si corruptus, postea baptizatus, in monasterio sedens ad clericatus ordinem accedere voluerit, uxorem omnino habere non poterit: quia nec benedici cum sponsa potest jam corruptus. Quæ forma servatur in clericis maxime, cum vetus regula hoc habeat, ut quisque corruptus baptizatus clericus esse voluisset, sponderet se uxorem omnino non ducere.

XXVIII. OMNIBVS.

Lib.

Item in eodem concilio, ut si clerici inter se negotium aliquod habuerint, a suo episcopo dijudicentur, non a sæcularibus.

Conc. Calc. can.

Si quis clericus cum clerico causam habeat, episcopum suum non deserat, & ad judicia sæcularia currat; sed prius apud episcopum suum examinet causam, aut certe cum voluntate ipsius episcopi causa dicatur apud quos partes utræque voluerint. Si quis autem contra hæc venire tentaverit,

taverit, canonicis interdictis subjaceat. Si vero A clericus habeat causam cum extraneo episcopo, vel cum suo, apud synodum provinciæ causam dicat. Si autem episcopus, vel clericus, disceptationem habeat cum metropolitano episcopo, aut ad diœceseos primam sedem recurrat, aut ad sedem Constantinopolitanam, apud quam causa dicatur.

XXIX. OMNIBUS.

Item in eodem concilio, ut nec clerici, nec monachi conspirationem vel insidias contra pastorem suum faciant.

Conjurationis vel conspirationis crimen etiam apud extrinsecas leges penitus amputatur: multo magis in ecclesia Dei hoc ne fiat oportet B prohiberi. Igitur clerici, aut monachi, si inventi fuerint conjurati, aut per conjurationem calumniam machinantes episcopis, vel clericis, proprium amittant gradum.

XXX. AD OMNES.

Item in eodem concilio, ut laici episcopos aut clericos non accusent, nisi prius eorum discutiatur existimationis opinio.

Clericos vel laicos, qui accusant episcopos, vel clericos, quomodocumque & sine judicio non suscipi ad accusandum debere, nisi prius eorum existimatio fuerit discussa.

XXXI. OMNIBUS.

Item in eodem, ut loca quæ semel Deo dedicata sunt ut monasteria sint, maneant perpetuo monasteria, nec possint ultra fieri sæcularia habitacula.

Quæ Deo semel sacrata sunt monasteria secundum episcoporum consensum, oportet in perpetuum monasteria nuncupari, & eorum res monasteriis reservari, & non posse ulterius cœnacula sæcularia fieri. Si qui vero hæc fieri permiserint, canonicis interdictis subjaceant.

XXXII. OMNIBUS.

In concilio Carthaginensi, primo omnium necesse est ut fides sanctæ trinitatis & incarnationis Christi, passionis, resurrectionis, & ascensionis in cælo diligenter omnibus prædicetur.

Anno ab Alexandro MXXXVI. mense Iunio, XIV. Kalendas Iulii, a magna synodo dictum est: Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem. Et in unum dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, natum de Patre unigenitum, hoc est de substantia Patris. Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero. natum, non creatum, homousion Patri, hoc est ejusdem cum Patre substantiæ. per quem omnia facta sunt, quæ in cælo & quæ in terris. Qui propter nos, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, homo factus, passus est, & resurrexit tertia die, & ascendit in cælos: inde venturus est judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt, erat aliquando quando non erat, & antequam nasceretur non erat, & quia ex nullis extantibus factus est, aut ex alia subsistentia vel substantia dicunt esse, aut convertibilem Filium Dei, anathematizat catholica & apostolica ecclesia.

XXXIII. OMNIBUS.

Item in eodem, de prohibenda avaritia, ut nullus alienos fines usurpet, vel terminos patrũ transcendat.

Aurelius episcopus dixit: Avaritiæ cupiditas, quam omnium malorum matrem esse nemo qui dubitet, proinde inhibenda est, ne quis alienos fines usurpet, aut per præmium terminos patrum statutos transcendat: nec omnino cuiquam clericorum liceat de qualibet re fenus accipere.

Quamquam novellæ suggestiones, quæ vel obscuræ sunt, vel sub genere latent, inspectæ a nobis formam accipient: ceterum, de quibus apertissime scriptura divina sanxit, non ferenda sententia est, sed potius exequenda. Proinde quod in laicis reprehenditur, id multo magis debet in clericis prædamnari.

XXXIV. OMNIBUS.

Item in eodem, de his qui in periculo constituti sunt, & convertunt se ad Deum, ut canonice inquirantur de reconciliatione, & canonice reconcilientur. Lib. 1. c. 34.

Aurelius episcopus dixit: Si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari divinis altaribus petierit, etsi episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere episcopum, & sic periclitantem ejus præcepto reconciliare. Quam rem debemus salubri consilio roborare. Ab universis episcopis dictum est: Placet quod sanctitas vestra necessario nos instruere dignata est. Conc. Carth. can. 8.

XXXV. OMNIBUS. Lib. 1. c. 35.

Item in eodem, ut illi qui non sunt bonæ conversationis, & eorum vita est accusabilis, non audeant episcopos vel majores natu accusare.

C Aurelius episcopus dixit: Placet igitur caritati vestræ, ut is qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem adversus majorem natu non habeat accusandi? Ab universis episcopis dictum est: Si criminosus est, non admittatur: placet. Conc. Carth. can. 8.

XXXVI. OMNIBUS.

Item in eodem, ut qui excommunicato præsumptiose communicaverit, excommunicetur & ipse. Lib. 1. c. 36.

Augustinus episcopus legatus provinciæ Numidiæ dixit: Hoc statuere dignamini, ut si qui forte merito facinorum suorum ab ecclesia pulsi sunt, & sive ab aliquo episcopo, vel presbytero, fuerint in communionem suscepti, etiam ipse D pari cum eis crimine teneatur obnoxius, refugiens sui episcopi regulare judicium. Ab universis episcopis dictum est: Omnibus placet. Conc. Carth. can. 9. 11. q. 3. Qui merito.

XXXVII. SACERDOTIBUS.

Item in eodem concilio infra duo capitula nec non & in canonibus apostolorum, ut nullus presbyter contra suum episcopum superbire audeat. Lib. 1. c. 37.

Alypius episcopus legatus provinciæ Numidiæ dixit: Nec illud prætermittendum est, ut si quis forte presbyter ab episcopo suo correptus, tumore vel superbia inflatus, putaverit separatim sacrificia Deo offerenda, vel aliud erigendum altare contra ecclesiasticam fidem vel disciplinam crediderit, non exeat impunitus. Valentinus primæ sedis provinciæ Numidiæ dixit: Necessario disciplinæ ecclesiasticæ E & fidei congrua sunt, quæ frater noster Alypius prosecutus est. Proinde quid videatur vestræ dilectioni, edicite. Ab universis episcopis dictum est: Si quis presbyter a præposito suo correptus fuerit, debet utique apud vicinos episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus causa possit audiri, ac per ipsos suo episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbia, quod absit, inflatus secernendum se ab episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens sacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat: ac si querimoniam justam adversus episcopum non habuerit, inquirendum erit. Conc. Carth. can. 10. 11. — 11. qu. 3. Si quis presbyter.

Si quis presbyter, contemnens episcopum suum, seorsum collegerit, & altare aliud erexerit, nihil Can. apost. 32.

ANNO CHRISTI 789.

ANNO CHRISTI 789.

habens quo reprehendat episcopum in causa pietatis & justitiæ, deponatur, quasi principatus amator existens, est enim tyrannus. Et ceteri clerici, quicumque tali consentiunt, deponantur: laici vero segregentur. Hæc autem post unam, & secundam, & tertiam episcopi obsecrationem fieri conveniat.

XXXVIII. OMNIBUS.

Lib. 1. c. 38. *Item in eodem, ut clerici ecclesiastici ordinis, si culpam incurrerint, apud ecclesiasticos judicentur, non apud sæculares.*

Conc. Carth. can. 15. 11. q. 1 Placuit, ut quisquis. Item placuit, ut quisquis episcoporum, presbyterorum, & diaconorum, seu clericorum, cum in ecclesia ei fuerit crimen institutum, vel civilis causa fuerit commota; si relicto ecclesiastico judicio publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat; & hoc in criminali actione: in civili vero perdat quod evicit, si locum suum obtinere maluerit. Hoc etiam placuit, ut a quibuscumque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia depravati. Sane si ex consensu partium electi fuerint judices, etiam a pauciori numero, quam constitutum est, non liceat provocare. Et ut filii sacerdotum spectacula sæcularia non exhibeant, sed nec "expectent: licet hoc semper Christianis omnibus interdictum sit, ut ubi blasphemiæ sunt, non accedant.

"ea spectent

XXXIX. OMNIBUS.

Lib. 1. c 39. *Item in eodem, ut qui commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat: si speciem aliam, eamdem speciem quam dederit accipiat.*

Conc. Carth. can. 16. Item placuit, ut clericus, si commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat: si speciem, eamdem speciem, quantam dederit, accipiat: & ut ante XXV. annos ætatis nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur: & ut lectores populum non salutent.

XL. OMNIBUS.

Lib. 1. c. 40. *In concilio Africano præcipitur, ut virgines Deo sacratæ a gravioribus personis diligenti custodia serventur.*

Conc. Afr. can. 21. Vt virgines sacræ, cum parentibus, a quibus custodiebantur, privatæ fuerint, ab episcopo custodiantur. Vbi autem episcopus absens est, providentia gravioribus feminis commendetur: ut simul habitantes invicem se custodiant; ne passim vagando ecclesiæ lædant existimationem.

XLI. EPISCOPIS.

Lib. 1. c. 41. *Item in eodem, ut non liceat episcopo principalem cathedram suæ parochiæ negligere, & aliquam ecclesiam in sua diœcesi magis frequentare.*

Conc. Afr. can. 38. Rursum placuit, ut nemini sit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre, vel in re propria diutius, quam oportet, constitutum, curam vel frequentationem propriæ cathedræ negligere.

XLII. EPISCOPIS.

Lib. 1. c. 42. *Item in eodem, ut falsa nomina martyrum, & incertæ sanctorum memoriæ non venerentur.*

Conc. Afr. can. 50. De consecr. dist. 1. Placuit, ut altaria. Item placuit, ut altaria, quæ passim per agros & per vias tamquam memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab episcopis, qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, evertantur. Si autem hoc per tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, ut qui recte sapiunt, nulla ibi superstitione devincti teneantur. Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus, aut aliquæ reliquiæ sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis, fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum, ubicumque constituuntur altaria, omnimodo reprobentur.

XLIII. OMNIBUS.

Lib. *Item in eodem, ut nec uxor a viro dimissa alium accipiat virum vivente viro suo, nec vir aliam accipiat vivente uxore priore.*

Conc. can. Placuit, ut secundum euangelicam & apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungatur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur: in qua causa legem imperialem petendam promulgari.

XLIV. EPISCOPIS.

Lib. *Item in eodem, ut probati a metropolitano judices non spernantur.*

Conc. can. A judicibus autem, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare: & quisquis probatus fuerit per contumaciam nolle obtemperare judicibus, cum hoc primæ sedis episcopo fuerit probatum, det literas, ut nullus ei communicet episcoporum, donec obtemperet.

XLV. OMNIBUS.

Lib. *Item in eodem infra duo capitula, ut viles personæ non habeant potestatem accusandi: & si in primo crimine victi sunt falsum dicere, in secundo non habeant potestatem dicendi.*

Conc. can. Item placuit, ut omnes servi, vel proprii liberti, ad accusationem non admittantur, vel omnes quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt: omnes etiam infamiæ maculis aspersi, id est histriones, ac turpitudinibus subjectæ personæ, hæretici etiam, sive pagani, sive Iudæi. Sed tamen omnibus quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentiam non negandam. 4. q. 6 ...nibus

Conc. can. Item placuit, quotiescumque clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipsis, de quo prius egerit, probare non valuerit, ad cetera jam non admittatur.

XLVI. OMNIBUS.

Lib. *Item in eodem, ut virgines non velentur ante XXV. annos, nisi rationabili necessitate cogente.*

Conc. can. Item placuit, ut quicumque episcoporum, necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si etiam aliquo mortis periculoso scrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velaverit virginem, seu velavit intra XXV. annos ætatis; non ei obsit concilium, quod de isto annorum numero constitutum est.

XLVII. OMNIBUS.

Lib. 1. *In concilio Gangrensi, ut nulli liceat oblata, quæ ad pauperes pertinent, rapere vel fraudare.*

Conc. Gangr. 7. Si quis oblationes fructuum ecclesiæ debitas voluerit extra ecclesiam accipere, vel dare, præter conscientiam episcopi, & non magis cum consilio ejus, cui hæc credita sunt, de his agendum putaverit, anathema sit.

XLVIII. OMNIBUS.

Lib. 1. *Item in eodem, ut ecclesiastica a sacerdotibus jejunia constituta, sine necessitate rationabili non solvantur.*

Si

NO ISTI 9. Si quis eorum, qui in proposito sunt continentiæ, præter necessitatem corporalem superbiat, & jejunia communia, quæ totius ecclesiæ traditio celebrat putaverit dissolvenda, perfectam
r. can. scientiam esse apud se judicans, anathema sit.

XLIX. SACERDOTIBUS.

c. 49. *In concilio Ancyronensi invectum est in eos qui cum quadrupedibus, vel masculis, contra naturam peccant, dura & districta pœnitentia. Quapropter episcopi & presbyteri, a quibus judicium pœnitentiæ injungitur, conentur omnimodis hoc malum a consuetudine prohibere vel abscindere.*

In titulo Græca verba hæc sunt: Περὶ τῶν ἀλο-
can. γευσαμένων, ἢ καὶ ἀλογευομένων: quæ nos Latine possumus dicere: De his qui irrationabiliter versati sunt, sive versantur. Sensus autem in hac sententia triplex esse potest, qui ex subjectis conjicitur: aut de his qui cum pecoribus coitu mixti sunt, aut more pecudum incesta cum consanguineis commiserunt, aut cum masculis concubuerunt. Quotquot igitur ante vicesimum ætatis suæ annum tale crimen admiserunt, xv. annis in pœnitentia exactis, orationi tantum incipiant participari; & quinquennio altero in communione simplici perdurantes, post vicesimum cum oblatione ad communionem suscipiantur. Discutiatur autem & vita eorum quæ fuerit tempore pœnitentiæ, & ita hanc humanitatem consequantur. Quod si qui perseverantius abusi sunt hoc crimine, prolixius tempus habeant submissioni. Quotquot vero exacta viginti annorum ætate, & uxores habentes in hoc crimen inciderunt, viginti quinque annis pœnitentia acta, ad communionem orationum tantum admittantur: in qua communione orationis altero quinquennio perdurantes, plenam communionem cum oblatione recipiant. Quod si aliqui & uxores habentes, & excedentes quinquagesimum ætatis suæ annum, in hoc prolapsi sunt, ad exitum vitæ tantum communionem mereantur.

L. EPISCOPIS.

c. 50. *In concilio Neocæsariensi, ut nullatenus presbyter ordinetur ante* XXX. *ætatis suæ annum: quia dominus Iesus Christus non prædicavit ante* XXX. *annum.*

can. Presbyter ante XXX. annorum ætatem, quamvis sit dignus, non ordinetur: sed observet usque ad præfinitum tempus. Dominus enim XXX. anno baptizatus, est, & tunc prædicavit.

LI. OMNIBUS.

c. 51. *In decretalibus Siricii papæ, ut alterius sponsam nemo accipiat.*

4. De conjugali autem violatione requisisti, si desponsatam alii puellam alter in matrimonio possit accipere. Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus: quia illa benedictio, quam nuptæ sacerdos imponit apud fideles, cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.

LII. EPISCOPIS, MONACHIS, ET VIRGINIBUS.

c. 52. *Item ejusdem, ut monachi & virgines suum propositum omnimodis observent.*

6. Præterea monachorum quosdam, atque monacharum, abjecto proposito sanctitatis, in tantam protestatis demersos esse lasciviam, ut prius clanculo, velut sub monasteriorum prætextu, illicita ac sacrilega se contagione miscuerint: postea vero in abruptum conscientiæ desperatione perducti, de illicitis complexibus libere filios procrearint: quod & publicæ leges, & ecclesiastica jura condemnant. Has igitur impudicas de-

A testabilesque personas a monasteriorum cœtu ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus, quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, ut eis, vel ad mortem saltem, solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subvenire. ANNO CHRISTI 789.

LIII. OMNIBUS.

In decretalibus Innocentii papæ, ut pax detur omnibus confectis Christi sacramentis. Lib. I. c. 53.

Pacem igitur asseris ante confecta mysteria Innoc. c. 1.
B quosdam populis impetrare, vel sibi inter sacerdotes tradere, cum post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessario indicenda: per quam constet populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur, atque in ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstrentur. De consecr. dist. 2. Pacem igitur.

LIV. SACERDOTIBUS.

Item ejusdem, ut nomina publice non recitentur ante preces sacerdotales. Lib. I. c. 54.

De nominibus vero recitandis, antequam precem sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, & ipse pro Innoc. c. 2. De consecr. dist. 1. De nominibus.
C tua prudentia recognoscis; ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus nomen ante insinues, quamvis incognitum illi nihil sit. Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum oblationes sunt, edicenda: ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia quæ ante præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus.

LV. EPISCOPIS ET SACERDOTIBUS.

In decretis Cælestini papæ, ut nulli sacerdoti liceat ignorare sanctorum canonum instituta. Lib. I. c. 55.

Nulli sacerdotum suos liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod patrum possit regulis obviare. Quæ enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentia populis permissa, Cælest. cap. 20. Dist. 38. Nulli sacerdotum.
D frangatur?

LVI. EPISCOPIS.

In decretis Leonis papæ sancitum est, & in Sardicensi concilio, ut episcopus alterius clericum ad se non solicitet, nec ordinet. Lib. I. c. 56.

Alienum clericum, invito episcopo ipsius, nemo suscipiat, nisi forte ex placito caritatis id inter dantem accipientemque conveniat. Nam gravis injuriæ reus est, qui de fratris ecclesia id quod est utilius, aut pretiosius, audet vel allicere, vel tenere. Itaque si intra provinciam res agitur, transfugam clericum ad ecclesiam suam metropolitanus redire compellat. Si autem longius Leo c. 39. 1c. q. 2. Alienum clericum.
E recessit, tui præcepti auctoritate revocabitur, ut nec cupiditati, nec ambitioni occasio relinquatur.

LVII. EPISCOPIS.

Item ejusdem, ut nullus episcopum servum alterius ad clericatus officium sine domini sui voluntate promovere præsumat. Et hoc Gangrense concilium prohibet. Lib I. c. 57.

Si quis servum occasione religionis doceat dominum suum contemnere, & ejus ministerium deserere, ac non potius docuerit eum suo domino bona fide & cum omni honorificentia deservire, anathema sit. Conc. Gangr. can. 3.

LVIII. EPISCOPIS.

Item ejusdem, ut si quis sacerdotum contra constituta decretalia præsumptiose agat, & corrigi nolens ab officio suo submoveatur. Lib. I. c. 58.

ANNO CHRISTI 789.

Leo cap. 5. Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venire tentaverit, & prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum; nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse non voluit disciplinæ. Ne quid vero sit quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.

LIX. EPISCOPIS.

Lib. 1. c. 18. *In decretis Gelasii papæ, ut nullus episcopus viduas velare præsumat.*

Gelasius cap. 13. Viduas autem velare pontificum nullus attentet; quod nec auctoritas divina delegat, nec canonum forma præstituit. Non est ergo penitus usurpandum, eisque sic ecclesiastica sunt inferenda præsidia, ut nihil committatur illicitum.

ITEM ALIA CAPITVLA.

Hæc enim, dilectissimi, pio studio, & magna dilectionis intentione, vestram unanimitatem admonere studuimus, quæ magis necessaria videbantur, ut sanctorum patrum canonicis institutis inhærentes, præmia cum illis æternæ felicitatis accipere mereamini. Scit namque prudentia vestra, quam terribili anathematis censura feriantur, qui præsumptiose contra statuta universalium conciliorum venire audent. Quapropter & vos diligentius admonemus, ut omni intentione illud horribile execrationis judicium vobis cavere studeatis; & magis canonica instituta sequentes, & pacifica unitate nitentes, ad æterna pacis gaudia venire digni efficiamini. Sunt quoque alia capitula, quæ vobis utilia huic præcedenti admonitioni subjungere visa sunt.

LX. OMNIBVS.

Lib. 1. c. 60. *Primo omnium admonemus, ut fides catholica ab episcopis & presbyteris diligenter legatur, & omni populo prædicetur: quia hoc primum præceptum est*

Deut. 6. *domini Dei omnipotentis in lege:* Audi Israel, quia dominus Deus tuus Deus unus est: *& ut ille diligatur ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota virtute nostra.*

LXI. OMNIBVS.

Lib. 1. c. 61. *Vt pax sit, & concordia, & unanimitas cum omni populo Christiano, inter episcopos, abbates, comites, judices, & omnes ubique, seu majores, seu minores personas: quia nihil Deo sine pace placet, nec munus sanctæ oblationis ad altare, sicut in euange-*

Matth. 5. Levit. 19. Matth. 5. *lio ipso domino præcipiente legimus: quia & illud secundum mandatum est in lege:* Diliges proximum tuum sicut teipsum. *Item in euangelio:* Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. *& iterum:*

Ioan. 13. In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis adinvicem. *In hoc enim præcepto discernuntur filii Dei, & filii diaboli: quia filii diaboli semper dissensiones & discordias movere satagunt; filii autem Dei semper paci & dilectioni student.*

LXII. OMNIBVS.

Lib. 1. c. 62. *Vt quibus data est potestas judicandi juste judi-*

Psal. 57. *cent, sicut scriptum est:* Iuste judicate, filii hominum. *Non in muneribus, quia munera excæcant corda prudentium, & subvertunt verba justorum. Non in adulatione, nec in consideratione personæ,*

Deut. 1. *sicut in Deuteronomio dictum est:* Quod justum est judicate: sive civis sit ille, sive peregrinus, nulla sit distantia personarum, quia Dei judicium est. *Primum namque judici diligenter discenda est lex a sapientibus populo composita; ne per ignorantiam a via veritatis erret: & dum ille rectum intelligit judicium, caveat ne declinet, aut per adulationem aliquorum, aut per amorem cujuslibet amici, aut per timorem alicujus potentis, aut propter præmium, a recto judicio. Rectum autem & honestum videtur, ut judices jejuni causas audiant, & discernant.*

LXIII. OMNIBVS.

Habemus in lege domino præcipiente: Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, neque assumes nomen domini Dei tui in vanum: *ideo omnino admonendi sunt omnes diligenter, ut caveant perjurium, non solum in sancto euangelio, vel in altari, seu in sanctorum reliquiis, sed & in communi loquela: quia sunt aliqui qui per caritatem & veritatem jurant, & cavent se a juramento nominis Dei, & nesciunt quod idem est Deus quod caritas & veritas, dicente Ioanne apostolo, quia* Deus caritas est. *item ipse dominus in euangelio:* Ego sum via & veritas. *ideo qui in veritate & caritate jurat, in Deo jurat. Item cavendum est, ne Pharisaica superstitione aliquis plus aurum honoret, quam altare: ne dicat ei dominus,* Stulte, & quid est majus, aurum an altare quod sanctificat aurum? *Sed & nobis honestum videtur, ut qui in sanctis habet jurare, hoc jejunus faciat, cum omni honore & timore Dei. Et sciat se rationem redditurum Deo unusquisque vestrum ubicumque sit, sive intra ecclesiam, sive extra ecclesiam. Et parvuli, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare, sicut* [a] *Gunebodingi faciunt. Et qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit posthac, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa vel alterius jurator existat.*

Lib. 1. Levit. Exod. — 1. Ioan. — Ioan. — Matth. — 22. q. — Parvu — [a] Gunebodingi

LXIV. OMNIBVS.

Habemus in lege domini mandatum: Non auguramini. *& in Deuteronomio:* Nemo sit qui ariolos sciscitetur, vel somnia observet, vel ad auguria intendat. *Item:* Nemo sit maleficus, nec incantator, nec Pythonis consultor. *Ideo præcipimus, ut nec cauculatores, & incantatores, nec tempestarii, vel obligatores non fiant; & ubicumque sunt, emendentur, vel damnentur. Item de arboribus, vel petris, vel fontibus, ubi aliqui stulti luminaria, vel alias observationes faciunt, omnino mandamus, ut ipse pessimus usus, & Deo execrabilis, ubicumque inveniatur, tollatur & destruatur.*

Lib. 1. Levit. — Deut.

LXV. OMNIBVS.

Prædicare necesse est, quantum malum sit odium, vel invidia, quia in lege scriptum est: Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum. *Item Ioannes euangelista:* Qui odit fratrem suum, homicida est. *Item in euangelio:* Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. *& cetera quæ ibi leguntur.*

Lib. 1. Levit. — 1. Ioan. — Matth.

LXVI.

De avaritia autem apostolum legimus dicentem: Avaritia, quæ est idolorum servitus, *cavenda est. De concupiscentia vero legitur, quod radix sit omnium malorum: & in lege:* Non concupisces rem proximi tui.

Lib. 1. Coloss. — Exod.

LXVII. OMNIBVS.

Lib. 1. *Item ut homicidia infra patriam, sicut in lege domini interdictum est, nec causa ultionis, nec avaritia, nec latrocinandi, non fiant; & ubicumque inventa fuerint, a judicibus nostris secundum legem ex nostro mandato vindicentur: & non occidatur homo, nisi lege jubente.*

LXVIII.

o
STI

LXVIII. OMNIBVS. A

Item & furta, & injusta connubia, nec non & falsa testimonia, sicut sæpe rogavimus, prohibete di-
68. ligenter, sicut & lex domini prohibet.

LXIX. OMNIBVS.

69. Et hoc cum magno studio admonendum est, ut filii honorent parentes suos, quia ipse dominus di-
o. cit. Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam dominus Deus tuus dabit te.

LXX. SACERDOTIBVS.

70. Vt episcopi diligenter discutiant per suas parochias presbyterorum fidem, baptisma catholicum, & missarum celebrationes, ut fidem rectam teneant, & baptisma catholicum observent, & missarum B preces bene intelligant, & ut psalmi digne secundum divisiones versuum modulentur, & dominicam orationem ipsi intelligant, & omnibus prædicent intelligendam, ut quisque sciat quid petat a Deo: & ut Gloria Patri cum omni honore apud omnes cantetur, & ipse sacerdos cum sanctis angelis, & populo Dei, communi voce Sanctus, sanctus, sanctus decantet. Et omnimodis dicendum est presbyteris & diaconibus, ut arma non portent, sed magis confidant in defensione Dei quam in armis.

71. LXXI. ALIQVID SACERDOTIBVS, ALIQVID OMN.

Placuit nobis admonere reverentiam vestram, ut unisquisque vestrum videat per suam parochiam, ut ecclesia Dei suum habeat honorem: simul & altaria secundum suam dignitatem venerentur: & C non sit domus Dei, & altaria pervia canibus: & ut vasa sacrata Deo cum magna veneratione habeantur: & ut sacrificia sanctificata cum magna diligentia ab eis colligantur qui digni sunt, vel cum honore serventur: & ut sæcularia negotia, vel vaniloquia in ecclesiis non agantur, quia domus Dei domus orationis debet esse, non spelunca latronum: & ut intentos habeant animos ad Deum, quando veniunt ad missarum solennia: & ut non exeant ante completionem benedictionis sacerdotalis.

LXXII. SACERDOTIBVS.

72. Sed & hoc flagitamus vestram almitatem, ut ministri altaris Dei suum ministerium bonis moribus D ornent, seu & alii canonici observantia ordinis, vel monachi proposito consecrationis, obsecramus ut bonam & probabilem vitam & conversationem habeant, sicut ipse dominus in euangelio præcipit: Sic
. luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est: ut eorum bona conversatione multi attrahantur ad servitium Dei: & non solum servilis conditionis infantes, sed etiam ingenuorum filios aggregent, sibique socient. Et ut schola legentium puerorum fiant, psalmos, notas, cantus, computum, grammaticam per singula monasteria vel episcopia discant, sed & libros catholicos bene emendatos habeant: quia sæpe dum be- E ne aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros male rogant. Et pueros vestros non sinite eos vel legendo vel scribendo corrumpere. Et si opus est euangelium, vel psalterium, & missale scribere, perfectæ ætatis homines scribant cum omni diligentia.

LXXIII. SACERDOTIBVS.

.73. Simul & hoc rogare curavimus, ut omnes ubicumque, qui se voto monachicæ vitæ constrinxerunt, monachice & regulariter omnimodis secundum votum suum vivant, secundum quod scriptum
4. est: Vota vestra reddite domino Deo vestro. & iterum: Melius est non vovere, quam vovere & non reddere. Et ut ad monasteria venientes, secundum regularem ordinem, primo in pulsatorio probentur, & sic recipiantur. Et qui ex sæculari habitu in monasteria veniunt, non statim foras ad ministeria monasterii mittantur, antequam intus bene erudiantur. Et ut monachi ad sæcularia placita non vadant. Similiter qui ad clericatum accedunt, quod nos nominamus canonicam vitam, volumus ut illi canonice secundum suam regulam omnimodis vivant, & episcopus eorum regat vitam, sicut abba monachorum.

ANNO CHRISTI 787.

LXXIV. OMNIBVS.

Vt æquales mensuras & rectas, & pondera justa & æqualia omnes habeant, sive in civitatibus, sive in monasteriis, sive ad dandum in illis, sive ad accipiendum, sicut in lege domini præceptum habemus. Item in Salomone, domino dicente: Pondus & pondus, mensuram & mensuram odit anima mea. Lib.1.c.74. Levit.19. Prov.25.

LXXV. OMNIBVS.

Et hoc nobis competens & venerabile videtur, ut hospites, peregrini, & pauperes, susceptiones regulares & canonicas per loca diversa habeant: quia ipse dominus dicturus erit in remuneratione magni diei: Hospes eram, & suscepistis me. Et apostolus hospitalitatem laudans dixit: Per hanc quidam placuerunt Deo, angelis hospitio susceptis. Lib.1.c.75. Matth.25. Hebr.13.

LXXVI. EPISCOPIS ET ABBATIBVS.

Auditum est aliquas abbatissas, contra morem sanctæ Dei ecclesiæ, benedictiones cum manus impositione & signaculo sanctæ crucis super capita virorum dare, nec non & velare virgines cum benedictione sacerdotali; quod omnino a vobis, sanctissimi patres, in vestris parochiis illis interdicendum esse scitote. Lib.1.c.76.

LXXVII. CLERICIS.

Vt illi clerici, qui se fingunt habitu vel nomine monachos esse, & non sunt, omnimodis videntur esse corrigendi atque emendandi, ut vel veri monachi sint, vel veri canonici. Lib.1.c.77.

LXXVIII. OMNIBVS.

Pseudographiæ, & dubiæ narrationes, vel quæ omnino contra fidem catholicam sunt, ut epistola pessima & falsissima, quam transacto anno dicebant aliqui errantes, & in errorem alios mittentes, quod de cælo cecidisset, nec credantur, nec legantur, sed comburantur, ne in errorem per talia scripta populus mittatur. Sed soli canonici libri, & catholici tractatus, & sanctorum auctorum dicta legantur & tradantur. Lib.1.c.78.

LXXIX.

ALIQVID SACERDOTIBVS, ALIQVID OMNIBVS.

Item ut isti mangones & " cottiones, qui sine omni lege vagabundi vadunt, per istam terram non sinantur vagari, & deceptiones hominibus agere. Nec isti nudi cum ferro, qui dicunt se data sibi pœnitentia ire vagantes. Melius videtur, ut si aliquid inconsuetum & capitale crimen commiserint, in uno loco permaneant laborantes, & servientes, & pœnitentiam agentes secundum quod sibi canonice impositum sit. Lib.1.c.79. " cotiones

XXC. OMNIBVS CLERICIS.

Monachi ut cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel gradale officium peragant, secundum quod beatæ memoriæ genitor noster Pippinus rex decertavit ut fieret, quando Gallicanum cantum tulit, ob unanimitatem apostolicæ sedis, & sanctæ Dei ecclesiæ pacificam concordiam. Lib.1.c.80.

Anno Christi 789.

XXCI. OMNIBUS.

Lib.1.c.81. *Statuimus quoque, secundum quod & in lege dominus præcepit, ut opera servilia diebus dominicis non agantur, sicut & bonæ memoriæ genitor meus in suis synodalibus edictis mandavit, quod nec viri ruralia opera exerceant, id est, nec in vinea colenda, nec in campis arando, nec in metendo, vel fenum secando, vel sepem ponendo, nec in silvis stirpare, vel arbores cadere, vel in petris laborare, nec domos construere: nec in horto laborent, nec ad placita conveniant, nec venationes exerceant. Sed tria carraria opera licet fieri in die dominico, id est, hostilia carra, vel victualia, vel si forte necesse erit corpus cujuslibet duci ad sepulcrum. Item feminæ opera textrilia non faciant, nec capulent vestitus, nec consuant, vel acupictile faciant: nec lanam carpere, nec linum battere, nec in publico vestimenta lavare, nec berbices tondere habeant licitum: ut omnimodis honor & requies diei dominici servetur. Sed & ad missarum solennia ad ecclesias undique conveniant, & laudent Deum in omnibus bonis quæ nobis in illo die fecit.*

XXCII. OMNIBUS.

Lib.1.c.81. *Sed & unicuique vestrum videndum est, dilectissimi & venerabiles pastores & rectores ecclesiarum Dei, ut presbyteri, quos mittitis per parochias vestras, ad regendum & ad prædicandum per ecclesias populum Deo servientem, recte & honeste prædicent; & non sinatis nova, & non canonica, aliquos ex suo sensu, & non secundum scripturas sacras, fingere & prædicare populo. Sed & vosmetipsi utilia honeste & recte, & quæ ad vitam ducunt æternam prædicate, aliosque instruite, ut hæc eadem prædicent. Primo omnium prædicandum est omnibus generaliter, ut credant Patrem & Filium & Spiritum sanctum unum esse Deum omnipotentem, æternum, invisibilem, qui creavit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: & unam esse deitatem, substantiam, & majestatem in tribus personis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Item prædicandum est, quomodo Filius Dei incarnatus est de Spiritu sancto, & ex Maria semper virgine, pro salute & reparatione humani generis, passus, sepultus, & tertia die resurrexit, & ascendit in cælos: & quomodo iterum venturus sit in majestate divina judicare omnes homines secundum merita propria: & quomodo impii propter scelera sua cum diabolo in ignem æternum mittentur, & justi cum Christo, & cum sanctis angelis suis in vitam æternam. Item diligenter prædicandum est de resurrectione mortuorum, ut sciant & credant in iisdem corporibus præmia meritorum accepturos. Item cum omni diligentia cunctis prædicandum est, pro quibus criminibus deputentur cum diabolo in æternum supplicium. Legimus enim apostolo dicente:* Galat. 5. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur. *Ideo hæc eadem, quæ magnus prædicator ecclesiæ Dei singillatim nominavit, cum omni studio prohibeantur, intelligentes quam sit terribile illud quod dixit:* Quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur. *Sed & omni instantia admonete eos de dilectione Dei & proximi, de fide & spe in Deo, de humilitate & patientia, de castitate & continentia, de benignitate & misericordia, de eleemosynis & confessione peccatorum suorum, & ut debitoribus suis secundum dominicam orationem sua debita dimittant; scientes certissime, quod qui talia non agunt regnum Dei non possidebunt. Et hoc ideo diligentius injungimus vestræ caritati, quia scimus temporibus novissimis pseudodoctores esse venturos; sicut ipse dominus in* Matth. *evangelio prædixit, & apostolus Paulus ad Timotheum testatur.* 1.Tim. *Ideo, dilectissimi, toto corde præparemus nos in scientia veritatis, ut possimus contradicentibus veritati resistere, & divina donante gratia verbum Dei crescat & currat; & multiplicetur in profectum sanctæ Dei ecclesiæ, & salutem animarum vestrarum, & laudem & gloriam nominis domini nostri Iesu Christi. Pax prædicantibus, gratia obedientibus, gloria domino nostro Iesu Christo.*

Anno [u] dominicæ incarnationis DCCLXXXIX. *indictione* XII. *anno* XXI. *regni nostri actum est hujus legationis edictum in Aquisgrani palatio publico. Data est hæc charta die* X. *Kalendas Apriles.*

NOTA IACOBI SIRMONDI, S.I.

1 *Capitulare Aquisgranense.*] Capitula synodalia vocantur in concilio Suessionensi anni 853. Et horum quidem cum sua præfatione alterum est exemplar in veteri codice sancti Remigii, sed breviatum, & quale ab Ansegiso abbate translatum est in primum librum capitulorum; succisis nimirum detractisque synodorum ac pontificum decretis, quæ per singula fere capita commemorantur. In exemplari autem Aquitanico, cum subdita suis locis decreta omnia offendissem, minimeque dubium videretur, quin hic germanus atque integer totius capitularis textus esset, hoc potius modo edendum existimavi. Ceterum, quotquot ex synodis Græcis hic canones proferuntur, discrepant a vulgata versione Dionysii, & cum alia interpretatione consentiunt, cujus exemplaria nunc etiam servantur in Aniciensi, & in Corbejensi, atque in aliis Galliæ bibliothecis.

CAROLI MAGNI REGIS

1 CAPITULA

QUÆ AD MONACHOS PROPRIE SPECTANT,

Eidemque loco & anno, quibus superiora, in nonnullis codicibus adscribuntur.

I.

De monachis gyrovagis, vel sarabaitis.

II.

De anachoretis, melius est ut hortentur in congregatione permanere, quam animus eorum [a] alicubi ambulare tentet.

III.

Ut non parvipendentes sint pastores animarum sibi commissarum; nec majorem curam habeant de lucris terrenis, quam de animabus sibi commissis.

IV.

De obedientia quæ abbati debet exhiberi, & ut absque murmuratione fit.

V.

De decanis & præpositis, ut eorum mutatio secundum regulam fiat.

VI.

De cellarariis monasterii, ut non avari, sed tales mittantur, quales regula præcipit.

VII.

Ut ubi corpora sanctorum requiescunt, aliud oratorium habeatur, ubi fratres secrete possint orare.

VIII.

ANNO CHRISTI 789.

VIII.

De eulogiis.

IX.

De susceptione hospitum, sicut regula continet.

X.

De vestimentis monachorum, ubi superfluum est, abscidatur; & ubi minus, augeatur.

XI.

De noviter venientibus ad conversionem, ut secundum regulam probentur, & non antea recipiantur, nisi sicut regula jubet. Et nullus cogatur invitus promittere: & de obedientia, & de stabilitate permanendi, sicut regula jubet.

XII.

De filiis nobilium qui offeruntur.

XIII.

De ordinando abbate.

XIV.

De fratribus in viam directis.

XV.

Vt nullus abbas pro susceptione monachi præmium quærat.

XVI.

Vt disciplina monachis regularis imponatur, non sæcularis: id est, non orbentur, non mancationes alias habeant, nisi ex auctoritate regulæ.

NOTA IACOBI SIRMONDI S. I.

1 *Capitula quæ ad monachos.*] In codice sancti Vincentii capitulare istud cum sequenti conjungitur, & seorsim utrumque ante Ansegisi collectionem ponitur cum eo titulo qui proxime ad calcem præcedentis capitularis est additus: *Anno dominicæ incarnationis*, &c. ut ad eumdem locum & annum pertinere intelligatur. Copulantur similiter, eidemque titulo subjiciuntur in editione Bavarica.

ITEM ALIA CAPITVLA DE DIVERSIS REBVS,

PARTIM ECCLESIASTICIS, PARTIM POLITICIS.

I.

Vt comites pupillorum & orphanorum causas primum audiant: & in venationem non vadant in illo die quando placitum debent custodire, nec ad pastum.

II.

De sacramento fidelitatis, quod nobis & filiis nostris jurare debent, quod his verbis contestari debet: Sic promitto ego ille partibus domni mei Karoli regis, & filiorum ejus, quia fidelis sum & ero diebus vitæ meæ, sine fraude vel malo ingenio.

III.

De monasteriis minutis, ubi nonnanes sine regula sedent, volumus ut in uno loco congregatio fiat regularis, & episcopi prævideant ubi fieri possit: & nulla abbatissa foras monasterium exire præsumat sine nostra jussione, nec sibi subditas facere permittat: & earum claustra sint bene firmata, & nullatenus Vvinileodes scribere vel mittere præsumant: & de pallore earum propter sanguinis minuationem.

IV.

De codicibus vel tabulis requirendum. & ut nullus in psalterio, vel in euangelio, vel in aliis rebus sortiri præsumat, nec divinationes aliquas observare.

A

V.

Vt nullus glorietur per injustitiæ rationem, aut conquirere aliquid, aut continere.

VI.

Vt illæ disciplinæ, quæ propter legem conservandam sunt constitutæ, propter præmium non dimittantur.

VII.

Vt audiant episcopi baptisterium presbyterorum, ut secundum morem Romanum baptizent.

VIII.

De calceamentis secundum Romanum usum.

IX.

Vt in diebus festis vel dominicis omnes ad ecclesiam veniant, & non invitent presbyteros ad domos suas ad missam faciendam.

B

X.

Omnino prohibendum est omnibus ebrietatis malum: & istas conjurationes, quas faciunt per sanctum Stephanum, aut per nos, aut per filios nostros, prohibemus: & præcipimus ut episcopi vel abbates non vadant per casam miscendo.

XI.

De eo quod missi nostri providere debent, ne forte aliquis clamor super episcopum, vel abbatem, vel abbatissam, vel comitem, seu super qualemcumque gradum sit, & nobis renuntiare.

C

XII.

De injustis teloneis.

XIII.

De manu leprosi.

XIV.

Vt monachi, & qui in gradu sacerdotali constituti sunt, ad sæcularia negotia non transeant. De reliquis tonsuratis detur spatium usque in synodum nostram.

XV.

Vt episcopi & abbates & abbatissæ cuplas canum non habeant, nec falcones, nec accipitres, nec joculatores.

D

XVI.

De pauperibus in plateis vel quadruviis jacentibus, ut ad ecclesiam veniant, & illorum confessiones donentur.

XVII.

Vt super altaria ' tecuaria fiant, vel laquearia.

XVIII.

Vt cloccæ non baptizentur, nec chartæ per perticas pendeant propter grandinem.

XIX.

Vt missi nostri provideant beneficia quomodo sint ' condirecta, & nobis renuntiare ' sciant.

XX.

De leprosis, ut se non intermisceant alii ' populo.

E

XXI.

Et ommino missis nostris præcipimus, ut bona quæ aliis per verbum nostrum docent facere, factis in seipsis ostendant ".

' tuguria; in ms. Pal. teguria.

' condricta

' faciant

' Christiano

" in ms. Pal. proxime subjunguntur capitula quæ ad annum 802. Sirmondus edidit ex cod. S. Vincentii Metensis.

CONCILIVM VVORMATIENSE VI.

ANNO CHRISTI 790.

ANNVM *Christi* DCCXC. *Vvormatiæ transegisse, atque a bellis cessasse Carolum Magnum plerique omnes tradunt. Conventus autem Francorum in ea civitate illo anno habiti mentio est in chronico sancti Arnulfi.* Anno, *inquit*, DCCXC. rex Carolus conventum Francorum habuit in Vvormatia civitate, disposuitque ea quæ

ANNO CHRISTI 790.

quæ utilia videbantur esse in regno suo. In illo vero anno in nullam partem duxit exercitum.

Neque abs re fuerit subjugere paucis qua ad annum sequentem DCCXCI. habentur in eodem chronico: Rex Carolus in partibus Baioariorum perrexit, & ad Ragenesburc venit, ubi etiam exercitum suum venire jussit, ibique cum consilio optimatum regni disposuit ire in regnum Avarorum, propter intolerabilem malitiam quam in Galliarum populos & in ecclesiam Dei fecerant. Venit ergo cum exercitu usque ad Anasen fluvium. ubi triduanum jejunium cum letaniis fecerunt. postulantes a Deo salutem exercitus, & vindictam inimicorum. Rex itaque &c. *Describit victoriam Caroli, & fugam Avarorum.*

Porro illo anno DCCXCI. *litera dominicalis fuit B. ac proinde Nonæ mensis Septembris in diem Lunæ inciderunt. quod quadrat cum epistola Caroli Magni ad Fastradam conjugem quæ superiore tomo pag... edita est post Hadriani epistolam XIV. victoriam tamen de Avaris per exercitum Francorum qui ex Italia venerat, alii conjicere videntur in an. 788.*

ANNO CHRISTI 791.

[a]CONCILIVM [b] FOROIVLIENSE [c] A PAVLINO AQVILEIENSI [d] IN CAVSA sacrosanctæ Trinitatis, & incarnationis verbi divini congregatum, sub Hadriano papa I. [e] anno domini DCCXCI. & Caroli Magni XXIII.

REGNANTE domino nostro Iesu Christo in perpetuum super omnes cælos, & super omnem terram, rege regum, & domino dominantium, cujus regnum regnum sempiternum est, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. De cujus largissimæ benignitatis manu invictissimi principes dominus Carolus ac Pippinus, donativo pietatis ejus suscepto regalia sceptra, ipso opitulante, prosperis gubernare rebus probantur.

Anno igitur felicissimo principatus eorum tertio & vicesimo, & 15. canonicis siquidem evocatum syllabis fraternum quorumdam episcoporum contubernium Forojulium municipium metropolim Aquileiensem veneranter coacervatum convenit. Igitur residentibus cunctis ex more in sedilibus præparatis, assistente vero circumquaque non modica fratrum consentanea turba in ecclesia beatæ semperque virginis Dei genitricis Mariæ: immolato namque Deo primum in ara cordis sacrificio laudis & orationis hostia in altari pectoris, caritatis igne concremata: post apostolicam & euangelicam lectionem, hymnisque spiritalibus salubriter prælibatis, necdum valvis publicis reseratius patefactis, persistente nimirum pro foribus vulgi glomerata caterva, per secretioris januæ aditum, vocante archidiacono, intromissus est ad brevem, sacerdotalis sub silentio venerabilis cœtus. Paulinus Christi & domini servus his verbis post paululum loquendi principium dedit.

Hic Paulinus episcopus Aquileiensis etiā interfuit synodo Francofordiensi. Paulinus ad synodū quid? Nicæn. cōcil. can. 5. Dist. 18. Habeatur.

Nulli prorsus dubium, domini, sacerdotum, qui sacras venerandorum canonum regulas vigilanti non omiserit ingenio sagacius explorare, bis in anno concilium per unamquamque provinciam fieri debere, in urbe scilicet, & metropoli, in quolibet opportuno loco, juxta metropolitani ejusdem regionis arbitrium, & ut temporis commodius dictaverit ordo, propter necessariam videlicet ecclesiasticæ dignitatis curam. Quinimo propter confluentia gerendarum rerum confusaque negotia, quæ crebrius litis de radice spinosis causarum emergere aculeis consuevit, ac per hoc pullulantia dominici ruris triticeæ messis virentia sata adhuc, ut ita dixerim, infra stipulæ thecam spiritualium fructuum turgentibus spicis, necdum in flaventes culmos aureas erumpentes aristas, necdum sterilium zizaniorum manipulis in uno fasce ignitis funibus colligatis ultricibus traditis in pabulum flammis, umbrosis nihilo minus suffugare falsitatum rhamniculis moliuntur.

Qua de re talia & hujuscemodi pestifero de virgulto fruteta gliscentia, plurimorum nimirum venerabilium fratrum, qui agrum curiæ cælestis patroni summa solicitudinis cura excolere sunt deputati, radicitus necessarium fore prospectum est, ut linguarum falcibus detruncata marcescant, quatenus sæpius censuræ magisterio nequitiæ rescissis ramusculis, ipsa quandoque radicum materies, veneni infusione vitiata, funditus evellatur. Sed quamobrem juxta quod definitum est in hac veneranda sede, cui Deo auctore, non meis meritis, sed gratuito me præesse munere recognosco, per tot temporum curricula minime sit reverendi concilii sessio celebrata, vestram scire non ambigo sincerissimam caritatem. Nam propter improbos, qui solent irrumpere, mundanos tumultus, propterque imminentia præliorum bella, quæ circumquaque per gyrum finium nostrorum frementi ferocitate ingruere non cessabant, intermissum interim hoc magnificum opus procul dubio poterit approbari. Verumtamen non penitus intermissum veridicis valebit assertionibus æstimari. Nam quoties reverendis principalibus accersiti imperiis, in generali celeberrimæ synodi venerabilium patrum conventione, humillimam parvitatis meæ præsentiam, quia sæpius contigit adfuisse, vestris est animis, ut opinor, non celatum, vestrisque etiam obtutibus aliquoties latius patuisse in promptu, non dubito. Nunc autem divina opitulante clementia, attritis utique ferocium barbarorum superbiæ typho erectis cervicibus, auxilio per omnia adminiculante de cælo, reddita jam quietissima pace terris, superna prorsus largiente gratia, paululumque respirantibus regalibus jussis, necessarium duximus summopere festinantes dilectissimam fraternitatem vestram, juxta priscorum canonum inviolabiles sanctiones in uno collegio aggregari: quatenus insolubili caritatis vinculo colligati, suppliciter eum exorantes, qui suis dignanter sese fidelibus repromisit in medio adfuturum, ubi in unum duo vel tres in ejus fuerint nomine congregati. Sicque sub ejus præsentia, licet indigni, ejus tamen famuli constituti, incipiamus jam jamque ipso auctore & consummatore nostri certaminis, & perfectore operum nostrorum, quin potius suorum, magis dicam, quam nostrorum operum perfectore, quia omnia ejus sunt, & de illius cuncta gratis suscipimus manu. Scriptum quippe est: *Omnia opera nostra operatus es in nobis.* Diligenti profecto exigentes cura, si qua sunt irrita & enormi statione persistentia, quæ sacris oporteat valenter legibus coerceri, præterita corrigere, præsentia suffulciendo constituere, futura præcavendo vitare. Isai.

Sed quoniam ad hujus spiritualis ædificii fabricam constituendam, fundamenta sunt primum fidei nihilo minus profundius jacienda, super illud videlicet inflexibile fundamentum modis

modis omnibus inserenda, de quo per Paulum A dicitur: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Cujus nimirum fundamenti constructio non debet inordinata manu jactata fulciri. Clamat profecto illa præconia voce in amoris cantico, in cujus thalami constructione hæc jaciuntur altius fundamenta, *Ordinata* (ait) *in me caritate:* Cuique longe ante prophetico repromittebatur oraculo: *Sternam* (inquiens) *per ordinem lapides tuos, fundabo te in sapphiro.* Per sapphirum quippe, qui aeream fingit simulando pulcritudinem, fidei simillimum non inconvenienter demonstrat mysterium.

Primum ergo visum est mihi, omnium minimo domini servorum, in primi ordinis fronte B ipsum textum symboli salubriter a sanctis editum patribus, quasi lineam in directum normulatim æquo moderamine, in fundamenti hujus spiritalis ædificii mole, intrinsecus ac forinsecus tendere, ut coæquata juxta illius rectitudinis normulam tota nostri operis fabrica, hinc inde catholicæ fidei libratim submissa perpendiculo, rectius ad altiora excrescens, convenienter in utroque pariete, æquis disputationum metita funiculis, in summa scientiæ arte perfectionis culmen veridicis assertionibus fulciatur. Persistente autem hujus invisibilis ædificii æqualiter tricamerata structura, quatuor prorsus virtutum altrinsecus positis subnixa fornicibus, jam jam- C que triplici purpureoque in funiculo, qui difficile rumpitur, aureum jucundius suspendatur decus ornamentorum.

Post inviolabilem igitur & meo sensu modis omnibus inserendam symboli definitionem, a venerandis videlicet (sicut dictum est) olim præsulibus sancto revelante Spiritu mirabiliter prælibatam: a trecentis siquidem decem & octo, qui apud Nicæam Bithyniæ, & centum quinquaginta, qui apud Constantinopolim. De mysterio namque sanctæ & mirabilis Trinitatis planiore me repromisisse profiteor sermone dicturum: sophisticas per omnia verborum phaleras devi- D tantes, sed & isagogicas argumentorum relinquentes inextricabiles conclusiones, simpliciter, propter simplicium mentes, liquidiusque, ut humanæ permittit possibilitas infirmitatis: vel certe, ut ipsa de se sancta dignatur Trinitas revelare, cultiore potius sensu quam stylo, cupio redolere, propter varios videlicet hæreticorum errores, diversasque quorumdam simplicium suspiciones, non alteram componere vel docere fidem consentio, sed eam, quam a sanctis patribus traditam omnia sinceriter sæcula susceperunt. Scio namque quibusdam in synodalibus foliis esse sancitum, ad refellendas siquidem novas, & multiplices hæreses, præsertim propter frau- E dulentam fictamque Nestorii vel Eutychis falsidicorum pestilentiumque virorum, non fidem dicam, sed potius perfidiam, non licere cuiquam alterius fidei symbolum docere vel componere. Sed absit a nobis, proculque sit ab omni corde fideli, alterum, vel aliter quam illi instituerunt symbolum vel fidem componere vel docere. Sed juxta eorum sensum ea fortasse, quæ propter brevitatis compendium minus quam decet a simplicibus vel indoctis intelliguntur, exponendum decrevimus tradere, ac memoria mandavimus eam, ipsumque textum symboli retinere: quatenus juxta apostolum idoneus sit homo Dei, ad omne opus bonum paratus, ad resistendum non sanæ fidei. Ait enim ipse: *Sine fide impossibile est Deo placere.* Hinc alias scriptum est: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Ipse enim admirabilis doctor prohibet variis nos & peregrinis abduci, sanam tamen doctrinam docet fidelibus modis omnibus prædicari. Enimvero non est in argumento fidei addere vel minuere ea quæ a sanctis patribus bene salubriterque sunt promulgata: secundum eorum sensum recte sentire, & exponendum eorum subtile supplere ingenium: sed addere vel minuere, est subdole contra sacrosanctum eorum sensum, aliter quam illi, callida tergiversatione diversa sentire, & confuso stylo perversum dogma componere, ac per hoc impio ore potius jactanter garrire, quam docere præsumere. Plurimorum etenim catholicorum virorum, ecclesiarumque Dei cultorum, sacræ fidei compositum venerabile legitur opus, aliis quidem verbis dissimilique calamo resonante, sed eumdem sensum, eumdemque ingenii intellectum, concorditer inviolatæ fidei uno assertionis redolere probantur documento. Nam si recenseatur Nicæni symboli series veneranda, nihil aliud de Spiritu sancto in ea, nisi hoc modo reperiri poterit promulgatum: Et in sanctum, inquiunt, Spiritum. Quid est ergo dicere, Et in Spiritum sanctum? quomodo accipienda est tam brevissima eorum professio, nisi ut patenter detur intelligi, mentium eorum integræ fidei religiosa devotio, & in sanctum Spiritum, sicut & in Patrem & in Filium, probabiliter credidisse, quemadmodum postea a sanctis patribus centum quinquaginta, qui contestati sunt symboli fidem Nicæni concilii inviolatam perenniter permanere? Suppleverunt tamen, quasi exponendo eorum sensum, & in Spiritum sanctum confitentur se credere, dominum & vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum. Hæc enim & cetera quæ sequuntur, in Nicæni symboli sacro dogmate non habentur. Sed & postmodum, propter eos videlicet hæreticos qui susurrant Spiritum sanctum solius esse Patris, & a solo procedere Patre, additum est: Qui ex Patre Filioque procedit. Et tamen non sunt hi sancti patres culpandi, quasi addidissent aliquid vel minuissent de fide trecentorum decem & octo patrum, quia non contra eorum sensum diversa senserunt, sed immaculatum eorum intellectum sanis moribus supplere studuerunt. Didicerant itaque 150. qui intulerunt a Patre procedentem, euangelista testante, repromisisse discipulis ipsum unigenitum de suo Spiritu: *Spiritus qui a Patre procedit, ipse me clarificabit.*

Legerant nempe ii sequentes, qui addiderunt, Qui ex Patre Filioque procedit, ipsam eamdemque veritatem in euangelio redarguentem Philippum: *Philippe*, inquit, *qui videt me, videt & Patrem meum. An non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Si ergo, sicut ipse testatur, inseparabiliter & substantialiter est Pater in Filio, & Filius in Patre, quo pacto credi potest, ut consubstantiali Patri Filioque Spiritus sanctus, non a Patre Filioque essentialiter & inseparabiliter semper procedat? Quis est iste, obsecro, qui dicit discipulis suis, cum insufflasset in eos: *Accipite Spiritum sanctum?* Quis est, inquam, qui repromisit eis? Nonne unigenitus Filius, qui in Patre est, & Pater in eo? *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet? Cum assumptus fuero,* mittam

Hebr. 11.
Isai. 7.
Hebr. 13.
Spiritus S. a Patre & Filio procedit.
Ioan. 15.
Ioan. 16.
Ioan. 14.
Ioan. 20.
Ioan. 14.
Ioan 16.
Ioan. 14.

ANNO CHRISTI 791.

mittam eum vobis. Et illud: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis?* Sæpe etenim a nobis nostrisque majoribus indubitanter diffinitum est, inseparabilia semper esse opera sanctæ Trinitatis. In eo namque Spiritus sanctus a Filio procedere creditur, in quo a patre procedere non dubitatur. Sed melius hoc approbare valemus, si rei gestæ actio, quæ per apostolos est executa, in medio revolvatur. Per fidelissima quippe historiæ argumenta, quæ Actus nuncupatur apostolorum, Luca euangelista testante cognovimus, prædicante Petro in Iudæa, tria fere millia credentium compuncta corde, dixisse ad Petrum & reliquos apostolos: *Act. 2.* *Quid faciemus viri fratres?* Respondisse vero Petrum pro se & pro cunctis ad illos didicimus: *Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum.* Et rursus, accersitus a Cornelio centurione, viro justo & timente Deum, cum aperuisset os suum, euangelizabat illis multa de regno Dei, & nomine Iesu Christi; *Act. 10.* *Et adhuc eo loquente, Spiritus sanctus cecidit super eos qui audiverant verbum:* & post pauca protinus subinfertur dixisse Petrum: *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? Et jussit eos in nomine Iesu Christi baptizari.* Sed & doctor & magister gentium in fide & veritate solertissimam curam gerens omnium ecclesiarum, cum de Ioannis *Actor. 19.* baptismate disputaret, quia *Ioannes quidem baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, in eum qui venturus est post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum.* *Act. 8.* *His auditis, baptizati sunt in nomine Iesu.* Porro multi Samaritanorum, cum credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei & nomine Iesu, baptizabantur viri & mulieres, haud dubie in nomine Iesu Christi. Si ergo omnes isti, qui euangelizantibus sanctis apostolis credentes baptizati sunt in nomine Iesu Christi, & sancta ecclesia inviolabiliter fundata super eam persistit petram, quam beatus Petrus, non carne & sanguine, sed Patre qui in cælis est, revelante, sibi confessus est, & illius fide regitur & gubernatur omnis ecclesia, cuique specialiter quasi primo pastori dictum *Matth. 16.* est: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam:* ubi est (inquam) illa regula Trinitatis, quam generaliter suis post resurrectionem dominus apostolis commendavit, quorumque principatum idem beatus gerebat Petrus a- *Matth. 28.* postolus? *Ite, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Cur magister in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & discipuli in nomine tantum Iesu præcipiunt baptizari? Numquid aliud veritas per semetipsam docuit, & aliud discipuli veritatis, vel aliam formam doctrinæ ecclesiis tradiderunt? Absit hoc. Nullus sic desipit qui sani capitis est. Nullus tam insanæ furiæ mancipatus, qui hæc vel mente tractare præsumat. Sed videamus qualiter utrumque verum & sanctum est, socialeque bonum & individuum mysterium. Sacramentum igitur sanctæ Trinitatis, quam magister & dominus tribus enumeratis personis, in uno tamen nomine voluit demonstrare; hoc ejusdem veritatis discipuli, in una de Trinitate persona, id est, Filii, totam sanctamque Trinitatem essentialiter, sancto sibi revelante Spiritu intelligere meruerunt. Quoniam sicut crebrius dictum est, inseparabilia sunt semper opera Trinitatis. Vbi enim Pater, ibi inseparabiliter Filius & Spiritus sanctus. Et ubi Filius, ibi inenarrabiliter Pater & Spiritus sanctus. Et ubi Spiritus sanctus, ibi incomprehensibiliter Pater & Filius. Nam etsi audierant discipuli, præcipiente domino & magistro propter mysterium Trinitatis: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti:* *Matth.* audierunt profecto præsentes eum ostendentem sibi unitatem naturæ: *Ego, ait, & Pater unum sumus.* *Ioan.* Et rursus: *Ego in Patre, & Pater in me est.* *Ioan.* Et iterum: *Pater autem in me manens, ipse facit opera.* *Ibidem* Sed & verbum illud consubstantiale Patri sanctoque Spiritui, internis intuentes obtutibus, quod *in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat, & per quem omnia facta sunt,* *Ioan.* semper in Patre, semper cum Patre, semper apud Patrem, inseparabiliter sciebant permanere. Vnde non immerito Philippus redargui debuit, qui alicubi fortassis Patrem aut plus aliquid quærebat, cum diceret: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* *Ioan.* Cuique protinus a domino quasi per increpationem refertur: *Tanto (inquit) tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. An non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* De Spiritu autem sancto, ut ostenderet eum suum Patrisque, sic ait: *Spiritus (inquit) veritatis, qui a Patre procedit, ille me clarificabit.* *Ioan.* Nam qui de Patre procedit, Patris profecto Spiritus est: & qui veritatis Spiritus est, suus nihilo minus Spiritus est: ipse enim de se dicit: *Ego sum via, veritas & vita.* *Ibidem* * Hinc per Isaiam * Hur Patris testatur esse, cum propter assumptum hominem loquitur: *Spiritus domini super me.* *Isai. 6* Et illud: *Dominus misit me & spiritus ejus.* *Isai. 4* Et quia suus est, idem ipse per Ioelem promisit, dicens: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* *Ioel. 2* Quam bene ergo dominus alta & ineffabili sapientia, ut ostenderet personaliter mysterium Trinitatis, *In nomine (inquit) Patris & Filii, & Spiritus sancti.* *Actor.* Et ut demonstraret inseparabilem essentialiter individuæ deitatis unitatem, præmisit: *In nomine.* Non enim ait, in nominibus, quasi in multis: sed *in nominē,* quia trinus & unus est Deus. Non enim naturam, sed personam discrevit. Quam feliciter quidem & apostoli in nomine Iesu, id est, salvatoris, totam sanctam & ineffabilem docuerunt intelligere Trinitatem! Quam catholice & sancti patres, in hac fidei stabilitate solidati, a Patre sanctum Spiritum procedere sunt professi! Quam gloriose & illi, qui eum ex Patre Filioque procedere confitentur! Hinc perspicue datur intelligi sempiterna Dei Patris & omnipotens sapientia, quæ mirabiliter intelligentiæ nostræ infantiam erudire non cessat, cum de se inclinatius loqui in sacro dignatur eloquio, ut se innotescat trinum & unum Deum. Modo propter personarum discretionem distincte loquitur, modo vero indiscrete, propter consubstantialem individuæ deitatis unitatem. Nam si semper indiscrete, absconderet utique mysterium Trinitatis. Si vero semper distincte, excellentiam profecto celaret inseparabilem deitatis. Docet nimirum per sacras testamentorum paginas modo mirabili utrumque, ut intelligamus, & corde credamus ad justitiam, & ore confiteamur ad salutem, trinum & unum Deum. *Rom.* Vnde & ipsa divinitas trinus & unus Deus, licet sit inenarrabilis, non tamen est incognoscibilis. Cognosci nempe creator a sua rationabili debet creatura. *Ioan. 1* Hinc est quod in euangelio vnigenitus, qui est in sinu Patris, loquitur Genitori:

nitori: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Hinc
1. alias per prophetam prædicendo testatur, dicens:
17. *Cognoscent me* (inquit) *omnes, a minimo usque ad*
31. *maximum.* Hinc vas electionis de ignorantibus
14. Deum per exprobrationem intonans ait: *Qui ignorat ignorabitur.* Inenarrabilis quippe est, quoniam quantus aut quid sit Deus inveniri non potest, & non solum humana, sed neque subtilis & incorporea angelica natura, summam illam & incomprehensibilem & incircumscriptam divinitatis essentiam, nulla * plenius investigare subtilitatis posset sagacitate. Nam etsi angeli fonti scientiæ perenniter assistentes, omnia sciunt, ipsum tamen scientiæ fontem cujus sit magnitudinis, qui nec initium recipit, nec fine concluditur, metiri
46. nequeunt. *Magnus tamen est dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus.* Tantum de illo absque dubio sciunt, quantum ille illis de se revelare dignatur. Verumtamen cognoscibilis est & illis, juxta quod illi secundum suam possunt naturam capacius sustinere, & nobis scilicet in speculo & in ænigmate
13. quamdiu per fidem ambulamus, & non per speciem, juxta modum nostræ naturæ, inquantum nostra prævalet possibilitatis infirmitas summatim sentire. In sacro autem eloquio, vel in fidei instrumento addere vel minuere, est non recte, & aliter sentiendo intelligere, quam a sancto Spiritu per calamum linguæ sanctorum virorum ænigmatum mirabiliter constant mysteriorum sacramenta digesta, qui eodem sancto afflati Spiritu per sacras ea librorum exarare paginas studuerunt. Sicuti est mos proprius hæreticorum, qui negligentes divinæ scripturæ sensum vel modum, genusque locutionis corrupti ab antiquo serpente, secundum sua desideria coacervant sibi inextricabiles quæstionum tumultus, & idcirco infuso ferrugineo stylo in tinctorio falsitatis, proprium, sed tamen perversum, se dogma componere gloriantur. Quin potius peregrinis & variis, quam ecclesiasticis ac spiritualibus abuti conantur doctrinis, parvipendentes veritatis refragatores. Legis præceptum, quo mystice cavetur, sa-
1. cerdotem semel in sua tribu, & de sua tribu vel stirpis suæ uxorem accipere, & ipsam virginem ex eadem scilicet Christianæ religionis doctrina, qua semel imbutus est, de qua Christianum nomen sortitum sese gratulatur sumpsisse, & ex qua per undam regenerationis renatum se recognoscit in immaculatæ fidei puritatem quasi virginem, & non hæretica pollutione corruptam, in amplexu amoris excipere, ad propagandam catholicæ fidei posteritatis ex ea sobolem perdocetur. Sed,
5. his despectis, imitati prorsus Zambri, in adulterino concubitu exarserunt. Qui sermo alterius linguæ vernaculus elucubratus de proprio interpretatus dicitur fluxus vehemens sive canticum meum, qui deceptus in specie Ammonitidis scorti eam petiit, velut isti vehementi fluxu perversæ doctrinæ immoderatius despumantes, delectantur in pulcritudine splendentis eloquentiæ perversi dogmatis. Quem Phinees domini sacerdos, qui proprio de stylo translatus, in Latino palato; oris augurium resonat, vel requievit, ultrici transfixum pugione in locis genitalibus simul cum sua adultera interfecit. Quia videlicet censura ecclesiasticæ disciplinæ hæreticum hominem post unam & alteram correptionem, expulsum de ecclesiæ gremio, æterno anathematis jaculo simul cum sua condemnata stuprata hæresi interimit,

A Quiescere namque fecerat, juxta nominis sui interpretationem, iram indignationis furorisq; domini, quæ jam egressa erat ad perdendum populum in ultionem petulci. Nam quemadmodum lubricus ille serpens in paradiso deliciarum Euam corrupit astutia sua, cujus mentem mendacii venenum inficiens, instigavit ne veritati crederet, sed potius acquiesceret falsitati, dum præceptum inobedientiæ male interpretando persuasit transgredi. Ita nunc versipellis in hoc paradiso sanctæ ecclesiæ, quæ spiritalibus divitiis affluit, per hæreticorum molitur semper pectora nequitiæ virus infundere, quatenus falsitatis debriati poculo, errabundo poplite per anfracta erroris " evacuantes, veritatis invenire nequeant fontem. Vnde & Paulus de quibusdam dubius præ- *Genes. 3.* *" f. evegantes*

B cavens ait: *Timeo enim ne, sicut serpens decepit Euā astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, ne credatis veritati.* Quemadmodum infelix Arius hujus serpentis crapulatus veneno, addere vel demere in sancto euangelio conatus est. Vbi mediatoris vocem intonantis prurienti aure, & cauteriata audierat conscientia, & perfunctorie legerat secundum hominem dixisse: *Vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Super hoc igitur quasi addidisse quiddam convincitur, cum polluto sensu, & impio ore ex suo intulit: Non solum secundum humanam naturam, sed & secundum divinitatem, minorem eum & posteriorem Patre mentiri non ti- *2. Cor. 11.* *Ioan. 14.*

C muit. Quæ nunquam in sacrosanctis euangeliis, in nulla saltem qualibet divinorum testamentorum serie, se legisse poterit approbare. Et quasi minuisse de sancti euangelii lectione reus constringatur, ubi surda & obturata quasi aspis aure, eumdem unigenitum Dei Filium audire despexerat: *Ego & Pater unum sumus.* Hinc quoq; videtur minuisse, sed sibi * ibi impudenter addidisse, sed ad suam perniciem, " nihil præjudicans divinis oraculis. Sancta autem & veneranda euangelii sacramenta, cunctis inviolata sæculis permanebunt. *Psal. 57.* *Ioan. 10.*

Catholicus vero quilibet doctor, recte sentiens, juxta quod a domino gloriosius est prælibatum, quomodo & secundum hominem minor, & secū-

D dum Deum æqualis sit Patri, hæc multiplici evidenter exponendo sermone explicuit, non addidisse vel minuisse: sed irreprehensibiliter prædicandus est, latentia sancti euangelii mysteria supplevisse. Multa quidem hujuscemodi & his similia objectionum spicula ex arcu linguæ intorta inveniri poterant, quibus adversantium obtrectatorum confossa pectora, saucioque infecta vulnere reticerent: sed propter brevitatis compendium, ab his jam jamque calamo subtrahendo decrevimus temperare. Nam in Apocalypsi Ioannes apostolus sub unius libri appellatione, de tota utriusque testamenti serie contestatus est, dicens: *Si quis* (inquit) *apposuerit ad hæc, apponet* *Apoc. ult.*

E *Deus omnes plagas scriptas in libro hoc. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partē illius de libro vitæ, & de civitate sācta.*

Verumtamen sanctos prædicatores ecclesiæ hęc non percellit ultionis vindicta, quos ipsum nimirum apocalypsis librum, & unumquodque capitulum scripturarum multiplici disputationum stylo per singula exponendo salubri explicuisse promulgatione laudamus, quosque pro his sempiternam credimus recepturos mercedem. Ipse quippe mediator Dei & hominum, dominus & magister, multa in parabolis, quas ipse proposuerat, mellifluo divinitatis exponendo ore, verborū insignia multiplicavit, & duobus in via ambulantibus

ANNO CHRISTI 791.

bulantibus aperuit sensum, *& incipiens a Mose & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant.* Sed & beatus apostolus non est culpandus, qui legis ænigmata per multiplicia disputationum disseruit verba. Hucusque propter eos qui nequeunt ad purum subtiliter intelligere quid sit in sacro eloquio addere vel minuere. Nunc autem his ita digestis, proposita nostræ repromissionis debita tandem aliquando pleno reddere calamo jam non differamus.

Luc. 24.

De causa nempe fidei, polliciti sumus contra eos disputare, qui variis erroribus implicati non recte sentiunt de mysterio Trinitatis. Contra eos videlicet, qui de personarum discretione dubitant: qui ipsum putant esse Patrem, ipsumque Filium, qui inferiorem Filium & posteriorem mentiuntur esse Patre, qui tria principia confitentur. Nos autem cum sanctis patribus unum principium confitemur, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Scriptum est enim: *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Non principium quod incipit, vel quasi initiale, sed principium quod præcedit omnia. Quia nunquam non fuit Pater, hoc est, paternum nunquam defuit nomen, quia semper Pater fuit, & est. Et nunquam non fuit Filius, hoc est, quia Filii nomen numquam defuit, quia semper & sine initio Filius fuit, & est. Contradicimus per omnia Patropassianis, qui divinitatem ejus passibilem ausi sunt elinguare. Similiter & illis non cedimus, qui in duos videntur filios unum Christum Dei Filium dividere, dum illum naturalem & adoptivum affirmare moliuntur, dum unus idemque sit Dei hominisque filius, cui per prophetam dicitur: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Sed melius hæc intimamus, si ipsum, sicut præfati sumus, textum symboli, ac deinceps quæ sequuntur hoc exequimur ordine. Obsecramus vos, fratres, & germano obnixius imprecamur affectu, ut ab hoc loco ea quæ sequuntur, usquequo pervenitur, ubi legitur de divina unigeniti essentia, hoc modo, In qua regnat in unitate & Trinitate cum Patre & sancto Spiritu, scribentes illa non in membranis vel morticinis pellibus, sed in tabulis cordis carnalibus, memoria retinere curetis.

Psal. 109.

Patropassiani sunt iidem qui Sabelliani.

Psal. 101.

SYMBOLVM FIDEI.

CREDO in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibium. Et in unum dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum scripturas. Ascendit in cælos, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos. Cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum dominum & vivificantem. Qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur. Qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam. Confiteor

A unum baptisma, in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam futuri sæculi. Amen.

Sanctam autem, perfectam & inseparabilem & ineffabilem veramque Trinitatem, id est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, individuam confiteor in unitate naturæ, quia trinus & unus est Deus. Trinus nimirum per distinctionem personarum: unus vero per substantiam inseparabilem deitatis. Has igitur tres personas, Patris Filiique ac Spiritus sancti, non putativas vel quasi suspicabiles tantum, sed veras, subsistentes, coæternas, coæquales credimus & consubstantiales. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. Sed Pater & Filius B & Spiritus sanctus, non tres dii, sed unus est Deus. Nam Pater verus Deus, vere & proprie Pater est, qui genuit ex se, id est ex sua substantia, intemporaliter & sine initio verum Filium, coæternum, consubstantialem & coæqualem sibi. Et Filius verus Deus, vere & proprie est Filius, qui ante omnia sæcula genitus est de Patre intemporaliter & absque ullo initio. Lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Et nunquam fuit Pater sine Filio, nec Filius sine Patre. Pater etenim semper Pater est, erat, & erit. Et Filius semper Filius est, erat, & erit. Et nunquam non fuit Pater, quia nunquam non fuit Filius. Semper enim Pater, qui genuit sibi æqualem Filium. C Semper quidem Filius, qui genitus est æqualis Patri. Spiritus namque sanctus verus Deus, vere & proprie Spiritus sanctus est: non genitus, nec creatus, sed ex Patre Filioque intemporaliter & inseparabiliter procedens. Consubstantialis, coæternus, & æqualis Patri Filioque semper est, erat, & erit. Et nunquam fuit Pater aut Filius sine Spiritu sancto. Nec Spiritus sanctus sine Patre & Filio. Et idcirco inseparabilia sunt semper opera Trinitatis, & nihil est in sancta Trinitate diversum aliquid aut dissimile vel inæquale. Non divisum naturaliter, non confusum personaliter: nihil majus aut minus. Non anterior, non posterior, non inferior, non superior. D Sed una & æqualis potestas, par gloria, sempiterna & coæterna consubstantialisque majestas. Vnum namque sunt essentialiter Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Et idcirco unus est Deus: sed non unus, propter personarum discretionem, Pater & Filius & Spiritus sanctus. Verus enim Pater proprie Pater est, & non est Filius. Et verus Filius proprie Filius est, & non est Pater. Spiritus quoque sanctus proprie Spiritus sanctus est, & non est personaliter Pater, vel Filius, sed ex utroque procedit: & tamen non sunt tres dii, sed unus est Deus. Et in hac sancta Trinitate nihil (quod absit) aliquid putandum est visibile, corporale, palpabile, vel comprehensibile. E Omnipotens namque sancta Trinitas, invisibilis, incorporalis, impalpabilis, incomprehensibilis, incircumscripta, infinita, immensa & sempiterna, omnia nutu & imperio suo gubernat. Nam etsi legitur oculus domini vel brachium sive dextera, & cetera, non membrorum positionem, vel molem corporis, sed effectum summæ & inenarrabilis divinæ potentiæ, integra rectæ fidei credulitate debemus intelligere. Nam quia omnia videt, & omnia penetrat, & cuncta nuda & aperta sunt ante eum, oculos habere dicitur: quia vero nos sua virtute creavit, regit, protegit & defendit, brachium vel dexteram habere perhibetur, & his similia. De hac autem

ANNO CHRISTI 791.

Oculi Dei.

Dextera Dei.

tem ineffabili Trinitate, sola verbi Dei persona, A id est, Filius, in ultimis diebus propter nos & propter nostram salutem, secundum propositum secretæ dispensationis arbitrium, descendit de cælis, unde nunquam recesserat. Incarnatus est de Spiritu sancto, & ex semper virgine Maria verus homo factus est, verusque permanet Deus. Nec obfuit humana & temporalis nativitas divinæ illi & intemporali nativitati, sed in una Christi Iesu persona verus Dei verusque hominis filius. Non alter hominis filius, & alter Dei: sed unus idemque Dei hominisque filius, in utraque natura, divina scilicet & humana, Deus verus & homo verus. Non putativus Dei filius, B sed verus: non adoptivus, sed proprius, quia nunquam fuit propter hominem quem assumpsit, a Patre alienus. Solus enim sine peccato natus est homo, quoniam solus est incarnatus de Spiritu sancto & immaculata virgine novus homo. Consubstantialis Deo Patri in sua, id est, divina: consubstantialis etiam Matri, sine sorde peccati, in nostra, id est, humana natura. Et ideo in utraque natura proprium eum & non adoptivum Dei Filium confitemur, quia inconfusibiliter & inseparabiliter, assumpto homine, unus idemque est Dei & hominis filius. Naturaliter Patri secundum divinitatem, naturaliter matri secundum humanitatem: proprius tamen Patri in utroque; quoniam, sicut dictum est, non sunt duo filii, alter Dei, & alter hominis, sed unus Christus Iesus propter unam C personam Dei & hominis filius, Deus verus, & homo verus, in anima rationali & vera carne. Perfectus homo secundum humanitatem, perfectus Deus secundum divinitatem. Qui in eadem natura, id est, humana, quam sumpsit ex virgine, humanas pertulit infirmitates, non fragilitatem peccandi: sed in eadem dignatus est crescere per incrementa temporis, esurire, sitire, fatigari, contumelias & opprobria sustinere. Dignatus est flagellari, crucis patibulum subire, lanceam in latere excipere, clavis transfigi, fel & acetum gustare. In eadem dignatus est mori, sepeliri, ad inferos descendere, tertia D die resurgere, cum discipulis conversari, & post triumphum victricis gloriæ eamdem humanam naturam, ascendendo super omnes cælos, exaltatam super omnes angelos, in Patris dextra collocavit. In eadem iterum venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem, redditurus unicuique secundum opera sua; impiis utique supplicium sempiternum, justis vero vitam æternam. Divina autem illa ineffabilis natura, in qua Deus est æqualis Patri sanctoque Spiritui; impassibilis, immutabilis, inconvertibilis, ubique præsens, semperque omnipotens, inviolata permanens, in qua regnat in unitate & trinitate cum Patre & sancto Spiritu, & E nunc, & semper, & per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

Hanc igitur catholicæ fidei sincerissimam puritatem volumus omnes Dei sacerdotes, omnesque gradus ecclesiæ, summo cum studio, & absque ullo vitio, ita ut ne unus quidem apex intermittatur vel augeatur, distincte & sensatim discendo memoria retinere, & posteris suis discenda derelinquere. Si quis vigilantiori sensu ante potuerit, laudamus & hortamur. Qui vero imbecilli ingenio torpens, ante nequiverit, in anniversaria tamen proximiore hujus venerandi concilii volubilique sessione, cum vestris obtutibus, auxiliante domino, pusillitatis nostræ præsentiam vita comite repræsentari meruerimus, Deo amabilis fraternitatis vestræ caritas, hanc, sicut dictum est, memoria retineat: ita sane, ut in nostræ humilitatis aspectu, eam studiose valeat recensere: alioquin difficile vos vitare ecclesiasticas ferulas æstimate.

Symbolum vero & orationem dominicam omnis Christianus memoriter sciat, omnis ætas, omnis sexus, omnisque conditio: masculi, feminę, juvenes, senes, servi, liberi, pueri, conjugati, innuptæque puellæ: quia sine hac benedictione nullus poterit in cælorum regno percipere portionem. Qui autem observaverit hæc, & a malis operibus se custodierit; & in præsenti sæculo salvus erit, & in futuro cum angelis congaudebit.

Non novas, carissimi, regulas instituimus, nec supervacuas rerum adinventiones inhianter sectamur, sed sacris paternorum canonum recensitis foliis, ea quæ ab eis bene digesta salubrique promulgata mucrone persistunt, summa devotionis veneratione amplectentes, recentiori stylo operæ precium duximus renovare: quatenus ad modum mundi ac ruminantis, ungulasque findentis animalis, devoratas escas ad faucem memoriæ revocantes, quasi ruminando per sacræ lectionis studium dudum depastum spiritale pabulum subtilius liquidiusque sese in ventrem mentis refundat. Quo satiati deliciarum suaviter epulo, ad referendas superni largitoris gratias, de cujus benignitatis manu cuncta gratuito suscepimus munere, modis omnibus incitemur. Qui ut nos post culpam discordiæ ingratos funiculo caritatis trahendo ad Patris suamque gratiam revocaret; *cum in forma Dei esset æqualis Patri, semetipsum pro nobis exinanivit, formam servi accipiens*, mediator inter Deum & nos fieri dignatus est: cujus livore ab eo quod diabolus inflixerat mortis vulnere mirabiliter sumus sanati. *Philipp. 2.* *1. Pet. 2.*

CAPITVLA.

I.

PRIMVM igitur, ut juxta priscas patrum divinitus editas sanctiones, nullus domini sacerdotum, vel quicumque sub canone constituti, canonicas, quinimo apostolicas, ignorantes aut parvipendentes definitiones, inordinate vel inhoneste in domo Dei, quæ est ecclesia, conversentur: sed, in suo ordine cunctis persistentibus, pulcritudo ecclesiastici decoris inviolata permaneat. Illud summopere vigilantique studio præcaventes decernere curavimus, ut nullus canonicæ deditus ditioni, donum sancti Spiritus, pecuniæ precio fraudulenter deceptus, vendere vel emere præsumat: ne cui in quemlibet sacrum ecclesiastici ordinis gradum, muneris exigente merito, liceat quempiam subvehendo promovere: patentique semper cordis aure pertimescens, intellige clarissimam illam domini vocem, dicentis: *Gratis accepistis, gratis date.* Hanc quippe pestiferam simoniacam hæresim primus pastor ecclesiæ in ipsa, *Matth. 10.* *Actor. 8.*

ANNO CHRISTI 791.

ut ita dixerim, originali cupiditatis radice anathematis ferro funditus resecare curavit.

II.

Vt longe altius excellat vita pastoris comparata subditi gregis, quibus singulariter boni pastoris voce dicitur: *Vos estis lux mundi.* Et rursus: *Vos estis sal terræ.* Et iterum: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Hinc etenim colligi potest, inquantum distare debet pastor a grege, dum istos homines, & illos plusquam homines, id est, lucem hominum, dominus voluit appellari. Si ergo lux mundi sumus, lucere utique absque nebulosa hypocrisis admixtione debemus: & si sal terræ sumus, condire nihilo minus terrenas mentes sapientiæ sapore per verbum prædicationis debemus.

Matth. 5.

Ibidem.

III.

Item placuit, *ut sobrie, pie, casteque,* juxta apostolum, *viventes, fugiamus turpis lucri gratiam. Non in comessationibus & ebrietatibus, & inebriemur vino, in quo est luxuria.* Quemadmodum per semetipsam Veritas generaliter in euangelio præcipiendo protestatur, dicens: *Cavete a crapula & ebrietate, & curis hujus sæculi.* Vnde & in ecclesiastico canone sententialiter constat decisum, aut cessare ab hujusmodi vitii ingurgitatione, aut certe perseverantes honoris jactura periclitari debere. Quorum hujus ultricis sententiæ dictatorum nos complices ac fautores esse fatemur.

Tit. 2. Rom. 8. Ephes. 5. Luc. 21.

IV.

Vt juxta Nicæni venerandi definitionem concilii, nullus patiatur subintroductas mulieres secum in domo propria habere, vel private cum eis cohabitantes conversari. Et quamquam de quibusdam inhonesta carentibus suspicione clementius aliquo modo inibi legatur indultum, nos tamen omnes omnino nunc necessarium vetare prospeximus, eo quod experimento didicerimus, illarum velamento alias licentius ad eos aditum veniendi, perditionis causam, habuisse. Non autem vetamus quempiam, sed potius adhortamur pauperibus personis jure sibi cognationis conjunctis benefacere, cum sit omnibus benefaciendum, sed ab eis segregatæ in suis degentes domiciliis perseverent.

Nicænum concilium can. 5.

V.

Vt sæcularia negotia ultra modum mensuræ nulli liceat exercere. Ait enim apostolus: *Nemo militans Deo, implicet se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Intueri quapropter subtilius libet,

2. Tim. 2.

A cujus nos esse regis milites gratulamur. Et quia in castris dominicis militamus, solicite pensare constringimur, quibus armis muniti, cum tanto adversario certaminis bella aggressi pugnare valeamus, ut expediti ab omni præsentis sæculi impedimento, intrepidi in prima acie persistentes, post palmam victoriæ triumphatricis gloriæ coronam ab eo rege, qui nos de antiquo hoste triumphavit, suscipere mereamur.

VI.

B Item placuit, ut eas prorsus mundanas dignitates, quas sæculares viri vel principes terræ exercere solent, in venationibus scilicet, vel in canticis sæcularibus, aut in resoluta & immoderata lætitia, in lyris & tibiis, & his similibus lusibus, nullus sub ecclesiastico canone constitutus, ob inanis lætitiæ fluxum, audeat, fastu superbiæ tumidus, quandoque præsumendo abuti: nisi forte, si in hymnis & spiritualibus canticis delectatur, de sacris videlicet scripturarum voluminibus digne honesteque compositis utatur. Ab his igi-C tur non solum non inhibemus abstinere, verum etiam conniventes licentiæ concedimus votum.

VII.

Item placuit, ut nullus episcoporum presbyterum, vel diaconum, vel archimandritam in dispendio honoris condemnare præsumat, absque hujus venerandæ sedis consultu. Si quis post hæc prohibita temerarius usurpare tentaverit, non erit ambiguus de sui honoris periculo.

VIII.

D De his autem, qui propinqui sanguinis affinitatem sibi in matrimonium sociare tentaverint; quia valde gravis nimisque asperrima in prisco canone ab antiquis patribus de hoc negotio judicialis sententiæ elimata sub pœnitentiæ flagello persistit vindicta: idcirco tanti præcaventes flagitii periculum, ut melius cautiusque prospeximus, dignum duximus diffinire: ita dumtaxat, ut nemini liceat furtim raptimque nuptias contrahere, ne forte per erroris ignaviam, vel certe (quod pejus est) diabolico instigati amore, illicita connubia celebrentur. Sed interventis pactis E sponsalibus, per aliquam dilationis moram, requisiti quin etiam diligenti cura vicini vel majores natu loci illius, qui possint scire lineam generationum utrorumque, sponsi scilicet vel sponsæ. In eo etiam, ut sine notitia sacerdotis plebis illius nullatenus fiat, quatenus nulla deinceps separationis tribulatio intercedat. Si vero hoc ordine cuncta peragantur, ac probatum sine fraude testium fuerit, & causa contigerit, quod postea aut ipsi recordati

Nupt… clan… vitan…

cordati fuerint, qui primum se nescire professi sunt, aut certe per aliorum veracium hominum testimonium, inventi fuerint in eo gradu consanguinitatis, qui segregari solent, segregentur quidem ab invicem, & agant pœnitentiam, &, si fieri potest, perseverent utrique innupti. Quod si propter incontinentiam, vel certe, quod est honestius, amore filiorum in id permanere nequeunt, transeant quidem ad secundas nuptias. Hoc autem dicimus secundum indulgentiam, non secundum imperium. Beatiores tamen erunt, si sic permanserint, secundum nostrum consilium. Filii vero, qui ex tali matrimonio procreati fuerint, legitimi habeantur ad hereditatem defuncti capiendam. Qui autem non observaverint omnia hæc, quæ pro salute animæ & frugalitate vitæ supra compendiose scripta leguntur, & furtivas vel interdictas nuptias contrahere præsumpserint, & proximi cognationis fuerint inventi, separentur quoque & ipsi, & cunctis diebus vitæ suæ sub pœnitentiæ lamento permaneant: atque ad secundas nuptias nunquam ille vel illa perveniant, alieni a communionis gratia judicentur: filiique, qui de hoc tam incesto conjugio nati fuerint, improbi habeantur, nullamque rerum adipisci valeant parentum facultatem.

IX.

Illud præterea per omnia præcaventes prohibere decrevimus, ut nullus præsumat ante annos pubertatis, id est, infra ætatem, puerum vel puellam in matrimonium sociare, nec in dissimili ætate, sed coætaneos sibique consentientes. Multas sæpius ex hujuscemodi nuptiali contractu ruinas animarum factas audivimus, & tales fornicationes perpetratas, quales nec inter gentes. Ita plane, ut cum contigit puerum adultum esse, & puellam parvulam, & e contrario, si puella maturæ ætatis, & puer sit teneræ, & per virum cognata & socrus deprehendantur adulteræ, & per puellam frater vel pater pueri tanti peccati flagitio pereant irretiti. Unde qui hæc prohibita de cetero usurpare præsumpserit, ab omni ecclesiastico consortio sit alienus, sed * nec a publicis sit immunis judiciis.

X.

Item placuit ut, resoluto fornicationis causa jugali vinculo, non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere, licet sit illa adultera; sed nec adulteræ, quæ pœnas gravissimas vel pœnitentiæ tormentum luere debet, alium accipere virum, nec vivente, nec mortuo, quem non erubuit defraudare, marito. Nam etsi legatur in sacris evangeli- A cis paginis, sola fornicationis causa dixisse dominum, dimittere virum uxorem suam: non tamen legitur concessisse aliam, vivente illa, in conjugio sibi sociare, prohibuisse quidem modis omnibus non ambigitur. Ait enim: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Matth. 5. Qua de ita diffinire prospeximus, ut juxta ejusdem domini mellifluam vocem, nemo hæc interdicta violator inculcare præsumat. Sed quoniam B in medio ambiguus interponitur sermo, id est, *nisi ob fornicationem*; Ibidem. quæri nimirum potest, utrum ad solam licentiam dimittendi uxorem, *qui dimiserit uxorem nisi ob fornicationem*, an etiam ad utrumq; dictum refertur, hoc est, ad aliã, vivente illa, accipiendam, quasi dixerit: Qui dimiserit uxorem suam, & aliam, nisi ob fornicationem, duxerit, mœchatur. Et idcirco peritissimi viri beati Hieronymi libellum commentariorum recenseri nobis studiose mandavimus, anxie utique cognoscere festinantes, C qualiter idem famosissimus doctor hæc sacrata dominica verba, juxta capacioris ingenii sui subtilitatem, sensisse monstraretur. Cujus nimirum sensum sagaciter explorantes, in promptu nihilo minus patuit, ad solam dimittendi uxorem licentiam pertinere. Nam cum more suo vir sanctus hujus capituli summatim seriem exponendam transcurreret, inter cetera & post pauca sic ait: Et quia poterat (inquit) accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum veteri D crimen impingeret, sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam, prima vivente, non habeat. Non enim Matth. 19. debet imitari malum adulteræ uxoris, & si illa duo, imo unam carnem, per scissuras fornicationum divisit in tres, dividat in quatuor. Unde patenter datur intelligi: quamdiu vivit adultera, non licet viro, nec potest impune secundas contrahere nuptias.

XI.

Item placuit de feminis cujuscumque E conditionis, puellis scilicet vel viduis, quæ virginitatis sive continentiæ propositum spontanee pollicentes, Deo emancipatæ fuerint, & ob continentiæ signum nigram vestem, quasi religiosam sicut antiquus mos fuit in his regionibus inductæ fuerint, licet non sint a sacerdote sacratæ, in hoc tamen proposito eas perpetim perseverare mandamus. Si vero postea sese sive clanculo corruperint, seu publice nupserint, dignis quidem mundano judicio corporalibus coercitæ vindictis, segregentur abinvicem, & agant cunctis diebus

ANNO CHRISTI 791.

diebus vitæ suæ pœnitentiam, & a communione corporis & sanguinis Christi priventur: nisi forte pontifex, rescita illorum pœnitentia, si digna fuerit, humanius prævidens, poterit communionis gratiam indulgere. In extremo tamen vitæ suæ viatico humanius indulto non defraudentur. Et in his rebus præcipue illa modis omnibus custodiatur interdictio, ut nulli liceat prædictis personis habitum, id est, vestem mutare absque sui episcopi conscientia.

XII.

Monasteria virginum, ut nulli fas sit adire.

Hoc igitur inviolato stylo juste sancire prospeximus, ut monasteria puellarum, quæ sub disciplina regulæ degunt, obstructius munitis claustris, nullo pateant, nisi forte summa compellente necessitate, aditu virorum. Sed neque presbyteri, vel diacones, vel quilibet de clero, vel etiam archimandritis, quasi visitationis vel prædicationis causa, sine permissu episcopi civitatis, sibi licentiam tribuat ineundi. Quin etiam nec episcopus absque sacerdotibus vel clericis suis, ut decet, & honeste convenit, adire illuc licentius se existimet. Sed sive ipse, sive quælibet religiosa persona, alienus ab illicita suspicione, quem morum gravitas ornat, permittente & admonente episcopo exhortationis vel ædificationis obtentu, quæ ad salutem animæ pertinet, dignum fuerit ut adeant hæc Deo dicata loca, non aliter, sed cum idoneis testibus peragant, ne propter incautam præsumptionem sanctæ ecclesiæ infametur angelicus ordo. Et nulla ullo unquam tempore licentia sit abbatissæ vel cuilibet monachæ, transfigurante se satana in angelum lucis, quasi orationis causa suggerente eis, Romam adire, vel alia loca venerabilia circuire. Quam sit namque irreligiosum & reprehensibile cum viris propter itineris necessitatem conversari, nullus tam excors est vel desipiens qui ignoret. Si quis post hanc definitionem hujus reverendi concilii, de his quæ consona voce salubriterque statuta sunt temerario ausu violare tentaverit, canonicis coerceatur vindictis, scilicet aut juxta modum & qualitatem culpæ excommunicatione mulctetur, aut anathematis vinculo punitus vinciatur: aut certe honoris proprii amissione nudatus, reus ab ecclesiæ gremio evellatur. Hæ enim sunt canonicæ ultrices vindictæ, a quibus nullus sacræ legis prævaricator poterit immunis abire, nisi forte pœnitentiæ interveniente medela veniam meruerit adipisci.

XIII.

Dies dominicus ut sit colendus.

Diem autem dominicum inchoante noctis initio, id est, vespere sabbati, quæ in prima lucescit sabbati, quando signum insonuerit, vel hora est ad vespertinum celebrandum officium, non propter honorem sabbati ultimi, sed propter sanctam illam noctem primi sabbati, hoc est dominici diei, cum omni reverentia & honorifica religione venerari omnibus mandamus Christianis. Abstinere primum omnium ab omni peccato, & ab omni opere carnali, etiam a propriis conjugibus, & ab omni opere terreno, & nihil aliud vacare, nisi ad orationem, concurrere ad ecclesiam cum summa mentis devotione, cessante omni causatum strepitu, cum caritate & dilectione benedicere Deum Patrem, & laudare totis medullis cordis unigenitum Dei Filium, qui istam diem per gloriosam suam sanctificavit resurrectionem, & hymnum dicere sancto Spiritui, qui eam benedixit per admirabilem suum adventum, quando in igneis linguis super beatos descendit apostolos. Sed & omnium pene dona charismatum in eadem sacratissima die creduntur in mundo collata. Nam in ipsa die dominus post resurrectionem in discipulis suis Spiritum sanctum ad remittenda peccata insufflavit. In ipsa in deserto dominus de quinque panibus quinque millia hominum pavit. In ipsa die manna pluit de cælis primum in eremo, & multæ aliæ spiritalium munificentiæ rerum in ipsa die sunt manifestatæ, quas cunctas longum est per ordinem recenseri. Ipsum est enim sabbatum domini delicatum, de quo scriptura dicit: *Qui fecerit in eo opus servile*, id est, peccati, *morte moriatur*. Porro si de illo sabbato diceret quod Iudæi celebrant, quod est ultimum in hebdomada, quod & nostri rustici observant, diceret tantum, sabbatum, & nequaquam adderet, delicatum & meum. Sed quia differentiam voluit facere inter illud & istud, quod est dominica dies, ideo addidit, meum: ac si diceret, meum, non vestrum, delicatum, non in vestris observationibus maculatum. Et ideo cum omni reverentia est a nobis honorandum atque colendum. Ceteræ vero principales festivitates & ipsæ sunt veneranter honorandæ vel custodiendæ. Et illa festa, quæ sacerdotes in ecclesia prædicant, modis omnibus sunt custodienda. Nos autem, qui sacerdotes vocamur, debemus populum nobis subjectum & prædicando verbis in omni bono, & faciendo quæ docemus exemplis instruere, in caritate, in castitate, in humilitate, in continentia, in modestia, in vigiliis, in jejuniis & oratione, in religione, in eleemosynis, in hospitalitate, inquantum vires permittunt, in verbo sapientiæ sale condito,

dito, in temperantia manducandi vel bibendi, in conversatione sancta, in simplicitate cordis, in omni opere bono, *pie & juste vivendo, expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei & salvatoris nostri Iesu Christi*, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XIV.

De decimis vero vel primitiis, salvis scilicet allegoricarum rerum mysticis sacramentis, nihil melius puto docere, quam quod scriptum est in Malachia propheta,
3. dicente domino: *Inferte omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me in hoc, dicit dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ: nec erit sterilis vinea in agro, dicit dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes.* Sed quia indignatio & ira Dei manet super gentem vel populum qui hoc domini præceptum toto corde & bona voluntate non adimplet, supra præmiserat, dicens: *Si affiget* (inquit) *homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis, in quo configimus te? In decimis & primitivis vestris. In penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota.* Qua de re quis non alacri & læto pectore offerat Deo, ut possit illam promereri benedictionem, de qua dicit: *Effundam super vos benedictionem meam usque ad abundantiam?* Vel quis non timeat vel contremiscat illam maledictionem, quam minatur nolentibus offerre: *Vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota?* Et si forte nobis non creditis, vel nos despicitis, quia homines sumus; credite ergo ipsi domino dicenti, qui mentiri non potest, qui utrumque promisit, & maledictionem in hoc sæculo & in futuro, nolentibus obedire ejus mandatis, & benedictionem, & abundantiam, & salutem animæ & corporum bona voluntate obtemperantibus ejus imperiis, & in præsenti sæculo se daturum & in futuro. Non enim exigit Deus a te quæ non habes, nec pensat quantum tribuas: sed inquantum habes, simplici corde de suis, non de tuis donis da domino. Quia omne quod sumus, vivimus & habemus, ejus est, & de ipsius benignitatis suscepimus manu. Considerat namque qua mente, & non quantum in ejus sacrificium offeras, qui potens est, & in præsenti sæculo centuplum, & in futuro vitam tribuere sempiternam. Qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu sancto, & nunc & semper per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

NOTÆ SEVERINI BINII.

ANNO CHRISTI 791.

a *Concilium.*] Qua occasione hæc synodus in Italia auctoritate Paulini congregata fuerit, indicat ipse Paulinus sermone quem habuit ad patres concilii his verbis: *Nunc autem divina opitulante clementia, attritis utique ferocium barbarorum superbia typho erectis cervicibus, auxilio per omnia adminiculante de cælo, reddita jam quietissima pace terris superna prorsus largiente gratia, paululumque respirantibus regalibus jussis, necessarium duximus summopere festinantes dilectissimam fraternitatem vestram juxta priscorum canonum inviolabiles sanctiones in uno collegio aggregari.* Hæc ad synodum dicebat Paulinus, cum in præcedentibus se de intermissis conciliorum celebrationibus per tumultus bellicos & frequentes peregrinationes excusasset.

  Qua occasione hæc synodus celebrata?

b *Forojuliense*] Sic dictum a Forojulio; quod, juxta acta hujus concilii, est municipium Aquileiensis provinciæ, hodierno tempore Venetis subjectum. Olim insignis ibi urbs fuit Aquileia, ab Attila Hunnorum rege destructa, quemadmodum annis fere ducentis postea Forumjulii ab Avaro rege eversum fuit.

  Forojulium urbs quæ & qualis?

c *A Paulino, &c.*] Vvilfridus Strabo, qui sub Ludovico filio Caroli magni claruit, de rebus ecclesiasticis capit. 25. hæc de Paulino: *Traditur siquidem Paulinum Forojuliensem patriarcham sæpius, & maxime in privatis missis, circa immolationem sacramentorum hymnos vel ab aliis vel a se compositos celebrasse.* Eumdem sanctitate & doctrina insignem fuisse, plurimumque synodalibus sub Carolo magno coactis, adeo ut suæ ipsius provinciæ curam eam quam optabat habere non posset, interfuisse, acta concilii ostendunt.

  Paulinus quis?

d *In causa sacrosanctæ Trinitatis.*] His temporibus duæ diversæ hæreses ecclesiam devastabant. Vna de processione Spiritus sancti, altera de incarnatione domini nostri Iesu Christi. De Spiritu sancto controvertebatur, an is a solo dumtaxat Patre, vel a Patre simul & Filio procederet. Antiquam controversiam adversus hæreses sæpius antehac damnatas Paulinus doctissime decidit, ostendens Patrem & Filium unum esse principium processionis Spiritus sancti, adeoque impium & blasphemum videri, contra sententiam ab universa ecclesia temporibus sancti Leonis magni receptam novos errores concitare. De incarnatione verbi divini Elipandus Toletanus episcopus in Hispania, & cum eo, [a] quem ipse seduxerat, Felix Vrgelitanus episcopus asserebant, dominum nostrum Iesum Christum secundum naturam divinam dicendum esse Dei Filium naturalem; secundum humanitatem vero eumdem Filium Dei adoptivum esse nominandum. Quæ doctrina cum duos Dei filios assereret, adeoque Nestorianismum jam diu ante condemnatum resuscitaret, Paulinus recitatione symbolorum Nicæni & Constantinopolitani eamdem solidissime refutavit, explosit & condemnavit. Demum vero in hac eadem synodo post tractationem dogmaticarum disputationum absolutam, sanciti sunt quatuordecim canones ad disciplinam ecclesiasticam spectantes.

  Acta concilii.

  [a] is a quo seductus fuerat,

e *Anno domini 791.*] Hic enim annus domini cum 23. Caroli magni, qui ponitur initio actorum synodalium, concurrit. Nam ex iis quæ in notis ad vitam Stephani papæ III. notavi supra, evidenter constat, Pippino anno domini 768. ex hac vita migranti Carolum filium in ejus regno successisse.

ANNO CHRISTI 792.

[a] CONCILIVM [b] RATISPONENSE, IN QVO FELICIS VRGELITANI EPISCOPI hæresis, quæ Christum adoptivum Dei filium dicebat, præsente Carolo magno rege primo damnata est, anno Christi DCCXCII. Hadriani papæ XXI. Caroli ejusdem regis XXIV.

De *hac synodo, & Felice in ea damnato, præter historicos scriptores, luculentum est Alcuini testimonium libro primo adversus Elipandum Toletanum episcopum.* Antequam, *inquit*, ego, eodem sapientissimo rege Carolo jubente, venissem in Franciam, hæc eadem vestri erroris secta, eodem glorioso principe præsidente Felice, quem multum laudare soles, vestræ partis tunc temporis defensore, ventilata est in celeberrimo loco qui dicitur Raiginisburg, & synodali auctoritate sacerdotum Christi, qui ex diversis Christiani imperii partibus convenerant, æterno anathemate damnata: imo & a beatæ memoriæ Hadriano

ANNO CHRISTI 792.

Hadriano papa, qui tunc temporis ſanctæ Romanæ eccleſiæ apoſtolica auctoritate texerat ſedem, funditus exterminata. *Incerti auctoris annales.* An. DCCXCII. Hæreſis Feliciana, ipſo auctore eam abnegante, apud Rageneſpurg primum damnata eſt: qui etiam per Angilbertum abbatem in præſentia Hadriani apoſtolici adductus, denuo eam confeſſione facta damnavit.

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Concilium*] De hujus ſynodi cauſa & occaſione annales Francorum ſub Ludovico conſcripti iſta habent: *Vrgellis eſt civitas in Pyrenai montis jugo ſita, cujus epiſcopus nomine Felix, natione Hiſpanus, ab Elipando Toleti epiſcopo per literas conſultus, quid de humanitate ſalvatoris Dei & domini noſtri Ieſu Chriſti ſentire deberet, utrum ſecundum id quod homo eſt, proprius an adoptivus filius credendus eſſet, atque dicendus, valde incaute atque inconſiderate, & contra antiquam catholicæ eccleſiæ doctrinam adoptivum non ſolum pronuntiavit, ſed etiam ſcriptis ad memoratum epiſcopum libris pertinaciſſime pravitatem opinionis ſuæ defendere curavit.* Ionas Aurelianenſis epiſcopus, libro adverſus Claudium Taurinenſem epiſcopum conſcripto, poſtquam eadem, quæ ex annalibus Francorum ſupra recitata ſunt ſcripſiſſet, addit: *Et hac virulenta doctrina uterque Hiſpaniam magna ex parte infecit. Deinde apoſtolorum Chriſti actus imitari videri volentes, cum ipſi non apoſtoli Chriſti, ſed præcones eſſent hoſtis antiqui, unuſquiſque ſeparatim diverſas provincias eadem inſana ſua doctrina imbuendas appetivere. Elipandus ſcilicet Aſturias & Gallaciam, cujus diſcipulos apud Aſtures me aliquando vidiſſe memini, quos & catholicorum virorum regionis illius, qui eorum veſana doctrina ſecundum ſanam doctrinam rationabiliter renitebantur, relatu, perſpicuitatiſque mea probatu, ſecundum eorum actum & habitum certiſſimos antichriſtos eſſe liquido deprehendi; manifeſtum cernens in illis illud beati Ambroſii compleri:* Habitus mentis in corporis ſtatu cernitur: *& illud cujuſdam.* Frons hominis propriæ mentis depromit affectum. Qualis vultus erit, talia corda gerit. *Quibus veriſſime & aperiiſſime cognitis, & quia jam ſecundum apoſtolicum præceptum ter, ut ab eadem ſua erronea prædicatione deſiſterent, admoniti fuerant, tamen in eodem errore permanebant, ut hæreticos devitavi. Porro idem Felix cum multis apud Septimaniam eumdem hauſtum peſtiferum propinarit, eum tamen Galliæ Germaniæque (quantum in illo fuit) propinare voluit. Sed divina gratia adminiculante, nullum apud Galliam Germaniamque ejus error locum invenire quivit: quoniam non ſolum apud Germaniam ſtudium literarum, & amor ſanctarum ſcripturarum, verum etiam apud eamdem Galliam (quæ ſola teſte Hieronymo, monſtra non habuit, ſed viris ſemper fortibus & eloquentiſſimis abundavit) ejuſdem memorabilis viri ſolertiſſimo ſtudio & ferventiſſimo deſiderio actum eſt, ut, domino opem ferente, in ſibi commiſſa eccleſiæ filiis, & liberalium artium apprime diſciplina, & divinarum ſcripturarum perfecte polleret intelligentia. Quibus milites Chriſti, utpote invictiſſimis armis muniti, ejus veſanam doctrinam propulſaverunt.* De rebus in concilio geſtis ſubjungit: *Ejuſdem namque principis juſſu in unum coacti, adhibita etiam ſancta Romana eccleſiæ auctoritate, eumdem Felicem damnaverunt, imo cum auctore ſui erroris Neſtorio, quem imitatus eſt, perpetuo anathemati mancipaverunt.* Hæc Ionas Aurelianenſis. Annales Francorum ſupra allegati, poſt illa quæ ſupra recenſui, de loco & actis concilii iiſq; quæ poſt abſolutam ſynodum contigerunt, hæc ſubjungunt: *Hujus rei cauſa ductus ad palatium regis* (Caroli ſcilicet) *qui tunc apud Reginum Baioariæ civitatem, in qua & hiemaverat, reſidebat: ubi congregato epiſcoporum concilio auditus eſt, & erraſſe convictus, ad præſentiam Hadriani pontificis Romam miſſus: ubi etiam coram ipſo in baſilica ſancti Petri apoſtoli hæreſim confeſſus eſt, atque abdicavit: quo facto ad civitatem ſuam reverſus eſt.* Hæc annales de loco & actis concilii. Vnde hujus erroris occaſio emerſerit, dicam infra in notis concilii Francofordienſis, in quo Felix relapſus iterum condemnatus fuit.

Acta concilii.

Locus concilii.

Felix reſipiſcit.

Ratiſpona deſcribitur.

b *Ratiſponenſe.*] Sic dictum a Ratiſpona, de qua in theatro urbium Hadrianus iſta ſcribit: *Ratiſpona, vulgo* Regenſburg, *ſita eſt ad Danubium, nomen putatur ſumpſiſſe a pluvia & arce. A Claudio Tiberio Nerone imperatore III. extructa tempore paſſionis Chriſti, atque ab ipſo Tiberina vel Auguſta Tiberii vocata. Nominata quoque fuit Regionopurg a Theodonis Bavariæ regis uxore. Præterea dicta fuit Rhatobonna a Rhætis. Item Hiaſpalis, Reginopolis, Tetrapolis, Quadrata Colonia Quartanorum, metropolis Ripariolorum, caput Limitaneorum. Nomen Ratiſponæ a navigatione deductum videtur. A Carolo magno ad fidem Chriſti perducta eſt. Olim metropolis fuit Bavariæ, ſedes regum & ducum ejuſdem regionis. Pons lapideus anno 1115. ſub Henrico V. imperatore ſupra Danubium ibi eſt conſtructus. Hodie pons conſpicitur 11. fornicibus ſuſtentatus, paſſuum 400. & 70. latitudinis.* Hæc Hadrianus.

c *Anno domini 792*] Teſtantur Regino, annales Francorum, Baronius, aliique plures.

COLLATIO VEROLAMII SVB OFFA REGE MERCIORVM.

De exquirendo ſancti Albani protomartyris ſepulturæ loco.

REX *Offa viſione, uti dicitur, admonitus, ut de ſepulcro & reliquiis S. Albani protomartyris exquirendis, & cœnobio eidem extruendo curam adhiberet;* Accito (*inquit auctor vitæ Offæ regis manuſcriptus*) Humberto Merciorum archiepiſcopo, cujus ſedes apud Lichefeldam, ut prædictum eſt, nuper ab eodem rege fuerat conſtituta, divinam ei voluntatem indicat in præmiſſis. Tunc archiepiſcopus ſupradictus, aſſumptis continuo ſecum Ceoluulfo Lindeſienſi, & Vnvvona Legreceſtrenſi epiſcopis ſuis ſuffraganeis, cum innumera utriuſque ſexus & diverſæ ætatis multitudine, regi, die ſibi ſtatuta, apud Verolamium occurrerunt. Tunc populo in jejuniis & orationibus ſanctificato, antiſtites ſacri ſacerdotalibus infulis adornati, adfore ſibi beati martyris auxilium flagitabant. Fuerat namque locus, & memoria martyris, poſt adventum S. Germani Antiſſiodorenſis epiſcopi, qui cum B. Lupo "Decaſinæ urbis epiſcopo, ad extirpandam hæreſim Pelagianam in Britanniam venerant, annis circiter ducentis & quadraginta quatuor, omnino deleta. Siquidem gens pagana Saxonum, Iutorum & Anglorum, Britonibus expulſis, ſibi inſulam ſubjugaverant: qui agros cum horreis feraliter depopulantes, prælatos quoque membratim detruncantes omnem pene Britannicam inſulam a mari uſque ad mare hoſtili exterminio velut in deſertum redegerunt.

Hac itaque tempeſtate eccleſia beati Anglorum protomartyris Albani, quam Beda Anglorum hiſtoria "muro tabulatu lapideo ſcripſit fuiſſe conſtructam, inter ceteras regionis eccleſias, funditus eſt ſubverſa: unde ſepulcrum ejus, quod in adventu S. Germani, & ante, a paſſione martyris uſque ad illius patriæ deſolationem, & ab omnibus notum propter antiquæ famæ celebritatem, & miraculorum frequentiam, ab omnibus fuerat † adoratum compatriotis, & honoratum univerſis, tempore quo Offæ regi invictiſſimo angelico fuerat miniſterio revelatum, locus autem ſepulcri & loci deſtructi cognitio penitus delebatur, &c.

CONCILIVM PROVINCIALE VEROLAMII SVB OFFA REGE MERCIORVM & Humberto archiepiſcopo ſuo Lichefeldenſi celebratum, menſe Auguſto, anno domini DCCXCIII. indictione prima.

Deliberatur de cœnobio celeberrimo protomartyri Britannorum ſancto Albano inſtituendo.

POST *præfatam collationem, & alia multa de inventione reliquiarum S. Albani protomartyris, ſic progreditur codex prædictus manuſcriptus.*

Acta autem ſunt hæc a paſſione ſupradicti martyris, anno quingenteſimo ſeptimo: ab adventu Anglorum in Britanniam, triceneſimo quadrageſimo quarto, indict. prima, Kal. Aug. *Et mox:* Eodem quoque menſe rex [*Offa*] ibidem provinciale tenuit concilium, cum archiepiſcopo Humberto,

Humberto, suis suffraganeis, & primatibus suis universis, ut tractet diligenter & efficaciter de conventu monachorum in loco illo congregando, atque cœnobio construendo, & magnifice & regaliter privilegiando, ubi protomartyris regni sui, imo totius Britanniæ vel Angliæ reliquias invenit, & quem locum suo sanguine consecravit. Placet omnibus pium regis propositum, eique episcoporum consulit prudentia, ut auctoritate Romani pontificis, etsi alias hoc factum fuerit, quia non iterari inutiliter dicitur quod non scitur perpetratum. Canonizetur similiter & privilegietur monasterium in honorem ejusdem martyris noviter construendum. Et hæc omnia, ut digniorem & firmiorem sortiantur effectum, concilium virorum sanctorum & discretorum suscipit & exaudit; ut per legatos solennes a latere regis destinatos, aut potius in propria rex ipse super his in curia Romana tractet diligenter. Offa igitur rex piissimus suorum magnatum sano acquiescens consilio, divino ductus Spiritu, transalpinum valde sibi laboriosum & sumptuosum iter arripit sine moræ dispendio. Nec eum cura rei familiaris, vel regni custodiendi necessitas, vel comminantis senii gravitas, (regnaverat enim jam triginta & sex annis) nec laboris immunitas, vel pecuniæ inæstimabilis effusio, ipsum poterant retardare.

CONCILIVM VEROLAMII SVB OFFA REGE POST REDITVM EIVS ROMA,

In quo concedit rex terras innumeras sancto Albano, & perpetuum hospitium itinerantibus, conventum instituit.

TVNC congregato apud Verolamium episcoporum & optimatum suorum concilio, rex unanimi omnium consensu & benevola voluntate, beato Albano amplas contulit terras, & possessiones innumeras: considerans quod ibidem eleemosynariis vigeret hospitalitas. Nam ibidem patet via ab Aquilone venientibus, & ab Austro redeuntibus communis, & strata generalis dicta *Vvatlingestrate*, & pium ei videbatur, ut omnes itinerantes ibidem pium ex suis eleemosynis domicilium invenirent: locum igitur memoratum cœnobio addictum, libertatum multiplici insignivit privilegio, monachorum quoque conventum ex domibus ordinatæ religionis, maxime tamen ex domo Becci in Neustria, ad tumbam congregavit, & abbatem Vvillegodum ordinavit: quod interpretatur *volens bonum:* vere enim fuit bonæ voluntatis, & de stirpe regia oriundus, regique Offæ consanguinitate propinquus, *&c.*

[a] CONC. [b] FRANCOFORDIENSE,

IN QVO HÆRESIS FELICIANA AB EPISCOPIS universi regni Francorum, Italiæ, Galliæ, ac Germaniæ, præsente Carolo Magno rege, atque Hadriani papæ legatis, Theophylacto & Stephano episcopis, tertio damnata est, [c] actaque concilii Nicæni II. in causa imaginum confirmata, [d] anno Christi DCCXCIV. Hadriani ejusdem papæ XXIII. Caroli Magni XXVI.

Index eorum quæ in hoc concilio continentur.

I.

EPISTOLA HADRIANI PAPÆ I. AD EPISCOPOS HISPANIÆ,

contra [e] Elipandum episcopum Toletanum.

Hadrianus papa, sanctæ catholicæ atque apostolicæ primæque pontifex sedis, dilectissimis fratribus & consacerdotibus nostris, Galliciis, Spaniisque ecclesiis præsidentibus, in roseo Christi sanguine salutem.

SI tamen licet de omnibus, fratribus & consacerdotibus dici. Non enim caritatis vinculo fraterna ansula perstringente nostris illigare amplexibus amoris connivemus modo, qui non sunt fidei nostræ communioni sinceris sensibus sociati, ac per hoc a gremio sanctæ matris ecclesiæ lacrymabili divisione extant exortes. Igitur dilectissimus filius noster, & spiritalis compater, domnus Carolus Magnus & venerabilis princeps, rex Francorum ac Longobardorum, seu patricius Romanorum, sæpe nos styli ferculo, catholicæ fidei epulas offerendo, multa refectionis dulcedine satiare consuevit, & confluente ad vallem mentis ex aliis quibuscumque rebus amaritudinis unda, mellitis quinimo rivulis lætitiæ de fonte manantibus, summa nihilo minus suavitate temperare non cessat. Sed quoniam ferventi succensus fidei zelo, ea quæ contraria orthodoxæ fidei Spaniarum de confiniis allata sibi persensit, nostris curavit summa pernicitate obtutibus præsentari, beati Petri amore feliciter obstrictus, non renuit illi honorem debitum exhibere, & sedis ejus præsulem dignum duxit sacris syllabis consulendum; regiam videlicet vel canonicam placuit ei consuetudinem renovare. Cumque perlectus & sagacius exploratus fuisset epistolæ textus, reperta sunt in eodem pseudosyllabo perquamplurima cum auctore suo Elipando Toletanæ sedis archiepiscopo redarguenda, ac per hoc redargutionis vindicta modis omnibus ulciscenda. Vnde non mediocri dolore mente nostra sauciata, medium se in animum nostrum tristitiæ angor immersit. Qua de re nimio satis zelo compulsi, ex auctoritate sedis apostolicæ, pro causa siquidem orthodoxæ fidei æquum ratumque per sacros apices prospeximus respondendum.

Materia autem causalis perfidiæ inter cetera rejicienda, de adoptione Iesu Christi Filii Dei secundum carnem falsis argumentationibus digesta, perfidorum verborum ibi stramina incomposito calamo legebantur. Hoc catholica ecclesia nunquam credidit, nunquam docuit, nunquam male credentibus assensum præbuit. Multa siquidem sparsim in sacris foliis divinarum scripturarum testimonia super hoc negotio inserta reperiri possunt. Sed si in unum plura coacervatim colligere non vitamus, mensuram prorsus epistolæ ultra modum excedere nihilo minus judicamur. Sufficiant ergo pauca de multis, ne morosa legendi prolixitas desidiosis fastidium inferat, non abstergat. Cujus namque melius, quam ipsius domini verba primum ponenda sunt? Ipsius nimirum verita- Christus.

ANNO CHRISTI 794.

tis testimonia inserenda. Ipse enim de se innotuit cujus Filius esset, cum Patris nomen se asserat hominibus nuntiasse. Ait enim: *Ioan. 17.* *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* Nomen paternum tunc manifestavit hominibus, cum se Patris Filium verum, & non putativum, proprium innotuit, & non adoptivum. *Ibidem.* Sed notandum quod dicitur: *Hominibus quos dedisti mihi.* Non enim sunt isti ex illis hominibus, quos ei Pater dederat, & imo quos ille cum Patre ante mundi constitutionem elegerat, qui eum adoptivum, & non proprium filium confitentur: quasi alienus aliquando a Patre fuerit, aut per carnis extraneus ab eo factus esset assumptionem; cum ut Verbum caro fieret una extiterit Patris Filiique voluntas, sicut scriptum est: *Psal. 39.* *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* *Ioan. 20.* Hinc alias ait: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.* Distincte enim dixit: *meum & vestrum.* Ejus videlicet, non per gratiam, sed per naturam: noster vero per gratiam adoptionis. Porro nunquam non fuit Filius, quia nunquam non fuit Pater. Semper enim & ubique distincte Patrem suum appellat. *Ioan. 5.* *Pater*, inquit, *meus usque modo operatur, & ego operor.* Et rursus: *Ioan. 17.* *Pater clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* *Ioan. 10.* & : *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est.* Quod si secundum eorum callidam tergiversationem cuncta quę protulimus ad divinitatem tantummodo Filii Dei referenda opinantur, dicant ubi unquam communi affectu dixerit *Matth. 6.* nobiscum, Pater noster. *Scit enim*, inquit, *Pater vester, quid vobis opus sit.* non ait, noster, quasi *Matth. 5.* nobiscum adoptatus per gratiam. Et alibi: *Estote ergo & vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Cur non dixit, noster? quia aliter noster, & aliter suus. *Matth. 7.* Hinc rursus ait: *Si vos cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?* &c. Paulus. Hinc Paulus electionis vas ait: *Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* *Rom. 8* Scimus enim, quia non est traditus secundum divinitatem, sed secundum id quod homo verus erat. Illum nimirum qui traditus est, id est hominem, ipsum apostolus proprium Dei Filium protestatur.

Beatus Petrus. Quid enim præstabilius, quidve clarius, & omni religione devotius, quam beati Petri primi pastoris ecclesiæ felici confessione prolatæ fidei tenere fundamentum? *I. Cor. 3.* *Fundamentum*, inquit magister gentium, *aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Hujus nimirum fundamenti immobilis soliditatem beatus Petrus, non carne & sanguine, sed Patre revelante de cælo, confitendam declaravit: cum refutatis quorumdam opinionibus, quid in discipulorum animis fides operaretur, cunctorum cognitor exploraret solus pro se, & pro omnibus, & pro unitate unus testimonium *Matth. 16.* fidei perhibuit dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Qui mox confessionis præmium nulla interveniente mora adeptus, ut cæli janitor, & ligandi solvendique arbiter factus est animarum. *Ibidem.* Statimque dominus, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Super hanc, inquit, petram quam confessus es, & a qua vocabuli sortitus es dignitatem, super hanc soliditatem fidei ecclesiam meam ædificabo; & idcirco portæ inferi non prævalebunt adversus eam: per quas aditus mortis panditur, ut ad inferni claustra eorum errores sequendo de-

A scendant, qui se a B. Petri fidei communione dissociant. Relicta heu miseri inviolabilis petræ inconcussa firmitate, super lubrica & arenosa ruralia perfidiæ domum ædificare festinant. Inundatione autem juxta Dei beatificam vocem facta, illisum est limen domus, & cecidit, quia non erat fundata super petram. O quam bene fidei ejus immobiliter persistente muro, omnium hæreticorum fluxa sunt machinamenta destructa! Numquidnam dixit Petrus, Tu es Christus, qui propter nos factus es filius hominis, & per adoptionem factus es Filius Dei? Absit. Hoc nec Petrus confessus est, nec sancta ecclesia super firmam B fundata petram, id est fidei fundamentum, quod Christus est, confitetur; quam Christus protegit & defendit, & Petrus Christi auxilio fultus gubernat, sed una voce cum Petro Christum Dei Filium confitetur, quia unus est Christus, Dei hominisque Filius, non per gratiam adoptionis, sed propria Filii dignitate.

Sufficeret quinimo in his duobus vel tribus testibus stare omne verbum: sed propter controversias litigantium, qui falsis objectionibus conjecturalium quæstionum molimine veritatis refragari nituntur assertionibus, adhibeamus quin etiam alios veritatis testes, sanctos scilicet prædicatores nostros, qui in gremio catholicæ ecclesiæ lacte fidei sunt nutriti, & ad tantam perfectionis maturitatem pertingere meruerunt, quatenus & solidi cibi capaciores fierent, & minutius turbis C frangendi peritiā retinerent. Beatus igitur Athanasius, Alexandrinæ sedis antistes, sancto afflatus Spiritu, hoc modo fidei suæ exorsus principium dedit: Confitemur Filium Dei ante sæcula sempiternum ex Patre genitum, novissimis vero temporibus propter nostram salutem de Maria virgine natum, sicut scriptum est: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere*, ac deinceps: Si quis vero adversus divinas scripturas alium dicens Filium Dei, & alium qui ex Maria virgine, hominem secundum gratiam adoptatum sicut nos, quasi essent duo filii, unus secundum naturam, qui ex Deo, & unus se- D cundum gratiam, qui ex Maria: & si quis domini nostri carnem desursum dicit, & non ex virgine Maria, aut mutatam deitatem in carnem, & confusam, aut alienatam, aut passibilem deitatem, aut inadorandam domini nostri carnem sicut hominis, & non adorandam domini & Dei carnem; hunc anathematizat sancta & apostolica ecclesia, juxta Pauli vocem dicentis: *Si quis aliter evangelizaverit vobis præter quod accepistis, anathema sit.* Eloquentissimus vir S. Gregorius Nazianzenus ad Clidonium ita scribit: Si quis introducit duos filios, unum quidem qui ex Deo & Patre, secundum vero qui ex matre, & non eumdem, ut adoptionis excedat gratiam, quæ promissa est his qui E recte credunt, alienum eum a nostro consortio judicamus. Naturæ vero duæ, Deus & homo: nam & anima & corpus. Filii vero non duo, neque dii, neque duo homines, quamvis Paulus interiorem & exteriorem hominem appellaverit. Sed hujus expositio capituli tempore reservatur opportuno.

Venerabilis vero pater Augustinus, & admirabilis doctor, in quodam sermone super evangelio Ioannis inter cetera sic ait: Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius. Ille enim venit unigenitus solvere peccata. Advertat tandem aliquando obstinata dementia vestra, & abjicientes

opera

Athan[asius]. Galat. Galat. Greg[orius] Nazi[anze]nus. Augu[sti]nus.

opera tenebrarum, induti arma lucis, relictaque nocte perfidiæ, in die sinceræ fidei honeste ambulate. Pensate quid doctor iste dixerit, adoptatos nos esse per gratiam ipsius, qui peccata solvere venit. Quomodo per illius gratiam nos sumus adoptati, si ipse consors nobis in adoptionis gratia fuit? Credatur ergo, quod dici nefas est, particeps etiam nobis in causa peccati. Nam sicut peccata nostra non tolleret, si ipse peccatum haberet, ita adoptionis gratiam nobis non tribueret, si ipse propter hominem, quem assumpsit sine sorde peccati, necessarium eguerit, ut gratiam adoptionis acciperet. Animadvertite quid dilectus Ioannes Baptista & præcursor dixerit: *Ioannes*, inquit, *testimonium perhibuit, quia ipse* B *est Filius Dei*. Ipse est, inquit, unus idemque. Oportebat ait beatus Augustinus, cum capituli hujus mysterium exponendo revelaret, ut ille baptizaret, qui est filius Dei unicus, non adoptivus. Adoptati Filii ministri sunt unici: unicus autem habet potestatem adoptare ministrum. Scriptum est enim: *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus*. Adoptivis vero filiis non dedit omnia, sed quædam dona charismatum. Pater diligit Filium, sed quomodo Pater Filium, non quomodo dominus servum; quomodo unicum, non quomodo adoptatum.

Iam nunc videamus quid de hac re sentiat prædecessor noster beatus Gregorius egregius doctor, sagacissimus verbi Dei indagator, & venerabilis pater. Denique in libris moralibus, sancto repletus Spiritu inter cetera de eo quod scriptum est: *Eratque vir ille magnus inter omnes orientales*: Omnes, inquit, qui in hunc orientem fide consistunt, recte orientales vocantur. Sed quia omnes homines tantummodo homines, ipse autem oriens Deus & homo; recte dicitur, *Erat magnus inter omnes orientales*, ac si aperte diceretur, Omnes qui in fide Deo nascuntur superat, quia non ut ceteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat. Et rursus alibi idem ipse: Quia omnis homo tantummodo homo est, ipse autem Deus & homo, in terra ei similis non est: quia D etsi adoptivus quisque Filius ad percipiendam divinitatem proficit, nequaquam tamen ut Deus naturaliter esse accepit. Item ipse in eodem libro beatus Iob, de eo quod scriptum est: *Ecce Deus excelsus in fortitudine, & nullus ei similis in legislatoribus*: ac si diceret: Qui humilis videbatur in infirmitate, excelsus manet in fortitudine. Et post paululum: Legislator Moyses, legislatores etiam prophetas, vel cunctos legislatores dicere possumus, quos ex lege admonuisse recta populum scimus, sed huic mediatori in legislatoribus similis nullus est; quia isti gratuito vocati ex peccatis ad innocentiam redeunt; Redemptor autem noster homo sine peccato est, Filius sine adoptione. Nam etsi homo quidem, sed extra mensuram hominum credendus est. Vnde bene E dicitur: *Nullus ei similis in legislatoribus*. Ecce de quo scriptura dicit: *Deus excelsus in fortitudine, & nemo ei similis in legislatoribus*: & de quo alia scriptura dicit: *Quis in nubibus æquabitur domino? aut quis erit similis Deo inter filios Dei?*

Tanta nimirum vos temeritatis dementia deludit, ut æquare eum nubibus & legislatoribus non erubescatis: adoptivum eum filium, quasi purum hominem, calamitati humanæ subjectum, &, quod pudet dicere, servum eum, impii & ingrati tantis beneficiis, liberatorem no- A strum non pertimescitis venenosa fauce susurrare. Cur non veremini, queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum servum nuncupare, qui vos de servitute diaboli liberavit? cui servituti vos iterum nitimini perfidiæ sponte colla submittere? Porro cum essetis servi peccati, ipse vos liberavit gratuito munere per adoptionis gratiam in sortem filiorum Dei. Numquid non sonat de vobis vox illa domini dicentis: *Ego honorifico* Ioan. 8. *Patrem meum, & vos inhonorastis me*? Tales gratiarum actiones infelices ei refertis, ut qui vos honorifice liberos precio sanguinis fecit, eum vos injuriose adoptivum & servum caninis non confundamini linguis latrare? Nam etsi in umbra prophetiæ dictus est servus, propter servilis formæ conditionem, quam sumpsit ex virgine, sicut scriptum est: *Considerasti servum meum Iob*, Iob. 1. *quod non sit ei similis in terra*: hoc nos una cum beato Gregorio intelligimus & secundum historiam de sancto Iob, & allegorice de Christo dictum. Numquid propterea servi ei nomen imponere debemus, quia sub persona Iob scriptura eum typice designabat? Hinc etiam alius propheta, membrum scilicet sacri corporis, ex persona summi capitis tropica clamat involvente vaticinia nube: *O domine, ego servus tuus & filius ancillæ tuæ*. Psal. 115. Et rursus: *Da imperium puero tuo*, Psal. 85. *& salvum fac filium ancillæ tuæ*. & illud: *Noli* Isa. 44. C *timere, serve meus Iacob, & rectissime quem elegi*.

Quæ cuncta & juxta literam prophetice & mystice revelata, nostri mediatoris designant personam: quod quilibet catholicorum virorum hujus prophetiæ mysterio usus, quemadmodum in quodam libro de incarnatione domini beatus Ambrosius simile quid dixerit, propter eos videlicet hæreticos, qui phantasticum aut etiam semiplenum dominicum corpus sacrilego ore susurrant. Numquid docuerunt eum servum vel adoptivum filium prædicare, cum universalis ecclesia, euangelicis atque apostolis imbuta lucidissimis documentis, Deum ac dominum suum, totis medullis cordis, tota animi devotione, in dextera eum Patris profitetur sedentem? Postquam autem cessavit umbra veritatis, & ipsa in promptu manifestata est veritas, quæ sub allegorica silva latebat, nusquam eum a Patre servum vocatum legimus, sed Filium, & dilectum, & suum; nec Filium dominum eum suum appellasse, sed Patrem. Nam Deus & homo erat, qui secundum Deum dicebat: *Ego & Pater unum sumus*; Ioan. 10. & secundum hominem: *Pater major me est*: Ioan. 14. & tamen non ait: Pater dominus meus est, sed *major*. Enimvero etiam in ipso articulo passionis, in quo servilis forma pati parata erat, ubi omnis humanæ conditionis infirmitas monstrabatur, non eum dominum appellavit, sed Patrem: *Pater*, inquit, *si fieri potest, transeat a me* Matth. 26. *calix iste*. Quoniam *magnum pietatis sacramentum, quod apparuit in mundo*, 1. Tim. 3. juxta Pauli vocem, *assumptum est in gloria*. Nullus unquam euangelistarum, nemo apostolorum servum eum commemorat, sed dominum & salvatorem. Nam Thomas cum exploraret vestigia vulnerum, quæ clavi & lancea intulerunt, exclamavit dicens: *Dominus meus, & Deus meus*. Petrus ait: *Domine tu mihi lavas pedes*? Ioan. 20. Discipuli omnes: *Domine adauge nobis fidem*. Ioan. 13. Paulus, clarissima mundi Luc. 17. tuba, semper eum dominum & ipse confitetur, & omnem linguam confiteri perdocet.

Iam revelata & impleta erat omnis figuratæ locutionis

ANNO CHRISTI 794.

cutionis obumbratio: ipse enim de cruce testimonium perhibuit. Nam cum accepisset acetum, dixit: *Consummatum est.* Cum autem in altari crucis hostiam se pro nobis exhibuisset Deo & Patri in odorem suavitatis, & aceti poculum mixta gustasset fellis amaritudine, tunc consummata sunt omnia, quæ longe ante propheticis fuerant oraculis prænuntiata. Ierusalem autem per figuram significat ecclesiam, sed in re corporea civitas est. Et his similia quamplurima, & innumerabilia mysteriorum sacramenta, figuratæ locutionis modo edita, & ænigmatibus sensim foliis involuta, per sacras paginas inveniuntur inserta; quæ longe aliter sunt habenda in specie rerum, aliter in mysticis veneranda figuris. Dictus quippe est in mysterio redemptor noster lapis angularis, propter duos parietes utriusque populi, ut faceret utraque unum. Dictus est etiam petra, propter firmitatem. Dictus est namque & agnus, propter innocentiam & mansuetudinem & sacrificium quod in altari crucis pro nobis obtulit Deo & Patri. Numquidnam lapis, & petra est insensibilis creatura? aut agnus est irrationale animal? aut vitulus lascivum pecus? Nam etsi propter servi formam, & injuriam passionis, paulo minus ab angelis est minoratus, propter triumphum tamen victoriæ, & gaudium resurrectionis gloria & honore est coronatus. *Constituisti eum*, ait psalmista, *super opera manuum tuarum: omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Omnia namque post gloriam resurrectionis subjecta sunt ei; haud dubio angeli, & omnis creatura. Dominum igitur angelorum omnisque creaturæ, cujus sub pedibus cuncta subjecta sunt, vos dicitis servum & adoptivum?

Ioan. 19. Psal. 8.

Paulus namque, mundi lilium, & ecclesiæ pulcerrima rosa, templum scilicet Spiritus sancti, & prædicabilis doctor, in universo ore suo dominum eum, & non servum appellat. Ait namque: *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Vnde & alias dicit: *Etsi novimus Christum secundum carnem, sed jam nunc non novimus illum.* Ac si patenter diceret: Etsi novimus eum mortalem, passibilem, vulneri deditum, sed jam in gloria Patris scimus eum ab omni humanæ conditionis debito alienum. Paulus electionis vas docet, ut omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris: cur surda aure, & erroris obvoluto tenebris corde hunc locum scripturæ legendo transilitis? Paulus omnem linguam dominum Iesum eum confiteri hortatur, & docet: & vestra lingua non confunditur servum eum & adoptivum latrare. Hæc namque stultiloqua lingua in frusta est præcidenda, & per mille, ut ita dixerim, partes minutius detruncanda.

Phil. 2. 2. Cor. 5.

Cur vos non revocant ad viam veritatis & lucis, cæci, scelesti, immites, & incompositi, tam salubria scripturarum documenta? qui cadentes sicut Balaam, apertos habetis oculos, nihil videntes: & quia in foveam erroris corruistis, ideo lumine veritatis privati, ignorantiæ vestræ tenebras non videtis. Apertos vos dicitis habere oculos. Sed quia a statu rectitudinis cecidistis, idcirco patrem mendacii, qui Adæ in peccati nocte aperuit oculos ad malum, & clausit in bonum, intuemini, & Patrem luminis non aspicitis, qui discussa nocte peccati justitiæ nobis diem veritatis radio illuminavit. Numquid non legistis, quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est, descendens a Patre luminum?* cur vos de deorsum a patre mendacii, & rectore tenebrarum harum nummum exposcitis peccatorum? Cur cum antiquo serpente renovare vultis delicti chirographum, quod dulcis clementiæ bonitas, unica ac singularis pietas, cruci affixit in arce, & roseo preciosi sanguinis abluit ostro? An nescitis quia ab origine mundi usque ad mediatoris adventum, hujus emptionis debitum, veneni gutta calamo scribentis infusa, mendaciique fraude deceptionis falsitas exarata, omne humanum genus in ventrem malitiæ suæ trahens, quasi fluvium ingurgitantem absorbuit? sicut de eo scriptum est: *Absorbebit fluvium, & non mirabitur: & habet fiduciam quod influat Iordanis in os ejus.* Cur non præcavetis, miseri, ne forte propter perfidiam vestram elevet se Iordanis in undam tumescentem, glomeratisque fluctibus extra ripas, vos in locis palustribus evomat, statimque serpens ille vos inveniat in cœno erroris defixos, apertoque crudelitatis ore, summa vos rapacitate deglutiat? Intelligite quæ dico. Per Iordanem, ecclesiam, vel baptizatorum advertite multitudinem: per tumescentem undam, censuram disciplinæ, & anathematis jacturam: extra ripas enim Iordanis, extra gremium ecclesiæ: per cœnum, hæresem pollutionem. In serpente diabolus debet intelligi, qui ideo hæreticorum corda perfidiæ veneno sauciare inhianter desiderat, ut eos quasi ebrios fauce devoret impietatis.

Num. 22. Iacob. Iob.

Cur B. Petri parvipenditis gloriosæ confessionis inviolabilem fidem? Cur sacratissimi Pauli apostoli plena sacramentorum mysteriis despicitis perspicua documenta? Cur non per euangelicas paginas planam & directam catholica luce perfusam viam repetitis veritatis? Cur non tot testium Christi veridicas simpliciter sacratiusque prolatas suscipitis sanctiones; sed magis his credulitatis præbetis assensum, quæ vestris auribus diabolica sibilat lingua? Patris testimonio de Filio perhibentis non creditis, qui dixit: *Hic est Filius meus dilectus?* Spiritus sancti ostensionem in specie columbæ, quia ipse esset dilectus Filius, nihil penditis? Super quem putatis Spiritum sanctum in specie columbæ descendisse? super Deum, an super hominem? an propter unam personam Christi, super Dei hominisque Filium? Spiritus namque sanctus, cum sit inseparabiliter amborum, Patris videlicet & Filii, & ex Patre Filioque essentialiter procedat, quo pacto credi potest super Deum descendisse, a quo nunquam recesserat, & a quo ineffabiliter semper procedit? Dei enim Filius, secundum id quod Deus est, sanctum Spiritum, cum Patre nunquam a se recedente, inenarrabili modo mittit: & secundum id quod homo est, super se venientem suscepit. De eo ergo, id est de hominis Filio, super quem Spiritus sanctus descendit, licet unus sit Dei hominisque Filius, vox Patris intonuit, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Si secundum divinitatem dixisset, nequaquam diceret, *In quo mihi bene complacui*: sed tantummodo, in quo mihi bene complacuit. Sed cum dicit, Complacuit, totam simul Trinitatem comprehendit, quia in homine Christo tota complacuit Trinitas. Animadvertite quia nihil vobis restat, ut secundum divinitatem tantummodo credatis dixisse Patrem: *Hic est Filius meus*, sed potius secundum humanitatem, super

Matth. Matth.

per quam Spiritus sanctus dicitur descendisse. A Ioannes clamat dicens: *Ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, ipse est.* Ipse utique unicus, proprius & dilectus, & non servus & adoptivus. Ipsius igitur Filii testimonium abnuetis, qui distincte semper eum suum Patrem & nostrum appellat? Cui ergo vultis credere, aut cui vultis adæquare eum? Dicit enim ipse per prophetam: *Cui assimilastis & adæquastis me:* Cui alius propheta dicit: *Non est similis tibi in diis, domine, & non est secundum opera tua.* Non est secundum opera ejus, quia sicut singulariter est homo ultra homines, ita singulare est opus ei, B & excellens omnia opera sanctorum, qui dii non essentialiter propter gloriam divinitatis, sed nuncupative pro meriti appellantur dignitate. Opus namque ejus est, ut sit unicus, proprius & dilectus Filius Dei. Nostrum opus est, ut simus servi per conditionem, & filii per gratiam adoptionis.

Iam nunc tempus est, ut a labore operis styli requiescat mucro, non torpescat, sed requiescat, & otio reparatus semper sit ad omne opus bonum paratus. Series enim prolixæ orationis jam jamque suspensum exposcit versiculi punctum. Attamen priusquam libelli imponatur terminus finalis, adhibenda est litigatorum optio C sententialis. Eligant namque quæ volunt, vitam aut mortem, benedictionem aut maledictionem. Optamus namque, & infinitam boni pastoris domini precamur benignitatis clementiam, ut qui ovem perditam ad ovile propriis humeris reportavit, ut relictis erroris anfractibus, in quibus malæ bestiæ, id est maligni spiritus commotantur, & ad viam quæ ducit ad vitam æternam fidei passibus Christo redeant pertrahente: quatenus in sinu matris ecclesiæ suscepti, per lamentum pœnitentiæ sordes abluant peccatorum, & infamata eorum modestia bonæ famæ recipiant pristinam dignitatem. Nec honoris periclitentur naufragio, & a nostro non disjungantur D consortio: ac per hoc reconciliati communioni catholicæ fidei divina illos pietas cælestium faciat esse participes gaudiorum. Quod si exigentibus indignis meritis, tam insolubili eos malignus spiritus perfidiæ laqueo justo Dei judicio strangulavit, ut resolvi nequeant; ex auctoritate prorsus sedis apostolicæ, ac beati Petri apostolorum principis, & per eam quam illi magister & dominus tradidit potestatem, & solvendi ligandique licentiam tribuit, quod sine gravi mœrore non possumus dicere perpetuo eos anathematis vinculo religatos, ultrici cum sequacibus suis vindicta plectendos, ac per hoc & a gremio ecclesiæ, & a nostro consortio definio alienos. Si quis autem fidelium Deumque timentium, caritatem eis benignitatis impartiendo, & Christi amore, pro eis precis E oblationem domino offerre voluerit, non solum non inhibemus, sed ut faciat, apostolica admonitione & optamus, & salubri incitamus exhortatione: ut Deus omnipotens, qui neminem vult perire, & omnes homines propter nimiam bonitatem suam vult salvos fieri, revocet eos ad viam veritatis, & ad agnitionem pertingere, sicut dignum est, rectæ fidei, quæ est in Christo Iesu domino nostro, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in Trinitate perfecta, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

II.

ANNO CHRISTI 794.

LIBELLUS EPISCOPOR. ITALIÆ CONTRA ELIPANDUM

Concilii decreto missus ad provincias Hispaniæ.

Incipit libellus sacrosyllabus; catholico salubriter editus stylo, in concilio divino nutu habito in suburbanis Moguntiæ metropolitanæ civitatis, regione Germaniæ, in loco celebri qui dicitur Franconofurd, sub præsentia clementissimi principis domini Caroli gloriosique regis; anno felicissimo regni ejus XXVI. *Placuit igitur sancto venerandoque concilio, quatenus hic libellus pro causa fidei ad provincias Galliciæ ac Spaniarum mitti deberet ob noxios resecandos errores: specialiter autem ad Elipandum Toletanæ sedis episcopum; in quo omnis hujus negotii constat materia quæstionum.*

SANCTO incitante Spiritu, ac zelo fidei catholicæ scintillatim sub pectore fervescente clementissimi & tranquillissimi gloriosique Caroli regis domini terræ, imperii ejus decreto per diversas provincias regni ejus ditioni subjectas summa celeritate præcurrente, multitudo antistitum sacris obtemperando præceptis in uno collegio aggregata convenit. Quadam die residentibus cunctis in aula sacri palatii, adsistentibus in modum coronæ presbyteris, diaconibus, cunctoque clero, sub præsentia prædicti principis allata est epistola missa ab Elipando auctore noxii sceleris, Toletanæ sedis pseudoepiscopo, Hispalensi termino circumseptæ. Cumque jubente rege publica voce recitata fuisset, statim surgens venerabilis princeps de sella regia, stetit supra gradum suum, ac locutus est de causa fidei prolixo sermone, & adjecit: Quid vobis videtur? Ab anno prorsus præterito, & ex quo cœpit hujus pestis insania tumescente perfidiæ ulcus diffusius ebullire, non parvus in his regionibus, licet in extremis finibus regni nostri, error inolevit, quem censura fidei necesse est modis omnibus resecare. Cumque imprecata & concessa esset morosa dilatio per dies aliquot, placuit ejus mansuetudini, ut unusquisque, quidquid ingenii captu rectius sentire potuisset, per sacras syllabas die statuto ejus clementiæ oblatum sui cor pectoris, fidei munus styli ferculo mentis vivacitate deferret. Sed sicut mos est hæreticis tristia lætis, dulcia permiscere amaris, veneni poculum mellis sapore temperare; quædam in eadem epistola plena blasphemiis, & catholicæ fidei reperta sunt modis omnibus inimica: quædam vero, si dici liceat, inveniri poterant non rejicienda. Sed in eodem poculo, in quo gutta veneni infusa turgescit, mellis nihilo minus amarescit dulcedo.

Quapropter ego Paulinus, licet indignus peccator, omniumque servorum domini ultimus servus, Aquilegiensis sedis Hesperiis oris accinctæ, cui Deo auctore deservio, nomine non merito præsul, una cum reverendissimo & omni honore digno Petro Mediolanensis sedis archiepiscopo cunctisque collegis fratribus & consacerdotibus nostris, Liguriæ, Austriæ, " Hesperiæ, Æmiliæ catholicarum ecclesiarum venerandis præsulibus, juxta exilem intelligentiæ nostræ tenuitatem, sancto perdocente Spiritu, corde, lingua, stylo contra eorum vesanias, qui rectæ fidei sunt adversarii, respondere non formido: cum sit sancta & universalis ecclesia super firmam nihilo

" legendum est, Histriæ, Venetiæ. *vel.* Istriæ Hesperiæ, absque dist.

ANNO CHRISTI 794.

hilo minus immobiliter fundata petram, & portæ inferi nequeant prævalere adversus eam. Verumtamen quia in mari hujus sæculi constituta persistit, adversis hæreticorum flatibus, violentis perfidorum procellis, spumantibusque maledicorum undis illisa concutitur: licet quassari possit, & mergi nequeat, Christi firmata dextera, & apostolico gubernaculo moderata: necessarium tamen existimo omnibus Christianis, cunctisque fidelibus, maxime apostolicis viris, contra hostes ejus fidei armis dimicare. Non enim Christi miles impetum irruentis belli debet enerviter expavescere, nec effugii latibula inermis palando appetere: sed armis militiæ suæ præcinctus, irrumpentium hostium pectora spiritalibus jaculis ex arcu intorquens scripturarum intrepide perforare: quatenus & semetipsum fidei clypeo munitus illæsum custodiat, & inimicorum latera spiculis cruentet acutis. Nam ante certaminis tropæum, tironis non plectitur circa verticem triumphalis corona. Cujus rei ratio apostolicis evidentius approbatur documentis. *Oportet*, inquit egregius prædicator, & de castris dominicis probatissimus miles, *hæreses esse, ut hi qui probati sunt manifesti fiant.* (1. Cor. 11.) Alta etenim nonnunquam dispensatione agitur, ut unde cadere ad ruinam timetur vacillantibus plantis, inde valentius roborata firmiter inconcussa persistat, & antiquus hostis unde se vicisse superbe gloriatur, inde divina superatus potentia se succubuisse doleat prostratus. Nam quia super fidei fundamentum omnium virtutum fabricam persistere non ignorat, ipsam fidei malitiæ suæ manu eradicare soliditatem festinat, quemadmodum de ejus satellitibus, id est malignis spiritibus, per psalmistam dicitur: *Qui dicunt, exinanite, exinanite usque ad fundamentum.* (Psal. 136.) Usque ad fundamentum quippe maligni spiritus animam inaniter se exinanisse gloriantur, si ab ipso fundo mentis fidei firmitatem, tentationum jacula exaggerando, eradicare valebunt. Sciunt utique nihil esse boni omne quod videtur bonum, nisi fuerit super fidei fundamentum firmiter radicatum. *Sine fide enim impossibile est Deo placere.* (Hebr. 11.) Firmum autem fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: *Novit dominus qui sunt ejus.* (2. Tim. 2.) Licet ille sæviat, ac mille modis fraude calliditatis serpendo extra septa sanctæ ecclesiæ, hinc inde squamas nequitiæ suæ Syrtis scopulis illisus exspoliet, ac per hoc circumquaque discurrens, modo in orbe circulato latenter se juxta viam objiciens, ut pedem simpliciter calcantis mordeat, modo in summa sese suspendens falsitatis cauda, hæreticorum pectora veneno perfidiæ inficiendo tumida reddat, ut sauciata ea vitalia fastidiendo spiritalia alimenta evomant. Sed quia super firmam petram fundata est, portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

Hujus nimirum pestiferi serpentis instinctu, fellisque poculo debriati quidam, quorum non sunt nomina in calculo candido agni inscripta, hæresim veternosam illustrium, fortium scilicet virorum calcibus mirabiliter inculcatam, catholicaque falce olim funditus detruncatam, spinoso moliuntur rediviva radice suscitare de stirpe. Adstruunt igitur, sed falsis assertionibus, dominum nostrum Iesum Christum adoptivum Dei Filium de virgine natum: quod divinis nequeunt approbare documentis. Hæc igitur dicentes, aut in utero virginis eum suspicantur adoptatum, quod dici nefas est, quia de beata virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptavit carnem, aut certe purum eum hominem sine Deo natum, quod cogitare impium est, necesse est fateantur, ac per hoc postea, quasi eguerit adoptione, a Patre in Filium sit adoptatus: cum nihil Deus eguerit, qui erat in eo non per gratiam, quemadmodum in ceteris sanctis purisque hominibus, sed essentialiter per naturam. *Deus*, inquit apostolus, *erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* (2. Co.) Quo igitur pacto nobis adoptionem tribuit filiorum, si ipse necessarium eguit ut sibi haberet? Nam quia peccatum non habuit, ideo nobis peccata donavit; quia non accepit ut vita esset, sed ipse essentialiter vita est, idcirco nobis vitam æternam indulsit.

Videamus nunc quid de ejus incarnatione Gabriel, cui creditum fuerat secretæ dispensationis sacramentum, ad Mariam virginem dicat. *Ave*, inquit, *gratia plena, dominus tecum.* (Luc.) Cumque turbata esset in sermone, subjunxit angelus: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Iesum. Hic erit magnus, & vocabitur altissimi Filius.* Iamque credula angelicis dictis, cum ordinem tantæ novitatis inquireret, quomodo sine viro fieri possit, mox angelus addidit: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Non enim ait, adoptivus vocabitur Filius Dei, sed absolute, *Filius Dei, & Filius altissimi.* Denique non de sola excellentia majestatis ejus tunc loquebatur angelus, sed potius de incarnata divinitate. Porro Quod pronomen neutri generis est, & Sanctum similiter neutri generis est. Ait enim: *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et rursus Matthæus narrat angelum dixisse: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* (Mat.) Ut non dubites de corpore dixisse, quod de inviolata virgine sumpsit, more sacri eloquii partem pro toto; ut per solum corpus totum intelligas hominem in anima rationali ex ea natum. Sed ne quilibet scrupulus ambiguitatis remaneret, quia de incarnationis ejus mysterio dixerit, statim post pauca subinfert: *Dabit ei dominus Deus sedem David patris ejus.* (Luc.) Secundum carnem videlicet David filius dictus est, non secundum divinitatem. Habes igitur, quoniam de quo supra dixerat: *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*, (Ibidem) non adoptivus, sed verus, non alienus, sed proprius; de eo subjecit: *Dabit ei dominus Deus sedem David patris ejus.* Nam quis eum adoptasse in filium credatur, cum tota sancta Trinitas hominem Christum in utero virginis operata sit? sicut scriptum est, & juxta historiam de primo Adam, & de secundo, id est, Christo, in prophetiæ sacramento: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* (Gen.) Vel certe quemadmodum in hac eadem evangelica lectione angelica voce declaratur. Ait enim: *Spiritus sanctus superveniet in te.* (Luc.) Habes Spiritus sancti tertiam de Trinitate personam. *Et virtus altissimi obumbrabit tibi.* In virtute namque altissimi Filii persona demonstratur; quia ipse est Dei virtus, Deique sapientia. In altissimi nomine Patris nihilo minus persona accipienda est. Dicant ergo, si valent hæretici (quod si nequeunt, catholicis se humiliter salubribus subdant documentis) quis de his tribus personis eum adoptaverit, cum tota eum Trinitas in utero immaculatæ operata sit virginis.

Porro adoptivus dici non potest, nisi is qui alienus

alienus est ab eo a quo dicitur adoptatus, & gratis ei adoptio tribuitur, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo adoptio præstatur: sicut nos aliquando cum essemus peccando filii iræ, alieni eramus a Deo; per proprium & verum Filium ejus, qui non eguit adoptione, adoptio nobis filiorum donata est, Paulo attestante, qui ait: *Cum ergo venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus per ipsum.* Proprius filius factus est ex muliere, non adoptivus. Hinc alias idem ipse egregius prædicator dicit: *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Igitur cum ad Iordanis alveum Ioanne comite, qui Christus a populis existimabatur, appropinquaret, & ut sanctificaretur aquarum natura mediis sese Iordanicis intinxisset in undis, ut manifestius inter adoptivum & proprium filium discerneret, statim vox Patris intonuit dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et rursus, cum esset in monte sancto cum discipulis quos voluit, & visi essent cum eo Moyses & Elias loquentes, mox paterna vox fulgida per nubem discurrens intonuit, discrevitque qui essent servi per gratiam, & per adoptionem filii, & qui verus ac proprius filius: *Hic est*, inquit, *filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* In Adam quippe sibi Deus Pater displicuisse innotuit, qui peccando filii dignitatem amisit. *Pœnitet*, inquit, *me fecisse hominem super terrã.* In unigenito sibi Filio complacuit, quia propria non habuit, sed aliena peccata tulit: qui nunquam a paterna voluntate discordans, factus pro nobis est Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Si igitur juxta hæreticos adoptivo nomine censetur, ut nos puri & ingrati homines; quo ergo pacto apostolus eum nomen perhibet super omne nomen habere? Adoptivi etenim nomen non est super omne nomen, sed commune, & infra nominum tenetur mensuram.

Videamus jam nunc qualiter primus pastor ecclesiæ fidei posuerit fundamentum. Nam cum magister & dominus discipulos sagacius exploraret, quid de se homines dicerent, & illi singulorum opiniones diverso sermone retexuissent, qui eum unumquemlibet de adoptivis filiis existimabant, quorum adoptio nondum in re, quam per mediatoris perceperunt adventum, sed adhuc in spei servabatur occulto: illico dominus quid illi de se fixius corde retinerent adjunxit: *Vos*, inquit, *quem me esse dicitis?* Moxque B. Petrus, cui non caro & sanguis, sed Pater cælestis revelavit: *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi.* Ecce fidem beati Petri apostoli, quam hæretici surda aure transiliunt, perfunctorie legere non pertimescunt. Petrus confessus est Christum verum Filium Dei vivi, & tu hæretice dicis, Christus adoptivus filius est? enimvero fortassis erigeres perfidiæ aurem, si absolute dixisset: Tu es Filius Dei vivi. Fingeres forsitan more tuo, falsa argumentatione ut diceres: Secundum divinitatem eum Filium Dei confessus est. Sed quoniam cum additamento dixerat: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, omnium hæreticorum ora fidei suæ pugno attrivit. Christi namque nomen ab homine quem assumpsit accepit, quia unctus in homine fuit. Nihil tibi restat quid dicas, nisi solito more faciens, sumas de officina mendacii veneno illita spicula, quibus simplicium corda jaculando falsis assertionibus perforare non erubescas. Frons enim meretricis facta est tibi, erubescere noluisti. Defraudare etenim sacram non veremini scripturam, parvipendentes magistri gentium prohibitionem dicentis: *Nolite adulterare verbum Dei.* 2. Cor. 4.

Sed quid mirum, si stulti in his erratis, quæ allegorica sunt silva condensa, & umbrosis phalerarum ænigmatibus obvoluta, carpere nescitis docta manu de sub foliis literarum pendentia spiritalium fructuum poma, cum in propatulo per sanctos prædicatores eductam male intelligentes orthodoxam depravatis doctrinam? Cujus temeritatis & audaciæ estis, o infelices, inflati superbiæ fastu, ut ipsa Ioannis euangelistæ mirabilia documenta perversis non erubescatis fabulis depravare, juxta vestram vecordiam, & non secundum sanam doctrinam, intelligentes mystica sacramenta? Dicitis enim quod Ioannes scribat in epistola sua: *Habemus advocatum apud Patrem Iesum Christum*, & hoc sit advocatus, quod & adoptivus; cum longe aliud sit advocatus, & aliud sit adoptatus. Nam advocatus ille mihi est, qui pro me judicem interpellat, & causam necessitatis meæ propria tuitione defendit. Convenientius quippe propitiatus dici potest, quam adoptatus, quia ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Cum enim naturam nostram, quam in se assumpsit, in dextera Patris collocatam ostendendo Patri incessabiliter manifestat, propitium eum nobis advocatus noster quasi interpellando efficit & benignum. Adoptivus vero dicitur, cui nihil a patre adoptante debetur, sed gratis indulgendo conceditur. Abusive namque, & non essentialiter, adoptivus est filius dictus, sicut Moyses in filium adoptatus est filiæ Pharaonis, alienus ab ea & generatione & sanguinis affinitate. Hoc ideo posuimus, ut patenter daretur intelligi, eum dici adoptatum, qui nondum prius fuerat proprius filius adoptantis. Vnde in Dei Filium non cadit nomen adoptionis, quia semper verus Filius, semper dominus, ac per hoc & post assumptum hominem veri Filii vocabulum non amisit, qui nunquam verus desiit esse Filius. Quod si juxta vestram vesaniam hoc putatis advocatum esse, quod & adoptatum, confitemini ergo, quod est deterius, & omni blasphemia plenum, duos adoptivos, Filium scilicet, & Spiritum sanctum. Non enim negare valetis Spiritum sanctum paracletum esse. Quod enim Græce παράκλητος hoc Latine dicitur advocatus. Fatemini quin etiam, quod est super omne malum deterius, super omnem impietatem scelestius, duos adoptivos filios, verbum scilicet, & Spiritum sanctum, ut sitis deteriores Ario & Eunomio, & maranatha anathemate Macedonio digni. Adoptivus enim non nisi affectatæ locutionis alienus dicitur filius. Omnis enim adoptio ex affectione ducit vocabuli sui originem, quamquam etymologiæ suæ non videatur trahere similitudinis sonum. Habet namque ex utraque parte utinam adverbium eleganter insitum, ut si dicas: Vtinam sis mihi in filium adoptivum; & econtra: Vtinam merear a te in filium adoptari. ex affectu quidem dilectionis pars subrepit parti, ut in utraque conveniat dilectionis affectus. Sed videant hæretici, qui portæ sunt inferi, quid dixerint; quinimo perverso garriant ore. Obdurata nempe illorum corda, mendacii latibula, per abrupta perfidiæ debacchantes

1. Ioan. 2. — Exod. 2.

ANNO CHRISTI 794

chantes, semper inquirunt, & ne veritatis luce A perfundantur, in spelæo se falsitatis occulere festinant. Cecidit, heu pro dolor, super eos invidiæ ignis, & ideo justitiæ solem non meruerunt videre.

Sancta autem catholica atque apostolica ecclesia, quæ licet in toto sit orbe terrarum diffusa, una tamen est amica sponsi, proxima, & columba, quæ pennis deargentatis sacri eloquii refulget pulcritudine, & in pallore auri posteriora ejus perfectæ fidei puritate clarescunt, confitetur quin potius sanctam & ineffabiliem Trinitatem in unitate; salva scilicet inconfusibiliter proprietate personarum, inseparabilem substantiam confitetur. Ita sane, ut alius credatur Pater, quia Pater est, qui genuit coæternum sibi sine tempore & B omni initio Filium: & alius credatur Filius, quia Filius est, qui genitus est sine initio a Patre, non putative, sed vere: & alius credatur Spiritus sanctus, quia Spiritus sanctus est, & a Patre Filioque procedit. Et non est aliud Pater, & aliud Filius, & aliud Spiritus sanctus, sed unum sunt inseparabiliter Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; non unus, sed unum: quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, sed una & æqualis, & consubstantialis, & coæterna est Patris, Filiique, & Spiritus sancti inenarabilis divinitatis majestas quia unus est Deus. Unionem namque in essentia confitemur; Trinitatem vero in personarum discretione prædicamus. Dominum igitur nostrum C Iesum Christum, Dei Filium, verum Deum, semper in Patre, semper cum Patre, semper credimus apud Patrem. In ultimis namque temporibus propter nos & propter nostram salutem, secundum secretæ dispensationis arbitrium, descendit de cælo, unde nunquam recesserat: venit nimirum in propria, ubi nunquam deerat: natus est de Spiritu sancto, & Maria virgine, dicente angelo: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* (Matth. 1.) Factus verus homo, juxta id quod scriptum est: *Et verbum caro factu est, & habitavit in nobis:* (Ioan. 1.) permansit verus & omnipotens Deus in utraque natura, unus Dei Filius, idemque hominis filius. D Nihil enim humana nativitas divinæ præjudicavit nativitati: assumpsit quod non erat, permansit in id essentialiter quod erat: non commixtionem passus neque divisionem, sed in una persona Christi Deus verus & homo permanet verus; non duo filii Deus & homo, sed unus Filius Deus & homo: non alius filius hominis, & alius Dei, sed unus idemque Dei hominisque filius. Unde & eos valde execramur, qui eum adoptivum impio grunniunt ore: quia, sicut præfati sumus, adoptivus dici non potest, nisi is qui prius alienus est ab eo a quo adoptari desiderat. Dei ergo Filius qua ratione credi potest adoptivus, qui inseparabiliter assumpto homine in una persona coeunte utraque natura, non duo filii, alius Dei, & E alius hominis, ut, sicut illi errando æstimant, adoptivus sit hominis filius, & sine adoptione Dei Filius: sed in una persona unus idemque Dei & hominis filius, qui nunquam hominem quem assumpsit deseruit, etiam nec in cruce, quando inclinato capite tradidit spiritum, Paulo attestante qui ait: *Si enim cognovissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent.* (1. Cor. 2.) Dominus gloriæ dicitur crucifixus, cum sola caro sit crucifixa, sed quia dominus gloriæ idem ipse erat, qui & hominis filius qui crucifigebatur, & nunquam hominem deseruit, sicut dictum est, quem assumpsit, ideo dicitur dominus gloriæ crucifixus.

Sunt etiam plerique qui adstruunt ex tribus substantiis unam mediatoris personam verbi carnis & animæ, cum in causa fidei non videatur necessarium sophistica disputatione sæcularium literarum calculos syllogistica spargere manu. Sufficeret enim, juxta præcedentium catholicorum patrum saluberrimæ promulgationis doctrinam, sincera simplicitatis voce ex utraque natura unam personam confiteri, veri Dei verique hominis Christi, divina scilicet & humana; sed propter eos utique qui semiplenam sine anima rationali, & ad vicem animæ divinam naturam in carnis dispensatione assumptam suspicantur, cum psalmista alacri pectore dicat: *Ecce enim Deus adjuvat me, & dominus susceptor est animæ meæ.* (Ps.) Pro hac igitur re, & hujuscemodi erroris nubilo, styli flabello ex aere mentis ventosas nubium umbras dispergere festinamus, quatenus æterni solis perfusa radio, micantes stellas per cælos valeat puris obtutibus inspicere scripturarum. Non enim ignoramus ex duabus substantiis humanam subsistere naturam, ex anima nimirum & carne: sed unum sine altero perfectum non efficere hominem. Quid enim caro sine anima, nisi terra? & quid anima sine carne? nonne Spiritus? Homo enim ex utroque, & non ex uno. Unde quia redemptor noster perfectum hominem assumpsit in Deum, idcirco ex duabus naturis Deum & hominem confitemur. Non enim caro sine anima perfecta humana potest dici integraque natura. Nam cum ex limo terræ finxisset Deus hominem, protinus insufflavit in eum spiraculum vitæ, sicut scriptum est: *Et factus est homo in animam viventem.* (G) Non igitur alter qui formatus est, & alter qui insufflatus, sed unus idemque. Ex flatu namque animata est terra, tam incomprehensibili arte mirabilique modo summi artificis manu configulata, ut investigari plenius nequeat, qualiter & unum sit anima & caro, quæ perfectum efficiunt hominem; & tamen diversa sit substantia carnis & spiritus. Nam cum scriptum sit, *Ad te omnis caro veniet:* & rursus: *Non timebo quid faciat mihi caro:* Et iterum: *Et videbit omnis caro salutare Dei nostri:* nullo namque pacto sine anima videre potest, ut videat salutare Dei; nec venire valet, ut veniat ad eum omnis caro.

Ponamus igitur, exempli causa, secundum humanæ rationis affectum, necessitate per omnia compellente, materialia themata disputandi. Nam sicut in planis & solidis figuris linea, & in quadrangulis punctus, licet sint indissecabiles & dividi nequeant, & idcirco egregie depingant dimensionum figuras; omnium tamen numerorum multitudinis summam in se sociatam retinent, & ex se usque ad infinitam numerositatem procedentes, & rursus in se usque ad unum recurrentes, individuam retinere probantur unionis censuram. Fingamus igitur animam in forma corporis, quasi lineam vel punctum in planis, solidis, atque quadrangulatis figuris cunctas membrorum partium in se individue continentes positiones, unumquodque in junctura sua insertum, ita ut & unum sit & diversum. Nam si subtrahas lineam & punctum æqualitatis, nobilitas degeneratur figuræ. Instante autem lineæ jacentis primordio, punctique circumfusa numeri quadratura, quique segregari vel non segregari possunt, resolvi insolubili sectione in lineæ punctiq; privilegio demonstratur. Ita sane vis animæ, cum sit incorporea & invisibilis, nec dividi potest, nec recipit sectionum scissuras; totam tamen corporis

corporis molem, quæ dividi vel segregari potest, in se continentem mirabiliter regit, & per totum diffusa animando vivificat, & quasi punctus in medio suam individue retinet dignitatem, & in alienam non resolvitur qualitatem. Nam, sicut dictum est, cum sit incorporea, corporaliter cuncta per corpus disponit; & cum sit substantia carnis corporea, per incorpoream creaturam, id est animam, corporeas perficit actiones. Tanta enim societatis convenientia sibimet sunt junctæ, ut unum sine altero nihil possit, & alterum sine altero plenam non possit humanam monstrare naturam: & idcirco placuit ex utraque humanam definire naturam. Nam anima incorporea per corporeos oculos videt, audit, sentit: & B corporei oculi per incorpoream animam videre probantur. Nam si recedat anima, oculi aperti remanentes, & aures patentes, nec videre possunt, nec audire. Per linguam loquitur anima, & lingua loquitur per animam. In qualibet enim parte corporis incisa carne anima dolet: sine anima vero in frusta secata caro nec dolere nec sentire potest. Per carnem nempe anima, & per animam caro esurit, sitit, tristatur. Numquid potest dici caro sine anima humana natura, cum nihil sit aliud nisi terra? Animata vero terra humana perfecto potest dici integra perfectaque natura. Omne enim imperfectum amittit nominis proprietatem, nisi perfectionis ei commodius adjiciatur supplementum. Ex quatuor igitur di- C versis elementis humana subsistere fertur natura, calido, frigido, humido, sicco, id est, igne, aere, terra, & aqua. Cum ergo ex his quatuor variis homo subsistat naturis, numquid debemus in uno homine quatuor substantias profiteri? Si hoc placet, addatur quin etiam quinta, id est anima, ut constet homo ex quinque, & Verbi omnipotentis sit sexta: & tunc, quod est omni fatuitate dementius, omnique vecordia stultius, fateantur sex in una Dei hominisque Christi persona substantiæ.

Tu forsitan suspicaris, quicumque es nostræ refragator assertionis, de memoria nobis avolasse, quia dixerit beatus apostolus, in interiore D homine habitare Christum per fidem in cordibus nostris. Hæc nos tota devotione mentis, totaque simplicitate veraciter retinemus cordis: & adjicimus ea quæ (te forsitan * somniante latent) idem vas electionis Paulum dixisse reminiscimur: *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester & anima, & corpus sine querela in adventu domini nostri Iesu Christi servetur.* Tria, inquam, dixit, spiritus, & anima, & corpus. Numquid aliud est spiritus, & aliud anima? Non divisit substantias, sed dignitatem distinxit. Spiritalis quippe anima, & spiritale corpus vult ut in adventum domini nostri Iesu Christi servetur. In hoc spiritali homine, qui & interior dicitur, profitetur idem mirabilis do- E ctor habitare Christum per fidem in cordibus nostris. Nam est homo animalis, & est spiritalis; non per substantiam, sed per meriti qualitatem. Animalis quippe ab anima, spiritalis vero a spiritu nuncupatur: quemadmodum idem veridicus videlicet doctor alterum ab altero discrevit. *Animalis*, inquit, *homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*: hic est exterior, qui foras se ad exteriora appetenda effundit, *spiritalis autem dijudicat omnia*, id est discernit, *& ipse a nemine judicatur.* Hic est inquam interior, in quo Christus creditur habitare, qui introrsus se per contem-

A plationis gratiam retinet, & internæ refectionis dulcedine depastus in amore sui conditoris suaviter requiescit.

His itaque prælibatis, ad ea quæ reliquimus revertamur. Quæro igitur ut dicas mihi, in qua natura ipse mediator Dei & hominum homo Christus Iesus dignatus est esurire, sitire, passionum sentire dolores. Quid moraris? non vales negare: melius est ut profitearis, quia secundum humanam. Divina enim natura impassibilis, inviolabilis, & semper permanet immutabilis. Verum est, omnino verum, quia in humana. Volo ergo ut liquidius definias, quid sit humana natura: sola caro, an sola anima, an utraque anima & caro? Non enim possumus, nec fas est veritati contradicere: ex utraque nihilo minus humana constat natura, ex anima siquidem & carne. Dicito ergo mihi, in sola carne, an in sola anima, an, quod verius est, in utraque pertulit vulnera passionum? Caro enim sine anima nihil sentit: anima enim sine carne non esurit, neque sitit, nec potest crucifigi, & tamen crucifixa est per carnem. In summis etenim palmis, & in extremis crucifixa est plantis. Quod si non est crucifixa cum carne, cur sensit dolorem? Caro enim, sicut dictum est, sine anima nihil sentit. Quod si per carnis cognationem sentit dolorem, & caro per animam dolet incisa; nec caro ergo sine anima, nec anima sine carne, plena potest humana dici natura. Ex utraque namque connexione, carnis scilicet & animæ, perfecta constat humana natura. Vnde & majores nostri hac definitione sancita, quorum sagacissima capacitatis peritia longe valde a nostræ tarditatis distat ignavia, placuit eis, sancto annuente Spiritu, duas in una Christi persona indubitanter profiteri naturas, divinam scilicet & humanam: quia anima & caro non sunt duo, sed unus homo. Deum enim & hominem Dei Filium confitetur. *Mediator*, inquit apostolus, *Dei & hominum homo Christus Iesus*, qui ex anima & carne non duo, sed unus est dictus homo. I. Tim. 2.

Cessent ergo jam nunc omnes superfluæ mussitantium adinventiones: cessent calumniatrices querularum quæstionum objectiones, quæ ad rem non pertinent, sed magis ad simplicium subversionem. Doctrinis variis & peregrinis non abducamur. Sed confiteamur cum sanctis patribus nostris, catholicis, orthodoxisque viris, qui rectam fidem & corde perceperunt, & inviolabili ore ecclesiæ filios salubriter docuerunt, duas in Christo naturas, divinam nimirum & humanam, verum Deum, verumque hominem: in utroque proprium Dei Filium, non adoptivum; sempiternum ex Patre, temporaliter natum ex virgine matre, consubstantialem in sua Deo Patri, sanctoque Spiritui, consubstantialem etiam nobis in nostra. Nostra dicimus, in carnis conditione, non in peccati vel miseriæ communione. Peccatum enim non fecit, sed alienum tulit; nec dolus inventus est in ore ejus, sed dolores nostros ipse portavit: vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnium autem hæreticorum perversa dogmata cum auctoribus & sequacibus suis æterno anathemate percelli judicamus. Elipandum namque, & Felicem, novos hostes ecclesiæ, sed veternosa fæce perfidiæ pollutos, nisi ab hac stultitia resipiscant, & per rectæ fidei satisfactionem lamentis se abluant pœni- Isai. 53.

ANNO CHRISTI 794.

tentiæ, indignos & ingratos eos a consortio catholicorum perpetua animadversione eliminare decernimus, & a gremio orthodoxæ ecclesiæ censemus alienos. Optamus tamen, & omni annisu mentis, immensæ pietatis boni pastoris, qui animam suam posuit pro ovibus suis, & neminem vult perire, clementiam imprecamur, ut perfidiæ relicto errore, ad viam veritatis, quæ Christus est, & ipso redeant perducente, quatenus in sinum matris ecclesiæ dilectionis suscepti amplexu, tranquilla suaviter fidei pace quiescentes, largissima sugant ubera bonitatis Dei, ac per hoc perpetuæ felicitatis gaudia, gratia Dei, qui pro omnibus mortem gustavit, largiente sine fine valeant adipisci. Eos etiam, qui post hanc tam saluberrimam definitionem, quam plenaria synodus sancto afflata Spiritu concorditer subtili sinceritate terminavit, falsissimis eorum assertionibus, sive clam, sive in publica voce, præbuerint assensum, simili eos sententiæ vindicta sancimus esse plectendos; reservato per omnia juris privilegio summi pontificis domini & patris nostri Hadriani primæ sedis beatissimi papæ.

Nos autem, domini & carissimi fratres; sequentes præcedentium patrum sanam doctrinam, respuentes per omnia deliramenta nugacium hominum, corde credimus ad justitiam, ore autem confiteamur ad salutem dominum nostrum Iesum Christum verum Dei Filium, non putativum: proprium in utraque natura, non adoptivum: æqualem & coæternum Patri, sanctoque Spiritui; qui ecclesiam suam proprio sanguine acquisitam, sine macula & ruga immaculatam custodiat, & corda nostra in rectæ fidei puritate immutilato jure conservet. Catholicum atque clementissimum, semperque inclytum domnum Carolum regem, per intercessiones beatæ & gloriosæ semperque virginis Dei genitricis Mariæ, per quam meruimus auctorem suscipere vitæ, & beati Petri primi pastoris ecclesiæ, omniumque sanctorum, verum etiam suffragantibus precibus vestris, omnipotens & sancta Trinitas sua eum gratia circumcingat, suaque dextera semper protegat & defendat, ut faciat semper quæ illi sunt placita, quatenus cælestibus fretus armis, inimicos nominis Christi auxilio fultus de cælo ad terram prosternat. Barbaras etiam nationes infinita Deus omnipotens ditioni ejus potentia subdat: ut ex hac occasione ad agnitionem perveniant veritatis, & cognoscant verum & vivum Deum creatorem suum. Regenerati siquidem unda baptismatis, in gremio aggregentur matris ecclesiæ, ut impleatur quod bonus pastor promiserat dicens: *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere; & vocem meam audient, ut fiat unum ovile & unus pastor.* (*Ioan. 10.*) Multiplicetur pax in diebus ejus, ut sit sancta ecclesia libera, & ab omni strepitu mundi secura; qua libertate Christus eam liberavit: liceatque, domini sacerdotes, juxta euangelicas & apostolicas canonicasque regulas simpliciter domino deservire, militare in solis castris dominicis: quia, juxta ejusdem domini vocem, *Nemo potest duobus dominis servire:* (*Matth. 6.*) & Paulus: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut placeat ei cui se probavit.* (*2. Tim. 2.*) Nemo sibi blandiatur, quod utrumque possit, & Deo & mundo servire; quia veritas est, & mentiri non potest qui hoc fieri non posse testatur. Vnde supplicandus est tranquillissimus princeps noster, ut ille pro nobis contra visibiles hostes pro Christi amore, domino opitulante, dimicet; & nos pro illo contra invisibiles hostes, domini imprecantes potentiam, spiritalibus armis pugnemus, quatenus vicariam ei retributionem in illa die pro ecclesia sua Dei Filius rependat, ut quemadmodum ille nunc eam inter tot mundanos tumultus constitutam reddit securam, ita eum illa cælestis regni faciat esse participem. Indulgeat miseratus captivis, subveniat oppressis, dissolvat fasciculos deprimentes, sit consolatio viduarum, miserorum refrigerium, sit dominus & pater, sit rex & sacerdos, sit omnium Christianorum moderantissimus gubernator, auxiliante domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in Trinitate perfecta, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

III.

SYNODICA CONCILII AB EPISC. GALLIÆ ET GERMANIÆ ad præsules Hispaniæ missa.

Sancta synodus, & venerabiles in Christo patres, cum omnibus episcopis Germaniæ, Galliæ, & Aquitaniæ, & toto catholicæ pacis clero, præsulibus Hispaniæ, & ceteris ibidem Christianitatis nomen habentibus, in domino Deo, Dei Filio vero & proprio, Iesu Christo, æternæ beatitudinis salutem.

IN nomine domini nostri Iesu Christi, qui dixit, *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum,* (*Matth.*) congregatis nobis in unum caritatis conventu, præcipiente & præsidente piissimo & gloriosissimo domino nostro Carolo rege, ad renovandum cum consilio pacificæ unanimitatis sanctæ Dei ecclesiæ statum, & ad prædicandam orthodoxæ fidei veritatem, in qua divina operante gratia salutis nostræ initium extat & finis, cui nihil augeri potest vel minui, quæ una debet esse omnium Christianorum, dicente beato apostolo: *Vnus dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, & pater omnium, qui super omnia, & in omnibus nobis.* (*Ephes.*) In hac omnis sanctitas vitæ, omnis spes remunerationis æternæ, sine qua nihil sanctum, nihil Deo acceptabile, nihil vivum. Iustus enim ex fide vivit: quam qui diabolo decipiente perdiderit, vivens mortuus est: quia sicut per fidem justitia, ita etiam per fidem veram vita obtinetur æterna, dicente domino salvatore: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* (*Ioan.*)

Inter cetera itaque, quæ pro hujus fidei firmitate tractavimus, domini regis nostri præcipua pietate & laudabili sapientia assidente & auxiliante nobis, præcepit subito gloriosa illius excellentia fidei vestræ libellum afferri in medium, qui cum a notario, nobis diligentius attendentibus, sub distinctione sententiarum & proprietate sensuum perlegeretur ad finem, audivimus in eo novas quasdam assertiones exaratas, non tam antiquis sanctorum doctorum traditionibus convenientes, quam vestris nuper inventionibus utcumque confirmatas. Sed duæ difficiles res nostris in eo libello, quem direxistis, sensibus occurrerunt. Vna, cur nobis non sufficiant, quæ in sanctorum patrum dictis inveniuntur, & universali catholicæ sanctionis consuetudine confirmantur, dicente scriptura: *Terminos patrum tuorum ne transgrediaris.* (*Prov.*)

transgrediaris. Numquid sagaciores sumus ad inveniendam viam veritatis, quam apostolici doctores? & quare aliquid confirmare audemus, quod in illorum non inveniatur scriptis? Altera res est, quare generationem Filii Dei, vel æternam de Patre, vel temporalem de Matre, quisquam hominum audeat investigare, dicente scriptura: *Altiora te ne quæsieris.* Vnde & sanctus Augustinus dicit in sermone de nativitate Christi: Merito, dilectissimi, miranda est salvatoris nostri nativitas, non solum illa divina, de qua dictum est: *In principio erat Verbum*, sed etiam illa humana, de qua idem dicit euangelista: *Verbum caro factum est.* Vnde & propheta: *Generationem ejus quis enarrabit?* Divina enim magis fide veneranda sunt, quam ratione investiganda.

Sed tempus est, ut ad discutiendos sensus libelli vestri veniamus, in quo sanctorum patrum per loca testimonia invenimus posita, sed male perfidiæ veneno corrupta, & inter flores pulcerrimos fidei catholicæ anguinos erroris vestri dentes insertos. Tacuistis nomina librorum, & numerum capitulorum, ut difficilius error vester investigaretur: & ex hoc solo perspicuum est errasse vos voluntarie, dum sanctorum patrum venerabiles sensus, per intermissiones aliquorum verborum maculare nitimini. Et miramur, vel magis lugemus: quare hoc facere velitis, quare purissimos catholicæ fidei fontes hæretico pede turbare non timeatis. Invenimus enim in libelli vestri principio scriptum, quod vos posuistis: Confitemur & credimus Deum Dei Filium ante omnia tempora sine initio ex Patre genitum, coæternum, & consubstantialem, non adoptione, sed genere. Item post pauca eodem loco legebatur: Confitemur & credimus eum factum ex muliere, factum sub lege, non genere esse Filium Dei, sed adoptione: non natura, sed gratia. Ecce serpens inter pomifera paradisi latitans ligna, ut incautos quosque decipiat. Ex sermonibus sancti Augustini hæc testimonia translata sunt: sed hæretica pravitate additum invenimus in sequenti periodo, Non genere esse Filium Dei, sed adoptione: quod etiam in sequentibus plenius, volente Deo, demonstrabimus. Nunc vero tantummodo ad ostendendos & cavendos mortiferos veneni succos legentibus inseruimus. Quod autem exempli gratia posuistis: *Pater major me est;* non propter adoptionem, sed propter formam servi dixit, in qua minor est Patre. Simili modo & propter formam servi illud dictum est: *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu.* Hoc vero quod Ioannes dixit: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratia & veritate*, contra adoptionem carnis facit. Si unigenitus, quomodo tunc adoptivus? vel si non est proprius Filius, quomodo tunc plenus gratia & veritate?

Igitur quod sequitur in epistola assertionis vestræ, beatum dixisse Hilarium, Nam & in ipso usu nostro est adoptivus Filius, & verus Filius: adoptivum filium non dicimus natura esse, qui verus est filius. Videtis quomodo cæca mens contra suam ponit testimonia sententiam. Quis est qui audeat dicere, Christum non esse vere Filium Dei, Ioanne Baptista atteftante, dum vidit Spiritum Dei descendentem & manentem super eum: *Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei?* De quo & apostolus testatur: *Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem; qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Et si verus Deus, etiam & verus Filius: etsi verus Filius, nequaquam adoptivus; quia adoptivus, sicut in testimonio sancti Hilarii positum est, non vere natura est Filius. Rom. 9.

Item de tractatu in apocalypsim beati Hieronymi, ut dicunt, hoc modo positum testimonium in epistola reperimus præfata: Calculum candidum, id est, gemma alba, adoptio carnis in Filio Dei. Quod longe aliter in eodem tractatu invenitur: Et dabo ei, inquit, calculum candidum, id est, adoptionem filiorum Dei. Nam calculus gemma preciosa est. Et post pauca: Sive calculum, corpus baptismo candidatum, sive calculi appellatione sermo divinus significatur. Epistola vero beati Hieronymi, quam ad Cerasiam scriptam dicitis, hactenus nec apud Romanos, nec apud nos inveniri potuit. Nec sibipsi eum unquam contraria scribere putamus: & veris credere melius est exemplaribus, quam dubiis. Ecce pravitas omni tergiversatione deterior, quæ sic sanctorum patrum purissimis sensibus venena suæ infundit perfidiæ. Sequitur in epistola. Hieronymus.

Item in homilia sancti Augustini, secundum humanæ servitutis formam ita dicit: Homo adoptatur, cujus gloriam quæsivit, qui est ab illo unicus natus. Ecce quem Augustinus dicit adoptatum, hunc Ioannes dicit: *Advocatum habemus apud Patrem.* In hoc itaque loco ignoramus quid prius agendum sit, an pravitas repellenda, sive imperitia decidenda. In XXVI. homilia in expositione ejus sententiæ legitur, ubi dominus dixit: *Qui a semetipso loquitur, propriam gloriam quærit.* Vbi post congruam expositionem infert: Quid tu homo facere debes, qui quando aliquid boni facis gloriam tuam quæris: quando autem aliquid mali facis, Deo calumnias meditaris? Intende tibi: creatura es, agnosce creatorem: servus es, ne contemnas dominum. Adoptatus es, sed non meritus. Quære gloriam ejus, a quo habes hanc gratiam homo adoptatus, cujus gloriam quæsivit, qui est ab illo unicus natus. De Christo enim dixit, unicus natus: de nobis vero, homo adoptatus. Quam adoptionem pravissimo sensu qui scripsit epistolam, ad Christi voluit transferre humanitatem. In qua perversitate sensus utrumque, & imperitia scribentis patet, & mala voluntas non latet. Etiam & in sequenti mox sententia & falsitas malæ voluntatis apparet, ubi dixit: Ecce quem Augustinus dicit adoptatum, Ioannes apostolus dicit advocatum. Certissimum est enim Ioannem apostolum Christum advocatum nominare, sicut ipse testatur: *Apud Patrem habemus advocatum dominum nostrum Iesum Christum.* Perspicuum quoque est sanctum Augustinum de homine quolibet per gratiam adoptato dicere, sicut ex sequentia lectionis certissime cognosci potest. Augustinus. 1. Ioan. 2. Ioan. 7. 1 Ioan. 2.

Sequitur in eodem libello vestro: Item prædecessores nostri Eugenius, Hildefonsus, Iulianus, Toletanæ sedis antistites, in suis dogmatibus ita dixerunt in missa de cœna domini: Qui per adoptivi hominis passionem dum suo non indulsit corpori. Item in missa de ascensione domini: Hodie salvator noster post adoptionem carnis sedem repetivit deitatis. Et cetera, quæ ex parentum vestrorum dictis posuistis; ut manifestum sit quales habeatis parentes, & ut notum

ANNO CHRISTI 794.

rum sit omnibus, unde vos traditi sitis in manus infidelium. Quia hominem Christum verum Dei Patris Filium esse negastis, vobis defensor esse noluit, sed tradidit vos in manus inimicorum suorum, ut dominentur vestri, qui eum recipere noluerunt; & cui illi publice detrahunt, vos occulte illi derogetis. Nec illius Christi testimonio credere vultis de seipso dicentis: *Pater clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Dum dixit *Tuus*, proprietatem ostendit, veluti & Pater in baptismo testimonio comprobavit: *Hic est Filius meus dilectus. Meus* dixit, addidit quoque, *dilectus*: ut intelligeretur proprius esse Filius, sicut apostolus dixit: *Proprio Filio suo non pepercit.* Et melius est testimonio Dei Patris credere de suo Filio, quam Hildefonsi vestri, qui tales vobis composuit preces in missarum solenniis, quales universalis & sancta Dei non habet ecclesia. Nec vos in illis exaudiri putamus. Et si Hildefonsus vester in orationibus suis Christum adoptivum nominavit, noster vero Gregorius pontifex Romanæ sedis, & clarissimus toto orbe doctor, in suis orationibus semper eum unigenitum nominare non dubitavit. In oratione enim, quæ est secunda feria post Palmas ita posuit: Da quæsumus omnipotens Deus, ut qui in tot adversis ex nostra infirmitate deficimus, intercedente unigeniti Filii tui passione, respiremus. Item quarta feria ejusdem septimanæ: Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut qui nostris excessibus incessanter affligimur, per unigeniti tui passionem liberemur. Item in ascensione domini: Concede quæsumus, omnipotens Deus, ut qui hodierna die unigenitum tuum redemptorem nostrum ad cęlos ascendisse credimus. Item ad sanctam crucem: Deus qui unigeniti Dei tui domini nostri Iesu Christi precioso sanguine humanum genus redimere dignatus es. Ecce eum unigenitum nominavit, cujus sanguine redempti sumus.

Ioan. 17.

Matth. 3.

Rom 8.

Quod autem dicitis in epistola fidei vestræ: Ex Patre unigenitum sine adoptione, primogenitum vero in fine temporis, verum hominem assumendo de virgine carnis adoptione, unigenitum in natura, primogenitum in adoptione & gratia. Scimus enim Deum Dei Filium ex utraque natura & unigenitum esse & primogenitum, unigenitus, quia solus sine initio ex Deo Patre genitus, & solus ex initio temporis ex matre virgine genitus: ideoque in utraque natura unigenitus etiam & primogenitus, quia omnis unigenitus primogenitus est: licet secundum humanam generationem, non omnis primogenitus unigenitus sit. Idem ipse Dei Filius, primogenitus est virginis, ut dicitis; etiam & unigenitus, quia non habuit sequentes carnaliter fratres. Igitur & Deo Patri primogenitus, quia prius ex Deo Patre genitus quam ulla esset creatura, vel aliquod esset tempus, apostolo teste qui ait, ad Colossenses scribens: *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis claritatis suæ: in quo habemus redemptionem, remissionem peccatorum: qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ; quia in ipso condita sunt universa in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: & ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare corporaliter.* Item Salomon: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Necdum erant abyssi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant; necdum montes gravi mole constiterant. Ante colles ego parturiebar*, &c. Item in libro Sapientiæ, ipsa dicente Sapientia, id est, Filio Dei: *Ego ex ore altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ego in cælis feci ut oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram. Ego in altis habitavi, & thronus meus in columna nubis.* Item beatus Hieronymus in tractatu epistolæ ad Titum, ubi dicit apostolus: *Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & salvatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis.* Vbi est, inquit, serpens Arius? ubi Eunomius coluber? Magnus Deus Iesus Christus salvator dicitur, non primogenitus omnis creaturæ: non verbum Dei & sapientia, quæ sunt appellationes divinæ generationis; sed Iesus & Christus, quæ vocabula assumpti hominis sunt. Neque vero alium Iesum Christum, alium Verbum dicimus, ut nova hæresis calumniatur, sed eumdem & ante sæcula, & ante mundum, & post Mariam, imo ex Maria, magnum Deum appellamus, salvatorem nostrum Iesum Christum, qui dedit semetipsum pro nobis.

Coloss. 1.

Prov.

Eccle.

Tit.

Hæc testimonia ideo posuimus, ut cognoscatis Deum & dominum nostrum Iesum Christum, in utraque natura esse & unigenitum & primogenitum, non adoptivum, sed magnum Deum: nec ex eo ei fratres nominari, sicut Helvidius blasphemat, quod primogenitus est, sed ex paternæ caritatis affectu. Nam quatuor modis in scripturis sanctis fratres appellari legimus, sicut beatus Hieronymus in libello contra eumdem Helvidium testatur; natura, gente, cognatione, affectu. Natura, ut Esau & Iacob, duodecim patriarchæ, Andreas & Petrus, Iacobus & Ioannes. Gente, quia omnes Iudæi fratres inter se vocantur, ut in Deuteronomio: *Si autem emeris fratrem tuum, qui est Hebræus, vel quæ est Hebræa, serviet tibi sex annis, & in septimo anno dimittes eum liberum abs te.* Et in eodem: *Constituendo constitues super te principem, quem elegerit dominus Deus tuus, eum qui ex fratribus tuis sit*, & reliqua. Cognatione autem fratres vocantur, qui sunt de una familia, sicut Loth frater Abrahæ dicitur, cum sit filius fratris sui Aran, dicente Abraham: *Non sit rixa inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos, quia omnes fratres nos sumus.* Qua lege & in euangelio fratres domini dicuntur Iacobus, Iudas, & Simon. Affectu quoque fratres dicuntur, qui in duo scinditur, in spiritale & in commune. In spiritale, quia omnes Christiani fratres vocantur: ut ibi: *Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum.* Et salvator: *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Et alibi: *Vade, dic fratribus meis.* Porro in commune, quia omnes homines, ex uno patre nati, pari germanitate conjungimur. Hinc Hieronymus dicit, affectu fratres esse domini, non adoptione, ubi dicit: *Narrabo nomen tuum fratribus*

Deu.

Deu.

Gen.

Psal.

Ioan.

Heb.

NO ISTI .4. *bus meis.* Et item, *Ite, dicite fratribus meis.*

A Sequitur in epistola vestra: Carissimi, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. Similes utique in carnis adoptione, & non similes ei in divinitate. Hujus vero sententiæ intellectum longe aliter catholici patres exposuerunt. Dicit enim sanctus Augustinus in epistola ad Italicam virginem: Intantum ergo videbimus, inquantum similes erimus, quia & nunc intantum non videmus, inquantum dissimiles sumus. Inde igitur videbimus, ubi similes erimus. Quis autem dementissimus dixerit corpore nos vel esse, vel futuros esse similes Deo? In interiore igitur homine ista similitudo est, qui renovatur in agnitione Dei, secundum agnitionem ejus qui creavit eum: & tanto efficimur similiores illi, quanto magis in ejus agnitione & caritate proficimus: quia etsi exterior homo noster corrumpitur, interior autem renovatur de die in diem: ita sane, ut in hac vita, quantuscumque profectus sit, longe absit ab illa perfectione similitudinis, quæ idonea erit ad videndum Deum. Quid vero David putatis dixisse de fratribus adoptivis: *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*
44. *præ participibus tuis*? Non enim beatus Hieronymus, & ceteri sanctæ scripturæ tractatores, hanc participationem unctionis de adoptivis fratribus, sed de regibus, qui christi vocabantur, intelligi voluerunt, qui oleo humanæ compositionis uncti esse leguntur: sicut idem beatus Hieronymus in tractatu ejusdem psalmi exposuit: *Oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Alii reges, qui typum illius prætulerunt, & regnando consortes dicti sunt, oleo corruptibili sunt inuncti, hic vero Filius Dei a Deo Patre oleo exultationis, hoc est resurrectionis, ascensionis, dominationisque est delibutus; quia Christus natura unctus, nos per gratiam, quia in illo pleniter fuit divinitas.

Item post multa testimonia, quæ omnia exequi longum est, novissime in Michææ prophetæ sententiam offendistis, in qua pœnitentis populi personam in seipso propheta assumpsit: in qua & vestræ blasphemiæ stultitiam aperuistis,
6. dicendo: *Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo? fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Quod dixit *primogenitum*, secundum humanitatem: quod dixit *fructum ventris mei*, secundum divinitatem. Quæ aures catholicæ hanc expositionem audire non abhorrent? Quis fidelis illam nare contracta non respuit? Tam ridiculosa est, tam stulta hujus sententiæ expositio apud vos, ut propter sanctitatem aurium magis taceamus quid de vestra interpretatione sentimus, quam exponamus: & lectoris arbitrio dimittimus de vobis in hoc loco judicare. Tantum dicimus quid beatus Hieronymus de hac intellexit sententia. Dicit enim in tractatu ejusdem prophetæ: Deus populum ad judicium provocarat. Ille sciens peccatum suum, non vult contendere, sed rogare: nec tamen in ipsis precibus habet fiduciam. Nihil enim dignum est, quod pro peccato Deo possit offerri: & nulla humilitas potest maculas eluere delictorum: quia impossibile est sanguinem taurorum & vitulorum, & holocausta medullata, & cruorem arietum & hircorum pinguium sordes animæ lavare. *Numquid, ait, dabo primogenitum meum*
m. *pro scelere meo*, sicut rex Moab fecisse describitur? *aut fructum ventris mei pro peccato animæ meæ*, quod fecit Iephte, pro temeritate voti offerens filiam? Item secundum LXX. allegoricam expositionem ita disseruit: Si dedero primogenita mea pro impietate, & fructum ventris mei pro peccato animæ meæ, dabo quidem quidquid in me primum est, sed pro meo peccato & impietate nihil dignum offeram Deo. Unde & David precatur, & dicit: *Magis magisque lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.* Psal. 50.

ANNO CHRISTI 794.

B Item mentionem epistolæ beati Pauli ad Hebræos facientes, nec intelligentes omnia quæ posuerunt contra se esse, & semper ubique Christum dominum Filium Dei nominari, non servum, non adoptivum, sicut in illis testimoniis perspicuum est, quæ ex principio epistolæ illius ponere voluerunt: *Multifarie multisque modis olim Deus locutus est patribus nostris in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit & sæcula. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis: tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium. Et iterum, cum introduceret primogenitum in orbem terrarum, dicit: Adorent eum omnes angeli Dei.* Hebr. 1.

C Hæc itaque testimonia non servum, non adoptivum dicunt dominum nostrum Iesum Christum, sed filium & heredem universorum: sicut & in sequentibus ejusdem epistolæ legimus: *Moyses quidem tamquam famulus fidelis fuit in tota domo ejus: Christus vero tamquam filius in domo sua.* Et paulo ante: *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est.* Quomodo amplioris gloriæ, si servus sicut & Moyses, vel ex servo adoptivus? Hebr. 3.

D Quos & beatus Augustinus in homilia III. sancti euangelii secundum Ioannem mirabiliter distinxit, dicens: Tenete ergo, fratres, soliditatem istam: Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Per servum lex data est, & reos fecit: per imperatorem indulgentia data est, & reos liberavit. Lex per Moysem data est: Non sibi amplius servus assignet, quam quod per illum factum est. Electus ad magnum ministerium, tamquam fidelis in domo, sed tamen servus, agere secundum legem potest, solvere a reatu legis non potest.

E Quod autem in sequentibus epistolæ vestræ legitur: His præmissis sanctorum patrum sententiis assertionibus nostris roboratis, in commune decrevimus ab eorum decretis nullo modo deviare vestigiis: Optamus, dominumque deprecamur, hoc omnino verum esse quod dicitis. Sed necdum perspeximus ita esse. Faciat quandoque misericordia divina fieri, ut terminos sanctorum patrum non transgrediamini.

Quod etiam & in sequentibus adjunxistis, in professione Nicæni symboli non invenimus dictum, in Christo duas naturas, & tres substantias, & homo deificus, & Deus humanatus. Quid est natura hominis, nisi anima & corpus? vel quid est inter naturam & substantiam, ut tres substantias necesse sit nobis dicere, & non magis simpliciter, sicut sancti patres dixerunt, confiteri dominum nostrum Iesum Christum Deum

ANNO CHRISTI 794.

Deum verum, & verum hominem in una persona? Mansit vero persona Filii in trinitate, cui personæ humana accessit natura, ut esset & una persona, Deus & homo, non homo deificus, & humanatus Deus, sed Deus homo, & homo Deus: propter unitatem personæ unus Dei Filius, & idem hominis filius, perfectus Deus, perfectus homo. Perfectus homo non est, nisi anima & corpore, sicut & sanctus papa Leo in homilia IV. de natali domini, eamdem nuncupat naturam, quam & substantiam, ita dicens: Tanto fœdere naturam utramque conseruit, ut nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio. Salva igitur proprietate utriusque substantiæ, & in unam coeunte personam, nec negamus & nos Christo hæc tria veraciter inesse, divinitatem scilicet, animam, & corpus. Sed quia vere Deus & homo dicitur, in Dei nomine totum quod Dei est designatur, in hominis vero, totum quod hominis est intelligitur. Ideo sufficit in eo unam perfectam divinitatis, & alteram perfectam humanitatis confiteri substantiam. Aliud est enim contra hæreticos contendere, aliud vero puram fideliter confiteri fidem. Ibi enim veritas animæ & carnis in Christo ostendenda erat, hic perfecta humanitas in eodem confitenda est. Sic & sanctus Augustinus in libro quem Enchiridion nominari placuit, evidentissime & catholice in undecimo capitulo exposuit, ita dicens de Deo
Cap. 35. Christo: Nempe ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit homo esse quam Dei Filius, & hoc unicus: & propter Deum verbum, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus: ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis & caro, ita sit Christus una persona verbum & homo.

Consuetudo ecclesiastica solet in Christo duas substantias nominare, Dei videlicet & hominis, Cassiodorus. sicut Cassiodorus in secundi psalmi tractatu cum sententia sancti Augustini robòravit. Et ne per hæreticas, inquit, contentiones Christiani animus fluctuetur, quem oportet omnia veraciter fixeque credere, nominis ipsius definitionem auctoritate patrum brevi satisfactione concludimus. Audiamus ergo beatum & doctissimum Augustinum in euangelistæ Ioannis expositione dicentem; Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, qua æqualis est Patri: humanam, qua major est Pater. Utrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus, ne sit quaternitas, non trinitas Deus: ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis & caro: qua veritate recognita, competenter mortiferos vitamus errores. Item B. Ambrosius in hymno quodam de natali domini ita dicit: Geminæ gigas substantiæ alacris ut currat viam. Item sanctus Augustinus in libro Enchiridion capitulo
Cap. 38. XIII. Proinde, sicut confitemur, dominus noster Iesus Christus, qui de Deo Deus, homo autem natus est de Spiritu sancto & Maria virgine, utraque substantia, divina scilicet atque humana, Filius est unicus Dei Patris omnipotentis. Item in expositione catholicæ fidei: Non ergo duos Christos, neque duos filios, sed Deum & hominem unum filium: quem propterea unigenitum dicimus, manentem in duabus substantiis, sicut ei naturæ veritas contulit. Isidorus quoque in libro Etymologiarum: Sic autem, inquit, Dei Filio juncta est humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona.

A Item sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus Paschasius, in libro secundo operis pulcerrimi, quod de Spiritu sancto composuit, cujus opusculi beatus Gregorius papa Romanus in libris dialogorum mentionem fecit, in capitulo IV. ita dicit: Itaque in Deo & homine gemina substantia, sed non gemina persona est, quia persona personam consumere potest, substantia vero substantiam non potest: siquidem persona res juris est, substantia res naturæ. Hoc loco necessarium videtur, ut in Christo domino pariter & homine unam personam & duas substantias testimoniis asseramus. Da unam redemB ptoris Dei hominisque personam. Apostolus dicit: *Si enim cognovissent sapientiam Dei, nunquam dominum gloriæ crucifixissent.* Si requiras quomodo potuerit inviolabilis pati, & incomprehensibilis crucifigi; personæ unitas facit, ut quod homo pertulit Deus pertulisse credatur. Item cum euangelista commemorat: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit filius hominis qui est in cælo*; quomodo hic filium hominis ante passionis & resurrectionis, sive ascensionis diem, & de cælo asserit descendisse, & in cælestibus permanere, nisi hoc per unitatem personæ ratio veritatis absolvat? sicut alio loco C capitis & corporis sociatur persona, cum legitur: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere.* Quid agit personæ unitas? Homo pascitur, & Deus reficitur: pes confovetur, & caput fomentum in se sentire testatur. Dicit ergo: *Nunquam dominum gloriæ crucifixissent.* & e diverso: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis qui est in cælo.* Vide quomodo per unitatem personæ humana divinis & humanis divina miscentur. Deus crucifigitur, & homo de cælo descendere, & in cælo permanere memoratur. Item paulo post in eodem capitulo Paulus apostolus etiam duas substantias evidenter, remota sacramenti obscuritate, digessit, ita dicens: *Patres nostri, ex quibus Christus secundum carnem,* D *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.*

Sed & inter lucidissimas & catholicas sancti Augustini sententias, quas sparsim & inordinate posuistis ad defensionem, ut vos dicitis, vestram, ut nos intelligimus, accusationem erroris vestri, non metuistis intermiscere sensus adulterinos, fingentes eum dicere quod in illius non invenimus dictis. Ex quo perspicuum est vos vestræ non confidere causæ, quia in exemplis sanctorum patrum non invenistis fidem vestram confirmari: ideoque adulterinos pravitatis sensus interposuistis, asserentes illos dicere quod non dixerunt, sicut certissime cognosci poE test in capitulo XI. de libro S. Augustini, quem Enchiridion, ut præfati sumus, nominavit: cujus capituli textum ponimus, ut facilius vester patescat error, & malitiæ noscatur imperitia. Dicit enim præfatus Pater: Proinde Christus Iesus Dei Filius est Deus & homo, Deus ante omnia sæcula, homo in nostro sæculo: Deus, quia Dei verbum: *Deus enim erat verbum*: homo autem, quia in unitatem personæ accessit verbo anima rationalis & caro. Quocirca in quantum Deus est, ipse & Pater unum sunt: in quantum autem homo est, Pater major est illo. Cum enim esset unicus Dei Filius, non gratia, sed natura; esset etiam plenus gratia, factus est & hominis Filius: idem ipse utrumque ex utroque unus Christus. Quia cum in forma Dei esset

ANNO CHRISTI 794. Paschasius diaconus. 1. Cor. 2. Ioan. 3. Matth. 25. Rom. 9. Augustinus. Cap. 35. Ioan. 1.

esset, non rapinam arbitratus est quod natura erat, id est, esse se æqualem Deo: exinanivit autem se, accipiens formam servi, non amittens vel minuens formam Dei. Ac per hoc & minor est factus, & mansit æqualis: utrumque unus, sicut dictum est, sed aliud propter Verbum, aliud propter hominem: propter Verbum æqualis Patri, propter hominem minor: unus Dei Filius, idemque hominis filius: unus hominis filius, idemque & Dei Filius: non duo filii Dei, Deus & homo, sed unus Dei Filius: Deus sine initio, homo a certo initio, dominus noster Iesus Christus.

B Hisce igitur verissimis catholicæ fidei assertionibus perfidiæ venena intermiscere non metuistis. Vbi ergo ille dixit: Cum enim esset unicus Dei Filius, non gratia, sed natura, ut esset etiam plenus gratia, factus est & hominis filius, idem ipse utrumque ex utroque unus Christus: ad confirmandum errorem vestrum, interposuistis quod ille non dixit, hoc modo: Cum enim esset unicus Dei Filius, non adoptione, sed genere; neque gratia, sed natura: ut esset etiam plenus in forma servi, adoptione & gratia factus est hominis filius, idem ipse utrumque ex utraque unus Christus. Videat qui legit, & intelligat quanta est hæc pravitas, & quanta est hæc tergiversatio. Quare sanctorum patrum sensus commaculatis, & venenum erroris catholico melli immisceetis? Quid est quod dicitis, Deum natura Dei Filium, genere esse Filium Dei? Quid est C quod adoptionem gratiæ conjungitis, dum in eodem capitulo paulo post idem mirificus doctor, eum, qui est hominis filius, unicum Dei Filium nominare non dubitaret, ita dicens, sicut & ante exposuimus: Nempe ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit homo esse, quam Dei Filius, & hoc unicus: & propter Deum Verbum, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus: ut quemadmodum una persona est quilibet homo, anima scilicet rationalis & caro, ita sit Christus una persona, Verbum & homo. Igitur si unicus, quomodo adoptivus, dum multi sunt adoptivi filii? Vnicus itaque de multis non D potest dici. Item unitas personæ, quæ est in Dei filio & filio virginis, adoptionis tollit injuriam. Si ergo Deus verus est, qui de virgine natus est, quomodo tunc potest adoptivus esse vel servus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum vel adoptivum: & si eum propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, qua factus est Patri obediens usque ad mortem: præfato papa Leone dicente in homilia II. de nativitate Christi: assumpta est de matre domini natura, non culpa: creata est forma servi sine conditione servili. Item S. Augustinus in homilia XXXIX. dicit: Dominus noster etiam in forma servi non servus, E sed in forma etiam servi dominus fuit. Nonne secundum sæculi nobilitatem, beata Maria virgo ex regali & libera prosapia processit? Huic vero virgini regiæ dignitatis Spiritus sanctus accessit, & Filium ex ea procreari fecit. Mirum si Spiritus sanctus hominem ex ea non potuit facere perfectum & ingenuum.

Sed & hoc volumus a vobis audire, an Adam primus humani generis pater, qui de terra virgine creatus est, liber esset conditus, sive servus? Si servus, quomodo tunc imago Dei? si liber, quare & Christus quoq; non ingenuus de virgine? Meliore quidem terra, etiam animata & im-

A maculata, Spiritu sancto operante factus est homo, dicente apostolo: *Factus est primus homo de terra terrenus, secundus de cælo cælestis.* Si terrenum liberum conditum confitemur, quare non multo magis cælestem liberum confitemur? Vnde Adam fuit servus factus, nisi ex peccato, apostolo Petro attestante: *Qui enim peccatum facit, servus est peccati?* Christus autem non fecit peccatum, ideo servus non est peccati, sed magis liberator & redemptor eorum qui servi sunt peccati, eo ipso attestante: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Sed forte servum hominis eum fuisse dicitis. Quid est quod dicit propheta: B *Deus judicium tuum regi da, & justitiam tuam filio regis. Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes servient ei?* Item apostolus: *Omnia subjecit sub pedibus ejus.* Et hoc sæpius repetitur, quam exemplis indigeat edoceri, quod sit dominus omnium, non alicujus servus. Anne angelorum eum servum vultis dicere, quia dictum est: *Minuistis eum paulo minus ab angelis?* Vtique minoratus est propter mortalitatem carnis, non propter conditionis servitium, ideoque statim sequitur: *Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Item apostolus ad Hebræos: *Tanto melior effectus angelis, quanto differentius præ illis nomen hereditavit.* Et iterum: *Cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.*

C Quid dicitis de Deo Patre, qui eum in baptismo etiam & in transfiguratione, quæ facta est in monte, Filium nominavit, non servum: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui?* De qua sententia B. Hilarius in libro VI. de fide ita disseruit: Si proprium ac singulare est, *Hic est Filius meus*; quid calumnias Deo Patri professæ de Filio proprietatis asserimus? Anne tibi videtur in eo quod dicitur hoc significari; Alios quidem cognominatos habeo in filios, sed hic Filius meus est? Donavi adoptionis nomen plurimis, sed iste mihi Filius est. Ne quæras aliũ, ne non hunc esse credas. Hunc ergo tamquam digito indice, ac verbi significatione contingo, quia D dico, & meus est, & Filius est. Hæc quidem paternæ vocis significatio ea fuit, non quod qui ad implendam omnem justitiam baptizandus erat ignoraretur, sed ut qui ad sacramentum salutis nostrę homo cernebatur, Dei voce Dei Filius nosceretur. Restat igitur ut sit rex & redemptor, Deus & Dei Filius: de quo & apostolus ad Romanos: *Qui proprio Filio suo non pepercit.* Propriũ nominavit, non adoptivum. De qua sententia idẽ B. Hilarius in libro præfato ita dicit: Numquidnam etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est hoc nomen? Item post pauca: Quære virtutem dicti, ut magnitudinem E caritatis intelligas. quid sit proprium expende, ne ignores veritatem. Nunc enim apostolus proprium ait Filium, cum in multis vel suum vel ejus sæpe dixisset. Quamvis multi codices, per translatorum simplicem intelligentiam, in hoc loco, pro *proprio Filio*, suo Filio conscriptum habeant; tamen Græcitas, qua lingua apostolus est locutus, proprium nunc magis quam suum nuncupavit. Et licet communis intelligentiæ sensus non satis inter proprium & suum differat, verum apostolus, cum in ceteris aliis dictis suum Filium commemorasset, hic tamen dicit: *Qui proprio Filio non pepercit.* Item libro VIII. Sentisne quid tibi desit, Christo negando quod suum est? Si

1. Cor. 15.
Ioan. 8.
Ibidem.
Psal. 71.
1. Cor. 15.
Psal. 8.
Hebr. 1.
Ibidem.
Matth. 3. & 17.
Rom. 8.
Hilarius.

ANNO CHRISTI 794.

per naturam Dei Christus tibi dominus est, habes Spiritum sanctum: si vero per adoptivum nomen hic dominus est, Spiritu sancto carens spiritu erroris animaris: quia nemo nisi in Spiritu sancto dominum Iesum potest dicere. Item in dogmate catholicæ fidei. Ergo Dei Filius hominis factus est filius, natus secundum veritatem naturæ ex Deo Dei Filius, & secundum veritatem naturæ ex homine hominis filius: ut veritas unigeniti non adoptione, neque appellatione, sed in utraque nativitate Filii nomen nascendo haberet, ut esset verus Deus & verus homo unus Filius. Item sanctus euangelista Ioannes verum eum Filium nos credere edocuit dicens: *Et nos vidimus, & testificamur, quoniam Pater misit Filium suum salvatorem mundi. Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.* Item post pauca: *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Tu vero quisquis es, qui Christum prædicas adoptivum, unde tibi iste sensus venisset, voluissem scire: ubi hoc nomen didicisses, ostende. Patriarchæ nescierunt, prophetæ non dixerunt, apostoli non prædicaverunt, sancti tractatores hoc nomen tacuerunt, doctores fidei nostræ non docuerunt. Forte in tertium cælum raptus fuisti, & ibi audisti arcana verba, quæ hucusque sanctæ Dei ecclesiæ ignota essent, si tu in tertium cælum raptus non esses. Aut super pectus domini recubuisti, & ibi audisti quę B. Ioannes audire non meruit. Aut te per choros angelorum agnus ducens, hoc tibi nomen ostendit. Aut tibi leo de tribu Iuda librum septem sigillis clausum aperuit, unde hæc mysteria intelligeres, & nomina proferres, quæ quatuor animalibus incognita mansissent, imo toti mundo inaudita, nisi tu novus doctor ad declarandum tuum nomen venisses.

1. Ioan. 4.
1 Ioan. 5.

Dices enim: Cur times adoptivum Christum dominum nominare? Dico tibi, quia nec apostoli eum sic nominaverunt, nec sancta Dei & catholica ecclesia consuetudinem habuit sic eum appellare, imo nec credere eum adoptivum esse, sed proprium Filium, juxta præcedentia apostolorum testimonia, & sanctorum doctorum dogmata. Plurimæ vero sunt in sanctis scripturis appellationes domini nostri Iesu Christi, sicut leo, agnus, lapis, vermis, & multa talia, quæ omnia certas habent & mysticas significationes, cur ita dicantur. Adoptivus siquidem non habet aliam significationem, nisi ut Iesus Christus non sit proprius Filius Dei, nec ex virgine ei in Filium genitus, sed nescio ex quo servo adoptatus in filietatem, ut vos dicitis: quarum significationum allegoricas interpretationes diceremus, si huic præsenti rationi necessariæ viderentur, sicut leo propter regiam dignitatem, agnus propter innocentiam, vermis propter humilitatem incarnationis. Quod vero eum dicitis leprosum nominari, videtur vos minus intendisse quomodo propheta hoc nomen posuit: *Et nos*, inquit, *putavimus eum quasi leprosum & percussum a Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras. Quasi leprosum* dixit, non leprosum. Item, *putavimus*, dixit, id est, ut B. Hieronymus in tractatu ejusdem prophetæ exposuit: Nos putavimus eum propria sustinere peccata, sed, ut verius intelleximus, pro nostris vulneratus est iniquitatibus: nullatenus morbo lepræ percussus est in corpore, nec lepra peccati vulneratus est in anima. Lupum vero & vulturem eum non legimus in scripturis sanctis, quantum nostrę occurrit memoriæ, nuncupari, nec etiam adoptivum.

Isa. 53.

Nonne olim eadem hęresis vestra in Nestorio ab universali sancta ecclesia refutata est, etiam & damnata? Quapropter forte illum anathematizare noluistis, dum alios, Bonosum scilicet, Arium, & Sabellium, Manichęumque, qui prava de Dei Filio senserunt, in epistola vestra anathematizastis. Numquid non ideo damnatus est, quia beatam Mariam semper virginem, non Dei, sed hominis tantummodo credidit esse genitricem? De cujus hæresi S. Cyrillus Eulogio presbytero scribit, hoc modo dicens: Nestorius itaque in suis expositionibus simulat se dicere unum Filium & unum dominum, sed refert filiationem ad solum Dei verbum. Et paulo post: Dicendo enim, quia propterea Deus verbum Christus nominatur, quia habet copulationem ad Christum, quomodo non apertum est, duos dicere Christos, si Christus ad Christum habet conjunctionem, tamquã alter ad alterum? Videtur enim, Nestorium dicere copulationem quod vos dicitis adoptionem. Quid est adoptio, nisi caritatis copulatio, qua Pater adoptione sibi copulat Filium, quem proprium non habet? Et certissimum est, sicut præfati sumus, alium esse proprium Filium, alium adoptivum. Nonne tunc duo filii erunt Deo Patri, unus proprius, & alter adoptivus, quod nullus catholicus audet dicere? Quid est aliud dicere eamdem virginem adoptivum vel servum genuisse, nisi negare Deum illam genuisse? Si Deus generatus est, nequaquam adoptivus, sed Filius: quia alia persona est proprii Filii, alia adoptivi filii servi. Et scimus unam esse personam in Christo Deo, Dei & hominis, sicut B Gregorius in epistola ad Quirinum episcopum scripsit: Non autem, inquit, prius in utero virginis caro concepta est, & postmodum divinitas venit in carnem: sed mox ut Verbum venit in uterum, mox Verbum, servata propriæ virtute naturæ, factum est caro: & perfectus homo idem in veritate carnis & animæ rationalis natus est per uterum virginis Filius Dei. Si igitur mox a tempore conceptionis verus Deus Dei Filius conceptus est, quando fuit ut homo esset sine Deo, unde adoptaretur in Filium? Sicut enim nunquam fuit, ut Deus Pater esset sine Deo Filio, de quo dictum est: *In principio erat Verbum*: ita nunquam fuit, ut homo Iesus esset sine Deo, de quo dictum est: *Verbum caro factum est*, id est, Deus homo factus est. Sicut enim Arius Filium separavit a Patre dicendo, erat quando non erat Dei Filius, ita per adoptionem vos separatis hominem Christum a Deo Filio.

Ioan. 1.
Ibidem.

Et miramur, dum tanta sanctorum patrum testimonia profertis, cur non intelligatis quod contra eadem testimonia sensum ponitis vestrum, alia prave intelligentes, alia pessime interpretantes, juxta apostolum, *non intelligentes quæ dicitis, nec de quibus affirmatis.* Sufficiat vobis, obsecramus, dicere in confessione catholicæ fidei, quod sancti patres dixerunt: & sic symbolum tenere ecclesiasticę professionis, sicut sanctissimi doctores exposuerunt. Longe siquidem inferiores sumus illis ad excogitanda verba convenientia fidei apostolicæ. Tantum firmiter credamus, & teneamus quod illi scripserunt qui Spiritu Dei repleti sunt, & nobis a Deo dati sunt doctores. Qui enim vobis displicet in domino nostro Iesu

1. Tim.

Iesu Christo, ut verus sit Deo Patri Filius, dum ille ipse & se Filium nominavit, & veritatem, dicendo: *Pater clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* & iterum; *Ego sum via, & veritas, & vita?* Nisi forte cum Iudæis vultis dicere: *Tu de teipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum.* Mox ille ipse pro se respondebit vobis: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est.* & paulo post: *In lege*, inquit, *vestra scriptum est: Quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me qui misit me Pater.* Pater de cælis intonuit, & eum Filium suum nominavit, Christus de terris in cælos clamavit, se filium nominavit, & vos cum Iudæis adhuc increduli estis? Latro in cruce eum dominum nominavit: centurio morientem eum videns clamavit: *Vere Filius Dei erat iste.* Sed & dæmones eum vere Filium Dei summi cum sua legione proclamaverunt, sicut in sanctis legitur euangeliis. & Elipandus cum sua legione negat adhuc eum vere Filium Dei esse? Apostoli interrogati a Christo dicente: *Quē dicunt homines esse filium hominis?* de filio hominis interrogat, & de filio hominis respondit ei Petrus dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi:* & pro hac laudabili confessione meruit ab ipso Deo salvatore nostro audire: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est.* Patrem suum dixit, qui hæc revelavit. Pater de suo filio mysteria revelavit sæculari inaudita sapientiæ: & pro hac gloriosa confessione beatum Petrum principem apostolorum cęli terræque remuneravit potestate, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. & tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Auditis quid hæc fides apostolica meruit: videte quid vestra mereatur adoptio. Paulus eumdem qui crucifixus est, Dei virtutem & Dei sapientiam prædicavit, scribens ad Corinthios: *Nos vero Christum prædicamus, & hunc crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, credentibus vero Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Ecce duo luminaria mundi quale de Christo filio Dei testimonium proferunt: & vos eum adhuc adoptivum vultis dicere, & nobiscum spiritum adoptionis accepisse Dei filium? Isaias eum filium appellat: *Filius*, inquit, *datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus; & vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi.*

Intelligite, fratres, quæ legitis, & nolite nova & incognita nomina fingere: sed quæ in sancta scriptura inveniuntur tenete. Illa enim quę ibi inveniuntur de Christo Deo, honestas habent significationes, & nostræ saluti convenientes. Et nolite per humanas inventiones fluctuare, sed in soliditate sanctarum scripturarum vosmetipsos roborate. Illas legite, illas docete: quia in illis est vita æterna. Inculcastis iterum, iterumque replicastis, vos consona sanctis patribus ponere testimonia. Sed ut probavimus, longe aliter vos illorum intelligitis dicta, quam illi ipsi intellexerunt, qui hæc ipsa testimonia libris inserebant: & invenimus, sicut & ante præfati sumus, certissime vos illorum sanctissima scripta hæreticæ pravitatis veneno infecisse, & interseruisse verba, quæ nusquam in eorum legimus libris. Nisi forte vestri magistri ita sensissent, quorum nomina sanctę & universali Dei ecclesiæ ignota putamus hucusque remansisse, si hujus erroris schisma per vos ea mundo non innotuisset. Desinite fratres vestros per aures populi Christiani diffamare, parentes & vosmetipsos a sancta Dei dividere ecclesia: & nolite per diverticula discurrere errorum, & cisternas vobis hæretica perfidia dissipatas fodere, quæ aquas purissimæ fidei non tenebunt: sed per viam regiam ad limpidissimum catholicæ puritatis fontem festinate, & ex eo potate spiritum caritatis & fidei, quatenus de ventre vestro fluant aquæ vivæ salientes in vitam æternam. Tenete vos intra terminos sanctorum patrum, & nolite novas versare quæstiunculas: ad nihilum enim valent, nisi ad subversionem audientium. Sufficit enim vobis sanctorum patrum vestigia sequi, & illorum dicta firma tenere fide. Illi enim in domino nostri extiterunt doctores in fide, & ductores ad vitam: quorum & sapientia Spiritu Dei plena libris legitur inscripta, & vita meritorum miraculis clara & sanctissima: quorum animæ apud Deum Dei Filium dominum nostrum Iesum Christum pro magno pietatis labore regnant in cælis.

ANNO CHRISTI 794.

Hos ergo tota animi virtute, toto caritatis affectu sequimini, carissimi fratres, ut horum inconcussa firmitate doctrinis adhærentes, consortium æternæ beatitudinis, donante vero & proprio Dei Filio domino nostro Iesu Christo, cum illis habere mereamini in cælis. Desinite, fratres, illum prædicare servum, quem regem & redemptorem habemus, cui data est omnis potestas in cælo & in terra. Cessate eum adoptivum nominare, qui verus Deus, & verus Dei Filius: in cujus nomine omne genu flectatur, cęlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Intelligite in hac professione vestra duplices diabolicæ fraudis latuisse dolos: hoc est, ut vos, qui gratia baptismi redempti estis, ab unitate catholicæ disjungeret ecclesiæ, & schismatici erroris laqueo a via salutis æternæ retraheret, & gentibus, inter quas habitatis, Christianæ fidei initia intercluderet, dum & dominum nostrum Iesum Christum, quem Deum colimus & adoramus, servum prædicatis & adoptivum. Hæc sunt enim argumenta diaboli, & ut vos subvertat in fide, & illos avertat a fide. Quiescite, viri fratres, quiescite ab hac nequitia: & estote vobismetipsis doctores ad vitam, & vicinis vestri ductores ad fidem. Considerate quale est hoc scandalum inter paganas gentes, ut dicatur, Deum Christianorum servum esse vel adoptivum. Nos per illum adoptati sumus, non ille nobiscum adoptivus: nos per illum a servitute liberati, non ille nobiscum servus. Cur eum servum nominare debemus, qui nos amicos maluit nominare quam servos, dicens: *Iam non dicam vos servos, sed amicos: quia servus nescit quid faciat dominus ejus. vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis?* Ioan. 15. Attendite qua caritate nos nominavit amicos, ea caritate nominemus eum Deum Dei Filium, & diligamus ex toto corde, quia ipse prior dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, ut emundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Credamus eum dominum & non servum, ipso dicente: *Vos vocatis me, Magister & domine, & bene dicitis, sum enim.* Et verum Deum, verum- Ioan. 13.

ANNO CHRISTI 794.

que Dei Filium confiteamur in utraque natura, divina ſcilicet & humana. Credamus eum omnia velle quæ meliora ſunt, & omnia poſſe quæ vult, ſicut dictum eſt: *Omnia quæcumque voluit dominus, fecit in cælo & terra.* (Pſal. 113.) Quis negat meliorem eſſe proprietatem in filio, quam adoptionem? Et dum omnipotens Dei Filius noſtræ fragilitatis naturam in unitatem ſuæ perſonæ adſumere voluit, ut eſſet mediator Dei & hominum, cur non debuit ex meliore filiorum dignitate, & multo excellentiore, noſtram ſibi in unitatem perſonæ aſſociare humanitatem, quatenus ex ſua glorioſa & propria nobilitate noſtræ ſervitutis redimeret ignobilitatem? Venit enim medicina ad ægros, miſericordia ad miſeros, redemptor ad reos, liber ad ſervos, ut dictum eſt: *Deus ultionum libere egit.* (Pſal. 93.) Et in euangelio: *Si Filius vos liberaverit, veri liberi eritis.* (Ioan. 8.) Non ſimus ingrati tantorum beneficiorum domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem conditi ſumus, & a quo iterum redempti ſumus, & in gloriam filiorum Dei adoptati. Prædicemus eum Deum verum & vivum, & vere Filium Dei, ut ad ejus beatiſſimam viſionem pervenire mereamur, in qua eſt æterna beatitudo, & beata æternitas. Cui laus & gloria in omnes æternitates. Amen.

IV.

CAROLI MAGNI REGIS EPISTOLA AD ELIPANDUM ET CETEROS EPISCOPOS HISPANIÆ.

In qua trium etiam ſuperiorum libellorum fit mentio.

Carolus gratia Dei rex Francorum & Longobardorum, ac patricius Romanorum, filius & defenſor ſanctæ Dei eccleſiæ, Elipando Toletanæ civitatis metropolitano, & ceteris in partibus Hiſpaniæ conſacerdotibus orthodoxæ fidei & fraternæ caritatis, in Chriſto Dei filio proprio & vero optamus ſalutem.

GAUDET pietas Chriſtiana divinæ ſcilicet atque fraternæ per lata terrarum ſpatia duplices caritatis alas extendere, ut materno foveat affectu quos ſacro genuerat baptiſmate. Et maxima eſt ſanctæ matris eccleſiæ exultatio, ſuorum adunatio filiorum, ut ſint conſummati in unum, qui redempti ſunt ab uno, dicente eodem redemptore domino noſtro Ieſu Chriſto: *Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut omnes unum ſint, ſicut & nos unum ſumus.* (Ioan. 17.) Vnde & in cantico canticorum de ſancta dicitur eccleſia: *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* (Cant. 6.) Conſtipata exercitus ordinatio, & unanimis bellatorum fortitudo, magno ſolet hoſtibus eſſe terrori: ſic filiorum ſanctæ matris eccleſiæ intra murum catholicæ fidei pacifica adunatio, aereis poteſtatibus nimium conſtat terribilis, & ignitis malignæ perfidiæ ſpiculis omnino impenetrabilis extat, ſicut & veriſſimus gentium prædicator, & fortiſſimus eccleſiæ præliator præcipit dicens: *In omnibus aſſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignita extinguere,* (Epheſ. 6.) & hoc ſæculum nequam libero ad cæleſtia volatu evadere. *Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo.* (Hebr. 11.) Impoſſibile eſt quod omnino ab homine fieri non poteſt. Principium eſt ſalutis noſtræ fides: qua intemerata, & integra ſanitate confirmata, totius vitæ curſus per bonorum veſtigia operum feliciter fine tenus currit. *Per fidem enim*, ſicut idem præfatus doctor in epiſtola ad Hebræos teſtatur, *omnes ſancti placuerunt Deo.*

Hanc igitur fidem orthodoxam, & ab apoſtolicis traditam doctoribus, & ab univerſali ſervatam eccleſia, nos pro virium noſtrarum portione ubique in omnibus ſervare & prædicare profitemur: quia non eſt in alia aliqua ſalus niſi in illa, quam pacifica ab initio ſalutis noſtræ unanimitate ſemper ſervabat eccleſia: pro qua etiam, viri fratres, & veſtra bona devotio, quam vos habere decet in domino, his partibus fidei veſtræ literas dirigere curaſtis, utrumque, & generales ad ſacerdotales ſanctiſſimas aures, ad nos quoque ſpeciales. In quarum utique ſerie literarum non ſatis nobis elucebat, an quaſi ex auctoritate magiſterii nos veſtra docere diſpoſuiſtis, an ex humilitatis diſcipulatu noſtra diſcere deſideratis. Tamen ſive hoc, ſive illud veſtris ineſſet animis, petitionem veſtram, caritate Chriſtianæ religionis cogente, non ſpernendam eſſe cenſuimus: valde deſiderantes, Deumque ex intimo cordis affectu deprecantes, quatenus in veræ fidei ſoliditate firmiter utrimque permaneamus, & inter fluctivagos hujus ſæculi æſtus, Spiritu ſancto navigium veſtri curſus regente, ad portum perpetuæ tranquillitatis pervenire mereamur. Ad hanc autem tranquillitatem capiendam, oculus cordis fide purificandus eſt, & aſſiduis ſanctarum orationum precibus mentis acies illuſtranda, ut puræ veritatis lumen omni errorum nube expulſa contemplari valeat, ne in opiniones noxiæ falſitatis temeritas inordinata incautius gradientes præcipitet. Nec pigeat Chriſtianum ubi hæſitet quærere; nec pudeat ubi neſciat diſcere: quoniam pia humilitas diſcendi ſapientiæ intrat ſecreta; & melius eſt diſcipulum eſſe veritatis, quam doctorem exiſtere falſitatis. Ille ad altiora ſemper provehitur, iſte ad inferiora ſemper dilabitur: & inde magiſter efficitur erroris, unde auditor contempſit eſſe veritatis.

Hanc igitur, fratres, pernicioſam devitantes elationem, ſanctorum patrum & catholicorum doctorum ſacris inhæreamus ſenſibus. Diſcamus quæ ſcripſerunt, credamus quæ docuerunt, & non declinemus ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ſed per viam regiam ad regem & redemptorem, Deum & dominum noſtrum Ieſum Chriſtum concordi fidei & veritatis curramus profeſſione. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem,* (Rom. 10.) eodem atteſtante apoſtolo: *Iuſtus autem ex fide vivit.* (Rom. 1.) Si juſtus ex fide vivit, quomodo qui fidem non habet rectam ſe vivere æſtimat? Nos nempe non ſumus infidelitatis filii in perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ. Sequamur ſanctorum patrum venerabilia in caritate præcepta. Decet enim ut omnium Chriſtianorũ una ſit fides, & unus animus, ſicut eſt unum ovile & unus paſtor. Qui vero extra eccleſiaſtici ovilis ſepta invenientur, lupina rabie devorabuntur, quia vocem boni paſtoris non audiũt, qui ante ſuas oves ingredictur & egredietur, ut eos ad paſcua vitę perducat æternę. Nobis itaq; dictum intelligamus, quod egregius prædicator ſuis cariſſimis filiis præcipiebat dicens: *Obſecro vos per nomen domini noſtri Ieſu Chriſti, ut unum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autẽ perfecti in uno ſenſu, & in eadem ſcientia.* (1. Cor. 1.) Hæc habentes apoſtolicæ auctoritatis præcepta, concordate nobiſcum. Diligimus vos: hoc vobis volumus in domino, quod & nobis: quia perfecta quam habemus in Chriſto caritas congregare gaudet,

gaudet, non spargere; adunare, non scindere; & inconsutilem salvatoris nostri tunicam integram servare, non dividere: prævidentes hoc idem in pace Christi custodire, quod milites in passione ejus observabant.

His ita prælibatis, vestris in domino valde congaudemus profectibus, ita ut in cordibus nostris fraterno vulnerati amore, vestram, quam patimini inter gentes, lacrymabili gemitu condoleamus oppressionem: sed majore multo tristitia lugemus, si aliquid diabolica fraude interius oppressionis per infidelitatem vel cujuslibet schismatici erroris patiamini in cordibus. Iste est continuus dolor pectoribus nostris, & pene irremedicabile vulnus, nisi per ejus misericordiam, qui sanat contritos corde, & vult omnes homines salvos fieri, ad agnitionemque veritatis pervenire, illi nos lætificent qui contristaverunt. Vestra igitur correctio nostra est lætificatio: desiderantes vos socios habere in fide catholica, & cooperatores in prædicatione veritatis, ut gaudium, quod Christus suis promisit discipulis, habitet in nobis, & gaudium nostrum impleatur in vobis.

Ad impletionem vero hujus gaudii, fraterna cogente caritate, jussimus sanctorum patrum synodale ex omnibus undique nostræ ditionis ecclesiis congregari concilium, quatenus sancta omnium unanimitatis firmiter decerneret, quid credendum sit de adoptione carnis Christi, quam nuper novis assertionibus, & sanctæ Dei universali ecclesiæ antiquis temporibus inauditis, vos ex vestris scriptis intulisse cognovimus. Imo & ad beatissimum apostolicæ sedis pontificem, de hac nova inventione, nostræ devotionis ter quaterque direximus missos: scire cupientes, quid sancta Romana ecclesia, apostolicis edocta traditionibus, de hac respondere voluisset inquisitione. Nec non & de Britanniæ partibus aliquos ecclesiasticæ disciplinæ viros convocavimus, ut ex multorum diligenti consideratione veritas catholicæ fidei investigaretur, & probatissimis sanctorum patrum hinc inde roborata testimoniis absque ulla dubitatione teneatur. Idcirco vobis per singulos libellos dirigere curavimus, quid prædictorum patrum pia unanimitas, & pacifica perscrutatio, auctoritate ecclesiastica inveniret, statuisset, confirmaret.

Primo quid dominus apostolicus, cum sancta Romana ecclesia, & episcopis illis in partibus quaquaversum commorantibus, & catholicis doctoribus sentiret, sub unius libelli tenore statuimus.

Deinde secundo loco, quid ecclesiastici doctores & sacerdotes ecclesiarum Christi de propinquioribus Italiæ partibus, cum Petro Mediolanensi archiepiscopo, & Paulino Forojuliensi vel Aquileianensi patriarcha, viris in domino valde venerabilibus, intelligi vel firmiter credi voluissent, suis propriis responsionibus exaratum posuimus libellum, quia ipsi quoque præsentes nostro synodali conventui adfuerunt.

Post hæc tenet & tertius libellus orthodoxam sanctorum patrum episcoporum, & virorum venerabilium fidem, qui in Germaniæ, Galliæ, Aquitaniæ, & Britanniæ partibus dignis Deo deserviunt officiis, vestrisque objectionibus sanctarum scripturarum testimoniis roboratas obtinet responsiones.

Dein quarto loco meæ propriæ unanimitatis, cum his sanctissimis prædictorum patrum decretis, & catholicis statutis consensum subnexui; sicut vosmetipsi in vestra epistola, quam meo specialiter assignastis nomini, rogare curastis: id est, ne paucorum subdolis assertionibus consentirem, sed plurimorum testimoniis roboratam fidem firmiter tenerem. Facio certissime, Deo domino meo Iesu Christo donante, horum me sanctissimæ multitudini & probatissimæ auctoritati in veræ fidei professione firmiter associans, nec vestræ me paucitati in consensione hujus novæ assertionis socium admitto: sed apostolicæ sedi, & antiquis ab initio nascentis ecclesiæ & catholicis traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate conjungo. Quidquid in illorum legitur libris, qui divino Spiritu afflati, toti orbi a Deo Christo dati sunt doctores, indubitanter teneo: hoc ad salutem animæ meæ sufficere credens, quod sacratissimæ euangelicæ veritatis pandit historia, quod apostolica in suis epistolis confirmat auctoritas, quod eximii sacræ scripturæ tractatores, & præcipui Christianæ fidei doctores, ad perpetuam posteris scriptum reliquerunt memoriam. Cum his quoque doctoribus, & sanctæ ecclesiæ pastoribus, veram prædico fidem, quos in præsenti tempore ille nobis dedit luminaria, qui dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matth. 28.

Hi sunt propugnatores fidei nostræ, hi sunt rectores per diversas sedes civitatis Christi: cujus antemurale est fides catholica, & caritas firmissimus murus, & propugnacula divinarum testimonia scripturarum: & divitiæ salutis in ea sunt sapientia & scientia, & spes portarum custodia: quæ quatuor clavibus, id est prudentia, justitia, fortitudine, & temperantia, piis aperiuntur animis. Hujus vero civitatis ipse Dei verus & proprius Filius, Deus verus, homo verus, Iesus Christus, dominus noster, regali præsidet potentia: cujus gratia totam illius civitatis structuram regit, defendit, & exaltat. Quisquis ad hanc civitatem, recta sibi præviante fide, manus bonorum operum habens plenissimas, pervenire festinat, apertas inveniet portas, & regem regum cum millibus sanctorum agminum obviare sibi gaudebit. Sed & gratias vobis agimus de instantia orationum vestrarum, quibus memoriam nostri assidue vos habere dixistis: optantes ut preces vestræ acceptabiles sint domino Deo salvatori nostro, & ut ipse per suam misericordiam dignos vos efficiat exaudiri, & ad unitatem sanctæ suæ ecclesiæ revocare dignetur, & ejusdem pietatis humeris in sanctæ matris ecclesiæ reportet ovile, qua de cælis veniens ovem requirere perditam, inventamque cum triumpho gloriæ ad sedem paternæ majestatis revexit.

Illud quoque, quod vobis nostram pietatem flagitare placuit, quatenus in præsentia nostra libelli vestri legeretur textus, & perscrutante plurimorum consilio, quid in eo rectæ fidei sanctionibus consentiens inveniretur: fecimus sicut petistis, collectis undique, veluti præfati sumus, ecclesiasticis doctoribus, & populi Christiani rectoribus: nobisque omnibus pacifico unanimitatis choro consedentibus eumdem libellum a capite calcetenus per distinctiones uniuscujusque sententiæ, & per interrogationes vel responsiones, prout cuique libuit, perlegere jussimus. Quid vero de eo libello præsules ecclesiarum Christi, fideique catholicæ doctores intellexissent,

ANNO CHRISTI 794.

sent, non opus est mihi in hac mea iterare epistola dum illorum libellus proprius hoc vobis evidenter ostendit.

Scriptam itaque in epistola vestra hujusmodi obsecrationem invenimus: Poscentes vos per eum, qui pro te in cruce manus innoxias extendit, & pro te sanguinem preciosum effudit, & pro te mortem pertulit & sepulturam, ad liberandos electos ad infernum descendit, & pro te resurgens, tibi viam ad cælos revertendi, scilicet ad cælestem patriam, demonstravit, ut per teipsum arbiter sedeas. Ecce ego vestris petitionibus satisfaciens, congregationi sacerdotum auditor & arbiter assedi. Discrevimus, & Deo donante decrevimus, quid esset de hac inquisitione firmiter tenendum. Sed modo per eamdem obsecrationem vos iterum iterumque obtestor, ut in pacifica unanimitate, & catholicæ fidei professione nobiscum firmiter maneatis: nec vos doctiores æstimetis universali sancta Dei ecclesia. Eam fidem tenete, quam orthodoxi patres in suis nobis symbolis scriptam reliquerunt. Et nolite plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Nec ratiocinando humano ingenio divina vos mysteria investigare arbitremini: sed magis credendo honorate, quæ humana fragilitas temere perscrutando invenire non valet.

Exemplum mihi Constantini imperatoris proposuistis, cujus initium beatum Isidorum laudasse dicitis, & finem doluisse: quod ne mihi accidat per quemdam beatum, quem Antiphrasium cognominastis, benigne suadetis. Hoc etiam, divina miserante gratia, præcavere satago: non ab illo tantummodo, sed etiam ab omnibus, qui aliquid rectæ fidei contrarium docere videntur. assiduaque devotione dominum deposco, & quoscumque ex filiis sanctæ matris ecclesiæ valeo, mihi in hac petitione adjutores convoco; ne me alicujus verbosa adulatio, vel fraudulenta laudatio decipiens, a via veritatis avertat, sæpius cum propheta decantans, *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Vos vero vobismetipsis cavete, quod nos fraterno admonuistis amore procurantes diligentissime: omnipotentisque Dei vobis assiduis precibus clementissimam convocate gratiam, ne callida antiqui hostis versutia sensus vestros in aliqua parte corrumpat, & pejus fiat interius diaboli servitium, quam exterius gentis inimicæ. Eumque expectate redemptorem, quem salutis vestræ habuistis auctorem. Illum glorificate in corde, & portate in corpore; & dignam in vobis illi præparate habitationem in fide, quæ per dilectionem operatur, quatenus vos illius gloriosa potentia, & ineffabilis misericordia, ab utriusque servitutis molestia, exteriore scilicet & interiore, liberet & custodiat, & in magno die ante conspectum gloriæ suæ cum multiplicibus laboris vestri divitiis gloriosos stare concedat, & vocem optabilem cum operatoribus apostolicæ fidei audire faciat: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Paratum igitur vobis regnum ab origine mundi indubitata veritatis promissione speratis, si catholicæ fidei unanimitati vosmetipsos adjungere curetis. Exteriores servitutis molestias interna fidelitatis spe consolamini. Oculos mentis vestræ ad eum erigite qui vos eripuit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ.

Psal. 143.

Matth. 25.

A Hactenus, antequam hujus adoptionis in Christo nomen a vobis exortum nostros offenderet animos, vos germanitatis amore dileximus. Et si nos vestrum corporale servitium contristaret, rectitudo tamen fidei catholicæ lætificavit in vobis. Nunc vero duplici pro vobis affligimur mœrore, diabolica fraude deceptis in corde, & inimica servitute oppressis in corpore. Sed redite, obsecro, ad unitatem sanctæ matris ecclesiæ, ut vos eruat de angustia servitutis terrenæ, qui vos per baptismi gratiam a vinculo liberavit originalis peccati. Expoliastis veterem hominem, quomodo iterum, fraude decepti maligna, induamini illo? Adoptionis filii Deo Patri facti estis B per eum qui non est adoptivus, sed proprius: state per fidei inviolabilem confessionem in libertate filiorum Dei, & nolite infidelitatis jugum subire. Expellite vincula diabolicæ deceptionis de cordibus, quatenus Deus Christus, qui solvit compeditos, excutiat catenam gentis inimicæ de manibus vestris. Habetis nos, divina auxiliante gratia, cooperatores gaudii vestri, si vos nobiscum catholicæ fidei vultis esse prædicatores. Certissimum itaque ibi erit divinæ miserationis auxilium, ubi una est totius ecclesiæ caritas, & una veræ fidei confessio. Ad multitudinem populi Christiani, & ad sacerdotalis concilii unanimitatem revertimini. Si enim duorum C vel trium sancto pioque consensui, secundum suam promissionem, dominum esse præsentem non dubitamus; quanto magis ubi tot sanctissimi patres, tot venerabiles fratres, tot filii piæ matris ecclesiæ, in nomine illius pacifica conveniunt unanimitate, eum adesse medium non est dubitandum, & illorum regere consilia, qui sui nominis laudem quærere dignoscuntur?

Ad confirmanda igitur corda vestra in fide & veritate, hanc nostri nominis, fraterna instigante caritate, epistolam scribere curavimus, optantes ut nostra, quam habemus pro fide catholica, proficiat devotio, & vos divina clementia ad fidem reducat catholicam. Ante igitur quam hujus sæpedicti scandali a vobis oriretur offensio, D duplici caritate, sicut prædiximus, dileximus vos; id est, in orationibus nostris per omnes regni nostri ecclesias habuimus socios, & vestri memoriam quotidie facientes: itidem quoque & Deo auxiliante, voluntatem habuimus vos liberare a servitio sæcularis necessitatis, secundum temporis oportunitatem, & vestri consilii adhortationem. Nunc vero hac duplici caritate (quod sine dolore non dicimus) fraudastis vosmetipsos, non intelligentes vos fraude diabolica esse deceptos, ut utroque juvamine vos denudaret, id est participatione fidei, & orationum nostrarum, vel solatio auxilii nostri. Videte, videte, quam grande malum adversum vosmetipsos habetis factum, quod nequaquam ausi sumus orare pro vobis, sicut pro fidelibus sanctæ E Dei ecclesiæ filiis; nec vos adjuvare quomodo fratres in vestris maximis necessitatibus. Quapropter revertimini ad hanc duplicem consolationem, & abjicite a vobis hanc malignam diabolicæ fraudis versutiam, ut possitis nobiscum consortium habere in omni caritate & auxilio opportuno. Post hanc vero correptionem, sive admonitionem apostolicæ auctoritatis & synodalis unanimitatis, si non resipiscitis ab errore vestro, scitote omnino vos pro hæreticis haberi, nec ullam vobiscum communionem pro Deo audemus habere. Currite dum lucem habetis,

betis, ne tenebræ vos anathematis apprehendant, unde non poteſtis pedes veſtros explicare, ſed æterna damnatione irretitos eſſe lugebitis. Adhuc enim pia mater eccleſia revocat vos ad gremium ſuæ miſericordiæ, volens vos Deo nutrire in filios. Tantum nolite vos abſtrahere ab ejus pietate, qui vos vocavit in regnum filii dilectionis ſuæ.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Credimus & in unum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, natum ex Patre ante omnia ſæcula, & ante omnia tempora: lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: natum, non factum: naturalem, non adoptivum: per quem omnia condita ſunt, cæleſtia & terreſtria, unius eſſentiæ & unius ſubſtantiæ cum Patre. Credimus & in Spiritum ſanctum, Deum verum, vivificatorem omnium, a Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio coadorandum & conglorificandum. Credimus eamdem ſanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unius eſſe ſubſtantiæ, unius potentiæ & unius eſſentiæ tres perſonas, & ſingulam quamque in Trinitate perſonam plenum Deum, & totas tres perſonas unum Deum omnipotentem: Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum ſanctum procedentem ex Patre & Filio. nec Patrem aliquando cœpiſſe; ſed ſicut ſemper eſt Deus, ita ſemper & Pater eſt, quia ſemper habuit Filium. Æternus Pater, æternus Filius, æternus & Spiritus ſanctus ex Patre Filioque procedens. unus Deus omnipotens, Pater & Filius & Spiritus ſanctus. ubique præſens, ubique totus, Deus æternus, ineffabilis, incomprehenſibilis. In qua ſancta Trinitate nulla eſt perſona vel tempore poſterior, vel gradu inferior, vel poteſtate minor: ſed per omnia æqualis Patri Filius, æqualis Patri & Filio Spiritus ſanctus divinitate, voluntate, operatione, & gloria. Alius tantummodo in perſona Pater, alius in perſona Filius, alius in perſona Spiritus ſanctus. Non aliud, ſed unum natura, potentia & eſſentia Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Credimus ex hac ſancta Trinitate Filii tantummodo perſonam, pro ſalute humani generis de Spiritu ſancto & Maria virgine incarnatam. ut qui erat de divinitate Dei Patris Filius, eſſet & in humanitate hominis matris Filius: perfectus in divinitate Deus, perfectus in humanitate homo: Deus ante omnia ſæcula, homo in fine ſæculi: verus in utraque ſubſtantia Dei Filius. non putativus, ſed verus, non adoptione, ſed proprietate. una perſona Deus & homo, unus mediator Dei & hominum: in forma Dei æqualis Patri, in forma ſervi minor Patre: in forma Dei creator, in forma ſervi redemptor. Vnus in utroque Dei Filius proprius & perfectus, ad implendam humanæ ſalutis diſpenſationem, paſſus eſt vera carnis paſſione, mortuus vera corporis ſui morte: ſurrexit vera carnis ſuæ reſurrectione, & vera animæ reſumptione: & eodem corpore, quo paſſus eſt, & reſurrexit, aſcendit in cælos, ſedens in dextera Dei Patris: & in eadem forma, qua aſcendit, venturus judicare vivos ac mortuos. cujus regni non erit finis. Prædicamus unam ſanctam Dei eccleſiam toto orbe diffuſam, locis ſeparatam, fide & caritate conjunctam: & veram remiſſionem peccatorum in eadem eccleſia, ſive per baptiſmum, ſive per pœnitentiam, divina donante gratia, & bona voluntate hominis cooperante. Credimus & omnes homines reſurrecturos eſſe, & ſingulos ſecundum ſua opera judicari. impios æternis ſuppliciis damnandos cum diabolo & angelis ejus: ſanctos vero æterna gloria coronandos cum Chriſto & ſanctis angelis ejus in ſæcula ſempiterna.

Hæc eſt fides catholica, & ideo noſtra: optamus etiam & veſtra: quia una eſt fides, & unum baptiſma, & unus dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt Deus verus, & verus homo, verus Deus, & verus Dei Filius, in utraque natura unus idemque mediator Dei & hominum homo Ieſus Chriſtus, qui eſt Deus benedictus in ſæcula. Hanc fidem vos, cariſſimi fratres, firmiter tenere in commune deprecamur. & ſi aliter antea in quolibet verbo ſenſiſtis, corrigite voſmetipſos, & ad unitatem ſanctæ Dei eccleſiæ pura fide feſtinate: & contentiones nominum, novitateſque vocum devitate, quia juxta apoſtolum, non eſt hæreticus niſi ex contentione. Vos igitur quia pauci eſtis, unde putatis vos aliquid verius invenire potuiſſe, quam quod ſancta univerſalis toto orbe diffuſa tenet eccleſia? Sub tegmine alarum illius requieſcite, ne vos avida diaboli rapacitas, ſi foris inveniat, nefando gutture devoret. Redite ad pium matris eccleſiæ gremium. Illa vos foveat & nutriat, donec occurratis in virum perfectum, & in plenitudinem corporis Chriſti. Habetote nos cooperatores ſalutis veſtræ catholicæ pacis auxiliatores: & ſocietas noſtra ſit in Chriſto Ieſu domino noſtro, qui vos nobiſcum incorruptos & immaculatos fide pariter & opere cuſtodiat, & conſtituat ante conſpectum gloriæ ſuæ incontaminatos & irreprehenſibles, & perpetuæ beatitudinis heredes pariter perficiat in æternum. Amen.

IACOBI SIRMONDI S. I. ADMONITIO AD LECTOREM.

De canone ſecundo concilii Francofordienſis, quo rejecta eſt ſecunda ſynodus Nicæna, & de capitulari, ſeu libris quatuor Caroli Magni, quos adverſus eamdem ſynodum ſcriptos Hadriano papæ miſit.

QVAESITVM eſt a multis, noſtra & patrum ætate doctiſſimis viris, de canone iſto, & de libris Carolinis, primum verine eſſent, an falſi & ſubdititii: deinde an ſynodus illa Græcorum, cui adverſantur, Nicæna pro imaginibus ſynodus fuerit, an alia. Nec injuria fortaſſe de utroque capite re nondum comperta dubitabatur. Nunc vero & ſynodi canones, libroſque Caroli pro legitimis omnes fere agnoſcunt, & de ſynodo Nicæna quæſtionem fuiſſe, quod ex libris ipſis patet, ſimiliter conſentiunt. Ac de libris ſane Caroli, ut Hincmarum omittam, qui hos a ſe lectos teſtatur; inficiari nemo poteſt, niſi qui Hadriani papæ ad eoſdem libros reſponſioni, ſeu confutationi, quæ in omnium manibus verſatur, fidem detractam velit. De canonibus vero, qui ſequuntur, quin ii quoque veri ſinceri que ſint, nobis certe propter antiquiſſimi codicis auctoritatem ambigere non licet: ut de multis ejus ſæculi ſcriptoribus nihil dicam, qui dum ſeptimam ſynodum a Francofordienſi rejectam tradunt, ſecundum hunc canonem, de quo agimus, tacite ſignificant. Nec difficile porro iſta ſibi de Gallorum epiſcopis perſuadebit, qui meminerit illos Ludovici Pii temporibus non diſſimilia in ſynodo Pariſienſi ſenſiſſe; & Anaſtaſii bibliothecarii apud Ioannem VIII. cenſura perſtrictos fuiſſe, quod adverſus ſynodi Nicænæ decretum in approbanda imaginum adoratione cunctarentur. Reſtat ergo, ut quænam illorum de imaginibus mens fuerit, aut qua ratione purgari queant, qui ſynodum Nicænam, quam inter œcumenicas numeramus, explodere auſi ſint, conſideremus. Quamquam quod ad ſynodi nomen attinet, in promptu habent, quo invidiam

Ad Laudunensem c. 20.

In præfat. ad ſynodum VII.

ANNO CHRISTI 794.

diam depellant. Conſtat enim ſic in hac quæſtione verſatos eſſe, tum ſynodi Francofordienſis, tum Carolini voluminis auctores, ut ſibi non cum œcumenico concilio, ſed cum peculiari Grecorum, ut appellabant, ſynodo rem eſſe contenderent. A Lib. IV. Caroli Magni cap. 28. Ita enim paſſim in libris illis profitentur, queruntùrque propterea illam ſibi, aut univerſalis, aut ſeptimæ ſynodi nomen arrogare, cum œcumenicam dici poſſe negarent, ad quam ſoli Greci conveniſſent, reliquarumque provinciarum eccleſiæ convocatæ, aut ſententiam per epiſtolas more eccleſiaſtico rogatæ non fuiſſent. Ibid. lib. III. cap. 11. Et quidem, ſi rem ſuis momentis expendamus, ſatis omnino cauſæ videbatur, cur ſynodum, cui tot adhuc provinciarum, ac totius pene occidentis ſuffragia deeſſent pro œcumenica nondum haberent. Nec Hadrianus ipſe aliter ſe ſentire oſtendebat; qui allatam e Grecia ſynodum, ut Hincmarus eodem loco docet, in Galliam miſit, concilium que ejus cauſa convocari a Carolo juſſit & libris Carolinis, quibus oppugnata eſt, ita reſpondit, ut œcumenicæ ſynodi nomen illis, auctoritatemque nuſquam objiciat. Quare habebant, ut dixi, hac B in parte Galli, quo ſe defenderent. haud perinde fortaſſe in re ipſa, hoc eſt in queſtione imaginum, in qua vehementer a ſynodo diſſentiebant. Nam cum in ſynodo Nicena de ſacris imaginibus duo eſſent conſtituta; & retinendas nimirum, & adorandas imagines eſſe; prius illud noſtri libenter amplectebantur, quod ipſi quoque jam ante in ſynodo Gentiliaca contra Grecos Iconoclaſtas adſtruxerant: alterum vero penitus reſpuebant, imagineſque non adorandas ſed memoriæ tantum cauſa & inſtructionis habendas affirmabant; Lib. IX. epiſt. 9. Gregorium Magnum, ut aiebant, ducem ſequuti, qui in eam ſententiam Sereno Maſſilienſi epiſcopo reſcripſiſſe videbatur. Ac merito ſane adorandas imagines negarent, ſi adorare id erat, quod interpretabantur, hoc eſt, divinum honorem cultumque deferre. Sic enim vitandam imaginum adorationem docuerat ſanctus Gregorius, & adorari Deum ſolum oportere manifeſtum eſt. Sed mirum profecto, ſuſpicari C id noſtros de Grecis potuiſſe, aut ſynodum Nicenam, quod Francofordienſis canon declarat, hoc nomine traducere, quaſi imagines divino cultu adorandas ſtatuiſſet: Act. VII. in Definit. fidei. cum in ſynodo illa nihil ſit expreſſius, quam adorationis, ſeu προσκυνήσεως, quæ imaginibus tribuitur, nomine non intelligi veram latriam, quæ naturæ divinæ debetur; ſed honorariam tantum venerationem, qua dum imagines proſequimur, prototypa ipſa per eas honoramus. Lib. VII. ep. 2. & 5. Quo utique ſenſu Gregorius idem, qui adorandas divino cultu imagines negabat, in aliis ad Ianuarium, & ad Secundinum epiſtolis, congruentem hanc illarum venerationem aperte confirmarat. & Hadrianus papa ſub finem epiſtolæ, qua libris Carolinis reſpondet, Gregorii magni & ſynodi Nicænæ diverſas de imaginum cultu ſententias non fuiſſe demonſtrat. Denique Galli ipſi, qui adorari ſacras imagines vetabant, crucis tamen effigiem, reliquias ſanctorum, codicem euan- D gelii, & alia, quorum par atque imaginum eſt ratio, adorare conſueverant. Vnde adverſus illos non inſcite pro ſeptima ſynodo argumentatur idem Anaſtaſius. In eadem præfat. Aiunt, inquit, quod non ſit quodlibet opus manuum hominum adorandum. Quaſi non ſit codex euangeliorum opus manuum hominum, quem quotidie oſculando adorant. Similiter & forma crucis, quam ſe adorare omnes ubique Chriſtiani fatentur. Quod ſi quamlibet crucem auream, vel argenteam, aut ligneam adoramus, quæ utique non eſt eadem ipſa crux, in qua ſalus noſtra patrata eſt, ſed figura & imago ejus; quare non adoremus figuram & imaginem ejus qui eamdem ſalutem operatus eſt? Venerabilior namque eſt qui ſalutem operatus eſt, quam ea materia, in qua idem ſalvator operatus eſt: ac per hoc magis eſt adoratione digna imago Chriſti ſalutem operantis, quam imago crucis ſalutem tantummodo bajulantis. Ceterum qui ſynodo Nicænæ, nondum ſatis intellectæ, adorationique imaginum, religioſa, ut apparet, ſed inani trepi- E datione pertinacius initio reſtiterant, iidem poſtea, rebus explicatis atque perſpectis, & ſynodum eamdem ſunt amplexi, & ſacrarum imaginum venerationem religioſiſſime coluerunt. Quare libros Carolinos, quos majores noſtri re tandem ipſa damnarant, vel Hadriani ad eos reſponſionem, minus proinde neceſſariam, repræſentari hoc loco (ne quis fortaſſe inconſulto requirat) ſupervacaneum cenſuimus.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. I.

** Hanc Hadriani I. papæ epiſtolam ad Carolum Magnum formis ſupra excuſam habes a pag. 915. A. ad pag. 963.

V.

CANONES CONCILII FRANCOFORDIENSIS.

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *Damnata hæreſis Elipandi & Felicis epiſcoporum, qui in Dei Filio adoptionem aſſerebant.*
II. *Synodus Græcorum de adorandis imaginibus rejecta.*
III. *De indulgentia Taſſiloni duci Baioariæ a Carolo rege conceſſa.*
IV. *De ſtabili precio annonæ, tum privatæ, tum publicæ.*
V. *De novis denariis, ut ab omnibus ubique recipiantur.*
VI. *Vt epiſcopi juſtitias faciant in ſuis parochiis.*
VII. *Vt epiſcopus non migret de ſua civitate, nec presbyter, aut diaconus, de ſua eccleſia.*
VIII. *De altercatione Viennenſis & Arelatenſis epiſcopi: & de Tarentaſia, Ebreduno, & Aquis.*
IX. *De purgatione & reconciliatione Petri epiſcopi.*
X. *Gerbodo incertæ ordinationis epiſcopo dignitas abrogata.*
XI. *Vt monachi a ſæcularibus negotiis & placitis abſtineant.*
XII. *Vt recluſi niſi ex epiſcopi & abbatis approbatione non fiant.*
XIII. *Vt abbas cum ſuis dormiat monachis.*
XIV. *Cellarii in monaſteriis quales eligendi ſunt.*
XV. *De monaſteriis ubi corpora ſanctorum ſunt.*
XVI. *Vt pro introeuntibus in monaſterium præmia non exigantur.*
XVII. *Vt abbas ſine conſenſu epiſcopi non eligatur.*
XVIII. *Nulla ex culpa monachos abbati cæcare, aut mutilare licet.*
XIX. *Ne clerici aut monachi tabernas ingrediantur.*
XX. *Epiſcopus canones & regulam ſcire debet.*
XXI. *Dies dominica quomodo obſervanda.*
XXII. *Ne in villis aut vicis ordinentur epiſcopi.*
XXIII. *Servum ſine domini licentia nemo recipiat, vel ordinet.*
XXIV. *Vt clerici & monachi in propoſito permaneant.*
XXV. *Vt decimas & nonas eccleſiæ ſolvant qui debent, & omnes decimam de ſua proprietate.*
XXVI. *Vt eccleſiæ per eos reſtaurentur qui beneficia habent, & ut inde ablata reſtituantur.*
XXVII. *Vt clerici alieni ſine commendatitiis non recipiantur, & qui nunc ſunt, redeant ad eccleſias ſuas.*
XXVIII. *Vt abſolute nullus ordinetur.*
XXIX. *Vt epiſcopus ſibi ſubditos rite doceat.*
XXX. *De altercationibus clericorum inter ſe, vel cum laicis.*
XXXI. *Vt conjurationes non fiant.*
XXXII. *Vt monaſteriorum diſciplina ſervetur.*
XXXIII. *Vt orationem dominicam, & ſymbolum fidei omnes doceantur.*
XXXIV. *De avaritia & cupiditate.*
XXXV. *De hoſpitalitate.*
XXXVI. *Vt criminoſis accuſare non liceat.*
XXXVII. *De reconciliatione.*
XXXVIII. *Vt presbyteri contumaces cum regiæ capellæ clericis non communicent.*

XXXIX.

CANONES.

I.

CONIUNGENTIBUS, Deo faven- te, apostolica auctoritate, atque piissimi domni nostri Caroli regis jussione anno XXVI. principatus sui, cunctis regni Francorum, seu Italiæ, Aquitaniæ provinciæ episcopis ac sacerdotibus synodali concilio, inter quos ipse mitissimus sancto interfuit conventui. Ubi in primordio capitulorum exortum est de impia ac nefanda hærese Elipandi Toletanæ sedis episcopi, & Felicis Orgellitanæ, eorumque sequacibus, qui male sentientes in Dei Filio asserebant adoptionem. Quam omnes qui supra sanctissimi patres, & respuentes una voce contradixerunt, atque hanc hæresim funditus a sancta ecclesia eradicandam statuerunt.

II.

Allata est in medium quæstio de nova Græcorum synodo, quam de adorandis imaginibus [3] Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus sanctorum, ita ut deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.

III.

His peractis, de Tassilone definitum est capitulum, qui dudum Baioariæ dux fuerat, sobrinus videlicet domni Caroli regis. In medio sanctissimi adstitit concilii veniam rogans pro commissis culpis, tam quas tempore domni Pipini regis adversus eum, & regnum Francorum commiserat, quam & quas postea sub tempore domni nostri piissimi Caroli regis, in quibus fraudator fidei suæ extiterat, indulgentiam ut ab eo mereretur accipere, humili petitione visus est postulasse. dimittens videlicet puro animo iram atque omne scandalum de parte sua, quæque in eo perpetrata fuissent, & sciebat: nec non omnem justitiam & res proprietatis, quantum illi aut filiis vel filiabus suis in ducatu Baioariorum legitime pertinere debuerant, gurpivit atque projecit, & in postmodum omni lite calcanda, sine ulla repetitione indulsit, & filios ac filias suas in illius misericordia commendavit. Et idcirco domnus noster misericordia motus præfato Tassiloni gratuito animo, & culpas perpetratas indulsit, & gratiam suam pleniter concessit, & in sua eleemosyna eum in amore dilectionis visus est suscepisse, ut securus de Dei misericordia existeret inantea. Unde tres breves ex hoc capitulo uno tenore conscriptos fieri præcepit. unum in palatio retinendum, alterum præfato Tassiloni, ut [4] secum haberet in monasterio, dandum, tertium vero in sacri palatii capella recondendum fieri jussit.

IV.

Statuit piissimus noster, consentiente sancta synodo, ut nullus homo, sive ecclesiasticus, sive laicus sit, unquam carius vendat annonam, sive tempore abundantiæ, sive tempore caritatis, quam modium publicum & noviter statutum. De modio de avena, denarius unus, modio ordei denarii duo, modio sigali denarii tres, modio frumenti denarii quatuor. Si vero in pane vendere voluerit, duodecim panes de frumento, habentes singulos libras duas, pro denario dare debeat, sigalatios quindecim æquo pondere pro denario; ordeaceos viginti similiter pensantes, avenaceos viginti quinque similiter pensantes. De annona vero publica domni regis, si venumdata fuerit, de avena modii duo pro denario, ordeo denario uno, sigalo denariis duobus, frumento modius denariis tribus. Et qui nostrum habet beneficium, diligentissime prævideat, quantum potest Deo donante, ut nullus ex mancipiis ad illud pertinentibus beneficium fame moriatur: & quod superest ultra illius familiæ necessitatem, hoc libere vendat jure præscripto.

ANNO CHRISTI 794.

V.

De denariis autem certissime sciatis nostrum edictum, quod in omni loco, in omni civitate, & in omni emporio similiter vadant isti novi denarii, & accipiantur ab omnibus. Si autem nominis nostri nomisma habent, & mero sunt argento, pleniter pensantes, si quis contradicit eos in ullo loco, in aliquo negotio emptionis vel venditionis, si ingenuus est homo, quindecim solidos componat ad opus regis, si servilis conditionis, si suum est illud negotium proprium, perdat illud negotium, aut flagelletur nudus ad palum coram populo. Si autem ex jussione domini sui fecerit, tunc ille dominus solidos quindecim componat, si ei approbatum fuerit.

VI.

Statutum est a domno rege, & sancta synodo, ut episcopi justitias faciant in suis parochiis. Si non obedierit aliqua persona episcopo suo de abbatibus, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, monachis, & ceteris clericis, vel etiam aliis, in ejus parochia, veniant ad metropolitanum suum, & ille dijudicet causam cum suffraganeis suis. Comites quoque nostri veniant ad judicium episcoporum. Et si aliquid est, quod episcopus metropolitanus non possit corrigere vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum accusato cum literis metropolitani, ut sciamus veritatem rei.

VII.

Definitum est etiam a domno rege, & sancta synodo, ut episcopus non migret de civitate in civitatem, sed curam habeat ecclesiæ suæ. Similiter presbyter, & diaconus maneat in sua ecclesia canonice.

VIII.

De altercatione Ursionis Viennensis episcopi, & Elifanti Arelatensis episcopi, lectæ sunt epistolæ beati Gregorii, Zosimi, Leonis, & Symmachi, quæ definierunt eo quod Viennensis ecclesia [5] quatuor suffraganeas habere sedes deberet, quibus illa quinta præmineret; & Arelatensis ecclesia novem suffraganeas habere deberet, quibus ipsa præmineret. [6] De Tarentasia vero, & Ebreduno, sive Aquis, legatio facta est ad sedem apostolicam; & quidquid per pontificem Romanæ ecclesiæ definitum fuerit, hoc teneatur.

IX.

Definitum est etiam ab eodem domno nostro rege, sive a sancta synodo, ut Petrus episcopus contestans coram Deo & angelis ejus juraret cum duobus aut tribus, sicut sacrationem suscepit, aut certe cum suo archiepiscopo, quod ille [7] in mortem regis, sive in regnum ejus non consiliasset, nec ei infidelis fuisset. Qui episcopus, dum cum quibus juraret non invenisset, elegit sibi ipse, ut suus homo ad Dei judicium iret, & ille testaretur absque reliquiis, & absque sanctis evangeliis, solummodo coram Deo, quod ille innocens exinde esset, & secundum ejus innocentiam Deus adjuvaret illum suum hominem, qui ad illud judicium exiturus erat. Et exivit tamen ejus homo ad judicium Dei, neque per regis ordinationem, neque per sanctæ synodi censuram, sed spontanea voluntate. Qui etiam a domino liberatus, idoneus exivit. Clementia tamen regis nostri præfato episcopo gratiam suam contulit, & pristinis honoribus eum ditavit: nec passus est eum esse sine honore, quem prospexit de composito crimine nihil male meruisse.

X.

Definitum quidem a domno rege, & a sancta synodo esse dignoscitur, ut Gerbodus, qui se episcopum esse dicebat, & suæ ordinationis testes non habuit, qui tamen episcopalia [8] a Magenardo metropolitano episcopo consecutus est; qui etiam professus est diaconum & presbyterum non secundum canonicam ordinationem ordinatum esse; ut ab eodem gradu episcopatus, quem se habere dicebat, deponeretur a prædicto metropolitano, sive a comprovincialibus episcopis.

XI.

Ut monachi ad sæcularia negotia, neque ad placita exercenda non exeant; nisi ita faciant sicut ipsa regula præcepit.

XII.

Ut reclusi non fiant, nisi quos ante episcopus provinciæ, atque abbas comprobaverint, & secundum eorum dispositionem in reclusionis loco ingrediantur.

XIII.

Ut abbas cum suis dormiat monachis secundum regulam sancti Benedicti.

XIV.

Ut cellarii in monasteriis avari non eligantur: sed tales electi sint, quales regula sancti Benedicti docet.

XV.

De monasterio ubi corpora sanctorum sunt, ut habeat oratorium intra claustrum, ubi peculiare officium, & diuturnum fiat.

XVI.

Audivimus enim quod quidam abbates cupiditate ducti præmia pro introeuntibus in monasterium requirant. Ideo placuit nobis, & sanctæ synodo, ut pro suscipiendis in sancto ordine fratribus nequaquam pecunia requiratur; sed secundum regulam sancti Benedicti suscipiantur.

XVII.

XVII.

Vt abbas in congregatione non eligatur, ubi jussio regis fuerit, nisi per consensum episcopi loci illius.

XVIII.

Abbates qualibet culpa a monachis commissa, nequaquam permittimus cæcare, aut membrorum debilitatem ingerere, nisi regulari disciplinæ subjaceant.

XIX.

Vt presbyteri, diaconi, monachi, & clerici, tabernas ad bibendum non ingrediantur.

XX.

Vt episcopum canones & regulam non liceat ignorare.

XXI.

Vt dies dominica a vespera usque in vesperam servetur.

XXII.

Quod non oporteat in villis, nec in vicis, episcopos ordinari.

XXIII.

De servis alienis, ut a nemine recipiantur, neque ab episcopis sacrentur sine licentia dominorum.

XXIV.

De clericis & monachis, ut in suo proposito permaneant.

XXV.

Vt decimas & nonas sive census, omnes generaliter donent qui debitores sunt ex beneficiis & rebus ecclesiarum,[9] secundum priora capitula domni regis. Et omnis homo ex sua proprietate legitimam decimam ad ecclesiam conferat. Experimento enim didicimus, in anno quo illa valida fames irrepsit, ebullire vacuas annonas a dæmonibus devoratas, & voces exprobationis auditas.

XXVI.

Vt domus ecclesiarum, & tegumenta ab eis fiant emendata, vel restaurata, qui beneficia exinde habent. Et ubi repertum fuerit per veraces homines, quod lignamen, & petras, sive tegulas, quæ in domibus ecclesiarum fuerint, & modo in domo sua habeat, omnia in ecclesia fiant restaurata, unde abstracta fuerunt.

XXVII.

De clericis, ut nequaquam de ecclesia ad aliam ecclesiam transmigrent, neque recipiantur, sine conscientia episcopi, & literis commendatitiis, de cujus diœcesi fuerunt; ne forte discordia exinde veniat in ecclesia. Et ubi modo tales reperti fuerint, omnes ad eorum ecclesias redeant, & nullus eos posthæc retinere audeat, postquam episcopus aut abbas suus eos recipere voluerit. Et si forte senior ignorat, ubi suum requirere debet clericum; cum quo fuerit, ipse eum sub custodia retineat, & non permittat eum vagari aliubi, usquedum domino suo restituatur.

XXVIII.

Vt non absolute ordinentur.

XXIX.

Vt unusquisque episcopus sibi subditos bene doceat & instruat: ita ut in domo Dei semper digni inveniantur, qui canonice possint fieri electi.

XXX.

De clericis ad invicem altercantibus, aut contra episcopum suum agentibus, ut sicut canones docent, ita omnimodis peragant. Et si forte inter clericum & laicum fuerit orta altercatio, episcopus & comes simul conveniant, & unanimiter inter eos causam definiant secundum rectitudinem.

XXXI.

De conjurationibus & conspirationibus, ne fiant, & ubi sunt inventæ, destruantur.

XXXII.

Vt monasteria secundum canonicam institutionem fiant custodita.

XXXIII.

Vt fides catholica sanctæ Trinitatis, & oratio dominica, atque symbolum fidei, omnibus prædicetur & tradatur.

XXXIV.

De avaritia & cupiditate calcanda.

XXXV.

De hospitalitate sectanda.

XXXVI.

De criminosis, ut non habeant vocem accusandi majores natu, aut episcopos suos.

XXXVII.

De reconciliatione tempore necessitatis.

XXXVIII.

De presbyteris qui contumaces fuerint contra episcopos suos, ut nequaquam communicent cum clericis qui in capella regis habitant, nisi reconciliati ab episcopo suo, ne forte canonica excommunicatio super eos exinde veniat.

XXXIX.

Si presbyter in criminali opere fuerit deprehensus, ad episcopum suum ducatur, & secundum canonicam institutionem constringatur. Et si forte negare voluerit, & accusator comprobationem dare non potuerit, & coram episcopo definitum esse nequiverit, tunc ad universale concilium illorum ratio deferatur.

XL.

De puellis quæ a parentibus privatæ fuerint, ut sub episcoporum & presbyterorum providentia gravioribus feminis commendentur, sicut canonica docet auctoritas.

XLI.

Vt nullus episcopus propriam sedē amittat

tat alibi frequentando, aut in propriis rebus suis manere audeat amplius quam tres hebdomadas. Et propinqui vel heredes episcopi, res quæ ab episcopo sunt acquisitæ, aut per comparationes, aut traditiones, postquam fuerit ordinatus; nequaquam post ejus obitum hereditare debeant; sed ad suam ecclesiam catholice. Illæ autem, quas prius habuit, nisi traditionem ad ecclesiam ex eis fecerit, heredibus & propinquis succedant.

XLII.

Ut nulli novi sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur: sed hi soli in ecclesia venerandi sint, qui ex auctoritate passionum, & vitæ merito electi sunt.

XLIII.

De arboribus & lucis destruendis canonica observetur auctoritas.

XLIV.

Ut electi judices de utrisque partibus non spernantur.

XLV.

De eorum testibus canonica sit observatio: & parvuli non trahantur ad sacramentum, sicut Guntbadingi faciunt.

XLVI.

De virginibus, quo tempore velandæ sint, vel quibus occupationibus ante annos XXV. detinendæ, si necessitas compellit, ea quærantur, quæ in canone scripta sunt.

XLVII.

De abbatissis, quæ canonice aut regulariter non vivunt, episcopi requirant, & regi annuntient, ut ab honore priventur.

XLVIII.

De oblationibus quæ in ecclesia vel in usus pauperum conferuntur, canonica observetur norma, & non ab aliis dispensentur, nisi cui episcopus ordinavit.

XLIX.

De presbyteris ante XXX. ætatis annum non ordinandis.

L.

Ut confectis sacris mysteriis in missarum solenniis omnes generaliter pacem ad invicem præbeant.

LI.

De non recitandis nominibus antequam oblatio offeratur.

LII.

Ut nullus credat quod non nisi in tribus linguis Deus orandus sit: quia in omni lingua Deus adoratur, & homo exauditur, si justa petierit.

LIII.

Ut nulli episcoporum & sacerdotum liceat sacros canones ignorare.

LIV.

De ecclesiis quæ ab ingenuis hominibus construuntur, licet eas tradere, aut vendere, tantummodo ut ecclesia non destruatur, sed serventur quotidie honores.

LV.

Dixit etiam dominus rex in eadem synodo, se a sede apostolica, id est ab Hadriano pontifice, licentiam habuisse, ut[10] Angilramnum archiepiscopum in suo palatio assidue haberet propter utilitates ecclesiasticas. Deprecatus est eamdem synodum, ut eo modo sicut Angilramnum habuerat, ita etiam[11] Hildebaldum episcopum habere debuisset; quia & de eodem, sicut & de Angilramno, apostolicam licentiam habeat. Omnis synodus consensit, & placuit eis eum in palatio esse debere propter utilitates ecclesiasticas.

LVI.

Commonuit etiam, ut Alcuinum ipsa sancta synodus in suo consortio, sive in orationibus recipere dignaretur, eo quod esset vir in ecclesiasticis doctrinis eruditus. Omnis namque synodus secundum admonitionem domini regis consensit, & eum in eorum consortio, sive in orationibus receperunt.

"** *Incipit epistola Paulini "patriarchæ Forojuliensis edita in loco celebri nomen Franconofurt in synodo magna contra Felicem hæreticum, de Heistulfo qui uxorem suam occidit causa adulterii propter unius testimonium.*

Ex ms. codice Rhemensi collato cum cap. 40. libri VI. decretorum Burcardi Vormatiensis ecclesiæ episcopi.

ADMONERE te cum lacrymis & multo gemitu cordis curaveram, fili Heistulfe, si tamen filius dici debeas qui tam crudeliter infelix homicidium perpetrasti. Nam occidisti uxorem tuam partem corporis tui legitimo tibi matrimonio sociatã sine mortis causa non tibi resistentem, non insidiantem quocumq; modo vitæ tuæ. Non invenisti eam cum alio viro nefariam rem facientem, sed incitatus a diabolo, impio inflammatus furore, latrocinii more atrocius eam gladio tuo " crudelior omni bestia interemisti. Et nunc post mortem ejus addis iniquitatem super iniquitatẽ, filiorum tuorum improbe prædo, qui matri non pepercisti, & ideo filios tuos orphanos esse fecisti, inducere vis super eam mortis causam post mortem per unum homicidam & reprobum testem ". cum nec secundum euangelium, nec ulla divina humanaque lex unius testimonio etiam idonei quempiam condemnat vel justificat. quanto mahis per istum flagitiosissimum & tam scelestissimum, nec illa debuit viva condemnari, nec tu poteris post ejus mortem excusari. Prius causa criminis subtiliter in veritate fuerat investiganda, & tunc si rea fuisset inventa secundum legis tramitem debuit excipere ultionis vindictam. Nam etsi verum quod absit fuisset, sicut adulter ille mentitus est, post octo annos pœnitentia forsitan peracta dimittere eam per approbatam causam poteras si voluisses, occidere eam tamen nullatenus debuisses. *Non enim vult Deus mortem peccatoris,*

peccatoris, sed ut convertatur ad pœnitentiam & vivat. "Idcirco placeat tibi consilium nostrum, &fac hoc quod tibi melius & levius videri potest, miserere animæ tuæ, ut non sis tuus tibimetipsi homicida. Quapropter homicida, rogamus te, relinque hoc malignum sæculum quod te traxit ad tam immanissimum peccati facinus. Ingredere in monasterium, humiliare sub manu abbatis multorum fratrum precibus adjutus. Observa cuncta simplici animo quæ tibi fuerint " imperata, si forte ignoscat infinita Dei bonitas peccatis tuis, & refrigeret animam tuam, priusquam crucieris perpetuis flammis. Hoc tibi levius & melius esse certissime scias." Sin autem pœnitentiam publicam in domo tua permanens, vel in hoc mundo vis agere, quod tibi gravius & durius & pejus esse non dubites, ita ut agere debeas te exhortamur. Omnibus diebus quibus vixeris pœnitere. Vinum & omnem siceram non bibas. Carnem nullo unquam tempore ullam quamlibet comedas præter pascha & diem natalis domini. In pane & aqua & sale pœnitere. In jejuniis, vigiliis & orationibus atque eleemosynis omni tempore persevera. Armis nunquam cingere, nec causa in quolibet loco litigare præsumas. Uxorem nunquam ducere, nec concubinam habere, nec adulterium committere. In balneo numquam lavare, in conviviis lætantium numquam te miscere. In ecclesia segregatus ab aliis Christianis post ostium & postes te similiter reponere. Ingredientium & egredientium te suppliciter orationibus commendare. A communione sacri corporis & sanguinis Christi cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimans abstinere. In ultimo tamen exitus vitæ tuæ die pro viatico si merueris ut sit qui tribuat tantummodo venialiter ut accipias tibi concedimus.

Sunt & alia multa quæ tibi durius & satis acrius erant juxta tam magnum pondus peccati infelix adjicienda. Sed si hæc omnia quæ supra misericorditer dicta sunt, perfecto corde domino auxiliante feceris & custodieris, confidimus de immensa Dei clementia remissionem te tuorum habiturum peccatorum, & secundum boni justique pastoris imperantis jussionem resolvit te sancta ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, ut sis per ipsius gratiam, qui eam sanguine suo acquisivit solutus in cælis. Sin autem aliter feceris, & sanctæ matris ecclesiæ tam salubrem admonitionem despexeris, ipse tibi sis judex, & in laqueo diabolico irretitus permanebis. Sanguis tuus super caput tuum. Nos alieni a consortio tuo pro aliorum filiorum Dei salute ipso opitulante omni sollicitudine intenti innitimur desudare, & domini attentius misericordiam quotidie implorare. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in trinitate perfecta, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

"** Secundum autem concilium tale est. Arma depone & cuncta sæcularia negotia dimitte. Carnem & sagimen omnibus diebus vitæ tuæ non comedas excepto uno die resurrectionis domini, & uno die pentecostes, & uno die natalis domini: ceteris temporibus in pane & aqua & interdum leguminibus & oleribus pœniteas in jejuniis, in vigiliis, in orationibus & in eleemosynis perseveres omni tempore. Vinum, medonem & mellitam cervisiam numquam bibas nisi in illis prædictis tribus diebus. Uxorem ne ducas, concubinam non habeas, adulterium non facias, absque spe conjugii perpetuo permaneas. Numquam te laves in balneo, equum non ascendas: causam tuam & alterius in conventu fidelium non agas: in conviviis lætantium numquam sedeas: in ecclesia segregatus ab aliis Christianis post ostium humiliter stes, ingredientium & egredientium orationibus suppliciter te commendes: communione sacri corporis & sanguinis domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes. In ultimo termino vitæ tuæ pro viatico, si observaveris consilium, ut accipias, tibi concedimus. Sunt & alia multa duriora quę tibi juxta pondus tanti facinoris essent adjicienda; sed si hęc omnia quę supra misericorditer dicta sunt, perfecto corde Deo auxiliante perfeceris & custodieris, confidimus de immensa Dei clementia remissionem tuorum peccatorum habiturum; & secundum boni justique pastoris imperium, resolvat te sancta ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, ut per ipsius gratiam, qui eam suo sanguine redemit, sis solutus in cælis. Sin autem aliter feceris, & sanctæ matris ecclesiæ salubre consilium despexeris, ipse tibi sis judex & in laqueo diaboli quo irretitus teneris maneas, sanguisque tuus sit super caput tuum: nos alieni a consortio tuo: & sub indissolubili anathemate permaneas, donec Deo & sanctæ ecclesiæ satisfacias. *Hæc apud Buccardum loco indicato.*

Anno Christi 794.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI, S.I.

1. *Concilium Francofordiense.*] Æstatis initio celebratum docet in chronico Eginhartus. Synodi porro hujus, exceptis canonibus, integrum ac pervetus exemplar suppeditavit nobis bibliotheca ecclesiæ Remensis, cujus ope multa passim emendata. Canonum vero, qui antehac desiderabantur, copiam nacti sumus ex vetusto item codice sancti Remigii, eodem ipso, quo usum constabat illum, qui primus libros Carolinos, & cum his primum & secundum hujus concilii canonem, dissimulato " & interpolato nomine suo, in lucem dedit. Præter hoc enim aliud antiquæ notæ canonum Francofordiensium exemplar, quod sciam, nullum est. // ELI. PHILI. Ioannes Tillius. Can. 1.

2 *Conjungentibus.*] Convenientibus, seu congregatis. qua notione id verbum usurpare solent Anastasius, & alii suppares ævo scriptores.

3 *Constantinopoli fecerunt.*] Hinc & Eginhartus in chronico; *Synodus etiam, quæ ante paucos annos Constantinopoli sub Irene & Constantino filio ejus congregata, & ab ipsis non solum s.p.ima, verum etiam universalis erat appellata, ab omnibus abdicata est.* Rectius autem in præfatione librorum Carolinorum in Bithyniæ partibus habita dicitur. nam apud Nicæam Bithyniæ coacta est. Itaque Constantinopoli factam sic intelligendum hoc loco, non quod in ea urbe, sed quod ab imperatoribus Constantinopolitanis. Can. 2.

4 *Secum haberet in monasterio*] Tassilo quippe vitam hoc tempore ducebat in monasterio, cui addictus ante sex annos fuerat post judicium Ingelheimense, de quo dictum est anno DCCXXCVIII. Can. 3.

5 *Quatuor suffraganias.*] Ecclesiæ seu civitates quatuor, quæ Viennensi archiepiscopo in provinciæ divisione relictæ sunt, in Leonis papæ epistola v. nominantur, Valentia, Tarantasia, (quæ extra provinciam) Genava, & Gratianopolis. Novem porro Arelatensi concessæ in codice Lugdunensi hę numerantur, Massiliensium, Albensium, Deensium, Tricastinorum, Vasensium, Arausicorum, Cavellicorum, Avennicorum, & Carpentoratensium. Can. 8.

6 *De Tarantasia & Ebred.*] Id agebant, opinor, harum civitatum episcopi, ut inter metropolitanos in ecclesia censerentur. Etsi enim tres istæ civitates jam olim capita & metropoles erant suarum provinciarum, videntur tamen illarum episcopi superioribus sæculis sub aliarum provinciarum metropolitanis fuisse: Tarantasiensis nimirum sub Viennensi, Ebredunensis & Aquensis sub Arelatensi Hoc membrum distinctum canonem facit in manuscriptis, ita ut synodi universæ canones sint LVII.

7 *In mortem regis non consiliasset*] Nefariam conjurationem intelligit, quæ ante biennium patefacta fuerat apud Ratisbonam. de qua Eginhartus idem & alii an. DCCXCII. Breve item aliud chronicum ejus ævi, nondum editum, in bibliotheca Tiliana: *Eodem*: inquit, *anno patefactum est consilium iniquum, quod consiliaverunt cum Pippino filio Karoli iniqui consiliatores. unde repr... apparuerunt, & rece-* Can. 9.

ANNO CHRISTI 794.

perunt conſiliorum ſuorum meritum : & chronicum S. Galli, cujus ſupra memini : *Pippinus comam capitis depoſuit, & quidam de Francis occiſi & ſuſpenſi, propter conſilium peſſimum quod fecerunt ſuper Carolum regem.*

Can. 10.

8 *A Magenardo metropolitano*] Rothomagenſi archiepiſcopo, miſſo poſtea dominico ſub Carolo imperatore, quem alii Mainardum vocant. Gerbodus vero is videtur, quem inter Ebroicenſes epiſcopos numerant veteres catalogi, & Giruoldum appellant, ex abbate Fontanellenſi.

Can. 25.

9 *Secundum priora capitula domni regis.*] Ante quindecim annos edita anno XI. Caroli regis. Ibi enim de dandis decimis cautum fuerat cap. VII. Quare quod de valida illius anni fame hoc loco ſubjicitur, ſuperiorem conjecturam noſtram confirmat, ad eumdem ipſum annum pertinere decretale precum, de quo ante dictum eſt.

Can. 55.

10 *Angilramnum archi-piſcopum.*] Mediomatricæ, hoc eſt Metenſis urbis epiſcopum fuiſſe docuit inſcriptio capitularis Hadriani papæ. Quod vero archiepiſcopus hoc loco dicitur, & apud Alcuinum epiſtola 79. ſingulare fuit privilegium ſedis apoſtolicæ, quo tres eccleſiæ Metenſis epiſcopos, Chrodogandum, Angilramnum, & Drogonem, ornatos fuiſſe conſtat, ut pallii honore " fruerentur cum nomine archiepiſcopi.

" Addendus & Vvala tom. I X. pag. 239. B

11 *Hildebaldum epiſcopum.*] Colonienſem, ut docebit Caroli ejuſdem epiſtola ad Offam regem. Hildebaldum archiepiſcopum & capellanum vocat Anaſtaſius in Leone III. Fuit enim, ut ex hoc loco apparet, Caroli regis poſt Angilramnum ſummus capellanus, & apocriſiarius apoſtolicæ ſedis.

12 *Alcuinum.*] Flaccum Albinum Alcuinum, qui Caroli regis accitu e Britannia venerat ante biennium. In codice Rhemenſi corrupte ſcriptum erat *Aliquinum*, in altero recentiore *Aquilinum*.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Cauſa celebrandi concilii.

a *Concilium.*] Cauſam celebrandi concilii in Germania præbuit Elipandus Toletanæ eccleſiæ archiepiſcopus; qui cum audiviſſet Felicem Vrgelitanum epiſcopum in concilio Ratiſbonenſi convictum & damnatum fuiſſe, eumdemque apud ſedem apoſtolicam, poſt agnitionem erroris, & hæreſeos deteſtationem, ad eccleſiam & ſedem priſtinam receptum eſſe, non deſtitit acerrimus hęreſeos ſuæ defenſor & propagator, neque prius quievit, quam Felicem ad orthodoxos reverſum ad caſtra impietatis revocaſſet. Imo ſcriptis ad Carolum magnum literis privatis, ad univerſos Galliæ & Germaniæ epiſcopos patentibus & publicis, intrepide hoc egit, ut cum rege totam Germaniam & Galliam in ſuam ſententiam pertraheret. Itaque cum hac ratione Felicem vere infelicem inſtar canis ad vomitum, & lotæ ſuis ad volutabrum luti reduxiſſet, ne malum longius ſerperet, infuſumque venenum ſana membra inficeret, opus erat ut uterque ad plenarium judicium citaretur. Res in hac ſynodo geſtas infra ſummatim recenſebo. Acta concilii non integra extant. Ea enim quæ de Nicæna ſynodo hic geſta fuerunt, plane deſiderantur. Apud hiſtoricos quos infra citabo eorumdem memoria reperitur; ſed varia & inconſtans, ut ibidem patebit. Ex theologis & ſcriptoribus hujus ſæculi celeberrimis, alii provincialem, alii œcumenicam hanc ſynodum fuiſſe ſcribunt. Ex eo quod legati ſedis apoſtolicæ, teſte Adone in chron. concilio interfuerunt, quodque Carolus rex generalem ſynodum convocari petiverit, exiſtimatum eſt hunc Francofordienſem conventum univerſale concilium fuiſſe. Ego provincialem ſynodum rectius nominandam eſſe putem, cui orientalium epiſcoporum nemo interfuit, quamque Romanus pontifex univerſalem eſſe non voluit. Alexandrinis & Toletanis conciliis pluribus interfuerunt legati ſedis apoſtolicæ, quę tamen nullo unquam tempore univerſalia & œcumenica habita fuere: ſi qui legati Romani pontificis concilio interfuerunt, illi non ad præſidendum, ſed tantum ad inſinuandum acta Nicæni concilii Roma ablegati fuiſſe videntur. Ea quæ de filiatione Chriſti naturali hac ſynodo definita repeiiuntur, ſine dubio ab univerſa eccleſia recepta & approbata fuerunt. Qua ratione in eam ducor ſententiam, ut exiſtimem nihil hoc concilio contra Nicænæ ſynodi decreta fidei conſtitutum fuiſſe : quia ſi aliquod provinciale concilium ex pertinacia & hæreſi contingat errare, nunquam ſolet eccleſia hujuſmodi concilia quoad partem aliquam approbare, & ut catholica recipere. Communis ſententia ſcriptorum omnium hoc concilium, quoad partem eam quæ de naturali Chriſti filiatione contra Elipandum definivit, tamquam catholicum recipit, quare veriſimile non eſt patres hujus concilii hæreticos fuiſſe; quorum definitionem, ſi tales fuiſſent, non minus quam Pſeudocaroli libellum refutare debuiſſet. De auctoritate hujus concilii Suarez diſp. 49. ſect. 3. tria aſſerit.

Provinciale, an vero univerſale fuerit.

Vtrum hoc concilium Nicæno contradixerit.

Primum, quod definitio contra Felicianam hæreſim (in concilio Francofordienſi abſolute ſpectato facta) habeat vim & auctoritatem ſtabiliendi fidem certam, & obligandi fideles ad credendum, quando ſufficienter promulgata & propoſita eſt: quia etiamſi non ſatis certo conſtat concilium hoc a pontifice confirmatum eſſe, tamen certiſſimum eſt definitionem ejus definitioni pontificis conformem, adeoque ſufficientem fidei regulam eſſe, qua ſufficienter promulgata ac propoſita omnes fideles ad credendum id quod in ea proponitur, obligentur : ideo imprimis, quia omnes fere ſcriptores rerum Francicarum & Hiſpanicarum atteſtantur hæreſin Felicianam in hoc concilio condemnatam eſſe. Vnde, quia conſtat eorum definitionem pontificia auctoritate implicite ſaltem approbatam eſſe, illam auctoritatem habet quam ſupra enarravi. Secundo docet, valde temerarium eſſe ac periculoſum, acta hujus concilii velut apocrypha vel ſuppoſititia rejicere, & ab iis diſſentire: tum quod res geſtę, prout in actis hujus concilii extantibus deſcribuntur, conſentaneæ ſint his, quæ de concilio Francofordienſi hiſtoriæ referunt, & in iis nihil eſt quod ad cauſam fidei ſtabiliendam non conferat, & pietatem ac veram doctrinam foveat; tum etiam, quod poſtquam acta hujus concilii in lucem prodierunt, aliiſque adjunctum eſt, magno catholicorum conſenſu ab omnibus receptum, nulluſque ſcriptor illud hactenus negare auſus fuerit. Denique etiam quod ſi hoc concilium prout nunc extat citra temeritatem rejici poſſet, poſſent eadem ratione omnia concilia, quæ Laurentius Surius ex catholicarum bibliothecarum manuſcriptis vetuſtiſſimis exemplaribus (ut profitetur in epiſtola ad Philippum regem catholicum) collegit, in dubium revocari. *Nemo ergo*, inquit, *ſuſpicari ſine magna temeritate poteſt hoc concilium Francofordienſe prout nunc habetur denuo confictum eſſe, cum ex veteri exemplari ab homine tanta fide digno dicitur tranſcriptum.* Neque etiam eſt ulla occaſio ſuſpicandi, olim fuiſſe ſimili fraude ab aliquo confictum: quia neque eſt hujus rei vel minimum indicium, neque de ullo viro catholico id credi poteſt: quod autem ab hæretico compoſitum non ſit, evidentiſſimum eſt, quia nihil eſt in eo opere quod ſanam doctrinam non contineat & redoleat. Tertio docet non poſſe ſimpliciter aſſeri, acta hujus concilii Francofordienſis a Surio circa annum domini 1567. recenter inventa, & eam infallibilem fidei auctoritatem habere quam habent acta anteriorum conciliorum approbatorum. Nam etiamſi certum ſit auctoritate hiſtoricorum infra nominatorum, Felicianam hæreſin ab Hadriano I. & concilio Francofordienſi fuiſſe damnatam, & in his quæ nunc habemus ſcriptis ſub nomine Hadriani & concilii Francofordienſis, nihil aliud contineri, quam illius hæreſis damnationem ; tamen adhuc nondum eſt certum qualis in particulari fuerit hæreſis Feliciana: quia licet in communi conſtet factam eſſe illius concilii definitionem ; tamen ſi in particulari non conſtet hoc ſcriptum editum eſſe in illo concilio, non tenebimur ex illo ſcripto colligere mentem concilii, neque illi eam fidem & reverentiam adhibere, quæ vero concilio adhibetur. Quare magni intereſt ſcire, aut credere in particulari, hoc ipſum opus eſſe idem illud quod a patribus illius concilii editum eſt. De reliquorum conciliorum actis non citra periculum fidei licet dubitare: quia eccleſiaſtica traditione antiqua ad nos devenerunt; adeoque majore reverentia & auctoritate ſunt obſervanda. Ea quæ de ſtylo epiſtolæ Hadriani, & Felicis reſipiſcentia, de Ildefonſo Toletano archiepiſcopo, deque expugnatione Hiſpaniæ per Sarracenos facta huic concilio objici poſſent, illa prolixius loco allegato refutat ; nos hæc omnia magna ex parte ſupra attigimus : quare iis omnibus hoc loco abſtinemus. De hac ſynodo ita Surius in admonitione ad lectorem, quam ne quis intermiſſam culpare poſſit, hic integram ſubjungo.

DE SYNODO FRANCOFORDIENSI ad lectorem admonitio F. Laurentii Surii.

SYNODI *apud Francofordiam habitæ non pauci ſcriptores meminerunt, & noſtræ quoque ætatis hæretici plurimum eam jactitant, tamquam in illa damnata ſit œcumenica ſynodus Nicæna ſecunda, quæ ſtatuit imagines pie ac religioſe venerandas. Atque ad hanc ſuam ſententiam ſtabiliendam citant Reginonem, abbatem Vrſpergenſem, & quoſdam alios, cum tamen & in Reginone & Vrſpergenſi non obſcura utriuſque depravati veſtigia liceat animadverti, aut certe Vrſpergenſis lapſus ſit, dum ſub Irene ait Conſtantinopoli ſynodum habitam : & ſi quos præterea allegant, id more ſuo faciunt, id eſt, fide non bona. Iam vero etiam ipſi hac in re tam belle inter ſe concordant, ut etiamſi illis accedere velis, neſcias cui potiſſimum fides habenda ſit. Verum hoc apud id genus homines jam antiquitus in more poſitum eſt nullius penſi habere qua fide rem gerant, modo ſuum errorem utcumque adſtruxiſſe videantur. Hoc autem pro comperto habendum eſt. in ſynodo Francofordienſi nihil actum eſſe contra Nicænam*

ſynodum

synodum, sed eam potius damnatam esse quæ sub Constantino Copronymo imperatore impiissimo ab Iconomachis habita est Constantinopoli contra imagines, quamque illi septimam œcumenicam dici voluerunt, sed impetrare frustra conati sunt. Hoc enim est quod Vrspergensis ait, eam nec septimam, nec aliquid dictam esse, sed quasi supervacuam ab omnibus abdicatam. Porro ad synodum Francofordiensem frequentes admodum, id est, plus minus trecenti ex Germania, Gallia, Italia episcopi convenerunt, nec Hadrianus pontifex suos voluit legatos abesse: quæ res in causa fuisse putatur, quod patres qui illi interfuerunt, eam plenariam vocarunt. Nec tamen sola imaginum controversia illic agitata est; & contra Iconomachorum pseudosynodum Constantinopolitanam prolata sententia, sed etiam Elipandi hæretici, qui tum sedis Toletanæ in Hispaniis erat episcopus, impium dogma Christum Dei Filium adoptivum asserens profligatum est. Atque hæc pars sola in his, quæ jam edimus, extat, aliis omnibus, quæ contra iconomachos acta sunt, prorsus aut amissis, aut certe alicubi adhuc delitescentibus. Quod qui acciderit, etsi certo affirmare non possumus, tamen probabilis conjectura est, factum id esse opera illorum, qui quatuor illos libros contra Nicænam secundam synodum conscripserunt, qui hodie sub Caroli magni nomine typis excusi visuntur, non absque insigni contumelia tam sancti & catholici principis, & putida fraude hæreticorum nostrorum, qui se euangelicos dici volunt: quorum incredibilis impudentia etiam in hoc apparet, quod cum modis omnibus docere velint in Francofordiensi concilio rejectum esse Nicænum secundum, afferunt pro se decretum Francofordiensis synodi, quo illorum deplorata mentiendi & quidlibet fingendi libido ita coarguitur, ut mirum sit illos unquam in cujusquam boni viri ausos esse prodire conspectum. Est autem decretum hujusmodi, aut potius decreti particula quædam: Allata est, *inquit,* in medium quæstio de nova Græcorum synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt. *Vbi homines versuti cum vellent lectori persuadere, Nicænam synodum hic intelligi oportere, decretum Francofordiense corruperunt quidem, sed mirabili Dei judicio, ut illorum impostura omnibus proderetur, obliti sunt Constantinopolim eradere, atque ejus loco Nicæam substituere. Iam vero dum Constantinopolis relicta est, nemo tam stupidus est, qui non animadvertat eam synodum Francofordia explosam esse, cujus supra meminimus, quæ sub Constantino Copronymo ab Iconomachis habita est Constantinopoli. Sed valeant isti cum malis artibus suis. Tu interim, candide lector, fruere hujus Francofordiensis synodi quæ supersunt reliquiis, quæ jam in lucem prodeunt, fruiturus quandoque illis, quæ ad Iconoclastarum execrationem pertinent, si Deo bene volente eorum copia nobis facta fuerit.*

b *Francofordiense.*] Sic dictum a Francofordia, quæ est ad Mœnum fluvium posita: de qua hæc Hadrianus Rom. in theatro urbium: *Francofordia ad Mœnum sita, vulgo* Franctfurt am Mayn, *ad distinctionem alterius Francofordiæ ad Oderam sitæ, antiquitus Helenopolis, ab imperatrice Helena Constantini magni matre vocata. Alii dicunt, hanc civitatem anno 774. extrui cœptam a Franconibus sub rege Carolo magno, postea vero collapsam & a Franco Marcomiri IV. Filio (uti scribit Hunibaldus) duce Franconiæ restauratam, ab eoque denominatam. Civitas hæc in duas partes a Mœno perfluente distinguitur, quæ ponte lapideo connectuntur. De hac civitate ita canit quidam:*

——rapido quæ proxima Mœno
Clara situ, populoque frequens, vicisque decora
Inde trahit nomen: nam Teutonus incola dixit
Francofurt: mihi sed liceat sermone Latino
Francorum dixisse vadum, *&c.*

Civitas hoc tempore est imperialis, ac binis nundinis quotannis celeberrimum nobilissimumque totius Germaniæ emporium. Hic Romanos reges eligi a principibus electoribus mos est: pluribus aliis privilegiis hæc civitas ab imperatoribus donata est.

c *Actaque concilii Nicæni II. in causa imaginum confirmarunt.*] Ita docuerunt hoc tempore Alanus dialog. 4. cap. 18. & 19. & dialog. 5. capite 12. & 13. Sanderus libro 2. de imaginibus, capite 5. & libro 7. de visibili monarchia, numero 613. Surius in præfatione hujus concilii, quam supra integram retuli, verbo, *concilium.* Vasquius libro 2. de adoratione imaginum, disputatione 7. capite 5. & sequentibus. Suarez tom. 1. p. 3. disputatio. 54. sect. 3. Confirmatur auctoritate concilii Senonensis in decretis fidei capite 14. ubi sic ait: *Carolus magnus Francorum rex Christianissimus Francofordiensi conventu, ejusdem erroris* (Iconomachiæ) *suppressit insaniam quam infelicissimus quidam Felix in Gallias & Germaniam invexerat.* Platina in vita Hadriani sic ait: *Biennio post Theophylactus & Stephanus episcopi insignes Hadriani nomine Francorum & Germanorum synodum habuerunt, in qua & synodus, quam septimam Græci appellabant, & hæresis Feliciana de tollendis imaginibus abrogata est.* Idem fere dicit Paulus Æmilius lib. 2. de gestis Francorum prope finem: ait enim concilium Francofordiense egisse contra hæreticos damnantes imagines: *Et imaginibus*, inquit, *suus honos servatus est.* Blondus decad. 2. lib. 1. Sabell. lib. & enneade 8. Nauclerus generat. 27. Gablisardus Arelatensis in chronol. ann. 816. Alanus prædicto loco refert hæreticum quemdam Anselmum Ryd affirmasse, Nicænam synodum pseudoseptimum concilium Constantinopolitanum de abolendis imaginibus tamquam hæreticum execrasse, idemque fecisse Hadrianum papam & Carolum regem Francofordiæ.

ANNO CHRISTI 794.

Cur auctor a sententia Baronii & Bellarmini discedat.

Nicænam II. synodum a patribus hujus concilii condemnatam esse sensit reverendissimus & illustrissimus cardinalis Baronius, ut dixi supra in notis concilii Nicæni II. verbo *Approbatum:* Iam ante illum fere idem scripserat reverendissimus & illustrissimus etiam cardinalis Bellarminus libro 2. de imaginibus cap. 14. &c. Sed ab eorum sententia me prope invitum abducunt duæ rationes;

Ratio 1.

Quarum prima est, quod cum historiæ & acta concilii referant, legatos summi pontificis Hadriani, quos Ado in chronico Theophylactum & Stephanum nominat, huic concilio interfuisse, fieri non potuerit, ut totum concilium ignoraverit, qua auctoritate vera septima synodus Nicæna congregata, & quid in ea definitum fuerit. Nam cum hæc synodus paulo ante sub eodem pontifice coacta esset, non potuerunt legati ejusdem pontificis, auctoritatem & doctrinam illius ignorare. Ergo etiamsi falsi rumores sparsi essent de illa VII. synodo, ut Genebrardus nescio quo fundamento affirmat, potuissent patres concilii Francofordiensis a legatis summi pontificis instrui, ipsiusque 7 synodi scriptis informari ac doceri. Imo cum celebratio Nicæni concilii esset in universa ecclesia res celeberrima & maxime publicata, non est credibile quod inter episcopos universæ Galliæ & Germaniæ hoc loco congregatos nemo repertus fuerit, cui de congregata septima Nicæna synodo, ejusve per pontificem facta approbatione nihil plane constiterit. Accedit, quod error ille adorandi imagines ut Deos, potius est error gentilium, quam aliquorum hæreticorum, vel eorum qui fidem Christi profitentur. Ergo nulla ratione credibile est, quod Bellarminus & Baronius existimant, patres concilii Francofordiensis id existimasse, aut propter solos rumores falsos id temere credidisse; præsertim cum nulla tunc esset in ecclesia illius erroris suspicio, piique & catholici fuerint episcopi hujus concilii, de quibus suspicari non liceat, quod pravo aliquo affectu erga orientales commoti, patribus sacrosancti concilii Nicæni errorem attribuerint, vel eorum sententiam instar hæreticorum in deteriorem partem interpretati fuerint.

Ratio 2.

Altera ratio, quæ me a Baronii & Bellarmini sententia compellit recedere, hæc est: quod patres hujus concilii sæpe profiteantur se procedere sub obedientia Romani pontificis; & in libro sacrosyllabo sub finem, dum sententiam contra hæreticos proferunt, subjungant hæc verba: *Reservato per omnia jure privilegio summi pontificis domini & patris nostri Hadriani primæ sedis beatissimi papæ:* Item quod iidem patres in hoc concilio sæpe profiteantur, se majorum traditiones sequi & ab eorum vestigiis non discedere: & quod Carolus magnus qui huic concilio interfuit, in epistola ad episcopos Hispaniæ dicat, se imprimis consuluisse apostolicæ sedis pontificem, quid de causa in illo concilio tractata sentiret: quodque paulo infra hæc verba subjungat: *Apostolicæ sedi, & antiquis ab initio nascentis ecclesiæ & catholicis traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate conjungar.* Quæ sane patres concilii profiteri non potuissent, si sacrosanctam Nicænam synodum a sede apostolica confirmatam condemnassent.

Ratio 3.

Nam ut supra probavi, ex falsa informatione non potuerunt in facto errare. Itaque si scienter & per errorem hæc fecerunt, utique cum pertinacia & hæresi ista fecerunt; atque ita de auctoritate sedis apostolicæ aliter senserunt, aliter locuti fuerunt. Quæ cum meo judicio de tanto & tali episcoporum cœtu non sint præsumenda, non est verisimile id, quod aiunt reverendissimi & illustrissimi cardinales Bellarminus & Baronius, ipsos patres concilii coram legatis summi pontificis & principe catholico, septimam synodum auctoritate pontificia confirmatam condemnasse, & Hadriano summo pontifici restitisse. Accedit, quod si hujus synodi auctoritate Nicænum concilium damnatum, atque ita error Iconomachorum ex mala etiam informatione reipsa approbatus esset, certe ante nostra tempora, illius erroris aliquis sectator ejus auctoritate se suamque sententiam munire studuisset: quod tamen nullus fecit, maxime cum paulo post Carolum magnum in eadem Gallia exortus fuerit Claudius Taurinensis, qui errorem illum in occidentalem ecclesiam introducere voluit: quem sane plurimum confirmare potuisset auctoritate occidentalis plenarii concilii, si errorem illum definitione confirmasset. At vero neque Claudius in suum

favorem

ANNO CHRISTI 794.

Ratio 4.

favorem illud adduxit, neque Ionas Aurelianensis, qui contra illum eodem tempore scripsit, & illius fundamenta confutavit, quidquam de concilio Francofordiensi respondit, vel quoad hanc partem scripsit. Addo ad extremum, quod Romana ecclesia nullum unquam provinciale concilium quoad partem aliquam etiam approbaverit & receperit, in quo alia quadam ex parte cum pertinacia & hæresi aberratum fuerit. Hoc provinciale concilium, quoad eam partem quæ de servitute & filiatione Christi definivit, ab ecclesia receptum & approbatum esse supra annotavi, non est ergo credibile, quod eodem hoc concilio Nicæna synodus ulla ratione condemnata fuerit. Quare non possum non haç in re illam tueri sententiam, quæ auctoritatibus & rationibus supra allegatis munita, sacrosancti œcumenici concilii Nicæni II. auctoritatem contra omnes Iconomachos, plurimum defendit, exornat & auget. Sed dices, quid est respondendum ad auctoritates librorum Carolinorum, Hincmari, Aimoini, abbatis Vrspergensis, Reginonis, Adonis, & Ioannis Aventini, qui omnes affirmant septimam synodum in concilio Francofordiensi damnatam esse? Respondeo, diversi diversa sentiunt; Alanus, Sanderus & Surius locis supra allegatis dicunt, pseudoseptimam synodum sub Copronymo Constantinopoli habitam a patribus hujus concilii condemnatam esse; sed cum prædicti historiographi scribant omnes, illam synodum septimam hic condemnatam quæ pro adorandis imaginibus habita est sub Constantino & Irene, sine dubio non illam pseudoseptimam; sed potius veram septimam synodum eos intellexisse concedendum est; quia hæc, non illa pro adorandis imaginibus tempore Ireng imperatricis celebrata fuit. Vasquius libro 2. de adorat. capit. 7. disputationis septimę, aliique plures concedunt, apud Hincmarum aliosque prædictos scriptores rerum Germanicarum de Nicęna synodo sermonem esse; sed id, quod referunt, falsum esse, falsaque pseudo Caroli relatione deceptos ita sensisse, adeoque non majorem fidem ipsis, quam pseudo-Carolinis libellis, (quos supra in notis 4. epist Hadriani ad Carolum ab hæreticis pluribus conscriptos esse, pluraque mendacia continere, & Nicæno concilio imponere demonstravi,) attribuendam esse: Ego vero cum Francisco Suarez viro doctissimo opinor, hanc responsionem infirmis conjecturis & testimoniis niti, quę sibiipsis non constant.

Ad auctoritatem historicorum contrarium asserentiũ.

Respõsio 1.

Respõsio 2.

Respõsio 3. ceteris rejectis approbatur.

Suarez tom. 1. disp. 54. sect. 3.

Nam in primis, ut incipiamus a præfatione Eli. Phili. in qua totus discursus superioris responsionis præcipue fundatur, nulla fides ei adhiberi potest: nec verisimile est, reliquos omnes historicos illi soli fuisse innixos.

Primo quidem, quia auctores præcedentis opinionis dubitant, an in illa præfatione ut est in suo originali, Francofordiense concilium nominetur: & probabilius credunt, parenthesim illam, in qua Francofordiensis concilii fit mentio, fuisse ab aliis interpositam. Quod si hoc verum est, neque Hincmarus, neque alii historici potuerunt ex hac præfatione sumere illam sententiam de damnatione synodi Nicænæ in Francofordiensi, sed ad summum, in aliquo conventiculo imperitorum, & hæreticorum hominum, a quibus fortasse liber ille editus est.

Quid de Carolinis libris sentiendum.

Vnde sumitur secunda conjectura: nam omnium recte sentientium judicio liber ille non fuit a Carolo magno editus, sed ab aliquo vel aliquibus hæreticis, qui illum, vel occulte vel palam Carolo obtulerunt: Carolus autem illum ad pontificem Hadrianum misit, qui in scripto ad Carolum de imaginibus, librum illum ex professo confutavit. Quæ omnia late probant Alanus supra, & Bellarminus dicto libro secundo, capitulo decimoquinto; ergo non est verisimile, Hincmarum virum catholicum & doctum, ex sola illius libri auctoritate factum illud concilio Francofordiensi attribuisse.

Tertio, quamvis ille liber tempore Caroli editus fuerit, tamen de præfatione, quæ nunc ei præfigitur, merito Alanus & Surius dubitant, an sit antiqua, vel nuper ab aliquo hæretico edita & supposita, vel saltem corrupta: nam qui præfatur, vel ficto vel ementito nomine Eli. Phili. se nominat, ut seipsum occultet, quod statim suspicionem alicujus deceptionis generat, præsertim in re adeo lubrica, & ex se suspecta. Et præterea, quantum ex his quæ Alanus capite decimo octavo refert, conjectare possum, ipse Eli. Phili se alium a Carolo esse ostendit: nam ex professo in eadem præfatione ostendere conatur, Carolum fuisse illorum librorum auctorem, re prius deliberata cum episcopis concilii Francofordiensis; fuit ergo auctor illius præfationis Eli. Phili. non Carolus: & illa præfatio non fuit edita tempore Caroli magni: ergo nihil probabile de illa credi potest, nisi quod ab eodem sit edita, a quo denuo liber ille inventus, vel typis mandatus ante quadraginta quatuor annos solummodo. Et minimum, improbabile sit, Hincmarum, & alios antiquos historiographos ab illa præfatione sententiam suam hausisse.

Quarto obstat (quod Surius notavit) quia auctor præfationis dicit, synodum illam, quæ a Francofordiensi damnata est, Constantinopoli fuisse celebratam: hæc enim ejus verba referuntur: Allata est in medio quęstio de nova Græcorum synodo, quam de adorandis imaginibus, Constantinopoli fecerunt: *ex quo verbo colligi potest, eum non de Nicæna, sed de Constantinopolitana synodo loqui: vel certe, cum dicat, in illa synodo actum esse de adorandis imaginibus: cumque etiam dicat (ut Bellarminus refert) Constantinopolim sitam esse in Bithynia, colligitur hominem illum prorsus fuisse imperitum, nullaque fide dignum: aut certe inferri potest, eum ex aliqua traditione aut fama credidisse quamdam Constantinopolitanam synodum rejectam esse in Francofordiensi, ignorasse vero quid in ea actum fuerit, & ex errore id addidisse.*

Ex his etiam constat quam sit infirmum testimonium Hincmari, ut credamus eum testatum esse, concilium Francofordiense damnasse synodum Nicænam ex sola auctoritate præfationis libri Carolini; cum verisimilius sit, Hincmarum talem præfationem non vidisse. Vnde Alanus supra merito fidem non habet huic testimonio, nec credit esse Hincmari, quia nec liber ille Hincmari, unde sumptum dicitur, extat, neque ad nos pervenit, nisi ex relatione Illyrici hæretici, cui nullam fidem adhibemus, neque scimus unde fragmentum illud decerpserit, præsertim cum Trithemius inter opera Hincmari illum non numeret. Deinde in illismet verbis multa sunt falsa, & inter se pugnantia, vel parum probabilia.

Primum, quod asserit in quadam VII. synodo Græcorum quosdam dixisse, imagines esse confringendas, alios vero, esse adorandas; nam hoc non in una synodo, sed in diversis accidit: & ita videtur utramque synodum confundere, nam utramque illam partem dicit, non sano intellectu esse ibi definitam. Deinde, quod ait synodum Nicænam sine auctoritate papæ fuisse habitam, & Romam missam.

Rursus, quod ait Romanum papam illam synodum Nicænam ad se missam, & in Franciam directam ut ibi (sicut indicat) examinaretur, vel corrigeretur, est per se improbabile, & ab omni vera historia alienum.

Denique quod ibi dicitur de volumine contra Nicænam synodum edito, & ab imperatore Romam misso per quosdam episcopos, non consonat cum eo, quod Hadrianus refert, Carolum misisse ad se librum per Engilbertum abbatem.

De p… riorib… scripti… bus fe… censu…

Denique de aliis historicis omnibus necessario est fatendum, aliquem errorem in eorum scriptis contineri. nam in primis Aimoinus, quem abbas Vrspergensis secutus est, expresse dicit, synodum Francofurti damnatam, Constantinopoli congregatam fuisse; cur ergo interpretabimur eos de Nicæna loqui?

Dices, qui addunt, sub Constantino & Irene.

Respondet Alanus, illos libros quoad hanc particulam ab aliquo Iconomacho fuisse corruptos. Verum quia hoc probari non potest, nec fieri satis verisimile, dicam potius Aimoinum errasse, ignorantem quo tempore Constantinopolitana pseudosynodus congregata fuisset.

Deinde Regino, quem Aventinus imitatur, illam synodum vocat pseudosynodum Græcorum, *quo nomine appellata est ab omnibus catholicis illa synodus Constantinopolitana VII. nam Nicæna, nec pseudosynodus appellari potuit, cum verissima fuerit, nec Græcorum tantum, cum universalis fuerit, & summi pontificis auctoritate coacta, cujus contrarium de illa synodo ibi indicatur.*

Dices, quomodo ergo dicit Regino, illam synodum fuisse factam, pro adorandis imaginibus? *Respondet Alanus, legendum esse,* pro non adorandis: *& particulam* non, *vel incuria vel malitia fuisse sublatam. Sed est difficilis responsio, cum id probari non possit. Libentius dicerem, ignorasse illos auctores, quid in conciliis Græcorum tractatum ac definitum fuerit, sicut de Nicæna synodo prior opinio dicebat: nec sine fundamento, quia illa pseudosynodus Constantinopolitana nunquam est in Latinum conversa, quod nobis constet: & synodus etiam Nicæna post longa tempora Latinate est donata; & ex historiis illorum temporum nihil fere certum scire potuerunt de his quæ in illis synodis tractata sunt.*

Ad verba Adonis Alanus acute respondet, verba illa, pro adorandis imaginibus, *non esse conjungenda cum præcedentibus, sed cum subsequentibus interposito commate hoc modo,* pseudosynodus, quam septimam Græci appellant, pro adorandis imaginibus abdicata penitus, *id est, in defensionem adorationis imaginum, penitus abdicata est. Qui sensus est quidem satis consentaneus verbis ipsis: imo vix aliter commode construi possunt, quia nulla synodus appellata est,* septima pro adorandis imaginibus *Quod si hic sensus verus est, fortasse Regino verbis Adonis fuit deceptus, nam vel æquales fuere, vel Regino junior fuit: floruit enim Regino anno nongentesimo decimo, teste Trithemio, & tamen Ado texuit historiam usque ad annum octingentesimum septuagesimum septimum: fuit ergo Ado, vel antiquior, vel, ut minimum, æqualis: fieri non potuit, ut Regino verbis Adonis non satis intellectu deceptus fuerit; &*

ab

ab eis occasionem errandi sumpserint abbas Urspergensis & Ioannes Aventinus, qui absque controversia sunt longe recentiores. Imo & de Aimoino, vel Annonio idem dici potest, si fortasse ille est quem sub nomine Ammonii monachi *refert Trithemius scripsisse de rebus Francorum anno nongentesimo. Quod si hic sensus non probatur, potius dicendum est (sicut de aliis) ignorasse Adonem quid tractatum sit in pseudosynodo Constantinopolitana, falsoque existimasse, in ea esse definitum imaginibus esse perfectam latriam tribuendam, quam nomine pseudosynodi Graecorum, Nicaenam synodum intellexisse.*

Ex his ergo omnibus saltem concluditur evidenter, nullum ex historiis posse sumi firmum argumentum, quo existimetur, concilium Francofordiense contra veram imaginum adorationem, aut contra synodum Nicaenam aliquid definivisse. Ostendimus item manifestis indiciis & rationibus, non potuisse concilium Francofordiense, si in eo de causa imaginum actum est, aut sententiam Hadriani papae, & Nicaeni concilii veram definitionem & auctoritatem ignorare, vel ab eis sciens & prudens dissentire, supposita reverentia, quam ex ejus actis quae exstant, scimus sedi apostolicae detulisse. Relinquitur ergo, necessario fatendum esse, vel historicos errasse, vel aliqua ex parte corruptos esse eorum codices, vel certe non de vera, sed de falso nominata septima synodo locutos fuisse. Et quidem de testimonio praefationis Carolinae, & testimonio Hincmari, nulla omnino est habenda ratio: illius quidem, quoniam est ignoti auctoris, & suspecti, & quia non constat, quo tempore aut loco scripta sit, aut edita, vel inventa, & quia aperta continet mendacia, & falsa testimonia, quae Nicaenae synodo imponit: hujus vero, quia non constat, tale testimonium esse Hincmari, nisi ex relatione hominis haeretici, & hostis imaginum: & quia ea ipsa, quae in illo testimonio referuntur, parum sunt verisimilia, & aliis certis historiis consentanea. Videatur integrum opus ipsius Hincmari quod editum est anno 1615. Parisiis, ubi sine ulla lectionis varietate Constantinopoli legitur. Quae opuscula nunc integra reperies in bibliotheca veterum patrum anno 1618. Coloniae excusa. De reliquis vero auctoribus, cum negare non possimus, errorem aliquem in eorum libris reperiri, omnino enervatur in hac parte eorum auctoritas. Propter quod posset aliquis libere negare, quidquam actum esse de imaginibus in concilio Francofordiensi, neque pro illis, neque contra illas; quia neque extant acta illius concilii quoad hanc partem, neque ullus auctor catholicus ea se vidisse refert: nam quae haeretici isto tempore sub hoc nomine divulgarunt, ab eis plane conficta sunt: unde neque exemplar designant ex quo illa transtulerint, neque locum in quo hactenus delituerint, ipsique invenerint. Neque etiam ad verbum describunt acta concilii, sicut in aliis conciliis fit, & sicut nos habemus eam partem hujus concilii, quae est de filiatione adoptiva Christi.

Denique Ionas Aurelianensis, qui paulo post Carolum Magnum floruit, & contra Claudium Taurinensem in defensionem imaginum ad Carolum Calvum scripsit: initio illius operis mentionem faciens concilii Francofordiensis, solum dicit in eo damnatum esse errorem Felicis de filiatione Christi adoptiva, nullam mentionem faciens, quod causa imaginum in illo concilio acta fuerit, & Walafridus Strabo in libro de rebus ecclesiasticis capite octavo mentionem faciens erroris Graecorum circa imagines, dicit damnatum esse in concilio Romano sub Gregorio III. & subdit. Ipsa denique querela Graecorum, temporibus bonae memoriae Ludovici imperatoris, in Franciam perlata, ejusdem principis providentia scriptis synodalibus est confutata. *De concilio autem Francofordiensi nullam mentionem facit, cum tamen Walfridus ejusdem fere aetatis auctor fuerit. Non ergo caret hic modus dicendi probabili conjectura.*

Quia tamen tot historiae, quae mentionem faciunt concilii Francofordiensis, referunt aliquid de imaginibus in eo actum esse, suspicari cogunt, aliquod habuisse hujus rei fundamentum, & saltem traditione vel fama publica ad eorum aures pervenisse, qui hoc scribere coeperunt, Adonis nimirum, vel Aimoini, aut Reginonis. Quare credibile est, Hadrianum papam cum legatos suos ad concilium Francofordiense mitteret, per illos etiam misisse acta concilii Nicaeni, quod illo eodem tempore finitum fuerat, ut definitio illius toti occidenti innotesceret. Atque ita fieri facile potuit, ut in concilio Francofordiensi nihil denuo de imaginibus ageretur, vel scriberetur praeter acceptationem concilii Nicaeni, & consensionem illorum patrum in damnanda pseudosynodo Constantinopolitana: & hoc fortasse est quod Ado brevibus verbis referre voluit juxta sensum supra traditum: & eadem est aliorum sententia, quamvis circa res alias vel circumstantias pertinentes ad illam pseudosynodum Constantinopolitanam, errorem aliquem ex ignoratione historiae miscuerint. Quem errorem posteriores historici, ut vidimus, emendarunt partim ratione & certa conjectura ducti, partim quia de Nicaena synodo clariorem notitiam adepti sunt. Sic igitur in re tam incerta merito concilium Senonense eam partem ut **A** *probabiliorem elegit, quae ait concilium Francofordiense Nicaeno II. consensisse.*

Anno Christi 794. Tempus habiti concilii Francofordiensis.

d *Anno Christi* 794.] Hoc anno synodum Francofordiensem habitam esse, indicat 26. annus Caroli regis, qui initio actorum praefixus habetur. Nam, ut supra notavi ex vita Stephani apud Anastasium, constat quod Pipinus anno 768. defunctus successorem habuerit filium Carolum; cujus vigesimus sextus annus regni cum anno Christi redemptoris nostri 794. coincidit.

Elipandi haeresis quae & qualis.

e *Elipandum.*] Elipandus Toletanae ecclesiae archiepiscopus docebat, Christum pure servum esse, quales sunt qui servitute poenali ex peccato contracta Deo subjiciuntur. Addebat errorem multo graviorem hunc Christum ex servo factum esse Dei Filium per adoptionem: atque ita illum a Filio Dei naturali, non tantum natura, sed etiam supposito distinguebat, & judicio orthodoxorum Nestorianismum jam ante sopitum resuscitabat. Haec illum de **B** Christo sensisse ac docuisse testatur Ioannes Mariana libro 7. suae histor. de rebus Hispan. capit. 8. sic scribens: *Nestorii placita concilii Ephesini diligentia sopita, quasi veteris incendii scintillae in Hispania, illis auctoribus* (Felice scilicet & Elipando) *suscitata sunt, Christum affirmantibus, qua parte homo est, Dei Filium adoptione esse*, &c. Idem epist. concilii hisce verbis: *Neque vero alium Iesum Christum, alium Verbum dicemus, ut nova haeresis calumniatur.* Et infra adducens locum ex epist. ad Hebr 3. cap. *Amplioris gratia iste prae Moyse dignus est habitus; quomodo*, inquit, *amplioris gratiae, si servus sicut & Moyses, vel ex servo adoptivus?* ubi considero primum verba haec: *sicut & Moyses*, id est, purus servus, & solum per adoptionem filius. Deinde considero verba illa, *ex servo adoptivus*: haec enim manifeste indicant suppositorum distinctionem. Quod clarius inferius declaratur illis: *Sed nescio ex quo servo adoptatus in filietatem ut vos dicitis.* Dicebant ergo isti, Christum hominem prius vel natura, vel fortasse etiam tempore, ut saepe in illo concilio insinuatur, fuisse quemdam servum, & deinde fuisse factum Filium **C** Dei per adoptionem. Adde quod in libro sacrosyllabico, aliisque variis Francofordiensis concilii locis, Felicis & Elipandi haeresis veternosa appelletur, non alia sane de causa, quam quod olim in Nestorio condemnata fuerit. Ionas Aurelianensis loco in concilio Ratisbonensi supra allegato de Felice ait: *Milites Christi invicti[ssimi ar]mis muniti ejus vesanam doctrinam propulsarunt: ejusdem namque principis jussu in unum coacti eumdem Felicem condemnarunt, imo cum auctore sui erroris Nestorio, quem imitatus est, perpetuo anathemati manciparunt.* Sigebertus in chron. anno 793. sic inquit: *Feliciana haeresis condemnatur, & in praesentia Hadriani papae ab ipso Felice auctore abdicatur. Haec haeresis asserebat Filium Dei in divina natura nuncupativum: Item in divina natura verum esse Filium Dei, in humana vero adoptivum.* Eamdem sententiam secuti sunt Anton. 2. part. hist. titul. 14. capit. 1. 5. & 6. Paulus Aemil. libro 2. prope finem. Nauclerus generat. 27. aliique plures, quos nominatim citat Franciscus Suarez tom. 1 3. part. disp. 49. sect. 3.

Verum Felix & Elipandus Nestoriani fuerint.

Felix igitur & Elipandus non tantum, (sicut Durandus **D** aliique scholastici theologi) in voce adoptionis, sed reipsa in mysterio incarnationis errarunt, & in Nestorianismum inciderunt eo ipso, quod non aliter Christum quam purum hominem a Deo adoptatum esse docerent. Ex quadam Elipandi confessione, quae in bibliotheca Toletana in quodam libro a Beato Heterio contra Elipandum scripto reperitur, aiunt nonnulli Felicem & Elipandum non in mysterio incarnationis, sed tantum abutendo voce adoptionis instar Durandi aberrasse; idemque conjecturis affirmant istis, quod nihil eorum quae Nestorio objecta fuerant in concilio Ephesino, contra Elipandum attulerint; quodque ipse Elipandus erroris sui professionem ad Carolum regem mittens, eam a synodo examinari & discuti petiverit. Quae, si Nestorii sententiam sectatus fuisset, nullo unquam tempore fecisset.

Objectio.

Responsio.

Sed praeterquam quod allegata confessio Elipandi ab ea quam ad Carolum misit plane diversa sit, nihil aliud ipsa probat, quam quod callide exemplo Nestorii magistri sui, ut recte dixit sanctus Thomas tertia parte, quaestione vigesima secunda, articul. 6. utebatur unitate **E** personae, propter unitatem dignitatis & honoris: quodque errorem Nestorii si non expresse, saltem implicite tradiderit, eo ipso quod adoptionem Christi a natura non distingueret, illamque non soli humanitati; sed cuidam homini tempore vel saltem natura prius servo attribueret. Quare verior est sententia, quam auctoritate & ratione confirmavi supra, nimirum quod Elipandus & Felix Nestorii haeresin hac sua doctrina resuscitarint. Utriusque sententiam magna & plenaria synodus condemnavit, jureque optimo definiens edixit, quod Christus dominus de Spiritu sancto conceptus,

Decretum synodale contra Elipandum & Felicem.

ANNO CHRISTI 869.

ptus, expers omnis peccati in hunc mundũ editus, non tan- A tum non ſit ſervus ſervitute pœnali Deo Patri ſubjectus; verum etiam quod ſine additione reſtrictę humanitatis ſimpliciter & abſolute talis nominari non debeat. Et quia Chriſtus dominus ſecundum orthodoxæ fidei decreta, eſt una perſona, unuſque naturalis Dei Filius, ſub periculo anathematis rectiſſime definivit, Chriſtum Dei Filium adoptivum non eſſe, neque appellari debere; ſiquidem de ratione adoptionis ſit, ut externa perſona ad hereditatem adoptantis liberaliter acceptetur. Contigerunt iſta hac forma & occaſione. Poſtquam Felix Vrgelitanus orthodoxæ fidei confeſſionem Romæ edidiſſet, magno conatu laboravit Elipandus, ut a fæcibus & ſordibus ablutum Felicem, ad volutabrum luti reduceret: quod cum & ſæpius conanti ſucceſſiſſet, cupiens virus ſuum extra Hiſpaniam in Gallias & Germaniam diffundi, literas maxime virulentas de ſua ſententia ſcripſit ad Carolum Magnum, petens eam theologis examinandam & diſcutiendam communicari: addidit ejuſdem argumenti alias ad omnes Galliæ epiſcopos B inſcriptas, quibus perfidiæ profeſſionem a ſe editam, teſtimoniis patrum more hæreticorum ab ipſo depravatis & detruncatis confirmavit, atque Ildef. nſum alioſve Tolitanæ eccleſiæ anteceſſores epiſcopos de hæreſi mendaciſſime, ut patet ex ejus ſcriptis jam nuper a patre Fevardentio in lucem emiſſis, per magnam calumniam ſugillavit.

Epiſtola pontificia ad Elipandum qua occaſione ſcripta.

Carolus his litteris acceptis per miſſam non ſemel ad ſedem apoſtolicam legationem egit, ut ad ſynodum ſuo hortatu in Germania hac de cauſa celebrandam pontifex perſcriberet, quid ipſe de ſententia Elipandi ſentiret. Hadrianus petitioni regis obtemperans Elipandi ſententiam diſcuſſit; quam cum hæreticam eſſe inveniſſet, ſcripta ad epiſcopos Galliarum & Hiſpaniarum epiſtola, hæreticam eſſe doctrinam Elipandi declaravit, eamque anathematis ſententia condemnavit.

Acta concilii.

Poſt hanc pontificis epiſtolam acceptam, congregata eſt ſynodus, cujus initio in præſentia Caroli Magni regis recitatæ ſunt literæ Elipandi, quaſque ad eas pontifex juſſu regis Caroli reſcripſerat. Quæ cum recitatæ C fuiſſent, inquit Paulinus in libello ſacroſyllabico, tempus deliberandi petitum eſt & conceſſum ea de conditione, ut præſtituto termino ſuam ſinguli ſententiam ſacræ ſcripturæ auctoritate confirmatam proferrent. Qua occaſione Paulinus libellum ſacroſyllabum, quem ipſe ſuo ſuorumque epiſcoporum ſuffraganeorum nomine adverſus novam hæreſin Felicianam ediderat, huic concilio obtulit; quo in publico patrum conſeſſu recitato & diligentiſſime examinato, Elipandus & Felix cum ſua hæreſi ſupra memorata condemnati fuerunt. Poſt latam damnationis & anathematis ſententiam, patres concilii ad epiſcopos Hiſpaniæ epiſtolam ſynodalem ſcripſerunt, qua ſingulas hæreticorum ſententias prolixius refutarunt: addidit ejuſdem argumenti Carolus Magnus, propterea quod ab eodem Elipando privatas literas accepiſſet. Præter ſupradictas hæreſes de D ſervitute & adoptione Chriſti Felicem etiam impugnaſſe venerationem imaginum aſſeritur in concilio Senonenſi in decret. fidei cap 14. Teſtatur idem Platina in Hadriano. Sabellicus enneade octava, libro 8. Alphonſus de Caſtro verbo *Imago.* Vaſquez libro 2. de adorat. diſp. 2. cap. 3. hanc ſententiam impugnat, ſed meo judicio non recte. Nam auctoritate Ionæ Aurelianenſis epiſcopi manifeſtum eſt, Claudium Taurinenſem diſcipulum Felicis Iconomachum extitiſſe: ergo ſine dubio errorem illum a Felice accepit, quo præceptore in rebus fidei utebatur.



VITA,

EPISTOLÆ ET DECRETA E

LEONIS PAPÆ III.

ANNO CHRISTI 795.

Leo tertius natione Romanus ex patre Azuppio ſedit annos viginti, menſes quinque, dies decem & ſeptem. Qui a parva ætate in veſtiario patriarchii enutritus, & educatus, omnemque eccleſiaſticam diſciplinam ſpiritualiter eruditus, tam in pſalterio, quamque in ſacris divinis ſcripturis pollens ſubdiaconus factus in presbyterii honorem provectus eſt. Erat enim vir caſtus, loquela facundus, & animo conſtans.

Vbi vero inveniebat aliquem præcipuum monachum, vel ſervum Dei, in colloquiis divinis A & oratione cum eo penitus vacare non ceſſabat. Et valde nimiſque hilaris in eleemoſynis exiſtebat, verum etiam & infirmorum prorſus maximus viſitator, prædicans illis * ſcripturaliter, * ut eorum animas in eleemoſynis redimerent.

Qui plures ejus prædicationibus annuentes, quidquid ille pro Chriſto * commendabat, occulte die noctuque pauperibus erogabant: Fructum animarum crebro * offerens ſalubriter Deo, & dum taliter in ipſo veſtiario præcipue degens ſplenderet, & ejus ſolertiſſimam curam ipſe veſtiarius diligeret, ab omnibus amantiſſime diligebatur. Quapropter divina inſpiratione una B concordia, eademque voluntate a cunctis ſacerdotibus ſeu proceribus, & omni clero, necnon & optimatibus, vel cuncto populo Romano Dei nutu in * natali beati primi martyris Stephani electus eſt, & ſequenti die in * natali ſancti Ioannis apoſtoli, & euangeliſtæ ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei pontifex in ſede apoſtolica ordinatus eſt. Erat enim eccleſiaſticarum rerum defenſor, & contrariorum fortiſſimus expugnator, & nimis mitiſſimus, & eidem eccleſiæ benevolus præclarus amator, tardus ad iraſcendum, & velox ad miſerandum, nulli malum pro malo reddens, neque vindictam ſecundum meritum tribuens, ſed pius ac miſericors a tempore ordinationis ſuæ omnibus C * ſtuduit juſtitias facere. Hic vero rogam clero ſuo in presbyterio maxime ampliavit. Fecit enim in baſilica beati Petri principis apoſtolorum nutritori ſuo thuribulum aureum ante veſtibulum altaris penſans libras decem & ſeptem. Imo & in confeſſione ejuſdem apoſtoli rugas ex auro puriſſimo cum gemmis diverſis penſantes libras quadraginta & novem. Item coronas majores argenteas tres penſantes libras trecentas & ſeptem. Verum etiam & cortinas albas holoſericas roſatas habentes in medio crucem de * chyſoclabo, & periclyſin de fundato unam.

Sarta vero tecta baſilicæ beati Petri apoſtoli, id D eſt, navem majorem, ſed & aliam navem ſuper altare cum quadriporticu ſimul & fontem, atque ante fores argenteas. Verum etiam & turrem cum cameris ſuis ab imo uſque ad ſummum omnia in omnibus noviter reſtauravit. Præſertim imaginem ſalvatoris cum reliquis miræ pulcritudinis depictam ad decorem ſupraſcriptæ eccleſiæ in faſtigio ſub arcu majori poſuit. Pari modo & in baſilica beati Pauli apoſtoli, atque in baſilica ſalvatoris inſtar imagines fecit, & conſtituit. Sarta vero tecta tituli beatæ Anaſtaſiæ, quæ a priſcis temporibus per incuriam marcuerant, & pene caſura erant, ſuo almo ſtudio noviter reſtauravit.

E Similiter & titulum ſanctæ Sabinæ ſtudioſe renovavit. In quo vero templo iſdem egregius præſul fecit ex argento coronas quinque penſantes libras quatuordecim. Caniſtra duo penſantia libras tres & ſemis. Gabatas * interraſiles novem penſantes libras undecim. Fecit autem & in baſilica beatę Dei genitricis, quæ appellatur ad præſepe, cyburium ex argento puriſſimo quod penſat libras ſexcentas & undecim. Simul & rugas argenteas in ingreſſu presbyterii penſantes libras octuaginta, atque cortinam majorem ſericam albam habentem periclyſin, & crucem de fundata.

Imo & in ſacratiſſimo altari majori fecit veſtem de chryſoclabo habentem hiſtoriam nativitatis, &

[ANNO CHRISTI 795.] [*quaquin-]

& sancti Simeonis, & in medio cheritismon. Simul etiam & in camera ejusdem ecclesiæ & in quadriporticu, necnon & coronas argenteas tres pensantes inibi libras centum*quadraginta quinque, & uncias novem. Interea & in basilica beati Christi martyris Laurentii sita foris muros fecit imagines argenteas tres salvatoris, beati Petri apostoli, & sancti Laurentii pensantes simul libras quinquaginta quatuor & semis. Et in sacro altari vestem sericam chrysoclabam habentem historiam dominicæ passionis, & resurrectionis. Itemque renovavit sarta tecta B. Felicis, & Adaucti martyrum juxta sanctum Paulum apostolum, sed & basilicam S. Mennæ, atque tituli beati Vitalis Christi martyris, necnon & cœmeterium B. Sixti atque Cornelii via Appia. Simulque & cœmeterium S. Zotici via Lavicana.

Pariter & ecclesiam sanctæ Dei genitricis, semperque virginis Mariæ dominæ nostræ sitam in Fonticana, quæ per olitana marcuerat. Fecit autem isdem præsul in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli confessionem, simul & rugas ex auro obrizo habente gemmas pretiosas instar beati Petri apostoli pensantes libras centum quinquaginta & sex. Et super ipsum sacrum altare imaginem auream habentem salvatorem, & duodecim apostolos pensantes libras septuaginta quinque, sed & cameram ejusdem basilicæ in modum beati Petri apostoli noviter fecit, præsertim & coronas argenteas tres pensantes in una libras ducentas, & viginti. Et vela holoserica majora sigillata habentia periclysin, & crucem de bathin, seu fundato numero quindecim. Vela promiscua majora de quadraplo investita, quæ pendent in arcubus quadraginta tria. Vela modica sigillata, quæ pendent in arcubus minoribus ornata quadraplo viginti. Item vela modica de stauracin, quæ pendent in arcubus decem, & alia decem, ex quibus tria habent periclysin de chrysoclavo. Item vela quatuor filo pari Alexandrina. Item velum alithino rotatu habens periclysin, rotas cum cancellis, & in medio crucem cum gemmis, & quatuor rotas de Tyrio filo pares.

Fecit autem in basilica beati Andreæ ad beatum Petrum apostolum rugas argenteas pensantes libras octuaginta. Verum etiam & in basilica salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, cameram miræ magnitudinis. Hic almificus præsul fecit in altari majori beati Petri apostolorum principis vestem chrysoclabam preciosis gemmis ornatam habentem historias tam salvatoris beato Petro apostolo ligandi solvendique potestatem tribuentis, quamque principum apostolorum Petri ac Pauli passionem figurantes miræ magnitudinis in natale apostolorum resplendentem.

Item fecit vestem in titulo Eudoxiæ super altare Tyriam habentem grypas majores, & duas rotas chrysoclabas cum cruce, & periclysin, blathin, & chrysoclavum. Hic autem præcipuus præsul fecit in basilica beati Petri apostoli pharum argenteum ante presbyterium cum gabathis argenteis triginta, & canistrum octogoni in medio pensantia libras sexaginta & tres; & in cantharis argenteis tam in circuitu altaris, quam in presbyterio posuit cerostata argentea pensantia inibi libras ducentas & duodecim. Et in altare beatæ Petronillæ posuit vestem de stauraci unam habentem periclysin de blattis, seu chrysoclabo.

A Fecit autem & in basilica salvatoris, quę & Constantiniana, vestem habentem historiam crucifixi, & de resurrectione domini nostri Iesu Christi habentem periclysin de chrysoclabo. Sed & in basilica beati Clementis vestem de stauracin unam habentem periclysin de chrysoclabo. Fecit etiam & in arcubus argenteis ecclesiæ Dei apostoli vela de stauracin valde pulcerrima. Ipse vero præcipuus pontifex in titulo beatæ Susannæ ubi & presbyter ordinatus fuerat, dum breviter destructus fuisset, & jam per longitana tempora ipsæ parietinæ marcuissent, ob nimium amorem ampliavit ædificium, & noviter in altum fodiens firmissimum posuit fundamentum, B & eruta planitie mirifice excelsa super ipsa fundamenta ædificavit ecclesiam cum apsida amplissima, & cacumina mirifica de musivo, atque cameram decoratam, seu presbyterium, & pavimentum marmoribus pulcris ornavit. Verum etiam dextra lævaque, & porticus ejus cum columnis marmoreis construxit. Sed & baptisterium ibi constituit, ubi & dona obtulit, videlicet gabathas aureas fundatas tres, pẽsantes libras quatuor & semis: cruces aureas duas cum gemmis pensantes libram unam, tum virgas argenteas pensantes libras tres, & uncias septem: lucernam argenteam unam pensantem libras quinque: imagines argenteas tres pensantes libras C triginta quinque. Fecit & confessionem ejusdem altaris ex argento purissimo pensantem libras centum tres & uncias duas. Columnas argenteas octo & gammadia duo & arcus duos cum crucibus argenteis quinque, & gabathas quindecim pensantia simul libras centum quinquaginta. Crucem diacopton pensantem libras quatuordecim. Canistrum ex cede Cafotii pensans libras duodecim & semis. Coronam majorem de argento unam cum delphinis triginta duobus pensantem libras 32. Necnon & canistrum argenteum unum pensans libras decem & octo, sed & aliud canistrum argenteum pensans libras decem & octo. Vasa colatoria argentea deaurata pensantia libras quatuor, & uncias tres. Gabathas argen- D teas habentes gryphos deauratos pensantes libras duas. Coronas argenteas duas cum delphinis decem & octo pensantes libras decem & novem. Enimvero isdem præcipuus antistes fecit in eadem ecclesia vestem chrysoclabam cum periclysi cum chrysoclabo unam: sed & aliam vestem de blatthin habentem in medio crucem de chrysoclabo. Et tabulas chrysoclabas quatuor cum gemmis ornatas, atque gammadias in ipsa veste chrysoclabas quatuor cum periclysi de chrysoclabo. Fecit autem & in patriarchio Lateranensi triclinium majus super omnia triclinia nomini suæ magnitudinis decorata, ponens in eo funda- E menta firmissima, & in circuitu laminis marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis stravit. Et diversis columnis, tam porphyreticis quamque albis, & sculptis cum vasibus, & liliis simul postibus decoravit cameram apsida de musivo, & alias duas absidas diversas historias pingens super marmorum incrustatione, pariter in circuitu decoravit. Et in basilica beatæ Priscæ fecit isdem antistes calicem fundatum superauratũ unum, & coronas tres. Ex quibus unam habentẽ delphinos decem & alias duas numero novẽ, sed & gabathas octo pensantes simul libras 20. novẽ. Vestẽ albam holosericam ornatã in circuitu blatthi Byzanteo, & in frontę crucẽ de chrysoclabo.

ANNO CHRISTI 795.

ANNO CHRISTI 795.

Hic autem venerabilis, & sanctissimus præsul dum in sancta catholica, & apostolica Romana ecclesia per ordinem ecclesiasticum degeret, & ritum orthodoxæ fidei teneret, atque ex omni parte tam per diversas ecclesias, quamque in partriarchio in amplis ædificiis construens compte ornaret, cum die quadam more solito in litaniis quæ ab omnibus majores appellantur procederet, ubi sibi populus obviam sacra religione occurrere deberet, & secundum annuam consuetudinem litanias, & missarum solennia cum sacerdotibus celebraret & omnipotenti domino pro salute * Christianorum populi preces funderet, & secundum olitanam traditionem a notario sanctæ Romanæ ecclesię, in ecclesia beati Georgii Christi martyris in ejus natali ipsa litania prædicata fuisset, omnes tam viri quamque feminæ devota mente catervatim in ecclesia beati Christi martyris Laurentii, quæ Lucinę nuncupatur, ubi & collecta prædicta inerat, occurrerunt. Vbi dum prædictus venerabilis pontifex a patriarchio egressus fuisset, obviam illi sine planeta iniquus nec dicendus Paschalis primicerius occurrit, & in hypocrisi veniam ab illo petebat dicens, Quia infirmus sum, & ideo sine planeta veni. Tunc sanctissimus præsul veniam illi dedit similiter & Campulus sacellarius, in ipsorum dolositate pariter in pontificali obsequio pergentes, & dulcia verba quæ non habebant in pectore cum eo loquentes, maligni etiam & iniqui ac perversi, falsique Christiani, prorsus pagani, filii diaboli, in unum se sathanice colligentes, pleni iniqua cogitatione in ipso itinere ante monasterium sanctorum Stephani & Silvestri, quod domnus Paulus papa fundaverat, clam armati adstitere, atque repente de loco insidiarum exilientes ad ipsum (quod dictu nefas est) impie trucidandum absque ulla reverentia confluxerunt, Paschale ad caput stante, & Campulo ad pedes secundum iniquum eorum consilium. Quo facto, omnis qui circa eum erat populus, videlicet inermis, & in Dei officio præparatus, timore armorum perterritus in fugam conversus est. Ipsi vero insidiatores atque operatores malorum Iudaico more sine ullo divino vel humano honoris intuitu, ferino more comprehendentes, in terram eum projecerunt, & absque ulla misericordia scindendo exspoliantes eum, crudeliter oculos ei evellere, & ipsum penitus cæcare conati sunt. Nam lingua ejus præcisa est, & ut ipsi omnino tunc arbitrati sunt, cæcum eum, & mutum in media platea dimiserunt. Verum ipsi maligni Paschalis, & Cāpulus sicut veri pagani, & impii ad ipsius monasterii ecclesiam ante confessionem eum trahentes, ante ipsum venerabile altare iterum oculos & linguam amplius crudeliter eruerunt, & plagis eum diversis, & fustibus cædentes laniaverunt, & semivivum in sanguine revolutum ante ipsum altare dimiserunt, postmodum vero sub custodia in ipso monasterio dimiserunt. Timore autem perterriti, ne a Christianis hominibus furatus inde fuisset: tunc malignum consilium adepti, sicut ipse Hegumenus monasterii sancti * Erasmi professus est, fecerunt eum ad se venire clam per noctem, tam Paschalis malignus, qui tunc primicerius erat, quam Campulus sacellarius & Maurus Nepesinus, & miserunt eum in prædictum monasterium sancti Silvestri cum pluribus iniquis consentaneis ipsorum malefactoribus. Et sic per noctem eum exinde * abstollentes deduxerunt in monasterium sancti Erasmi, & in arcta & angusta custodia eum recluserunt. Sed Deus omnipotens qui eorum malitiam præsciendo diu patienter sustinuit, ipse eorum iniquos conatus mirabiliter destruxit. Contigit enim cooperante Deo, & beato Petro apostolo suffragante, quod antedictus papa cum ab ipsis carnificibus in monasterium sancti Erasmi in custodiam mitteretur, domino annuente, atque beato clavigero Petro regni cælorum suffragante, ut visum receperit, & lingua ad loquendum illi restituta sit.

*Christiani

*Gerasimi

*abstinentes [partly cut off]

Et ut ostenderet omnipotens Deus super suum famulum solitam misericordiam & magnum miraculum, divino nutu ejus a fidelibus Christianis viris, videlicet per Albinum cubicularium cum aliis fidelibus Deum metuentibus, ex ipso eum claustro occulte abstollentes in basilicam beati Petri apostolorum principis, ubi & ejus sacratissimum corpus quiescit, deduxerunt. Qui omnes audientes & videntes mirabilia Dei, qui innocentem & justum pontificem de manibus inimicorum eruit, glorificaverunt dominum Deum, dicentes: *Benedictus dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus, & non deseruit sperantes in se.* Sed in eo adimplevit misericordiam suam ut manifestaretur gloria Dei, & mirabilia in illo, quemadmodum promisit sperantibus in se, psalmista dicente: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, a quo trepidabo?* Et iterum: *Lucerna pedibus meis verbum tuum domine, & lumen semitis meis.* Et vere a tenebris eum dominus eripiens, lumen reddidit & linguam ad loquendum restituit, & totis * ejus solidavit membris, & in omnibus operibus mirabiliter deducens confortavit. Et quantum gaudium habuerunt Christiani homines & fideles, tantum mœrore & tristitia angustiati illi nesciebant quid agerent, & in periculo se esse existimantes, quærebant semetipsos interficere. Et dum non invenirent quid aliud agerent, domum Albini fidelis beati Petri apostoli & ejusdem pontificis deprædantes destruxerunt, & in ipsam beati Petri apostoli aulam conjungente præfato pontifice confestim Vvinichis gloriosus dux Spoletanus cum suo exercitu obviavit ei, & cum summum pontificem videntem, & loquentem conspexisset, venerabiliter eum recipiens Spoletum deduxit, glorificans & laudans Deum, qui per talia mirabilia eum clarificavit. Quo audito per diversas civitates, Romanorum fideles ad eum occurrerunt, & pariter cum aliquibus ex ipsis civitatibus episcopis, presbyteris, clericis Romanis & primatibus civitatum, ad excellentissimum domnum Carolum regem Francorum, & Longobardorum, atque patricium Romanorum profectus est. Ipse vero Christianissimus & orthodoxus atque præcipuus clementissimusque rex illico ut audivit, misit in obviam ejus Hildivaldum archiepiscopum, & capellanum, & Ascharium comitem. Et postmodum proprium filium suum Pipinum excellentissimum regem cum aliis comitibus obviam ejus iterum, & usque ubi ipse magnus rex obviavit, & sicut vicarium beati Petri apostoli venerabiliter, & honorifice cum hymnis, & canticis spiritualibus eum suscepit, & pariter se amplectentes cum lacrymis se osculati sunt. Et prædicto pontifice

Psalm. [cut off]

Psalm. [cut off]

Psal.

*cum [cut off]

pontifice *Gloria in excelsis Deo* inchoante, & cuncto clero suscipiente, oratio super cuncto populo data est. Tunc benignissimus domnus Carolus magnus rex antedictum pontificem conspiciens gratias Deo retulit, qui tam magna mirabilia super famulum suum per suffragia principum apostolorum Petri, ac Pauli operatus est, & ad nihilum prædictos iniquos viros deduxit.

Qui dum in magno honore apud se per aliquantum temporis cum ipse serenissimus rex habuisset, hæc præfati iniqui, & filii diaboli audientes post dira & iniqua incendia, quæ in possessionibus, seu rebus beati Petri apostoli gesserunt, moliti sunt, Deo illis * contrario, falsa adversus sanctissimum pontificem imponere crimina, & post eum ad prædictum mittere regem, quod probare nequaquam * potuissent: quia B per insidias, & iniquitates eorum talia nec dicenda, sanctam ecclesiam humiliare volentes, proferebant. Sed dum ad prædictum clementissimum magnum regem præfatus pontifex in magno & condecenti honore degeret, ex omni parte tam archiepiscopis quamque episcopis, & ceteris sacerdotibus venientibus una cum * consilio ejusdem piissimi magni regis, omnibusque eximiis Francis, Deo prævio Romam illum * remeare in suam apostolicam sedem honorifice cum nimio, ut decuit, * miserunt honore. Qui per unam quamque civitatem tamquam ipsum suscipientes apostolum usque Romam deduxerunt.

Tunc Romani præ nimio gaudio suum recipientes pastorem, omnes generaliter in vigilia beati Andreæ apostoli, tam proceres clericorum cum omnibus clericis, quamque optimates & senatus cunctaque militia & universus populus Romanus cum sanctimonialibus, & diaconissis, ac nobilissimis matronis, seu universis feminis, simul etiam & cunctæ scholæ peregrinorum, videlicet Francorum, Frisonum, Saxonum, atque Longobardorum, simul omnes connexi ad pontem Milvium cum signis, & bandis, & canticis spiritualibus susceperunt, & in ecclesiam beati Petri apostoli eum deduxerunt, ubi & missarum solennia celebravit. Et omnes communiter corpus, & sanguinem domini nostri Iesu Christi fideliter participati sunt.

Et alia die secundum olitanam consuetudinem natale beati Andreæ apostoli celebrantes Romam intrans cum multo gaudio & lætitia in patriarchium Lateranense introivit.

Et post aliquantos dies fidelissimis missis, qui cum eo venerunt in pontificale obsequium, videlicet Hildivaldo, & Arno reverendissimis archiepiscopis, & Cuniberto, * Bernhardo, Hattone, & "Tesse reverendissimis & sanctissimis episcopis, nec non & Flacco electo episcopo, verum etiam Helmgoth, Rothegario, & Germano gloriosis comitibus residentibus in triclinio E ipsius domni Leonis papæ & per unam & amplius hebdomadam inquirentibus ipsos nefandissimos malefactores, quam malitiam * ab ipso ipsorum pontifice habuissent, tam Paschalis quamque Campulus cum sequacibus eorum nihil habuerunt adversus eum quod dicerent.

Tunc illos comprehendentes prædicti missi magni regis, emiserunt eos in Franciam. [c] Qui post modicum tempus ipse magnus rex dum in basilica beati Petri apostoli conjunxisset, & cum magno honore susceptus fuisset, fecit in eamdem ecclesiam congregari archiepiscopos, seu epi- A scopos, abbates, & omnem nobilitatem Francorum, atque Romanorum, & sedentes pariter tam magnus rex, quam beatissimus pontifex fecerunt residere & sanctissimos archiepiscopos, & abbates stantibus reliquis sacerdotibus, & optimatibus Francorum & Romanorum, ut crimina quæ adversus almum pontificem dicta fuerant, * declinarent. Qui universi archiepiscopi & episcopi, & abbates unanimiter audientes dixerunt: Nos sedem apostolicam, quæ est caput omnium Dei ecclesiarum judicare non audemus: nam ab ipsa nos omnes, & vicario suo judicamur; ipsa autem a nemine judicatur, quemadmodum & antiquitus mos fuit, sed sicut ipse summus pontifex censuerit, canonice obediemus. Venerabilis vero præsul inquit: Prædecessorum meorum pontificum vestigia sequor, & de talibus falsis criminationibus, quæ super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum. Alia vero die in eadem ecclesia beati Petri apostoli cum omnes adessent generaliter archiepiscopi, seu episcopi, & abbates, & omnes Franci qui in servitio ejusdem magni regis fuerunt, & cuncti Romani in eadem ecclesia beati Petri apostoli, in eorum præsentia amplectens præfatus venerabilis pontifex sancta Christi quatuor euangelia coram omnibus ascendit in ambonem, & sub jurejurando clara voce dixit: Quia de istis falsis criminibus quæ super me imposuerunt C Romani, qui inique me persecuti sunt, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco. Et hoc peracto omnes archiepiscopi, episcopi, & abbates, & cuncti clerici litania facta laudes dederunt Deo, atque Dei genitrici semperque virgini Mariæ dominæ nostræ & beato Petro apostolorum principi, omnibusque sanctis Dei.

Post hæc adveniente die natali domini nostri Iesu Christi, in jam dicta basilica beati Petri apostoli omnes iterum congregati sunt, & tunc venerabilis almificus pontifex manibus suis propriis pretiosissima corona coronavit * eum.

Tunc universi fideles Romani videntes tantam defensionem & dilectionem, quam erga sanctam Romanam ecclesiam & ejus vicarium D habuit, unanimiter altisona voce, Deo nutu atque beati Petri clavigeri regni cælorum exclamaverunt: *Carolo piissimo Augusto a Deo coronato, magno, pacifico imperatori vita & victoria.*

Ante sacram confessionem beati Petri apostoli plures sanctos invocantes, ter dictum est, & ab omnibus constitutus est imperator Romanorum. Illico sanctissimus antistes & pontifex unxit oleo sancto Carolum & excellentissimum filium ejus regem in ipso die natalis domini nostri Iesu Christi, & missa peracta post celebrationem missarum obtulit ipse serenissimus domnus imperator mensam argenteam cum pedibus suis pensantem libras......

Sed & in confessione ejusdem Dei apostoli obtulit una cum præcellentissimo filio suo rege & filiabus diversa vasa ex auro purissimo in ministerio ipsius mensæ pensantia libras...... Sed & coronam auream cum gemmis majoribus, quæ pendet super altare, pensantem libras quinquaginta quinque. Et patenam auream majorem cum gemmis diversis pensantem libras triginta. Et calicem majorem cum gemmis, & ansis duabus pensantem libras quinquaginta octo. Item calicem majorem fundatum cum scyphone pensantem libras triginta & septem. Imo & alium calicem majorem fundatum pensantem libras 36.

Anno Christi 795.

* examinarent.

* Carolum Magnum.

Carolus Magnus coronatur imperator.

ANNO CHRISTI 795.

Obtulit & super sacratissimum altare beati Petri apostoli, imo & in basilica beati Pauli apostoli mensam argenteam minorem cum pedibus suis pensantem libras 55. cum diversis vasis argenteis miræ magnitudinis, quæ ad usum ipsius mensæ pertinent.

Item in basilica salvatoris domini nostri Iesu, quam Constantinianam vocant, obtulit crucem cum gemmis hyacinthinis, quam almificus pontifex in litania præcedere constituit secundum petitionem ipsius piisimi imperatoris. Imo & altare cum columnis argenteis, & cyborio.

Verum etiam & euangeliũ ex auro mundissimo cum gemmis ornatum pensans libras...... Item & in basilica beatæ Dei genitricis Mariæ ad præsepe obtulit sicla argentea majora pensantia libras...... Postmodum vero cum deducti fuissent iniquissimi illi malefactores, videlicet Paschalis cum Campulo, & sequaces eorum in præsentia piissimi domini imperatoris, circumstantibus nobilissimis Francis & Romanis, & omnibus exprobrantibus de malis ipsorum consiliis & operationibus, increpabat Campulus Paschalem dicendo: Mala hora faciem tuam vidi, eo quod tu me misisti in istud periculum, & ceteri similiter, unus alterum condemnans manifestabant suos ipsorum reatus. Quos dum tam crudeles, & iniquos piissimus imperator cognovisset, in exilium in partibus Franciæ misit. Præfatus vero sanctissimus pontifex juxta ecclesiam beati Petri apostoli fecit in triclineo majori miræ pulcritudinis decoratam absidam de musivo ornatam, & absidas duas dextra lævaque super marmore & pictura splendentes, & in pavimento marmoreis exemplis stratis, cum ceteris amplis ædificiis, tam in ascensu scalæ, quamque post ipsum triclineum compte fecit. Itemque fecit in basilica beati Petri apostoli vestem chrysoclabam cum preciosis gemmis ornatam habentem historiam dominicæ resurrectionis. Sed & inter arcus argenteos vela serica alba, & vela de staurace pulcerrima. Post reversionem suam, & ob nimium amorem fecit eidem nutritori suo presbyterium noviter totum marmoreum magnæ pulcritudinis, sculptum, compteque erectum. Sed & super altare majus fecit tetravela holoserica alithina quatuor cum astillis, & rosis chrysoclabis.

Et in eodem altari fecit cum historiis crucifixi domini vestem Tyriam. Et in ecclesia doctoris mundi beati Pauli apostoli tetravela holoserica alithina quatuor, & vestem super altare albam chrysoclabam habentem historiam sanctæ resurrectionis. Et aliam vestem chrysoclabam habentem historiam nativitatis domini, & sanctorum Innocentium. Imo & aliam vestem Tyriam habentem historiam cæci illuminati, & resurrectionem. Idem autem sanctissimus præsul fecit in basilica beatæ Mariæ ad præsepe vestem albam chrysoclabam habentem historiam sanctæ resurrectionis. Sed aliam vestem in orbiculis chrysoclabis habentem historias annunciationis, & sanctorum Ioachim & Annæ. Fecit in ecclesia beati Laurentii foris muros idem præsul vestem albam rosatam cum chrysoclabo. Sed & aliam vestem super sanctum corpus ejus albam de stauraci chrysoclabam cum margaritis. Et in titulo Calixti vestem chrysoclabam ex blathin Byzanteo habentem historiam nativitatis domini, & sancti Simeonis. Item in ecclesia sancti Pancratii vestem Tyriam habentem historiam ascensionis domini, sed & in sancta Maria ad martyres fecit vestem Tyriam ut supra. Et in titulo sanctæ Sabinæ ut supra. Et in diaconia sancti Bonifacii ut supra. Et in diaconiis sanctæ Mariæ, quæ vocatur Cosmidin ut supra. Et in basilica sanctorum Cosmæ & Damiani fecit vestem de blathi Byzanteo cum periclysi de chrysoclabo & margaritis. Item in ecclesia sancti Valentini fecit vestem chrysoclabam, & aliam vestem fecit de fundato pulcerrimam. Et in diaconia sanctorum Nerei, & Achillei fecit vestem de stauraci. Et in diaconia sanctæ Dei genitricis, quæ vocatur dominica, fecit vestem de stauraci. Ipse vero almificus pontifex in venerabili monasterio sancti Sabæ fecit butronem argenteum cum canistro suo pensantem libras duodecim. Et vestem de stauraci cum chrysoclavo & margaritis. Item & in monasterio sancti Erasmi fecit vestem de stauraci cum cruce, & gamadiis, simul & paratrapetis suis cum periclysi de chrysoclavo. Verum etiam & in titulo Pammachii fecit vestes duas, ex quibus unam de stauraci cum periclysi de chrysoclavo. Et aliam vestem de inizino. Sæpedictus vero antistes sanctissimus ecclesiæ B. Andreæ apostoli sitæ in tricesimo via Appia in Silice sarta tecta noviter renovavit una cum baptisterio & porticus. In qua ecclesia presbyterium constituit, ubi & dona obtulit tam in argento, quamque in vestibus, & libris. Nona" vero indictione peccatis nostris imminentibus subito terræmotus factus pridie Kalendas Maii, & ecclesia beati Pauli apostoli ab ipso terræmotu concussa, omnia sarta tecta ruerunt. Quod conspiciens magnus & præclarus pontifex in magnam veniens tribulationem, lamentari cœpit tam pro argento quamque pro ceteris speciebus, quæ ibidem demolitæ & confractæ sunt. Sed domino annuente, & beato principe apostolorum protegente, præfatus pontifex & totis nisibus suis certamen ponens instar sicut antiquitus existebat ampla, & maxima fortitudine ponens in meliorem deduxit statum. Et in meliori specie eam marmoribus decoravit, tamque presbyterium, quamque totam ecclesiam marmoravit, & ejus porticus renovavit.

"An... non... Terr... tus ... Beat... eccle... corr...

Eccl... Paul... staur...

Simulque & in nave, quæ est super altare, sarta tecta omnia noviter restauravit, & tres imagines aureas ibidem obtulit, scilicet salvatoris domini nostri Iesu Christi, beatorum principum apostolorum Petri & Pauli. Sed & aliam imaginem argenteam salvatoris deauratam super postes in introitu posuit pensantem libras sexaginta. Sed & omne argenteum ibidem quod conquassatum fuerat noviter restauravit, necnon & fenestras ipsius ecclesiæ miræ pulcritudinis ex metallo Cyprino decoravit. Ipse vero præfatus pontifex fecit in basilica salvatoris, quæ vocatur Constantiniana, super altare vestes duas, ex quibus unam cum chrysoclavo & gemmis habentem historiam salvatoris introeuntis in sanctam civitatem, & in aliam chrysoclavam cum gemmis preciosissimis habentem historiam resurrectionis dominicæ. Et in circuitu altaris vela rubea serica quatuor, & alba quatuor cum chrysoclavo. Et tres ante imagines cum lista, & alias albas sericas numero septem & triginta. Et in altare beati Venantii fecit vestem de fundato cum velis duobus. Et in oratoriis sanctorum Ioannis Baptistæ & Ioannis euangelistæ, fecit vestes de stauraci cum chrysoclavo, & vela duo.

Dona... clesiæ... ranea...

Isdem vero præfatus pontifex super altare beati

ti Petri apostoli fecit vestem cum vite ex auro A purissimo cum gemmis preciosissimis & margaritis, habentem in medio vultum salvatoris, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, & duodecim apostolorum, ubi & misit auri libras viginti quinque. Et aliam vestem chrysoclavam habentem historiam litaniæ majoris. Sed & aliam vestem habentem tabulas chrysoclavas tres, & historiam dominicæ passionis legentem: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, & cetera. Similiter etiam & cortinam majorem de fundato. Verum etiam & per arcus argenteos fecit vela paschalia cum periclysi de stauraci ex quinque cum chrysoclavo nonaginta & tres, & in arcubus majora vela alba quadraginta & octo. Necnon & gabathas fecit ex auro purissimo quindecim cum B gemmis pendentes in pergula ante altare pensantes libras sexaginta quinque & semis. Sed & tabulam ante confessionem fecit ex auro purissimo pensantem libras viginti & novem. Verum etiam & imagines argenteas deauratas duas super * regias majores posuit pensantes libras nonaginta. Imo & canthara argentea duo in presbyterio fecit pensantia libras quinquaginta: necnon & fenestras ipsius ecclesię ex metallo Cypriano decoravit. Et alias fenestras de vitro diversis coloribus decoravit. Fecit & in basilica doctoris mundi B. Pauli apostoli vestem chrysoclavam habentem in medio salvatorem & dextra lævaque BB. Petrum & C Paulum gentibus prædicantes, cum periclysi de chrysoclavo & gemmis preciosissimis. Super altare B. Andreæ fecit vestem chrysoclavam cum margaritis, sed & presbyterium ex marmoribus ornavit. Et in altare B. Petronillæ fecit vestem albam holosericam cum tabulis de chrysoclavo, & cruce, & ibidem presbyterium ex marmoribus sculptis decoravit. Fecit & columnas argenteas sex & regulares duos ex argento purissimo pensantes simul libras octuaginta. Et super corpus B. Gregorii confessoris atque pontificis fecit vestem albam holosericam cum tabulis de chrysoclavo & cruce. Itemque fecit in basilica sanctæ Dei geni- D tricis ad præsepe cortinam Alexandrinam cum periclysi de stauraci, & aliam albam cum periclysi de stauraci, & aliam albam cum periclysi de blatthin pendentes super altare, & ante præsepe vela alba cum periclysi de blatthin. Necnon & intro rugas majores, atque ante secretarium, numero duodecim, & intus præsepe fecit vestem de alythino cum chrysoclavo. Imo & in Basilica beati Laurentii martyris foris muros fecit cortinam Tyriam cum periclysi de stauraci. In Basilica beati Pancratii martyris fecit cyborium ex argento purissimo, pensans libras trecentas sexaginta & septem. Et in titulo Callisti ad honorem E sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ fecit cyborium ex argento pensans libras quingentas quatuor & semis.

Et in titulo Eudoxiæ fecit vestem albam cum periclysi de chrysoclavo. Et in titulo sanctæ Cæciliæ fecit vestem de stauraci. Sed & in titulo sancti Eusebii fecit vestem de fundato. Et in titulo sancti Vitalis fecit vestem de stauraci cum cruce de chrysoclavo. Necnon & in titulo sanctæ Pudentianæ fecit vestem ut supra. Et in titulo sanctæ Anastasiæ fecit vestem de fundato. Fecit & in titulo sanctæ Praxedis vestem de stauraci cum periclysi de blatthin. Et in basilica B. Laurentii in Formoso fect vestem de quadrapulo.

Imo & in monasterio sancti Anastasii fecit vestem de chrysoclavo ejusdem cum martyris passione depicta, & pharum de argento cum canistro octogoni pensantes libras viginti quinque. Et in monasterio sancti Silvestri fecit vestes duas, unam in Basilica majori Byzantea cum chrysoclavo, & aliam de fundato in oratorio. In monasterio sanctæ Luciæ in Renatis fecit vestem de fundato cum chrysoclavo. Et in sancto Angelo in Fabiano fecit vestem de fundato. Et in diaconia sanctæ Luciæ in septem viis fecit vestem de fundato. In diaconia vero sanctorum Sergii & Bacchi fecit vestem de stauraci. In diaconia vero sanctæ Luciæ in Orfea fecit vestem de stauraci, & in diaconia sancti Eustachii fecit vestem de fundato. Ipse autem a Deo protectus venerabilis & almificus pontifex fecit in basilica beati Petri apostoli nutritoris sui in medio basilicæ crucifixum ex argento purissimo pensantem libras septuaginta & duas. Itemque fecit in patriarchio Lateranensi triclinium miræ magnitudinis decoratum cum absida de musivo, sed & alias absidas decem dextra lævaque diversis historiis depictas, habentes apostolos gentibus prædicantes, cohærentes basilicæ Constantinianæ, in quo loco & accubita collocavit, & in medio concham porphyreticam aquam fundentem. Necnon & pavimentum ipsius marmoribus diversis stravit. Fecit autem & in titulo sancti Quiriaci vestem de stauraci cum periclysi de blatthin, & in gyro chrysoclavum, & in medio crucem de margaritis. Imo & in cœmeterio sancti Sixti via Appia fecit vestem de stauraci, & in medio crucem de chrysoclavo. Verum etiam & in titulo Callisti super altare post absidam fecit vestem de stauraci, & in medio crucem de chrysoclavo, & ibidem similiter vela sex fecit de stauraci. Fecit & in titulo sanctorum quatuor Coronatorum vestem de stauraci habentem in medio crucem de chrysoclavo. Et in titulo sancti Marcelli fecit vestem de stauraci.

Simulque in ecclesia sanctæ martyris Sabinæ fecit vestem de fundato cum periclysi de blatthin habentem in medio crucem de chrysoclavo. Necnon in basilica sancti Laurentii in Formoso fecit vestem de fundato. Ecclesiam vero beati Pauli apostoli, quæ vocatur conventus, sitam in territorio Orbetano infra fines Suanenses, & Clusinenses, seu Tuscianenses, atque Castritana, quæ pro nimia vetustate jam immarcuerat, atque in ea pecudes refugium faciebant, necnon & ex ea reliquiæ ablatæ fuerant, isdem sanctissimus præsul pontifex mundari præcepit, & omnia sarta tecta ipsius in porticibus noviter restauravit, atque in altare ejus vestem de stauraci posuit, & reliquias recondi præcepit. Pari modo & in basilica beati Petri apostoli sita in Albano, quæ pro nimia vetustate jam ruitura erat, omnia tecta sarta ejus noviter restauravit. Fecit autem isdem almificus pontifex in basilica beati Hippolyti martyris in civitate Portuensi vestes de stauraci duas, unam super corpus ejus, & aliam in altari majori. Et in titulo sanctæ martyris Sabinæ tetra vela de stauraci cum periclysi de blatthin. Enimvero & in oratorio sanctæ Dei genitricis sito in xenodochio Firmis fecit vestem de stauraci pulcerrimam.

Ipse vero a Deo protectus, & præclarus pontifex constituit ut ante tres dies ascensionis dominicæ litaniæ celebrarentur, scilicet feria secunda, egrediente pontifice cum omni clero, & cuncto populo cum hymnis, & canticis spiritalibus ab ecclesia Dei genitricis ad præsepe pergendo

S. Silvestri. S. Luciæ. S. Petri. Laterani. S. Quiriaci. S. Sabinæ. S. Petri. S. Hippolyti. Litanias ante ascensionem dominicam instituit.

rex. orii. ren- ra- stasii terii.

gendo ad ecclesiam salvatoris, quæ appellatur Constantiniana. Feria tertia vero exeuntes ab ecclesia sanctæ Sabinæ martyris, & pergentes ad beatum Paulum apostolum. Feria quarta exeuntes ab ecclesia Ierusalem, & pergentes ad beatam ecclesiam beati Laurentii martyris foris muros. Fecit autem & in titulo sanctorum quatuor Coronatorum vestem de stauraci habentem in medio crucem de chrysoclavo.

S. Coronatorum 4.

Isdem vero sanctissimus præsul in basilica beati Agapiti martyris in civitate Prænestina fecit vestem de stauraci cum periclysi de fundato, & in medio crucem de chrysoclavo. Fecit isdem sanctissimus præsul in ecclesia beati Clementis quæ ponitur in Velitris, vestem de stauraci. Simili modo & in titulo beati Chrysogoni fecit B vestem de stauraci cum periclysi de blatthin. Et in titulo beati Laurentii de Lucina fecit vestem de stauraci cum periclysi de blatthin. Et in titulo beati Marci fecit vestem de stauraci cum periclysi. Et in titulo beati Laurentii in Damaso fecit vestem similiter. Simili modo & in titulo beati Sixti fecit vestem de stauraci cum periclysi de blatthin, necnon & in diaconia beati Hadriani, & in ecclesia beatæ Martinæ, & in diaconia antiqua fecit vestes de stauraci cum periclysi. Simili modo & in diaconia beati archangeli fecit vestes tres, ex quibus unam de stauraci cum periclysi de blatthin, & alias duas de Tyrio cum periclysi de fundato cum historia de elephantis. Imo & in diaconia sancti Theodori fecit vestem de stauraci cum periclysi. Et in diaconia beati Georgii fecit vestem de fundato cum historia de elephantis, seu diversis historiis cum periclysi de fundato. Fecit & in diaconia in gyro vestem de stauraci cum periclysi de blatthin. Simili modo & in diaconia in via Lata fecit vestes duas de Tyrio cum periclysi de blatthin.

Prænefte. S. Laurentii. S. Sixti. S. Theodori.

Et in diaconia sanctæ Agathæ fecit vestem de stauraci cum periclysi de blatthin. Fecit in basilica beati archangeli quæ ponitur in septimo, vestem de stauraci cum periclysi de blatthin. Et in monasterio sancti Agapiti quod ponitur ad vincula, fecit vestem de stauraci. Idem vero misericordissimus præsul fecit in ecclesia beatæ D Agnetis martyris, ubi ejus corpus requiescit, vestem de fundato cum periclysi de blatthin. Et in ecclesia beati Apollinaris fecit vestem de stauraci cum periclysi de blatthin. Isdem misericordissimus præsul fecit & in titulo sancti Martini, & Silvestri vestes de stauraci duas, e quibus unam cum periclysi de fundato, alias vero de blatthin.

S. Agnetis. S. Apollinaris.

Et in diaconia sancti Viti fecit vestem de stauraci cum periclysi de fundato. Enimvero & in ecclesia beatæ Eugeniæ, in qua sanctum corpus ejus requiescit, fecit vestem de stauraci cum periclysi de blatthin. Fecit & in ecclesia sancti Stephani in E Cælio monte vestes de stauraci duas, in quibus unam in altari majori, aliam vero super corpora sanctorum martyrum Primi & Feliciani.

S. Viti. S. Stephani.

Simulque & in basilica beatæ Euphemiæ fecit vestem de stauraci, & in basilica beati archangeli, quæ ponitur in vico Patricii, fecit vestem de stauraci.

Fecit & super sepulcrum beati Sebastiani martyris via Appia ad Catacumbas vestes majores duas, ex quibus unam de stauraci, & aliam de fundato. Et inibi super tumbas apostolorum Petri ac Pauli fecit vestes duas de stauraci & fundato, seu blatthin. Isdem vero sanctissimus præsul fecit in basilica beati Laurentii martyris sita infra civita- A tem Tiburtinam, vestem de stauraci. Fecit & in oratorio sancti Stephani in sancto Petro, qui appellatur major, vestem de stauraci. Fecit autem & in basilica beati Hyacinthi sita in Sabinis, ubi & corpus ejus requiescit, vestem de stauraci pulcherrimam. Idem a Deo protectus, & præclarus pontifex fecit super altare beati Petri apostoli fautori suo vestem de chrysoclavo miræ magnitudinis habentem historiam dominicæ nativitatis cum gemmis preciosissimis, & margaritis ornatam. Fecit autem in supradicta ecclesia vela de stauraci atque de fundato pendentia inter columnas majores dextra lævaque numero sexaginta quinque. Et alia vela alba holoserica majora tria, quæ pendent ante regias in introitu. Atque ibidem ejus beatitudo fecit crucifixum ex argento purissimo, qui stat juxta altare majus miræ magnitudinis decoratum pensantem libras quinquaginta duas: cui super fecit gabathas sex cum cruce ex argento purissimo, quæ pendent ante arcum majorem dextra lævaque, pensantes simul libras duodecim & semis.

S. Sebastiani. Tiburi. S. Pe

Enimvero & inibi fecit præclarus pontifex vela de stauraci, quæ pendent in arcubus argenteis in circuitu altaris, & in presbyterio numero nonaginta & sex, ex quibus duo habentia in medio cruces de chrysoclavo cum orbiculis, & alias octo cum periclysi de chrysoclavo. Necnon & arcus C cum columnis suis fecit ex argento purissimo in supradicta ecclesia, & in medio presbyterio pensantes simul libras ducentas quinquaginta & unam & semis. Isdem vero almificus pontifex fecit ubi supra crucem anaglypham inter asilem, ex auro mundissimo pendentem in pergula ante altare cum candelis duodecim, pensantem libras tredecim.

Prædictus quoque venerabilis pontifex fecit in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli calices majores fundatos ex argento purissimo ex ipsius apostoli donis, qui pendent in arcu majore numero undecim, & alios qui pendent inter columnas majores dextra lævaque numero quadraginta pensantes simul libras ducentas sexaginta & septem.

S. Pau

Hic idem almificus præsul divina inspiratione repletus fecit in basilica beati Pauli apostoli cyborium cum columnis suis super altare miræ magnitudinis, & pulcritudinis decoratum ex argento purissimo pensans libras bis mille & quindecim. Necnon & crucem anaglypham interrasilem ex auro purissimo pendentem in pergula ante altare, pensantem libras tredecim: Atque velum rubeum, quod pendet ante altare habens in medio crucem de chrysoclavo, & periclysin de chrysoclavo.

Pari modo & in basilica sanctæ Dei genitricis ad præsepe fecit gabathas quinque ex auro purissimo, pensantes libras octo & semis, atque crucem ex auro purissimo pensantem libras decem, necnon & coronam majorem ex argento purissimo pensantem libras triginta sex. Enimvero & inibi fecit vela alba holoserica pendentia inter columnas majores dextra lævaque numero quadraginta duo, ex quibus undecim rosata. Fecit & in circuitu altaris ubi supra alia vela alba holoserica rosata, quæ pendent in arcu de cyborio numero quatuor, ex quibus unum cum chrysoclavo & margaritis, atque velum aliud majus album, quod pendet ante regias majores in introitu. Sarta tecta vero ecclesiæ beatæ Aureæ sitæ in Ostia omnia noviter reparavit. Ecclesiam vero

B. Ma Ostiæ

vero B. Marcelli sitam in quartodecimo, quæ ab igne fuerat exusta, isdem almificus præsul in omnibus noviter restauravit. Ipse vero præclarus pontifex fecit in basilica salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, tetravela in circuitu altaris alba holoserica, ex quibus unum habet in medio tabulam cum cruce de chrysoclavo. Imo & in eadem basilica salvatoris domini nostri Iesu Christi renovavit altare majus miræ magnitudinis decoratum ex argento purissimo pensante libras 69. Fecit & in basilica sanctæ Dei genitricis ad præsepe vestem chrysoclavam cum margaritis ornatam, habentem historiam dominicæ nativitatis. Simul etiam & arcus duos ex argento in presbyterio cum columnis quatuor, & alios arcus quinque pensantes libras centum triginta & tres. Isdem vero præcipuus præsul fecit in basilica sanctæ Dei genitricis ad præsepe vestem rubeam alythinam habentem in medio tabulam de chrysoclavo cum historia domini nostri Iesu Christi & sancti Simeonis, quando in templo est præsentatus. Et in circuitu listam de chrysoclavo. Necnon & aliam vestem chrysoclavam habentem historiam transitus sanctæ Dei genitricis miræ magnitudinis & pulcritudinis decoratam ex gemmis preciosis, & margaritis ornatam cum periclysi de chrysoclavo, & in circuitu listam de chrysoclavo. Verum etiam & in diaconia ipsius Dei genitricis dominæ nostræ, quæ appellatur dominica, fecit vestem rubeam alythinam habentem in medio tabulam de chrysoclavo cum historia ejusdem Dei genitricis ex margaritis ornatam, & periclysin de chrysoclavo. Fecit autem & in diaconia ipsius Dei genitricis, quæ appellatur antiqua, super altare majus cyborium ex argento purissimo, pensans libras ducentas & duodecim.

Præfatus vero venerabilis & præclarus pontifex fecit in basilica B. Petri apostoli nutritori suo gabatham ex auro purissimo anaglypham cum gemmis preciosis ornatam, quæ pendet ante imaginem ipsius apostoli in ingressu vestibuli, pensantem libras septem & semis. Faciem vero sacri altaris ipsius apostolorum principis ab imo usque ad summum cum luminaribus inferius superiusque, necnon & intra confessionem salvatorem stantem dextra, lævaque ejus B. apostoli Petri, & Pauli habentes pariter coronas ex gemmis preciosis, atque pavimentum ipsius confessionis investivit ex auro fulvo nimis pensante libras quadringentas quinquaginta & tres & uncias sex. Verum etiam super ipsum sacrum altare fecit vestem chrysoclavam habentem historiam dominicæ ascensionis, & pentecosten cum periclysi de chrysoclavo.

Pari modo ubi supra fecit imaginem ipsius apostolorum principis in porta virorum ex auro purissimo, & gemmis preciosissimis miræ magnitudinis & pulcritudinis decoratam, pensantem libras decem & novem & uncias tres. Præsertim vero isdem beatissimus pontifex fecit ubi supra cancellos fusiles in ingressu presbyterii, seu in dextra parte, lævaque, nec non & in ingressu vestibuli ex argento mundissimo, pensantes simul libras mille, quingentas septuaginta & tres. Simulque & columnas * volatiles tam in ingressu corporis dextra, lævaque ex parte virorum, ac mulierum paria octo pensantes simul libras centum nonaginta, nec non & arcus argenteos octo pensantes simul libras centum quadraginta & tres.

Anno Christi 795.

S. Andreæ. Fecit autem isdem beatissimus pontifex in basilica B. Andreæ, ubi supra, regnum ex auro purissimo cum gemmis preciosis ornatum pensans libras duas, & uncias quinque.

S. Petronillæ. Nec non & super altare B. Petronillæ, ubi supra, fecit regnum aureum cum gemmis preciosissimis, pensans libras duas & uncias tres. Simili modo & super altare sanctæ Dei genitricis ubi supra, quæ appellatur Mediana, fecit vestem de fundato cum periclysi de chrysoclavo habentem historiam annunciationis domini. Fecit autem isdem beatissimus pontifex in basilica doctoris mundi B. Pauli apostoli canistros ex argento puro numero 47. pensantes simul libras ducentas quadraginta & septem. (S. Pauli.) Et in monasterio sanctæ Agathæ martyris super Suburram fecit vestem rubeam alythinam habentem in medio tabulam de chrysoclavo cum periclysi de chrysoclavo. (S. Agathæ.) Nec non & in monasterio S. Pancratii sito post basilicam salvatoris, quam Constantinianam vocant, fecit vestem de fundato. (Salvatoris.) Hic fecit B. Petro apostolo fautori suo euangelia aurea cum gemmis prasinis atque hyacinthinis & albis miræ magnitudinis in circuitu ornata, pensantia libras decem & septem & uncias quatuor. Hic fecit calicem aureum præcipuum diversis ornatum lapidibus preciosis pensantem libras viginti octo. Similiter & patenam auream pensantem libras viginti octo, & uncias novem.

Pari modo in basilica ipsius apostoli fecit cherubim ex argento purissimo deauratos quatuor, qui stant super capita columnarum argentearum sub cyborio pensantes libras nonaginta & tres. Fecit quoque isdem præcipuus præsul ubi supra imaginem salvatoris auream, quæ stat in trabe super ingressum vestibuli pensantem libras 79 Fecit autem in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli angelos ex argento purissimo deauratos duos, qui stant juxta imaginem salvatoris in ingressu vestibuli, pensantes libras centum & semis. (B. Pauli.) Verum etiam & "policandilum porphyreticum pendentem in pergula ante confessionem in catenulis aureis, quæ pensant libram unam. (" polycandelum) Præsertim & in ingressu basilicæ, ubi supra regias majores fecit imagines ex argento quinque pensantes inibi libras ducentas viginti & novem. Enimvero ubi supra fecit aquamanus antipempto deauratas paria duo, pensantes simul libras quatuordecim. Fecit autem isdem præsagus antistes, ubi supra, cerostatas majores versatiles anaglyphos ex argento purissimo, pensantes simul libras octuaginta & sex & uncias octo Atque lucernas majores fusiles bimyxas anaglyphas, duas pensantes inibi libras 57. & constituit ejus beatitudo, ut quotidianis noctibus ante altare ipsius apostoli ardere debeant.

Hic divina adspiratus gratia investivit trabem majorem, quæ est sub arcu principali ex argento mundissimo pensante libras mille trecentas quinquaginta & duas.

Fecit autem hic præclarus pontifex ubi supra in altari majori vestem chrysoclavam miræ magnitudinis, & pulcritudinis decoratam, habentem historiam salvatoris domini nostri Iesu Christi sanctæque ejus genitricis, & duodecim apostolorum cum periclysi de chrysoclavo, undique cum margaritis ornatam, & ab utrisque lateribus blattin cum chrysoclavo decoratam, quæ in natalibus apostolorum isdem egregius præsul ibidem poni constituit. Fecit autem ibi super crucē majorem ex auro fulvo nimis panoclystam ornatam

ANNO CHRISTI 795. gemmis pretiosis, pensantem libras 42. & uncias duas. Nec non & cerostrata paria quatuor investita, ex argento deaurato pensantia simul libras septuaginta & septem.

S. Petronillæ. Fecit autem venerabilis & præclarus pontifex super altare beatæ Petronillæ cyborium cum columnis porphyreticis ex argento purissimo miræ magnitudinis decoratum pensans libras trecentas quadraginta & octo, atque imaginem argenteam stantem sub arcu de ipso cyborio pensantem libras decem & semis.

S. Pauli. Ipse vero a Deo protectus & præclarus pontifex fecit in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli super altare majus vestem chrysoclavam habentem historiam dominicæ resurrectionis cum margaritis ornatam, & periclysin de chrysoclavo. Similiter ex margaritis ornatas imagines apostolorum duas ex argento deauratas pensantes libras octuaginta & sex.

S. Mariæ. Hic vero misericordissimus pontifex fecit in basilica sanctæ Dei genitricis ad præsepe super altare vestem chrysoclavam habentem historiam dominicæ resurrectionis miræ magnitudinis & pulcritudinis decoratam cum periclysi de chrysoclavo undique ex margaritis ornatam.

Et in titulo sanctæ Dei genitricis, quæ appellatur Callisti, fecit regnum ex auro purissimo pendens super altare majus ex gemmis preciosis ornatum, pensans libram unam.

Atque in diaconia ipsius Dei genitricis, quæ appellatur dominica, fecit regnum ex auro mundissimo pendens super altare majus ex gemmis preciosis ornatum pensans libras duas. Hic beatissimus præsul divina inspiratione repletus fecit in basilica Dei genitricis ad præsepe in ingressu præsepii regias vestias ex argento purissimo, pensantes simul libras centum viginti & septem, & super ipsas regias velum modicum fundatum habens in circuitu listam de chrysoclavo. Nec non & alia vela Tyria super regias majores tria in ingressu basilicæ cum periclysi de fundato.

S. Petri. Fecit autem isdem egregius præsul in basilica beati Petri apostoli calices majores ex argento mundissimo, qui sedent super trabes argenteas numero decem & octo pensantes simul libras centum octuaginta duas. Nec non, ubi supra, fecit cerostatas majores fusiles ex argento purissimo, qui stant ante confessionem, pensantes libras centum nonaginta octo. Investivit vero super trabem ex argento mundissimo, quæ est super im- ginem auream in ingressu vestibuli, pensante libras centum viginti sex & semis. Verum etiam ubi supra fecit lucernas fusiles duas ex argento purissimo pensantes simul libras viginti & septem. Et hoc constituit ut dominicorum die, vel in sanctis solennitatibus hinc inde juxta lectorium consisterent, & ad legendum sacras lectiones luminis splendore refulgerent.

S. Andreæ. Hic fecit ad beatum Andream apostolum cyborium ex argento purissimo super altare majus pensans libras trecentas & quinque. Hic autem præcipuus pontifex divinitus inspiratus baptisterium ubi supra conspiciens, quia jam præ nimia vetustate ruinæ proximum inerat, & quia angustior locus populi existebat, qui ad baptismum veniebat, isdem præsul a fundamentis ipsum baptisterium in rotundum ampla largitate construens in meliorem erexit statum, atque sacrum fontem in medio largiori spatio fundavit, & in circuitu columnis porphyreticis decoravit, & in medio fontis columnam posuit, & super colum- (Baptisterii renovatio.)

nam agnum ex argento purissimo fundentem aquam, qui pensat libras decem & octo & uncias decem. Necnon & altare majus sub absida construxit, cujus faciem, atque confessionem seu rugas ad decorem ipsius sacri altaris investivit ex argento mundissimo pensante simul libras quadraginta & octo. Verum etiam & vestem de stauraci super eam posuit, atque regularem ibi superinvestitum ex argento purissimo fecit. Et super ipsum regularem posuit arcum & gammadias ex argento, pensantia simul libras octuaginta. Necnon imagines tres ubi supra posuit, pensantes inibi libras triginta & septem & uncias decem. Ipsum vero baptisterium diversis in circuitu decoravit picturis.

S. Cr[ucis]. Oratorium vero sanctæ crucis ubi supra, quod jam præ nimia erat vetustate ruiturum, hic præcipuus pastor a fundamentis simul cum absida novo ædificio erexit, & ad perfectum usque perduxit, atque ipsam absidam ex musivo diversis decoratam picturis, atque marmoribus miro splendore ornavit, ubi & obtulit ciborium super altare cum columnis suis, atque faciem ipsius altaris investivit ex argento purissimo pensante libras centum viginti & unam & uncias duas. Regnum spanoclystum ex auro purissimo cum cruce in medio pendens super ipsum altare, pensantia libram unam & uncias undecim. Necnon & alias columnas argenteas quatuor & super ipsas columnas regularem investitum ex argento purissimo pensantes inibi libras sexaginta & quatuor & uncias tres. Arcus argenteos tres pensantes libras quadraginta & tres & uncias octo. Imagines argenteas deauratas tres pensantes inibi libras triginta. Canistros argenteos *a* intersatiles duodecim pensantes simul libras septuaginta & octo. Gabathas argenteas intersatiles fundatas viginti unam, & crucem unam, pensantes in unum libras quinquaginta. Vestem super altare de fundata unam, & aliam de blatthin cum chrysoclava, necnon & aliam vestem albam rosatam cum chrysoclavo. Velum modicum chrysoclavatum cum crucifixo & margaritis ornatum. Vela de stauraci septem, vela de fundato quatuor, vela modica, quæ pendent in regulari ante imagines Tyrias, sex. Vela alba serica ornata in circuitu de fundato duodecim. Velum majus album rosatum ornatum desuper de quadrapulo unum, & aliud velum rubeum cum bubalo, quod pendet ante regias majores. Vela modica de stauraci quatuor; quæ pendent in regulari ante imagines, sed & alia vela promiscua serica numero undecim. Fecit ubi supra ad fontes vela Tyria tria, quæ pendent in regulari ante imagines, & alia vela serica numero viginti unum.

a inte[r]les

B. Petri. Hic fecit beato Petro apostolo nutritori suo calicem aureum præcipuum * spanoclystum diversis ornatum lapidibus preciosis pensantem libras triginta. Pari modo fecit & patenam auream spanoclystam similiter diversis ornatam preciosis lapidibus pensãtem libras viginti quinque. Fecit vero super cyborium de altari majori beato Petro apostolo canthara majora quatuor ex argento purissimo habentia in medio cereos ex argento deauratos, pensantia in unum libras centum & 40. Prædictus vero, & præclarus pontifex fecit ubi supra thuribulum apostolicum ex auro purissimo pensans libras duas & uncias quinque. Fecit vero vestem supra altare majus chrysoclavam diversis ornatam picturis, quam constituit quatuor temporibus per annum in duodecim

* epano[cly]stum.

decim lectionibus ibidem ponere. Fecit ubi supra coronas majores ex argento purissimo quatuor pensantes simul libras centum quinquaginta quatuor & semis. Fecit vero ubi supra lectorium ex argento purissimo miræ magnitudinis decoratum, pensans libras centum quadraginta & tres. Nec non & cerostatas ex argento mundissimo stantes juxta ipsum lectorium pensantes simul libras quadraginta & novem. Verum etiam & super ipsas cerostatas fecit lucernas fusiles bimyxas duas ex argento puro pensantes libras viginti & septem. Et hoc constituit, ut dominicorum die, vel in sanctis solennitatibus hinc inde juxta lectorium consisterent, & ad legendum sacras lectiones luminis splendore fulgerent. Pharocantharos fecit in presbyterio numero quatuordecim ex argento mundissimo, pensantes simul libras quadringentas triginta & tres. Necnon columnas octo, & arcus quatuor fecit ex argento pensantes inibi libras centum septuaginta & tres.

Fecit vero ubi supra calices fundatos ex argento, qui pendet inter columnas majores dextra lævaque basilicæ numero sexaginta quatuor, pensantes pariter libras quadringentas sexaginta & unam.

Isdem vero præsagus antistes ubi supra ad beatum Andream apostolum investivit altare majus ex argento purissimo deaurato miro decore ornato, quod pensat undique libras centum triginta quinque. Cantharas ex argento purissimo duodecim pensantes simul libras quinquaginta & duas. Canistros duodecim ex argento pensantes libras septuaginta & octo.

Investivit vero altare beatæ Petronillæ ex argento purissimo deaurato diversis ornatum picturis, undique pensante libras centum sexaginta & duas & uncias octo. Nec non investivit altare beati Gregorii confessoris atque pontificis ex argento deaurato undique pensante libras centum viginti & septem.

Fecit ubi supra in gremio basilicæ beati Petri apostoli cortinam majorem Alexandrinam holosericam habentem in medio adjunctum fundatum, & in circuitu ornatum de fundato. Verum etiam isdem præcipuus præsul fecit thuribula apostolica ex auro purissimo duo, ex quibus unum misit intus super corpus ejus, quod pensat libras duas, & alterum pensans libras duas, & uncias octo, quod præcedit per stationes.

Hic vero almificus præsul fecit in basilica beati Pauli apostoli thuribula apostolica ex auro purissimo duo. Hic vero almificus præsul investivit faciem altaris sanctæ Dei genitricis ad præsepe ex argento mundissimo deaurato, quod pensat libras octuaginta & sex. Fecit autem ibi coronas duas ex argento purissimo pensantes libras quinquaginta quatuor. Cortinas majores Alexandrinas holosericas ornatas in circuitu de fundato. Hic vero præcipuus præsul ex largitate omnipotentis Dei, & beati Petri clavigeri regni cælorum obtulit per universum sacras ecclesias hujus almæ Romæ coronas, vel etiam canistros ex argento purissimo ob veniam facinorum suorum videlicet. In ecclesia domini nostri salvatoris, quæ appellatur Constantiniana fecit coronas ex argento purissimo pensantes libras viginti tres.

Et in basilica sanctæ Dei genitricis ad præsepe instar fecit coronam ex argento puro pensantem libras tredecim. Et in basilica sanctæ Dei genitricis in titulo Callisti fecit coronam ex argento pensantem libras tredecim & uncias tres.

Et in diaconia ipsius Dei genitricis, quæ appellatur antiqua, similiter fecit coronam ex argento pensantem libras tredecim. Et in ecclesia sanctæ Dei genitricis ad martyres fecit coronam ex argento pensantem libras duodecim & uncias tres. Et in diaconia ipsius Dei genitricis, quæ appellatur Cosmedin, eodem modo fecit coronam ex argento pensantem libras duodecim, nec non & in diaconia sanctæ Dei genitricis, quæ appellatur dominica, similiter fecit coronam de argento pensantem libas novem. Et in diaconia sanctæ Dei genitricis, quæ ponitur in via Lata fecit coronam ex argento pensantem libras novem. Et in diaconia sanctæ Mariæ in Cyro fecit coronam pensantem libras octo. Imo & in diaconia beatæ Dei genitricis, quæ ponitur foris portam beati Petri apostoli, fecit coronam ex argento pensantem libras quinque & uncias tres. Et in diaconia ipsius Dei genitricis, quæ ponitur in Hadriano, eodem modo fecit coronam ex argento pensantem libras quinque.

Nec non & in oratorio sanctæ Dei genitricis, quæ ponitur in xenodochio Firmis, fecit canistrum ex argento pensans libras duas & uncias septem.

In ecclesia beati Petri apostoli fecit canistrum de argento purissimo pensans libras viginti duas. Et in ecclesia beati Pauli apostoli instar fecit canistrum ex argento purissimo pensans libras viginti duas & uncias quatuor & octo. S. Petri.

Imo & in ecclesia beati Andreæ apostoli, quæ appellatur Eudoxiæ, eodem modo fecit coronam de argento pensantem libras novem. Verum etiam & in ecclesia beati Ioannis Baptistæ, quæ ponitur juxta patriarchium Lateranense, fecit coronam de argento pensantem libras quinque. Imo & in ecclesia beati Ioannis euangelistæ, qui ponitur ubi supra, fecit coronam ex argento pensantem libras quinque. Item & in ecclesia beati Stephani, quæ ponitur in Cælio monte simili modo fecit coronam ex argento pensantem libras septem & uncias undecim. Et in basilica apostolorum quæ ponitur in Via Lata fecit coronam de argento pensantem libras tredecim. Et in mausoleo beatæ Petronillæ, quæ ponitur ad beatum Petrum apostolum, fecit coronam ex argento pensantem libras viginti. Et in ecclesia Ierusalem, quæ ponitur in Sessoriano fecit coronam de argento pensantem libras quinque. Et in ecclesia B. Laurentii, quæ ponitur foris murum, similiter fecit coronam de argento pensantem libras tredecim. Et in ecclesia B. Apollinaris martyris fecit coronam pensantem libras quinque & uncias quatuor. Verum etiam & in basilica B. Pancratii martyris, quæ ponitur foris murum eodem modo fecit coronam ex argento pensantem libras octo. Fecit autem & in ecclesia B. Valentini martyris, quæ ponitur foris murum, ubi corpus ejus requiescit, fecit coronam de argento pensantem libras sex. Et in titulo B. Clementis martyris atque pontificis fecit coronam de argento pensantem libras quindecim. S. Andreæ. S. Ioannis. S. Stephani. SS. apostolorum. S. Crucis. S. Laurentii. S. Apollinaris. S. Pancratii. S. Valentini. S. Clementis.

Et in titulo beatorum Aquilæ, & Priscæ fecit coronam ex argento pensantem libras sex. Et in titulo sanctæ Balbinæ similiter fecit. S. Balbinæ.

Imo & in ecclesia sancti Sixti martyris, atque pontificis fecit coronam similiter. Et in titulo S. Laurentii martyris, quæ ponitur Lucinæ similiter fecit pensantem libras quatuor & uncias decem. Et in titulo S. Laurentii martyris, qui appellatur S. Sixti. S. Laurentii.

Marginalia: Anno Christi 795. (left margin, cropped:) ...dreæ. ...onil- ...i. ...li. ...ato- ...riæ.

ANNO CHRISTI 795.

pellatur Damasi fecit coronam ex argento pensantem libras quinque. Et in ecclesia ipsius martyris quæ ponitur Formosus, fecit canistrum ex argento pensans libras duas & uncias septem. Sed & in titulo Pammachii fecit coronam ex argento pensantem libras decem. Et in titulo Æmilianæ pari modo fecit coronam de argento pensantem libras quatuor.

S. Eusebii. Nec non & in titulo sancti Eusebii fecit coronam de argento pensantem libras sex. Et in titulo Praxedis fecit coronam pensantem libras quinque. Et in titulo Pudentis fecit coronam ex argento pensantem libras novem. Imo & in titulo beati Vitalis martyris fecit coronam ex argento pensantem libras novem & uncias tres. Et in titulo sanctæ Susannæ martyris similiter fecit coronam pensantem libras decem. Et in titulo sancti Cyriaci fecit coronam de argento pensantem libras quinque. S. Susannæ.

Et in titulo beati Marcelli martyris fecit coronam ex argento pensantem libras decem. Nec non & in titulo beati Marci martyris fecit coronam similiter. Et in titulo beatæ Anastasiæ fecit coronam pensantem libras septem, & uncias novem. Nec non & in titulo Cæciliæ instar fecit coronam ex argento pensantem simul libras decem & unciam unam. Et in titulo beati Chrysogoni martyris fecit coronam ex argento pensantem libras quinque. S. Cæciliæ.

Verum etiam & in diaconia sanctorum Nerei, & Achillei fecit coronam de argento pensantem libras sex & uncias quinque. Et in diaconia sanctæ Luciæ, quæ ponitur in Septem viis, fecit coronam ex argento pensantem libras sex & uncias septem. Et in diaconia sancti Bonifacii similiter fecit coronam pensantem libras septem. Et in diaconia sancti Georgii fecit coronam ex argento pensantem libras quinque. Et in diaconia sancti Theodori eodem modo fecit coronam pensantem libras sex & uncias octo. Et in diaconia sanctorum Sergii & Bacchi fecit coronam ex argento pensantem libras sex. Et in diaconia sanctorum Cosmæ & Damiani fecit coronam pensantem libras quinque & uncias octo. Et in diaconia sancti Hadriani martyris fecit coronam ex argento pensantem libras sex. Sed & in diaconia sancti archangeli fecit coronam ex argento pensantem libras sex. Sed & in diaconia S. Eustachii similiter fecit pensantem libras sex & uncias quinque. Et in diaconia sanctæ Luciæ, quæ ponitur Orfea, pari modo fecit coronam ex argento pensantem libras sex & vncias duas. S. Luciæ. S. Cosmæ & Damiani. S. Hadriani. S. Luciæ.

S. Viti. Simulque & in diaconia beati Viti martyris, quæ ponitur in macello, fecit coronam ex argento pensantem libras sex. Imo & in diaconia sanctæ Agathæ similiter fecit coronam ex argento pensantem libras quinque. Fecit autem & in diaconia sancti Silvestri, quæ ponitur juxta beatum Petrum apostolum, coronam argenteam pensantem libras quatuor. Verum etiam & in diaconia S. Martini, quæ ponitur juxta beatum Petrum apostolum, instar fecit coronam ex argento pensantem libras quinque & uncias tres. Imo & in titulo sanctorum Silvestri & Martini, qui ponitur juxta Orfea, coronam ex argento pensantem libras sex & uncias duas. S. Agathæ. S. Silvestri. S. Martini.

Dona in monasteriis. Ipse vero a Deo protectus & præclarus pontifex fecit in monasterio sancti Sabæ coronam ex argento pensantem libras octo & uncias decem. Verum etiam & in monasterio beati Anastasii martyris eodem modo fecit coronam ex argento pensantem libras octo & uncias quatuor & semis: sed & in monasterio sancti Andreæ, quod ponitur in clivo Scauri, similiter fecit coronam ex argento puro pensantem libras quinque. Et in monasterio beatæ Agathæ martyris, quod ponitur super Suburram, similiter fecit. Nec non & in monasterio S. Erasmi, quod ponitur in Cælio monte, fecit coronam ex argento pensantem libras quatuor & uncias duas. Simili modo fecit & in monasterio sancti Silvestri coronam ex argento pensantem libras sex & uncias tres. Et in monasterio beati Laurentii martyris qui appellatur Pallacini, fecit canistrum de argento pensans libras duas & uncias septem. Enimvero & in monasterio sancti Pancratii, quod ponitur juxta basilicam salvatoris, fecit coronam de argento pensantem libras quinque & semis. Fecit autem & in monasterio sanctorum Andreæ, & Bartholomæi, qui appellatur Honorii, canistrum ex argento pensans libras tres. Et in monasterio sancti Stephani, quod ponitur juxta Lateranis, fecit canistrum de argento pensans libras duas. Simulque & in monasterio ipsius primi martyris Stephani, quod ponitur ad beatum Petrum apostolum, fecit canistrum ex argento pensans libras tres & semis. Ipse vero almificus præsul fecit in monasterio sanctorum Ioannis, & Pauli, quod ponitur juxta beatum Petrum apostolum, canistrum ex argento pensans libras tres. Pari modo fecit & in monasterio sancti Martini, quod ponitur ut supra, canistrum pensans libras quatuor & uncias duas. Sed & in monasterio sancti Stephani ubi supra, quod appellatur Catagalla Patricia pari modo fecit canistrum ex argento pensans libras duas & semis. Simulque & in monasterio sancti Cæsarii, quod ponitur ab beatum Paulum apostolum, instar fecit canistrum ex argento pensans libras tres. Et in monasterio sancti Stephani ubi supra, fecit canistrum pensans libras duas. Imo & in monasterio sanctorum Cosmæ & Damiani, quod ponitur juxta præsepe, fecit canistrum ex argento pensans libras duas & uncias duas. Simili modo fecit in monasterio S. Andreæ, quod appellatur massa Iuliana, canistrum ex argento pensans libras duas. Nec non & in monasterio sancti Hadriani, quod ponitur juxta præsepe, instar fecit canistrum pensans libras duas. Et in monasterio sancti Cassiani, quod ponitur juxta beatum Laurentium martyrem foris murum, fecit canistrum ex argento pensans libras duas. S. Aug. S. Silv. S. Step. S. Ma. S. Cos. S. Cass.

Fecit autem in monasterio S. Stephani, quod ponitur ubi supra canistrum ex argento pensans libas duas & semis. Verum etiam & in monasterio sancti Victorii, quod ponitur ad sanctum Pancratium, fecit canistrum ex argento pensans libras duas, & uncias septem. Et in monasterio sancti Chrysogoni similiter fecit canistrum pensans libras tres. S. Steph.

Ipse vero almificus præsul fecit in monasterio sanctæ Mariæ, quod appellatur Ambrosii, canistrum ex argento pensans libras duas. Pari modo fecit & in monasterio sanctæ Mariæ, quod appellatur Iuliæ ut supra. Sed & in monasterio sancti Andreæ, quod ponitur juxta basilicam apostolorum, fecit similiter. S. Mari.

Simulque & in oratorio sancti Stephani, quod ponitur in Dulciti, fecit canistrum ex argento pensans libras duas & uncias quinque. Enimvero & oratorio sanctorum Sergii & Bacchi, quod ponitur in Callinico, similiter fecit canistrum. Imo & in monasterio sancti Agapiti, quod S. Steph. S. Agap.

quod ponitur juxta titulum Eudoxiæ, fecit similiter canistrum argenteum & semis. Simili modo & in oratorio sanctæ Agnetis, quod ponitur in monasterio quod appellatur Duo furna, fecit canistrum ex argento pensans libras duas & uncias octo. Nec non & in oratorio sancti Viti, quod ponitur in monasterio quod appellatur de Sardas, fecit canistrum ex argento pensans libras tres. Et in monasterio sanctæ Bibianæ similiter fecit canistrum ex argento pensans libras duas, & uncias novem. Fecit autem & in oratorio sanctæ Luciæ, quod ponitur in monasterio de Renati, canistrum ex argento pensans libras duas.

Verum etiam & in oratorio sanctæ Mariæ, quod ponitur in monasterio Michaelis, instar fecit canistrum ex argento pensans libras duas, & uncias duas. Et in monasterio sancti Sergii eodem modo fecit canistrum ex argento pensans libras tres. Ipse vero almificus præsul & in oratorio sanctæ Agathæ, quod ponitur in monasterio apud Africi, canistrum ex argento pensans libras tres. Pari modo fecit & in monasterio sanctorum Euphemiæ, & Archangeli, quod ponitur juxta titulum Pudentis, canistrum ex argento pensans libras quinque. Sed & in monasterio sancti Isidori simili modo fecit canistrum. Simulque & in oratorio sanctæ Agathæ, quod ponitur in monasterio templi fecit canistrum similiter. Et in oratorio sancti Cæsarii, quod ponitur in monasterio de Corsas, similiter fecit canistrum pensans libras duas, & uncias tres. Enimvero & in monasterio sancti Semitrii fecit similiter canistrum argenteum. Imo & in oratorio sanctæ Mariæ, quod ponitur in monasterio Aquæ Salviæ, fecit similiter. Simili modo fecit & in monasterio sancti Donati quod ponitur juxta titulum sanctæ Priscæ canistrum ex argento pensans libras duas, & uncias quinque. Et in monasterio sancti Ioannis, quod ponitur in Aventino, instar fecit canistrum ex argento pensans libras duas. Nec non & in oratorio sanctæ Mariȩ, quod ponitur in monasterio de Lutara, fecit canistra ex argento pensantia libras duas & semis. Fecit autem & in monasterio Ierusalem, quod ponitur ad beatum Petrum apostolum, canistrum ex argento pensans libras duas. Verum etiam & in monasterio sanctæ Agnetis, quod ponitur foris portam Numentanam, fecit canistra ex argento pensantia libras quinque. Et in monasterio sanctæ Eugeniæ, quod ponitur foris portam Latinam, pari modo fecit canistrum ex argento pensans libras quinque, seu & in oratorio sancti Gregorii quod ponitur in Campo Martis, fecit canistra ex argento pensantia libras tres. Ipse vero almificus præsul fecit in titulo beatæ Sabinæ coronam ex argento purissimo pensantem libras octo. Pari modo fecit in diaconia sanctorum Silvestri, & Martini, quæ ponitur juxta Orfeam, coronam ex argento pensantem libras sex, & uncias duas. Necnon & in oratorio sanctæ Luciȩ, quod ponitur in xenodochio similiter fecit canistrum ex argento pensans libras duas, & uncias quatuor. Fecit autem & in oratorio sancti Abbacyri", quod ponitur in xenodochio, canistrum ex argento pensans libras duas. Atque in oratorio sanctorum Cosmæ & Damiani quod ponitur in xenodochio, quod appellatur Tucium, instar fecit canistrum ex argento pensans libras duas, & unciam unam. Verum etiam & in oratorio sancti Peregrini, quod ponitur in hospitali dominico ad Naumachiam, fecit canistra ex argento pensantia libras quinque, & unciam unam. Præfatus vero pontifex fecit in basilica domini nostri Iesu Christi, quæ appellatur Constantiniana, super altare majus vestes chrysoclavas duas: Ex quibus unam habentem historiam dominicæ resurrectionis, & aliam habentem historiam vivificæ atque adorandæ dominicæ crucis. Cantharos ex argento mundissimo octo pensantes simul libras vigenti & septem, & uncias sex. Investivit ubi supra rugas ante ingressum altaris ex argento purissimo pensante libras quadraginta octo, & uncias octo. Coronas ex argento purissimo pensantes libras duodecim. Fecit ubi supra ad fontes vela alba holoserica ornata in circuitu de fundato, atque quadruplo numero decem.

ANNO CHRISTI 795.

S. Salvatoris.

Sarta tecta vero ipsius ecclesiæ cum quadriporticu simul & ad fontes omnia & in omnibus noviter restauravit. Simul & fenestras de absida ex vitro diversis coloribus conclusit atque decoravit. Et alias fenestras basilicæ ex metallo Cyprino reparavit, & in gremio basilicæ fecit cortinas duas, ex quibus una major fundata alba, & alia minor alba rosata.

S. Mariæ.

Fecit autem isdem præsul in basilica sanctæ Dei genitricis, quæ appellatur Ad præsepe, rosata cum periclysi de fundato; canthara de argento purissimo duo pensantia inibi libras viginti tres: columnas duas pensantes libras viginti & unam, & uncias quinque. Crucem cum gabatha ex argento mundo pensantem simul libras quinque: in diaconia vero ipsius Dei genitricis, quæ appellatur Antiqua, fecit tetravila alythina ornata in circuitu de quadruplo. Et in oratorio sancti Andreæ ubi supra vela duo holoserica ornata, ut supra. In titulo ipsius vero Dei genitricis, qui appellatur Callisti, fecit vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo cum historia præsentationis domini nostri Iesu Christi, & sancti Simeonis cum periclysi de Tyrio. Tetravila rubea alythina quatuor habentia cruces cum gammadiis, & in circuitu periclysin de Tyrio. Velum Tyrium majus, quod pendet ante imaginem cum periclysi de blatthi unum. Vela modica rubea alythina cum staurace in medio numero tria, quæ pendent ante imagines argenteas cum periclysi de blatthin. Cortinam majorem holosericam in gremio basilicæ unam, fecit & imagines argenteas deauratas. E quibus unam cum gemmis, arcum argenteum unum cum gammadiis suis. Supra cerostata pharum unum, thuribula duo pensantia simul libras nonaginta quinque, & uncias septem.

S. Petri.

Fecit vero isdem præsagus antistes beato Petro apostolo calicem aureum diversis ornatum preciosis lapidibus, qui præcedit per stationes, pensantem libras tredecim. Hic fecit in basilica ipsius apostoli velum chrysoclavum, quod pendet supra in ingressu vestibuli. Item aliud velum majus e chrysoclavo quod pendet in trabe argentea ante imaginem salvatoris supra in ingressu vestibuli. Coronam majorem ex argento purissimo pensantem libras quinquaginta & tres, & uncias octo. Pharum argenteum pendentem infra ipsam coronam pensantem libras viginti & tres. Item coronas argenteas quatuor pensantes libras quinquaginta & septem. Canistros octo, qui pensant simul libras quadraginta.

Anno Christi 795.

Hic vero pro amore & cautela orthodoxæ fidei fecit ubi ſupra ſcuta argentea duo ſcripta utraque ſymbolo, unum quidem literis Græcis, & aliud Latinis, pendentia dextra lævaque ſuper ingreſſum corporis penſantia inibi libras nonaginta quatuor & uncias ſex. Fecit ubi ſupra in gremio baſilicæ cortinam majorem holoſericam fundatam unam ornatam in circuitu de fundato, Velum album holoſericum roſatum majus unum, quod pendet in trabe majore ſuper imagines aureas ornatum in circuitu de fundato. Enimvero ſupra ad fontes fecit vela ſerica alba numero novem ornata in circuitu de fundato.

Hic vero, ubi ſupra, inveſtivit altare beatiſſimi Leonis confeſſoris atque pontificis ex argento mundiſſimo deaurato penſante ſimul libras centum & novem. Item inveſtivit altare

S Gregorii. beati Gregorii confeſſoris atque pontificis ex argento mundiſſimo deaurato penſante undique libras centum viginti & ſeptem.

Hic vero præfectus a Deo & præclarus pontifex

B. Pauli. inveſtivit altare beati Pauli apoſtoli ex argento puriſſimo, ac decoravit, quod penſat libras centum quinquaginta quinque, nec non & confeſſionem ipſius, atque faciem altaris inveſtitit ex auro puriſſimo penſante inibi libras centum viginti & unam, & uncias octo. Fecit & ſupra in ingreſſu corporis ſcutum ex argento puriſſimo in quo orthodoxæ fidei ſymbolum ſcribi fecit, quod penſat libras triginta & duas. Fecit ubi ſupra coronas majores tres ex argento puriſſimo penſantes libras in unum nonaginta & tres. Fecit autem in baſilica cortinam majorem holoſericam de quadruplo & fundato pulcerrimam. Præfatus vero venerabilis & præ-

S. Petri. clarus pontifex fecit in baſilica beati Petri apoſtoli nutritoris ſui ſuper altare majus cyborium cum columnis ſuis quatuor ex argento puriſſimo deaurato cum diverſis hiſtoriis miræ magnitudinis mirifice decoratum, quod penſat libras duas mille ſeptingentas & quatuor, & uncias tres. Cyborium vero quod exinde abſtulit, poſuit ſuper altare majus in baſilica beatę Dei genitricis, quæ appellatur ad præſepe, & crucem ex argento puro fecit, & inibi poſuit penſantem libras duodecim & uncias tres. Nec non & tetravela rubea alythina quatuor ubi ſupra fecit, ex quibus unum cum chryſoclavo. Sed & in mauſoleo beatæ Petronillæ, quod ponitur ad beatum Petrum apoſtolum, fecit vela alba majora tria, minora octo ornata in circuitu de fundato. Fecit vero iſdem præclarus pontifex ante confeſſionem ipſius apoſtolorum principis angelos ex argento puriſſimo dextra lævaque penſantes inibi libras centum quadraginta & ſex. Nec non & alios angelos duos ex argento puriſſimo deauratos, qui ſtant in trabe majori ſuper ingreſſu veſtibuli dextra lævaque juxta imaginem ſalvatoris auream penſantes ſimul libras ſexaginta tres. Et alios angelos quatuor minores ex argento puriſſimo deauratos ubi ſupra dextra lævaque, qui penſant ſimul libras ſexaginta octo. Verum etiam fecit ubi ſupra columellas ex argento deauratas ſex in ingreſſu veſtibuli diverſis depictas hiſtoriis, quæ penſant ſimul libras centum quadraginta & ſeptem. Fecit & crucem majorem ex argento puriſſimo deauratam, quæ ſtat juxta altare majus, penſantem libras viginti duas. Fecit vero ubi ſupra arcum majorem ex argento mundiſſimo

A deaurato ſupra in ingreſſu veſtibuli, penſantem libras centum triginta & unam & ſemis.

Anno Christi 79[…]

S. Leonis. Fecit vero ubi ſupra intra confeſſionem beati Leonis confeſſoris atque pontificis euangelium ex argento mundiſſimo deauratum ſupra in ingreſſu veſtibuli penſans libras quadraginta octo & ſemis. Fecit ubi ſupra columellam unam de argento puriſſimo penſantem libras decem & ſeptem. Ipſe vero a Deo protectus & præclarus pontifex fecit in diaconia beati archangeli patenam & calicem ex argento puriſſimo penſantes in unum libras decem.

S. Salvatoris. Hic divina inſpiratione protectus fecit in ba-

B ſilica ſalvatoris, quę appellatur Conſtantiniana, cyborium cum columnis ſuis quatuor ex argento puriſſimo diverſis depictum hiſtoriis cum cancellis & columellis ſuis miræ magnitudinis & pulcritudinis decoratum, quæ penſant undique ſimul libras mille ducentas viginti ſeptem. Verum etiam & ſarta tecta baſilicę ſanctę Dei

S. Ma[…] genitricis ſemperque virginis Mariæ dominæ noſtrę, quæ appellatur ad præſepe, omnia noviter reſtauravit. Cubicula vero juxta eccleſiam beati Petri apoſtolorum principis, quæ nimia vetuſtate marcuerant, etiam pene ruitura erant, iſdem egregius præſul a fundamentis firmiſſi-

C mum ponens ædificium in meliorem erexit ſtatum. Fecit & ubi ſupra juxta columnam majorem balneum in ſuperiore poſitum conſtructum in rotundum mirifice decoratum. Gradus vero in introitu ejuſdem baſilicę tam ſuper porticum, quam etiam in atrio noviter reſtauravit. Fecit & juxta eoſdem gradus parte dextra, atrii domum a fundamentis miræ magnitudinis & pulcritudinis decoratam, in qua etiam & accubitos collocavit. Fecit & juxta eamdem domum pro ſubſidiis Chriſti pauperum atque peregrinorum balneum a fundamentis mirifice decoratum. Hic autem præclarus antiſtes divinitus inſpiratus hoſpitale beato Petro apoſtolo in loco, qui Naumachia dicitur, a fundamentis noviter conſtruens, diverſa illic domorum ædificia decoravit, atque eccleſiam in honore

D beati Petri principis apoſtolorum a novo conſtruxit. In qua etiam ſanctorum eccleſiæ Chriſti martyrum corpora deferens recondidit, & omnia quæ in prædicto hoſpitali erant neceſſaria conſtruxit. S. Pet[…]

Prædia etiam illic urbana vel ruſtica pro alimoniis Chriſti pauperum, ſeu advenis, vel peregrinis qui ex longinquis regionibus veniunt, obtulit ad exaltationem ſanctæ Dei eccleſiæ, & ſalute populi Romani. Præſertim igitur & monaſterium ſancti Chriſti primi martyris Stephani, quod appellatur Catagalla" patricia, quod S. Ste[…]ni. "[…]

E præ nimia vetuſtate jam emarcuerat, atque ex parte corruerat, idem præſagus pontifex certamen ponens a fundamentis ſimul cum oratorio firmum jaciens fundamentum in meliorem erexit ſtatum. Gradus vero per quos ingreſſus eſt in eccleſiam beati Petri apoſtoli a S. Andrea apoſtolo, qui vetuſtate conſumpti erant, a novo refecit.

S. Ma[…] Pari modo & monaſterium beati Martini confeſſoris atque pontificis, ſitum, ubi ſupra, quod nimia fuerat vetuſtate quaſſatum, pene omne a fundamentis reſtauravit. Sarta vero tecta baſilicæ ſancti Andreæ apoſtoli, quod appellatur Catabarbara" patricia, quæ per olitana jam fuerant tempora vetuſtate conſumpta, noviter reſtauravit. Similì modo & ſarta tecta B. Luciæ martyris, "[…] S. Lu[…]

martyris, quæ ponitur in Orfea, refecit a novo. Pariter etiam & sarta tecta beatę Balbinæ martyris, quæ jam pene ruitura erant, in melius restauravit. Pari modo & sarta tecta basilicæ beatorum martyrum Cosmæ & Damiani, sitæ in Via sacra, mirifice restauravit. Pariter etiam & sarta tecta basilicæ sanctæ Martinæ martyris sitæ in tribus fatis in melius restauravit.

Nec non igitur & sarta tecta titulo beati Laurentii martyris, qui appellatur Damasi, noviter restauravit. Hic vero sanctissimus & præclarus pontifex sarta tecta basilicæ beati Valentini martyris, sita in via Flaminia, quæ jam præ B nimia vetustate ruitura erant, prudentissimo studio mirifice a novo refecit. Quadriporticus vero basilicæ apostolorum in Via lata intus & foris omnia sarta tecta ipsarum noviter reparavit: imo vero & sarta tecta basilicę beatæ Agathæ martyris sita super Suburram, quæ præ nimia vetustate jam emarcuerant, noviter reparavit. Hic vero sanctissimus præsul fecit in patriarchio Lateranensi oratorium a fundamentis in honore beati archangeli, insigni opere firmissime construens, quod etiam ex musivo, seu diversis picturis, atque pulcerrimis marmorum metallis diversis coloribus ornavit undique. Et omnia cimelia tam aurea, quamque argentea, vel etiam vela diversa ibi obtulit. Macronam vero ipsius Lateranensis patriarchii, quæ extenditur a Campo, & ultra imagines apostolorum, C quæ præ nimia vetustate ruituræ erant, a fundamentis simul, & sarta tecta, nec non & solarium ab imo usque ad summum noviter restauravit, & in melius firmissimis marmoribus stravit, atque cameram ipsius macronæ noviter fecit, & diversis historiis pictura mirifice decoravit. Hic a Deo protectus venerabilis & præclarus pontifex fecit in circuitu altaris beati Petri apostoli nutritoris sui tetravela rubea holoserica alythina habentia tabulas, seu orbiculos de chrysoclavo diversis depictos historiis cum stellis de chrysoclavo. Nec non & in medio cruces de chrysoclavo ex margaritis ornatas miræ magnitudinis pulcritudinis decoratas, D quæ in diebus festis ibidem ad decorem mittuntur. Pari modo ut supra & alia tetravela alba holoserica rosata paschatiles habentia tabulas atque orbiculos de chrysoclavo, nec non & cruces cum chrysoclavo ex margaritis cum periclysi de chrysoclavo. Imo etiam & alia vela modica quatuor ubi supra in singulis columnis de cyborio fecit, habentia tigres de chrysoclavo, & in circuitu ornatas de blatthi. Verum etiam & alia vela modica quatuor eamdem habentia similitudinem in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli in columnis de cyborio posuit.

E Prædictus vero venerabilis pontifex sarta tecta basilicæ beati Agapiti martyris, quæ ponitur in urbe Prænestina, nec non & sarta tecta alterius basilicæ juxta eamdem basilicam sitæ, quæ jam præ nimia vetustate ruitura erant, omnia noviter in melius restauravit. Pari modo & sarta tecta basilicæ beati Stephani primi martyris constitutæ via Latina milliario tertio, quæ per multa jam annorum curricula vetustate erant confecta, & ruinis proxima, noviter reparavit. Verum etiam & sarta tecta basilicæ B. Basilidis martyris sitæ in Merulana noviter restauravit. Hic a Deo protectus venerabilis & præclarus A pontifex fecit in basilica salvatoris domini nostri Iesu Christi, quæ appellatur Constantiniana, de proprio argento ipsius basilicæ coronas cum delphinis suis numero quinque, canistros numero triginta quinque, gabathas numero octo, quæ pensant simul libras ducentas septuaginta & sex. Fecit autem in basilica sanctę Dei genitricis semperque virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ appellatur Ad præsepe, cortinam de fundato, & in circuitu ornatam de blatthin, quę pendet in porticu super sedem mirifice decoratam. Vela promiscua, tam de fundato, quam etiam de stauraci, & quadrapulo ornata in circuitu de blatthin numero quadraginta. Fecit vero ubi supra ante ingressum præsepii pharum in modum retis ex argento purissimo cum canistris quinque, pensantia simul libras triginta septem & semis.

Anno Christi 795.

Isdem vero sanctissimus præsul sancti Spiritus illustratione perfusus fecit beato Petro apostolo nutritori suo calicem aureum præcipuum tetragonum spanoclystum diversis ornatum preciosis lapidibus, pensantem libras triginta & duas. Nec non fecit & patenam auream spanoclystam miræ magnitudinis decoratam pensantem libras viginti quinque, & uncias novem. Fecit in basilica, cujus supra, pharum in modum retis cum canistro, & cruces de argento purissimo, qui pendet sub auro principali. Nec non & alium pharum majorem in modum retis cum canistris viginti pendentem sub trabem majorem argenteam ad ornatum sanctæ Dei ecclesiæ qui pensat inibi libras duo mille centum, quatuor, & uncias septem. Hic fecit in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli crucifixum ex argento purissimo miræ magnitudinis decoratum, pensantem libras quinquaginta duas. Verum etiam fecit ibi supra tetravela alba holoserica rosata, ex quibus unum habens in medio crucem de chrysoclavo, & gammadias de chrysoclavo. Nec non etiam vela alba holoserica numero novem ornata in circuitu de Tyrio. Fecit ibi super gabathas fundatas interrasiles ex argento purissimo numero octo, quæ pendent in pharo æreo in medio basilicæ, pensantes inibi libras 14.

S. Petri. S. Pauli.

Ingressum vero corporis isdem præsul ex marmoribus candidis miro decore ornavit, atque regias æreas ibidem posuit. Super columnas vero marmoreas, quæ stant in circuitu altaris ipsius doctoris mundi, ubi trabes quondam ligneæ positæ fuerant, etiam nimia vetustate emarcuerant, hic sacer antistes super ipsas columnas lilios poni fecit, & super ipsos lilios ex metallis marmoreis, platonias posuit, diversisque picturis miræ magnitudinis opus decoravit. Nec non ubi supra fecit vela Alexandrina majora numero quinque, quæ pendent super regias majores in ingressu basilicæ mirifice decorata.

Hic vero sanctissimus & præclarus pontifex fecit in basilica sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ dominæ nostræ ad præsepe tetravela alba holoserica rosata mirifice decorata. Fecit vero ubi supra intra præsepium vestem albam holosericam rosatam ornatam in circuitu de chrysoclavo, & in medio habentem crucem cum orbiculis de chrysoclavo vela alba holoserica rosata numero quatuor ornata in circuitu de Tyrio. In diaconia vero ipsius Dei genitricis, quæ appellatur dominica, fecit vestem albam

S. Mariæ.

Anno Christi 795.

albam holosericam rosatam habentem in medio tabulam de Tyrio cum historia crucifixi. Nec non & rotas de chrysoclavo ornatas in circuitu de quadrapulo. Fecit ubi supra cortinam fundatam ornatam in circuitu de blatthin. In diaconia vero ipsius Dei genitricis, quæ appellatur Cosmedin, fecit vestem albam holosericam cum tabula de chrysoclavo habentem historiam dominicæ resurrectionis, & in circuitu listam de chrysoclavo. Fecit ad sanctam Mariam ad martyres vestem albam holosericam rosatam cum tabula de Tyrio habentem historiam crucifixi, & rotam de chrysoclavo ornatam in circuitu de Tyrio. Vestem etiam in diaconia jam dictæ sanctæ Dei genitricis positam foris portam beati Petri apostoli fecit vestem de Tyrio mirifice decoratam. Hic vero venerabilis & præclarus pontifex fecit in basilica beati Petri (S. Petri.) apostoli nutritoris sui canistros interrasiles ex argento purissimo, tam in quadriporticu, quamque in gremio basilicæ numero viginti duo, pensantes simul libras centum viginti quinque. Gabathas fundatas signochristas, quæ pendent in quadriporticu, in pharo æreo, in medio basilicæ, numero quadraginta & octo pensantes simul libras centum & unam & semis. Phara argentea tria, quæ stant super trabes argenteas pensantia libras nonaginta & tres. Arcus argenteos duos pensantes libras quadraginta & unam, & uncias octo. Vela de blatthin majora, quæ pendent per trabes argenteas dextra lævaque presbyterii. Nec non & in circuitu sedis numero triginta ornata in circuitu de quadrapulo.

Vela modica de fundato numero quadraginta & septem ornata in circuitu de blatthin Byzanteo, & investita de blatthin Neapolitano. Nec non & in gremio basilicæ fecit cortinam majorem Alexandrinam miræ magnitudinis & pulcritudinis decoratam, ornatam in circuitu de Tyrio.

Vela alba modica holoserica rosata numero viginti quinque, ornata in circuitu de blatthin, ex quibus unum ornatum de stauraci. Super altare vero beati Andreæ, (S. Andreæ.) ubi supra, fecit vestem albam holosericam rosatam cum tabula de chrysoclavo, habentem historiam dominicæ resurrectionis, & in circuitu listam de chrysoclavo. Verum etiam & super altare beatæ Petronillæ fecit vestem albam holosericam rosatam cum tabula de chrysoclavo, habentem historiam dominicæ resurrectionis, & in circuitu ejus listam de chrysoclavo. Pari modo & in oratorio sanctæ (S. Mariæ.) Dei genitricis, ubi supra, in mediana fecit vestem albam holosericam rosatam habentem in medio crucem de chrysoclavo, & in circuitu ornatam de Tyrio. In oratorio vero ipsius Dei genitricis, ubi supra, quod dicitur domni Pauli papæ, vestem albam holosericam ornatam in circuitu de mizilo. Nec non & in monasterio (S. Martini.) sancti Martini, ubi supra, fecit vestem albam holosericam rosatam, habentem in medio crucem de chrysoclavo cum periclysi de Tyrio. Hic fecit in basilica apostolorum Via lata super altare majus vestem albam holosericam rosatam habentem in medio tabulam de stauraci cum historia dominicæ resurrectionis, & in circuitu vestem de chrysoclavo. Nec non & orbiculos de chrysoclavo cum periclysi de Tyrio. Tetravela modica rubea ornata in circuitu de fundato, ex quibus unum cum chrysoclavo. Vela modica rubea Alexandrina duo ornata in circuitu de stauraci. Et in gremio basilicæ, ubi supra, fecit cortinam majorem de fundato mirifice decoratam, ornatam in circuitu de Tyrio, & in medio cruces de Tyrio.

Hic vero egregius præsul fecit in titulo sanctæ (S. Sabi[næ].) Sabinæ martyris super altari majori vestem albam holosericam rosatam habentem in medio tabulam de stauraci cum historia dominicæ resurrectionis, & in circuitu listam de chrysoclavo. Pari modo & in titulo sanctæ Susannæ (S. Sus[annæ].) martyris super altari majori vestem albam fecit holosericam rosatam habentem in medio tabulam de chrysoclavo cum historia dominicæ resurrectionis, & in circuitu listam de chrysoclavo. Fecit autem in basilica sancti Stephani primi martyris in Cælio monte vestem albam holosericam rosatam habentem in medio tabulam de stauraci cum historia dominicę resurrectionis, & crucem de chrysoclavo. Nec non & in diaconia beati Georgii martyris (S. Geo[rgii].) super altari majori fecit vestem albam holosericam rosatam habentem in medio tabulam de stauraci cum historia crucifixi ornatam de Tyrio, & rosas de chrysoclavo. Ipse vero a Deo protectus venerabilis & præclarus pontifex fecit in basilica sanctę Dei genitricis, quæ appellatur Ad præsepe ob nimium amorem ipsius dominæ nostræ pharum ex argento purissimo cum lucerna, & * cereapto suo, pensantia simul libras quadraginta & semis.

(* cera[...])

Et hoc constituit ejus beatitudo, ut dominicorum diebus, vel in sanctis solennitatibus juxta lectorium consisteret, & ad legendum sacras lectiones luminis splendore fulgeret. (S. Apo[llina]ris Ra[venn]æ.) Et in ecclesia beati Petri apostoli pari modo fecit pharum ex argento purissimo deauratо miræ pulcritudinis decoratum cum lucerna, & cereapto suo, quæ pensant simul libras nonaginta & semis. Enimvero, ubi supra ad beatum Petrum apostolum sub ipsa imagine salvatoris domini nostri Iesu Christi crucifixi in modum fecit coronam ex argento purissimo, & ibidem ob ipsius domini nostri Iesu Christi amorem pro luminariorum splendore posuit pensantem libras...

Basilica vero beati Apollinaris martyris atque pontificis, quæ fundata est juxta civitatem Ravennam, cujus trabes præ nimia vetustate de annorum curriculis, & olitanis temporibus nimis emarcuerant, jamque pene ruituræ in tempore illo erant, isdem venerabilis pater divinitus inspiratus, misit illuc, & per solertissimam ac providam curam suam omnia sarta tecta ipsius ecclesiæ simul cum quadriporticis suis noviter ac firmiter restauravit, & in meliorem reduxit statum, super altare vero ipsius sacræ basilicæ ob honorem omnipotentis Dei, & beati Petri apostoli, de cujus donis ac datis fecit vestem sericam rosatam habentem in medio crucem de chrysoclavo cum orbiculis, & rotas sericas habentes historias annuntiationis, seu natalis domini nostri Iesu Christi, atque passionem, & resurrectionem; nec non & in cælos ascensionem, atque pentecostem, ornatas in circuitu simili modo, sicut & vestem de chrysoclavo. Sed & canistrum ex argento purissimo inibi fecit cum catenulis suis pensans libras quindecim. Episcopium vero Albanense simul cum ecclesia, quæ in nomine beati Pancratii fundata est, per quamdam negligentiam vel incuriam, per submissiones diabolicas, post matutinas laudes exusta, a fundamentis usque ad summum tectum combustum

bustum est. Sed clementissimus & solertissimus A pontifex, Deo aspirante, ex sancti Spiritus illustratione firmum jaciens fundamentum mirum in modum jam præfatam ecclesiam noviter restauravit, & simul cum sartis tectis Deo juvante ad meliorem deduxit statum.

Et ut verus amator Dei, & cultor sanctarum Dei ecclesiarum, fecit super altari majori prædictæ ecclesiæ vestes duas, ex quibus unam cum rotis majoribus habentem gryphes, ornatam in circuitu de fundato, & tetravela serica alythina ornata de Tyrio optimo in circuitu ejusdem altaris fecit numero quatuor. Verum etiam & in ecclesia beati Petri apostoli ubi supra fecit ve- B stem rosatam habentem historiam domini nostri Iesu Christi, quando extendit manus, & apprehendit beatum Petrum apostolum de fluctibus maris.

Isdem beatissimus vero & præclarus pontifex fecit in basilica S. Cyriaci vestem albam holosericam habentem in gyro periclysin de fundato, & in medio historiam resurrectionis, & in circuitu altaris tetravela alba habentia periclysin de Tyrio. Fecit autem & in titulo S. Vitalis vestem albam holosericam habentem periclysin de fundato, & in medio historiam resurrectionis, nec non & in diaconia sancti Archangeli posuit vestem albam holosericam habentem periclysin de Tyrio, & in medio historiam ascensionis. Item ipsum super altare sancti Abbacyri similem vestem obtulit. C

Porro in diaconia sanctæ Agathæ martyris fecit ipse sanctissimus pontifex vestem albam holosericam habentem in Tyrio, & in medio historiam resurrectionis. Verum etiam & in titulo Pammachii super altare sanctorum Ioannis & Pauli fecit vestem albam holosericam ornatam in gyro de fundato habentem historiam crucifixi, ascensionis & pentecostes. Pariter & in ecclesia beati Clementis martyris atque pontificis, fecit vestem albam cum chrysoclavo habentem historam resurrectionis, seu ascensionis, nec non & pentecosten.

Imo & in ecclesia sancti Cyriaci posita via D Ostiensi fecit vela e quadruplo numero quinque, habentia historiam salvatoris vocantis discipulos de navi. Et super sanctum altare ipsius martyris posuit vestem de fundato.

Ipse autem a Deo protectus & præclarus pontifex fecit in basilica sanctæ Dei genitricis, semperque virginis Mariæ dominæ nostræ ad præsepe coronas argenteas, & delphinos suos duodecim, quæ pensant libras centum duas, & uncias novem. Sed & phara canthara argentea cum delphinis suis fecit numero septem pensantia libras octuaginta quinque, & semis. Isdem vero beatissimus præsul fecit in basilica beati Petri apostoli nutritoris sui ante presbyterium pha- E rum volubilem ex argento purissimo cum coronis & crucibus, pensantem inibi libras triginta quinque, & uncias sex. Verum etiam idipsum deorsum, ubi sacratissimum corpus ipsius principis apostolorum requiescit, renovavit imaginem auream habentem vultum salvatoris domini nostri Iesu Christi, ac sanctæ Dei genitricis Mariæ dominæ nostræ, & beatorum apostolorum Petri & Pauli, atque Andreæ, nec non & beatæ Petronillæ martyris, ubi & addidit auri obrizi libras viginti unam & uncias tres.

Imo vero ubi supra ante sanctum Andream investivit altare beati Martini confessoris Christi ex argento purissimo deaurato, * ex transmisso quondam Fridigisii abbatis, quod pensat undique libras septemdecim, & semis.

Fecit autem & in basilica B. Pauli apostoli doctoris mundi gentium phara canthara ex argento purissimo cum delphinis suis numero quinque, pensantia libras sexaginta septem, & uncias quatuor.

Hic a Deo inspiratus venerabilis & præclarus pontifex conspiciens ecclesiam beatorum martyrum Nerei & Achillei præ nimia jam vetustate deficere, atque aquarum inundantia repleri, juxta eamdem ecclesiam noviter a fundamentis in loco superiore ecclesiam construxit miræ magnitudinis & pulcritudinis decoratam. In qua etiam hæc obtulit dona: canistros ex argento numero sex pensantes simul libras quindecim. Ciborium ex argento purissimo pensans libras ducentas & quindecim. Calicem & patenam ex argento purissimo deauratos pensantes libras duodecim, & uncias decem. Regnum super altare ex auro purissimo diversis ornatum preciosis lapidibus pensans libras duas, & uncias sex. Vestes duas, ex quibus unam albam holosericam habentem historias dominicæ nativitatis, seu resurrectionis, ascensionis, atque pentecostes, ornatam in circuitu de chrysoclavo, & aliam de Tyrio. Idem vero fecit in basilica beatæ Dei genitricis Ad præsepe regnum ex auro purissimo spanoclysto diversis in circuitu de chrysoclavo preciosis ornatum lapidibus pensans libras quatuor, & uncias septem. Fecit vero communicales ex argento purissimo per singulas regiones, qui præcederent per stationes per manus acolytorum numero viginti quatuor pensantes simul libras .... Pari modo & in basilica B. Petri apostoli fautoris sui regnum ex auro purissimo diversis preciosis ornatum lapidibus pensans libras septem. Fecit etiam in diaconia sanctorum Nerei & Achillei vela promiscua holoserica numero ....

Sarta tecta B. Agapiti martyris sita juxta basilicam B. Laurentii martyris foris murum, quia jam præ nimia vetustate emarcuerant, noviter restauravit. Imo vero & in titulo beatæ Pudentianæ fecit vestem albam holosericam ornatam in circuitu de Tyrio.

Qui beatissimus pontifex postquam sedem Romanam & apostolicam annos viginti, menses quinque, & dies sexdecim gloriosissime rexit, ex hac luce subtractus ad æternam migravit requiem. Fecit autem ordinationes tres per mensem Martium, presbyteros triginta, diaconos undecim, episcopos per diversa loca numero * centum, sex & viginti. Sepultus vero est in basilica beati Petri apostoli pridie Idus Iunias, indictione nona, & cessavit episcopatus dies decem.

Anno Christi 795.

* ex terra quondam S. Pauli.

S. Nerei & Achillei.

S. Mariæ.

S. Petri.

S. Agapiti.

S. Pudentianæ.

* 26.

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Leo.*] Anno redemptoris nostri 795. vigesima sexta Ianuarii, eodem die quo Hadrianus obierat, creatus est ejus successor Leo hujus nominis tertius in disciplina ecclesiastica a juventute bene institutus, nullaque non virtute exornatus, quem Deus ad hoc in sedem pontificiam evexerat, ut magna pateretur, & magna perageret. Pontificatus exordio carnis incendium passus esse dicitur ex osculo, quod manui suæ mulier impresserat: additur osculatam manum sibiipsi eum præscidisse, statuisseque ut deinceps pedes tantum non manus pontificis exoscularentur: verum utrumque anile commentum est, plusquam fabulosum. Nam ex iis, quæ supra tomo 1. in vita Gaii pontificis annotavi, constat quod ante hæc tempora moris fuerit pedes non manus pontificis exosculari. Ad

Quo tempore Leo pontifex factus.

Refellitur fabula de Leone.

ANNO CHRISTI 795.

Carolum magnum tamquam potentissimum Romanæ ecclesiæ defensorem honorandum, non (ut calumniantur novatores) ad possessionem urbis tradendam, exemplo antecessorum suorum per legationem misit pro munere & dono episcopali claves aureas confessionis S. Petri, & vexillum urbis Romæ, sicut ad eumdem loco benedictionis misit patriarcha Hierosolymitanus claves una cum vexillo locorum sanctorum. Hac occasione Carolus rex ablegavit Engilbertum abbatem monasterii S. Richarii, qui pontifici redderet munera amplissima, quæ ex thesauro Hunnorum erepto idem rex fuerat consecutus. *Annales Francorum.* Acceptos thesauros pontifex in ornamenta ecclesiarum convertit, & in clericos erogavit, omniaque perfecit, quæ ante persecutionem illam recenset Anastasius seorsum ab aliis, quæ post quadriennium edidit, quando ex Germania reversus fuit.

Constantinus imperator uxore legitima repudiata aliam ducit.

Constantinus V. detrusa uxore sua legitima in monasterium duxit aliam Theodotam nomine, eamque imperatricem coronavit: cumque Tarasius Constantinopoli adulterum non excommunicaret, ipse piorum consortio habitus est indignus: qui vero cum Theodoro Studita adulterum imperatorem redarguerant, in exilium ablegati fuerunt. Cumque ita scelus sceleri adderet, merito jussu matris, quam imperio exuerat, zelo justitiæ, non regni, oculis, imperio & vita orbatus fuit. Irene dum post recuperatum imperium quinque annis sola imperium tenuisset, a Nicephoro homine impiissimo, hæreticorum omnium fautore, Romanæ ecclesiæ omniumque clericorum contemptore scelestissimo, imperio privata, in exilium amandata fuit, anno domini 802. atque ibidem anno sequente e vivis decessit. Theophanis annales in Nicephor.

Nicephorus Irenem imperio spoliat & vita.

Adolfum regem Nordamhumbrorum e regno pulsum Leo per legatum sedis apostolicæ in regnum restituit. *Annales Francorum.*

Secunda Leonis papæ afflictio.

Defuncto Carolo imperatore, (quem Eginhartus febri correptum, anno Christi 814. Aquisgrani pie & sancte obiisse refert, sub initium Ludovici) rursum facinorosi homines in pontificem insurrexerunt, vitæque illius graves insidias struxerunt Quod cum pontifex cognovisset, & in delinquentes lege agi præcepisset, magna seditio Romæ concitata fuit, postque plurimas strages, deprædationes & incendia, tot tantaque mala subsecuta fuerunt, ut opus fuerit Ludovico imperatori, Bernhardum, qui loco Pippini fratris in regnum Italiæ successerat, in urbem ablegare. Qua ratione illa contigerint, annales Francorum pluribus enarrant.

Ob sanctū Iacobum apostolum Compostellana ecclesia facta est episcopalis.

Hujus pontificis auctoritate sedes episcopalis Iriensis ecclesiæ ad petitionem Alphonsi regis cognomento Casti, & intercessionem Caroli magni, Compostellam est translata, quia reperto ibidem sancti Iacobi apostoli corpore venerando, & miraculis insigniter illustrato, reverentia apostolici culminis dignum & conveniens esse omnes senserunt, ut locus ille episcopalis sedis honore insigniretur. Ita omnes qui res Hispaniarum descripserunt. De Leone pontifice Vualafridus Strabo in libro de rebus ecclesiasticis cap. 21. scribit relatione fidelium ad suam usque pervenisse notitiam, ipsum, *una die septies vel novies missarum solennia sæpius celebrasse:* fortasse ut hac ratione majus Dei auxilium imploraret, qui magnis iisque gravissimis afflictionibus quotidie vexabatur.

Prima Leonis afflictio ab Anastasio descripta.

b *Cum die quadam more solito in litania, quæ ab omnibus Major appellatur, Leo pontifex procederet.*] Post enarratam pontificis munificentiam in sacras ædes collatam, subjungit hoc loco Anastasius quomodo nepotes Hadriani pontificis militantes in Romani cleri primis ordinibus, invidia tabescentes, Leonem ob ejus electionem persecuti fuerint, eique in sacra functione constituto oculos eruerint, & linguam præsciderint: item qua ratione post visum & loquelam miraculose recuperatam ad Carolum regem pervenerit, ejusque tutela ac patrocinio munitus Romam redierit. Hæc eadem recensentur in annalibus Francorum, & apud Adonem in chronico, ubi dicit sacrilegas manus in pontificem injectas fuisse septimo Kalendas Maii anno 799. His adde quod cum Roma in Germaniam ad Carolum regem fugeret, pertransiens Coloniam, venerit ad locum, quo viri Dei, Severini corpus venerabile requiescit, ibique, præter morem quem in via servaverat, oratum ecclesiam introivit Comites autem ejus mirantes causam hujusmodi sciscitabantur. Quibus ille, teste Surio vigesimo tertio Octobris, *Loci*, inquit, *hujus defensor domus est, ideo non ausus sum illam pertransire insalutatam. Hinc ergo consuetudo civibus inolevit, ut uno die per singulas hebdomadas ad sancti Severini sepulcrum veniant, & ut per totam hebdomadam ejus patrocinio fulciantur, supplici devotione deposcunt.* In translatione sancti Liborii apud Surium vigesima tertia Iulii scribitur, quod Paderbornæ altare consecraverit, atque in eo reliquias S. Stephani protomartyris, quas secum

Leo bis Coloniam venit, quidve ibidem egerit primo adventu.

A Roma detulerat, condiderit. Hæc sine dubio in primo adventu Leonis papæ in Germaniam contigerunt. Secundo venit in Germaniam anno domini octingentesimo quarto, de quo accessu pontificis hæc in annalibus Francorum: *Medio Novembris allatum est Carolo, Leonem papam natalem domini cum eo celebrare velle, ubicumque hoc contingere potuisset. Quem statim misso ad sanctum Mauritium Carolo filio suo honorifice suscipere jussit. Ipse obviam illi ad Rhemorum civitatem profectus est, ibique suscepit eum*, &c. Quas res ille in Germania gesserit, quæ altaria Coloniæ consecraverit, quibus miraculis sanctum Svvibertum canoni sanctorum adscripserit, prolixior narratio habetur in epistola Ludgeri apud Surium 1. Martii. In vita Caroli legitur Leonem pro suis persecutoribus exorasse, intercessisse, & impetrasse ne in corpore punirentur, sed tantum in exilium mitterentur, in quos, velut criminis læsæ majestati reos, capitis sententia prolata erat.

ANNO CHRISTI 79[5]. Secundu[s] adventu[s] quando contige[rit]

c *Qui post modicum temporis cum magno honore susceptus fuisset.*] Quo honore Carolum Romam venientem B pontifex exceperit, annales Francorum expresse describunt his verbis: *Pridie quam Carolus Romam veniret, Leo papa apud Numentum occurrit, & eum magna veneratione ibidem suscepit. Post cœnam, qua simul refecti sunt, ibi illo manente, pontifex ad urbem processit, posteroque die missis obviam Romæ urbis vexillis, adornatis etiam atque dispositis per congrua loca tam peregrinorum quam civium turmis, qui venienti laudes dicerent, ipse Leo cum clero & episcopis equo descendentem, gradusque ascendentem suscepit, dataque oratione in basilicam beati Petri psallentibus cunctis introduxit. Facta sunt hac octavo Kalendas Decembris.*

Carolus Roma[m] veniens [ho]norifice exceptu[s]

d *Fecit Carolus magnus.*] His verbis describit acta synodalia hujus concilii, quod in causa Leonis habitum C fuit octavo die, postquam Carolum Romam venisset. Vide notas illius concilii infra.

e *Post hac adveniente die natali domini nostri Iesu Christi in jam dicta basilica.*] Hoc loco enarrat qua forma quibusve ritibus Carolum de Romana ecclesia optime meritum imperatorem coronaverit, totumque imperium a Græcis ablatum in Francorum regem ejusque successores transtulerit. Eamdem historiam Eginhartus Caroli secretarius, & rei gestæ spectator & testis oculatus in vita ejusdem Caroli, Paulus diaconus, Theophanes in annalibus" Francorum, Annales sub Ludovico conscripti, Aimoinus, Ado Viennensis in chron. Regino, omnesque tam Græci quam Latini scriptores iisdem prope verbis enarrant. Historiam itaque tam celebrem, totque scriptoribus demonstratam, nemo nisi pertinax & impudens hæreticus negaverit. Hæc omnia optimo jure, magno cum fructu totius ecclesiæ, ac præterea Dei nutu, voluntate & consilio contigisse, contra novatores nostri temporis hæreticos perspicue, docte, ac solide demonstraverunt duo collegii apostolici ornamenta amplissima Bellarminus & Baronius: quorum hic tomo 9. annalium an- D no 800. Bellarminum id quod conatus est de translatione imperii contra Illyricum tam feliciter consecutum esse ait, ut nobis vel aliis non sit admodum laborandum, sed gratulandum potius, uti potentissimo vindici veritatis, agendæque gratiæ, quod labore plurimo liberaverit immittendi falcem in adeo densam immensamque mendaciorum silvam.

Leo pa[pa] optimo [jure] justa de cau[sa] imperiu[m] Roman[um] transtu[lit a] Græcis [in] Carolu[m] Franco[rum] regem [...] que hæ[reti-] des. '' erra[nt]

f *Post celebrationem missarum.*] Oblationes, quas ab hoc loco describit Anastasius, Carolus Romanis basilicis obtulit anno domini 800. vel si a natali domini computare incipias, anno domini 801.

A Car[olo] dona e[c-] [cle]siæ obla[ta]

g *Nona vero indictione peccatis nostris imminentibus subito terramotus factus pridie Kalendas Maii, ecclesia B. Pauli*, &c.] Hæc eadem annales Francorum in vita Caroli magni anno 801. his verbis describunt: *Carolus magnus imperator septimo Kalendas Maias Roma profectus Spoletum venit, & dum esset ibi, pridie Kalendas Maii hora noctis se-* E *cunda terramotu maximus factus est, quo & tota Italia graviter concussa est. Quo etiam terramotu Romæ tectum basilicæ sancti Pauli apostoli magna ex parte cum suis trabibus decidit, & in quibusdam locis urbes montesque ruerunt*, &c. Quæ ornamenta, quasve impensas in prædictam S. Pauli basilicam aliasque plures restaurandas, augendas & exornandas post terræmotum contulerit, Anastasius prolixe enarrat. Quæ vero ante terræmotum ecclesiis a pontifice oblata commemorat, obtulit idem quando ex Germania reversus fuisset.

Leo mu[ni-] ficus er[ga] ecclesia[s]

h *Hic vero pro amore & cautela orthodoxæ fidei fecit scutos argenteos duos scriptos utrosq; symbolo.*] Cum Galli & Hispani absq; licentia ad symbolū vocē *Filioque* addidissent, eoque additamento symbolum Nicænum ad missarum solennia publice decantassent, visum fuit Leoni papæ e re ecclesiæ futurum, si publicis hisce tabulis duabus argenteis publico loco conservatis, utrumque symbolum Græce simul & Latine absque ullo additamento vocis *Filioque*

Cur L[eo] symbo[lum] Nicæn[um] duabu[s ta-] bulis G[ræce] & Lat[ine] inscrib[i cu-] raveri[t]

Filioque inscriberet, ne deinceps quidpiam ad sacrum symbolum addi posset. Affixit hasce duas tabulas argenteas in basilica sancti Petri; non autem, ut scribit Magister sententiarum libro 1. dist. 11. in ecclesia sancti Pauli. Quando autem & qua occasione illa vox *Filioque* auctoritate Romani pontificis Romana ecclesia alia causa posteente in symbolum receperit, dixi supra, infra etiam suo loco idem repetiturus.

i *Ex hac luce subtractus est*, &c.] Anno domini 816. & Ludovici imperatoris tertio.

EPISTOLA KENVLFI REGIS MERCIORVM AD LEONEM PAPAM III.

Pro archiepiscopatu Lichefeldensi abolendo, restituendaque Dorobernensis ecclesiæ dignitate, quam Hadrianus papa I. & rex Offa dissecuerant.

Domino beatissimo & vere amantissimo Leoni sanctæ & apostolicæ sedis Romano pontifici, Kenulphus gratia Dei rex Merciorum, cum episcopis, ducibus, & omni sub nostra ditione dignitatis gradu, sincerissimæ dilectionis in Christo salutem.

GRATIAS omnipotenti Deo semper agimus, qui ecclesiam suo pretioso sanguine acquisitam, inter diversas mundi hujus procellas, novis semper, prioribus ad vitam sumptis, suescit ducibus ad portum salutis attrahere, eamque nova luce infundere, quatenus nullo sit tenebrarum errore fuscata, sed viam veritatis inoffenso pede gradiatur. Vnde merito omnis per orbem exultat ecclesia, quia cum omnium verus remunerator bonorum gloriosissimum gregis sui pastorem Hadrianum perpetuo remunerandum super æthera duxisset, suis tamen ovibus pia erexit providentia præmium, qui scit ovile dominicum ad caulas, non inferius vitæ agitare. Nos quoque merito, quos extremitas orbis tenet, eodem modo præ ceteris gloriamur, quod illius sublimitas nostra salus, illius prosperitas nobis perennis exultatio, quia unde tibi apostolica dignitas, inde nobis fidei veritas innotuit. Quapropter opportunum arbitror tuis sanctis jussionibus aurem obedientiæ nostræ humiliter inclinari, & quæ tuæ pietati rite nobis sequenda videantur toto nisu implenda: quæ vero rationi contraria deprehensa fuerint, citius declinanda, ac interim a nobis omnimodo resecanda.

Sed modo ego Kenulphus gratia Dei rex excellentiam tuam humiliter exoro, ut te sine offensione animi vestri de profectu nostro, ut optamus, liceat alloqui, quatenus in gremium me pietatis tuæ tranquilla pace percipias, & quem meritorum nulla facultas erigit, larga benedictionis tuæ ubertas ad plebem suam regendam locupletet, ut una mecum gentem, quam vestra apostolica auctoritas fidei rudimentis imbuit, per intercessionem tuam contra impetus exterorum omnipotens erigat, & per se regnum, quod ipse Deus dedit nobis, dilatare dignetur. Hanc benedictionem omnes, qui ante me sceptro præfuere Merciorum, meruerunt ab intercessoribus tuis adipisci; hanc ipse humilis peto, & a vobis (o sanctissime) impetrare cupio, quatenus imprimis adoptionis sorte me tibi filium suscipias, sicut te in patris persona diligo, & totis obedientiæ viribus semper amplector. Decet enim inter tantas personas fides sancta servari, & inviolata caritas custodiri; quia paterna pietas filiorum felicitas in Deo esse credenda est, secundum illud

A Ezechiæ: *Pater filiis notam faciet veritatem tuam, domine.* In quibus verbis te (amande genitor) imploro, ut filio tuo, tametsi indigno, veritatem domini tuis verbis sacrosanctis notam facere non deneges, ut per tuam sanam eruditionem (Deo adjuvante) ad melioris vitæ propositum merear pervenire. — ANNO CHRISTI 795.

Quinetiam dulcissime cum omnibus episcopis nostris, & cujuscumque apud nos dignitatis persona deprecor, ut nobis de multimodis inquisitionibus, super quibus maximam subtilitatem vestram dignum duximus perquirere, benigne B respondeas, ne sanctorum traditio patrum, & ab illis tradita nobis regula quasi incognita per aliquid vitietur in nobis, sed sermo tuus directus nobis in caritate & mansuetudine veniat, ut per Dei misericordiam profuturum in nobis perficiat fructum. Primum namque est quod pontifices nostri ac peritissimi quique in nobis dicunt, quod contra canones & apostolica statuta, quæ nobis a patre beatissimo Gregorio dirigente statuta sunt, sicut vos scitis, auctoritas Dorobernensis metropolitani in duas scinditur parochias, cujus (eodem patre mandante) ditioni, subjacere debent episcopi duodecim, sicut per eccle- C sias nostras legitur in epistola, quam fratri & coepiscopo Augustino direxit, de duobus Londoniæ & Eboracæ metropolitanis episcopis, quam etiam apud vos haberi non dubitamus. Sed ipse primum pontificalis apex, qui tunc Londoniæ sub honore & ornamento pallii fuerat conscriptus, pro eo Dorobernensi oblatus est atque concessus. Nam quia beatæ recordationis Augustinus, qui verbum Dei, imperante beato Gregorio, Anglorum genti ministrabat, & gloriosissime ecclesiis præfuit † Saxoniæ, in eadem civitate diem obiit, & corpus illius in ecclesia beati Petri apostolorum principis, quam successor ejus sanctus Laurentius sacravit, conditum fuisset, vi- D sum est cunctis gentis nostræ sapientibus, quatenus in illa civitate metropolitanus honor haberetur, ubi corpus ejus pausat qui his partibus fidei veritatem inseruit. Cujus itaque, sicut vos scitis, dignitatis honorem primum rex Offa, propter inimicitiam cum venerabili Lamberto & gente Cantuariorum acceptam, avertere, & in duas parochias dissipare nisus, & piissimus coepiscopus & antecessor vester Hadrianus rogatu prædicti regis facere cœpit, quod prius nemo præsumpsit, & Merciorum præsulem pallio extulit. Neutrū tamen ex his culpamus, quos Christus, ut credimus, æterna victoria triumphat.

Petit canones observari, & redintegrari sedem Cāntuariæ.

† Quæ nūc Anglia, olim dicebatur Saxonia transmarina.

Quam Offa rex & Hadrianus papa dissecuere.

Sed tamen excellentiam vestram humiles exoramus, quibus a Deo merito sapientiæ clavis collata est, ut super hac causa cum sapientibus E vestris quæratis, & quidquid vobis videatur, nobis postea servandum rescribere dignemini, ne tunica Christi inconsutilis, alicujus inter nos dissensionis schisma patiatur; sed per vestram sanam doctrinam, ut desideramus, ad veræ pacis unitatem dirigatur. Magna enim humilitate simul & dilectione hæc tibi scripsimus, papa beatissime, clementiam tuam profusius precantes, quatenus ad ea, quæ a nobis necessario explicita sunt, benigne & juste respondeas.

Petit responsum.

Sed & illam epistolam, quam Atheraldus archiepiscopus coram cunctis provincialibus episcopis nostris multiplicius de suis, ac totius Britanniç causis & necessitatibus tibi scripsit, pio amore perscrutari digneris, & quidquid de rebus, quæ in ea scripta sunt, fidei normula poscat,

Et medelam ad querelas Atheraldi.

ſcat, pagina nobis veritatis patefacere memineris: ergo præterito anno legationem meam etiam & epiſcoporum per Vvadan abbatem miſimus; ac ille accipiens legationem illam, ſegniter, imo inſipienter deduxit. Sed modo tibi munus modicum amoris gratia per Brine preſbyterum, & Fildas, & Ceolberth miniſtros meos (pater amande) mitto: quod eſt 120. mancuſas cum literis, precans te, ut benigne ſuſcipias, & benedictionem tuam nobis donare digneris. Omnipotens Deus te longævo tempore ad laudem ſuæ ſanctæ eccleſiæ cuſtodiat incolumem.

Mittit 120. mancuſas.

EPISTOLA I. LEONIS PAPÆ III.

AD KENULFUM REGEM MERCIORUM.

Reſpondet ſuperiori, & petita omnia lubens cedit.

B

Malm de geſt. reg. l. 1 c. 4.

Domino excellentiſſimo filio Kenulpho regi Merciorum provinciæ Saxoniæ Leo papa.

Lætatur in regis fide, humilitate, dilectione & munere.

VENIENS ad ſanctiſſima limina beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, tam orationis vota fideliter ſolvens, quam noſtræ ſedi apoſtolicæ cauſam ſui ſacerdotii ſuggerens, reverentiſſimus & ſanctiſſimus frater noſter Atheraldus archiepiſcopus Dorobernenſis eccleſiæ nobis obtulit veſtræ regalis excellentiæ ſyllabas, quibus in duabus epiſtolis a vobis directis, plenis fidei rectæ, magnam humilitatem veſtram reperientes, omnipotenti Deo referimus grates, qui veſtram prudentiſſimam excellentiam in omnibus ornavit ac decoravit erga beatum Petrum apoſtolorum principem, & nobiſcum habere dilectionem, & in omnibus apoſtolicis humiliter conſentire cenſuris. Porro in una ex illis epiſtolis reperimus, qualiter gratiam noſtræ apoſtolicæ functionis, ſi juxta fuiſſetis, animam veſtram pro nobis poſuiſſetis benigne; imo & noſtræ proſperitati multum in domino congaudeatis: & cum noſtræ dulciſſimæ admonitionis literæ ad veſtræ unanimitatis perveniunt aures, cum omni ſuavitate & cordis gaudio ſpirituali, quaſi filii paternum munus ſuſcipere fatemini. Fatebatur vero & hoc, quod aliquantulam ex veſtra facultate benedictionem nobis offerri demandaſtis, 120. mancuſas, quas cum magno amore pro animæ veſtræ ſalute ſuſcepimus.

C

Auxilium pollicetur Atheraldo, & regi.

Et prædictus archiepiſcopus cum ſuis ſociis honorifice ac benigne a nobis ſuſceptus eſt, & adjuvari eum in ſuis neceſſitatibus libenter fecimus. Interea credentes veſtræ prudentiſſimæ excellentię, ubi ferebatur in ipſis tuis regalibus apicibus, quod noſtris apoſtolicis ſanctionibus nullus Chriſtianus contraire præſumit: ideo totis niſibus noſtris ea, quæ tuo regno expediunt, emittere atque prædicare conamur, ut ea, quæ nobis prefatus frater noſter Atheraldus archiepiſcopus, ſeu tota ſynodus euangelicę & apoſtolicę doctrinæ ſanctorumq; patrum, nec non prædeceſſorum noſtrorum ſanctorum pontificum, canonica cenſura prædicante, veſtræ regali excellentiæ, ſeu cunctis principibus gentis veſtræ, & univerſo populo Dei ediſſerit, nequaquam in orthodoxa eorum doctrina quidpiam reſiſtere debeatis, domino ac redemptore noſtro in euangelio dicente, ubi ait: *Qui vos recipit, me recipit, & qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.* Quanto magis pro ipſo ſæpe domino archiepiſcopo, quem nobis valde nimiſq; collaudaſtis, ſicuti & eſt, videlicet clariſſimus atq; peritiſſimus, & quia illum ſcitis prudentem & bonis ornatum moribus, Deoque & hominibus dignum;

Qui ſanctiones ejus irrefragabiles agnoſcit.

Matth. 10.

Atheraldi laus.

A

ecce (fili dulciſſime & amantiſſime atq; præſtantiſſime rex bone, in his tuis aſſertionibus collaudamus Deum omnipotentem, qui talem vobis demonſtravit antiſtitem, qui ſicut verus paſtor, indicere verbis ſecundum doctrinam ſanctarum ſcripturarum dignam pœnitentiam valeat, & eruere qui ſub ditione ſacerdotali ejus exiſtunt animas eorum ex inferno inferiori, & ab igne inextinguibili deducens eos, & introducens in portum ſalutis: & offerre pro illis hoſtiam dignam, & immaculatam in conſpectu divinæ majeſtatis omnipotenti Deo. Et quia multum nobis prænominatus archiepiſcopus in omni ſanctitate ſua & vitę converſatione ultro citroque placuit, valde nimis ei credentes, ex auctoritate ei B. Petri apoſtolorum principis, cujus vel immeriti vices gerimus, talem præbuimus præſulatum, ut ſi quiſquam ex ſubjectis ſuis, tam regibus & principibus, quã univerſo populo tranſgreſſus fuerit dominica mandata, excommunicet eum uſquedum pœniteat, & ſi impœnitẽs fuerit, *ſit vobis ſicut ethnicus & publicanus.*

Matth. Subtra... epiſco... Ather... reſtitu...

De Atheraldo vero jam fato archiepiſcopo Dorobernenſis eccleſiæ, ſicut a nobis popoſcit veſtrorum præſulum excellentia, ut ei juſtitiam faceremus de ipſis diœceſibus ſuis, tam epiſcoporum quam monaſteriorum, quibus illicite, ut cognoviſtis, expoliatus eſt, & a venerabili ſede ejus, quas dudum tenuit, ablatæ ſunt; nos per omnia enucleatius trutinantes, in ſacro ſcrinio noſtro reperimus S. Gregorium prædeceſſorem noſtrum in integro ipſam parochiam numero duodecim B. Auguſtino ſyncello ſuo archiepiſcopo tradidiſſe, & confirmaſſe epiſcopos conſecrandi. Vnde & nos (veritate ipſa reperta) ordinationes, ſeu confirmationes noſtra apoſtolica auctoritate illi in integro, ſicut antiquitus fuerunt, conſtituentes reddidimus, & privilegium confirmationis, ſecundum ſacrorum canonum cenſuram eccleſiæ ſuæ obſervandum tradidimus.

II. AD CAROLUM MAGNUM.

De privilegio capellæ in Ereſburg.

*Leo ſervus ſervorum Dei Carolo magno * Romanorum imperatori.*

D

*Regi... corum...

PIÆ tuæ petitioni per omnia congaudentes, quod jubes annuere non tardamus. Igitur hunc montem Ereſburg, quem expugnatum cum tota Saxonia Deo obtuliſti, & per nos B. Petro conſecraſti, liberum ab humana poteſtate eſſe, & fratrum inibi ad Chriſti ſervitium adunatorum ditioni tantummodo parere cenſemus. Qui ne aliquid in hoc impedimenti patiantur, neve regni veſtri invaſoribus aliqua rebellandi fiducia præparetur, ſub anathemate, S. Petri auctoritate, interdicimus, ne quis unquam bellica in ipſo monte præſidia collocare, aut per te collata prædia, aut decimas circa montem per duas Saxonicas raſtas, quas illuc delegaſti, audeat diripere. Hæc conſervantibus ſit pax a Deo Patre, infringentibus excommunicatio, & a beatorum collegio ſit ſeparatio in æternum. Data Ereſburg per manus bibliothecarii & cancellarii eccleſię Romanę VII. Kal. Ianuarias, anno domini.... Leonis III. 4. indict. * 7. die dedicationis capellæ in Ereſburg.

E

* octa...

De Saxonia oblata a Carolo magno S. Petro ſunt etiam literæ Gregorii papæ VII. ſuo loco recitatæ. Eodem pariter anno patriarcha Hieroſolymorum per ſuum monachum miſit ad Carolum magnum ſacroſancti ſepulcri redemptoris noſtri claves, quem dimittens ipſe Carolus Zachariam preſbyterum illi adjunxit, qui dona ad loca illa ſancta deferret. *Hæc annales Francorum.* Innotuerat in oriente etiam tanti regis Chriſtianiſſimi pietas atque potentia, adeo ut ad hunc unum reſpicerent omnes, tamquam unicum Chriſtianæ religionis, temporibus iſtis perditiſſimis,

quibus sub Saracenorum jugo gemebant, decus & ornamentum. Porro pro restauratione ecclesiarum Hierosolymorum Carolus collectam more majorum indixit. Est ea de re titulus in ejus capitularibus his verbis inscriptus: De eleemosyna mittenda in Ierusalem, propter ecclesias Dei restaurandas, proximo natali domini.

"** III. AD EUMDEM CAROLUM M. imperatorem de accusatoribus.

Domino piissimo & serenissimo, victori ac triumphatori, filio, amatori Dei ac domini nostri Iesu Christi, Karolo Augusto, Leo episcopus, servus servorum Dei.

REMEANTES ad nos "fidelissimi missi nostri, quos ad vestram imperialem potentiam direximus, retulerunt nobis de vestra benignissima bonitate, quam erga beatum Petrum apostolum, & ejus vicarium geritis ex intimo cordis amore. Interea obtulerunt nobis honorabiles vestras epistolas & capitularem.

Quod vero capitularem, post relectionem duarum epistolarum reserantes, inter cetera gaudia, quæ præfatæ epistolæ cordi nostro effuderunt, sic primum capitulum ejusdem capitularis cor nostrum relevavit: ut cum propheta dicere cœpimus: *Domine salvum fac regem, & exaudi nos in die qua invocaverimus te.* Cumque per ordinem ad sextum conjungeremus capitulum, quantum gaudium & lætitiam prædictæ epistolæ atque cetera capitula nobis ingesserunt, tantum mœrore & tristitia postmodum sumus repleti. Continebatur enim in ipso præfato sexto capitulo, quod missos invenire non valetis qui nobis placeant: de qua re valde tristatur vestra serenitas; & nullus de ipsis qui jam ad nos fuit directus per suam voluntatem amplius missus erit, excepto quod obedientiam vestram voluntarie unusquisque adimplere cupit: & non solum missi vestri timent vestram portare legationem ad nostram pusillitatem, verum etiam alii jam non sunt ausi quærere a vobis auxilium, quia nullus est qui vestram quæsivit clementiam, ut dicunt, qui postmodum ad plenam potuisset pervenire gratiam nostram; & quia plures directos habuistis missos fideles, ex quibus jam alii mortui sunt, & ipsi blasphemati fuere, & de ipsis qui vivunt nullus jam sine blasphemio esse videtur. Unde nobis, fili dulcissime, quid aliud agendum est, nisi preces pro his, qui talia vobis mentiti sunt, ad dominum fundamus? sicut scriptum est: *Orate pro inimicis vestris.* Credat enim nobis vestra serenitas, quia ea quæ ad animæ vestræ salutem cognoverimus, nullo modo tacemus; & si ante tacuimus, nunc autem non cessamus, sive de bonis sive de malis, vestræ intimare potentiæ. Nam qui per mendacium & malas machinationes vult filium separare a matre, judicium habebit cum ipso clavigero regni cælorum beato Petro apostolo. Quia mihi in hoc mundo nihil pretiosius est quam animæ vestræ salus. Sed quia omnia quæ de vestra prosperitate atque exaltatione in corde nostro gerimus per singula exarare non valemus, sic nobis omnipotens Deus retribuat, sicut de vestro honore & sospitate cupimus. Verumtamen cum multo amore multaque fide erga vos constringimur, tacere nullo modo possumus, ut vos ipsi pro anima vestra vigiletis, scientes quia ista misera & caduca vita in modicum exterminatur & finem habet, & omnes rationem reddituri sunt domino de vaniloquiis. Igitur hominibus non citius credatis ante satisfactionem. Sed tamen si nos bene suscepimus & bene honoravimus pro vestro amore, Deus nobis retribuat bona, & vos satisfaciat ut in causis beati Petri apostoli amplius & amplius decertetis: & si non vobis nunciaverint quomodo eos honorifice suscepimus, quid aliud dicamus nisi ut Deus illis indulgeat? Verumtamen si prope fuissemus, adjuvante Dei omnipotentis misericordia, vos habuissetis veritatem & mendacium discernere; quia talem vobis a Deo datam esse sapientiam credimus, ut tale improperium atque confusionem non habuissemus in faciem nostram. Recordari credimus vestram serenitatem, quia vicibus nobis misistis, quod neminem de nobis male loqui permitteretis, neque locum illi tribueretis. Sed quid igitur restat, nisi ut inter tantas accusationes, quæ de nobis & fidelibus nostris, qui aliquod profectum sanctæ nostræ ecclesiæ faciebant, vobis dictæ sunt, cum lacrymis gratias agam Deo omnipotenti. Nam de illo amore quem erga vos gerimus, nullus in hac vita nos separare potest nisi sola mors, quandoque nobis obvenerit. Sed quid tantum fastidium facimus auribus vestris? Certissime in quantum nobis Deus largiri dignatus est, sic in nostro sensu cogitamus, quod nullus de antecessoribus nostris partibus istis cum tanto amore servierit, quantum nos servivimus. Sed nostrum servitium, ut videmus, nemini acceptum fuit.

De autem accusatoribus missorum vestrorum, de quibus nobis emisistis, ut aut in nostram aut in vestram præsentiam ad discutiendum veniant; si placet pietati vestræ, missum vestrum dirigite absque illis, qui omnia liquidius inquirat & vestræ imperiali potentiæ fideliter nunciet, quid aut quomodo istis in partibus egerint, qualem profectum exinde sancta Dei ecclesia mater vestra habeat. Verumtamen omnia in vestro committimus sagacissimo arbitrio. His prætermissis: Omnipotens & misericors Deus, per intercessionem sanctæ suæ genitricis Mariæ dominæ nostræ, & beatorum principum apostolorum Petri ac Pauli, tale cordi vestro salubre consilium inspiret, ut oblatio quam dulcissimus genitor vester dominus Pippinus rex beato Petro apostolo obtulit & vos confirmastis, ipse claviger regni cælestis ante conspectum Dei cum ipsa donatione vobis præsentetur, quatenus gaudia æterna percipere mereatis. *Piissimum domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.*

"** IV. EPISTOLA AD EUMDEM.

Qualiter Sicilienses cum Sarracenis pactum fecerunt, & captivi redditi.

Domino piissimo & serenissimo, victori ac triumphatori, filio, amatori Dei & domini nostri Iesu Christi, Karolo Augusto, Leo episcopus, servus servorum Dei.

TERTIO igitur idus Nov. suscepimus epistolam Gregorii patricii Siciliensis: responsum scilicet serenitatis vestræ epistolæ, quam illi per hominem nostrum emisimus. Vobis siquidem, pro qua causa ignoramus, epistolam nomini vestro titulatam non emisit, illam tamen quam nobis direxit epistolam, de qua vobis exemplar aut postquam eam legeremus a nostro sigillo vestræ imperiali potentiæ dirigere petivit: nos pro vestra satisfactione neque eam ad legendum aperuimus, neque quod in ea continetur cognovimus, nisi

nisi quod per illum missum nostrum nobis in verbis direxit. Id est de illis Sarracenorum missis, cum quibus pactum confirmavit ipse patricius in annos decem. Dicebat enim ad prædictos missos Sarracenorum: quale nobiscum pactum facere vultis, cum ecce jam anni sunt octuaginta quinque quod pactum nobiscum fecistis & firmum non fuit? Imo & Constantinus patricius qui ante me præfuit, in decem annos vobiscum pactum firmavit, usque ad futuram octavam indictionem; sed neque ipsum pactum firmum tenuistis. Nunc autem quale vobiscum pactum faciamus, nobis incognitum est. Ad hæc respondebant ipsi Sarracenorum missi, dicentes: Pater ipsius Amiralmumin qui nunc apud nos regnare videtur, B defunctus est, & iste relictus est parvulus, & qui fuit servus factus est liber, & qui liber fuit effectus est dominus; & nullum se regem habere putabant, sed ecce nunc postquam omnia quæ pater suus habuit sibi subjecit, vult firma stabilitate hoc quod paramus pactum servare: De Spanis vobiscum non spondemus, quia non sunt sub ditione regni nostri: sed in quantum valemus eos superare, sicut vos ita & nos contra illos in mare dimicare permittimus: & si soli nos non valemus nos a parte nostra & vos a vestra Christianorum finibus eos abjiciemus. Posthæc vero convenit illis, & confirmavere in scripto inter se pactum in annos decem: & dedit eis missum nomine Theo- C pistum notarium, & reddidit illis quantos habuit comprehensos de ipsis Sarracenis, ut illos Christianos quos de suis partibus prædaverant, reddidissent. Et postquam jam dictum pactum inter se firmaverunt, & missus ab ipso Patricio absolutus est, invenit in Catena unum hominem sub nimia velocitate ad patricium nunciare festinans, quod septem navigia Maurorum prædaverunt unum vicum in regio, & duæ naves ex eis post eos ad littus exierunt vacuæ. Nam & hoc nunciavit nobis ipse missus noster, quod audisset ab hominibus Sarracenorum missis, quod isto Iunio mense transactæ sextæ indictionis, voluissent cum aliis centum navibus ad Sardiniam peragrare, & dum venissent prope Sardiniam subi- D to aperta est maris vorago & subglutivit illa centum navigia, & post modum sic cum magno timore reversi sunt ipsi Sarraceni, qui hoc dicebant, in Africam, & nunciaverunt ad familiam de illis qui submersi sunt. Cumque ipse missus noster alia audisset, interrogavit illum notarium qui eum custodiebat, si veritas esset quæ ab illis Sarracenis audierat: & dixit ipse notarius, quod ita esset, & ipse ore proprio legisset ad patricium illam epistolam quam ei unus Christianus amicus suus ab Africa direxerat in qua de submersione, de prædictis centum navigiis continebatur. Et hoc factum est mense Iunio, quando illud signum E igneum tanquam lampadem in cælo multi viderunt. Ipsi vero missi Sarracenorum in navigiis Veneticorum venerunt, & sic veniendo combusserunt igne navigia quæ de Spania veniebant. Ecce quod per hominem nostrum audivimus serenitati vestræ intimare curavimus: sed precamur serenitatem vestram, ut postquam ipsa epistola Gregorii patricii relecta fuerit a vobis, nobis eam dirigere non dedignemini. Quare autem minime vobis epistolam ipse patricius misit, & in illam quam nobis direxit nomen vestrum non exaravit, cum a vobis perlecta fuerit, statim vestra a Deo data sapientia cognoscere poterit, cur vobis epistolam ut decuit non emisit. Tamen si præ- A sumptio non nobis imputatur, quod amando ea quæ de hac re sentimus, serenitati vestræ insinuamus, videtur nobis, quia sine consultu Leonis imperatoris sui non ausus est vobis adhuc epistolam suam dirigere. His præmissis: omnipotens & misericors Deus sua vos protectione custodiat, atque per multorum temporum annos ad gaudium æternum perducat. *Piissimum domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.* Absoluta III. Id. Novembr. Dixit Gregorius patricius ad missum nostrum, quod Michael imperator monachus effectus est cum uxore & filiis suis.

EPISTOLA V. AD EUMDEM.

De occisione Maurorum in Græcos.

Domino piissimo & serenissimo, victori ac triumphatori, filio, amatori Dei ac domini nostri Iesu Christi, Carolo Augusto, Leo episcopus servus servorum Dei.

SCIMUS igitur vestram a Deo protectam imperialem potentiam semper de integritate & exaltatione atque custodia matris suæ sanctæ Romanæ ecclesiæ ejusque finibus solertissimam habere sollicitudinem, & ideo notum facimus serenitati vestræ ea quæ nuper audivimus & ex parte certi sumus. Vestræ siquidem a Deo datæ sapientiæ incognitum non est, quod illa nefandissima Agarenorum gens partibus Siciliæ anno præsente venire consiliaverat. Nunc autem, sicut audivimus, in quibusdam Græcorum insulis conjunxerunt. Pro quibus vero misit Michael imperator patricium & spadarios cum stolo, ut contra eos Christo adjuvante dimicare debuissent. Cumque ipse patricius in Siciliam conjunxisset, direxit missos suos per Beneventum ad Anthimum Neapolitanum ducem, ut cum toto ipso Neapolitano ducatu qui illi obedire voluissent navale auxilium ei præbere studuissent. Qui vero dux occasiones proponens in adjutorio ejus ire contempsit. Kaietani tamen & Amalphitani aliquanta congregantes navigia in auxilio illius abierunt. Post modum vero, ut audivimus, ingressi sunt ipsi nefandissimi Mauri, tredecim scilicet navigia, in insulam quæ dicitur Lampadusa, partibus Siciliæ constituta, & prædavere eam. Cumque de prædicto Græcorum stolo septem navigia itidem explorando perrexissent, ut se veritatem cognoscere potuissent, comprehendentes eos Deo odibiles Mauri occiderunt illos: & dum expectassent eos Græci qui miserunt illos ad explorandum & minime essent reversi, abierunt generaliter super eos, & Christo miserante totos illos iniquos Mauros occiderunt, ita ut nec unum ex iis vivum reliquerint. Porro & hoc relatum est nobis: quadraginta naves de ipsis Mauris venerunt in insulam quæ Pontias vocitatur, ubi monachi residebant & prædaverunt eam. Postmodum vero egredientes ex ea ingressi sunt in insulam quamdam, quæ dicitur Iscla majore, non longe a Neapolitana urbe milliaria XXX. in qua familia & peculia Neapolitanorum non parva invenerunt: & fuerunt inibi a XV. usque ad XII. Kal. Septembr. & nunquam ibi Neapolitani super eos exierunt. Cumque totam ipsam insulam deprædassent, implentes navigia sua de hominibus, & ejus necessariis reversi sunt post se. Kaietani autem, qui post desolationem jam dictæ insulæ ibidem fuerunt, dixerunt, quod invenissent

invenissent homines occisos lacere, & granum & scirpha quæ ipsi Mauri portare secum non potuerunt, sed & caballos Mauriscos quos in suis ducebant navigiis occisos ibidem dimiserunt. Ecce quæcumque audire potuimus de Græcorum partibus, serenitati vestræ intimare curavimus. De nostris autem terminis insinuamus vestræ tranquillissimæ imperiali potentiæ, quia per intercessionem sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ dominæ nostræ & beatorum apostolorum Petri ac Pauli, & per vestram prudentissimam ordinationem, omnia salva & illæsa existunt. A quo enim de illorum adventu vestra nos exhortavit serenitas, semper postera & litoraria nostra ordinata habuimus, & habemus custodias; nosque cum nostris sacerdotibus in ecclesia fautoris vestri beati Petri apostoli omnipotentis exoravimus clementiam, ut suam sanctam ecclesiam ab insidiis inimicorum custodire & defendere dignetur, vosque ad exaltationem & defensionem ejus per longa annorum curricula conservare & protegere jubeat, atque ad gaudia æterna per multa temporum spatia cum sanctis perducat omnibus. *Piissimum domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.* Absol. VII. Id. Septembr.

EPISTOLA VI. AD EUMDEM.
De iniquo consilio facto.

Domino piissimo & serenissimo, victori ac triumphatori, filio, amatori Dei ac domini nostri Iesu Christi, Carolo Augusto, Leo episcopus servus servorum Dei.

POSTQUAM enim epistolam Gregorii patricii Siciliensis simul cum nostra emisimus serenitati vestræ, conjunxit ad nos unum navigium nostrum cum aliquibus Græcis hominibus: Ex quibus unus dixit nobis, quod dum esset Leo, qui nunc effectus est imperator, contra Bulgaros ad pugnandum, Procopia uxor Michaelis imperatoris habuisset quemdam amicum nomine Cōstantinum patricium, & exhortasse eum ut sibi eam in conjugio copulasset, promittens ei thesaurum absconditum multum, quod se abditum a patre suo habere dicebat, per quod populum erogare debuissent quatenus imperatorem eum sibi elegissent. Tunc seductus sermonibus ejus, paruit iniquo illius consilio, & pacavit sibi multos dans largiflua dona: post hæc vero intromiserunt eum in palatium imperiale, laudem canentes ei. Ipse autem Cōstantinus fecit ad se accersire Nicephorum patriarcham, & dixit se coronari, sicut mos est imperatorum. Ille igitur patriarcha nolens coronare eum manibus propriis, occisus est. Uxorem vero Leonis imperatoris exorbavit & filium ejus parvulum interemit. Hoc cum audiisset Leo imperator ubi erat in finibus Bulgarorum ad pugnā, cœpit afflictis sermonibus increpare patricios & optimates qui cū illo erant, dicens: Boni & Christianissimi viri, cur talem iniquitatem in me facere voluistis, quod elegistis me vobis imperatorem? & ecce nunc & uxorem meam, & filium meum occiderunt, & levaverūt sibi alium imperatorē. Tunc omnes stupore magno repleti dixerunt ei: Benignissime domine nullam perturbationem ante faciamus, donec intra civitatem ingredi valeamus. Et inito consilio deposuit imperialem vestem, & induit militarem, & tollēs secum quinque millia, viros armatos electos ad prælium, reversus est ad murum civitatis Constantinopolitanæ, & cœpit cum eis foris muros magnis vocibus laudare ac dicere: Constantinū magnum imperatorem multos annos. Cumq; nunciatum fuisset quod multi milites fugissent a Leone, & venissent ad eū laudantes illum, fecit eis aperiri portas civitatis, ut rogam eis dare debuisset. Illis autem ingredientibus non pepercerunt neque viris, neque mulieribus, sed neque parvulis quos invenire potuerunt. Et mortui sunt, ut fertur, XVI. millia inter viros & mulieres. Tunc ipse Leo imperator misertus est populo suo, & petiit cum Cōstantino bellum cōmittere, ne pro duobus viris tantorum Christianorum sanguis effunderetur. Post hanc vero petitionem ingressi sunt ambo in locum qui dicitur Ippodromio, & occisus est Constantinus a Leone imperatore. In eadem hora interfecit Theodorū patricium, & omnes qui in ipso consilio fuerunt: Procopiam autem uxorem Michaelis imperatoris occidit, & membra ejus abscidens distribuit per murum civitatis. Cumque sibi vindictam taliter perfecisset & ordinasset congrue civitatem, reversus est ad exercitum suum in finibus Bulgarorum. Post modum vero conjunxit ad nos unum hominem Gregorii patricii, qui dixit nobis, quod neque patriarcham occiderunt, neque uxorem Leonis imperatoris exorbaverunt, sed neq; filius ejus interfectus est, nisi unam parvulam filiam suam fecit Procopia uxor Michaelis imperatoris interficere. Hæc vero de Græcis hominibus audientes serenitati vestræ intimare curavimus. His præmissis: Omnipotens & misericors Deus sua vos protectione custodiat, atque post multorum curricula annorum ad gaudia æterna perducat. *Piissimum domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.* Absoluta VII. Kal. Decemb.

EPISTOLA VII. AD EUMDEM.
Gratiarum actionis.

Domino piissimo & serenissimo, victori ac triumphatori, filio, amatori Dei ac domini nostri Iesu Christi, Carolo Augusto, Leo episcopus, servus servorum Dei.

EXPLERE verbis clementissime fili non valeō, quantum vestro opere vestraq; vita delector. Magnas igitur omnipotenti Deo gratias reddimus, quia in ore cordis experimento dulcis fit sapor caritatis. Cum impleatur quod scriptum fit: *Sicut aqua frigida sitienti sic nuncius bonus de terra longinqua.* Prov. 25. Serenitatis namque vestræ suscepta plena consolationis epistola, continuo, ut decuit, gratiarum actiones omnipotenti Deo retulimus, qui vestram imperialem potentiam pacis ecclesiasticæ fecit esse custodem. Ipsa namque fides vos servat, quam erga sanctam Dei catholicam & apostolicam ecclesiam, fautricem & auxiliatricem in omnibus petitionibus vestris, atque in sacerdotali unitate servatis. Cumque vos jugo pietatis cor vestrum humiliter nostræ pusillanimitati subditis, cælesti gratia agitur, ut omnia quæ circa Deum ex vestra purissima voluntate agere cupitis divino adjutorio suffragati ad perfectionem secundum vestrum benevolum desiderium deducitis, & vestrum brachium forte contra inimicos sanctæ Dei ecclesiæ & vestros extenditis. Dilectionem igitur atque firmam caritatem quam erga serenitatem vestram gerimus, est Deus in cælis, scrutatur corda & renes, qui scit qualem amorem & sollicitudinem

tudinem de vestra diutissima prosperitate quotidie habemus. Quia post Deum & sanctos suos nullum consolatorem habemus nisi solam vestram a Deo protectam imperialem potentiam, unde semper exspectamus defensionem & consolationem. Relectis namque vestris imperialibus syllabis reperimus in eis, quatenus Helmengaudus comes vester nosterque fidelis omnia, quidquid a nobis audivit, vobis per singula nunciavit. Sed si omnia quæ quotidie patimur vobis insinuasset tam ipse quam etiam ceteri missi vestri, qui istis partibus veniunt, fastidium auribus vestris credimus facere. Nescimus enim si vestra fuit demandatio, quod missi vestri qui venerant ad justitiam faciendam, detulerunt secum homines plures & per singulas civitates constituerunt. Quia omnia, secundum quod solebat dux qui a nobis erat constitutus, per distractionem causarum tollere, & nobis more solito annue tribuere, ipsi eorum homines peregerunt, & multam collectionem fecerunt de ipso populo, unde ipsi duces minime possunt suffragium nobis plenissime præsentare. Sed valde nobis gravis esse videtur si vobis fastidium facimus: confidimus enim in Dei misericordia, quia in vestris temporibus sancta Dei ecclesia tranquilla atque pacifica persistere habebat.

De autem omnibus bonis & prosperis quæ circa missum nostrum quem in partibus Britanniæ ad Anglorum gentem direximus, omnia pro amore B. Petri apostoli fautoris vestri operati estis, sicut solita est vestra clementia, magnas gratias vestræ pietati exinde agimus: quia semper in solatio sanctæ Dei ecclesiæ, & adjutorio orthodoxæ fidei decertatis. Sed sicut nobis per vestram honorabilem epistolam insinuastis, quod Eardulphus rex de regno suo ejectus fuisset, jam hoc per Saxones agnoveramus, unde maxime ipsum missum nostrum pro ipsa nequitia illic direximus. Magnum enim gaudium & magna lætitia in corde nostro ascendit pro eo quod vestra pietas misit missos suos, & vivum eum ad vos usque perduxistis. Et valde de vita ejus delector, quia & vester semper fidelis extitit, & ad nos missos suos dirigebat. Pro qua re vestra imperialis defensio ubique multipliciter resonat.

De vero epistolis quibus vobis Eanbaldus archiepiscopus & Cenulfus rex atque Vvado emiserunt, relegentes, repetimus eorum dolositatem quam inter se habent. Vnde valde contristamur. Quia ipse prædictus Cenulfus rex nec suum archiepiscopum pacificum habet nec istum Eanbaldum idem archiepiscopum. Nam & de eorum divisione quotidie in confessione beati Petri apostoli, licet velut immeriti, preces fundimus, ut eos omnipotens Deus pacificet & discordiam quam inter se habent absolvat. Et sicut cœpit vestra serenitas in ipsam pacem nobiscum detestare, sic incessanter elaborare dignemini, quatenus vestra merces copiosa accrescat in cælis. Misistis siquidem nobis, ut nostræ apostolicæ auctoritatis adhortatoriam epistolam sæpefato Eanbaldo archiepiscopo per idoneum missum nostrum mitteremus, ut adhanc sanctam apostolicam sedem cum suis consentaneis venire debuisset, aut in vestra præsentia rationes deducendum. Nos vero statim ipsam epistolam dictavimus & vobis emisimus. Sed si placet serenitati vestræ, quod ipsam nostram epistolam per idoneum missum ipsis in partibus ad missum, quem itidem direximus, misissetis ut una cum prædicto misso nostro ipsum archiepiscopum adhortasset, quatenus aut hic, in nostra præsentia, aut ibidem in vestra una cum sociis suis conjunxisset, valde nobis recte visum fuisset; quia missum nostrum nondum suscepimus, & ipsi homines dolosi sunt, ut ne missos super missos suscipientes in dolositate eveniant. Verumtamen nos missum nostrum præparamus, donec secundum vestrum placitum demandetis, & si placet imperiali potentiæ ut missum nostrum ibidem dirigamus, vos nobis per vestram insinuationem significare jubeamini, & nos statim ipsum missum nostrum dirigemus secundum vestram voluntatem. Omnipotens enim & misericors Deus sua vos protectione longa per tempora conservare dignetur, atque æterna gaudia cum sanctis omnibus faciat possidere.

Piissimum domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.

EMBOLVM.

Pro tanto amore tantaque dilectione atque fide, quam erga vestram serenitatem gerimus, ea quæ agnoscere valemus silere non possumus. Iesse vero episcopus serviēs vester aliud servitium vobis facere potest. Nam missaticum per patrias deportare non nobis videtur quod idoneus sit, neque ad secretum consilium provocandus. Sed rogamus vestram clementiam, ut de hac re clementer considerare debeatis, quia nos omnes in vestro servitio salvi existere cupimus. De autem sacerdotalibus causis, unde nobis ad detrimentum venire speramus, quæ nos non sic possumus emendare, vobis insinuamus, ut interrogetis Helmengaudum & Hunfridum fideles vestros, quando a nobis absoluti sunt, & in Ravenna conjunxerunt, & ab archiepiscopo ad prandium invitati sunt, id est dominico die ad palmas: quales lectiones & quales admonitiones ante ipsam mensam recitatas audierint, sicut decet in sancto quadragesimali tempore, quando omnes de suis facinoribus Deum deprecantur, ut mereantur emendare. Sed & ea quæ ibidem audierunt nobis turpitudo est vobis in scriptis insinuare.

EPISTOLA VIII. AD EVMDEM.

De beneficiis acceptis.

Domino piißimo & serenißimo, victori ac triumphatori, filio, amatori Dei & domini nostri Iesu Christi, Carolo Augusto, Leo episcopus, servus servorum Dei.

MAGNO munere misericordiæ Dei totius mundi multiplicata sunt gaudia, cum pro & glorioso clementiæ vestræ studio erga sanctam Dei ecclesiam nostramque pusillitatem geritis, largiflue tuæ munificentiæ susceptis pulcherrimis munusculis, relectisque scriptis serenitatis vestræ, quæ in nostro corde melle condita sapuerūt, ilico, ut decuit, gratiarum actiones tripudiantes gratulanter Deo retulimus. Quia non solum lætitiæ verba in ea reperimus, verum etiam & nostræ prosperitatis solertissimam curam agnovimus. Sed de tantis immensis beneficiis & muneribus, quibus jugiter nos ditatis, optamus ut ab ipso clavigero regni cælorum, cujus vicem, Deo miserante, gerimus, dignam retributionem suscipiatis, cui tantum honorem assidue exhibetis, scimus namque & fideliter scimus, quia per omnia & in omnibus vobis pertinentibus nostrum gaudium vos esse facturos: sed commutatio excelsi quæ pia facta probat, & benigna solita pietate repensat, ipsa pro nobis digna prēmia vestræ pietati retribuat. Post vero numerum

munerum offertionem insinuaverunt nobis fidelissimi missi vestri, Helmengaudus videlicet atque Hunfridus gloriosi comites, quod filius noster domnus Pippinus rex ad limina apostolorum per vestram largitatem media quadragesima cupit venire, atque colloquium nobiscum habere. Unde in magnum gaudium cor nostrum relevatum est, quod ipsi fidelissimi missi vestri viva voce vobis insinuare possunt, & continuo omnia cum ipsis disposuimus de prædicti dulcissimi filii nostri itinere, missumque statim nostrum direximus, qui omnem præparationem facere deberet, quatenus cum lætitia ad limina apostolorum nostræque pusillitati conjungeret. Igitur post modicos, octavo scilicet Kal. Apr. conjunxerunt ad nos missi præfati filii nostri domni Pipini regis, & obtulerunt nobis honorabi- B lem epistolam vestram. Quam relegentes reperimus vestræ prosperitatis salutem atque solertissimam curam quam erga tranquillitatem sanctæ Dei ecclesiæ vestra serenitas semper gerit, atque de adventu filii nostri domni Pippini, ut non antea esset venturus nisi post diem sanctum paschæ, apto videlicet tempore. Credat enim nobis vestra clementia, quia quocumque tempore ad nos conjunxerit cum tanto gaudio tantaque lætitia eum suscipiemus, quantum condecet filio tam magni defensoris sanctæ Dei ecclesiæ: quia scimus domino opitulante, eo quod & nobis & illi profectum erit si nos conjunxerimus. Iterum postquam conjunxerunt ad nos ipsi missi prædicti filii nostri C domni Pippini regis, & dixerunt nobis quod in media quadragesima minime conjungere potest, porrexerunt nobis præfati missi vestri, videlicet Helmengaudus & Hunfridus gloriosi comites, aliam epistolam serenitatis vestræ, ubi continebat, ut ipsi fidelissimi missi vestri apud filium nostrum domnum Pippinum prius adirent, & de vestro verbo ei præciperent, ut ubi ambobus placuisset nobis obviam occurrisset, ut quod vos omnimodo optatis, cum Dei adjutorio veniat ad perfectionem, id est ut pax & concordia inter nos firma & stabilis Deo mediante constituatur. In veritate enim dicimus, quia D donavit nobis dominus pacificum imperatorem, de quo apostolus dicit: *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Nam omnipotens Deus vestrum potest cor satisfacere; quia nullam discordiam nullamque iniquitatem circa eum habemus, sed sic eum diligimus & illius profectum cupimus, sicut de carissimo filio: sed qui zizania portant in conspectu vestro vel filii nostri domni Pippini regis, quod nos nec in corde habemus; omnipotens Deus qui justus judex est, ante cujus conspectum omnia occulta patefiunt, ipse judicet inter nos & ipsos. De vero ecclesiis Dei ut suas habeant justitias, atque littoraria nostra E & vestra ab infestatione paganorum & inimicorum nostrorum tuta reddantur atque defensa, nos, quantum dominus virtutem donaverit, cum ipso prædicto filio nostro studium ponimus: sed vestrum consilium & vestrum solatium & nobis, & illi necesse est.

De autem insula Corsica, unde & in scriptis & per missos vestros nobis emisistis, in vestrum arbitrium & dispositum committimus, atque in ore posuimus Helmengaudi comitis, ut vestra donatio semper firma & stabilis permaneat, & ab insidiis inimicorum tuta persistat, per intercessionem sanctæ Dei genitricis, & A beatorum principum apostolorum Petri ac Pauli, & vestrum fortissimum brachium: & domino miserante tempore apto, quantum plus celerius valuerimus, per fidelem missum nostrum omni utilitate sanctæ Dei ecclesiæ vestræ imperiali potentiæ liquidius innotescimus. Omnipotens igitur & omnium futurorum præscius Deus ipse vos faciat prosperis exaltari triumphis, & post longævam vitæ ætatem gaudia tribuat sempiterna. *Piissimum domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.*

EPISTOLA IX. AD EUMDEM.

Quæstiones solvendæ.

Domino piissimo & serenissimo, victori ac triumphatori, filio, amatori Dei ac domini nostri Iesu Christi, Karolo Augusto, Leo episcopus, servus servorum Dei.

REMEANTE ad nos, domino annuente, Sabino religioso episcopo de partibus transmarinis, obtulit nobis serenitatis vestræ epistolam, continentem de injuncta sibi legatione vel captu atque redemptione Adulphi diaconi missi nostri; de quo in magno mœrore manemus, quousque omnipotens Deus illum ad nos usque per vestrum deducat solatium.

Reperimus etiam in ipsa honorabili vestra epistola tres quæstiones subjunctas. Unam quidem de eo quod scriptum est in euangelio secundum Matthæum, ubi dicitur de domino nostro Iesu Christo: *Et veniens Nazareth habitavit ibi; ut adimpleretur quod dictum est per prophetas, quoniam Nazarenus vocabitur.* Alteram *Matth. 2.* de eo, quod in principio euangelii secundum Marcum testimonium propheticum ita positum est: *Initium euangelii Iesu Christi filii Dei, sicut scriptum est in Isaia propheta, ecce mitto angelum meum qui præparabit viam tuam ante te.* *Marc. 1.* Tertiam de epistola egregii doctoris Pauli apostoli priore ad Corinthios, ubi dicit: *Si enim cognovissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent; sed sicut scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* *1. Cor. 2.*

Scribit enim beatus Hieronymus de quæstione prima, id est secundum Matthæum, quod hoc in Isaia scriptum habeatur: sed id magis juxta sensum usum beatum fuisse euangelistam quam juxta sermonis proprietatem. Scriptum namque est in commentario ipsius euangelistæ ab eo beato Hieronymo: *Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas, quoniam Nazarenus vocabitur. Si fixum de scripturis posuisset exemplum, nunquam diceret, quod dictum est per prophetas; sed simpliciter, quod dictum est per prophetam. Nunc autem per prophetas vocans, ostendit se non verba de scripturis sumpsisse sed sensum. Nazaræus enim sanctus interpretatur; sanctum autem dominum futurum omnis scriptura commemorat. Possumus & aliter dicere, quod etiam eisdem verbis juxta Hebraicam veritatem in Isaia scriptum sit: exiet virga de radice Iesse, & Nazaræus de radice ejus conscendet.* *Matth. 5.*

De testimonio vero beati Marci euangelistæ, quod in principio sui profert euangelii dicens; *Initium euangelii Iesu Christi filii Dei, sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce mitto angelum meum* *Marc. 1.*

meum ante faciem tuam qui præparabit viam A *tuam ante te.* Et iterum: *vox clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas ejus.* Sciendum est quod e duorum testimoniis prophetarum unum contexuit corpus Malachiæ videlicet & Isaiæ, quorum unius edixit, alterius
Malach. 3. vero tacuit nomen. Quod enim ait: *Ecce mitto angelum meum* &c. De Malachia protulit. Quod vero adjecit: *Vox clamantis in deserto* &c. Isaiæ vaticinium est, sicut in ipsius Malachiæ exposi-
Isai. 40. tione beatus profert Hieronymus, dicens: *Marcus evangelista duo testimonia Malachiæ & Isaiæ sub unius prophetæ sermone contexens, ita exorsus est. Initium evangelii Iesu Christi, sicut scriptum est in Isaia propheta, ecce mitto angelum* B *meum ante te qui parat viam tuam. Hoc, licet verbis aliis, in Malachia legimus. Quod autem sequitur: vox clamantis in deserto &c. ab Isaia propheta dicitur.* Item vero in commentario Matthæi idem beatus dicit Hieronymus. *Cum enim testimonium de Isaia Malachiaque contextum sit, quæritur quomodo velut ab uno Isaia exemplum putemus adsumptum: de quo ecclesiastici viri plenissime responderunt.*

At vero testimonium beati Pauli apostoli, quod in epistola ad Corinthios protulit, dicens:
1. Cor. 2. *Quod oculus non vidit nec auris audivit,* &c. In Isaia propheta scriptum habetur aliis quidem verbis, eodem tamen sensu. Sic namque scriptum
Isai. 64. est ibidem: *A sæculo non audiverunt neque auribus perceperunt, oculus non vidit Deus absque te quæ præparasti exspectantibus te.* Requirat prudentissima vestra imperialis potentia in capitulo centesimo septuagesimo, & ita inveniet. Quamquam beatus Ambrosius hunc sermonem in expositione ejusdem epistolæ, juxta scriptum apostoli in Apocalypsi Heliæ in apocryphis scriptum esse affirmat.

His præmissis omnipotens & misericors Deus sua vos protectione custodiat, atque per multorum curricula annorum vitam tribuat sempiternam. *Piissimum domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.*

EPISTOLA X. AD EVMDEM.

Intercessiones & cetera.

Domino piissimo & serenissimo, victori ac triumphatori, filio, amatori Dei & domini nostri Iesu Christi, Karolo Augusto, Leo episcopus, servus servorum Dei.

OMNES enim qui se nobis fideles asserunt, si vestræ imperiali potentiæ sic fideles non extiterint, ita ut omnes pacem atque dilectionem quam Deo miserante, erga sanctam Dei catholicam & apostolicam Romanam ecclesiam matrem vestram & nos geritis, cognoscere valeant, vacua est spes eorum & labor eorum sine fructu, E & inutilia sunt opera illorum, exceptis his qui per ignorantiam in aliquod ut homo fefellerint. Verumtamen & ipsi corrigendi esse judicamus. Misit siquidem nobis vestra serenitas, eo quod Adulphus diaconus, missus nostræ apostolicæ sedis, cum a vobis more solito benigne ac honorifice susceptus esset & usque ad portum maris deductus, atque exinde ad navigationem commode absolutus, & cum verteretur ad vos primum se velle venire profiteretur, noluit missum vestrum exspectare qui eum usque ad vos deduceret, sed arrepto itinere quasi fugiens, cum vos illum per dies aliquot exspectaretis, ad vos venturum sperantes, spem vestram delusit. Et quod missum Eanbaldi archiepiscopi, qui ipse literas suas ad vos misit petens ut prædictum legatum ejus ad vos venientem benigne susciperetis, & eum ad vos venire permitteretis: sed neque ille secundum domini sui præceptum peragere studuit. Quamobrem credat nobis vestra serenitas, carissime ac dulcissime fili, quia per nullum iniquum quodlibet consilium hoc facere perpessi sunt, sed ignorationes sæculi hujus solertiæ hanc solidam occursionem perfecerunt. Nos vero apostolica suffulti auctoritate, secundum vestram voluntatem, vestræ imperiali potentiæ eos dirigere non omittimus Sed precamur clementiam vestram, ut pro amore beati Petri apostoli fautoris vestri, in cujus servitio prædictum Adulphum diaconum emisimus, immo etiam in ipsum quod nobis sub jusjurando pollicitus est, ut ad profectum sanctæ Dei ecclesiæ & vestrum atque nostrum decertare debuisset, & pacem in ipsa insula seminare studuisset, iterum ipsis in partibus remittamus, nullam pro hoc sustineat tribulationem: ut cum propheta dicere valeat, *corripit me justus in misericordia.* Ps Quis enim vestram a Deo datam sapientiam illudere valebit? cum superna gratia sicut vos procul dubio credimus ut habeatis. Sed quia homines sumus & fallimur, peti- C mus pietatem vestram, ut hanc eorum noxam beato Petro apostolo concedere non dedignemini, ut ab ipso clavigero regni cælestis præmium mercedis suscipere mereatis. De autem quod nobis emisit vestra serenitas, fraudulentam eos habere legationem quam vobis ostendere timuerunt, & quia propter hoc tam festinanter profecti sunt, ut Ardulphi regis, iter Romam prævenire potuissent, omnes epistolas quæ de partibus illis nobis perlatæ sunt pro vestra satisfactione vobis emisimus legendas. Prædictum vero missum Eanbaldi archiepiscopi, in quantum Deo auspice agnoscere valuimus, in omnibus Dei famulum eum comperimus. Vnde obnixe quæsumus vestram imperialem potentiam, ut pro eo D quod ad fautorem vestrum beatum Petrum apostolum directus est, melius illi sit & non deterius, sicut modis omnibus esse credimus, quamquam ignoranter fefellit. Quia valde pertimescimus ne ipse populus acquisitionis sanctæ Romanæ ecclesiæ per quamlibet occasionem, & certamen prædecessoris mei domni Gregorii beatissimi papæ, quod ipsis in partibus posuit, meis temporibus infructuosum existere videatur, nec mihi in judicio eveniat. Quid plura dicimus? Sicut per eorum stultitiam agnovimus in aliquod vestrum furorem, ita per infusionem sancti Spiritus velocius a vobis vestram sentiamus misericordiam. His præmissis; Omnipotens & misericors Deus sua vos a malis omnibus protectione custodiat, & quoniam vita vestra bonis omnibus valde est necessaria, post longa adhuc tempora vos ad cælestis patriæ gaudia perducat. *Piissimum domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.* Prædictæ vero epistolæ quæ de Saxoniæ partibus nobis missæ sunt magnopere precamur clementiam vestram, ut eas nobis remittere jubeatis, quia eorum verba pro pignore retinemus. *Absolut. prid. Kalend. Ianuar.*

EPISTOLA XI. AD EUMDEM.

Qualiter quidam episcopus exsul inventus.

Domino piissimo & serenissimo, victori ac triumphatori, filio, amatori Dei ac domini nostri Iesu Christi, Carolo Augusto, Leo episcopus servus servorum Dei.

DUM vestræ imperiales syllabæ de civitate in civitatem ad nos pervenissent, quæ & a nobis susceptæ ac relectæ fuissent, reperimus in eis, quatenus a Gradensi insula, ubi Fortunatus archiepiscopus suam propriam sedem habere videbatur, propter persecutionem Græcorum seu Veneticorum exul esse dignoscitur; & si congrue B nobis apparuisset, pro causa necessitatis in Pola, ubi jamdudum Æmilianus quidam episcopus præfuit, quæ & diœcesis prædicti Fortunati archiepiscopi existit, illic suam sedem haberet: & qualiter vestra a Deo protecta imperialis potentia sine consultu apostolatus nostri nequaquam eum alibi collocare voluit. Nos vero de hac re pertractantes providimus. Ut secundum qualiter vestræ imperiali clementiæ complacuit ut in Polana ecclesia persisteret, ita maneat sub eo prorsus tenore: ut, si domino annuente, ei beato Petro apostolo protegente, per vestram in triumphis victoriam, ipsa sua sedes illi restituta fuerit, secundum qualiter prædicta Polana ecclesia integra cum omnia sibi pertinentia susceperit, sic iterum ea restituatur, & non de rebus ejus aut pecunia ad suam debeat subtrahere sedem, sed neque cuiquam ex ipsis rebus seu pecuniis atque speciebus dare quoquomodo præsumat, ut ipsa ecclesia semper irrefragabiliter cum suo antistite salva existere possit. Reservatur siquidem in ipsis vestris imperialibus apicibus, quomodo in Aquis palatio nobiscum providistis de Aquileiensi ecclesia, velut una quæ suam sedem haberet. Credat enim nobis vestra clementia, & quod quicquid ibidem una vobiscum vel cum fratribus, & coepiscopis nostris oratores vestri pertractavimus, omnia ad mercedem animæ vestræ, seu filiorum vestrorum esse conspicitur. Omnipotens & misericors Deus per intercessionem sanctæ suæ genitricis, suorumque apostolorum Petri & Pauli diu vos in hoc mundo conservare dignetur, & per multorum annorum curricula cælestia regna cum suis faciat adipisci. *Piissimum domini imperium gratia superna custodiat eique omnium gentium colla substernat.*

EMBOLUM.

Et hoc vestræ serenitati intimare curavimus de præfato Fortunato: ut sicut semper pro illius honore temporali laboratis, ita & de anima ejus curam ponatis, ut per vestrum pavorem suum ministerium melius expleat. Quia non audivimus de eo sicut decet de archiepiscopo, neque de partibus Franciæ, ubi eum beneficiastis. Tamen gratias agimus Deo, quia omnia vobis incognita non erunt. Interrogate quidem fideles vestros, & omnia vobis nota fient; eo quod illi qui vobis eum collaudant hoc per munera & calciaria faciunt. Quid nobis plus amabile est quam vestra dulcissima anima? Et Deus cognitor est, quia post salutem animæ vestræ hæc omnia vobis insinuavimus, eo quod de tanto amore quem erga vestram serenitatem gerimus, ideo silere non possumus. Potestis interrogare fratrem A nostrum Hildibaldum archiepiscopum & Ercanbaldum cancellarium. Fortassis exinde aliquid cognoveritis, quia cognovimus eos animæ vestræ fideles in omnibus.

EPISTOLA XII. AD EUMDEM.

Qualiter missi justitiam facturi damnum fecerũt.

Domino piissimo & serenissimo, victori ac triumphatori, filio, amatori Dei ac domini nostri Iesu Christi, Carolo Augusto, Leo episcopus servus servorum Dei.

AD hoc omnipotens & invisibilis Deus noster vestram a Deo protectam imperialem potentiam sanctæ suæ ecclesiæ fecit esse custodem, ubique gubernatione laudabili ad augmentum gloriæ vestræ vigilantior existeret, & quos consilio exterius regitis perire interius non permittatis, quatenus per fructum piæ sollicitudinis vestræ ad æterna quæ sanctis suis daturus est gaudia pertingere mereatis; atque ex bonorum vestrorum actibus dignam retributionem multipliciter percipiatis. Misimus itaque præsentes oratores nostros, Ioannem videlicet reverendissimum episcopum, & Basiliũ religiosum hegumenum, visitationis causa ad vestram imperialem clementiam, cum benedictione beati Petri apostoli fautoris vestri. Sed petimus serenitatem vestram ne injuriosum ducatis quod non aliquid dignum munificentiæ vestræ vobis dirigere valuiC mus. Verumtamen de beati Petri apostoli rebus, quamvis parvæ sunt quæ offeruntur, pro magna semper benedictione suscipiendæ sunt, quoniam & hic vobis valebit majora impendere, & apud omnipotentem Deum beneficia æterna præsentare. Dum enim in hominibus post Deum & sanctos suos non nisi in vestram imperialem potentiam fiduciam habemus, justum prospeximus, ut & gaudium nostrum & angustias quas assidue patimur vestris prius intimaremus auribus, ut oblationem quam vestri dulcissimi parentes & vos ipsi beato Petro apostolo obtulistis, accepta atque secura sit in conspectu ejus, quateD nus ab ipso clavigero regni cælorum, qui vos in suis utilitatibus defensores constituit, dignam retributionem percipere mereamini, & vestra opinatissima imperialis munificentia in universo fideli populo laudabiliter diffametur, & nos pro causa negligentiæ ante tribunal Dei cum ipso domino, & nutritio nostro beato Petro apostolo in judicio minime provocemur, pro eo quod oppressiones populi Dei vestræ non nunciaverimus clementiæ. Misit igitur pia serenitas vestra missos suos, ut justitiam nobis facere debuissent, sed magis damnum quam profectum nobis fecerunt. Verumtamen missos vestros qui ad nos venerunt interrogare dignemini, & ipsi viva voce insinuare possunt ea quæ in nostris hoE minibus audierunt vel viderunt peracta. Sed & præsens Ioannes episcopus missus noster per singula vestræ potest innotescere imperiali potentiæ; quia omnia, quicquid per vestrum pium ac legale judicium de causa videlicet palatii Ravennatis recollectamus, unde & jussistis, ut nullus quilibet homo imposterum conquassare aut in judicio promovere præsumeret, tam de vulgaria quam etiam de mansis, quos per vestrum dispositum Herminus fidelis vester nobis reconsignavit; omnia cum casis, vineis, seu laboribus atque peculiis abstulerunt, & nihil exinde nobis remansit.

remansit. Quamobrem quæsumus vestram imperialem clementiam, ut sic de vestra a Deo accepta donatione, quam prædicto Dei apostolo obtulistis, peragere jubeatis, quatenus in nulla minuatur parte, sed maxime per vestrum laboriosum certamen firma atque stabilis & inconcussa perennis temporibus persistere valeat, & nos, licet impares, tantum Deo miserante vicem ejusdem discipuli tenentes, securiter ac patienter Dei omnipotentis possimus exorare clementiam, ut vestrum robustissimum brachium fortiter contra inimicos sanctæ Dei ecclesiæ extendat, & omnes barbaras nationes pede fortitudinis opprimatis. *Pissimum domini imperium gratia superna custodiat, eique omnium gentium colla substernat.*

XIII. AD [a] RICHVLPHVM EPISCOPVM MOGVNTINVM.

Gratias agit de muneribus ab eo missis: mittit vicissim reliquias S. Cæsarii, quas postulabat.

Leo episcopus servus servorum Dei reverendissimo & sanctissimo Richulpho episcopo.

Cvm ad limina beatorum principum apostolorum Bernharius venerabilis episcopus una cum Adalhardo religioso abbate, missi filii nostri domini Caroli serenissimi imperatoris conjunxissent, & omnia prospera ac salubria de prædicto filio nostro, seu de ejus sublimissima prole, vel omnibus fidelibus suis nobis nuntiassent immensas omnipotenti Dei gratiarum actiones retulimus. Interea obtulit nobis prælatus Bernharius episcopus sanctitatis vestræ pulcerrimum munus & literas. Quas vero literas relegentes, gratias reverendæ almitati vestræ retulimus, quia nostri esse memores in vestris Deo acceptis orationibus non prætermittitis. De tantis autem muneribus, quibus nos assidue pro amore beati Petri apostoli ditatis, credimus in omnipotentem Deum, quia dignam retributionem hic & in futuro ab ipso clavigero regni cælestis percipietis. De reliquiis vero sancti Cæsarii, sicut petistis, per eumdem Bernharium venerabilem episcopum sanctitati vestræ direximus.

NOTA SEVERINI BINII.

Vnde & a quo hæc epistola Leonis papæ accepta sit. [a] Eadem edita fuit an. 1605. a Serario nostro inter epistolas S. Bonifacii num. 75. D. Ioannes Pistorius hanc editionem promovit.

a *Epistola.*] Reverendissimus, suisque pro ecclesia catholica scriptis, disputationibus, ac laboribus longe clarissimus vir, dominus Ioannes Pistorius theologus, jurisconsultus, ac medicus celeberrimus, sacræ Cęsareæ majestatis consiliarius amplissimus, patronus mihi jugi observantia colendus, ex amplissima nobilissimaque ejusdem sacræ Cæsareæ majestatis Viennensi bibliotheca misit ad me antiquum manuscriptum codicem, in quo inter alia antiqua monimenta hanc Leonis papæ III. epistolam ad Richulphum Moguntinæ ecclesiæ archiepiscopum inscriptam inveni, descripsi, & in hanc nostram epistolarum decretalium & conciliorum novam editonem transtuli. Idem codex habebat manuscriptum Concilium Moguntinum primum, quod auctoritate Richulphi archiepiscopi Moguntinensis sub Leone papa III. anno domini 813. celebratum fuit. Sed cum illud a principio ejus quod extat in editione Suriana parum discreparet, in fine autem mutilum esset, nullas, vel saltem pauculas lectionis varietates in margine annotavi. Ab eodem viro Christianæ reipublicæ & ecclesiæ amantissimo manuscriptum originale exemplar concilii Constantiensis non sine magnis ejus impensis, laboribus & molestiis Constantia ad me transmissum est; quo fructu quave utilitate totius ecclesiæ, infra indicabimus. Cetera quæ hujus aliorumque doctissimorum virorum studio & industria reperta, & huic nostræ editioni communicata fuerunt, locis opportunis gratissimo affectu commemorabo; non alia sane intentione, quam ut intelligas, lector carissime, nihil huic operi insertum vel superadditum esse, quod non a doctissimis iisque probatissimis viris acceptum fuerit.

I. EPISTOLA CAROLI MAGNI REGIS AD LEONEM III. PAPAM.

Novo pontifici gratulatur, & munera mittens quæ ejus decessori pararat, parem spondet erga illum benevolentiam, ecclesiæque Romanæ defensionem.

Carolus gratia Dei rex Francorum & Longobardorum, ac patricius Romanorum, Leoni papæ perpetuæ beatitudinis in Christo salutem.

Perlectis excellentiæ vestræ literis, & audita decretali chartula, valde, ut fateor, gavisi sumus, seu in electionis unanimite, seu in humilitatis vestræ obedientia, & in promissionis ad nos fidelitate. In quibus omnibus ex intimo cordis affectu multiplices divinæ pietati agimus gratias, quia nobis, post lacrymabile doloris vulnus, quod animæ nostræ dilectissimi patris & fidelissimi amici obitus inflixit, tale in vobis solita suæ clementiæ providentia solatium perdonare dignatus est. Vnde & vestræ sanctitati, quasi vicario lætitiæ munere, per ejusdem Dei & domini nostri Iesu Christi misericordiam, qui sanctæ suæ ecclesiæ in vestræ beatitudinis exaltatione consuluit, nostram omniumque fidelium nostrorum demandamus prosperitatem, nec non & pacificam in Dei voluntate totius regni nostri innotescimus unanimitatem: ut æque in nostræ devotionis gaudeatis, sicut & nos in vestræ sanctitatis lætamur successibus. Sed & hoc vestræ sanctissimæ benevolentiæ innotescimus, quod cum dilectionis munera patri meo dulcissimo prædecessori vestro dirigere paraveram, ut caritatis quam in eo habui munificentiæ largitate monstrarem magnitudinem, & suavissimæ inter nos familiaritatis fidelitas multorum ostenderetur oculis; ecce subito, quod sine dolore non dicam, sine lacrymis non cogito, præ tristitia obitus illius legatione consternatus sum, & ubi lætitiæ paraveram insignia, ibi me tristitiæ turbaverunt lugubria. Et si apostolus de mortuis contristari prohibet, tamen caritas lacrymas elicere non cessat. Non quasi mortuum plangentes, sed quasi melius cum Christo viventem recordantes, si nos corporali præsentia amisisse, non tamen spiritali suffragio illum nos amittere arbitramur. Sed magnum divina nobis prævidebat gratia solatium, dum vos, vir venerande, in locum illius subrogavit; ut esset qui quotidie apud beatum Petrum principem apostolorũ pro totius ecclesiæ stabilitate, & qui pro salute mea meorumque fidelium, imo & pro totius stabilitate regni nobis a Deo dati intercederet, & paterna pietate nos in filium sibi adoptaret. Ad dilectionis pacificam unanimitatem, Angilbertum manualem nostræ familiaritatis, vestræ direximus sanctitati, quem prius, sicut promisimus, per religiosos viros Campolum & Anastasium beatissimo patri nostro prædecessori vestro dirigere curavimus: sed, ut præfati sumus, dum exenia omnia parata erant, lugubri paternæ mortis nuntio repente tardatum est iter illius. Sed modo lætiores de vestræ sanctitatis successione facti, quod desideravimus in illo pio patre agere, in vobis perficere studemus. Illique omnia injunximus, quæ vel nobis voluntaria, vel vobis necessaria esse videbantur: ut

ut ex collatione mutua conferatis, quidquid ad A exaltationem sanctæ Dei ecclesiæ, vel ad stabilitatem honoris vestri, vel patriciatus nostri firmitatem necessarium intelligeretis. Sicut enim cum beatissimo prædecessore vestræ sanctæ paternitatis pactum inii, sic cum beatitudine vestra ejusdem fidei & caritatis inviolabile fœdus statuere desidero; quatenus apostolicæ sanctitatis vestræ, divina donante gratia, sanctorum advocata precibus me ubique apostolica benedictio consequatur, & sanctissima Romanæ ecclesiæ sedes, Deo donante, nostra semper devotione defendatur. Nostrum est, secundum auxilium divinæ pietatis, sanctam ubique Christi B ecclesiam ab incursu paganorum, & ab infidelium devastatione armis defendere foris, & intus catholicæ fidei agnitione munire. Vestrum est, sanctissime pater, elevatis ad Deum cum Moyse manibus, nostram adjuvare militiam, quatenus vobis intercedentibus, Deo ductore & datore, populus Christianus super inimicos sui sancti nominis ubique semper habeat victoriam, & nomen domini nostri Iesu Christi toto clarificetur in orbe. Vestræ vero auctoritatis prudentia canones ubique sequatur; quatenus totius sanctitatis exempla omnibus evidenter in vestra fulgeant conversatione, & sanctæ admonitionis exhortatio audiatur ab ore; quatenus
16. sic *luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Omnipotens Deus vestræ auctoritatis beatitudinem, ad sanctæ suæ ecclesiæ C exaltationem, per multa annorum curricula incolumem conservare dignetur.

II. EPISTOLA CAROLI MAGNI REGIS AD ANGILBERTUM ABBATEM.

Commonitorium Angilberto, qui cum superioribus literis ad pontificem mittebatur.

1 *Carolus gratia Dei rex & defensor sanctæ ecclesiæ, Homero auriculario salutem.*

DIVINA regente misericordia iterum & D prospere te adducente ad domnum apostolicum papam nostrum, admoneas eum diligenter de omni honestate vitæ suæ, & præcipue de sanctorum observatione canonum, de pia sanctæ Dei ecclesiæ gubernatione, secundum opportunitatem collationis inter vos, & animi illius convenientiam. Ingerasque ei sæpius, quam paucorum honor ille, quem præsentialiter habet, annorum, quam multorum est perpetualiter merces, quæ datur bene laboranti in eo. Et de Simoniaca subvertenda hæresi diligentissime suadeas illi, quæ sanctum ecclesiæ corpus multis male maculat in locis. Et quidquid mente tenes sæpius querelis agitasse E inter nos. Sed qualis mihi esset collatio cum beato Hadriano papa prædecessore illius, de construendo monasterio ad sanctum Paulum, nullatenus dimittas suggerere illi, ut volente Deo revertens certum mihi responsum habeas referre. Dominus Deus ducat te, & dirigat in omni bonitate cor illius, ut faciens faciat quod sanctæ suæ proficiat ecclesiæ, ut sit nobis pius pater, & pro nobis præcipuus intercessor: ut idem Deus & dominus noster Iesus Christus nos in sua florere faciat voluntate, & cursum qui superest nobis vitæ nostræ ad perpetuæ stabilitatis quietem perducere dignetur. Vade cum prosperitate, proficiens in veritate, reversurus cum gaudio, Homeriane puer.

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Carolus Homero.*] Angilberto Centulæ abbati, quem & Alcuinus quoque in epistolis, & Theodulfus in versibus "nondum editis, Homerum similiter vocant. Atque ut Angilbertus hic Homerus, sic Richulfus Moguntinus episcopus Damœtas, Carolus ipse David, alii aliis tum inter familiares nominibus appellabantur. "Edidit an. 1646. Sirm.

III. EPISTOLA CAROLI MAGNI REGIS AD OFFAM REGEM MERCIORUM.

De peregrinorum negotiatorumque patrocinio: & de variis muneribus quæ pro Hadriani papæ anima mittit ad singulas ecclesias regni ejus.

Carolus gratia Dei rex Francorum & Longobardorum, & patricius Romanorum, viro venerando & fratri carissimo Offæ regi Merciorum salutem.

PRIMO gratias omnipotenti Deo agimus de catholicæ fidei sinceritate, quam in vestris laudabiliter paginis reperimus exaratam. De peregrinis vero, qui pro amore Dei, & salute animarum suarum, beatorum apostolorum liminia desiderant adire, cum pace sine omni perturbatione vadant. Sed si aliqui non religioni servientes, sed lucrum sectantes, inter eos inveniantur, locis opportunis statuta solvant telonea. Negotiatores quoque volumus, ut ex mandato nostro patrocinium habeant in regno nostro legitime. Et si in aliquo loco injusta affligantur oppressione, reclament se ad nos, vel nostros judices, & plenam jubebimus justitiam fieri. Cognoscat quoque dilectio vestra, quod aliquam benignitatem de dalmaticis nostris vel palliis ad singulas sedes episcopales regni vestri, vel Ethelfredi, direximus in eleemosynam domini apostolici Hadriani, deprecantes ut pro eo intercedi jubeatis: nullam habentes dubitationem beatam illius animam in requie esse; sed ut fidem & dilectionem ostendamus in amicum nostrum carissimum. Sed & de thesauro humanarum rerum, quem dominus Iesus nobis gratuita pietate concessit, aliquid per metropolitanas civitates direximus. Vestræ quoque dilectioni unum balteum, & unum gladium Hunniscum, & duo pallia serica duximus destinanda. Vale.

IV. EPISTOLA CAROLI MAGNI REGIS AD OFFAM REGEM MERCIORUM.

Presbyterum Scottum accusatum mittit in patriam, ut ibi ab episcopo suo judicetur.

Carolus gratia Dei rex Francorum, & defensor sanctæ Dei ecclesiæ, dilecto fratri & amico Offæ regi salutem.

PRESBYTER iste & Scottus apud nos moratus est aliquanto tempore in parochia Hildeboldi Coloniensis episcopi, sed reprehensibilis factus, ut fertur, a quodam accusatore, quod carnem diebus quadragesimalibus comedisset. Nostri vero sacerdotes judicare renuerunt, quia plenum testimonium accusantium super eum non invenerunt. Tamen nec eum loco consueto habitationis suæ propter infamiam diutius morari permiserunt: ne sacerdo- Alcuini epist. 85.

talis honor apud imperitum vulgus vilesceret, vel rumigerula loquela aliqui hortarentur violare sanctum jejunium. Visum est nostris sacerdotibus, illum ad sui episcopi, ubi Deo votum fecit, dirigere judicium. Idcirco vestram deprecamur providentiam, ut jubeatis illum, secundum opportunitatem temporis & profectionis, in suam transponere patriam, ut ibi judicetur unde exivit. Nam ibi quoque sanctæ Dei ecclesiæ puritas in moribus, & firmitas in fide, & honestas in conversatione, secundum canonicam sanctionem diligenter observari debebit, ut una, perfecta & immaculata columba, cujus pennæ deargentatæ, & posteriora ejus in specie auri clarescere debent. Vita, salus, & prosperitas, tibi tuisque fidelibus à Deo Christo detur in æternum.

V. EPISTOLA CAROLI MAGNI REGIS AD EUMDEM.

Mittit in Britanniam concilium Nicænum II.

Carolus gratia Dei rex Francorum & Longobardorum, ac patricius Romanorum, viro venerando & fratri carissimo Offano Merciorum regi salutem, honorem & amorem.

CUM deceat reges potentes & famosos amicitiæ fœdere convinciri, & mutuis gaudiis ad invicem gratulari, ut in vinculo caritatis Christus in omnibus & ab omnibus glorificetur: vestræ serenitati hoc eulogium duximus destinandum. Cum nobilissimam Longobardorum civitatem, cum suis civibus omnibus nostro dominatui subjugaverimus, & Italiam totam nostro imperio feliciter subjugaverimus, Christi adjutorio (cui famulari desideramus) rex Desiderius Longobardorum, ducesque Saxoniæ, quos nostris nutibus inclinavimus, Vvithimundus & Albion, cum fere omnibus incolis Saxoniæ, baptismi susceperunt sacramentum, domino Iesu Christo de cetero famulaturi. Hoc igitur salubri mandato, ego Carolus regum Christianorum orientalium potentissimus, vos o Offane regum occidentalium Christianorum potentissime, cupio lætificare & te in dilectione speciali amplecti sincerius.

Rex Desiderius Saxonesque victi & baptizati.

*** AQUISGRANENSEM CONVENTUM Anno Christi DCCXCVII. Caroli magni Francorum regis XXX. celebratum arguunt capitularia quædam ad res Saxonicas spectantia à Luca Holstenio Romæ edita tomo II. collectionis Romanæ.

CAROLI MAGNI CAPITULATIO DE PARTIBUS SAXONIÆ.

Hæc de partibus Saxoniæ constituta sunt.

PRIMUM de majoribus capitulis hoc placuit omnibus, ut ecclesiæ Christi, quæ modo construuntur in Saxonia, & Deo sacratæ sunt, non minorem habeant honorem, sed majorem & excellentiorem, quam vana habuissent idolorum.

I CAPIT. Si quis confugium fecerit in ecclesiam, nullus eum de ecclesia per violentiam expellere præsumat, sed pacem habeat usque dum ad placitum præsentetur; & propter honorem Dei, sanctorumque ecclesiæ ipsius reverentiam, concedatur ei vita & omnia membra.

A Emendet autem causam, in quantum potuerit, & ei fuerit judicatum, & sic ducatur ad præsentiam domini regis, & ipse eum mittat, ubi clementiæ ipsius placuerit.

II. Si quis ecclesiam per violentiam intraverit, & in ea per vim vel furtum aliquid abstulerit, vel ipsam ecclesiam igne cremaverit, morte moriatur.

III. Si quis sanctum quadragesimale jejunium pro despectu Christianitatis contempserit, & carnem comederit, morte moriatur. Sed tamen consideretur a sacerdote, ne forte causa necessitatis hoc civilibet proveniat ut carnem comedat.

B

IV. Si quis episcopum, aut presbyterum, sive diaconum interfecerit, similiter capite punietur.

V. Si quis a diabolo deceptus crediderit, secundum morem paganorum, virum aliquem aut feminam strigam esse, & homines comedere; & propter hoc ipsam incenderit, vel carnem ejus ad comedendum dederit, vel ipsam comederit, capitis sententia punietur.

VI. Si quis corpus defuncti hominis secundum ritum paganorum flamma consumi fecerit, & ossa ejus ad cinerem redegerit, capite punietur.

C VII. Si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus se abscondere voluerit, & ad baptismum venire contempserit, paganusque permanere voluerit, morte moriatur.

VIII. Si quis hominem diabolo sacrificaverit, & in hostiam more paganorum dæmonibus obtulerit, morte moriatur.

IX. Si quis cum paganis consilium adversus Christianos inierit, vel cum illis in adversitate Christianorum perdurare voluerit, morte moriatur: & quicumque hoc idem fraude contra regem vel gentem Christianorum consenserit, morte moriatur.

X. Si quis domino regi infidelis apparuerit capitali sententia punietur.

XI. Si quis filiam domini sui rapuerit, morte

D moriatur.

XII. Si quis dominum suum vel dominam suam interfecerit, simili modo punietur.

XIII. Si quis vero pro his mortalibus criminibus latenter commissis aliquis sponte ad sacerdotem confugerit, & confessione data agere pœnitentiam voluerit, testimonium sacerdotis de morte excuset.

XIV. De minoribus capitulis consenserunt omnes, ad unamquamque ecclesiam curtem & duos mansos terræ pagenses ad ecclesiam recurrentes condonent: & inter centum viginti homines

E nobiles & ingenuos, similiter & litos, servum & ancillam eidem ecclesiæ tribuant.

XV. Et hoc Christo propitio placuit, ut undecumque census aliquid ad fiscum pervenerit, sive in frido, sive in qualicumque banno, & in omni redibutione ad regem pertinens, decima pars ecclesiis & sacerdotibus reddatur.

XVI. Similiter secundum Dei mandatum præcipimus, ut omnes decimam partem substantiæ & laboris sui ecclesiis & sacerdotibus donent, tam nobiles quam ingenui, similiter & liti: juxta quod Deus unicuique dederit Christiano, partem Deo reddant.

XVII. Ut in dominicis diebus conventus & placita publica non faciant, nisi forte pro magna necessitate, aut hostilitate cogente; sed omnes

omnes ad ecclesiam recurrant ad audiendum verbum Dei; & orationibus vel justis operibus vacent. similiter & in festivitatibus præclaris Deo & ecclesiæ conventui deserviant, & sæcularia placita dimittant.

XVIII. Similiter placuit his decretis inserere, quod omnes infantes infra annum baptizentur. Et hoc statuimus, ut si quis infantem intra circulum anni ad baptismum offerre contempserit, sine consilio vel licentia sacerdotis, si de nobili genere CXX. sol. fisco componant, si ingenuus LX. si litus XXX.

XIX. Si quis prohibitum vel illicitum conjugium sibi sortitus fuerit, si nobilis sol. LX. si ingenuus XXX. si litus XV.

XX. Si quis ad fontes, aut arbores, vel lucos votum fecerit, aut aliquid more gentilium obtulerit, & ad honorem dæmonum comederit, si nobilis fuerit sol. LX. si ingenuus XXX. si litus XV. Si vero non habuerint unde præsentialiter persolvant, ad ecclesiæ servitium donentur; usque dum ipsi solidi solvantur.

XXII. Iubemus ut corpora Christianorum Saxonum ad cœmiteria ecclesiæ deferantur, & non ad tumulos paganorum.

XXI. Divinos & sortilegos ecclesiis & sacerdotibus dare constituimus.

XXIII. De latronibus & malefactoribus, qui de uno comitatu ad alium confugium fecerint, si quis eos receperit in sua potestate, & VII. noctibus secum detinuerit, nisi ad præsentandum, nostrum bannum solvat. Similiter si comes eum absconderit, & ad justitiam faciendam præsentare noluerit, & ad hoc excusare non potest, honorem suum perdat.

XXIV. De pignore, ut nullatenus alterum aliquis pignorare præsumat; & qui hoc fecerit, bannum persolvat.

XXV. Vt nulli hominum contradicere viam ad nos veniendo pro justitia reclamandi aliquis præsumat: & si aliquis hoc facere conaverit, nostrum bannum persolvat.

XXVI. Si quis homo fidejussorem invenire non potuerit, res illius in forbanno mittantur, usque dum fidejussorem præsentet. Si vero super bannum in domum suam intrare præsumpserit, aut sold. X. aut unum bovem pro emendatione ipsius banni componat; & insuper unde debitor extitit, persolvat. Si vero fidejussor diem statutum non observaverit, tunc ipse tantum damni incurrat, quantum manus sua fidejussoris extitit. Ille autem qui debitor fidejussori extitit, duplum restituat pro eo, quod fidejussorem in damnum cadere permisit.

XXVII. De præmiis & muneribus, ut munera super innocentem nullus accipiat: & si quis hoc facere præsumpserit, nostrum bannum solvat. Et si, quod absit, forte comes hoc fecerit honorem suum perdat.

XXVIII. Vt universi comites pacem & concordiam adinvicem habere studeant. & si forte inter eos aliqua discordia aut conturbium ortum fuerit, ut nostrum solatium vel perfectum pro hoc non demittant.

XXIX. Si quis comitem interfecerit, vel de ejus morte consilium dederit, hereditas illius ad partem regis eveniat, & in jus ejus redigatur.

XXX. Dedimus potestatem comitibus bannum mittere infra suo ministerio de faida vel majoribus causis in sold. LX. De minoribus vero causis comitis bannum in sol. XII. constituimus.

XXXI. Si cuilibet homini sacramentum debet, aframeat illum ad ecclesiam sacramento ad diem statutum: & si jurare contempserit, fidem faciat, & sold. XV. componat qui inactivus apparuit, & deinceps causam pleniter emendare faciat.

XXXII. De perjuris secundum legem Saxonum sit.

XXXIII. Interdiximus ut omnes Saxones generaliter conventus publicos nec faciant, nisi forte missus noster de verbo nostro eos congregare fecerit. Sed unusquisque comes in suo ministerio placita & justitias faciat, & hoc a sacerdotibus consideretur, ne aliter faciat.

ALIVD CAPITVLARE.

Anno Christi 797.

ANNO ab incarnatione domini nostri Iesu Christi DCCXCVII. & XXX. ac XXII. regnante domno Carolo præcellentissimo rege, convenientibus in unum Aquis palatio in ejus obsequio venerabilibus episcopis & abbatibus, seu illustribus viris comitibus V. Kalend. Novembr. simulque congregatis Saxonibus de diversis pagis tam de Vestfalahis & Angrariis, quam & de Oostfalahis, omnes unanimiter consenserunt & aptificaverunt, ut de illis capitulis, pro quibus Franci, si regis bannum transgressi sunt, solidos LX. componunt, similiter Saxones solvent, si alicubi contra ipsos bannos fecerint.

HÆC SVNT CAPITVLA.

I CAPIT. Vt ecclesiæ, viduæ, orfani, & minus potentes justam & quietam pacem habeant; & ut raptum, & fortiam, nec incendium infra patriam quis facere audeat præsumptive, & de exercitu nullus super bannum domini regis remanere præsumat.

II. Si quis supradicta VIII. capitula transgressus fuerit, omnes statuerunt & aptificaverunt, ut Saxones similiter sicut & Franci LX. sol. componant.

III. Item placuit omnibus Saxonibus, ut ubicumque Franci secundum legem sol. XII. solvere debent, ibi nobiliores Saxones sol. XII. ingenui V. liti IV. componant.

IV. Hoc etiam statuerunt, ut qualiscumque causa infra patriam cum propriis vicinantibus pacificata fuerit, ibi solito more ipsi pagenses sol. XII. pro districtione recipiant, & pro Vvargilda, quę juxta consuetudinem eorum solebant facere, hoc concessum habeant. Si autem in præsentia missorum regalium causæ definitæ fuerint, pro jam dicta Vvargilda suprascriptos sol. XII. ipsis pagenses habeant concessos; & pro hoc quia missus regalis ex hac re fatigatus fuerit, alios XII. sol. inde recipiat ad partem regis. Si autem ipsa causa ad palatium in præsentia regis ad definiendum fuerit perducta, tunc utrique solidi XII. id est pro Vvargilda, & quod vicinis debuit componere, eo quod infra patriam definita ratio non fuerit, ad partem regis faciant componere, quod sint solidi XXIV. Nam si fuerit aliquis qui in patria, juxta quod sui convicini indicaverint, seque pacificare noluerit, & ad palatium pro hujus rei causa venerit, & ibi ei fuerit judicatum quod justum judicium judicassent, in prima vice, ut supra dictum est, sol. XXIV. ad partem regis componat. Et si tunc inde rediens se pacificare & justitiam facere renuerit, & iterum pro ista causa ad palatium fuerit convocatus & dejudicatus, bis XXIV. solidos

ANNO CHRISTI 797.

dos componat. Si vero necdum correptus tertia vice pro eadem re ad palatium remeaverit, triplam compositionem exinde faciat ad partem regis.

v. Si quis de nobilioribus ad placitum mannitus venire contempserit, sol. iv. componat, ingenui ii. liti i.

vi. De presbyteris statuerunt, quod si aliquid eis aut eorum hominibus quis contrarium facere aut tollere præsumpserit contra justitiam, omnia in duplum restituat ei & componat.

vii. De missis regis statuerunt, ut si ab eis aliquis interfectus evenerit, in triplum eum componere debeat qui hoc facere præsumpserit. Similiter quidquid aut eorum omnibus factum fuerit, omnia tripliciter faciant restaurare, & secundum eorum euua componere.

viii. De incendio convenit, quod nullus infra patriam præsumat facere propter iram aut inimicitiam, aut qualibet malevola cupiditate: excepto si talis fuerit rebellis, qui justitiam facere noluerit, & aliter districtus esse non poterit, & ad nos, ut in præsentia nostra justitiam reddat, venire despexerit, condicto commune placito simul ipsi pagenses veniant, & si unanimiter consenserint, pro districtione illius casa incendatur: tunc de ipso placito commune consilio facto secundum eorum euua fiat peractum, & non pro qualibet iracundia aut malevola intentione, nisi pro districtione nostra. Si aliter facere ausus fuerit, sicut superius dictum est, solidos lx. componat.

ix. Item placuit ut quandoquidem voluerit domnus rex propter pacem & propter faidam, & propter majores causas bannum fortiorem statuere, una cum consensu Francorum & fidelium Saxonum, secundum quod ei placuerit, juxta quod causa exigit, & opportunitas fuerit, sold. lx. multiplicare in duplum, & sol. c. sive usque ad mille componere faciat, qui ejus mandatum transgressus fuerit.

x. De malefactoribus, qui vitæ periculum secundum euua Saxonum incurrere debent, placuit omnibus, ut qualiscumque ex ipsis ad regiam potestatem confugium fecerit, aut in illius sit potestate utrum interficiendum illis reddat, aut una cum consensu eorum habeat licentiam ipsum malefactorem cum uxore & familia & omnia sua foris patriam infra sua regna, aut in marca, ubi sua fuerit voluntas, collocare, & habeant ipsum quasi mortuum.

xi. Illud notandum est quales debent solidi esse Saxonum; id est, bovem annoticum utriusque sexus auctumnali tempore sicut in stabulum mittitur pro uno solido: similiter & vernum tempus quando de stabulo exiit, & deinceps quantum ætatem auxerit, tantum in pretio crescat. De annona vero bortrinis pro sol. i. scapilos xl. donant, & de sigale xx. septentrionales autem pro solido scapilos xxx. dent, & sigale xv. Mel vero pro solido bortrensi sigulæ i. & medio donant: septentrionales autem duos siclos de melle pro i. solido donent. Item hordeum mundum sicut & sigale pro i. solido donent. In argento xii. denarios solidum faciant; & in aliis speciebus ad istud pretium omnes æstimationes compositionis sunt.

Explicit capitulare Saxonum.

CAPITVLARE THEODVLFI EPISCOPI AVRELIANENSIS

AD PAROCHIÆ SVÆ SACERDOTES.

In quo saluberrima, tum presbyterorum propria, tum communia, quibus subditas sibi plebes informare debeant, vitæ Christianæ documenta describuntur.

TITVLI CAPITVLORVM.

xxxvi.

I.

Theodulfus fratribus & compresbyteris nostris Aurelianensis parochiæ sacerdotibus in domino salutem.

OBSECRO, fratres dilectissimi, ut erga subditarum plebium profectum, & emendationem vigilantissima cura laboretis, quatenus illis viam salutis ostendentes, & eos verbis & exemplis instruentes, & vos de eorũ profectu, & nos de vestro, domino nostro Iesu Christo auxiliante, fructuosos illi manipulos reportemus. Obsecro etiam fraternitatem vestram, ut hæc capitula, quæ ad emendationem vitæ breviter digessi, assidue legatis, & memoriæ commendetis; & eorum, sive sanctarum scripturarum lectione mores componatis, vitam emendetis, & cum subditis plebibus, opitulante domino, ad regna cælestia pergere certetis. Veraciter nosse debetis, & semper meminisse, quia nos, quibus regendarum animarum cura commissa est, pro his qui nostra negligentia pereunt rationem reddituri sumus: pro his vero, quos verbis & exemplis lucrati fuerimus, præmium æternæ vitæ percipiemus. Nobis enim a domino dictum est: *Vos estis sal terræ.* Quod si populus fidelis cibus est Dei, ejus cibi condimentum nos sumus. Scitote vestrum gradum nostro gradui secundum, & pene conjunctum esse. Sicut enim episcopi apostolorum in ecclesia, ita nimirum presbyteri ceterorum discipulorum domini vicem tenent: & illi tenent gradum summi pontificis Aaron, isti vero filiorum ejus. Vnde oportet vos semper memores esse tantæ dignitatis, memores vestræ consecrationis, memores sacræ quam in manibus suscepistis unctionis, ut nec ab eadem dignitate degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciatis, nec manus sacro unguine delibutas peccando polluatis, sed cordis & corporis munditiam conservantes, plebibus exemplum bene vivendi præbentes, his quibus præestis ducatum ad cælestia regna præbeatis.

II.

Oportet vos & assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi: quia vita viri justi lectione instruitur, ornatur, & assiduitate lectionis munitur homo a peccato, juxta illum qui dicebat: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Hæc sunt enim arma, lectio videlicet & oratio, quibus diabolus expugnatur: hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur. His armis vitia comprimuntur: his alimentis virtutes nutriuntur.

III.

Sed & si quando a lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi: quia otiositas inimica est animæ, & antiquus hostis, quem a lectione sive ab oratione vacantem invenerit, facile ad vitia rapit. Per usum namque lectionis, discetis qualiter & vos vivatis, & alios doceatis. Per usum orationis, & vobis, & his quibus in caritate conjuncti estis, prodesse valebitis. Per manuum operationem & corporis macerationem, & vitiis alimenta negabitis, & vestris necessitatibus subvenietis, & habebitis quod necessitatem patientibus porrigatis.

IV.

Quando more solito ad synodum convenitis, vestimenta, & libros, & vasa sancta, cum quibus vestrum ministerium & injunctum officium peragitis, vobiscum deferte. Nec non duos aut tres clericos, cum quibus missarum solennia celebratis, vobiscum adducite; ut probetur, quam diligenter, quam studiose Dei servitium peragatis.

V.

Panes, quos Deo in sacrificium offertis, aut a vobis ipsis, aut a vestris pueris coram vobis, nitide ac studiose fiant: & diligenter observetur, ut panis, & vinum, & aqua, sine quibus missæ nequeunt celebrari, mundissime atque studiose tractentur, & nihil in his vile, nihil non probatum inveniatur, juxta illud quod ait scriptura: *Sit timor domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.* 2. Paral. 19.

VI.

Feminæ, missam sacerdote celebrante, nequaquam ad altare accedant, sed locis suis stent, & ibi sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat. Memores enim esse debent feminæ infirmitatis suæ, & sexus imbecillitatis; & idcirco sancta quælibet in ministerio ecclesiæ contingere pertimescant. Quæ etiam laici viri pertimescere debent, ne Ozæ pœnam subeant, qui dum arcam 2. Reg. 6. domini extraordinarie contingere voluit, domino percutiente interiit.

VII.

Sacerdos missam solus nequaquam celebret: quia sicut illa celebrari non potest sine salutatione sacerdotis, responsione nihilominus plebis, ita nimirum nequaquam ab uno debet celebrari. Esse enim debent qui ei circumstent, quos ille salutet, a quibus ei respondeatur: & ad memoriam illi reducendum est illud dominicum: *Vbicumque* Matth. 18. *fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, & ego in medio eorum.*

VIII.

Videmus crebro in ecclesiis messes & fenum congeri. unde volumus & hoc penitus observetur, ut nihil in ecclesia, præter vestimenta ecclesiastica, & vasa sancta, & libros recondatur: ne forte, si alia ibi quam oportet negotia exerceantur, a domino audiamus: *Domus mea domus ora-* Matth. 21. *tionis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum.*

IX.

Antiquus in his regionibus in ecclesia sepeliendorum mortuorum usus fuit, & plerumque loca divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hostias præparata, cœmeteria sive polyandria facta sunt. Vnde volumus, ut ab hac re deinceps abstineatur, & nemo in ecclesia sepeliatur; nisi forte talis sit persona sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, quæ per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit. Corpora vero, quæ antiquitus in ecclesiis sepulta sunt,

Anno Christi 797.

sunt, nequaquam projiciantur: sed tumuli qui A apparent profundius in terram mittantur, & pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, ecclesiæ reverentia conservetur. Vbi vero tanta est multitudo cadaverum, ut hoc facere difficile sit; locus ille pro cœmeterio habeatur, ablato inde altari, & in eo loco constructo, ubi religiose & pure Deo sacrificium offerri valeat.

X.

Non debetis ad ecclesiam ob aliam causam convenire, nisi ad laudem domini, & ejus servitium faciendum. Disceptationes vero, & tumultus, & vaniloquia, & ceteræ actiones, ab eodem sancto loco penitus prohibendæ sunt. Vbi enim Dei nomen invocatur, Deo sacrificium offertur, angelorum frequentia inesse non dubitatur, periculosum est tale aliquid dicere, vel agere, quod loco non convenit. Si enim dominus illos de templo ejecit, qui victimas, quæ sibi offerrentur, emebant vel vendebant; quanto magis illos iratus inde abjiciet, qui mendaciis, vaniloquiis, risibus, & hujuscemodi nugis locum divino cultui mancipatum fœdant? *Matth. 21.*

XI.

Missarum solennia nequaquam alibi nisi in ecclesia celebranda sunt: non in quibuslibet domibus, & in vilibus locis; sed in loco quem elegerit dominus, juxta illud quod scriptum est: *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit dominus ut ponat nomen suum ibi.* *Deut. 12.*

XII.

Nulla femina cum presbytero in una domo habitet. Quamvis enim canones matrem & sororem, & hujuscemodi personas, in quibus nulla sit suspicio, cum illo habitare concedant; hoc nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in obsequio, sive occasione illarum, veniunt aliæ feminæ quæ non sunt ei affinitate conjunctæ, & eum ad peccandum illiciunt.

XIII.

Observandum vobis est, ut & vos ab ebrietate abstineatis, & ut plebes subditę abstineant prędicetis: & neque per tabernas eatis bibendo aut comedendo, neque domos aut vicos curiositate qualibet peragretis; neque cum feminis, aut cum quibuslibet impuris personis convivia exerceatis. Nisi forte paterfamilias quilibet vos ad domum suam invitaverit, & cum sua conjuge & prole velit vobiscum spiritali gaudio lætari, & verborum vestrorum refectionem accipere, & vobis refectionem carnalem caritatis officio exhibere. Oportet enim, ut si quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, a vobis reficiatur epulis spiritalibus.

XIV.

Nullus presbyter fidelibus sanctæ Dei ecclesię de alterius presbyteri parochia persuadeat, ut ad suam ecclesiam concurrant relicta propria ecclesia, & suas decimas sibi dent. Sed unusquisque sua ecclesia & populo contentus, quod sibi non vult fieri alteri nequaquam faciat, juxta illud euangelicum, *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc eadem facite illis.* Quisquis autem contra hæc constituta venerit, aut his monitis nostris reniti tentaverit, aut gradum se sciat amissurum, aut in carcere longo tempore retinendum. *Matth. 7.*

XV.

Hoc quoque modis omnibus prohibemus, ut nullus vestrum alterius clericum solicitet aut recipiat, quia gravis de hac re in sacris canonibus sententia est.

XVI.

Si quis presbyter inventus fuerit alicui clerico aut laico munera dare, aut dedisse, ut ecclesiam alterius presbyteri subripiat; sciat se pro hac rapina, & sæva cupiditate, aut gradum amissurum, aut in carceris ærumna longo tempore pœnitentiam agendo detinendum.

XVII.

Si parvulus ægrotans ad quemlibet presbyterum baptismi gratia de cujuslibet parochia allatus fuerit, ei baptismi sacramentum nullomodo negetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectaverit, & ille parvulus absque baptismatis gratia mortuus fuerit; noverit se ille, qui eum non baptizavit, pro ejus anima rationem redditurum. B

XVIII.

Nullus presbyter, seu laicus, præsumat calicem, aut patenam, aut quælibet vasa sacra, & divino cultui mancipata, ad alios usus retorquere. Nam quicumque de calice sacrato aliud bibit præter Christi sanguinem qui in sacramento accipitur, & patenam ad aliud officium habet quam ad altaris ministerium, deterrendus est exemplo Balthasar, qui dum vasa domini in usus communes assumpsit, vitam pariter cum regno amisit. *Dan. 5.*

XIX.

C Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum ad scholam mittere, in ecclesia sanctæ Crucis, aut in monasterio sancti Aniani, aut sancti Benedicti, aut sancti Lifardi, aut in ceteris de his cœnobiis, quæ nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam id faciendi concedimus.

XX.

Presbyteri per villas & vicos scholas habeant, & si quilibet fidelium suos parvulos ad discendas literas eis commendare vult, eos suscipere, & docere non renuant, sed cum summa caritate eos doceant attendentes illud quod scriptum est: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Cum ergo eos docent nihil ab eis precii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes caritatis studio sua voluntate obtulerint. *Dan. 12.* D

XXI.

Cum ergo omnium sanctarum scripturarum paginæ instrumentis bonorum operum refertæ sint, & per sanctarum scripturarum campos possint inveniri arma, quibus vitia comprimantur, & virtutes nutriantur, libuit nobis huic nostro capitulari inserere sententiam cujusdam patris de instrumentis bonorum operum, in qua magna brevitate quid agi, quidve vitari debeat, continetur. In primis dominum Deum tuum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute: deinde proximum tamquam teipsum. Deinde non occidere, non adulterare, non facere furtum, non concupiscere, non falsum testimonium dicere, honorare omnes homines, & quod sibi quis fieri non vult, alii ne faciat. Abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum. Corpus castigare, delicias non amplecti, jejunium amare, pauperes recreare, nudum vestire, infirmum visitare, mortuum sepelire, in tribulatione subvenire, dolentem consolari: a sæculi actibus se facere alienum, nihil amori Christi præponere, iram non perficere, iracundię tempus non reservare, dolum in corde non tenere, pacem falsam non dare, caritatem non derelinquere: non jurare, ne forte perjures; veritatem ex corde & ore proferre, malum pro malo non reddere: injuriā non facere, E

sed

sed & factam patienter sufferre. Inimicos diligere, maledicentes non maledicere, sed magis benedicere: persecutionem pro justitia sustinere. Non esse superbum, non vinolentum, non multum edacem, non somnolentum, non pigrum, non murmurosum, non detractorem, spem suam Deo committere. Bonum aliquid in se cum viderit, Deo applicet, non sibi: malum vero semper a se factum sciat, & sibi reputet. Diem judicii timere, gehennam expavescere, vitam æternam omni concupiscentia spiritali desiderare, mortem quotidie ante oculos suspectam habere. Actus vitę suæ omni hora custodire: in omni loco Deum se respicere pro certo scire. Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, & seniori spiritali patefacere. Os suum a malo vel pravo eloquio custodire: multum loqui non amare, verba vana aut risui apta non loqui, risum multum aut excussum non amare: lectiones sanctas libenter audire, orationi frequenter incumbere mala sua præterita cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. De ipsis malis de cetero emendare, desideria carnis non perficere: voluntatem propriam odisse, præceptis sacerdotis & præceptoris in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter quod absit agat: memores illius dominici præcepti: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite.* Non velle dici sanctum antequam sit, sed prius esse quod verius dicatur. Præcepta Dei factis quotidie adimplere, castitatem amare, nullum odisse, zelum & invidiam non habere, contentionem non amare, elationem fugere, & seniores venerari, juniores diligere. In Christi amore pro inimicis orare: cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire, & de Dei misericordia nunquam desperare. Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritalis, quæ cum fuerint a nobis die noctuque incessabiliter adimpleta, & in die judicii reconsignata, illa merces nobis a domino recompensabitur, quam ipse promisit: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum.*

XXII.

Commonendi sunt fideles, ut generaliter omnes a minimo usque ad maximum orationem dominicam & symbolum discant: & dicendum eis, quod in his duabus sententiis omne fidei Christianæ fundamentum incumbit; & nisi quis has duas sententias & memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione sæpissime frequentaverit, catholicus esse non poterit. Constitutum namque est, ut nullus chrismetur, neque baptizetur, neque a lavacro fontis illius suscipiatur, neque coram episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi symbolum, & orationem dominicam memoriter tenuerit; exceptis his quos ad loquendum ætas minime perduxit.

XXIII.

Dicendum illis, ut singulis diebus, qui amplius non potest, saltem duabus vicibus oret, mane scilicet & vespere, dicens symbolum, vel orationem dominicam, vel, Qui plasmasti me miserere mei; vel etiam, Deus propitius esto mihi peccatori, & Deo gratias, pro quotidianæ vitæ commeatibus, & quia se ad imaginem suam creare dignatus sit, & a pecudibus segregare. His actis, & solo Deo creatore suo adorato, sanctos invocet, ut pro se intercedere ad majestatem divinam dignentur. Hæc faciant, quibus basilicæ locus prope est, in basilica: qui vero in itinere, aut pro qualibet occasione in silvis, aut in agris est, ubicumque eum ipsa hora matutina vel vespertina invenerit, sic faciat, sciens Deum ubique præsentem esse, dicente psalmista: *In omni loco dominationis ejus*; & , *Si ascendero in cælum, tu ibi es*, &c.

Anno Christi 797.

Psal. 102. Psal. 138.

XXIV.

Diei vero dominici, quia in eo Deus lucem condidit, in eo manna in eremo pluit, in eo redemptor humani generis sponte pro salute nostra mortuus resurrexit, in eo Spiritum sanctum super discipulos infudit, tanta esse debet observantia, ut præter orationes, & missarum solennia, & ea quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat. Nam & si necessitas fuerit navigandi, sive itinerandi, licentia datur; ita dumtaxat, ut horum occasione missa, & orationes non prætermittantur. Conveniendum est sabbato die cum luminaribus cuilibet Christiano ad ecclesiam: conveniendum est ad vigilias, sive ad matutinum officium: concurrendum est etiam cum oblationibus ad missarum solennia. Et dum ad ecclesiam convenitur, nulla causa dici debet, vel audiri, nulla jurgia sunt habenda; sed tantummodo Deo vacandum est, in celebratione videlicet sacrorum officiorum, & exhibitione eleemosynarum, & in Dei laudibus cum amicis, proximis, & peregrinis spiritaliter epulandum.

XXV.

Admonendi sunt, ut hospitalitatem diligant, & nulli hospitium præbere detrectent: & si cui forte hospitium præstiterint, nullam ab eo mercedem accipiant: nisi forte ille, qui a te recipitur, sponte sua aliquid det. Dicendumque illis, qualiter multi per hospitalitatis officium Deo placuerunt, dicente apostolo: *Per hanc enim placuerunt quidam Deo, angelis hospitio susceptis.* & iterum: *Hospitales sine murmuratione.* Et ipse dominus ad judicium dicturus est: *Hospes eram, & collegistis me.* Sciant sane quicumq; hospitalitatem amant, Christum se in hospitibus recipere. Nam ille modus hospitalitatis non solum inhumanus, sed etiam crudelis est, quo nunquam hospes in domum ante recipitur, nisi prius dandi hospitii merces compensetur, & quod dominus agere jussit pro perceptione regni cælestis, pro acquisitione terrenarum rerum agatur.

Hebr. 13. 1. Pet. 4. Matth. 25.

XXVI.

Prædicandum est etiam, ut perjurium fideles caveant, & ab hoc summopere abstineant, scientes hoc grande scelus esse, & in lege & prophetis, sive euangelio prohibitū. Audivimus enim quosdam parvipendere hoc scelus, & levem quodammodo perjuris pœnitentiæ modum imponere. Qui nosse debent talem de perjurio, qualem & de adulterio, de fornicatione, de homicidio, & de ceteris criminalibus vitiis, pœnitentiam imponendam. Si quis vero perpetrato perjurio, aut quolibet criminali peccato, timens pœnitentiæ longam ærumnam, ad confessionem venire noluerit, ab ecclesia repellendus est, sive a communione & consortio fidelium, ut nullus cum eo comedat, neque bibat, neque oret, neque in suam eum domum recipiat.

Matth. 5.

XXVII.

Dicendum est eis, ut falso etiam testimonio abstineant, scientes & hoc gravissimum scelus esse, & ab ipso domino in monte Sinai prohibitum, dicente eodem domino: *Non falsum testimonium dixeris:* sive: *Testis falsus non erit impunitus.* Sciat se etiam, quisquis hoc perpetraverit, aut tali pœnitentia purgandum, ut superius dictū est de perjurio, aut tali damnatione & excommunicatione damnandū, sicut superius insertū est. Dicendumque illis

Exod. 20. Prov. 19.

que illis est, quod summa, non dicam stultitia, sed nequitia est, pro cupiditate argenti & auri, aut vestimentorum, aut cujuslibet rei, aut, quod creberrime contingere solet, propter ebrietatem, in tam grande scelus corruere, ut aut septem annis in arcta ærumna sit, aut ab ecclesia sit repulsus, dicente domino: *Quid prodest homini si lucretur totum mundum, & animæ detrimentum faciat?* quippe cum aliis videatur pius existere, sibimet crudelis existat.

Matth. 16.

XXVIII.

Hortamur vos paratos esse ad docendas plebes. Qui scripturas scit, prædicet scripturas: qui vero nescit, saltem hoc quod notissimum est plebibus dicat, ut declinent a malo & faciant bonum, inquirant pacem & sequantur eam: quia oculi domini super justos, & aures ejus ad preces eorum, *&c.* Nullus ergo se excusare poterit, quod non habeat linguam, unde possit aliquem ædificare. Mox enim ut quemlibet errantem viderit, prout potest & valet, aut arguendo, aut obsecrando, aut increpando, ab errore retrahat, & ad peragendum bonum opus hortetur. Cum vero, domino opitulante, ad synodum in unum convenerimus, sciat nobis unusquisque dicere, quantum domino adjuvante laboraverit, aut quem fructum acquisierit: & si quis forte nostro indiget adjutorio, nos cum caritate admoneat, & nos cum caritate nihilo minus ei pro viribus adjutorium ferre non differemus.

Psal. 33.

XXIX.

Admonere debetis fideles, ut assiduitatem & studium habeant orandi. Ipse autem orandi modus talis esse debet, ut primum dicto symbolo, quasi fidei suæ recensito fundamento, dicat quisquis est tribus vicibus, Qui plasmasti me, miserere mei, & tribus vicibus, Deus propitius esto mihi peccatori, & compleat orationem dominicam. Si ergo locus aut tempus exegerit, deprecetur sanctos apostolos & martyres, ut pro eo intercedant. Et armata fronte signo crucis, elevatis cum corde & manibus & oculis Deo gratias agat. Si vero tempus ad hæc omnia peragenda minus sufficiens fuerit, sufficiat tantum, Qui plasmasti me, miserere mei, & Deus propitius esto mihi peccatori, & oratio dominica tantum cum gemitu & contritione cordis.

Burch. 2. 73. Ivo 6. 167.

XXX.

Omni etenim die Deo in oratione nostra, aut semel, aut bis, aut quanto amplius possumus, confiteri debemus peccata nostra, dicente propheta: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitias meas non abscondi: Dixi confitebor adversum me injustitias meas domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Facta etenim confessione cum gemitu & lacrymis domino in oratione, recitandus est psalmus quinquagesimus, sive XXIV. sive XXXI. atque alii ad rem pertinentes, & sic complenda est oratio. Quia confessio, quam sacerdotibus facimus, hoc nobis adminiculum affert, quia accepto ab eis salutari consilio, saluberrimis pœnitentiæ observationibus, sive mutuis orationibus, peccatorum maculas diluimus. Confessio vero quam soli Deo facimus, in hoc juvat, quia quanto nos memores sumus peccatorum nostrorum, tanto horum dominus obliviscitur: & e contrario, quanto nos horum obliviscimur, tanto dominus reminiscitur, dicente propheta: *Et peccatorum tuorum non memorabor.* Tu autem memor esto, quod David propheta se fecisse testatur, cum dicit: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.*

Psal. 31. Hier. 31. Psal. 50.

XXXI.

Confessiones dandæ sunt de omnibus peccatis, quæ sive in opere, sive in cogitatione perpetrantur. Octo sunt principalia vitia, sine quibus vix ullus inveniri potest. Est enim gastrimargia, hoc est ventris ingluvies; secundo fornicatio; tertio acedia, sive tristitia; quarto avaritia; quinto vana gloria; sexto invidia; septimo ira; octavo superbia. Quando ergo quis ad confessionem venit, diligenter debet inquiri, quomodo aut qua occasione peccatum perpetraverit, quod peregisse se confitetur, & juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei persuaderi, ut & de perversis cogitationibus faciat confessionem. Debet ei etiam injungi, ut de octo principalibus vitiis faciat suam confessionem, & nominatim ei debet sacerdos unumquodque vitium dicere, & suam de eo confessionem accipere.

XXXII.

Esurientes satiandi sunt, sitientes potandi, nudi operiendi, infirmi & qui in carcere sunt visitandi, & hospites colligendi, dicente domino: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere,* &c. Nam hæc omnia & in se quisque debet spiritaliter agere, & in aliis corporaliter adimplere: quia pene nihil prosunt hæc omnia ad vitam æternam compensandam, si luxuriose, superbe, invide, & ne singula replicem, si vitiose & inordinate quis vivat, & a ceteris bonis operibus vacet: Qui ergo videt se Christum non habere, qui dixit: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi,* & caritatem, quæ est pastus animæ, non habet, esurit quidem: sed si per bona opera Christo adjungit se, & caritatis dulcedine replet, esurientem omnino se pavit. Qui doctrina Spiritus sancti & scripturarum sanctarum fluentis caret, sitiens est: sed si se fluentis verbi Dei irriget, & mentem suam spiritalis poculi dulcedine ebriet, iste se sitientem potat. Qui videt se justitia, sive ceteris bonorum operum exhibitionibus nudatum, & induit se justitia, sive ceteris virtutibus, nudum se procul dubio vestit. Si in lecto vitiorũ suorum jacet, & morbo iniquitatis suæ laborat, & funibus peccatorum suorũ constrictus est, & vitiorũ suorum obsitus pariete in tenebris iniquitatis suę, est infirmus quidem: sed si de lecto vitiorum per confessionem egreditur, & per pœnitentiæ lamenta vinculis peccatorum absolvitur, & ad lucem bonorum operum egreditur, infirmum & in carcere positum se proculdubio visitat. Si in hujus vitæ via videt se laborare, & vitiorum procella quasi quadam aeris intemperie inquietari, & receptaculum bonorum operum non habere, sciat se in itinere positum hospitio egere: at si se ad virtutum domum deducat, & sese in earum tutamine recipiat, hospitem quidem suscipit. Quæ omnia cum sibi spiritaliter exhibet, Christum in se, cujus ipse membrum est, pascit, potat, vestit, visitat, ac suscipit.

Matth. Joan.

XXXIII.

Admonendi sunt fideles sanctæ Dei ecclesiæ, ut filios suos & filias suas doceant parentibus obedientiam exhibere, dicente domino: *Fili honorifica patrem tuum.* Nam & ipsi parentes erga filios suos ac filias suas modeste debent agere, dicente apostolo: *Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* Nam & hoc dicendum est eis, ut si illi genitali affectu parcere velint injuriis filiorum, non has impune dominus finit, nisi forte digna pœnitentia exhibeatur, & quia levius est filiis parentum

Eccl. Ephes.

parentum qualibet flagella suscipere, quam Dei iram incurrere.

XXXIV.

Admonendus est populus, quod hæc sit vera caritas, quæ Deum diligit plusquam se, & proximum tamquam se; & quæ nihil vult alii facere, nisi quod sibi vult fieri, & plura, quæ recensere longum est. Nam & quicumque in potu & cibo, & dandis atque accipiendis rebus, caritatem tantum putant, non mediocriter errant, dicente apostolo: *Regnum Dei non est cibus & potus.* Nam & ipsa quando cum caritate faciunt bona sunt, & inter virtutes computanda.

XXXV.

Admonendi sunt qui negotiis ac mercationibus rerum invigilant, ut non plus terrena lucra quam vitam cupiant sempiternam. Nam qui plus de rebus terrenis quam de animæ suæ salute cogitat, valde a via veritatis aberrat; & juxta quemdam sapientem, in vita sua perdidit intima sua. Sequendus est enim in hac parte, sicut & in ceteris, apostolicus sermo, qui ait: *Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio proximum suum: vindex est enim Deus de his omnibus.* Sicut enim ab his qui labori agrorum, & ceteris laboribus, victum atque vestitum, & necessaria usibus humanis acquirere hiantes stant, decimæ & eleemosynæ dandæ sunt: ita his quoque qui pro necessitatibus suis negotiis insistunt, faciendum est. Unicuique enim homini Deus dedit artem qua pascatur, & unusquisque de arte sua, de qua corporis necessaria subsidia habet, animæ quoque, quod magis necessarium est, subsidium administrare debet.

XXXVI.

Hebdomada una ante initium quadragesimæ confessiones sacerdotibus dandæ sunt, pœnitentia accipienda, discordantes reconciliandi, & omnia jurgia sedanda: & dimittere debent debita invicem de cordibus suis, ut liberius dicant: *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* & sic ingredientes in beatæ quadragesimæ tempus, mundis & purificatis mentibus ad sanctum pascha accedant, & per pœnitentiam se renovent, quæ est secundus baptismus. Sicut enim baptismus peccata, ita pœnitentia purgat. Et quia post baptismum peccator denuo non potest baptizari, hoc medicamentum a domino pœnitentiæ datum est, ut per eam vice baptismi peccata post baptismum diluantur. Septem enim modis peccata dimitti scripturæ sanctæ demonstrant. Primo in baptismo, qui propter remissionem peccatorum datus est. Secundo per martyrium, juxta illud quod ait psalmista: *Beatus cui non imputavit dominus peccatum:* quia juxta ejusdem David sententiam, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Remittuntur peccata per baptismum, teguntur per pœnitentiam, non imputantur per martyrium. Tertio per eleemosynam, juxta Danielem, qui profano Nabuchodonosor regi ait: *Peccata tua eleemosynis redime in misericordiis pauperum:* & illud: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccatum.* Et dominus in euangelio: *Verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quarto si remittat quis peccanti in se peccata sua, juxta illud: *Dimitte, & dimittetur vobis, date & dabitur vobis:* & illud: *Sic & pater vester dimittet vobis peccata vestra, si remiseritis unicuique de cordibus vestris.* Quinto si per prædicationem suam quis, & per bonorum exercitium, alios ab errore suo convertat, juxta illud quod ait apostolus: *Quoniam si converti fecerit quis peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & cooperit multitudinem peccatorum.* Sexto per caritatem, juxta illud: *Caritas Dei cooperit multitudinem peccatorum per Iesum Christum dominum nostrum.* Septimo per pœnitentiam, juxta illud quod ait David: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.*

ANNO CHRISTI 797.

Iac. 5.

1. Pet. 4.

Psal. 31.

XXXVII.

Ipsa autem quadragesima cum summa observatione custodiri debet, ut jejunium in ea, præter dies dominicos, qui abstinentiæ subtracti sunt, nullatenus resolvatur: quia ipsi dies decimæ sunt anni nostri, quos cum omni religione & sanctitate transigere debemus. Nulla in his occasio sit resolvendi jejunii: quia alio tempore solet jejunium caritatis causa dissolvi, isto vero nullatenus debet. Quia in alio jejunare in voluntate & arbitrio cujuslibet positum est, in hoc vero non jejunare præceptum Dei transcendere est. Et in alio tempore jejunare præmium abstinenti acquirere est, in hoc vero, præter infirmos ac parvulos, quisquis non jejunaverit pœnam sibi acquirit, quia eosdem dies dominus, & per Mosem, & per Eliam, & per semetipsum, sacro jejunio consecravit.

XXXVIII.

Diebus vero jejunii eleemosyna facienda est, & cibum vel potum, quo quisque uti debuit, si non jejunaret, pauperibus eroget: quia jejunare, & cibos prandii ad cœnam reservare, non mercedis, sed ciborum est incrementum.

XXXIX.

Solent plures, qui se jejunare putant, mox ut signum audiunt ad nonam, manducare: qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad missas, & auditis missarum solennibus, sive vespertinis officiis, largitis eleemosynis ad cibum accedendum est. Si vero aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad missam convenire non valeat, æstimata vespertina hora, completa oratione sua, jejunium absolvere debet.

De consf. dist. Solent.

XL.

Abstinentia vero in his diebus omnium deliciarum esse debet, & sobrie & caste vivendum. Qui vero ovis, caseo, piscibus, & vino abstinere potest, magnæ virtutis est. Qui autem his, aut infirmitate interveniente, aut quolibet opere, abstinere non potest, utatur: tantum ut jejunium usque ad vesperum solenniter celebret, & vinum non ad ebrietatem, sed ad refectionem corporis sui sumat. A caseo vero, lacte, butyro, & ovis abstinere, & non jejunare", dementissimum est, & omni ratione semotum. Vini enim ebrietas & luxuria prohibita sunt, non lac & ova. Non enim ait apostolus: Nolite comedere lac & ova, sed: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

" deest a vino, aut quid aliud.

Ephes. 5.

XLI.

Singulis diebus dominicis in quadragesima, præter hos qui excommunicati sunt, sacramenta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt, & in cœna domini, & in parasceve, in vigilia paschæ, & in die resurrectionis domini, penitus ab omnibus communicandum, & ipsi dies paschalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi sunt.

Anno Christi 797.

XLII.

In his jejuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus, & in opere necessario persistendum. Arguit enim eos qui contentiones & lites quadragesimæ tempore exercent, & qui debita a debitoribus exigunt, dominus per prophetam dicens: *Ecce in die jejunii vestri inveniuntur voluntates vestræ, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie.* (Isai. 58.)

XLIII.

Abstinendum est enim in his sacratissimis diebus a conjugibus, & caste & pie vivendum, ut sanctificato corde & corpore isti sancti dies transigantur, & sic perveniatur ad diem sanctum paschæ: quia pene nihil valet jejunium, quod conjugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, & eleemosynæ non commendant.

XLIV.

Admonendus est populus, ut ad sacrosanctum sacramentum corporis & sanguinis domini nequaquam indifferenter accedat, nec ab hoc nimium abstineat, sed cum omni diligentia eligat tempus, quando aliquamdiu ab opere conjugali abstineat, & vitiis se purget, virtutibus exornet, eleemosynis & orationibus insistat, & sic ad tantum sacramentum accedat. Quia sicut periculosum est, impurum quemque ad tantum sacramentum accedere, ita etiam periculosum est ab hoc prolixo tempore abstinere: salva ratione eorum, qui excommunicati, non quando eis libet, sed certis temporibus communicant, & religiosis quibuscumque sancte viventibus, qui pene omni die id faciunt.

XLV.

Vt missæ, quæ per dies dominicos peculiares a sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant ′, ut per eas populus a publicis missarum solennibus, quæ hora tertia canonice fiunt, abstrahatur: quia pessimus usus est apud quosdam, qui in diebus dominicis, sive in quibuslibet festivitatibus, mox ubi missam celebrari, etiamsi pro defunctis sit, audierint, abscedunt, ut per totum diem a primo mane ebrierati & comessationi potius quam Deo deserviant.

′ ut populus eas audire queat, & propterea a publicis.

XLVI.

Admonendus est populus, ut ante publicum peractum officium ad cibum non accedat, & omnes ad sanctam matrem ecclesiam missarum solennia & prædicationem audituri conveniant: & sacerdotes per oratoria nequaquam missas, nisi tam caute ante secundam horam celebrent, ut populus a publicis solennitatibus non abstrahatur. Sed sive sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe sunt, sive populus, ut prædiximus, in unum ad publicam missarum celebrationem conveniant: exceptis Deo sacratis feminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris monasterii contineri.

NOTA IACOBI SIRMONDI S. I.

1 *Theodulphi capitulare.*] Qui hos Theodulfi canones primus in lucem dedit cardinalis Baronius, cum de tempore quo scripti sunt nihil haberet, in annum Christi DCCCXXV. eos conjecit, serius omnino quam par fuit; quia Theodulfum ad ea tempora non pervenisse ostendit Ionas ejus in Aurelianensi cathedra successor, qui a Ludovico pio post synodum Parisiensem ad Eugenium papam missus est anno DCCCXXIV. Nobis etsi de anno compertum nihil erat, aptius tamen referri ad hæc tempora posse visum est, quæ propius aberant ab exordio pontificatus Theodulfi; quem per hos annos, ante synodum Francofordiensem episcopum jam fuisse, Alcuini ad Carolum regem epistola IV. declarat.

** *Idem quoque Sirmondus editioni operum omnium Theodulphi anno 1646. procurata Par. in 8. hanc annotatiunculam inseruit.* Librum hunc Theodulfus, & post illum similes alios Herardus Turonensis, & Riculfus Suessionensis, eo quod capitulatim concepti distinctique essent, capitula & capitularia nuncuparunt: quemadmodum & legum regiarum codices, ut iisdem nominibus eamdem ob causam appellarent, temporum quoque illorum usus obtinuit. Sic enim & apud Græcos κεφάλαια, similiter dicta sunt, Marci verbi gratia eremitæ, Diadochi, Nili, aliorumque opuscula ascetica, & Agapeti parænetica & cætera id genus διὰ κεφαλαίων composita.

SYNODVS FINCHALLENSIS SVB EHANBALDO ARCHIEPISCOPO EBORACENSI HABITA.

Anno domini DCCXCVIII. vel DCCXCIX. Kenulfi autem regis Merciorum II. Northumbrensium regno jam extincto.

In qua agitur de paschatis & canonum observatione: suscipiunturque sanctæ & universales quinque synodi.

EODEM quoque anno (*videlicet quo captus est Eadbertus rex Cantuariorum, quod anno DCCXCVIII. vel mox, infra accidisse refert*) qui est annus tertius Kenulfi prædicti regis, synodo congregata in loco qui dicitur * *Phincahnhal*, præsidente Ehanbaldo archiepiscopo, aliisque quamplurimis principalibus, & ecclesiasticis viris, multa de utilitate sanctæ Dei ecclesiæ, gentisque Northanhimbrorum, omniumque provinciarum consiliati sunt, & de observatione paschalis festi, & judiciorum divinorum, & sæcularium, quæ diebus justorum regum, & ducum bonorum, atque sanctorum episcoporum, aliorumque sapientium, clericorum scilicet atque monachorum, quorum providentia & justitia, atque divinis * artibus, status regni Northanhumbrorum suaviter redolebat his temporibus.

* actis

Præcepit dominus antistes Ehanbaldus recitari quinque synodorum fidem, de quibus in historia Anglorum sic scribitur: *Suscipimus sanctas & universales quinque synodos beatorum, & Deo acceptabilium patrum, sicut præsentis libri continet textus*, &c.

CONCIL. APVD BAGANCELD AN. DOMINI DCCXCVIII. KENVLFI REGIS MERCIORVM SECVNDO,

Præsidentibus in eodem, Kenulfo ipso, & Æthelardo archiepiscopo Doroberniæ, cum episcopis, abbatibus, *&c.* subscriptis.

In quo decretum est ex mandato Leonis papæ III. ut super ecclesias viri sæculares non habeant dominum.

ANNO dominicæ incarnationis DCCXCVIII. congregatum est magnum concilium in loco * ubi nominatur Bacanceld, præsidente eodem concilio * Cenulfo rege, nec non reverendissimo archiepiscopo Æthelardo, cum episcopis, abbatibus, & multis aliis idoneis personis. Tunc idem venerablis pater & primas totius Britanniæ Æthelardus, sic exorsus est.

Ego

Ego Æthelardus Dei gratia humilis sanctæ Dorobernensis ecclesiæ archiepiscopus, unanimo consilio totius sanctæ synodi in nomine Dei omnipotentis, & per ejus tremendum judicium præcipio, sicut ego mandatum a domino apostolico Leone papa * recepi; ut ex hoc tempore nunquam temerario ausu super hereditatem domini, id est, ecclesias, laici præsumant sæculares dominium suscipere: sed sicut in privilegiis ab apostolica sede datis habetur, seu etiam ab apostolicis viris in initio nascentis ecclesiæ traditum est, per sanctos canones, vel etiam a propriis possessoribus monasteriorum constitutum est, ea regula & observantia disciplinæ sua monastica jura studeant observare.

Si ergo, quod absit, ipsi hoc nostrum mandatum & domini apostolici præceptum spreverint, & pro nihilo ducunt: sciant se a præsenti ecclesia justorum segregatos, & in die judicii ante tribunal Christi (nisi ante emendaverint) rationem reddituros.

Hæc sunt nomina sanctorum episcoporum & abbatum, qui cum totius sanctæ synodi consensu, pro * confirmatione prædictæ rei signum sanctæ crucis subscripserunt.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Athelardus archiepiscopus Dorobernensis civitatis signum sanctæ crucis subscripsi.
Ego Vvede episcopus subscripsi.
Ego Vvorr' episcopus subscripsi.
Ego * Egnuinus episcopus subscripsi.
Ego Fortherus episcopus subscripsi.
Ego Daniel episcopus subscripsi.
Ego Eadbrith episcopus subscripsi.
Ego Acca episcopus subscripsi.
Ego * Ingvvaldus episcopus subscripsi.
Ego * Vveardrid episcopus subscripsi.
Ego * Northbertus episcopus subscripsi.
Signum Aldulfi episcopi Lichifeldensis.
Ego Aadulf Siddensf. episcopus subscripsi.
Ego Osmundus London episcopus subscripsi.
Ego * Tudfridus Damocæ episcopus subscripsi.
Ego * Forthredus abbas subscripsi.
Ego * Vvernbrithius Legorensis subscripsi.
Ego * Ealhmundus episcopus Vvintonensis subscripsi.
Ego Vvermundus Roffensis episcopus subscripsi.
Ego Felogildus abbas subscripsi.
Ego Vvilfredus archidiaconus subscripsi.

CONCILIUM ROMANUM

IN BASILICA SANCTI PETRI A LEONE III. PAPA & episcopis LVII. Caroli Magni regis hortatu celebratum adversus Felicem Vrgellitanæ civitatis episcopum, ejusque epistolam contra Alcuinum scriptam, anno Christi DCCXCIX. Leonis ejusdem papæ IV. Caroli regis XXXII.

DAMNATA jam pridem fuerat hæresis Feliciana, quæ Christum non verum ac proprium Dei Filium, quod fides docet catholica, sed adoptivum esse contendebat, in synodo Ratisbonensi anno DCCXCII. *ubi & auctor ipse agnitum, ut præ se ferebat, errorem detestans ejuraverat; neque ibi solum, sed Romæ item apud Hadrianum papam, ad quem directus a Carolo rege fuerat per Angilbertum abbatem Centulensis monasterii. Post hæc vero in patriam reversus, ad pristinam insaniam mox rediit. Quo nomine in synodo Francofordiensi, ut ex ejus actis patet, una cum Elipando iterum est perstrictus anno* DCCXCIV. *Et cum ad epistolam Alcuini, qua illum, ut meliorem mentem resumeret, hortabatur, virulenta idem libello, in quem pristinæ hæreseos capita omnia conjecerat, respondisset, adversus hunc ejus libellum seu epistolam coacta est Romæ synodus, in qua & impius liber confutatus est, & Felici, nisi resipisceret, anathema dictum. Hujus ergo synodi, quæ hactenus obscura & ignota jacuit, luculentum est testimonium, tum apud Felicem ipsum in confessione fidei, quam suo loco proferemus, tum in excerptis actorum synodi ejusdem, quæ restant in schedis quibusdam Pithœanis, unde olim a nobis descripta, publica jam tum luce non indigna videbantur. Sic autem habent:*

EX ACTIONE I.

SYNODI LEONIS PAPÆ III.

ADVERSUS FELICEM VRGELLITANUM.

LEO sanctissimus ac ter beatissimus sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ, & universalis papa dixit. *Et post pauca.* De peste illa, quæ per miserum Felicem ex episcopo de nomine adoptionis in Christo Dei Filio orta est, concilium facere atque tractare pariter deberemus. Et olim quidem a prædecessore nostro bonæ memoriæ domno Hadriano papa, & ex auctoritate sedis apostolicæ, ejusdem regis magni jussione synodali tramite sub anathematis vinculo putabatur esse extincta, nunc magis ac magis crescendo pullulat. *Et paulo post.* Et ut nobis visum est, pejores hæreses, vel majores blasphemias, quam ante in ejus scriptis vel dictis unquam audissemus, ibidem cognovimus. Asserens autem Christum Iesum dominum nostrum, nec Filium Dei verum, nec etiam verum Deum, sed nuncupativum.

EX ACTIONE II.

Leo episcopus dixit: Quis non videat miserrimum illum & infelicem hæreticum, quia non solum hæresiarcha dudum de adoptione in Filio Dei latrans factus est, sed etiam & semel & bis, & tertio perjuratus effectus est? In primis namque in Ratisbonense concilio, quod per jussionem præfulgidi & orthodoxi filii nostri domni Caroli Magni regis actum est, confessus est se ex ipsa hæresi male dixisse: & in ipso conscripsit concilio, anathematizans qui ausus fuerit dicere Filium Dei dominum nostrum Iesum Christum adoptivum secundum carnem esse. Et iterum, sub sanctæ recordationis prædecessore nostro domno Hadriano papa, directus a domno Carolo præfulgido magno rege ipse miserrimus hæreticus infelix episcopus, doctus ab eodem almo præsule, fecit illum orthodoxum in vinculis libellum, anathematizans & confirmans inter cetera nequaquam Filium Dei adoptivum esse, sicut dixerat, sed proprium & verum dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei confiteor. Vnde & ipsum orthodoxum suum libellum super sacrosancta Dei mysteria in nostro patriarchio ponens, juravit sic tenere & confiteri. Et iterum in confessione super corpus beati

ANNO CHRISTI 799.

beati Petri apostoli ipsum ponens orthodoxum suum libellum, similiter & illic juravit nequaquam se dicere audere adoptivum, sed proprium & dilectum Filium Dei teneo & confiteor. Et postmodum trangressus legem Dei excelsi, fugiens apud paganos consentaneos perjuratus effectus est. Sed nec illud metuit almum & orthodoxum concilium, quod in conspectu domni Caroli præfulgidi & orthodoxi magni regis pro hujusmodi re gestum est, satis rectæ fidei continere, & anathematis vinculis jaculantes eumdem Felicem, si in errore persisteret, cum sequacibus suis condemnaverunt. Et ut audivit vestrum concilium, in suum vomitum, ut canis, reversus est in volutabro luti, ut audistis per suum blasphemum libellum, quem ad venerabilem virum Albinum abbatem monasterii sancti Martini emisit, in pejorem latrationem devenit, quam antea. Et flebilis est miser ille, quia si non ex sua iniqua hærese reversus fuerit in veram & catholicam sacrosanctam olitanam fidem, semetipsum anathematizavit.

EX ACTIONE III.

Leo sanctissimus papa dixit: Ipse enim mundi redemptor nos docuit: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* (Ezech. 3.) Nunc nostris sermonibus commonitionem audiant qui erraverunt, & conversi concordes nobis nostram teneant catholicam & apostolicam fidem, & sanctorum patrum sequantur traditiones. Venerantes procul dubio sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ, quæ est caput ecclesiarum Dei, pias atque sacras definitiones, priscæ insistant religioni, recognoscentes rectitudinem fidei traditæ, suarum ipsi animarum Deo inspirante salutem procurent. *Post pauca.* Felici Orgellitanæ ecclesiæ episcopo, si noluerit declinare ab heretico dogmate suo, in quo ausus est Filium Dei adoptivum asserere, anathema sit, atque ante tribunal Dei omnipotentis condemnatus, seu a sancta & apostolica Dei ecclesia extorris, nostroque consortio alienus. Hi vero qui conversi fuerint, & nostræ societati se unierint in fide, & concordia sanctæ catholicæ atque apostolicæ ecclesiæ, perpetuæ vitæ atque beatitudinis gaudia mereantur, & vocem audiant divinam: *Venite benedicti Patris mei*, &c. (Matth. 25.)

CONCILIVM AQVISGRANENSE,

IN QVO FELIX VRGELLITANVS HÆRESEOS, in quam relapsus fuerat, iterum convictus, catholicam fidem ex animo posita simulatione professus est, eodem Christi anno DCCXCIX. Leonis III. papæ IV. Caroli Magni regis XXXII.

SYNODI hujus nomen historiamque Alcuino maxime debemus, cujus in ea præcipue adversus Felicem partes fuerunt. Narrat enim qui ejus vitam conscripsit, Carolum Magnum regem, ut Felicianam hæresin expugnaret, magnam synodum episcoporum in Aquisgrani palatio congregasse, in eaque Alcuinum & Felicem regis jussu diebus aliquot conflixisse, ita ut a secunda usque ad septimam sabbati vix aliud gestum sit: victum se denique Felicem voce fletuque testatum esse. Qua de re Alcuinus idem, sed tacita sui mentione, in hæc verba scribit, & synodi annum designat, libro primo adversus Elipantum. Sed & idem Felix, *inquit*, anno præfati gloriosi principis XXXII. advocatus voluntarie veniens ad Aquis palatium, ibique in præsentia optimatum illius, sive sacerdotum Dei, rationabiliter auditus, & veraciter convictus, atque Deo dans gloriam, veramque confessus fidem, in pacem catholicæ unanimitatis reversus est cum suis discipulis, qui ibi tunc temporis erant præsentes. *Nec dissimilia sunt, quæ Felix ipse in fidei suæ confessione persequitur, quam post hæc ad suos Vrgellitanos scripsit, quæ & nuper edita est cum operibus Alcuini.* Postquam, *inquit*, ad præsentiam domini nostri ac piissimi gloriosique Caroli regis perductus sum, licentiam ab eo, secundum quod & venerabilis domnus Laidradus episcopus nobis in Orgello pollicitus est, accepimus, qualiter in ejus præsentiam, in conspectu episcoporum, quos ad se ordinatio gloriosi principis nostri convenire fecerat, sententias nostras, quas ex libris sanctorum habere nos de adoptione carnis in Filio Dei, seu nuncupatione in humanitate ejus credebamus, præsentaremus: qualiter non in violentia, sed ratione veritatis, nostra assertio rata judicaretur, si ab illis per auctoritatem sanctorum patrum minime repudiarentur. Quod ita factum est. Nam prolatas a nobis sententias de superdicta contentione, hoc est de adoptione carnis atque nuncupatione, ita illi ex auctoritate de libris sanctorum patrum, id est Cyrilli episcopi, & beati Gregorii papæ urbis Romæ, seu beati Leonis, sive & aliorum sanctorum patrum, qui nobis prius incogniti erant, seu per auctoritatem synodi, quæ nuper in Roma hac intentione, præcipiente gloriosissimo ac piissimo domino nostro Carolo, adversus epistolam meam, quam dudum venerabili viro Albino abbati Turonensis ecclesiæ scripseram, congregata est. In qua synodo, præsente Leone apostolico, & cum eo ceteri episcopi numero LVII. residentes, & plerique presbyteri ac diaconi cum eis in domo beatissimi Petri apostoli. Per quorum omnium auctoritatem jam dictas sententias nostras non qualibet, ut dictum est, violentia, sed ratione veritatis, ut oportuit, excluserunt. Quorum auctoritate veritatis, & totius ecclesiæ universalis consensu convicti, ad universalem ecclesiam, Deo favente, ex toto corde nostro reversi sumus, non qualibet simulatione, seu velamine falsitatis, sicut dudum, quod Deus scit; sed, ut dixi, vera cordis credulitate & oris professione. Quod etiam in conspectu multorum sacerdotum & monachorum professi sumus, *&c.*

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. I.

De concilio Ratisponensi ab aliis omisso.

Ad hæc ferme tempora referendam arbitror Ratisponensem illam synodum in qua actum esse cum de aliis causis ecclesiasticis tum de chorepiscopis (quos villanos episcopos vocant) testatur capitulum 187. libri VII. capitularium Caroli Magni, quod paulo post inter selecta ejusdem imperatoris capitula exhibebitur num. I. tituli IV. de chorepiscopis Errare quippe arbitror illos qui decretum illud in synodo Reginisbrucensi, factum adversus chorepiscopos revocant ad anterius concilium Ratisponæ sub Hadriano I. celebratum, in quo Felicis Vrgellitani episcopi hæresis primo damnata est ut supra docuimus pag..... Hoc enim posterius sub Leone III. habitum docent quæ præcedunt omnia, *de misso ad Leonem apostolicum Arnone archiepiscopo*, ut inter cetera quæ ferebat, *etiam eum & hoc interrogaret, ut quidquid super chorepiscopis definiendum esset apostolica auctoritate a nostris episcopis regulariter sopiretur.* Qui

Qui nobis verbis & scriptis ab eo renuncians hac non esse necesse iterare &c. Ista vero omnes maxime regni a nobis a Deo commissi, pergit imperator Carolus, *cum eodem Arnone permittente præfato apostolico mitius tractantes, jam dictos villanos episcopos inter presbyteros statuerunt, ita ut amplius nihil de episcopali ministerio præsumerent, nec ipsi deinceps a quoquam fierent, qui gradus sui periculum vitare vellet. Decretum namque est illa synodo quam Reginisbrut*, hoc est Ratisponæ, *pro eadem vel pro aliis causis apostolica auctoritate præfato pretexto habuimus* &c. quæ paulo post leges loco a nobis indicato, ne eadem sæpius apponamus.

Notanda quoque non oscitanter moneo verba illa quæ cap. 4. tituli III. capitulorum ecclesiasticorum ejusdem Caroli Magni, aliquot ab hinc paginis proponentur desumpta ex cap. 205. libri VII. eorumdem capitularium de purgatione sacerdotum qualiter Vvormatiæ secunda vice a domno Carolo & a suis tractata atque sopita est. *Nam cum Vvormatia generalem conventum habuissemus, allata est nobis a Riculfo Moguncia censi metropolitano epistola beati Gregorii papæ* &c. An inde Vvormatiensem synodum ab aliis non animadversam elicere quis possit, quo ve anno affigenda sit, viderint, quæso, eruditi.

CONCILIVM CLOVESHOÆ A CENVLFO REGE MERCIORVM,

Athellardo archiepiscopo Doroberniæ, convocatisque omnibus ejusdem provinciæ episcopis, ducibus, abbatibus, ceterisque dignitatis personis celebratum.

Regnante in perpetuum Deo & domino nostro Iesu Christo, ego Athellardus larga omnipotentis gratia Dei annuente Dorobernensis ecclesiæ metropolitanus, cum præstantissimo rege nostro Cenulfo, convocans universos provinciales episcopos nostros, duces & abbates & cujuscumque dignitatis viros ad synodale concilium in locum qui vocatur Clovesho; ibi solicito ab eis scrutinio quæsivimus qualiter apud eos fides catholica haberetur, & quomodo Christiana religio exerceretur.

His itaque requisitis, una omnium voce ita responsum est: Notum sit paternitati tuæ, quia sicut primitus a sancta Romana & apostolica sede (beatissimo papa Gregorio dirigente) exarata est, ita credimus, & quod credimus absque ambiguitate, quantum possumus, exercere satagimus. Postquam autem super his uberius tractatum est, ita exorsi sumus.

Necessarium est (fratres carissimi) ecclesias Dei & venerabiles viros qui jam multo tempore terrarum dispendio & absumptione chirographorum mirabiliter laboraverunt corrigere.

His dictis, prolatæ sunt inscriptiones monasterii quod vocatur Cotham in medium, terrarumque sibi adjacentium. Quod videlicet monasterium, cum omnibus ad illud pertinentibus terris, rex inclytus Merciorum Athelbaldus ecclesiæ salvatoris quæ sita est in civitate Dorobernia dedit: utque illius donatio perseverantior fieret, ex eadem terra cespitem, & cunctos libellos præmemorati cœnobii, per venerabilem virũ Cuthbertum archiepiscopum misit, & super altare salvatoris pro perpetua sua salute poni præcepit. Sed post mortem præfati pontificis, easdem inscriptiones Vaiheah & Osbertus, quos idem pontifex alumnos nutrivit, maligno acti spiritu furati sunt, & Cenulfo regi occidentalium Saxonum detulerunt. At ille accipiens statim testimonia literarum, prædictum cœnobium cum omnibus ad illud rite pertinentibus suis usibus coaptavit, neglectis prænominatis archiepiscopi Cuthberti dictis & factis.

Item Bregvvinus & Iambertus arhiepiscopi per singulas synodos suas questi sunt de injuria ecclesiæ salvatoris illata, & apud Cenulfum re-

A gem occidentalium Saxonum, & apud Offam regem Merciorum; qui videlicet sæpe memoratum cœnobium Cotham, & alias urbes quam plurimas Cenulfo * rege abstulit, & imperio Merciorum subegit. Tandem Cenulfus rex sera ductus pœnitentia, telligraphia, id est libellos quos a supra hominibus Veheh & Osberto injuste perceperat, cum magna pecunia * ecclesiæ Christi in Doroberniam remisit, humillime rogans, ne sub tantæ auctoritatis anathemate periclitaretur. Verum rex Offa præmemoratum cœnobium Cotham, sicut sine literis accepit, ita quanto tempore vixit detinuit, & absque literarum testimonio suis post se heredibus reliquit.

Anno Christi 800.

* forte regi Cenulfum regem ablatorum pœnitet.

* ecclesia

Secundo autem anno regni Cenulfi facta est B synodus, sicut supra est prælibatum, apud Clovesho: at ego Athellardus gratia Dei Dorobernensis archiepiscopus, & Cuba primicerius mecum, & multi alii ex illa ecclesia Christi sapientes, libellos præfati cœnobii Cotham in concilium detulimus. Cumque coram synodo relicti fuissent, omnium voce decretum est, justum esse, ut metropolis ecclesia sæpe præfatum cœnobium Cotham (cujus inscripiones in suo gremio habebat) perciperet, quæ sub tanto tempore tam injuste spoliata fuerat.

In præcedenti synodo Cotham monasterium Athellardo archiepiscopo restituitur.

Tunc autem placuit mihi Athellardo, Dei gratia archisacerdoti, & Cynedritæ abbatissæ, quæ eodem tempore sæpedicto cœnobio præfuit, * ac C senioribus ex utralibet parte Cantii, scilicet a Bedeford ad hoc ibidem congregatis, quatenus ipsa Cynedritha in regione Cantia daret mihi pro commutatione sæpe præfati cœnobii terram centum & decem mansionum, sexaginta cassatorum videlicet in loco qui dicitur Fleot, & triginta in loco qui dicitur Tenaham: in tertio quoque loco ubi dicitur Creges Ænnelina, viginti. Quas scilicet terras olim rex Offa sibi viventi conscribere fecit, suisque heredibus post eum, & post eorum cursum vitæ ecclesiæ quæ sita est apud Beodford consignari præcepit.

Is hoc cōmutat cum ejusdem abbatissa.

* a

Hoc etiam coram omni synodo elegimus, ut D ipsa abbatissa a me percipiat sæpe nominatum cœnobium cum suis inscriptionibus, & ego terras & libellos terrarum illarum, quas mihi in Cantia reddit, ab ea acciperem; quatenus nulla in posterum inter nos heredesque nostros & Offæ regis surgat controversia: sed quod sub tam nobili synodo testimonio inter nos confirmatum est, indirupto fœdere servetur in perpetuum.

Tellligraphia cum terris tradenda.

Ego quoque Athellardus archiepiscopus concedo Cynedrithæ abbatissæ monasterium quod situm est in loco qui dicitur Pectanege ad habendum, quod mihi rex pius Egfridus hereditario jure possidendum donavit atque conscripsit.
E

"** LEONIS III. PAPÆ AD CAROLVM

Magnum regem adventus in Saxoniam, & * quæstio Romæ per missos regis habita " de iis qui pontificem male multarant, anno Christi DCCXCIX.

* Prætermissa in regia collectione ex Sirmondo restituimus.

Cvm Leonem papam hoc anno factiosi quidam Romæ quorum principes erant Paschalis primicerius & Campulus sacellarius, multis injuriis affectum, erutis oculis & lingua amputata, immanissime tractassent, Caroli regis fidem implorare coactus est. Spoleto igitur, quo se post acceptam cladem, visu ac linguæ usu cælesti ope restituto, contulerat, cum vicinarum civitatum

Dddd episcopis

ANNO CHRISTI 800.

episcopis & optimatibus, cleroque Romano A profectus, iter ad regem ingressus est. Padabrunæ in Saxonia exceptum a Carolo fuisse antiqui annales produnt. Qua autem reverentia & honore susceptus sit, Romamque cum missis Caroli reversus, & de quæstione ab iisdem missis Romæ habita in eos qui Leonem dehonestarant, Anastasius bibliothecarius in Leonis ipsius vita docet. Christianissimus, inquit, & orthodoxus atque præcipuus, clementissimusque rex, illico ut adventare pontificem audivit, misit in obviam ejus Hildebaldum archiepiscopum & capellanum, & Ascherícum comitem: & postmodum proprium filium suum Pippinum excellentissimum regem, cum aliis co- B mitibus, obviam ejus iterum & usque ubi ipse magnus rex ei obviavit, & sicut vicarium beati Petri apostoli, venerabiliter & honorifice cum hymnis & canticis spiritalibus eum suscepit: & pariter se amplectentes cum lacrymis se osculati sunt, a prædicto pontifice, Gloria in excelsis Deo inchoante, & cuncto clero suscipiente, oratio super cuncto populo data est. Tunc beatissimus domnus Carolus magnus rex antedictum pontificem conspiciens, gratias Deo retulit, qui tam magna mirabilia super famulum suum per suffragia principum apostolorum Petri & Pauli operatus est, & ad nihilum prædictos iniquos viros deduxit. Qui quidem hæc audientes, moliti sunt falsa adversus sanctissimum pontificem imponere crimina, & post eum ad prædictum mittere regem, quod probare nequaquam potuissent. Sed cum apud regem pontifex in magno & condecenti honore degeret, ex omni parte archiepiscopis, episcopis & ceteris sacerdotibus venientibus, una cum regis consilio, omnibusque eximiis Francis, Romam illum cum nimio, ut decuit, emiserunt honore. Quem per unamquamque civitatem usque Romam deduxerunt: at Romani omnes generaliter in vigilia beati Andreæ apostoli cum nimio gaudio susceperunt. Et post aliquantos dies, fidelissimis missis, qui cum eo venerant in pontificale obsequium, videlicet D Hildebaldo & Arno reverendissimis archiepiscopis, & Cuniperto, Bernardo, Hattone, & Iesse reverendissimis & sanctissimis episcopis, necnon & Flaico electo episcopo, verum etiam Helmgoth, Rotticario, & Germario gloriosis comitibus, residentibus in triclinio ipsius domni Leonis papæ, & per unam & amplius hebdomadam inquirentibus ipsos nefandissimos malefactores, quam malitiam a pontifice habuissent, tam Paschalis quam Campulus, cum sequacibus eorum, nihil habuerunt adversus eum quod dicerent. Tunc illos comprehendentes prædicti missi magni regis, emiserunt eos in Franciam. E

" ** *Caroli Magni quarta in urbem profectio, in qua Romanorum imperator creatus est, anno Christi* DCCC.

EXEVNTE anno Christi DCCC. cum ad reparandum turbatæ ecclesiæ statum Romam venisset Carolus Magnus, ac die natali domini, sacrorum causa sancti Petri basilicam esset ingressus, Leo pontifex, ob egregia illius in ecclesiam Romanam, Christique vicarios merita, nihil tale suspicantis capiti coronam imposuit, populo ter unanimi voce acclamante, Carolo piissimo Augusto a Deo coronato, magno, pacifico, imperatori Romanorum vita & victoria. Ita ab omnibus constitutus imperator, oleo sancto a pontifice illico est inunctus, ab eoque more antiquo principum adoratus: & qui antea rex Francorum ac patricius Romanorum vocabatur, exinde, ablato patricii nomine, imperator & Augustus est appellatus.

" ** *De canonica purgatione Leonis papæ, Carolique imperatoris inauguratione, & de judicio in eos peracto qui in Leonem papam manus injecerant, ex Anastasio.*

POST modicum tempus, ipse magnus rex, dum in basilica beati Petri apostoli conjunxisset, & cum magno honore susceptus fuisset, fecit in eamdem ecclesiam congregari archiepiscopos, seu episcopos, abbates, & omnem nobilitatem Francorum atque Romanorum. Et sedentes pariter tam magnus rex, quam beatissimus pontifex, fecerunt residere & sanctissimos archiepiscopos & abbates, stantibus reliquis sacerdotibus, & optimatibus Francorum & Romanorum, ut crimina quæ adversus almum pontificem dicta fuerant declinarent. Qui universi archiepiscopi, & episcopi, & abbates, unanimiter C audientes dixerunt: Nos sedem apostolicam, quæ est caput omnium Dei ecclesiarum, judicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes, & vicario suo judicamur: ipsa autem a nemine judicatur, quemadmodum & antiquitus mos fuit: sed sicut ipse summus pontifex censuerit, canonice obediemus. Venerabilis vero præsul inquit: Prædecessorum meorum pontificum vestigia & sequor, de talibus falsis criminationibus, quæ super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum. Alia vero die, in eadem ecclesia beati Petri apostoli cum omnes adessent generaliter archiepiscopi, seu episcopi & abbates, & omnes Franci qui in servitio ejusdem magni regis fuerunt, & cuncti Romani in eadem ecclesia beati Petri apostoli, in eorum præsentia amplectens præfatus venerabilis pontifex sancta Christi quatuor euangelia, coram omnibus ascendit in ambonem, & sub jurejurando clara voce dixit: Quia de istis falsis criminibus, quæ super me imposuerunt Romani, qui inique me persecuti sunt, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco. Et hoc peracto, omnes archiepiscopi, episcopi & abbates, & cuncti clerici litania facta laudes dederunt Deo, atque Dei genitrici, semperque virgini Mariæ dominæ nostræ, & beato Petro apostolorum principi, omnibusque sanctis Dei. Post hæc adveniente die natali domini nostri Iesu Christi, in jamdicta basilica beati Petri apostoli omnes iterum congregati sunt, & tunc venerabilis almificus pontifex manibus suis propriis pretiosissima corona coronavit eum. Tunc universi fideles Romani videntes tantam defensionem & dilectionem, quam erga sanctam Romanam ecclesiam, & ejus vicarium habuit, unanimiter altisona voce, Dei nutu atque beati Petri clavigeri regni cælorum, exclamaverunt, Carolo piissimo Augusto a Deo coronato magno pacifico imperatori vita & victoria. Ante sacram confessionem beati Petri apostoli, plures sanctos invocantes, ter dictum est: & ab omnibus constitutus est

est imperator Romanorum. Illico sanctissimus antistes & pontifex unxit oleo sancto Carolum, & excellentissimum filium ejus regem, in ipso die natalis domini nostri Iesu Christi. Et missa peracta, post celebrationem missarum, obtulit ipse serenissimus domnus imperator mensam argenteam cum pedibus suis pensantem libras *. Sed & in confessione ejusdem Dei apostoli obtulit, una cum praecellentissimo filio suo rege, & filiabus, diversa vasa ex auro purissimo in ministerio ipsius mensae, pensantia libras *. Sed & coronam auream cum gemmis majoribus, quae pendet super altare, pensantem libras quinquaginta quinque. Et patenam auream maiorem cum gemmis diversis, pensantem libras triginta. Et calicem majorem cum gemmis, & ansis duabus, pensantem libras quinquaginta octo. Item calicem majorem fundatum cum scyphone, pensantem libras triginta & septem. Immo & alium calicem majorem fundatum, pensantem libras triginta & sex. Obtulit & super sacratissimum altare beati Petri apostoli, immo & in basilica beati Pauli apostoli, mensam argenteam minorem cum pedibus suis, pensantem libras quinquaginta quinque cum diversis vasis argenteis mirae magnitudinis, quae ad usum ipsius mensae pertinent. Item in basilica salvatoris domini nostri Iesu, quam Constantinianam vocant, obtulit crucem cum gemmis hyacinthinis: quam almificus pontifex in litania praecedere constituit, secundum petitionem ipsius piissimi imperatoris. Immo & altare cum columnis argenteis & ciborio. Verum etiam & euangelium ex auro mundissimo, cum gemmis ornatum, pensantem libras *. Item & in basilica beatae Dei genitricis Mariae ad praesepe obtulit sicla argentea majora, pensantia libras *. Postmodum vero, dum deducti fuissent iniquissimi illi malefactores, videlicet Paschalis cum Campulo, & sequaces eorum, in praesentia piissimi domni imperatoris, circumstantibus nobilissimis Francis & Romanis, & omnibus exprobrantibus de malis ipsorum consiliis, & operationibus, increpabat Campulus Paschalem dicendo: Mala hora faciem tuam vidi, eo quod tu me misisti in istud periculum, & ceteri similiter unus alterum condemnans manifestabant suos ipsorum reatus. Quos dum tam crudeles, & iniquos piissimus imperator cognovisset, in exilium in partibus Franciae misit.

** *Brevior altera narratio, ex Ademaro in vita Caroli Magni.*

MENSE Augusto Maguntiam veniens iter in Italiam condixit, & Ravennam pervenit. Ibi ordinata in Beneventanos expeditione, post septem dierum inducias Romae iter convertit, & exercitum cum Pippino filio suo in Beneventanorum terras praedatum ire jussit. Romam vero venienti occurrit pridie Leo papa, & Romani cum eo, apud Nomentum duodecimo ab urbe lapide, & summa cum humilitate summoque honore suscepit. Prandensque cum eo in loco praedicto statim eum ad urbem praecessit, & crastino in gradibus basilicae beati Petri apostoli stans, missis obviam Romanae urbis vexillis, ordinatis etiam atque dispositis per congrua loca tam peregrinorum quam civium turmis, qui venienti laudes dicerent, ipse cum Clero & episcopis equo descendentem gradusque ascendentem suscepit, dataque oratione in basilicam beati Petri psallentibus cunctis introduxit. Facta sunt haec sub die VIII. Kalendas Decembres. Post septem vero dies, rex concione vocata, cur venisset Romam omnibus patefecit, & exinde quotidie ad ea quae erant facienda operam dedit. Inter quae vel maximum & difficillimum erat de discutiendis papae objectis criminibus. Et dum nullus probator criminum esse potuit, domnus papa coram omni populo in basilica beati Petri euangelium portans ambonem conscendit, & invocato sanctae Trinitatis nomine jurejurando ab objectis criminibus se purgavit. Ipsa autem sacratissima natalis domini, cum rex ad missam ante confessionem beati Petri apostoli ab oratione surgeret, domnus Leo papa coronam capiti ejus imposuit, & a cuncto Romanorum populo acclamatum est, Carolo Augusto a Deo coronato, magno & pacifico imperatori Romanorum, vita & victoria. Antea enim domnus Carolus vocabatur ab omnibus rex Francorum, & Patricius Romanorum: sed post laudes a domno apostolico more antiquorum principum adoratus est, atque ablato Patricii nomine imperator & Augustus est appellatus.

Post paucos autem dies, jussit eos qui papam anno superiori dehonestaverunt, exhiberi, & habita de eis quaestione secundum legem Romanam, ut majestatis rei capite damnati sunt. Pro quibus tamen papa pio affectu apud imperatorem intercessit, & vita & membra eis concessa sunt: sed pro facinoris magnitudine exilio deportati sunt. Hujus factionis principes fuere Paschalis nomenculator & Campulus sacellarius, & multi alii Romanae urbis nobiles. Ordinatis deinde tota hyeme Romanae urbis, & apostolici, totiusque Italiae non tantum publicis, sed etiam ecclesiasticis & privatis rebus, VII. Kalendas Maii Roma profectus est.

[a] SYNODVS ROMANA IN CAVSA LEONIS PAPAE,

Congregata in praesentia Caroli regis, anno domini DCCC. & Leonis papae III. anno V.

NOTA SEVERINI BINII.

a *Synodus Romana.*] Anno domini 800. Carolus Magnus Romam se contulit, ut ecclesiam illam impiorum factionibus perturbatam in pristinam securitatem restitueret. Ingressus est urbem octavo Kalendas Decembris. Vt ea quorum causa venerat, citius expedirentur, congregata est synodus; qua pontifex praesentes episcopos suae causae criminumque sibi objectorum judices esse mandavit, quamquam apostolicam sedem ab aliorum judicio exemptam esse non ignoraret. Cumque nemo inveniretur qui objecta crimina probare posset, ipse pontifex in basilica beati Petri ferens sacrum euangelium, ambonem conscendit, & ab objectis criminibus per invocationem divini numinis se canonice & legitime purgavit. Rem gestam annales Francorum describunt: fusissime eam enarrat Anastasius supra in vita Leonis his verbis: *Fecit Carolus Magnus in eadem ecclesia congregari archiepiscopos & episcopos, abbates & omnes nobiles Francorum, atque inclytos Romanorum, &c.* apud Anastasium supra.

Tempus concilii.

Acta concilii.

Formula purgationis qua usus est Leo pontifex, extat in libro sacrorum rituum, quem vetustas Romanum ordinem appellat, estque hujusmodi:

** *Nota res est, fratres carissimi, malos adversum me homines insurrexisse, meq; ad vitam meam gravissimis criminibus infamasse. Cujus rei cognoscendae gratia clementissimus hic ac serenissimus rex Carolus una cum sacerdotibus ac principibus suis in hanc urbem se contulit. Quamobrem ego Leo pontifex S. R. E. a nemine judicatus neque coactus, sed mea voluntate impulsus, purgo me praesentibus vobis coram Deo & angelis ejus qui conscientiam novit, & beato Petro principe apostolorum,*

ANNO CHRISTI 801.

rum, in cujus conspectu consistimus, neque scelera- A *tas res quas mihi objiciunt perpetrasse, neque perpetrari jussisse, Deum testans, in cujus judicium venturi sumus, & in cujus conspectu consistimus. Et hoc facio non legibus ullis obstrictus, neque hanc consuetudinem aut decretum in sancta ecclesia successoribus meis, & fratribus coepiscopis imponere cupiens, sed ut certius vos iniquis suspicionibus liberē.*

*** CAPITULA QUÆ ADDITA SUNT Carolo Magno imperatore ad legem Longobardorum anno Christi DCCCI.

CAROLUS divino nutu coronatus Romanum regēs imperium serenissimus Augustus omnibus ducibus, comitibus, gastaldiis, seu cunctis reipublicæ per provincias Italiæ a nostra mansuetudine præpositis. Anno ab incarnatione domini B nostri Iesu Christi DCCCI. indictione IX. anno vero regni nostri in Francia XXXIII. in Italia XXVIII. consulatus autem nostri primo. Cum in Italiam propter utilitatem sanctæ Dei ecclesiæ ac provinciarum disponendarum venissem, & multæ atque diversæ per urbes singulas ante conspectum nostrum quæstiones tam de ecclesiasticis, quam publicis ac privatis rebus discuterentur, pleraque statuta recitata ex Romana seu Longobardorum lege competenti sententia terminata sunt, quædam vero in nostri examinis arbitrium ad tempus dilata. quorum judicialis sententia a legislatoribus aut penitus omissa est, aut a posteris oblivioni tradita. Quocirca nos considerantes, utilitatem C nostram & populi a Deo nobis concessi, quæ ab antecessoribus nostris regibus Italiæ, in edictis legis Longobardicę ab ipsis editæ prætermissa sunt; juxta rerum & temporis considerationem addere curavimus solliciti ut necessaria quæ legi defuerant supplerentur, ut in rebus dubiis non quorumlibet arbitrium, sed nostræ regiæ auctoritatis sententia prævaleret.

Capitula autem quæ nobis addere placuit, hæc sunt.

I. *De chartis donationis faciendis.* Statuimus, si quis Longobardus statum humanæ fragilitatis præcogitans pro salute animæ suæ de rebus suis chartam donationis quamlibet facere voluerit, jus sibi vendēdi, commutandi, & per aliam chartam eamdem rem alienandi reservet; sed absolute D faciat unusquisq; de rebus suis quod velit; & noverit sibi a nostra auctoritate penitus interdictum esse duas de eadem re facere donationes. Sed postquam unam de rebus suis ordinationem fecerit, aliam de istis faciendi nullam habeat potestatem. Eidem tamen, ut usumfructum per tantum precaria res traditas usque in tempus definitum possidendi sit facultas.

II. *De aribanno.* Si quis liber contempta jussione nostra, ceteris in exercitum pergentibus domi residere præsumpserit, plenum aribannum secundum legem Francorum solid. LX. sciat se debere componere. Similiter & pro contemptu singulorum capitulorum, quæ per nostræ regiæ auctoritatis bannum promulgavimus. Idem qui pacē ec- E clesiarum Dei, viduarū, orphanorū, & pupillorum ac minus potentiū irruperit LX. solidos exsolvat.

III. *De desertoribus.* Si quis adeo contumax aut superbus extiterit, ut dimisso exercitu, absque jussu vel licentia regis domum revertatur, & quod nos Theutisca lingua dicimus erislex, ipse ut reus majestatis vitæ periculum incurrat, & res ejus fisco nostro socientur.

IV. *De latronibus.* Si quis latronem morte dignū sibi ad occidēdum traditū reservaverit, vitam indigno cōcesserit, medietatē damni propter quod traditus est pro latrone componat. & idem latro iterum in latrocinio fuerit cōprehensus, quod in primis debuerat, capitali sentētię debitū exsolvat.

V. *De mancatione qualibet.* Si quis alterum præsumptione sua vel sponte castraverit, & ei ambos testiculos amputaverit, integrum vvidrigildum suum juxta conditionem personæ componat. Si virgam absciderit, similiter. Si unum testiculorum medietatem solvat. De oculis, manibus, ac pedibus, vel de lingua sancimus, ut si unum horum abscisum fuerit, medietas vvidrigildi, si ambo, integritas pro facti emendatione componatur.

VI. *De aldionibus publicis, ad jus publicum pertinentibus.* Aldiones vel aldianes ea lege vivant in Italia in servitute dominorum suorum, qua fiscalini, vel liddi vivunt in Francia.

VII. *Item de latronibus.* Si quis furē vel latronem comprehenderit, & eum indemnem dimiserit, neque illum ad præsentiam ducis aut comitis, *vel loci servatoris,* qui missus comitis est adduxerit, & de hoc facto vel nequitia post hoc in pręsentia judicum convictus fuerit, ipse damnum ad æstimationem pro qua fur vel latro comprehensus est, componere cogatur.

VIII. *De servis fugacibus.* Ubicumq; intra Italiam sive regius, sive ecclesiasticus vel cujuslibet alterius hominis servus fugitivus inventus fuerit a domino suo sine ulla annorum pręscriptione vindicetur. ea tamen ratione, si dominus Francus sive Alemannus, aut alterius cujuslibet nationis sit. Si vero Longobardus aut Romanus fuerit, ea lege servos suos vel adquirat vel admittat, quæ antiquitus inter eos est constituta.

[1] CAROLI MAGNI SELECTA CAPITULA ECCLESIASTICA.

Quæ ab eo, partim adhuc rege, partim imperatore, diversis temporibus edita sunt.

INDEX TITULORUM.

TITULUS I.

De episcoporum honore ac potestate.

CAP. I.

Edictum Caroli regis, ut comites & alii judices episcopis, in iis quæ ad illorum ministerium pertinent, obediant.

Carolus gratia Dei rex Francorum & Longobardorum, ac patricius Romanorum, dilectis comitibus, seu judicibus & vassis nostris, vicariis, centenariis, vel omnibus missis nostris & agentibus.

COGNOSCAT utilitas vestra, quia resonuit in auribus nostris quorumdam præsumptio nō modica, quod non ita obtemperetis pontificibus nostris, seu sacerdotibus, quemadmodū canonum & legum continet auctoritas; ita ut presbyteros nescio qua temeritate præsentari episcopo denegetis. Insuper & aliorum clericos usurpare non pertimescatis, & absq; consensu episcopi in vestras ecclesias mittere audeatis. Nec non & vestris ministeriis pontifices nostros talem potestatē habere non permittatis, qualem rectitudo ecclesiastica docet. Insuper nonas & decimas, vel cēsus, improba cupiditate de ecclesiis, unde ipsa beneficia sūt, abstrahere nitimini, & precarias de ipsis rebus, sicut a nobis dudum in nostro capitulare institutū est, accipere negligitis, & ipsam sāctam Dei ecclesiam una cum ipsis episcopis vel abbatibus, emendare juxta vires vestras. Quapropter nos, una cum consensu episcoporum nostrorum, abbatum, nec non aliorum sacerdotum, hæc instituta partibus nostris direximus. Præcipientes enim jubemus, ut nullus quilibet ex fidelibus nostris, a minimo ad

maximum, in his quæ ad eum pertinent, episcopo inobediens parere audeat de supradictis capitulis, seu aliis eruditionibus ad illorum ministeria pertinentibus: sed cum bona voluntate, & omni mansuetudinis subjectione, unusquisque sacerdoti suo propter Deum & pacis studium obtemperare studeat. Si quis autem, quod absit, unus ex vobis ullus de nonis & decimis censibusque reddendis atque precariis renovandis negligens apparuerit, & importunus episcopis nostris de his quæ ad ministerium illorum pertinere noscuntur, vel, sicut in capitulare dudum a nobis facto continetur, contradicere præsumpserit; sciat se procul dubio, nisi se cito correxerit, in conspectu nostro exinde ducere rationes. Et ut has literas certius credatis, de annulo nostro subterius decrevimus roborare.

CAP. II.

Quod principi ejusque legatis fideles futuri non videantur, qui episcopis non obtemperant. Ex capitulis in Theodonis villa firmatis.

Volumus atque præcipimus, ut omnes suis sacerdotibus, tam majoris ordinis, quam & inferioris, a minimo usque ad maximum, ut summo Deo, cujus vice in ecclesia legatione funguntur, obedientes existant. Nam nullo pacto agnoscere possumus, qualiter nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles, & suis sacerdotibus inobedientes apparuerint: aut qualiter nobis obedientes, nostrisque ministris ac legatis obtemperantes erunt, qui illis in Dei causis & ecclesiarum utilitatibus non obtemperant. Potius namque, juxta veritatis vocem, ille metuendus est, qui potest animam & corpus perdere in gehennam, quam ille qui corpus torquere, & honores temporales potest auferre. De illis dictum est: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* & alibi: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* & rursus: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, melius est illi, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* & iterum: *Qui vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit.* & multa alia, horumque similia. His ergo fulti oraculis, jubemus ut omnes eis pro viribus ad eorum peragenda ministeria, & ad malos & peccatores atque negligētes homines distringendos, summopere obedientes existant. Qui autem in his, quod absit, aut negligentes, eisque inobedientes fuerint inventi, sciant se nec in nostro imperio honores retinere, licet etiam filii nostri fuerint, nec in palatio locum, neque nobiscum, aut cum nostris societatem aut communionem ullam habere, sed magis sub magna districtione & ariditate pœnas luent. In his namque omnium nostrorum fidelium volumus agnoscere fidem ac benevolentiam, quoniam si hæc fideliter & utiliter impleverint, tunc Deo & nobis fideles erunt. Si autem, quod absit, secus egerint, tunc non solum infideles, sed etiam infames atque reprobi manifeste apparentes notabuntur, eorumque domus publicabuntur, & ipsi exiliabuntur.

CAP. III.

De episcoporum audientia. Ut litem habentes, sive petitor, sive possessor, si antistitum judicium elegerint, ad eos dirigantur.

Volumus atque præcipimus, ut omnes ditioni nostræ Deo auxiliante subjecti, tam Romani, quam Franci, Alamanni, Bajovarii, Saxones, Thuringi, Fresones, Galli, Burgundiones, Britones, Langobardi, Vvascones, Beneventani, Gothi, & Hispani, ceterique nobis subjecti omnes, licet quocumque videantur legis vinculo

A constricti, vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam, quam ex sexto decimo Theodosii imperatoris libro, capitulo videlicet XI. ad interrogata Ablavii ducis, illi & omnibus rescriptam sumpsimus, & inter nostra capitula pro lege tenendam consultu omnium fidelium nostrorum, tam clericorum, quam & laicorum, posuimus, lege cunctis perpetua tenendam. Id est, Quicumque litem habens, sive possessor, sive petitor fuerit, vel in initio litis, vel decursis temporum curriculis, sive cum negotium peroratur, sive cum jam cœperit promi sententia, si judicium elegerit sacrosanctæ legis antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur. B Multa enim, quæ in judicio captiosæ præscriptionis vincula promi non patiuntur, investigat & promit sacrosanctæ religionis auctoritas. Omnes itaque causæ, quæ vel prætorio jure, vel civili tractantur, episcoporum sententiis terminatæ perpetuo stabilitatis jure firmentur. Nec liceat ulterius retractari negotium, quod episcoporum sententiis deciderit. Testimonium etiam ab uno licet episcopo perhibitum omnes judices indubitanter accipiant. Nec alius audiatur, cum testimonium episcopi a qualibet parte fuerit repromissum. C Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod a sacrosancto homine conscientia mentis illibatæ protulerit. Hoc nos edicto salubri aliquando censuimus, hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes, ut miseri homines longis ac pene perpetuis actionum laqueis implicati, ab improbis petitionibus, vel a cupiditate præpropera maturo fine discedant. Quidquid itaque de sententiis episcoporum clementia nostra censuerat, etiam hac sumus lege complexi. Gravitatem tuam, & ceteros pro utilitate omnium in perpetuum observare conveniet.

TITULUS II.

UT EPISCOPI ET PRESBYTERI AD BELLA NON PERGANT.

D CAP. I.

Supplicatio populi apud Carolum magnum pro sacerdotum causa, ne in hostem aut pugnam pergerent. Ex capitulis Vvormatiæ decretis.

FLEXIS omnes precamur poplitibus majestatem vestram, ut episcopi deinceps, sicut hactenus, non vexentur hostibus, sed quando vos nosque in hostem pergimus, ipsi propriis resideant in parochiis, Deoque fideliter famulari studeant, & eorum sacrosancta mysteria canonice & Deo placite peragere satagant, atque pro vobis, & cuncto exercitu vestro, una cum omnibus sibi commissis orare viriliter, missasque decantare, & litanias atque eleemosynas facere decertent. E Quosdam enim ex eis in hostibus & præliis vulneratos vidimus, & quosdam periisse cognovimus. Hæc vero valde periculosa, & oppido sunt cavenda. Quæ idcirco suggerimus, ne pro talibus vos & nos simul pereamus. Novit dominus, quando eos in talibus videmus, terror apprehendit nos, & quidam ex nostris timore perterriti, propter hoc fugere, & inimicis terga vertere solent. Plures enim potestis habere præliatores, si illi propriis resident in parochiis, quam si vobiscum pergunt: quoniam illi quieos prævident omnes tunc pugnabunt, quod modo nequaquam faciunt, sed eos tantummodo custodiunt. Nam sine dubio potius vobis nobisque proficere possunt, si remanserint, (Lib. 6. cap. 285.)

 quam

quam si in hostem vel ad pugnam perrexerint: A quia tunc eorum precibus adjuvamur, & modo eorum pressuris gravamur. Quando vero Moyses expansis ad cælum manibus orabat, vincebat Israel; & quando a precibus cessabat, & manus ejus gravabantur, priusquam sustentatæ fierent, & ipse precibus insisteret, vincebatur & terga vertebat. Talibus ergo & multis aliis exemplis fulti, quorum prolixitatem vitantes modo non dicimus, quia sapienti semel dicta sufficiunt, prædicta obnixe omnes precamur, & ut concedantur rogamus; quia nullatenus volumus assentire ut nobiscum ad talia pergant, nisi duo B aut tres bene docti, electione videlicet ceterorum, ad benedictionem dandam, & ad periclitantium reconciliationem faciendam, ne vos & nos simul cum pluribus pereamus, sed eorum precibus, ut jam memoratum est, fulciamur. Quam formam & de sacerdotibus tenere optamus, id est, ut nec illi in hostem, nisi bene docti, & ipsi electione atque permissione propriorum episcoporum, qui tamen tales sint, de quorum scientia & vita ac conversatione omnes securi esse possimus. Illud tamen vobis & omnibus scire cupimus, quod non propterea hæc petimus, ut eorum res, aut aliquid C ex eorum pecuniis, nisi ipsis aliquid sponte nobis dare placuerit, aut eorum ecclesias viduari cupiamus: sed magis eis, si dominus posse dederit, augere desideramus; ut & ipsi & vos & nos salviores simus, & Deo potius ipso adminiculante placere mereamur. Scimus enim res ecclesiæ Deo esse sacratas, scimus eas esse oblationes fidelium, & precia peccatorum. Quapropter si quis eas ab ecclesiis, quibus a fidelibus collatæ Deoque sacratæ sunt, aufert, procul dubio sacrilegium committit. Cæcus enim est qui ista non videt. Quisquis ergo nostrum suas res ecclesiæ tradit, domino Deo illas offert atque dedicat, suisque sanctis, & non alteri, di- D cendo talia & agendo ita. Facit enim scripturam de ipsis rebus quas Deo dare desiderat, & ipsam scripturam coram altari, aut supra, tenet in manu, dicens ejusdem loci sacerdotibus atque custodibus: Offero Deo atque dedico omnes res quæ hac in chartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum & filiorum, aut pro quocumque illas Deo liberare voluerit, ad serviendum ex his Deo in sacrificiis, missarumque solenniis, orationibus, luminariis, pauperum ac clericorum alimoniis, & ceteris divinis cultibus, atque illius ecclesiæ utilitatibus. Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœna sacrilegii ex hoc domino Deo, cui eas offero atque dedico, districtissimas reddat rationes. Ponit et- E iam in ea alias conjurationes, quas enumerare longum est. Nam qui eas inde postea aufert, quid agit nisi sacrilegium? Si ergo amico quidpiam rapere furtum est, ecclesiæ vero fraudari vel auferri indubitanter sacrilegium est. Unde & in sacris canonibus spiritu Dei conditis, habetur ita: Si quis oblationes ecclesiæ extra ecclesiam accipere vel dare voluerit, præter episcopi conscientiam, vel ejus cui hujuscemodi sunt officia commissa, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit. Absit enim, ut rerum ecclesiarum cupiditate vel ablatione sacrilegi, aut anathema efficiamur, aut talibus laqueis unquam devinciamur: quoniam scimus anathematizatos homines vel sacrilegos non solum infames, & a consortio fidelium, priusquam hæc

Exod. 17.

per publicam satisfactionem ecclesiæ, & episcoporum reconciliationem, manusque impositionem emendent, alienos esse, sed etiam a regno Dei extorres fieri, si in talibus defecerint, non dubitamus. Ut ergo omnis suspicio a nobis, cunctis sacerdotibus, & omnibus Christi & sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus funditus auferatur, profitemur omnes, stipulas dextris in manibus tenentes, easque propriis e manibus ejicientes, coram Deo & angelis ejus, ac vobis cunctisque sacerdotibus & populis circumstantibus, nec talia facere, nec facere volentibus consentire, sed magis Deo auxiliante resistere. Et hoc vobis omnibusque fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, & nostris notum esse cupimus, quod cum his, qui absque voluntate aut consensu vel datione rectoris illius ecclesiæ, cui ipsæ res juste esse debentur, & maxime proprii episcopi, res ecclesiæ a regibus petere, aut retentare, vel auferre, aut invadere, vel vastare præsumpserint, nec in hostem, nec ad pugnam ire, nec cibum sumere, nec ad ecclesiam, vel ad palatium, aut in itinere pergere, nec etiam nostros homines cum eorum hominibus, aut caballos vel reliqua pecora nostra cum eorum pecoribus, aut ad pastum ire, aut simul habitare vel manere, nec ullam participationem cum eis, nisi pro emendatione, ante publicam emendationem, & ecclesiæ satisfactionem, unquam scienter aut libenter habere debeamus: ne pro eorum iniquitatibus atque flagitiis una cum eis nos & nostri, quod absit, pereamus. Scimus enim quia perit justus pro impio. Tales vero a nobis, si nos fideles habere vultis, segregate, & in ergastulum sub publica pœnitentia redigite, & postulata concedite. Ut ergo hæc omnia a vobis, & a nobis, sive a successoribus vestris & nostris, futuris temporibus absque ulla dissimulatione conserventur, scriptis ecclesiasticis inserere jubete, & inter vestra capitula interpolare præcipite.

CAP. II.

Concessio domni Caroli imperatoris, ne episcopi ad bella pergant.

Omnibus notum esse volumus, quia non solum ea quæ super episcoporum & presbyterorum hostium vexationibus, & precibus pro nobis & vobis fieri rogitastis, concedere optamus; sed quidquid pro sanctæ Dei ecclesiæ & sacerdotum, sive totius populi, & vestra utilitate inveneritis, concedere paratissimi sumus: & modo ista sicut petistis concedimus: & quando vita comite, Deo auxiliante, ad generale placitum venerimus, sicut petistis, consultu omnium fidelium nostrorum scriptis firmare nostris, nostrorumque, atque futuris temporibus irrefragabiliter manenda firmissime domino adminiculante cupimus. Modo ea quæ generalia sunt, & omnibus conveniunt ordinibus, statuere, ac cunctis sanctæ Dei ecclesiæ, nostrisque fidelibus, ob Dei omnipotentis amorem, & recordationem tradere parati sumus: & ad proximum synodalem nostrum conventum, ac generale placitum, ubi plures episcopi & comites convenerint, ista sicut postulastis firmabimus.

Lib. 6. cap. 28

CAP. III.

Decretum domni Caroli regis Francorum, ut servi Dei neque in hostem pergant, neque armaturam bajulent.

Carolus gratia Dei rex, regnique Francorum rector, & devotus sanctæ ecclesiæ defensor atque adjutor in omnibus, apostolicæ sedis hortatu, omniumque fidelium nostrorum, & maxime episcoporum,

Lib. 7.

A episcoporum, ac reliquorum sacerdotum consultu, servis Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum & in hostem pergere, omnino prohibemus, nisi illis tantummodo, qui propter divinum ministerium, missarum scilicet solennia adimplenda, & sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt: id est unum vel duos episcopos cum capellanis presbyteris princeps secum habeat, & unusquisque præfectus unum presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare, & indicare pœnitentiam possit.

B

CAP. IV.

De hoste & pugna, atque armis sacerdotibus prohibitis.

Secunda vice propter ampliorem observantiam apostolica auctoritate, & multorum sanctorum episcoporum admonitione instructi, sanctorumque canonum regulis edocti, consultu videlicet omnium nobilium nostrorum, nosmetipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, volumus ut nullus sacerdos in hostem pergat, nisi duo vel tres tantum episcopi electione ceterorum propter benedictionem & prædicationem, populique reconciliationem; & cum C illis electi sacerdotes, qui bene sciant populis pœnitentias dare, missas celebrare, de infirmis curam habere, sacratique olei cum sacris precibus unctionem impendere, & hoc maxime providere, ne sine viatico quis de sæculo recedat. Hi vero nec arma ferant, nec ad pugnam pergant, nec effusores sanguinum vel agitatores fiant: sed tantum sanctorum pignora & sacra ministeria ferant, & orationibus pro viribus insistant: ut populus qui pugnare debet, auxiliante domino, victor existat, & non sit sacerdos sicut populus. Reliqui vero qui ad ecclesias suas remanent, suos homines bene armatos nobiscum, aut cum quibus jusserimus, dirigant, & ipsi pro nobis & cuncto exercitu nostro missas, litanias, oblationes, eleemosynas D faciant, orantes Deum cæli ut proficiamus in itinere quo pergimus, victoresque Deo adminiculante existamus. Gentes enim & reges earum, quæ sacerdotes secum pugnare permiserunt, nec prævalebant in bello, nec victores extiterunt, quia non erat differentia inter laicos & sacerdotes, quibus pugnare non est licitum. Hæc vero Galliarum, Spaniarum, Longobardorum, nonnullasque alias gentes, & reges earum fecisse cognovimus, qui propter prædictum nefandissimum scelus nec victores extiterunt, nec patrias retinuerunt. Quam foveam caventes, malumus cum paucis & licitis, domino E opem ferente, victores existere, quam cum multis & illicitis terga, quod absit, vertere, & cum prædictis gentibus perire. Qualis enim victoria datur, ubi sacerdotes una hora dominica pertractant ministeria, & Christianis dominicum porrigunt corpus pro suarum animarum redemptione, & post Christianos, quibus hoc ministrare debuerant, aut paganos, quibus Christum prædicare, propriis sacrilegisque manibus necant; præcipue dicente eis domino: *Vos estis sal terræ: quod si sal evanuerit, in quo condietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Et dum hæc ita se habeant, elegimus potius, domino adminiculante, nobisque illis & cunctis eorum ecclesiis opem ferente, nec quidquam eis pro hoc de honoribus, vel ecclesiarum rebus minuente, ut gradus eorum & sanctorum canonum decreta custodiant, quam illi aut nobis imperantibus, aut consentientibus, contra hæc faciant, aut gradibus careant, aut pereant, & nos simul, quod absit, cum eis & victoria careamus vel pereamus. Quoniam peccatis exigentibus timemus, si talia & tam illicita aut imperemus, aut agere consentiamus, ut una cum eis pereamus: quia non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus æquo piaculo rei sunt in conspectu Dei & sanctorum ejus. Si vero ista veraciter ex utraque parte fuerint custodita, credimus quia corruent ante nos omnes paganæ gentes, & erimus victores; insuper & bene agentes, domino auxiliante, vitam possidebimus sempiternam.

CAP. V.

De his qui putaverunt idcirco præceptum fuisse, non ire ad pugnam sacerdotes, ut honor eis minueretur.

Quia instigante antiquo hoste audivimus quosdam nos suspectos habere, propterea quod concessimus episcopis & sacerdotibus, ac reliquis Dei servis, ut in hostes, nisi duo aut tres a ceteris electi, & sacerdotes similiter perpauci ab eis electi, non irent, sicut in prioribus nostris continetur capitularibus, nec ad pugnam properarent, nec arma ferrent, nec homines tam Christianos, quam paganos necarent, nec agitatores sanguinum fierent, vel quidquam contra canones facerent, quod honores sacerdotum, & res ecclesiarum auferre vel minorare eis voluissemus: quod nullatenus facere velle vel facere volentibus consentire, omnes scire cupimus. Sed quanto quis eorum amplius suam normam servaverit, & Deo servierit, tanto eum plus honorare, & cariorem habere volumus. Et ut hæc certius credantur, & per futura tempora conserventur, præcipimus ut nullus res ecclesiæ nisi precario possideat, & postquam ipsæ precariæ finitæ fuerint, faciant potestative speculatores ecclesiarum utrum elegerint, aut ut ipsas res recipiant, aut posteris eorum sub precario & censu habere permittant. Ita tamen ut ipsi proprias & utiles res eisdem ecclesiis, de quarum jure esse videntur, legaliter tradant; & sic a rectoribus earumdem ecclesiarum precariæ, si renovandæ sunt, canonice renoventur. Novimus ergo multa regna & reges eorum propterea cecidisse, quia ecclesias spoliaverunt, resque earum vastaverunt, abstulerunt, & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterunt, sed terga multi vulnerati & plures interfecti verterunt, regnaque & regiones, &, quod pejus est, regna cælestia perdiderunt, atque propriis hereditatibus caruerunt & hactenus carent. Quæ omnia vitantes, nec talia facere, nec consentire, nec infantibus aut successoribus nostris exemplum dare volumus, sed quantum valemus & possumus, adjuncto Leonis papæ, & omnium episcoporum, quorum consilio usi hoc egimus, spiritu nostro spiritui, per Deum & omnium sanctorum merita prohibemus, contestamurque, ne talia faciant, vel facere volentibus consentiant: sed adjutores & defensores, atque sublimatores ecclesiarum, & cunctorum servorum Dei, pro viribus existant, ne in foveam, in quam prædicti reges & regna ceciderunt, cadant, aut in profundum, quod

Lib. 7. cap. 104.

quod absit, inferni demergantur. Et ut hæc devotius per futura tempora conserventur, præcipientes jubemus, ut nullus tam nostris quam futuris temporibus, a nobis vel successoribus nostris, ullo unquam tempore, absque consensu & voluntate episcoporum, in quorum parochiis esse noscuntur, res ecclesiarum petere aut invadere, vel vastare, aut quocumque ingenio alienare præsumat. Quod si quis fecerit, tam nostris, quam & successorum nostrorum temporibus, pœnis sacrilegii subjaceat, & a nobis atque successoribus nostris, nostrisque judicibus vel comitibus, sicut sacrilegus & homicida, vel fur sacrilegus, legaliter puniatur, & ab episcopis nostris anathematizetur: ita ut mortuus etiam sepultura, & cunctis Dei ecclesiæ precibus & oblationibus careat, nec eleemosynam suam quisquam recipiat. Quod autem maximum sacrilegium sit res ecclesiæ auferre, invadere, alienare, vastare, vel subripi, maxime omnes scripturæ divinæ testantur, & beatus Symmachus papa synodali sententia cunctos feriendo dicit. Iniquum est, inquit, & sacrilegii instar, ut quæ vel pro salute, vel pro requie animarum suarum unusquisque venerabili ecclesiæ pauperum causa contulerit, aut certe reliquerit, ab his quibus maxime servari convenerat auferri, aut in aliud transferri. Et multa sanctorum canonum decreta, & sanctorum patrum edicta hæc eadem testantur, quę scrutari & scire cupientibus perfacile patent.

TITVLVS III.
DE PVRGATIONE SACERDOTVM.

CAP. I.

Quid de presbyteris criminosis, de quibus approbatio non est, agendum sit.

Lib.5.c.33. Et hoc vobiscum magno studio pertractandum est, quid de illis presbyteris criminosis, unde approbatio non est, & semper negant, faciendum sit. Nam hoc sæpissime a nobis & a progenitoribus atque antecessoribus nostris ventilatum est, sed non ad liquidum hactenus definitum. Vnde ad consultandum patrem nostrum Leonem papam sacerdotes nostros mittimus, & quidquid ab eo vel a suis perceperimus, vobis una cum illis quos mittimus renuntiare non tardabimus. Vos interdum vicissim tractate attentius, quid ex his vobiscum constituamus una cum prædicti sancti patris institutionibus, ut murmur cesset populi, & nos his satisfacientes illæsi domino auxiliante ab utrisque maneamus. Sequitur constitutio memorata.

CAP. II.

Decretum Caroli regis, ex consultu Leonis papæ, de purgatione sacerdotum.

Lib. 5.c.34. Omnibus vobis visu aut auditu notum esse non dubitamus, quod sæpissime, suadente antiquo hoste, sacerdotibus crimina diversa objiciantur, sed quoniam qualiter ex eis ab his rationabilis examinatio & satisfactio fiat, licet tempore bonæ memoriæ domni genitoris nostri Pippini, sive priscis temporibus, a sanctis patribus, & a reliquis bonæ devotionis hominibus sæpissime ventilatum fuerit, nos tamen pleniter & ad liquidum definitum reperire minime quivimus. Nostris quippe temporibus ad ipsum a sanctis episcopis & reliquis sacerdotibus, & ceteris ecclesiasticæ dignitatis ministris, nostris in regnis, seu in aliis degentibus, nobisque una cum eis agentibus, sæpissime propter multas & nimias reclamationes, quæ ex hoc ad nos ex diversis partibus venerunt, ventilatum est. Sed qualiter consultu domni & patris nostri Leonis apostolici, ceterorumque Romanæ ecclesiæ episcoporum, & reliquorum sacerdotum, sive orientalium & Græcorum patriarcharum, & multorum sanctorum episcoporum & sacerdotum, nec non & nostrorum episcoporum omnium ceterorumque sacerdotum & Levitarum auctoritate & consensu, atque reliquorum fidelium, & cunctorum consiliatiorum nostrorum consultu definitum est, vobis omnibus utriusque ordinis ministris scire volumus. Statutum est namque ratione & necessitate ac auctoritate prædicta, consultu omnium, ut quotiescumque cuiquam sacerdoti crimen imponitur, si ipse accusator talis fuerit, ut recipi debeat (quia quales ad accusationem sacerdotum admitti debeant, in canonibus pleniter expressum est) si autem, ut dictum est, ille accusator qui canonice est recipiendus, eum cum legitimo numero verorum & bonorum testium approbare in conspectu episcoporum poterit, tunc canonice dijudicetur; & si culpabilis inventus fuerit, canonice damnetur. Si vero cum suprascripto prætextu approbare ipse accusator minime poterit, & hoc canonice definiatur. Ipse ergo sacerdos, si suspiciosus aut incredibilis suo episcopo, aut reliquis suis consacerdotibus, sive bonis & justis de suo populo vel de sua plebe hominibus fuerit, ne in crimine aut in prædicta suspicione remaneat, cum tribus aut quinq; vel septem bonis ac vicinis sacerdotibus, exemplo Leonis papæ [a], vel eo amplius, si suo episcopo visum fuerit, aut necesse propter tumultum populi id esse [b] prospexerit, & cum aliis bonis & justis hominibus se sacramento coram populo super quatuor euangelia dato purgatum ecclesiæ reddat. Si quis autem scire desiderat, quales testes ad accusationem sacerdotum recipi debeant, & quid de accusatore faciendum sit, pleniter in canonibus reperire poterit.

[a] in ... bus m... branid... apud ... sunt, a... gitur: duode... episco... in sua... gatio... buit.
[b] persp... rit.

CAP. III.

Vt presbyteri criminosi ad synodum venientes in medium collocentur.

Presbyteros criminosos canonice ad synodum venientes jubemus juxta decreta papæ Innocentii cap. XXXIII. in medio collocari, discussisque objectionibus, quæ ipsis presbyteris impinguntur, si convinci potuerint, a sacerdotali removeantur officio; quia qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt: atque alieni efficiantur a ministerio quod vivendo illicite polluerunt: & si convinci non potuerint, secundum anterius capitulum, consultu Leonis papæ, & multorum episcoporum statutum, cum aliis presbyteris & fidelibus, justisque hominibus satisfaciant episcopo suo, & populo. Lib.

CAP. IV.

De purgatione sacerdotum, qualiter Vvormatiæ secunda vice a domino Carolo, & a suis tractata, atque sopita est.

Omnibus vobis tam præsentibus quam & futuris scire cupimus, quia ideo consultu sedis apostolicæ & omnium nostrorum episcoporum ac reliquorum sacerdotum, atque maxime cunctorum fidelium nostrorum, de purgatione criminatorum sacerdotum tanta tractavimus, eamque Lib.7.205.

que cum testibus, sicut in anteriori capitulari nostro continetur, fieri decrevimus: quoniam nesciebamus eamdem causam a beato Gregorio papa esse definitam. Nam cum Vvormatiæ generalem conventum habuissemus, allata est nobis a Riculfo Moguntiacensi metropolitano epistola beati Gregorii papæ, in qua inter cetera continebantur hæc: De presbytero vero, vel quolibet sacerdote a populo accusato, si certi non fuerint testes, qui crimini illato approbent veritatem, jusjurandum erit in medio, & illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate, cui nuda & aperta sunt omnia, sicque maneat in proprio gradu. Ista vero omnia, quia vires nostras excedunt, in judicio episcoporum juxta canonicam sanctionem definienda relinquimus. ut hæc quando orta fuerint ita definire satagant, ut nec secundum sæculum justam reprehensionem, nec penes Deum, quod absit, damnationem, sed æternæ beatitudinis, ipso auxiliante qui omnia infucata præstat, præmia consequantur.

TITVLVS IV.
DE CHOREPISCOPIS.
CAP. I.

Leonis III. papæ de chorepiscopis consulti responsum. Episcoporum Franciæ decretum, ut chorepiscopi de ministerio episcopali nihil præsumant, & ut in posterum non fiant.

OMNIBVS sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus & nostris notum esse volumus, quia non parva quæstio de chorepiscoporum superstitione ad nos non semel aut bis vel ter venerit, sed sæpissime nostris auribus molestiam intulerit. Ipsa enim quæstio non solum inter clericos, sed etiam inter laicos crebrius ventilabatur. Dicebant ergo presbyteri, diaconi, & subdiaconi, a regularibus episcopis ordinati, non eos esse presbyteros, vel diaconos, aut subdiaconos, qui a chorepiscopis videbantur quasi sacrati, nec sacerdotale eos debere peragere officium, nisi forent a canonice ordinatis episcopis consummati. Sumentes quoque de canonica auctoritate sanctionem, affirmabant a chorepiscopis ordinatos, vulneratum potius quam episcopaliter sanctificatum per illam manus impositionem habere caput. Vbi autem vulnus infixum est, medicina est adhibenda, quo possit recipere sanitatem. Similiter & laici dicebant, quod talium ministrorum vel sacerdotum, id est qui a chorepiscopis erant quasi ordinati, officia audire nollent, nec eorum infantes majores vel minores, aut familiam eorum per manus impositionem consignari vel confirmari usquam vellent, ne magis vulnus quam benedictionem acciperent. Quod jurgium cum enucleatius discutere voluissemus, placuit nobis ex hoc apostolicam sedem consulere, jubente canonica auctoritate, atque dicente: Si majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, ut sancta synodus statuit, & beata consuetudo exigit, incunctanter referatur. Quapropter Arnonem archiepiscopum ad Leonem apostolicum misimus, ut inter cetera quæ ferebat, etiam eum & hoc interrrogaret: ut quidquid super his definiendum esset apostolica auctoritate a nostris episcopis regulariter sopiretur. Qui nobis verbis & scriptis ab eo renuntians hęc non est necesse iterare vel definire, quia sæpissime a suis prædecessoribus, & a multis sanctis episcopis, atque synodalibus sanctionibus eos esse prohibitos atque damnatos: & ideo non esse necesse ventilare; sed definita tenere. Dixit enim nullum fore presbyterum, vel diaconum, aut subdiaconum ab eis ordinatum, nec ecclesiam ab eis dedicatam, nec virginem consecratam, nec quemquam confirmatum, neque quidquam quod de episcopali ministerio præsumpsere esse peractum: sed quidquid ex his ab eis illicite erat præsumptum, omnia a canonice ordinatis episcopis debere rite peragere, & in meliorem statum reformare: quia quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum. Prædictos autem chorepiscopos omnes præcepit damnare, & in exilio detrudi. Ista vero omnes maxime regni nobis a Deo commissi episcopi cum eodem Arnone, permittente præfato apostolico mitius tractantes, jam dictos villanos episcopos inter presbyteros statuerunt, ita ut amplius nihil de episcopali ministerio præsumerent, nec ipsi deinceps a quoquam fierent, qui gradus sui periculum vitare vellet. Decretum [a] namque est in illa synodo, quam Reginisbruc pro eadem vel pro aliis causis apostolica auctoritate præfato prætexto habuimus, nihil ex prædictis a quoquam eorum agere nec facere volentibus consentire, sed quidquid ab eis episcopaliter præsumptum est, a canonice ordinatis episcopis peragi debere, nec ullum usquam de episcopali ministerio a chorepiscopis aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod aliquis horum accipere potuisset, quoniam quod non habuit quis eorum, dare non potuit. Nam episcopi non erant, quia nec ad quamdam civitatis episcopalem sedem titulati erant, nec canonice a tribus episcopis ordinati. Ideo de episcopali ministerio nihil agere potuerunt. & idcirco non ostenditur gestum, quod præfixi agere putaverunt, quia quod non habuerunt, nullatenus dare potuerunt. Ideo namque nulla causa permittit, ut videatur iteratum, quod de causis memoratis a canonice ordinatis episcopis cognoscitur regulariter peractum. Vnde & cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam esse [a] tribuendum quod non docetur fuisse collatum? Scimus enim, sicut & in antiquis patrum legimus decretis, posse vera ac justa legitimi episcopi benedictione auferri omne vitium quod a vitioso fuerat injectum.

[a] Vide quæ de illa synodo dicta sunt paullo ante pag. 1152. E.

[a] tributum

CAP. II.

Vt nullus chorepiscopus per impositionem manus Spiritum sanctum tradat, aut consecrationem perficiat.

Placuit, sicut Leonis papæ, & omnium episcoporum nostrorum, atque reliquorum fidelium generali & synodali consultu decrevimus, ut nullus chorepiscopus per manus impositionem Spiritum sanctum tradere, aut sacerdotes vel Levitas, aut subdiaconos sacrare, vel virgines velare, aut sanctum chrisma conficere, vel ecclesias aut altaria sacrare, aut benedictionem in publica missa populis tribuere præsumat: quæ omnia summis pontificibus, id est, cathedralibus episcopis debentur, & non chorepiscopis vel presbyteris, quorum formam juxta sanctorum canonum decreta chorepiscopi gerunt. Si autem ii aliquid ex his agere tentaverint, irrita erunt quæ ab iis geruntur, & ipsi omni ecclesiastico honore funditus priventur. Lib.7.c.328.

Cap. III.

De his qui a chorepiscopis sunt ordinati presbyteri, diaconi vel subdiaconi.

Lib. 7. cap. 329. Vt hi qui a chorepiscopis presbyteri, vel diaconi, vel subdiaconi sunt ordinati, nullatenus in presbyteratus, diaconatus, vel subdiaconatus officio ministrare præsumant. Similiter homines, qui imperitis videntur ab eis esse confirmati, vel virgines seu ecclesiæ sacratæ, aut chrisma confectum, sive altaria dedicata, pro confirmatis, vel sacratis, aut dedicatis minime habeantur, quia quæ illi non habuerunt dare non potuerunt: quoniam ex his eis quidquam agere non licet, quæ omnia summis pontificibus debentur, & non chorepiscopis, qui nec summi pontifices vel episcopi fuerunt, nec deinceps usquam fieri possunt. Nullum enim ex LXX. ex his aliquid unquam fecisse legimus vel scimus; ad quorum exemplum & formam presbyteros vel chorepiscopos, antequam ipsi chorepiscopi prohibiti essent, fuisse agnovimus. Hæc vero omnia a cathedralibus episcopis, qui a comprovincialibus episcopis, aut præsentia, aut judicio metropolitani consecrati esse noscuntur, agenda sunt, & non a presbyteris, vel chorepiscopis, qui ambo unius formæ esse videntur. Quæ si ab eis aut propter imperitiam, aut propter præsumptionem acta, ut prædictum est, ab imperitis esse putantur, a cathedralibus tamen episcopis reformanda vel peragenda sunt: quia quæ illi in his agere cogitarunt imperfecta remanserunt, &, ut jam prælibatum est, quod illi non habuerunt dare non potuerunt. Episcopi namque non fuerunt, quia nec a tribus episcopis, nec ad aliquam episcopalem cathedram ordinati fuerunt: & ideo ex his nihil agere potuerunt. Et ne alicui talis ordinatio, vel confirmatio, aut consecratio, reiteratio esse videatur, attendat illud quod scriptum est: Quod non ostenditur gestum, ratio non finit ut videatur iteratum.

Cap. IV.

De chorepiscopis, ne deinceps fiant.

Lib. 6. cap. 119. Placuit ne chorepiscopi a quibusdam deinceps fiant, quoniam hactenus a nescientibus sanctorum patrum, & maxime apostolicorum decretis suisque quietibus ac delectationibus inhærentes facti sunt. Idcirco & olim persæpe, & nostro a sancta apostolica sede tempore sunt prohibiti, & ne deinceps a quoquam tam ordinante, quam ordinari cupiente, talis præsumptio assumatur, a cunctis nostri regni episcopis est in synodo canonice prohibitum.

Sunt & alia de chorepiscopis capitula, libro 6. capite 284. & libro 7. capite 310. & 318. quæ propterea hoc loco prætermittimus, quia novi nihil continent. Actum est etiam postea de iisdem in concilio Parisiensi sub Ludovico Pio, & in concilio Meldensi sub Carolo Calvo, & in aliis.

TITVLVS V.

DE ECCLESIIS ET ECCLESIASTICIS HOMINIBVS.

Cap. I.

De ecclesiarum servorumque Dei oppressionibus, & de aliis sceleribus nefandis ob quæ regna percussa sunt, ut penitus caveantur.

Lib. 7. cap. 195. PROHIBEMVS omnino sub pœna sacrilegii generaliter omnibus, cunctarum ecclesiarum rerum invasiones, vastationes, alienationes, sacerdotumque & reliquorum servorum A Dei oppressiones, vexationes, atque cunctorum generum injurias, nec non & cunctis utriusque sexus hominibus adulteria, fornicationes, sodomiticasque luxurias, atque incesta, vel cuncta illicita conjugia, homicidia injusta, perjuria, falsa testimonia, & omnia illicita: pro quibus non solum regna vel reges, sed etiam homines in eis commanentes perire cognovimus. Sed quia Deo auxiliante per merita & intercessionem sanctorum servorumque Dei, quos sublimare & honorare curavimus atque curamus, hactenus nos & successores nostri regna & regiones acquisivimus, & victorias multas habuimus, deinceps B summopere nobis providendum est, ne pro prædictis illicitis & spurcissimis luxuriis his, quod absit, careamus. Nam multas regiones, quæ rerum ecclesiarum invasiones, vastationes, alienationes, vexationesque, & sacerdotum reliquorumque servorum Dei oppressiones, vel quascumque injurias, quæ jam dicta illicita, & adulteria, vel sodomiticam luxuriam, vel commixtionem meretricum sectatæ fuerunt, nec in bello sæculari fortes, nec in fide stabiles perstiterunt. Et qualiter dominus talium criminum patratoribus ultrices pœnas per Sarracenos, & alios populos, venire & sævire permisit, cunctis earum gesta legentibus liquet. Et nisi nos ab his caveamus, similia nobis supervenire non dubitamus, quia vindex est Deus his hominibus. Quapropter sciat unusquisque nobis subjectus, qui in C uno ex his repertus atque convictus fuerit, & honores si habet omnes perdere, & in carcerem se usque ad justam emendationem, atque per publicæ pœnitentiæ satisfactionem retrudi, & ab omnium fidelium consortio fieri alienum. Valde enim cavenda est illa fovea, in quam alios cecidisse cognovimus.

Cap. II.

EPISTOLA CAROLI IMPERATORIS AD PIPPINVM FILIVM REGEM ITALIÆ.

D De pace ecclesiarum Dei, & illis servientium.

Carolus serenissimus Augustus a Deo coronatus, magnus, pacificus imperator, Romanorum gubernans imperium, ac per misericordiam Dei rex Francorum & Langobardorum, dilectissimo filio nostro Pippino glorioso regi sempiternam in domino salutem.

PERVENIT ad aures [t] nostras, quod aliqui duces, & eorum juniores, castaldii, vicarii, centenarii, seu reliqui ministeriales, falconarii, venatores, & ceteri per singula territoria habitantes vel discurrentes, mansionaticos & paravereda accipiant, non solum super liberos homines, sed etiam in ecclesias Dei, monasteria videlicet virorum ac puellarum, & xenodochia, atque diversas plebes, & super reliquos servientes ecclesiarum Dei, in eorum opera, id est in vineis & campis, seu pratis, nec non & in eorum ædificiis illos faciant operari, & carnaticos, & vinum contra omnem justitiam ab eis exactare non cessant, & multas oppressiones patiantur ipsæ ecclesiæ Dei, vel servientes earum. Ideoque, carissime fili, has literas ad tuam dilectionem direximus, ut hanc causam diligenter ac prudenter inquirere facias, &, si veritas est quod ita factum sit, deinceps omnimodis emendare & corrigere

Lib. 7. cap. ... [t] clemens nostras (margin, partly cut off)

E

gere studeas: quatenus in diebus nostris ac tuis pax A ecclesiarum Dei, sive illarum servientium, in omnibus conservetur, & ut merces copiosa nobis ac tibi exinde jugiter accrescat. Audivimus etiam, quod quædam capitula quæ in lege scribi jussimus, per aliqua loca aliqui ex nostris ac vestris dicant, quod nos nequaquam illis hanc causam ad notitiam per nosmetipsos condictam habeamus: & ideo nolunt eis obedire, nec consentire, neque pro lege tenere. Tu autem nosti, quomodo vel qualiter tecum locuti fuimus de ipsis capitulis. Et ideo admonemus tuam amabilem dilectionem, ut per universum regnum tibi a Deo commissum ea nota faciat, & obedire atque implere præcipiat. De episcopis & sacerdotibus occisis, sicut statutum habemus, & de reliquis quibuslibet causis. B Verumtamen de presbyteris videtur nobis, ut si liber natus est presbyter, tripla compositione secundum tuam legem fiat compositus: & si plagatus fuerit, secundum qualitatem plagarum vel disciplinæ tripla compositione emendetur qui hoc perpetraverit. Si tamen presbyter servus natus fuerit, secundum illius nativitatem tripla compositione solvatur in plagis & disciplinis. Et de diaconibus similiter fiat. His expletis bene vale semper in domino, fili dilectissime.

CAP. III.

Qualiter ex factis aut mansis, vel quartis, manopera & reliqua servitia exigantur vel agantur.

51. Pro nimia reclamatione quæ ad nos venit de hominibus ecclesiasticis, seu fiscalinis, qui non erant adiurnati, quando in Cenomannico fuimus, visum est nobis una cum consultu fidelium nostrorum statuere, ut quicumque de prædictis hominibus quartam facti tenet, cum suis animalibus seniori suo pleniter unum diem cum suo aratro in campo dominico aret; & postea nullum servitium & manuale in ipsa hebdomada a seniore suo requiratur. Et qui tanta animalia non habet, ut in uno die hoc explere valeat, perficiat prædictum opus in duobus diebus. Et qui solummodo ita invalida, ut per se non possit arare, quatuor animalia habet, cum eis sociatis sibi aliis aret uno die in campo senioris, & uno die postmodum in ipsa hebdomada opera manuum faciat. Qui nihil ex his facere potest, neque animalia habet, per tres dies seniori suo a mane usque ad vesperam operetur, & senior suus ei amplius non requirat. Diversis namque modis hæc agebantur; a quibusdam tota hebdomada operabatur, a quibusdam dimidia, & a quibusdam duobus diebus. Idcirco hæc statuimus, ut nec familia se a prædictis operibus subtrahere possit, neque a senioribus amplius eis requiratur. Et qui minus quartæ optimæ de terra habet, secundum æstimationem suæ telluris opera faciat.

Hæc ab Adalardo comite palatii nostri ad eorum satisfactionem una cum aliis fidelibus nostris præcipi nostra vice & publice annuntiari jussimus.

NOTA JACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Caroli magni selecta capitula.*] Non est hæc vetus collectio, sed nostra. Selegimus ergo, atque in unum congessimus; quæ de præfixis titulis a Carolo magno constituta sparsim apud Benedictum Levitam, & alios diffusa legebantur. Et quia hæc a Carolo partim adhuc rege, partim jam imperatore decreta constabat, nec idem tempus erat omnium, ac singulorum fere incertum, huic potissimum anno, qui ejus imperii natalem præcessit, assignanda censuimus.

DE SYNODIS SEU CONVENTIBUS PUBLICIS A CAROLO MAGNO POST ADEPTUM imperium celebratis, & de capitularibus quæ in iisdem edita feruntur.

Difficile erat in re obscura pronuntiare: sed lucem nobis attulit vetus codex Metensis, qui unus omnium, quos vidimus, plura ceteris Caroli Augusti capitula continet, eademque per singulos imperii ejus annos digesta suis etiam locis assignat; nisi quod loci nomen in quibusdam non habet, primumque capitulare, quod ad Italiam potius spectet, penitus omittit. Hoc igitur excepto, reliqua in hunc modum repræsentat.

CAPITULA CAROLI AUGUSTI PER ANNOS imperii digesta.

Anno I. Romæ. Capitula [a] ad Longobardorum legem adjecta.

Anno II. *Sine loco.* Capitula missis dominicis data.

Anno III. Aquisgrani. Capitula quæ in lege Salica addi jussit. Item, De lege Ripuariense. & alia diversa.

Anno IV. Ad Salz. Capitula VIII. Item, Admonitio ad presbyteros.

Anno V. ad Theotonem villam. Capitula infra ecclesiam XVI. Ad omnes generaliter XXIII.

Anno VI. ad Niumaga; infra quadragesimam. Capitula XVIII.

Anno VII. in Aquis palatio. Capitula VII. *Memo-* C *ratorium*, &c.

Anno VIII. in Aquis palatio. Capitulare triplex.

Anno IX. in Aquis palatio. Capitula XXXVII. *De ecclesiis non bene*, &c.

Anno X. in Aquis palatio. Capitula XVIII. *De clamatoribus*, &c.

Anno XI. *Sine loco.* Capitularia duo interrogationis. Item capitula VIII. Cur exercitus deserantur.

Anno XII. Bononiæ in litore maris. Capitula XI. *Quicumque liber*, &c. Capitula XIII. Pro justitiis faciendis.

Anno XIII. Aquisgrani. Capitula XXVIII. *Ut unusquisque archiepiscopus.*

[a] Hæc ætate in ms. Palatino monuit Holstenius: apud me sunt ea, ut opinor capitula numero octo, cum brevi præfatione.

D Horum partem habet editio Bavarica constitutionum Caroli magni, sed nullo digestam ordine, multisque passim mendis depravatam, quibus caruit optimus codex sancti Vincentii Metensis quo potissimum usi sumus. Ex his porro capitularibus illa dumtaxat, quę mere sunt ecclesiastica, integra subjecimus: ex reliquis quę mixta erant, ea solum a nobis excerpta sunt, quæ ad ecclesiam visa pertinere.

CAROLI MAGNI IMPERATORIS CAPITULA ECCLESIASTICA.

Excerpta ex variis capitularibus per diversos ejus imperii annos & loca constitutis.

I.

De episcopis & aliis sacerdotibus. Ex capitulis, quæ missis anno II. data sunt, cap. 2.

E De episcopis & reliquis sacerdotibus, si secundum canonicam institutionem vivant, & si canones bene intelligant & adimpleant.

II.

De abbatibus. Ex iisdem cap. 3.

De abbatibus, utrum secundum regulam & canonice vivant: & si regulam aut canones bene intelligant.

III.

De monasteriis virorum. Ex iisdem cap. 4.

De monasteris virorum ubi monachi sunt, si secundum

secundum regulam vivant, ubi promissa est. A

IV.

De monasteriis puellarum. Ex iisdem cap. 5.

De monasteriis puellarum, utrum secundum regulam an canonice vivant, & de claustris earum.

V.

De nonis & decimis, & de castitia ecclesiarum: Ex iisdem capite 19.

De decimis & nonis, atque castitia ecclesiarum Dei, ut omnes dare & emendare studeant.

VI.

De concordia episcoporum atque abbatum, & comitum seu vassorum dominicorum & de justitiis. Ex iisdem c. 20.

Ut diligenter inquirant inter episcopos, abbates, sive comites, vel abbatissas atque vassos nostros, B qualem concordiam & amicitiam adinvicem habeant per singula ministeria, aut si aliqua discordia inter ipsos esse videtur, & omnem veritatem in eorum sacramento nobis exinde renuntiare non negligant. Insuper totum undecumque necesse fuerit, tam de justitiis nostris, quam & pro justitiis ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum, pupillorum, & ceterorum hominum inquirant & perficiant, & quodcumque ad emendandum invenerint, emendare studeant, inquantum melius poterunt, & quod per se emendare non potuerint, in præsentiam nostram adduci faciant.

VII.

De homicidiis clericorum. Ex capitulis anno III. ad legem Salicam additis cap. 1.

Lib.3.c.25. Qui subdiaconum occiderit, ccc. solidos componat: qui diaconum, cccc. qui presbyterum, DC. qui episcopum, DCCC. qui monachum, cccc. solidos culpabilis judicetur. C

VIII.

De confugio ad ecclesiam. Ex iisdem cap. 3.

Lib.1.c.140. Si quis ad ecclesiam confugium fecerit, in atrio ipsius ecclesiæ pacem habeat, nec sit ei necesse ecclesiam ingredi: & nullus eum inde per vim abstrahere præsumat, sed liceat ei confiteri quod fecit, & inde per manus bonorum hominum ad discussionem in publicum perducatur.

IX.

De his qui ad casam Dei res suas tradere voluerunt. Ex iisdem cap. 6. D

Lib.1.c.141. Qui res suas pro anima sua ad casam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram testibus legitimis, & quæ hactenus in hoste factæ sunt traditiones, de quibus nulla est quæstio, stabiles permaneant. Si vero aliquis alii res suas tradiderit, & in hostem profectus fuerit, & ille cui res traditæ sunt interim mortuus fuerit, qui res suas tradidit, cum reversus fuerit, adhibitis testibus, coram quibus traditio facta est, res suas recipiat. Si autem & ipse mortuus fuerit, heredes ejus legitimi res traditas recipiant.

X.

De ecclesiis emendandis. Ex aliis capitulis eodem anno III. datis. De causis admonendis cap. 1.

Append. 1. cap. 28. De ecclesiis emendandis, ut ubi uno in loco plures fuerint quam necesse sit, destruantur quæ necessariæ non sunt, & aliæ construantur. E

XI.

De ordinatione presbyterorum. Ex iisdem cap. 2.

Lib.1.c.142. Ut presbyteri non ordinentur priusquam examinentur: & ut excommunicatio passim, & sine causa non fiat.

XII.

De conversione liberi hominis. Ex iisdem cap. 12.

Lib.1.c.143. Ut liber homo qui in monasterio regulari comam deposuerit, & res suas ibidem delegaverit, promissionem factam secundum regulam firmiter teneat.

XIII.

Ut omne sacramentum in ecclesia juretur. Ex aliis eodem anno III. editis. De lege Ripuariense cap. 57.

Omne sacramentum in ecclesia, aut supra reliquias, juretur, & quod in ecclesia jurandum est, vel cum VI. electis, vel, si XII. esse debent, quales potuerit invenire, & sic juret. Sic illum Deus adjuvet, & illi sancti, quorum istæ reliquiæ sunt, ut veritatem dicat. Lib.6. 209.

XIV.

De iis qui ad usus illicitos sanctum chrisma dant vel accipiunt. Ex aliis eodem anno III. additis.

De nuper auditis & compertis c. 1.

De clericis & laicis qui chrisma ad aliquam nimietatem dant & accipiunt: si quis presbyter aut diaconus dare aut accipere præsumpserit, gradum amittat: ceteri clerici, & nonnanes, disciplinam corporalem, & carceris custodiam sustineant, laici qui acceperint, aut alicui dederint, manum perdant.

XV.

De oratoriis consecratis. Ex iisdem cap. 20.

Ut qui oratorium consecratum habet, vel habere voluerit, per consilium episcopi de suis propriis rebus ibidem largiatur: & propterea illi vici canonici non sint neglecti.

XVI.

De fame, clade, & pestilentia, si evenerit. Ex capitulis ad Theotonem villam anno V. datis ad omnes, cap. 4.

De hoc quod si evenerit fames, clades, aut inæqualitas aeris, vel alia quæcumque tribulatio, ut non expectetur edictum nostrum, sed statim Dei misericordia deprecetur in loco. Et in præsenti anno de famis inopia, ut suos quisque adjuvet, & suam non nimis annonam care vendat: & ne foris imperium nostrum vendatur aliquid alimoniæ. Lib.1.c

XVII.

De liberis hominibus qui ad monasteria converti volunt. Ex iisdem cap. 16.

De liberis hominibus qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut prius hoc non faciant, quam a nobis licentiam postulent. Hoc ideo, quia audivimus aliquos ex illis non tam causa devotionis, quam exercitum, seu aliam functionem regalem fugiendo, quosdam vero cupiditatis causa ab his qui res illorum concupiscunt circumventos audivimus. Et hoc ideo fieri prohibemus. Lib.1.c

XVIII.

De ecclesiis, sive sanctis noviter inventis. Ex iisdem cap 18.

De ecclesiis, seu sanctis noviter sine auctoritate inventis, nisi episcopo probante, minime venerentur: salva etiam & de hoc & de omnibus ecclesiis canonica auctoritate. Append cap. 1c

XIX.

De missis qui per civitates & monasteria mittuntur. Ex capitulis anno VI. ad Niumagam editis cap. 3.

Ut prædicti missi per singulas civitates & monasteria virorum & puellarum, prævideant quomodo aut qualiter in domibus ecclesiarum & ornamentis ecclesiæ emendatæ vel restauratæ esse videntur, & diligenter inquirant de conversatione singulorum, vel quomodo emendatum habeant quod jussimus de eorum lectione & cantu ceterisque disciplinis ecclesiæ pertinentibus. Lib.1.c

XX.

De thesauris ecclesiasticis. Ex iisdem cap. 4.

Ut singuli episcopi, abbates, seu abbatissæ, diligenter considerent thesauros ecclesiasticos, ne propter perfidiam aut negligentiam custodum aliquid Lib.1.c

aliquid de gemmis aut de vasis, reliquo quoque A thesauro perditum sit; quia dictum est nobis, quod negotiatores Iudæi, nec non & alii gloriantur, quod quidquid eis placet possint ab eis emere.

XXI.

De mercatis, ut die dominico non fiant. Ex capitulis anno IX. datis in Aquensi palatio cap. 18.

De mercatis, ut die dominico non agantur, sed in diebus quibus homines ad opus dominorum suorum debent operari.

XXII.

Quod judicio Dei credendum sit. Ex eiisdem cap. 20.

Vt omnes judicio Dei credant absque ulla dubitatione. B

XXIII.

Si presbyter sanctum chrisma dederit ad judicium subvertendum. Ex iisdem cap. 21.

.55. Si presbyter chrisma dederit, ab episcopo degradetur, & postmodum a judice manum perdat, si propter judicium subvertendum hoc fecerit.

XXIV.

De admonitione sacerdotum. Ex capitulis anno X. Aquis palatio datis cap. 4.

165. Vt sacerdotes admoneant populum, ut eleemosynas dent, & orationes faciant propter diversas plagas, quas assidue pro peccatis patimur. C

XXV.

De prædicatione ad plebem. Ex iisdem cap. 5.

166. Vt ipsi sacerdotes, unusquisque secundum ordinem suum, prædicare, & docere studeat plebem sibi commissam.

XXVI.

De ebrietate. Ex iisdem cap. 6.

167. De ebrietate, ut primum omnium seniores semetipsos exinde vetent, & eorum junioribus exemplum bonæ sobrietatis ostendant.

XXVII.

De admonitione ad omnes. Ex iisdem cap. 7.

168 Admonendi sunt omnes generaliter secundum euangelicam auctoritatem, ut sic luceant opera vestra coram hominibus, ut glorificent patrem vestrum qui in cælis est. D

XXVIII.

De eleemosyna mittenda Hierosolymam. Ex iisdem cap. 17.

1. De eleemosyna mittenda ad Ierusalem propter ecclesias Dei restaurandas.

XXIX.

Vt malignis nemo consentiat. Ex iisdem cap. 18.

2. Vt nullus hominibus malignis consentiat, sed magis in quantum potest resistat, ut pauperes, orphani, viduæ & ecclesiæ Dei pacem habeant.

XXX.

Vt non nisi permissione regali brunia, vel gladius homini extraneo a quolibet detur aut vendatur. E

Ex capitulis anno XII. Bononiæ datis c. 10.

5. Constitutum est, ut neque episcopus, neque abbates, aut abbatissæ, vel quilibet rector ecclesiæ, bruniam vel gladium, sine nostro permissu, cuilibet homini extraneo, aut dare, aut venumdare præsumat, nisi tantum vassalis suis. Et si evenerit, ut in qualibet ecclesia, vel sancto loco, plures brunias habeant quam ad homines rectoris ejusdem ecclesiæ sufficiant, tunc principem idem rector ecclesiæ interroget quid de his fieri præcipiat.

XXXI.

De episcopis, abbatibus, comitibus, & potentioribus, si causam inter se habuerint. Ex aliis eodem anno XII. pro justitiis faciendis cap. 2. Lib. 3. c. 77.

Vt episcopi, abbates, comites, & potentiores quique, si causam inter se habuerint, ac se pacificare noluerint; ad nostram jubeantur venire præsentiam, neque illorum contentio alicubi finiatur. Neque propter hoc pauperum & minus potentium justitiæ remaneant, neque comes palatii nostri recentiores causas sine nostra jussione finire præsumat, sed tantum ad pauperum & minus potentium justitias faciendas sibi sciat esse vacandum.

XXXII.

Curanda episcopis in visitatione parochiæ. Ex capitulis, ex lege Salica, Romana, & † Gombata cap. 1.

Vt episcopi circumeant parochias sibi commissas, & ibi inquirendi studium habeant de incestu, de patricidiis, fratricidiis, adulteriis, cenodoxiis, & aliis malis quæ contraria sunt Deo, quæ in sacris scripturis leguntur, quod ea Christiani devitare debent. Et infra illorum parochias ecclesias, quibus necesse est, emendandi curam habeant. Similiter tam nostras a nobis in beneficio datas, quam & aliorum, ubi reliquiæ præesse videntur. Et ut monachi per verbum episcopi, & per regimen abbatis, & per bona illorum exempla regulariter vivant, prout loca locata sunt. Et ut præpositus, & hi qui foras monasteria sunt, ne venatores habeant: quia jam frequenter jussimus ne monachi foras monasterium habitassent.

† Lex Gombata corrupte sic dicta pro *Gundebada*, a Gundebado Burgund. rege: inde conc. Francof. cap. 45. *Gunthodingi*, & in cap. Aquisgran. *Gundebodingi* appellati sunt qui Gundebada lege vivebant. *Sirmondus.*

XXXIII.

Vt ecclesiæ pacem habeant. Ex iisdem cap. 2.

Vt ecclesiæ, viduæ, & pupilli, per bannum regis pacem habeant. Sin aliter, in præsentia nostra hoc veniat si fieri potest. Sin autem, missi nostri investigent illud, quomodo gestum sit, & nobis renuntient.

XXXIV.

De advocatis episcoporum & abbatum. Ex iisdem cap. 14.

Vt episcopi & abbates advocatos habeant, & ipsi habeant in illo comitatu propriam hereditatem, & ut ipsi recti & boni sint, & habeant voluntatem recte & juste causas perficere.

CAPITVLARE " EPISCOPORVM.

HÆC SVNT CAPITVLA EX DIVINARVM scripturarum scriptis, quæ electi sacerdotes custodienda atque adimplenda censuerunt.

" ad an. 802. viri docti revocant. De his vide quæ supra notavimus.

I.

Vt assidue orent pro domno imperatore.

VT cuncti sacerdotes precibus assiduis pro vita & imperio domni imperatoris & filiorum ac filiarum salute orent.

II.

Vt orent pro episcopo suo.

Vt unusquisque sacerdos quotidianis assistat orationibus pro pontifice, cujus gubernatur regimine.

III.

De cura ecclesiæ & sacrarum reliquiarum.

Vt unusquisque sacerdos ecclesiam suam cum omni diligentia ædificet & reliquias sanctorum cum summo studio vigiliarum noctis & divinis officiis conservet.

A

IV.

Vt evangelium Christi populo prædicent.

Vt omnibus festis & diebus dominicis unusquisque sacerdos evangelium Christi populo prædicet.

V.

Quænam populo præcipue insinuanda sint.

" Cap. V. 103. Vt unusquisque sacerdos orationem dominicam & symbolum populo sibi commisso curiose insinuet, ac totius religionis studium, & Christianitatis cultum eorum mentibus ostendat.

VI.

De decimis a populo dandis.

Vt unusquisque sacerdos cunctos sibi pertinentes erudiat, ut sciant qualiter decimas totius facultatis ecclesiis divinis debite offerant.

VII.

B

Quomodo dividendæ sint decimæ.

" Cap. V. 106. Vt & ipsi sacerdotes populi suscipiant decimas, & nomina eorum quicumque dederint scripta habeant, & secundum auctoritatem canonicam coram testibus dividant, & ad ornamentum ecclesiæ primam eligant partem: secundam autem ad usum pauperum, vel peregrinorum, per eorum manus misericorditer cum omni humilitate dispensent: tertiam vero partem sibimetipsis soli sacerdotes reservent.

VIII.

Vt officia divina competentibus horis non prætermittant.

C

" Cap. VI. 108. Vt omnes sacerdotes horis competentibus diei & noctis suarum sonent signa ecclesiarum, & sacrata Deo celebrent officia, & populos erudiant, quomodo aut quibus Deus adorandus est horis.

IX.

Vt missas extra ecclesiam non celebrent.

" Cap. V. 111. Vt nullus sacerdos in domibus, vel in aliis locis, nisi in ecclesiis dedicatis, celebrare missas audeat.

X.

Vt congrua baptismi tempora serventur.

" Cap. V. 104. Vt a cunctis sacerdotibus jus & tempus baptismatis temporibus congruis secundum canonicam institutionem cautissime observetur.

D

XI.

Vt infirmi quolibet tempore baptizentur.

" Ibid. Vt omnes sacerdotes quibuscumque horis omnibus indigentibus baptismum infirmitatis causa diligentissime tribuant.

XII.

Vt pro baptismo & aliis spiritalibus precium non exigant.

" Cap. V. 105. Vt nullus presbyter sacrum officium, sive baptismatis sacramentum, aut aliquid donorum spiritalium, pro aliquo precio vendere præsumat, ne vendentes & ementes in templo columbas imitentur: ut pro his qui adepti sunt gratiam divinam non precia concupiscant terrena, sed solam regni cælestis gloriam promereantur accipere.

E

XIII.

Vt in qua ordinati sunt ecclesia permaneant.

" Cap. V. 108. Vt nullus presbyter a sede propria sanctæ ecclesiæ, sub cujus titulo ordinatus fuit, ambitionis causa ad alienam pergat ecclesiam, sed in eadem devotus usque ad vitæ permaneat exitum.

XIV.

Vt ebrietatem in se & in aliis caveant.

Vt nullus ex sacerdotum numero ebrietatis vitium nutriat, nec alios cogat per suam jussionem inebriari.

XV.

Vt cum extraneis mulieribus non habitent.

Vt nullus sacerdos extranearum mulierum habeat familiaritatem, nec in sua domo, in qua habitat, ullam mulierem unquam permittat habitare. " Cap. 109.

XVI.

Vt fidejussores non sint, & sæcularia judicia non adeant.

Nulli sacerdotum liceat fidejussorem esse, neque derelicta propria lege ad sæcularia judicia audeat accedere.

XVII.

De possessione XXX. *annorum.*

Vt qui possessionem ecclesiæ, vel parochiam, per XXX. annos sine alicujus interpellatione tenuerit, jure perpetuo possideat. Si vero inde crebro repetitum fuerit, fiat diligens inquisitio: & si eum qui repetit juste quærere patuerit, adhibitis veracibus & nobilibus testibus quod repetit confirmando vindicet.

XVIII.

Vt arma non gerant, nec lites moveant.

Nemo ex sacerdotum numero arma pugnantium unquam portet, nec litem contra proximum ullam excitet. " Cap. 111.

XIX.

Vt tabernas non ingrediantur.

Vt nullus presbyterorum edendi aut bibendi causa ingrediatur tabernas.

XX.

Vt a juramento abstineant.

Vt nullus sacerdos quidquam cum juramento juret, sed simpliciter cum puritate & veritate omnia dicat.

XXI.

Vt pœnitentiam confitentibus, & viaticum infirmis tribuant.

Vt cuncti sacerdotes omnibus, illis confitentibus eorum crimina, dignam pœnitentiam cum summa vigilantia ipsis indicent: & omnibus infirmis ante exitum vitæ viaticum & communionem corporis Christi misericorditer tribuant.

XXII.

De unctione infirmorum.

Vt secundum definitionem sanctorum patrum, si quis infirmatur, a sacerdotibus oleo sanctificato cum orationibus diligenter unguatur.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. I.

" ** Hoc loco in ms. Palatino Bibl. Vatic. subjūguntur alia diversa capitula non edita a pag. 13 ad pag. 18. Principium: *In primis de Aurelianensi* &c. Finis: *nec consentiant facienti.* Sed pag. 16. post capitulum XIX. ita notatur: *Hoc fuit datum ad Aquis in tertio anno imperii domni Caroli Augusti, quando synodus ibi magna fuit.* Quod ad capitula ibidem sequentia pertinere existimabat V. C. Lucas Holstenius: iis enim finitis subjungitur: *In quarto ad Salz* &c. ut paulo post occurret. De his vero omnibus si ita visum fuerit plura dicemus in notis.

CAPITVLA EXCERPTA DE CANONE.

I. Vt per singulos annos synodus bis fiat. Lib. 1.

II. Qualis ad sacerdotium vel sacros ordines, secundum quod in canone legimus, venire non potest.

III. Vt nequaquam inter duos metropolitanos provincia dividatur. Lib. 1. 134. 13[5]

IV. Ne in una civitate duo sint episcopi, & de vicariis eorum.

V.

V. Quod non oporteat ordinationes episcoporum diu differre. A

VI. De ordinatis episcopis, nec receptis.

VII. Quod non oporteat absolute quoslibet ordinare.

VIII. De servo, si nesciente domino suo fuerit ordinatus.

IX. Quod non liceat clericum in duabus civitatibus ministrare, nec abbates plurima monasteria aut cellas habere.

X. Ne de uno loco ad alium transeat episcopus sine decreto episcoporum, velut clericus sine jussione episcopi sui.

XI. De peregrinis episcopis & clericis.

XII. De literis peregrinorum, & clericis sine literis ambulantibus. B

XIII. Qualis, vel pro qualibus culpis quis secundum canonicam institutionem degradetur de officio sacerdotali.

XIV. De expulso ab ecclesia, & excommunicatione vel damnato ab officio.

XV. De ordine ecclesiastico, & officio missæ, & reliquiis sanctorum, & oratoriis villaribus.

XVI. De altaribus non consecrandis nisi lapideis.

XVII. De confirmatione cum chrismate.

XVIII. De baptismo.

XIX. De pascha & die dominico, & reliquis festivitatibus. C

XX. De jejuniis & quadragesima, vel litaniis.

XXI. Ut festivitates præclaræ non nisi in civitatibus aut in vicis publicis teneantur.

XXII. De hoc officio.

8. XXIII. Ut omnes fideles communicent, & ad missas expectent finalem deprecationem.

De presbyteris, diaconibus, & reliquis ex clero, ex decretis & canone sancti Silvestri, & XXXIV. episcoporum.

Fecit hos gradus in gremio synodi, ut non presbyter adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconum, non acolytus adversus subdiaconum, non exorcista adversus acolytum, non lector adversus exorcistam, nec ostiarius adversus lectorem det accusationem aliquam. Et non damnabitur præsul sine LXXII. testibus: neque præsul summus a quoquam judicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus super magistrum.* Presbyter autem nisi in XLIV. testimoniis non damnabitur: diaconus autem in cardine constitutus urbis Romæ nisi XXXVII. testibus non condemnabitur. subdiaconus, acolytus, exorcista, lector nisi sicut scriptum est in VII. testimoniis filios habentibus & uxorem, & omnino Christum prædicantibus. Sic datur mystica veritas. D

CAROLI MAGNI IMPERATORIS CAPITULARE " QUARTO IMPERII ANNO DATUM AD SALZ.

I.

De ordinatione ecclesiarum.

Ut ecclesiæ Dei bene constructæ & restauratæ fiant, & episcopi unusquisque infra suam parochiam exinde bonam habeat providentiam, tam de officio & luminariis, quamque & de reliqua instauratione.

II.

De decimis & donationibus ecclesiarum.

De decimis ubi antiquitus fuerunt ecclesiæ baptismales, & devotio facta fuit, juxta quod episcopus ipsius parochiæ ordinaverit, omnimodis fiant donatæ: & si ' donatione regum, aut ceterorum Deum timentium bonorum hominum, ad episcopia seu monasteria aliquæ res delegatæ sunt, & ex ipsis rebus antiquitus ad ipsas ecclesias priores decimæ datæ fuerint, ipsa antiqua donatio vel devotio firma & stabilis omnino permaneat. Tamen, ut supra diximus, decimas de ipsis rebus qui eas possidere videtur persolvat.

' per donationes

III.

Ut propter novas ecclesias antiquiores suas decimas non perdant.

Quicumque voluerit in sua proprietate ecclesiam ædificare, una cum consensu & voluntate episcopi, in cujus parochia fuerit, licentiam habeat. Verumtamen omnino providendum est, ut aliæ ecclesiæ antiquiores propter hanc occasionem nullatenus suam justitiam aut decimam perdant, sed semper ad antiquiores ecclesias persolvantur.

IV.

De ordinandis presbyteris.

Ut unusquisque episcopus in sua parochia secundum canonicam institutionem presbyteros ordinari faciat.

V.

De ingressu in monasterium puellarum.

Ut nullus in monasterio puellarum vel ancillarum Dei intrare præsumat, nec presbyter, nec diaconus, nec subdiaconus, vel clericus, aut laicus, nisi tantum presbyter ad missam celebrandam tempore opportuno ingrediatur, salva necessitate monasterii secundum canonicam institutionem, & juxta quod episcopus ipsius parochiæ ibidem ordinaverit. Presbyter autem missa celebrata statim exeat.

VI.

Ut in monasteriis puellarum ea solum infantes nutriantur, quæ in eo loco perseveraturæ sunt.

Quicumque filiam suam, aut neptem, aut parentem, Deo omnipotenti offerre voluerit, licentiam habeat. Sin autem, domi infantes suas nutriat, & non aliam infra monasteria mittere nutriendi causa præsumat, nisi quæ in ipso loco firmiter in Dei servitio perseverare voluerit, vel secundum instituta sanctorum patrum, seu canonicam auctoritatem.

VII.

Ut masculi in monasteriis puellarum non nutriatur.

Omnino prohibemus, ut nullus masculum, filium, aut nepotem, vel parentem suum, in monasterio puellarum ad nutriendum commendare præsumat, nec quisquam ullum suscipere audeat. E

VIII.

Ut arma in monasteriis puellarum non deponantur.

Ut nullus ex clericali ordine, sacerdotes videlicet, aut alii clerici, neque laicus, bruneas aut arma infra monasteria puellarum commendare præsumant, nec quisquam recipere audeat, excepto si in eleemosyna datum fuerit.

ADMONITIO IMPERATORIS AD PRESBYTEROS.

Admonere vos cupio, fratres & filioli mei, ut ista pauca capitula, quæ hinc scripta sunt, intentius audiatis.

I. In

I. In primis, ut sacerdos Dei de divina scriptura doctus sit, & fidem Trinitatis recte credat, & alios doceat, & suum officium bene possit implere.

II. Vt totum psalterium memoriter teneat.

III. Vt signaculum & baptisterium memoriter teneat.

IV. Vt de canonibus doctus sit, & suum pœnitentiale bene sciat.

V. Vt cantum & compotum sciat.

VI. Vt nullus sacerdos feminas secum habitare permittat, excepta matre, sorore, vel amita.

VII. Vt presbyteri in tabernis bibere non præsumant.

VIII. Vt nullus avaritiam sectetur, non sit superbus, non ebriosus, non vinolentus, nec somnolentus.

IX. Vt nullus præsumat in cœna domini jejunium solvere.

X. Vt nullus baptizare præsumat, nisi in pascha & pentecoste, excepto infirmo.

XI. Vt nullus presbyter, nec diaconus, nec clericus chrisma alicui dare præsumat pro aliqua necessitate. qui si hoc fecerit degradetur.

XII. Vt nullus presbyter ad synodum contemnat venire. Quod si aliter facere præsumpserit, coactus veniat, & secundum canones judicetur.

CAPITVLARE DOMINICVM

Anno Christi 805.

DATVM ANNO INCARNATIONIS DOMINI nostri Iesu DCCCV. ad Theodonis villam, anno imperii domni Caroli quinto.

I.

De lectionibus.

Append. 1. cap. 1. Vt lectiones in ecclesia distincte legantur.

II.

De cantu.

Append. 1. cap. 2. Vt cantus discatur, & secundum ordinem & morem Romanæ ecclesiæ fiat: & ut cantores de Metis revertantur.

III.

De scribis & notariis.

Ibid. c. 3. De scribis, quod vitiose non scribant. Vt unusquisque episcopus, & abba singuli comites suum notarium habeant.

IV.

De diversis disciplinis discendis.

Ibid. c. 4. De ceteris disciplinis ecclesiæ, ut secundum canones vel regulam fiant.

V.

De compoto, & de arte medicina.

Ibid. c. 5. & 6. De compoto, ut veraciter discant omnes. De medicinali arte, ut infantes hanc discere mittantur.

VI.

De ecclesiis sine honore manentibus.

Ibid. c. 7. De ecclesiis sine honore manentibus in luminariis & officiis, & de his qui decimas quidem apprehendunt, & de ecclesiis non curant, ut omnimodis emendetur: & de altaribus, ut non superabundent in ecclesiis.

VII.

De iis qui ad monasterium nuper venerunt.

De nuper venientibus ad monasterium, ut primo discant regulam antequam foras mittantur ad ministeria: & quod non vadant ad judicia sæcularia.

VIII.

De iis qui ad fugiendum debitum servitium sæculum relinquunt.

De his qui sæculum relinquunt ad servitium dominicum impediendum, & tunc neutrum faciunt, ut aut in sæculo sint, aut plene in regula permaneant.

IX.

De relinquentibus sæculum.

Vt omnes clerici unum de duobus eligant, aut pleniter secundum canonicam, aut secundum regularem institutionem vivere debeant.

X.

De laicis noviter conversis.

De laicis noviter conversis, ne antequam suam legem pleniter vivendo discant, ad alia negotia mittantur.

XI.

De servis propriis vel ancillis.

De propriis servis & ancillis, ut non supra modum in monasteria ' sumantur, ne desertentur villæ.

XII.

De congregationibus superfluis.

De congregationibus superfluis, ut nullatenus fiant, sed tantos congreget quis, quantis consilium dare possit.

XIII.

De non pulsatis secundum regulam.

De illis qui non sunt secundum regulam pulsati, ut deinceps emendentur & pulsentur secundum regulam.

XIV.

De infantulis puellis quando velentur.

Vt infantulæ ætatis puellulæ non velentur antequam illæ eligere sciant quid velint: " *& ut pulsentur* salva canonica sententia & auctoritate.

XV.

De præpositis monachorum.

Vt laici non sint præpositi monachorum infra monasteria, nec archidiaconi sint laici.

XVI.

De incestuosis.

De incestuosis, ut canonice examinentur, & nec propter alicujus amicitiam alii relaxentur, alii constringantur.

CAROLI MAGNI IMPERATORIS CAPITVLARE INTERROGATIONIS,

Quod anno imperii sui undecimo edidit, de iis quæ pro communi omnium utilitate interroganda constituit.

In primis separate volumus episcopos, abbates, & comites nostros, & singulariter illos alloqui.

II. Quæ causæ efficiunt, ut unus alteri adjutorium præstare nolit, sive in marcha, sive in exercitu, ubi aliquid utilitatis defensione patriæ facere debet.

III. Vnde illæ frequentissimæ causationes, in quibus unus alteri quærit quidquid parem suum viderit possidentem.

IV. De eo quod quilibet alterius hominem ad se fugientem suscipit.

V. Interrogandi sunt, in quibus rebus vel locis ecclesiastici laicis, aut laici ecclesiasticis ministerium suum impediunt. In hoc loco discutiendum est, atque interveniendum, inquantum se episcopus, aut abbas rebus sæcularibus debeat, inserere,

inſerere, vel inquantum comes, vel alter laicus, in eccleſiaſtica negotia. Hic interrogandum eſt acutiſſime, quid ſit quod apoſtolus ait: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus*, vel ad quos ſermo iſte pertineat.

VI. Quid ſit quod unuſquiſque Chriſtianus in baptiſmo, vel quibus abrenuntiet.

VII. Quæ ſectando vel negligendo ipſam ſuam renuntiationem vel abrenuntiationem irritam faciat.

VIII. Quod ille bene in Deum non credit, qui præcepta ejus impune ſe contemnere putat, vel qui ea quaſi non ventura deſpicit, quæ ille comminatus eſt.

IX. Quod in nobis deſpiciendum eſt, utrum vere Chriſtiani ſumus: quod in conſideratione vitæ vel morum noſtrorum facillime cognoſci poteſt, ſi diligenter converſationem coram diſcutere voluerimus.

X. De vita & moribus paſtorum noſtrorum, id eſt epiſcoporum, qui populo Dei non ſolum docendo, ſed etiam vivendo exemplum bonum dare debent. Ipſis namque apoſtolum dixiſſe credimus, ubi dicit: *Imitatores mei eſtote, & obſervate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.*

XI. De vita eorum qui dicuntur canonici, qualis eſſe debeat.

XII. De converſatione monachorum, & utrum aliqui monachi eſſe poſſint, præter eos qui regulam ſancti Benedicti obſervant. Inquirendum etiam, ſi in Gallia monachi fuiſſent, priuſquam traditio regulæ ſancti Benedicti in has parochias perveniſſet.

XIII. Iſta conſervetis ſicut vobis decet, & in vobis confido, piiſſimi pontifices, & inquantum inveſtigare poſſum, vobis mittere ſeu ſcribere non dubito. Bene valete in domino.

ITEM BREVIS CAPITVLORVM quibus fideles noſtros epiſcopos, & abbates alloqui volumus & commonere. De communi omnium noſtrum utilitate.

PRIMO commemorandum eſt, quod anno præterito tria triduana jejunia fecimus, Deum orando, ut ille nobis dignaretur oſtendere, in quibus converſatio noſtra coram illo emendari debuiſſet: quod nunc facere deſideramus.

II. Quærendum eſt in primis eccleſiaſticis, id eſt, epiſcopis & abbatibus, ut illi nobis patefaciant de converſatione ſua, qualiter vivere debeant, ut cognoſcere valeamus, cui de illis aut bonum, aut aliud aliquid refrenati credere debeamus; & ut ſcire poſſimus inquantum cuilibet eccleſiaſtico, id eſt, epiſcopo, vel abbati, ſeu monacho, ſæcularibus negotiis ſe ingerere, aut quid proprie pertineat ad illos, qui dicuntur & eſſe debent paſtores eccleſiæ, patreſque monaſteriorum, ut aliud ab eis non quæramus, quam quod ipſis facere licet, & ut quiſlibet ex eis a nobis ea non quærat, in quibus eis conſentire non debemus.

III. Interrogare volumus ipſos eccleſiaſticos, ut qui ſcripturas ſanctas non ſolum ipſi diſcere, ſed etiam alios docere debent, qui ſint illi quibus apoſtolus loquitur: *Imitatores mei eſtote*: vel quis ille de quo idem dicit: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*, aut qualiter apoſtolus ſit imitandus, vel quomodo Deo militet.

IV. Iterum inquirendum ab eis, ut nobis veraciter patefaciant, quid ſit quod apud eos dicitur ſæculum relinquere, vel in quibus internoſci poſſint hi qui ſæculum relinquunt, ab his qui adhuc ſæculum ſectantur. Vtrum in eo ſolo quod arma non portant, nec publice conjugati ſunt.

V. Inquirendum etiam, ſi ille ſæculum dimiſſum habeat qui quotidie poſſeſſiones ſuas augere quolibet modo, qualibet arte non ceſſat, ſuadendo de cæleſtis regni beatitudine, comminando de æterno ſupplicio inferni, & ſub nomine Dei, aut cujuſlibet ſancti, tam divitem quam pauperem, qui ſimplicioris naturæ ſunt, & minus docti atque cauti inveniuntur, ſi rebus ſuis exſpoliant, & legitimos hæredes eorum exheredant; ac per hoc pleroſque ad flagitia & ſcelera propter inopiam, ad quam per hoc fuerint devoluti perpetranda compellant: ut quaſi neceſſario furta & latrocinia exerceat, cui paternarum rerum hereditas, ne ad eum perveniret, ab alio prærepta eſt.

VI. Iterum inquirendum, quomodo ſæculum reliquiſſet qui cupiditate ductus propter adipiſcendas res, quas alium vidit poſſidentem, homines ad perjuria & falſa teſtimonia precio conducit: & advocatum, ſive præpoſitum, non juſtum ac Deum timentem, ſed crudelem ac cupidum, ac perjuria parvipendentem inquirit, & ad inquiſitionem rerum non qualiter, ſed quanta acquirant.

VII. Quid de his dicendum, qui quaſi ad amorem Dei & ſanctorum, ſive martyrum, ſive confeſſorum, oſſa & reliquias ſanctorum corporum de loco ad locum transferunt, ibique novas baſilicas conſtruunt, & quoſcumque potuerint, ut res ſuas illuc tradant, inſtantiſſime adhortantur. Ille ſiquidem vult ut videatur quaſi benefacere, ſeque propter hoc factum bene meritum apud Deum fieri, quibus poteſt perſuadere epiſcopis. palam fit hoc ideo factum, ut ad aliam perveniat poteſtatem.

VIII. Miramur unde accidiſſet, ut is qui ſe confitetur ſæculum reliquiſſe, neque omnino vult conſentire ut ipſe a quolibet ſæcularis vocetur, armatus homo cum ſit, & propria velit retinere, & ad eos qui nondum in totum ſæculum renuntiaverunt hoc pertineat, ad eccleſiaſticos vero quomodo juſte pertineat penitus ignoramus, niſi illi nobis inſinuaverint, qui hæc quaſi licita uſurpare non dubitant.

IX. Quid unuſquiſque Chriſto in baptiſmo promittat, vel quibus cauſis abrenuntiet, quamvis unicuique Chriſtiano conſiderandum ſit, ſpecialiter tamen ab eccleſiaſticis inquirendum, qui laicis ipſius promiſſionis & abrenuntiationis in ſua vita exemplum præbere debent. Hic diligentiſſime conſiderandum eſt, & acutiſſime diſtinguendum, quæ ſectando, vel quæ negligendo, unuſquiſque noſtrum ipſam ſuam promiſſionem & abrenuntiationem vel conſervet, vel irritam faciat. Et quis ſit ille ſatanas, ſive adverſarius, cujus opera vel pompas in baptiſmo renuntiavimus. Hic autem conſpiciendum eſt, ne perverſa unuſquiſque faciendo, illum quiſlibet noſtrum ſequatur, cui jamdudum in baptiſmo renuntiavimus.

X. In quo canonum, vel in cujus ſancti patris regula conſtitutum ſit, ut invitus quiſlibet, aut clericus, aut monachus fiat: aut ubi Chriſtus præcepiſſet, aut quis apoſtolus prædicaſſet, ut de

de nolentibus & invitis & vilibus personis congregatio fieret in ecclesia vel canonicorum vel monachorum. A

XI. Quam utilitatem conferat ecclesiæ Christi, quod is qui pastor vel magister nec cujuscumque venerabilis loci esse debet, magis studet in sua conversatione habere multos, quam bonos, & non tantum probis, quam multitudine hominum delectatur: plus studet ut suus clericus, vel monachus, bene cantet & legat, quam juste & beate vivat. Quamquam non solum minime in ecclesia contemnenda sit cantandi vel legendi disciplina, sed etiam omnimodis exercenda. Sed si utrumque cuilibet venerabili loco accedere non potest, tolerabilius tamen ferenda nobis videtur imperfectio cantandi, quam vivendi. Et B quamvis bonum sit ut ecclesiæ pulcra sint ædificia, præferendus tamen est ædificiis bonorum morum ornatus & culmen, quia inquantum nobis videtur, structio basilicarum veteris legis quamdam trahit consuetudinem: morum autem emendatio proprie ad novum testamentum & Christianam pertinet disciplinam. Quod si Christus, & apostoli, & qui apostolos recte secuti sunt, in ecclesiastica disciplina sunt sequendi, aliter nobis in multis rebus faciendum est, quam usque modo fecissemus; multa de usu & consuetudine nostra auferenda, & non minus multa, quæ hactenus non fecimus, facienda.

XII. Qua regula monachi vixissent in Gallia, C priusquam regula sancti Benedicti in ea tradita fuisset, cum legamus sanctum Martinum & monachum fuisse, & sub se monachos habuisse, qui multo ante sanctum Benedictum fuit.

XIII. De sanctimonialium & ancillarum Dei conversatione.

ANNO CHRISTI 802.

[a]CONCILIUM [b]ALTINENSE,

IUSSU [c] PAULINI AQUILEIENSIS EPISCOPI congregatum, anno domini DCCCII. tempore Leonis papæ III. & Caroli Magni imperatoris.

EPISTOLA SYNODALIS.

Paulinus Aquileiensis episcopus scribit Carolo quod dux Venetorum Gradensem patriarcham aliosque sacerdotes occiderit, petitque ab eodem scelus Venetorum justa vindicta puniri.

*Catholico semperque inclyto triumphatori domno Carolo divina coronante clementia * imperatori, Paulinus minimus omnium servorum servus concordi parilique devotione cum fratribus & cum consacerdotibus nostris roseo in Christo Iesu cruore æternas multipliciter supplici concinamus stylisona voce salutes.*

* regi

Et sacris paternorum canonum valenter incitantibus documentis, & vestris (ut verum resonat) mellitis salubribus irrorantibus syllabis in hac, cui Deo auctore, licet indignus, indignoque famulatu deservio, sede, concilium habitum Altini fuisse, sub nomine regis, tranquillissimis vestræ serenitatis auribus operæ precium duximus humillimis horum, quamvis incultorum apicum, suppliciter notulis intimare, *& inferius.*

De sacerdotibus autem plagis impositis semiquevivis relictis, vel certe diabolico fervescente furore, per ejus satellites interemptis, non meum, sed vestræ definitionis erit judicium: in vestræ itaque potestatis altitudine, in quodam judiciali libello a sanctis olim patribus salubriter prælibato legisse me recolo reservatū. Ob quam igitur causam hæc fecerint, vestris certius scio omnino non latuisse neque latere sacris memoriis. Neminem namque alium arbitrati sunt sanctam ecclesiam de illatis injuriis, tam potentissime quam regali animadversione ulcisci, vicariam ab eo vicissitudinis expetens curam: ut quemadmodum illa eum & in præsenti sæculo, & inter bella, spiritalibus non cessat coronare triumphis, & cælesti regno, divinam implorando clementiam, participem fieri imprecatur, ita & ille principalem adeptus potentiam, & ab inimicis ejus valenter eam defendere, & de hostibus ejus ultrici invectionis sententia non desinat vindicare.

Non igitur dedignetur benignitatis vestræ excellentia, solicitudinis erga eam pro hoc negotio vigilanter gerere curam, rememorantes per omnia sacri fontis utero, de quo multo longe felicius estis renati, fideique lactis dulcedine enutriti, quam prius, materna bene quamvis vulva generati, carnalibus estis uberibus ablactati. Egrediatur quapropter (si placet) una de hac re per universam regni vestri late diffusam monarchiam decretalis sententiæ ultio, quam nulla unquam possit inimica veritatis & adversatrix justitiæ, quolibet urgente refragationis instinctu, oblivio abolere. Valde enim hujus sceleris truculenta præstigia, ob incuriam disciplinæ, per cunctas mundi ecclesias prævaluere partes. Vnde vestri est censura magisterii resecanda hęc noxialis morbi modis omnibus pestis, & potentissima dociliique funditus manu extirpanda; quatenus sit sancta ecclesia, vestris adjuta præsidiis, libera, ab humano sanguine impolluta, quæ Christi est precioso sanguine purpurata; quocirca ejusdem retenti feliciter gremio, & in hac vita incolumes, & gloriosi, & æterna beatitudine gaudebundi, semper potiamini, & felices, per Iesum Christum dominum nostrum, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in Trinitate perfecta per omnia sæcula sæculorum. Amen. D

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Concilium.*] Scribunt annales Venetorum, quod permissu Ioannis Venetorum ducis, & gratia Nicephori orientalis imperatoris, Christophorus homo Græcus, Vlivolensis episcopus constitutus fuerit. Quod cum Venetiarum tribuni iniquo animo ferrent, orarunt Ioannem Gradensem patriarcham, ne Christophorum hominem Græcum consecraret: Ioannes vero eorum precibus obsecutus, illum non tantum non consecravit, sed etiam a piorum communione semovit.

Quo facto dux Venetorum usque adeo commotus est, ut assumpto filio Mauricio classem ingentem Gradum duxerit, ipsumque opidum primo adventu occuparit, postque immensam tyrannidem in sacerdotes exhibitam, Ioannem Gradensem patriarcham arripuerit, & arreptum e turri celsissima præcipitem dederit, & interfecerit. Cumque vicini episcopi hoc scelus gravi pœna expiandum esse sentirent, E Paulinus Aquileiensis synodum istam convocavit, qua, sicut omnibus visum fuerat necessarium & conveniens, synodali epistola superius recitata, Caroli imperatoris & Francorum regis auxilium implorarunt. In locum defuncti tribunorum studio suffectus est Fortunatus, Ioanni defuncto sanguine conjunctus, quem pontifex pallio, & Carolus imperator securitatis diplomate donarunt. Baronius anno 802.

b *Altinense.*] Sic dictum ab Altino, quod est opidum provinciæ Aquileiensis.

c *Paulino*] Hic in chronico Pithœi Forojuliensis episcopus nominatur, ideo fortasse, quod Aquileiensis episcopatus Forojulium est translatus. Vnde dum Sigebertus anno 811. metropoles imperii recenset, sic ait: Forumjulii, quæ & Aquileia. Hunc, dum grammaticas artes profiteretur,

An[no] Chr[isti] 80[2]

Caus[a] occasi[o] cilii [...] fuerit

Acta [...] lii.

Pauli[nus] Aquil[eien]sis cu[r] Foroj[ulien]sis ep[isco]pus n[omina]tur.

tur, Carolo imperatori familiarissimum refert Eginhardus in vita Caroli. Defunctum fuisse anno domini octingentesimo secundo, postquam concilio interfuisset, narrat chronicon Pithœi.

CONCILIUM CLOVESHOÆ AN. DOM. DCCCIII. CENULFI REGIS

Merciorum VII. ab Athelardo archiepiscopo Doroberniæ, cum duodecim episcopis celebratum.

In quo, exuto Lichefeldensi archiepiscopo, sedes Cantuariensis ex præcepto Leonis papæ III. pristino suo juri restituitur.

ANNO dominicæ incarnationis DCCCIII. congregatum est synodale concilium in * quo loco qui dicitur Clovesho. Cui præsidebat Athelardus archiepiscopus cum duodecim episcopis.

Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Scimus dilectissimi fratres, quod multis in Deum fideliter confidentibus notum & manifestum est, qui in gentibus Anglorum commorantur, licet in eo factum est nihil placabile visum sit, quod Offa rex Merciorum in diebus Iamberti archiepiscopi cum maxima fraude, honorem, unitatem, & sedem metropolitanam in Dorobernensi civitate dividere & scindere præsumpsit.

Ego autem Athelardus archiepiscopus cum duodecim episcopis, ex præcepto domini apostolici Leonis papæ, unanimo consilio totius sanctæ synodi præcipimus in nomine Dei omnipotentis, & omnium sanctorum illius, & per ejus tremendum judicium, ut nunquam reges, neque episcopi, neque principes, neque ullius tyrannicæ potestatis homines honorem metropolitanæ sedis minuere, vel in aliquantula particula dividere præsumpserint, sed per omnia in eo dignitatis honore plenissime semper permaneat quo in constitutione beati Gregorii, & in privilegiis apostolicorum suorum successorum habetur in Doroberniæ civitate, habeatur & custodiatur ubi Christi ecclesia est, & ubi primum in hac insula catholica fides emicuit, & a sancto Augustino sacrum baptismum celebratum est, & euangelium Christi prædicatum, & inde per gratiam sancti Spiritus late diffusum.

Si quis vero (quod omnino absit) contra apostolica præcepta, & nostrorum omnium, ausus sit tunicam Christi scindere, & unitatem ejus sanctæ ecclesiæ dividere, sciat se esse æternaliter damnandum, nisi ante mortem quod inique contra sacros canones fecit, eidem ecclesiæ digne satisfecerit.

DECRETUM ADELARDI ARCHIEPISC.

De libertate ecclesiarum.

EGO Æthilheardus gratia Dei humilis sanctæ Dorobernensis ecclesiæ archiepiscopus, unanimo consilio totius sancti synodi, congregationibus omnium monasteriorum, quæ olim a fidelibus domino Christo perpetuam in libertatem dedita fuerant, in nomine domini omnipotentis, & per tremendum judicium, præcipio, sicut & ego mandatum a domino apostolicoque Leone papa percepi, ut ex hoc tempore unquam temerario ausu super hereditatem domini laicos & sæculares sibi præsumant dominos eligere. Sed sicut in privilegiis ab apostolica sede datis habetur, seu etiam ut ab apostolicis viris in initio nascentis ecclesiæ traditum est per sanctos canones, vel etiam a propriis possessoribus monasteriorum constitutum, ea regula & observantia disciplinæ sua monastica jura studeant observare. Si ergo, quod absit, ipsi hoc nostrum mandatum, & domini apostolici papæ spreverint, & pro nihilo ducunt, sciant se a sanctæ Dei ecclesiæ communione sequestratos, & in tremendo judicio ante tribunal Christi, nisi ante emendare voluerint, rationem reddituros.

Hæc sunt nomina episcoporum sanctorum & venerabilium abbatum, & presbyterorum, & diaconorum qui cum totius sanctæ synodi consensu pro confirmatione prædictæ rei signum sanctæ crucis Christi subscripserunt.

SUBSCRIPTIONES.

Ego Athelheardus gratia domini archiepiscopus Dorobernensis civitatis signum sanctæ crucis subscripsi.
Æthilheah abbas.
Feologeld abbas.
Vvulfheard presbyter.
Vuernoth presbyter.
Beornmod presbyter.
Vulfræd archidiaconus.
Ego Advulfus Lyceeldfeldensis ecclesiæ episcopus signum crucis subscripsi.
Hygberht abbas.
Lulla presbyter.
Monn presbyter.
Vuigferth presbyter.
Eadhere presbyter.
Cuthbertht presbyter.
Ego Vuerenberhtus Legorensis civitatis episcopus signum crucis subscripsi.
Ealhmund presbyter abbas.
Beomia presbyter abbas.
Forthred presbyter abbas.
Vuigmund presbyter abbas.
Eadberth presbyter.
Ego Ealdvulf Syddensis civitatis episcopus signum sanctæ crucis subscripsi.
Eadred presbyter abbas.
Dæghelm presbyter abbas.
Plegberth presbyter.
Eadvulf presbyter.
Hereberth presbyter.
Ego Dænebrecht Vvegorarensis civitatis episcopus signum crucis subscripsi.
Hygberth abbas.
Thineferth abbas.
Pega abbas.
Freothomund abbas presbyter.
Coenferth presbyter.
Ego Vvlfheard Herefordensis civitatis episcopus signum crucis subscripsi.
Cuthræd abbas.
Srygol presbyter.
Dygoga presbyter.
Monn presbyter.
Heathobald diaconus.
Ego Vvigberht Sciraburnensis civitatis episcopus signum crucis subscripsi.
Muda abbas.
Eadberth abbas.
Beorthmund abbas.
Ego Alhmuud Vvintanæ civitatis episcopus signum crucis subscripsi.
Cuthberth abbas.
Marcus abbas.

ANNO CHRISTI 803.

Cumba abbas.
Lulla abbas.
Northeard presbyter.
Vngthe presbyter.
Ego Ealheard Elmhamis ecclesiæ episcopus signum crucis subscripsi.
Folcbertht presbyter.
Frithobert presbyter.
Eadberht presbyter.
Vvlflab presbyter.
Hundfrid diaconus.
Ego Fidfrith Dammacæ civitatis episcopus signum crucis subscripsi.
Vvlfheard abbas.
Lulla abbas.
Ceolhelm presbyter.
Cynulf presbyter.
Tydberth presbyter.
Eadberht.....
Ego Osmund Lundonensis civitatis episcopus signum crucis subscripsi.
Heahstan abbas.
Plegberht abbas.
Vvigheard presbyter.
Tidhun presbyter.
Frithorad presbyter.
Ethelhelm presbyter.
Ego Vværmund Hrofrensis civitatis episcopus signum crucis subscripsi.
Lullingo presbyter.
Tuda presbyter.
Beagnoth presbyter.
Heathoberht presbyter.
Vvigheard presbyter.
Ego Vveohthun Seolesegiæ ecclesiæ episcopus signum crucis subscripsi.
Ceolmund abbas.
Dudd presbyter.
Eadberht presbyter.
Beorcol presbyter.
Heahfrid......
Cynebald...

Actum est celebri loco qui vocatur Clofeshoas, anno ab incarnatione Christi DCCCIII. indictione XI. die IV. Idus Octobris.

[a]CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOLITANVM I.

ANNO CHRISTI 806.

IN CAVSA IOSEPHI SACERDOTIS CVIVSDAM, quem Tarasius sacerdotio amoverat, celebratum anno DCCCVI. tempore Leonis papæ.

Causa concilii.

[a] *Conciliabulum.*] De causa hujus concilii in vita Theodori Studitæ hæc scribuntur: *Iosephum siquidem illum communi ecclesiæ calculo a Tarasio jure olim ejectum, ob manifestum ab eo commissum crimen* (Theodorus Studita epistola ad Iosephum fratrem & archiepiscopum, eum adulterii imperatoris Constantini copulatorem nominat) *quod nemini obscurum est: non dubitavit iterum tyrannice & contra canones in ecclesiam revocare, atque ademptum illi sacerdotium restituere.* Et paulo infra: *Patriarcham vi aggreditur* (*Nicephorus is erat Tarasii successor*) *omnibus eum machinis oppugnans, ut vel invitus voluntati ejus obsequeretur, & sacerdotium redderet Iosepho. Quod ille sane, vi tandem & ægre adductus, præstitit; veritus, opinor, ne atrocius quidpiam insanus ille moliretur.* Theodorus epistola vigesimaquinta & trigesima ad Leonem hoc conciliabulum appellat *synodum hæreticorum & adulterantium*, quia episcopi in eo congregati adulterium Constantini cum Theodote comprobaverant, & Iosephum adulterii copulatorem amplexi fuerant. *Cum enim*, inquit epistola vigesimaquinta, *factus est conventus ille pravus, & nescio quo nomine appellem, ex carcere per id tempus redieram. Cumque viderem eos esse congregatos, qui adulterium ante susceperant, & adulterii copulatorem amplexi fuerant, venit mihi in mentem illius dicti prophetici: Sapiens in illo tempore silebit, quoniam tempus malum est, &c.* Hoc tempore adulterantium synodum habitam fuisse, indicat epistola vigesima quinta, quam post hanc synodum celebratam, secundo anno elapso scriptam esse idem Theodorus allegata epistola apertis verbis testatur. Vide Baronium anno 806. num. 13. & 14.

Synodus adulterantium appellatur.

Eccles. Tempore concil.

[a]CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOLITANVM II.

ANNO CHRISTI 809.

CONTRA THEODORVM ET PLATONEM, eorumque socios congregatum, anno domini DCCCIX. tempore Leonis papæ.

Mœchosynodus appellatur.

[a] *Conciliabulum.*] Hoc concilium Theodorus in epistola ad Euprepianum proditorum carnificinam & mœchosynodum nominat: idque non immerito: nam postquam episcopi ibidem congregati Platonem sanctissimum catenis vinctum in judicium deduxissent, atque universam ecclesiam catholicam suos errores aversantem anathematis sententia perstrinxissent, scelestissimum protulerunt decretum, ut conjugium Constantini cum Theodote, vivente adhuc legitima conjuge, quam in monasterium detruserat, ex dispensatione legitimum dici deberet. Addiderunt in gratiam imperatoris nefariam & plane pudendam sententiam, hanc nimirum: Leges divinas adversus reges nihil posse; martyres non esse nominandos, si qui Ioannem " vel Chrysostomum imitati, pro veritate & justitia sanguinem effudissent: episcopos in omnibus canonibus dispensandi potestatem habere. Plura in hac adulterantium synodo decreta recenset Theodorus in epistolis supra extantibus, quas ab exilio scripsit ad Leonem papam. De tempore hujus conciliabuli hæc Theophanes: *Tunc Nicephorus imperator occasione percepta, cum episcopos & presbyteros congregasset, synodum adversus illos celebrari præcepit, per quam a monasterio & urbe dejecti,* (Theodorum & Platonem intelligit) *exilio sunt destinati, mense Ianuario, indictione secunda,* anno nimirum domini 809. Leonis 14. Caroli nono, & Nicephori orientalis imperatoris octavo.

Decreta concilii.

" Bapt. intellig.

DVÆ SYN. CONSTANTINOPOLITAN.

" ** *Ex libello synodico.*

PRIOR NICEPHORI.

ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ τοῦ φιλοχρίστου, Εἰρήνης τὴν βασιλείαν διαδεξαμένου τῆς εὐσεβόφρονος, αὐτάρχης Τοῦρκος στρατηγὸς καὶ πατρίκιος, Εἰρήνης δῆθεν τῆς βασιλίδος ἀντιποιούμενος ἐφάνη τῷ αὐτοκράτορι. Ἀλλὰ χωρὶς αἵματος Θεὸς τὴν ὁρμὴν αὐτοῦ διεσκέδασεν, Ἰωσὴφ πρεσβυτέρου καὶ οἰκονόμου τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως μεσιτεύσαντος. δι' ἣν αἰτίαν ὁ τρισμακάριστος Νικηφόρος πατριάρχης Ταράσιον τὸν ἐν ἁγίοις διαδεξάμενος, θείαν καὶ ἱερὰν μερικὴν σύνοδον συναθροί-

τοῦ

τῆς βασιλείας ἐν Βυζαντίῳ συνήθροισε· καὶ οἰκονομικῶς τὸν Ἰωσὴφ ἐδέξατο εἰς πρεσβύτερον ὑπὸ Ταρασίου πεπαυμένου καταλειφθέντα, χάριν μοιχοζευξίας Κωνσταντίνου υἱοῦ Εἰρήνης τῆς αὐτοκράτορος. ὅθεν ἀφελῶς τῆς Χριστοῦ ἐκκλησίας τινὲς ἀποῤῥαγέντες πάλιν ἡνώθησαν. Τελευτήσαντος οὖν ἐν πολέμῳ Βουλγαρίων Νικηφόρου, τὴν βασιλείαν ὁ υἱὸς αὐτοῦ Σταυράκιος διεδέξατο.

CVM autem Christi amantissimus Nicephorus, Eirenæ piissimæ in imperio successisset: Turcus dux & patricius, qui Eirenen imperatricem ambiret, imperatori se manifesto opposuit: sed absque sanguine Deus impetum ejus confregit, Iosepho presbytero & œconomo magnæ ecclesiæ Constantinopolitanæ medium sese interponente. Quam ob causam beatissimus Nicephorus, qui sancto Tarasio successerat, divinam & sanctam particularem synodum de consensu imperatoris Byzantii congregavit: & per dispensationem, Iosephum, quem defunctus Tarasius, propter conciliatas incestas nuptias Constantini imp. filii Eirenes deposuerat, in presbyterum recepit: unde quidam, qui a Christi ecclesia per simplicitatem abrupti fuerant, rursus sunt uniti. Mortuo vero in bello Bulgariorum Nicephoro, filius ejus Stauratius in imperio successit.

POSTERIOR THEODOTI PATR.

ON Μιχαὴλ ὁ Ῥαγγαβὲ, ἐκείνου ἐπ' ἀδελφῇ Προκοπίᾳ * προσεκληρώσατο, καὶ Λέων, στεφθεὶς ὑπὸ Νικηφόρου πατριάρχου· ἐπὶ τούτου ἦν καὶ ὁ ὁμολογητὴς Θεόδωρος ὁ Στουδίτης· * ἐπαναστὰς, ὁ Συρραρμένιος, ἐκράτησε τὰ βασίλεια· Ἰουδαϊκῆς τε καὶ Μανιχαϊκῆς θρησκείας ὑπάρχων κρησφύγετον. Τῆς ἐξουσίας γὰρ ἀναξίως ἐπιλαβόμενος, μιαρὰν καὶ ἄθεον χριστιανοκατηγορικὴν ἐν τῇ Χριστοῦ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ Κωνσταντινουπόλεως ἐποιήσατο σύνοδον· καὶ Νικηφόρον τὸν ἐν ἁγίοις καθελὼν, περιορίσας ἐν τῷ μοναστηρίῳ αὐτοῦ, Θεόδοτον ἀντεχειροτόνησε, Κασσιτηρᾶν καὶ Φλαβιανὸν ἐπιλεγόμενον· καὶ τὰς ἁγίας εἰκόνας καταστρεψάμενος, τοὺς προσκυνητὰς αὐτῶν ἀναθέματι καθυπέβαλεν· δημεύσεσιν, ἐξορίαις, λιμῷ, φυλακαῖς, καὶ παντοίαις ἰδέαις θανάτου, ὁ ἄθεος κατανάλωσεν· ἐκ ποδῶν σύρων, καὶ πατῶν αὐχένας ὁ ἀλιτήριος.

QVEM quidem Michael Rangabe, sororis ejus Procopiæ maritus, sibi ascivit: & Leo, coronatus a Nicephoro patriarcha. Eo imperante erat in confessor Theodorus Studites. * cui ᵃ Syrarmelio nomen erat, imperium arripuit: & Iudaicæ ac Manichaicæ superstitioni receptum præbuit. Imperio enim injuste arrepto, profanam & impiam, Christianorumque accusatricem in magna Christi ecclesia Constantinopoli congregavit synodum: depositoque sancto Nicephoro, & exilii causa in monasterium suum relegato, Theodotum in ipsius locum surrogavit, qui Cassiteras & Flavianus cognominabatur: sacrisque imaginibus eversis, adoratores earum anathemati subjecit: & proscriptionibus, exiliis, fame, carceribus, variisque mortis generibus eos absumpsit, pedibus trahens & cervices calcans impius.

ᵃCONCILIVM AQVISGRANENSE,

IN QVO AGITATA EST QVÆSTIO DE PROCESSIONE Spiritus sancti, decretaque legatio ad Leonem III. papam, celebratum mense Novembri, anno Christi DCCCIX. Leonis ejusdem papæ XIV. Caroli magni imperatoris IX. regis XLII. Anno Christi 809.

DE hac synodo consentiunt omnes, quæstionisque auctorem tradunt Ioannem quemdam monachum Hierosolymitanum. Sic enim inter ceteros testatur Ado Viennensis in chronico. Synodus, inquit, magna Grani aquis congregatur an. incarnationis domini DCCCIX: in qua synodo de processione Spiritus sancti quæstio agitatur, utrum sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio. Hanc quæstionem Ioannes monachus Hierosolymitanus moverat; cum regula & fides ecclesiastica firmet Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere, non creatum, non genitum, sed Patri & Filio coæternum & consubstantialem. Nomen autem processionis a Patre & Filio in Apocalypsi ita aperte est positum: *Et ostendit mihi* (haud dubium quin angelus) *flumen aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedens de sede Dei & agni.* In (Apoc. 22.) eadem etiam synodo quæsitum est & ventilatum de statu ecclesiarum, & ordine singularum, cujusque conversationis etiam clerici esse debent. *Hæc ille ceteris aliquanto uberius, nisi quod legationis non meminit, quam alii commemorant, ut Regino abbas:* Anno, *inquit*, DCCCIX. imperator de Arduenna Aquas reversus mense Novembrio concilium de processione Spiritus sancti habuit. Quam quæstionem Ioannes quidam monachus Hierosolymis primo commovit. Cujus definiendæ causa Bernarius episcopus Vvarmatiensis, & Adalardus abbas monasterii Corbeiæ, Romam ad Leonem papam missi sunt. Agitatum est etiam in eodem concilio de statu ecclesiarum, & conversatione eorum qui in eis Deo servire dicuntur. Nec aliquid tamen definitum est, propter rerum, ut videbatur, magnitudinem. *Legatis annumerandus erat Iesse itidem episcopus Ambianensis, ut constat ex vita Caroli magni, (quamquam ibi depravatum ejus nomen est) atque ex actis ipsius legationis, hoc est ex collatione cum papa Romæ a legatis habita, quam, ut olim a Smaragdo abbate descripta est, ex annalibus ecclesiasticis hoc loco subjiciemus.*

ᵇ*RATIO QVÆ HABITA EST DE SYMBOLO fidei in secretario sancti Petri apostoli, inter domnum Leonem sanctissimum & coeuangelicum papam urbis Romæ, & Bernarium atque Iesse episcopos, seu Adalardum abbatem, missos domni Caroli imperatoris per indictionem II.*

LECTIS a prædictis missis per ordinem testimoniis, atque a domno apostolico diligentissime auditis, ait: Ita sentio, ita teneo, cum his auctoribus, & sacræ scripturæ auctoritatibus. Si quis aliter de hac re sentire vel docere voluerit, defendo; & nisi conversus fuerit, & secundum hunc sensum tenere voluerit, contraria sentientem funditus abjicio. His dictis, novi quod nonnulla colloquendo potius quam disputando præcesserunt: quorum series sensuum, seu verborum, nisi tantum quod inde fuit, non satis memoriæ occurrit. Cumque eadem collatio ad hoc usque procederet, ut jam magis certa disputatio, quam ut supra collocutio habenda esset; & si non eadem fuit proprietas sermonum, inquantum recordari valeo, iste tamen fuit cursus sensuum, & summa conclusio novissimarum definitionum. MISSI. Quia vero, ut dicitis, ita certissimum credendum est,

ANNO CHRISTI 809.

credendo immutabiliter tenendum, tenendo vero, ficubi neceffe fuerit, conftantiffime defendendum eft, numquid non id nefcientes docendum, fcientibus autem, ut id attentius teneamus, confirmandum eft? PAPA. Ita eft. MISSI. Si ita eft, fi quis hoc nefcierit, vel ita non crediderit, num falvus effe poterit? PAPA. Quifquis ad hoc fenfu fubtiliore pertingere poteft, & id fcire, aut ita fciens credere noluerit, falvus effe non poterit. Sunt enim multa, e quibus iftud unum eft, facræ fidei altiora myfteria, fubtilioraque facramenta, ad quorum indagationem pertingere multi valent; multi vero, aut ætatis quantitate, aut intelligentiæ qualitate præpediti non valent. Et ideo, ut prædiximus, qui potuerit & noluerit, falvus effe non poterit. MISSI. Si ergo ita eft, imo quia ita eft, quod non credere non licet, & non tacendo docere licet, cur non licet cantare, vel cantando docere? PAPA. Licet inquam, licet docendo cantare, & cantando docere. Sed illicite in prohibitis, nec fcribendo, nec cantando licet inferere. MISSI. Quia ergo utrifque notum eft, quod ideo a vobis, ut id fymbolum cantando vel fcribendo inferatur, illicitum ducatur vel dicatur, quia illi qui idem fymbolum condiderunt non indiderunt, ut cetera, & fequentes principales fynodi, Calchedonenfis fcilicet quarta, Conftantinopolitana quoque quinta & fexta, ut novum ultra fymbolum a quoquam qualibet neceffitate, feu falvandi homines devotione, condere, & in veteribus tollendo, addendo, mutandove quidquam inferere prohibuerunt, non eft ibi diutius immorandum. Sed hoc quæro, hoc ut dicatur rogo: quia id credere bonum eft, bonum hodie ficut ad credendum ita ad cantandum tunc effe, fi ab eis infertum fuiffet. PAPA. Bonum certe, & valde bonum, utpote tam fidei facramentum magnum, quod non licet non credere, quifquis ad hoc valet pertingere. MISSI. Numquid non bene idem tunc auctores feciffent, fi quatuor tantum addendo fyllabas, tam perneceffarium fidei facramentum cunctis deinceps fæculis perfpicuum redderetur? PAPA. Sicut non audeo dicere non bene feciffe, fi feciffent, quia procul dubio ficut cetera quæ vel omiferunt, fcientes utique, & non tam humana, quam divina illuminati fapientia fecerunt, ita quoque non audeo dicere iftud eos nobis minus intellexiffe; perpendiffe cur dimiferunt, vel cur dimiffum, ne ultra mitteretur, ficut & cetera prohibuere. Tu & tui videte quid fentiatis de vobis. Nam & ego me illis non dico præferam, fed etiam illud abfit mihi ut coæquare præfumam. MISSI. Abfit etiam, pater, Deo noftro protegente, illud a nobis, ut nos quidquam horum cogitemus vel dicamus, vel fuperbia inflati, vel in divinis rebus humanæ laudis cupidine provocati, ac fi nofmet illis non tantum præferre, verum etiam coæquare præfumamus: fed tantum fecundum hujus temporis qualitatem, & imbecillitatem fratrum noftrorum caritate compatientes, illud quærimus, in eo laboramus, ut, quia finis mundi appropinquat, in quo ficut prædicta funt tempora periculofa, etiam ideo inter cetera maxime fratribus noftris prodeffe valeamus. Quo ergo fideles in domino in facramento fidei reddere ftudeamus; & idcirco quia præfatum fymbolum a quibufdam ita cantari reperimus, & quod id ecclefiafticæ congruere fidei, ficut fentimus, atque per hoc & nunc jam plurimos doctos, & fine fine ufque in finem fæculi de tanto myfterio, fi ita teneatur, inftruendos effe cognovimus, qui nequaquam inftrueretur, nifi cantaretur: melius nobis vifum fuit cantando tantos inftruere, quam tacendo indoctos relinquere. Si enim fciret paternitas tua, quanta funt hodie millia id fcientium, quia cantatur, qui nunquam fcituri effent nifi cantaretur, fortaffe nobifcum teneres, & id tuo etiam confenfu ut cantaretur acquiefceres. PAPA. Interim affentio. Verumtamen, quæfo, refponde mihi: Num univerfa hujufmodi fidei myftica facramenta, quæ fymbolo non continentur, fine quibus quifque, qui ad hoc pertingere poteft, catholicus effe non poteft, fymbolis inferenda, & propter compendium minus intelligentium, ut cuique libuerit, addenda funt? MISSI. Nequaquam: quia non æque omnia neceffaria funt. PAPA. Etfi non omnia, certe plurima funt his fimilia, quæ nifi a capientibus credantur, catholici effe non poffunt. MISSI. Dabifne aliquid, non dico fublimius, fed faltem huic fimile fymbolo deeffe? PAPA. Nempe dabo, & abundanter dabo. MISSI. Da primo unum, & fi neceffe fuerit, adde alterum. PAPA. Quia amica agitur contentione quod agitur, & pro utrarumque partium quæritur falute quod quæritur, (atque utinam quoties aliquid hujufmodi in majoribus feu in minoribus ecclefiafticis vel catholicis utilitatibus quæritur, ita per omnia pacifice fine perverfa intentione quæreretur) ne quid forte de tam reverendis myfteriis temere loquamur, detur confiderandi locus, & dabimus quidquid de his dederit dominus. *Et nocturna dilatione congrua data, ait* PAPA: Numquid magis falutare eft credere, periculofumve non credere, Spiritum fanctum a Filio ficut a Patre procedere, quam Filium fapientiam Deum a fapientia Deo, veritatem Deum a veritate Deo genitum effe, & tamen utrumque unam fapientiam, unam veritatem effentialiter Deum effe, cum tamen conftet id a fanctis patribus eidem fymbolo inditum non effe? Si ergo hæc duo, ficuti fapientes decet, in tam familiari difputatione ad hoc valent, ut nobifcum fentiatis & cognofcatis, tot priores catholicos patres, qui hoc unde agitur vel fymbolis non inferuerunt, vel inferere quemadmodum cetera, ut fupra dictum eft, prohibuere: non præfenti ignorantia, non futura negligenti providentia prætermififfe, & prætermiffum ne mitteretur prohibuiffe, a coacervandis teftimoniis libentiffime quiefcimus. Sciendum vero, non folum fecundum effentiam divinitatis, verum etiam fecundum myfterium dominicæ incarnationis, tanta, Deo auctore, & ex eorumdem patrum auctoritate damus & talia, quanta non folum fapientibus fatisfacere, fed etiam ftultos valent opprimere. MISSI. Non inquam neceffe eft in eo laborare, an nefciamus quod fcimus: quia quidquid exinde ceteri fciunt, nos Deo auctore fcimus, aut fcire poffumus, fi non fcimus. PAPA. Hoc eft, inquit, quod miramur, qui fine profectuofo labore poteftis quiefcere, laboratis ne quiefcatis. MISSI. Non ideo laboramus ne quiefcamus, fed ne propter inertiam pii laboris præmium amittamus, & falva diligentiore inquifitione, declinataque pertinaci contentione, adhuc majus æftimamus lucrum, quod per hoc in corde quærentium acquiritur, quam detrimentum in eo fieri

fieri illorum qui addiderunt, ac si per contumaciam contemptores paternarum constitutionum existerent. Aliud est enim per arrogantiam transiliendo bona contemnere, aliud bona per benevolentiam meliora efficere. PAPA. Istud quoque etsi in quibusdam ut agatur bonum est, non tamen ideo ubique agendum est. Qua de re multa id ita esse probantia addi poterant testimonia: sed res per se admodum patet, quanto melius sit, ut quisque quodlibet bonum ita ut est utile reddere studeat: aut, si forte id ipsum bonum melius efficere nititur, hoc primo caveat, hoc magnopere perpendat, ne & se ultra quam debuit temerarium præsumendo, & illud quod per se salubre erat reddat noxium corrumpendo. Nisi quis forte asserere velit de præsenti unde agitur, vel similibus capitulis, quæ sine periculo suo docere licet & discere, ut ordo docendi licitus dimittatur, & ibi deserantur, ubi nunquam deinceps docens aut discens innocens, sed semper sane in transgressionis crimine merito culpabilis uterque judicetur. Quod te fortasse, si non dedigneris audire, non immerito tangit: qui hic quod hactenus in ecclesia Dei, & sibi quisque sapiens scire, & sine cogitatione delicti insipienter potuit docere, jam deinceps non dico stultus discere, sed nec ipse sapiens sine prævaricatione possit cantare, cantandove ut vultis quemquam docere, & dum multis alio quam debetis tramite prodesse eligitis, nullum in hac dumtaxat parte dimittitis, cui si vos secutus fuerit non noceatis. Nam de eo quod supra docuistis, non æque judicandus vel habendus sit ille, qui tale aliquid devote fructum quærendo ageret, illo qui hoc contumaci jussione præsumeret. Hæc defensio, vel, si dici liceat, tergiversatio, non huc respicit, non istud intendit: quia non idem patres discernendo vel decreverunt, nec sanxerunt, ut ipsum benevolus præsumeret, non malevolus, sed tantummodo nullus. MISSI. Numquid non a te id ipsum symbolum est data in ecclesia cantandi licentia? Numquid a nobis huc usus ille cantandi processit? Hinc etenim illuc mos idem cantandi, non a nobis huc advenit: & quomodo illum usque hodie cantamus? PAPA. Ego licentiam dedi cantandi; non autem cantando quidpiam addendi, minuendi, seu mutandi: & ut expressius aliquid, quia vos cogitis, loquar, quamdiu vobis in hoc satis fuit, quomodo in hujusmodi cantando vel celebrando sacrosanctis mysteriis sancta Romana tenet ecclesia, nequaquam aut nobis in talibus laborare, aut aliis laborandi occasionem necesse fuit ingerere. Quod vero asseritis ideo vos ita cantare, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantasse, quid ad nos? Nos enim id ipsum non cantamus, sed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo aut docendo addere quidpiam eidem symbolo inserendo præsumimus. Quæ vero prædictis symbolis fidei tantum non congruentia deesse cognoscimus, non, ut sæpe dictum est, inserere præsumimus, sed locis temporibusve opportunis quibus competit ministrare curamus. MISSI. Ergo, ut video, illud a vestra paternitate decernitur, ut primo illud, de quo quæstio agitur, de sæpe fato symbolo tollatur, & tunc demum a quolibet licite ac libere, sive cantando, sive tradendo, discatur & doceatur. PAPA. Ita procul dubio a nostra parte decernitur: ita quoque ut a vestra assentiatur,

A a nobis omnimodis suadetur. MISSI. Quamquam ergo, ut supra ipse dixisti, pro ambarum partium quæritur salute quod quæritur, sublatis his quæ vultis, bonum est ut idem symbolum cantetur. PAPA. Bonum sane. Quod tamen non imperando, sed ut prius permittendo dicimus: quia illud sicuti tunc ita & nunc, si sincere agatur, utile indigentibus esse posse non ignoramus. MISSI. Quia vero, ut dicitis, & verum dicitis, bonum est cantare id ipsum symbolum: numquid enim si ermo plenus recta fide e medio tollatur, idem sermo ab omnibus ac si

B contra fidem sit condemnabitur? Quale ergo dabis consilium, ne idipsum ad aliquod transeat exitium? PAPA. Si priusquam ita cantaretur interrogatus essem, ne insereretur utique respondissem. At nunc, quod tamen non affirmando, sed vobiscum pariter tractando dico, quantum menti occurrit, ita mihi videtur posse utrumque fieri: ut paulatim in palatio, quia in nostra sancta ecclesia non cantatur, cantandi consuetudo ejusdem symboli intermittatur: sicque fiat, ut quod id ipsum ut cantaretur non quælibet imperantis auctoritas, sed potius audiendi id fecerat novitas; si dimittatur a vobis, dimittetur

C ab omnibus: & ita fortasse quantum esse potest, non incongrue utrumque fieri possit: ut quod jam nunc a quibusque prius nescientibus recte creditur credatur, & tamen illicita cantandi consuetudo sine cujusque fidei læsione tollatur.

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Concilium.*] De tempore & causa hujus concilii annales Francorum anno 809. hæc scribunt: *Imperator de Arduenna Aquisgranum reversus mense Novembri concilium habuit de processione Spiritus sancti*, &c. Hæc annales aliique omnes historici. Non disputatur, an (quod sanctus Leo magnus ante hæc tempora Gallis & Hispanis indulserat) symbolum Nicænum & Constantinopolitanum cantare

D liceret, sed tantum hoc controvertebatur, an symbolum hac voce *Filioque* bene auctum esset, & in ecclesia cum hujusmodi additamento bene cantaretur. Quid sit actum Romæ a legatis quos synodus miserat, docent nos vetera ecclesiastica monumenta ex Zmaragdi ad Carolum epistola, cui ipsa acta inseruntur hac inscriptione notata.

Tempus & causa concilii.

Causa & acta concilii.

b *Ratio quæ habita est de symbolo fidei*, &c. Apud Baronium extat anno 809 num. 54 usque ad num 63. inclusive: sic autem se habet: *Lectis a prædictis missis*, &c. ut supra.

Post hæc autem Leo papa custos antiquitatis, ab eis præsumptæ absque consensu apostolicę sedis licentię vindex assurgens, non solum verbis differendo & præcipiendo, quid vellet fieri, patefecit; sed indelebile monumentum erigendum putavit, quo posteris innotesceret, in sacro symbolo esse nihil addendum. Siquidem in basilica sancti Petri (non autem Pauli, ut aliquis asseruit) duas tabulas argenteas ad confessionem ejusdem sancti Petri affigendas curavit, in quarum altera symbolum Latine scriptum legeretur, in altera vero Græce exaratum absque aliquo quatuor illarum syllabarum additamento *Filio-*

E *que*, sed illud in suo pristino candore voluit integrum permanere. Est mentio harum tabularum apud Anastasium in ipso Leone, dum agens de basilicæ sancti Petri collatis donis hæc ait, postquam de ornamentis oblatis eidem ecclesię nonnulla pręmisit: *Hic vero*, inquit, *pro amore & cautela orthodoxa fidei fecit ubi supra scutos argenteos duos, scriptos utrosque symbolo, unum quidem literis Græci, & alium Latinis, sedentes dextera lævaque super ingressum corporis, pensantes argenti libras nonaginta quatuor, & uncias sex.* hæc ibi

Quando autem, & qua occasione illa verba, *Filioque*, itidem auctoritate Romani pontificis in symbolum in Romana ecclesia sint recepta, alia poscente causa, suo loco dicturi sumus, ac quando pariter cœptum sit idem symbolum in eadem ecclesia cani, par erit suo loco tractatio. Vualafridus Strabo temporis hujus scriptor tradit, usum hunc cantandi symbolum a tempore damnatæ Felicianæ hæresis in Gallia atque Germania frequentatum; atque eadem ratione factum, ut Constantinopolitanum potius quam Nicænum in ecclesia caneretur, quod scilicet Constantinopo-

Vualafridus Strabo de rebus ecclesiasticis cap. 22.

ANNO CHRISTI 809.

ſtantinopolitanum aptius videretur modulis muſicis. Sed cur non potius, quod hoc plenius ſit, utpote quod de Spiritus ſancti divinitate habeat magis expreſſam ſententiam.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S.I.

Teſtimonia ſanctorum patrum, quorum in principio hujuſce narrationis fit mentio, teſte Holſtenio ſubjunguntur in Vaticano mſ. ipſimet collationi. In mſ. vero ſereniſſimæ reginæ Suecorum extat epiſtola Caroli imperatoris ad Leonem III. de proceſſione Spiritus ſancti ex Filio per dictos miſſos (Bernarium, Ieſſe & Adalardum) directa, quam & Smaragdus abbas edidit, & nuper in lucem emiſſa eſt poſt ſynodos Romanas ab eodem Holſtenio collectas.

** EPISTOLA CAROLI IMPERATOR. AD LEONEM III. PAPAM URBIS ROMÆ

directa, & a Zmaragdo abbate edita qui & collationem cum papa eodem Romæ habitam a legatis ſeu miſſis Caroli magni Bernario atq; Ieſſe epiſcopis & Adalardo abbate Corbeiæ conſcripſit relatam a Baronio in annales eccleſiaſticos & a Sirmondo tomo II. conciliorum Galliæ ad annum Chriſti 809.

QUÆSTIO quæ de Spiritus ſancti proceſſione eſt nuper exorta, jamdudum eſt diligentiſſime a ſanctis patribus ventilata. Sed quia jam diu a quærentibus neglecta jacebat; non quievit quaſi antiquitus ventilata, ſed quaſi quędam his temporibus nobis ſubito emerſit occulta, quod divinitus ſpiratum fideliter credens non dubito. Crebris etenim quæſtionum ictibus præſens eccleſia tunditur, ut doctrinis catholicis erudita, ſanæque fidei confeſſionibus elimatà, in æternum quandoque hereditate filiorum percepta vivere cum domino valeat feliciter regnatura. Sed quia, ut præfatus ſum, hæc quæſtio diu a quærentibus indiſcuſſa jacebat, voluit omnipotens Deus in eamdem ſuſcitare corda paſtorum, ut negligentiæ torpore ſublato exercitationis ſanctæ brachio cæleſtem valeant perfodere theſaurum. Sermonis etenim dominici ſarculo ſæpius divinarum ſcripturarum paſtores debent proſcindere campùm, ne zizania ſatoris iniqui ſemenque malignum formoſi tritici valeat opprimere fructum: aut volans paſſim volucris hæretica ſemen catholicum a cordibus rapiat parvulorum: horridaque ſpinarum emerſio domini nitidam poſſit ſuffocare ſegetem. Lectionis etenim ſacræ cognitio imbecillis baculum, nervoſis arma miniſtrat, hoſtium ſubdolas fortiter premit inſidias, & victoribus æternas feliciter promittit coronas. Ergo procul a paſtoribus negligentiæ torpor abſcedat; procul a mentis acumine inertia damnoſa recedat, molliſque laſcivia corporis membra relinquat, & altus ſopor molliſque ſomnus in rigidas lucroſaſque lectionis emergat excubias, ut eccleſiæ ager opimus, doctorumque ſemine ſatus, valeat centenos omnipotenti reddere fructus. Iam nunc adgrediar de Spiritus ſancti proceſſione. Quod Spiritus Patris ſit in Filio, idemq; Spiritus & Patris ſit & Filii, Eſaias teſtatur, ubi vox Patris ait ad Filium: *Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedant de ore tuo, & de ore ſeminis tui amodo & uſque in ſempiternum.* (Iſa. 59.) Item in Eſaia ſcriptum eſt: *Ibi obviaverunt ſibi cervi, & viderunt facies ſuas mutuo. Tranſierunt; unus ex eis non periit, & Spiritus ejus congregavit eos.* Cervos hic apoſtolos priſci patres intellexerunt, quos Spiritus Chriſti in Hieruſalem

A congregavit, ubi ſe obviantes mutuo ſalutaverunt. Igitur quod Patris ſit Spiritus, ipſe dominus apoſtolus ait: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* (Matth.) Et quod idem Spiritus Filii ſit, Paulus teſtatur dicens: *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* (Rom. 8.) Itemque in epiſtola ad Galatas ait: *Quoniam autem eſtis filii Dei, miſit Deus Spiritum filii ſui in corda noſtra clamantem, abba pater.* (Gal. 4.) Beatus quoque Petrus in epiſtola ſua ait: *Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum. De qua ſalute exquiſierunt atque ſcrutati ſunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, ſcrutantes in quod vel quale tempus ſignificaret qui in eis erat Spiritus Chriſti, prænuntians* (1. Petr.)
B *eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones & poſteriores glorias.* Et dominus in euangelio ait: *Cum venerit paraclitus Spiritus veritatis, qui a Patre procedit.* (Ioan.) Vbi ſuū eſſe Spiritum docuit, quia ipſe eſt veritas, & Patris a quo eum dixit procedere. Quod Spiritum ſanctum dedit Pater apoſtolis, in epiſtola ad Corinthios ſecunda ſcriptum eſt: Ait enim inter cetera: *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, & qui ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* (2. Cor.) Item in epiſtola ad Theſſalonicenſes prima. *Non enim vocavit,* ait, *nos Deus in immunditiam, ſed in* (Ibid. c.)
C *ſanctificationem. Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum; qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis.* Et quod eumdem Spiritum ſanctum dedit & Filius, in epiſtola Ioannis ſcriptum eſt: *In hoc intelligimus quoniam in eo manebimus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.* (1. Ioan.) Quod Spiritum ſanctum effudit Pater in diſcipulos in epiſtola ad Titum ſcriptum eſt: *Cum autem benignitas & humanitas apparuit ſalvatoris noſtri, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Ieſum Chriſtum ſalvatorem noſtrum.* (Tit. 3.) Quod & eumdem Spiritum ſanctum effudit Filius, in actibus ſcribitur apoſtolorum: aiunt enim apoſtoli
D inter cetera: *Hunc Ieſum reſuſcitavit Deus, cujus nos omnes teſtes ſumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus accepta a Patre effudit hunc quem vos videtis & auditis.* (Act. 2.) Item quod una ſit a Patre & Filio Spiritus ſancti effuſio Ioele teſtante didicimus: ait enim vox Patris ſimul & Filii: *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ: Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt: ſed & ſuper ſervos meos, & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & dabo prodigia in cælo & in terra.* (Ioel. 2.) Quod Spiritus ſanctus oris ſit Patris in pſalmo trigeſimo ſecundo legitur: *Verbo domini cæli firmati ſunt, & Spi-*
E *ritu oris ejus omnis virtus eorum.* (Pſal. 32.) Et quod os ſit Filii, in Eſaia ſcriptum eſt: ait enim idem propheta de filio: *Percutiet terram virga oris ſui, & Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* (Eſa. 11.) Cui ſententiæ concordans Paulus in epiſtola ad Theſſalonicenſes ait: *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem dominus Ieſus interficiet Spiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui.* (2. Theſſ.) Quod Spiritus a Patre procedat, ipſe dominus teſtatur dicens. *Spiritus qui a Patre procedit, ille me clarificabit;* & cetera talia plura in euangeliis inveniuntur teſtimonia. (Ioan. 15.) Et quod idem Spiritus procedat a Filio, liber Iob ore dominico ſacratus teſtis eſt: ubi hæc inter cetera ait: *Et audite auditionem in* (Iob. 37.)

terrore

terrore vocis ejus, & sonum de ore illius procedentem. Hoc in loco os Patris Filius est intelligendus. Sonus vero de ore illius procedens Spiritus sanctus, qui a Filio procedens cum sonitu super apostolos in igne descendens apparuit, sicut apostolorum testantur actus, ubi scribitur: *Dum complerentur dies pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus est repente de cælo sonus tamquam advenientis Spiritus validissimi, & replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Beatus autem Gregorius hunc B supradictum libri Iob versiculum exponens, inter cetera sic ait: Potest autem per os Dei unigenitus Filius designari; per sonum vero oris potest ejusdem Spiritus sanctus designari. Sonus igitur de ore domini procedit, cum consubstantialis ejus Spiritus ad nos per Filium veniens surditatem nostræ insensibilitatis sumpsit. De hac igitur ipsa processione, qua Spiritus sanctus a Filio procedit sicut procedit a Patre, beatus Athanasius in libro quem scripsit contra Arium inter cetera sic ait. Ego credo Filium in Patre, & Patrem in Filio: Spiritum quoque paraclitum, qui procedit a Patre, & Filii esse & Patris, quia & a Filio procedit: sicut in euangelio C scriptum est, quod per insufflationem suam dederit in discipulis suis Spiritum sanctum, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis:* & cetera. Cyrillus quoque de hac ipsa Spiritus sancti processione contra Nestorium inter cetera sic ait. Quamvis enim in sua sit substantia Spiritus, & ejus intelligatur in persona proprietas, juxta id quod Spiritus est, & non Filius: attamen alienus non est ab illo; nam Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est. Vnde & ab isto similiter sicut & a Deo Patre procedit. Ambrosius inter cetera de Spiritu sancto sic ait: Non enim quasi ex D loco mittitur Spiritus, aut quasi ex loco procedit, quando procedit ex Filio. Hieronymus quoque de hac ipsa Spiritus sancti processione in symboli expositione inter cetera sic ait: Spiritus qui a Patre & Filio procedit, Patri Filioque coæternus & per omnia coæqualis est. Hæc est sancta trinitas: id est, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, una est deitas & potentia, una & essentia; id est, Pater qui genuit, Filiusque genitus, & Spiritus sanctus qui ex Patre Filioque procedit: Hæc tria unus Deus est. Augustinus quoque in expositione fidei catholicæ inter cetera sic ait: In illa igitur sanctâ trinitate unus est Pater, qui solus de se ipso essentialiter unum genuit Filium: & unus Filius, qui de uno Patre solus est essentialiter natus: & unus Spritus, qui solus E essentialiter de Patre Filioque procedit. Item ipse adversus Maximinum hæreticum: Quæris a me, si de substantia Patris est Filius; de substantia Patris est etiam Spiritus sanctus; cur unus Filius, & alius non sit Filius? Ecce respondeo, sive capias, sive non capias. De Patre est Filius; de Patre & Spiritus sanctus: sed ille genitus est, iste procedens; ideo ille Filius est Patris de quo est genitus, iste autem Spiritus utriusque, quoniam de utroque procedit. Et post paululum ipse: Amborum est ergo Spiritus procedendo de ambobus. Item ipse in libro de trinitate inter cetera ait: Cum per scripturarum sanctarum testimonia docuissem, de utroque procedere Spiritum sanctum: si ergo inquam & de Patre, & de

A Filio procedit Spiritus sanctus; cur Filius dixit: *De Patre procedit?* Cur putas, nisi quemadmodum solet ad eum referre & quod ipsius est, de quo ipse est. Vnde illud est quod ait: *mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* (Ioan. 7.) Si igitur hic intelligitur ejus doctrina, quam tamen dixit non esse suam sed Patris; quanto magis illic intelligendus est & de ipso procedere Spiritus sanctus ubi sic ait: *De patre procedit*, ut non diceret, de me non procedit. A quo autem habet Filius ut sit Deus: si enim de Deo Deus, ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus sanctus: ac per hoc Spiritus sanctus ut etiam de illo procedat sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre. Item ipse Spiritus sanctus. Spiritus vero sanctus nondum de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit: quamvis hoc Filio Pater dederit, ut quemadmodum de se, ita quoq; de illo procedat. Hæc a nobis summo opitulante opifice de Spiritus sancti processione multiplicia sanctarum scripturarum adgregata sunt testimonia, ut divinorum librorum sententiis victus, multorumque orthodoxorum nube testium pressus veritati non valeat resistere inimicus; sed potius sententiis catholicis veridicisque suasus testimoniis, revertatur ad tutissimum ecclesiæ sinum, ut pariter catholico educatus in gremio, quandoque æternum cum Filiis mereatur accipere regnum.

Explicit epistola.

(Anno Christi 809.)

CAROLI MAGNI IMPERATORIS BREVIARIVM DIVISIONIS THESAVRORVM, quam post obitum suum observari jussit.

(Anno Christi 811.)

EGINHARTVS *in vita Caroli magni ita scribit:* Divisionem thesaurorum & pecuniæ ac vestium, aliæque supellectilis, coram amicis & ministris suis, annis tribus antequam decederet, fecit: contestatus eos, ut post obitum suum a se facta distributio per illorum suffragium rata permaneret: quid ex iis quæ diviserat fieri vellet, breviario comprehendit, cujus ratio ac textus talis est:

In nomine domini Dei omnipotentis Patris, Filii, & Spiritus sancti. Incipit descriptio atque divisio quæ facta est a gloriosissimo atque piissimo domno Carolo imperatore augusto, anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi DCCCXI. anno vero regni ejus in Francia XLIII. & in Italia XXXVI. imperii autem XI. indictione IV. quam pia & prudenti consideratione facere decrevit, & domino annuente perfecit, de thesauris suis atque pecunia, quæ in illa die in camera ejus inventa est. In qua illud præcipue præcavere voluit, ut non solum eleemosynarum largitio, quæ solenniter apud Christianos de possessionibus eorũ agitur, pro se quoq; de sua pecunia ordine atq; ratione perficeretur: sed etiam ut heredes sui, omni ambiguitate remota, quid ad se pertinere deberet liquido cognoscerent, & sine lite atque contentione sua inter se competenti partitione dividere possent. Hac igitur intentione atque proposito, omnem supellectilem atque substantiam suam, tam in auro, quam in argento, gemmisque, & ornatu regio, quæ (ut dictum est) illa die in camera ejus inveniri poterat, primo quidem trina divisione partitus est: deinde easdem partes subdividendo, de duabus partibus XXI. partes fecit, & tertiam integram reservavit.

ANNO CHRISTI 811.

reservavit. Et duarum quidem partium in XXI. A partes facta divisio tali ratione consistit, ut, quia in regno illius metropolitanæ civitates XXI. esse noscuntur, unaquæque illarum partium ad unamquamque metropolim per manus heredum & amicorum suorum eleemosynæ nomine perveniat: & archiepiscopus, qui tunc illius ecclesiæ rector extiterit, partem quæ ad suam ecclesiam data est suscipiens, cum suis suffraganeis partiatur, eo scilicet modo, ut pars tertia suæ ecclesiæ sit, duæ vero partes inter suffraganeos dividantur. Harum divisionum, quæ ex duabus primis partibus factæ sunt, & juxta metropoliticarum civitatum numerum XXI. esse noscuntur, unaquæque ab altera sequestrata semotim in suo B repositorio cum superscriptione civitatis, ad quã perferenda est, recondita jacet. Nomina vero metropoliticarum civitatum, ad quas eadẽ eleemosyna vel largitio data est, hęc sunt: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forumjulii, Gradus, Colonia, Moguntiacum, Iuvavium, quæ & Saltzburgum," Treveris, Senones, Vesontio, Lugdunum, Rothomagus, Rhemis, Arelas, Vienna, Tarantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges. Vnius autem partis, quam integram reservari voluit, talis est ratio, ut illis duabus in supradictas divisiones distributis, & sub sigillo reconditis, hæc tertia in usu quotidiano versaretur, velut res quam nulla voti obligatione a dominio possidentis alienatam esse constaret: & hoc tamdiu, quoadusque vel ipse mansisset in C corpore, vel usum ejus sibi necessarium judicaret. Post obitum vero suum, aut voluntariam sæcularium rerum carentiam, eadem pars quatuor subdivisionibus secaretur; & una quidem earum supradictis XXI. partibus adderetur: altera a filiis & filiabus suis, filiisque ac filiabus filiorum suorum assumpta, & justa ac rationabili inter eos partitione divideretur: tertia vero, consueto Christianis more in usum pauperum fuisset erogata. Quarta simili modo nomine eleemosynæ in servorum & ancillarum usibus palatii famulantium sustentationem distributa veniret. Ad hanc tertiam totius summæ portionem, quæ similiter ut ceteræ ex auro & argento constat, adjungi voluit omnia ex ære & ferro, aliisque metallis, vasa atque utensilia, cum armis & vestibus, aliaque preciosa aut vili ad varios usus facta supellectile, ut sunt cortinæ, stragula, tapetes, fulcra, coria, sagmata, & quidquid in camera atque vestiario ejus eo die fuisset inventum: ut ex hoc majores illius partis divisiones fierent, & erogatio eleemosynæ ad plures pervenire posset. Capellam, id est ecclesiasticum ministerium, tam id quod ipse fecit atq; congregavit, quam quod ad eum ex paterna hereditate pervenit, ut integrum esset, neque ulla divisione scinderetur, ordinavit. Si qua autem invenirentur aut vasa, aut libri, aut alia ornamenta, quæ liquido constaret eidem capellæ ab eo collata non fuisse, hæc qui habere vellet, dato justæ æstimationis precio emeret & haberet. Similiter & de libris, quorum magnam in bibliotheca sua copiam congregavit, statuit ut ab eis qui eos habere vellent, justo precio fuissent redempti, preciumque in pauperes erogatum. Inter ceteros thesauros, atque pecuniam, tres mensas argenteas, & auream unam, præcipuæ magnitudinis & ponderis esse constat. De quibus statuit atque decrevit, ut una ex iis quæ forma quadrangula descriptionem urbis Constantinopolitanæ continet, inter cetera donaria, quæ ad hoc deputata sunt, Romam ad basilicam beati Petri apostoli deferatur: & altera, quæ forma rotunda Romanæ urbis effigie figurata est, episcopo Ravennatis ecclesiæ conferatur. Tertiam, quæ ceteris & operis pulcritudine & ponderis gravitate multum excellit, quæ ex tribus orbibus connexa totius mundi descriptionem subtili ac minuta figuratione complectitur; & auream illam, quæ quarta esse dicta est, in tertiæ illius, & inter heredes suos atque in eleemosynam dividendæ partis augmentum esse constituit. Hanc constitutionem atque ordinationem coram episcopis, abbatibus, comitibusque, qui tunc præsentes esse potuerunt, quorumque hic nomina scripta sunt, fecit atque constituit.

" omissæ sunt civitates Aquæ Sextiæ, Narbo, Ausci sive Elusa olim caput seu metropolis Nõvempopulaniæ.

Episcopi.

Hildebaldus, Richolfus, Arnoldus, Vvolfarius, Bernoinus, Laidradus, Ioannes, Theodulfus, Iesse, Hetto, Vvaltgaudus.

Abbates.

Fridegisus, Adalungus, Engilbertus, Irmino.

Comites.

Vvalach, Meginher, Othulfus, Stephanus, Vnrvocus, Burchardus, Meginhardus, Hatto, Richuinus, Eddo, Erchangarius, Geroldus, Bero, Hildigernus, Hrocholfus.

Hæc omnia filius ejus Ludovicus, qui divina ei jussione successit, inspecto eodem breviario, quam celerrime poterat, post ejus obitum summa devotione adimplere curavit.

** NICEPHORI CONSTANTINOPOLITANI AD LEONEM PONTIFICEM MAX. EPISTOLA.

THEODORO PELTANO Societ. IESV. Theol. interprete.

ARGVMENTVM.

PROPTER *diaboli insidias, crebros humanæ vitæ lapsus, caninos malevolorum morsus, muneris gravitatem, aliaque id genus non pauca episcopale munus cum dignitate, publicaque utilitate obire arduum esse docet, seseque proinde, quod suam ipse vitam recte instituere vix queat, ad eam functionem assumi non debuisse subjungit, quod vitæ genus, antequam episcopus crearetur, sectatus fuerit, tum qua ratione, & occasione ad patriarchatum Constantinopolitanum pervenerit; Romani pontificis opem, ejusdemque fidem & apud Deum deprecationem implorat. fidem Romanorum ab apostolo laudatam, ipse quoque laudat. addit nihilominus fidei gratiam non solum veteris, sed novæ quoque Romæ, imo omnium gentium & nationum esse, quod apostolicus sermo per omnem mundi plagam pervasisset. subnectit his suam, suaque ecclesiæ confessionem, qua prolixe & eleganter declarat, se ab omnibus iis erroribus, & hæresibus alienum esse, quæ vel Constantinopoli, vel alibi usquam contra Christum, ejusque ecclesiam extiterunt aliquando: atque ita in omnibus & per omnia sese complecti Romanæ ecclesiæ, ut quæ reliquarũ mater sit, fidem. omnia rursum concilia ejusdẽ ecclesiæ auctoritate celebrata; cetera deniq; omnia, quæ quovis modo ad fidei unitatẽ pertinent. quare epistola hæc inter alias, quæ ad ecclesiarũ unionẽ pertinent, merito reponẽda fuit. Excusat se postremo, quod tardius justo ad Rom. pont. scripserit, suaq; fidei rationẽ reddiderit. Ceterũ Leonem ad quẽ epist. hac perscribitur.*

secundum,

dum, vel tertium ejus nominis pont. fuisse ex eo manifestum fit, quod secundum synodum Nicænam; quam sub Adriani primi pontificatu celebratam fuisse constat, sua ætate celebratam fuisse asserat. Adriano autem successit Leo tertius.

„ΤΩι ΤΑ ΠΑΝΤΑ ΑΓΙΩΤΑΤΩι καὶ μακαριωτάτῳ ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ κυρίῳ Λέοντι πάπᾳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης Νικηφόρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως, χαίρειν.

A

ΜΕΓΑΣ μὲν ὡς ἀληθῶς, καὶ ἀξιάγαστος, καὶ πάσης εὐφημίας ἐπάξιος, ὅστις ποτὲ ὁ πιστὸς ἐκεῖνος οἰκέτης, ὁποῖος δὴ ἐν παραβολαῖς τῶν ἱερῶν ἐκείνων καὶ εὐαγγελικῶν ἀναγέγραπται κηρυγμάτων, ὑπὸ τοῦ κυρίου καθιστάμενος ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ· καὶ οἰκονομῶν ἐν κρίσει τῶν ἐπιτεταγμένων τὸν λόγον· καὶ δαπανῶν οὐ περιττῶς καὶ ἀσώτως, ἀλλ' εἰς δέον τοῖς πιστευθεῖσι, καὶ καλῶς ἀποχρώμενος, διδοὺς εὐκαίρως τοῖς συνδούλοις τὸ σιτομέτριον καὶ χορηγῶν ἑκάστοις καὶ διανέμων ἀναλόγως τὸ πρόσφορον, χάριν τε καὶ εὐμένειαν διὰ ταῦτα ὅλην

B

τὴν τοῦ δεσπότου χάριν τε καὶ εὐμένειαν ἐφ' ἑαυτὸν ἐπισπώμενος, καὶ τὸ μακάριον παρ' αὐτοῦ ἀποφερόμενος, καὶ ἐν ἅπασιν, ὧν ἂν αὐτὸν ἐπιτροπεύειν χειροτονήσειε κατασταθήσεσθαι τὸ ἐπάγγελμα κατακτώμενος. δέξιός τε γὰρ ὑπάρχων εὖ μάλα καὶ ἀείστος, πίστιν ὁμοῦ καὶ φρόνησιν ἐμμελεστάτην ἐκεράσατό τε καὶ παρεστήσατο· τῇ μὲν τὸ εὐνοητικόν τε καὶ εὔγνωμον πρὸς τὸν δεσπότην τὸν ἑαυτοῦ ἐπιδεικνύμενος, καὶ ἥκιστά τι τῶν πιστευθέντων ἀποποιούμενος· τῇ δὲ λογισμῷ τῷ καθήκοντι, καὶ διανοίας νήψει, καὶ προσοχῇ, καὶ ἀκεραιότητι πρὸς τὸ ἐλευθέριον διαπορθμεύων οἷς προσήκει τὰ ἀναλούμενα. ἀφ' ὧν ἤδη τῆς προστασίας οἷα τῆς δεσποτικῆς ἀξιούμενος, καὶ

C

τὸ, εὖ δοῦλε ἀγαθὲ καὶ πιστὲ, κατακούσεται· ἐπὶ ὀλίγα ἦς πιστός· ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω, καὶ εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου αὐτοῦ ἐνδίκως εἰσελθεῖν προσταχθήσεται. τοιαῦτα δὴ ἐκείνου τοῦ οἰκέτου, καὶ τὰ γέρα καὶ τὰ ἔργα.

Ἐγὼ δὲ οὐ τῶν οἰκονομεῖν καὶ ἰθύνειν ταῦτα δεδυνημένων. τῶν δὲ οἰκονομεῖσθαι καὶ ἄγεσθαι δεδεημένων, μεμοιραμένος· ἐπειδὴ σμικρὸς ἄγαν, καὶ τῶν πάντων ἐλάχιστος, καὶ τηλικαύτης εὐμοιρίας πάμπαν καὶ εὐκληρίας ἀπολειπόμενος, καὶ διὰ ταῦτα οὐδὲ ἐκκλησίαν πιστεύεσθαι, ἥτις ἐστὶν ἀποστολικῶς οἶκος Θεοῦ, βεβουλημένος, τῷ ἀνισχύρῳ καὶ νωθεστέρῳ τῆς φύσεως καὶ τῷ ἐνδέοντι τῆς τῶν θειοτέρων μυήσεως, 'ἤπερ εἰπεῖν ἀναγκαιότερον· ὅτι μὴ τὰ ἑαυτοῦ εὖ θέμενος, μηδὲ τῶν ταπεινῶν, καὶ χαμαιζήλων ὑπερκύψας, οὐδὲ ψυχῶν προστασίαν καὶ ἐπιμέλειαν εἱλόμην ἂν ἐγχειρίζεσθαι πώποτε." οἷς γὰρ τῆς τῶν οἰκείας σπουδῆς οὐ μετέσχηκα βελτιώσεως. σχολῇ γ' ἂν οὗτοι τὰ τῶν πέλας εὖ διαθέσθαι ἱκανωθήσονται, καὶ ἅμα τῆς δωρεᾶς ἐκείνης καὶ χάριτος ἀνάξιον ἑαυτὸν κρίνων καὶ λογιζόμενος, καὶ ὀφελόν γε ὡς οὐ τοῦ μακαρισμοῦ ἐκείνου ἄξιος, μηδὲ τοῦ ἄθλιος εἶναι καὶ ταλανίζεσθαι δίκαιος, μηδὲ τῆς ἀντιθέτου μοίρας, καὶ τοῦ ὑπεναντίου φρονήματος ἐκείνου τοῦ πονηροῦ, καὶ κακούργου δούλου, ὃς διὰ πολλὴν ῥαθυμίαν τε καὶ ἀκρασίαν, τὴν τοῦ δεσπότου ὑπερτίθεται) ἔφοδον καὶ βαρὺς τοῖς συνδούλοις καὶ δυσφόρητος γίνεται, καὶ κοινωνεῖ μεθύουσιν· ἐφ' ὧν ἐπιστὰς οὐ προσδοκώμενος ὁ κύριος καὶ διχῇ διελὼν τοῖς ὑποκριταῖς συναριθμήσει, μηδὲ τοῦ πιστευθέντος τὸ τάλαντον καὶ ὑπὸ γῆν θεμένου καὶ κατακρύψαν-

LEONI PAPAE ANTIQVAE Romæ fratri & comministro per omnia sanctissimo beatissimoque Nicephorus Dei misericordia episcopus Constantinopolitanus in domino salutem.

MAGNVS revera, omnique laude, & admiratione dignus est, quicumque ejusmodi fidelis & prudens servus est, cujusmodi in sacris euangelii parabolis describitur: talis enim a domino super familia ejus constitutus, gregi sibi commisso, sermonem non supervacue, non prodige, non imprudenter, sed cum judicio ac pro egentium necessitate, & utilitate dispensans, suisque conservis tritici mensuram opportuno tempore dispertiens, & singulis tandem commode, certa cum proportione necessaria distribuens, non vulgarem apud dominum suum gratiam ac benevolentiam promeretur, promissæque beatitudinis bravium certe consequitur: enimvero in omnibus, quorum procurator institutus est, proficiens, promissisque obtinendis sedulo incumbens, ac fidem cum prudentia & dexteritate, nec non debitam curam solicitudinemque, ubiq; adhibens, suam erga dominum benevolentiam, gratumque animum egregie declarat. Quare cum neminem ex iis, qui fidei suæ concrediti fuerant, deperdat, verum convenienti prudentia, sensuumq; sobrietate & diligentia, & sinceritate salutem, libertatemque uniuscujusque impigre promoveat, & ad eam impetrandam necessaria præsidia subministret; fit ut dominico favore dignatus, adventuque ejusdem clementer visitatus; tamen lætũ illud euangelium audiat: Euge serve bone & fidelis, quia in paucis fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini. Hæc itaque fidelis illius servi, & opera & præmia sunt.

Cujusmodi debeat esse pastor, qui euangelica parabola catalogum & præmium olim sit sortiturus.

Extat apud Baronium an. 811. vetus ejusdem epistolę interpretatio, quam ex codice ms. Virdunensi descriptam misit ad eũ R.P. Fronto Ducæus S.I qui etiam primus Græcum textũ ab Hieron. Commelino excusũ versioni Peltanicæ è regione adjunxit.

Matth. 25. 23.

At vero ergo non is sum, qui isthæc rite moderari, dispensareque valeam; sed qui aliorum moderamine atque directione plane indigeam: sum enim admodum exiguus, vere omnium infimus, & hac tam pręclara sorte, tantaque functione penitus indignus, & proinde ecclesia, quæ domus Dei ab apostolo definitur, homini naturæ usque adeo infirmæ ac imbecillis, divinarumque purgationum beneficio majorem in partem adhuc destituto (ne quid aliud gravius dicam) nulla ratione committi debuerat, sed nec ego quoque, cum memetipsum regere apteq; componere necdum satis didicerim, neq; vilia illa & terrena satis adhuc despexerim, animarum curam gubernationemq; suscipere ullatenus debuerã, cum illi quoque, qui amplioribus & animi & corporis bonis cumulati sunt, administrationis hujus finem ægre admodũ consequi valeant. At posteaquam semel ad munus hoc, quo semper indignum me judicavi, & etiamnum judico, evectus sum, utinam si illud beatitudinis elogium non omnino promerear, eo saltem calamitatum miseriarumque non deveniam, ut perverso obstinatoque animi sensu a rectitudine abstractus, oppositam sortem, hoc est maligni illius servi cladem fortunamque experiar: (hic enim cum ignaviæ intemperantiæq; plurimum indulgens domini adventum negligeret, & gravẽ præterea, intolerabilemque suis sese conservis exhiberet, & cum ebriosis commerciũ societatemque haberet, repentino domini sui adventu divisus, eamdemq; cum hypocritis partem in sulphureo stagno sortitus legitur) aut certo illius,

Submisse de se sentit, & loquitur Nicephorus episcopus.

Matth. 25.

illius, qui cum talentum acceptum defodisset, & sub terra occuluisset, acerbe graviterque accusatus, non solum fœnus, & illud multiplicatum postulatur, verum ipso quoque capitali despoliatus, in tenebras exteriores abjicitur. Vtinam in horũ numero non inveniar, neque in exemplum derisionemque & capitis motionem omnibus intuentibus propositus, ab eoque, qui omnia nostra novit & scrutatur, redargutus & condemnatus, meritas iniquarum actionum pœnas olim exolvere compellar, ita ut ii qui in similes forte noxas lapsuri erant, meo exemplo supplicioque admoniti a scelere se contineant, vitamque corrigant.

Niceph. ecclesiæ Constant. episc. brevem vitæ suæ historiam texit.

Quoniam ergo Deo permittente & connivente jugum istud subii, præsensq; ministerium & famulatũ invite ac tantum non per vim suscepi, qualis mihi annis retro actis functio vitæq; ratio extiterit, quemadmodũ omnibus propemodũ compertũ est, breviter expediam. Itaq; aliis aliud est studium, opusq; majus vel minus, prout uniuscujusque fert libido, & quivis, quod profuturũ sperat, suopte arbitratu sibi eligit: quemadmodum enim variæ hominum sunt sententiæ, variaque consilia, diversę ad hęc consuetudines & mores; ita etiam electiones, ritusque vivendi variis modis inter se secernuntur, & quodammodo ad infinitatẽ quamdam perveniunt: quidam namque mechanicæ vitæ exercitationem quantumlibet vilem, miserabilem, incertamq; tolerare decreverunt. Alios agriculturæ laboribus molestiisque addictos videas: nonnulli mercaturæ quæstu, opumq; congerendarum studio ducuntur. Nec desunt, qui peregrinorum locorum lustrandorũ desiderio acti, navigationis periculis sese exponant, & ne singulis recensendis immorer, alii alias operosas artes consectantur, pauci selectiores solitariam illam philosophicamq; vivendi rationem complexi, animos simul & corpora exercent, ac purgant, Deoque hac ratione appropinquare, & ad cælestem illam beatamq; vitam pertingere contingunt. Quosdã præterea comperias, qui eloquentię, logicarumq; scientiarum ac disciplinarũ exercitationi dediti, honestisque moribus exculti mentes suas musarũ officinas constituant, denique, ut unicuiq; gratũ amicumq; fuerit, suæque naturæ propensio tulerit, ita aliud atque aliud vitæ genus complectitur.

At vero meæ vitæ ratio ejusmodi extitit, simul atq; virilem togam sumpsissem, mox in principũ aulas abreptus, munus adeptus sum minime vile, aut ignavum, sed expeditũ & ingenuum, quippe quod manuum calamorumq; industria majorẽ in partem perficeretur: creatus sum enim regius notarius, cujusmodi a secretis Latini appellant. porro huic ministerio aliquãdiu obstrictus, humanisque negotiis implicatus, vitæ præsentis instabilitatem serio mecum pertractare cœpi. Cumq; post crebros variosq; cogitationum fluctus comperissem, difficile peneq; impossibile esse, qui hujusmodi negotiis mundanis distinerentur, illos ad sublimiora divinioraque aliquando pertingere posse: cogitaremq; nihilo secius hæc omnia ludicra, caducaque, illa vero seria æternaq; existere, decrevi certoq; apud me constitui, his quidẽ primo quoque tempore nuntiũ remittere, illis vere manibus pedibusq; deinceps incumbere. In mentẽ namq; veniebat satius esse, si, vel mediocriter in sublimioribus illis excellerẽ, probatusque viderer, quã si infimis illis comptissimus splendidissimusq; haberer. Multo rursus præstabilius, si me ipsum possiderem, mihiq; quodammodo lex essem, quam si aliena curarẽ. Hæc itaq; etiã atq; etiã expendens, omniaque, juxta præcellentissimi prophetæ vo-

Satius est guttam divinæ quam doliũ mundanæ sapientiæ possidere.

τος· καὶ διὰ τοῦτο πικρῶς ἐγκαλούμενος, καὶ οὐ τὸν τόκον μόνον καὶ τὸ πολυπλάσιον εἰσπραττόμενος, ἀλλὰ ζημιούμενος καὶ τὸ κεφάλαιον, καὶ σκότῳ παραπεμπόμενος τῷ ἐξωτέρῳ, εἴθε μὴ ἐν τούτοις ἁλοίην, παράδειγμα τοῖς πολλοῖς προτεθείην, καὶ εἰς κίνησιν κεφαλῆς τοῖς καθορῶσι λογισθείην ἐλεγχθεὶς ποτὲ καὶ κατακριθεὶς ὑπὸ τοῦ πάντα εἰδότος καὶ ἐξετάζοντος τὰ ἡμέτερα, καὶ ἀχθεὶς ὑπὸ μάστιγας πράξεων οὐχ ὁσίων δίκας ἱκανὰς εἰσπραχθήσομαι, ἵνα οἱ ἐπὶ τοῖς ὁμοίοις ὑπόδικοι φωραθέντες τῷ ἀπ᾽ ἐμοῦ πάθει σωφρονίζοιντο, καὶ τὴν διόρθωσιν ἐπιδέχοιντο.

Ἐπεὶ τοίνυν συγχωρήσει τε καὶ παραβάσει Θεοῦ ὑπὸ τὸν αὐτοῦ εἰσήχθην ζυγόν· καὶ ταύτην τὴν ὑπηρεσίαν καὶ διακονίαν οὐκ ἐθελοντὴς ἀναδέδεγμαι, ὅτι τρόπῳ βιαζόμενος, οἷά μοι τὰ περὶ τοῦδε, καὶ εἰς οἷον κεχωρήκασι καταστάσεως, ὡς πάντες σχεδὸν οἱ ἐνταῦθα ἴσασιν ἐρῶν ἔρχομαι. ἄλλῳ μὲν οὖν ἄλλο τι ἐπιτήδευμά τε καὶ τέχνημα, ἢ μικρὸν ἢ μεῖζον, ὡς ἂν αὐτὸς ἕκαστος τῷ αὐτεξουσίῳ ὁρμώμενος, καὶ τὴν αἵρεσιν τῶν πρακτέων ἐφ᾽ ἑαυτῷ φέρων προέλοιτο. ἐπειδὴ γάρ, καθάπερ πολυειδεῖς τῶν ἀνθρώπων αἱ γνῶμαι καὶ τὰ διαβούλια διάφορά τε τὰ ἤθη καὶ ὁ τρόπος παμποίκιλος· οὕτω δὴ καὶ αἱ κατὰ τὸν βίον αἱρέσεις διατέμνονται πολυτρόπως καὶ διασχίζονται, καὶ εἰς ἄπειρον ποικιλίας τε καὶ πλήθους ἐπιδιδῶσιν. ἔνιοι μέν, τὸν βαναύσων τοσοῦτον δὴ τὸν οἰκτρὸν καὶ πεπλανημένον ἀνελέσθαι προῃρήκασι βίον· ἄλλοι τῆς γεωργίας τὸ πονικὸν ἐξεπιτηδεύσαντες φαίνονται· τινές, τῆς ἐμπορείας διακληροῦνται τὸ φιλοκερδὲς καὶ φιλόπλουτον, ἢ τῆς ναυτιλίας τὸ φιλαπόδημόν τε καὶ φιλοκίνδυνον, καὶ ἄλλοι δὲ ἄλλης τῆς τῶν χειροτεχνῶν ἐργασίας· ἵνα μὴ καθέκαστον λέγωμεν· προΐστασιν· ἕτεροι δὲ καὶ ὀλιγοστοί πως εἰσὶ καὶ ἔκκριτοι, οἱ τὸν ἀσκητικόν τε καὶ φιλόσοφον ἀσπασάμενοι τρόπον, ψυχὰς ὁμοῦ καὶ σώματα διεκάθηραν, καὶ ταύτῃ Θεῷ πλησιάζειν ἠξίωνται, καὶ εἰς τὴν ἄνω λῆξιν καὶ μακαρίαν ἐπείγονται, ἢ λογιότητι ἐλλογικῶν ἐπιστημῶν καὶ τεχνῶν κατακοσμούμενοι, καὶ ἤθεσι χρηστοῖς σεμνυνόμενοι τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς ἐμουσούργησαν, καὶ ὡς ἑκάστῳ λοιπὸν ἡδὺ καὶ φίλον ἐδόκει, καὶ τῷ ἐπιβόλῳ τῆς φύσεως ἐξεγένετο.

Ἐμοὶ δὲ οὕτω τὰ τῆς παρούσης βιοτῆς περιέστηκεν. ἡνίκα τοίνυν εἰς ἄνδρας ἐτέλουν, τὸ νέον τῆς ἡλικίας παραμειψάμενος, ἤδη περὶ τὰς βασιλείας ἐπιχωριάζων αὐλάς, στρατείας τινὸς ἐπεκύρησα, καὶ ταύτης οὐκ ἀεργοῦς καὶ ἀνειμένης, ἀλλὰ τῆς διὰ χειρῶν καὶ καλάμων ἐκπονουμένης. καὶ γὰρ τῶν βασιλικῶν ὑπογραφεὺς ἐτύγχανον ὤν. ἀσηκρῆτις δὲ τούτους καλεῖν εἰωθυίας τῆς Λατινίδος γλώττης ἴσμεν ἐκφώνημα. ἐν ταύτῃ ἐπί τινας χρόνους ἐπιζυγούμενος, καὶ ἀνθρωπίνοις περιδεσμούμενος πράγμασιν, εἰς συναίσθησιν τῶν ἐν τῷδε τῷ βίῳ ῥευστῶν ἐλθών, "βουλὰς ἀνείλιττον, καὶ λογισμοὺς ἀνεκίνουν," ὡς ἄρα χαλεπὸν καὶ δυσκατόρθωτον, τοὺς τῇδε ἐνησχολημένους τῶν ὑψηλοτέρων ψαύειν, μάλιστά τις ἐπιτυχὼν τῆς κρείττονος ἐλπίδος, οὐκ ἂν διαμαρτήσει. τὰ μὲν γὰρ παιζόντων, τὰ δὲ σπουδαζόντων εἶναι ἐνόμιζον, ἐκείνοις τὸ χαίρειν ἔφραζον καὶ τούτων περιέχεσθαι ὅση δύναμις, καὶ βέλτιον ἐν τούτοις εἰσορᾷν ἐμαυτὸν διεσκοπούμην παρευδοκιμούμενον, ἤπερ ἐκείνοις φανῆναι τὸ λοιπὸν καθωραϊζόμενον, καί με, ὡς ἔχειν ἐμαυτῷ νομοθετεῖν, καὶ προφητῶν ὁ ἄριστος ἐξεπαίδευε,

δὲ, καὶ πάντα ματαιότης ματαιοτήτων τὰ τῇδε, καὶ τίς περισσεία τῷ ἀνθρώπῳ ἐν παντὶ μόχθῳ αὐτοῦ, ᾧ μοχθεῖ ὑπὸ τὸν ἥλιον; ἄλλος σοφὸς παρηγγύησε. παράγειν τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου, τὸ σκεῦος τὸ θεόλεκτον ἀνεκήρυττε, καὶ ἄλλων δὲ γραφῶν ἱερῶν τούτοις παραγγελλουσῶν κατανουτιζόμενος παραπλήσια, καὶ ἅμα ἐν νῷ ἔχων, ὅπερ παρά τινι τῶν θύραθεν ἐπὶ σοφίᾳ διαβεβοημένων ᾀδόμενον ἔγνωμεν, κρεῖσσον ἰδιωτεύειν, ἢ μεγίστην ἔχειν ἐξουσίαν, μηδὲν ἄξιον ἐπιτελεῖν μέλλοντα· καθάπερ σκηνὴν τὴν παροῦσαν ὡς ἀπανθοῦσαν δόξαν ἐπεκερατόμησα.

Καὶ πρὸς τὴν ἐμαυτοῦ ἐπίσκεψιν ἤδη τρέπομαι αὐτίκα. διόπερ δὴ εὖ παρασχὼν οἷα Θεοῦ συλλαμβανομένου μοι, τοῦ τε ἀξιώματος ὑπερόπτης καθέστηκα, καὶ τῆς βασιλείου αὐλῆς καὶ τῶν ἀστικῶν θορύβων πόρρω που ἀπαγόμενος διεσκήνωμαι. ἐσχατιὰν γοῦν τινα καταλαμβάνω καὶ ἀκρώρειαν, τραχεῖάν τε οὖσαν καὶ δυσπρόσοδον· σταδίοις οὐκ ὀλίγοις περὶ τὴν Προποντίαν χώραν, τοῦ βασιλείου διειργομένην ἄστεος. κἀνταῦθα τὰς διατριβὰς ποιεῖσθαι ἐσπούδαζον, ὡς ἄρα εἰ δυναίμην, τοῦ μονήρους βίου ἐφαπτόμενος. καὶ τοῦτο γὰρ ἠπειγόμην ἐκ πλείονος, καί τις ἔρως εἶχε τῆς ἐρημίας καὶ ἡσυχίας δεινότατος, μήτε ἀλλαχόθι ποῖ τὸ τέρμα τῆς ζωῆς, ἢ ἐνταῦθα ἀπολήψεσθαι. ἀλλ' ἐπειδή γε οὐ πᾶσιν ἅπαντα κατὰ γνώμην ἐκβαίνειν οἷόν τε. ἀλλ' ἔστιν ἐφ' οἷς καὶ τὸ χρεὼν ἐπρυτάνευσε καὶ ὡς ἂν βούλοιτο Θεὸς, τὸ πέρας τῶν ἐγχειρήσεων ἐπιτίθησι· συμβέβηκε τοῦτο τοίνυν καὶ ἐπ' ἐμοί· καὶ τῶν κατὰ νοῦν διημάρτηκα, καὶ οὐκ οἶδα οἷς κρίμασιν ὁ ταῦτα συγχωρήσας, καὶ παριδὼν Θεὸς ἐξεπίσταται, ἀπεσπάσθην τῆς φίλης ἐρημίας, καὶ ἐπὶ τὴν βασίλειον ἤχθην, ὡς ὑπὸ Θεῷ μάρτυρι, ψήφῳ καὶ κρίσει τῶν τηνικαῦτα ἐν τοῖς βασιλείοις ἐνιδρυμένων θώκοις, τοῦ τε κοινοῦ τῆς ἐκκλησίας ἱεροῦ συστήματος καὶ τῆς συγκλήτου βουλῆς, συμβεβολόντων ἀπαραίτητά τε καὶ ἀσυγχώρητα. ἐπείπερ ἤδη τῆς βασιλίδος ὁ πρόεδρος τὸν βίον μετήλλαξεν, οἷά περ ἄνθρωπος τὸν ἀνθρώπινον, οἵ γε καίτοι πολλὰ ὑπερτιθέμενον καὶ ἀπαυθαδιαζόμενον ἐπὶ τὸν ἱερατικὸν τουτονὶ θρόνον προήγαγον, τυραννίδος μᾶλλον ἢ πειθοῦς ἔργον γινόμενον.

Ἐπεὶ οὖν καὶ μὴ βουλόμενος τὸν ζυγὸν τόνδε ὑπέδραμον, καὶ τὰς φροντίδας ἀναδέδεγμαι οὐκ ἀξίως, οὐδὲ ὡς πρέπει τῇ χάριτι, δέδοικα μὲν πρῶτον τὰς ποικίλας καὶ πολυπλόκους μηχανουργίας τοῦ σοφιστοῦ τῆς κακίας, καὶ τῶν πονηρῶν καὶ ἀοράτων πνευμάτων τὴν ἐπανάστασιν, μήποτε γυμνὸν καὶ ἄοπλον τῶν ἐκ τῆς ἀρετῆς κατορθωμάτων ἐπειλημμένα. οὔπω γάρ με τοῖς πνευματικοῖς καὶ θείοις παιδοτριβούμενον ἔγνωσαν, ἢ τῇ κατ' αὐτῶν ἐγγεγυμνασμένον ἢ διαγωνισάμενον πάλῃ προσέβλεψαν, τοῖς τῆς ἁμαρτίας τιτρώσκοντες βέλεσι τὸ τῆς ἐκκλησίας θεόλεκτον ὑπορρήξωσι σίφος, καὶ τὴν εὔτακτον ταύτης παράστασιν διαλυμήνωνται τῷ τοῦ ἀβούλως καὶ ἀμαθῶς ταξιαρχοῦντος ἐπικαγχάσαντες πτώματι· ἔπειτα δὲ ἰδὼν καὶ τῆς ἀρχῆς τὸ ἐπείσακτον καὶ ἐπίφθονον τῶν βασκαινόντων ὑφείδομαι τὸ δολερὸν καὶ κακόηθες οἳ πάντῃ ἐπιτηρεῖν σπουδάζουσι τὰ ἡμέτερα εὖ τε

A vocem, vanitati subjecta esse, nihilque homini de universo labore, quo laborat, sub sole superesse, juxta sapientis doctrinam, & mundi hujus figuram præterire, juxta vasis electionis sententiam, in animo habens, multas præterea alias scripturas in eumdē sensum differentes sedulo expendens, & celeberrimi cujusdam philosophi dictum tacitus mecum revolvens: præstat (inquit ille) privatum agere, quam maximam obtinere potestatem, si nihil egregium sis designaturus, omnem gloriam in præsentia blandientem veluti fabulam arbitratus sum.

Prov. 8.
I. Cor. 6.

Mox ergo ad mei ipsius considerationem animum vertens, certumque Dei auxilium mihi B spondens, omnem honorem, omnemque auctoritatem abdico, & ab aula regia civilibusque tumultibus me avellens, recessum quemdam rupemque asperam, & pene inaccessam occupatus studiis non paucis circa Propontidis regionem, a regia civitate discedo, ubique ætatem agere, vitæque solitariæ (cujus incredibili quodam desiderio jamdudum ante tenebar) periculum facere, neque alibi quam illo in loco extremum vitæ spiritum edere, firmiter apud me constituo. Sed quoniam fieri nequit, ut omnia omnibus ex animi sententia succedant: (in multis namque quasi fatalis quædam necessitas dominatur, humanique conatus exitum, non qualem homo, sed qua-C lem Deus vult, non raro sortiuntur) accedit hoc ipsum, nempe ut animi propositique mei spe fructrarer, & mihi quoque: Etenim a grata illa amicaque solitudine, nescio quo judicio (Deus, qui permisit, aut ita etiam ordinavit, novit) ad regium palatium abstractus, certe illorum voluntate, qui per id tempus regni solia obtinebant, communique totius cleri ac senatus, inexcusabile quoddam inevitabile facinus machinantium suffragio (quod regiæ civitatis præsul vita excessisset, & ut homo debitum exolvisset) ad hanc episcopalem sedem invitus, multumque reclamans (testis est mihi Deus) provectus, & D tyrannide potius quam consulto, aut ulla omnino persuasione, aliis gubernandis præfectus sum.

Niceph. invitus multumque renitens instituitur Constantinopolitanus episcopus.

Quia ergo, licet invitus, colla jugo submittere, animarumque curam, neque digne, neque caritati quoque satis consentanee suscipere coactus fui, varia apprimeque perplexa totius malitiæ auctoris machinamenta, ac laqueos, malignorumque ac inaspectabilium spirituum insultus, innatamque eorumdem sævitiem non parum metuo, ne videlicet incogitantem, omnibusque virtutum ornamentis præsidiisque distitutum, repente invadant: (Norunt enim me in spiritualibus, divinisque exercitationibus necdum satis institutum, E sed neque ignorant quoque artis pugnandi adversus ipsos hactenus me minime peritum esse) nec non peccatorum jaculis convulnerent, eaque ratione ecclesiasticum gregem dissipent, ac aciem bene ordinatam conturbent, & ruinæ tandem indocte imperiteque prælium dirigentis petulantius insultent. Ad hæc cum videam dominatum omnem invidiæ plerumque obtrectationumque telis obnoxium esse, invidentium dolos, eorumdemque pravitatem non mediocriter suspectam habeo, ut qui res nostras, sive bene, sive

Dominatus omnis invidia ac maledicentia jaculis expositus.

ſecus habentes curioſiſſime obſervare ſolent. A Nam dum trabes in oculis ſuis non animadvertunt, neque lippitudinem ſuis luminibus adimere ſatagunt, aliorúm feſtucas curioſe inquirunt; rerumque admodum tenuium viliumque, & nullius pene momenti cauſa, linguas ſuas contra primates impie virulenterque exerunt: & utrimque amarulenter ſceleratequo jaculantur.

Verum certamine hoc cum his tantæ potentiæ hoſtibus ſuſcepto, cujus alterius opem, ac patrocinium implorem commodius, quam illius, qui hæc permiſit, hoc eſt Dei? ejus proinde virtutem auxiliumque jugiter invoco, eumdemque, ut benevolo miſericordique o- B culo ad meam tenuitatem reſpiciat, dextraque manu me fulciat, & ad ſuam voluntatem ſalutaremque ſubditorum gubernationem ſemper dirigat, etiam atque etiam rogo. Qui quidem ſi in præſentibus difficultatibus ac moleſtiis opem ſuam obſcurius declarat, id propter noſtram accidit malitiam, quo nimirum hac nos ratione ad vitæ emendationem alliciat: Vel ideo ſane, quo illorum in nos malignitatem ac perverſitatem palam faciat, ne ſub dolorum virulentia callide in animo occultata, maneat incognita, ſed quodcumque occultum abditumque in illorum animis deliteſcit, id totum in lucem proferatur.

Cur Deus vota noſtra non ſtatim audiat.

Prov. 18.

Niceph. epiſcopus Romani Pont. precibus oblatæ ſe commendat.

Quia ergo frater a fratre adjutus, eſt veluti civitas munita, palatiumque repagulis obfirmatum (quemadmodum Salomon alicubi teſtatur) plurimum quidem orationis imploro, ſicut plurium quoque præſidii indigeo: At omnium vero maxime ſanctas ſanctæ & in ſpiritu deſideratiſſimæ fraternitatis veſtræ preces, & ad Deum interceſſiones in præſentia exopto, eaſdemque ſummopere deſidero. Cum enim tuæ preces haud ſecus atque Moyſis & Samuelis, aut ſi quiſpiam alius unquam his ſimilis extitit, ob ſui puritatem maxime Deo appropinquent, rectaque ad cæleſte illud & ſpirituale altare ferantur, non dubitamus, quin D maximam ille nobis opem, utilitatemque allaturæ ſint. Opem proinde meæ ferte infirmitati, ſanctaſque veſtras manus in altum ſuſtollite: Confidimus enim efficaciam veſtræ fiduciæ non defuturam, ſed Dei miſericordiam benignitatemque, per hanc provocatam, repente nobis adfuturam, noſtramque infirmitatem, ac debilitatem confirmaturam corroboraturamque, quo fidei loricam induti, & ſpei galea circumtecti, intrepide poteſtatibus, principibus, & tenebrarum ſæculi hujus potentatibus, ſpiritus quoque malitiæ, quibuſcum perpetua nobis lucta intercedit, obſiſtamus, & ſtabilem inconcuſſamque animi con- E ſtantiam retineamus. Rebelles præterea huc-uſque adverſantes, dextre decenterque Chriſto lucrifaciamus, & veluti adoptionis filios ſanctæ Dei eccleſiæ reſtituamus, oues ad hæc rationalis electique gregis Chriſto perficiamus, & in ſacras eccleſiæ caulas, ne a lupis immaniter dilacerare ſolitis capiantur, inducamus, quo omnes tandem conſenſionis, concordiæque ſignaculis muniti, nullis deinceps inſidiis, nullis diſcerpantur morſibus, ſed Chriſto omnium noſtrum capiti ſubjiciantur eidemque pronia & obedientia colla ſubmittant.

Ephes. 6.
1. Theſſ. 5.

Paſtor ſi divinum luce

Orate, obſecro, inſtanterque rogate, ut

A καὶ ὡς ἑτέρως ἔχοντα· τὰς μὲν δοκοὺς τοῖς ἑαυτῶν ἐπικειμένας οὐ βλέποντες ὄμμασιν, οὐδὲ τὴν λήμην ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν περικαθαίρειν αἱρούμενοι, ἀλλότρια δὲ κάρφη περιεργαζόμενοι, καὶ σμικρῶν ἄγαν καὶ εὐτελῶν ἕνεκεν, καὶ τοῦ μηδενὸς λόγου ἀξίων τὰς γλώσσας τὰς ἑαυτῶν κατὰ τῶν προεχόντων ἀνοσίως ὁπλίζουσι καὶ ἀμφοτέρωθεν πικρῶς καὶ ἀδικώτατα βάλλουσι.

Ἀλλὰ τουτονὶ ἀναδεδεγμένος τὸν ἀγῶνα, τίνι λοιπὸν ἀρωγῷ καὶ συλλήπτορι χρήσομαι, ἢ τῷ ταῦτα παρακεχωρηκότι Θεῷ, παρ' οὗ ἐξαιτῶ ῥοπὴν καὶ βοήθειαν, B εὐσπλάγχνῳ καὶ εὐμενεῖ ὄμματι ἐπὶ τὴν ἐμὴν ἐπιβλέψαι μετριότητα, κρατῆσαί τε τῆς χειρὸς τῆς δεξιᾶς, καὶ ὁδηγῆσαι πρός τε τὸ αὐτοῦ θέλημα καὶ τῶν ἐγχειρισθέντων πρὸς σωτηρίαν κυβέρνησιν. ὅς γε καὶ ἀναβάλλεται ἐπὶ τοῖς δυσχερέσι τούτοις καὶ ἀνιῶσιν· ἢ διὰ τὴν ἡμετέραν κακίαν καὶ βελτίωσιν ἐπανάγων ἡμᾶς, ἢ πρὸς τὸ ἐκείνων εἰς ἡμᾶς παραγυμνοῖσθαι τὸ κακοῦργον καὶ δύστροπον, ὡς ἂν μὴ λανθάνῃ πικρία ὕπουλος, ἐν ψυχῇ δολερῶς ἐμφωλεύουσα, ἀλλ' εἰς προὔπτον ἐξέλθοι καὶ ἐμφανὲς τὸ κρυπτόμενον.

C Εἰ δὲ ἀδελφὸς ὑπὸ ἀδελφοῦ βοηθούμενος, ὡς πόλις ὀχυρὰ, καὶ μεμοχλευμένον βασίλειον, καθὰ τὸ Σολομώντειον, ἡμᾶς νενουθέτηκε. δέομαι μὲν καὶ ἄλλων πλειόνων εὐχῶν εἰς βοήθειαν μάλιστα δὲ πάντων, τῆς ὑμῶν ἐν πνεύματι ποθεινοτάτης καὶ ἱερᾶς ἀδελφότητος, ἱεραῖς εὐχαῖς καὶ πρὸς Θεὸν μεσιτείαις κεχρήσομαι, ὡς μεγίστην ἡμῖν φερούσαις ὄνησίν τε καὶ ἐπικούρησιν, οἷα Θεῷ πλησιαζούσαις, καὶ πρὸς τὸ ἄνω καὶ νοερὸν ἀναφερομέναις θυσιαστήριον, καθαρῶς προσομιλούντων ὑμῶν καὶ ἀκροωμένων, σιγώντων τε καὶ ἐπιβοωμένων. καθάπερ οἱ περὶ Μωυσέα καὶ Σαμουὴλ ἠ- D κούοντο, καὶ εἴ τις ἄλλος κατ' αὐτοὺς περὶ τῷ πνεύματι. διὰ τοῦτο συλλαμβάνεσθέ μου τῇ ἀσθενείᾳ, καὶ χεῖρας ὁσίας εἰς ὕψος διάρατε. πεπείσμεθα γὰρ ὑπεῖναι ἀπὸ τῆς παρρησίας τὴν δύναμιν, ἄνωθεν ἡμῖν τὸν ἔλεον ἕλκοντες, καὶ ἵλεων τὸν Θεὸν ἡμῖν ἐργαζόμενοι· δυναμῶσαι καὶ ἐπιρρῶσαι τὸ ἀσθενές τε καὶ ἄτονον, καὶ τὸν θώρακα ἠμφιεσμένους τῆς πίστεως καὶ τὴν περικεφαλαίαν περιβαλλομένους, στῆναι γενναίως πρὸς τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας, καὶ τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας, πρὸς ἃ ἡμῖν ἡ πάλη καθέστηκεν, ἑδραῖόν τε καὶ ἀκατάβλητον τῆς ψυ- E χῆς ' φυλαχθῆναι τὸ σύντονον, ἔτι καὶ πρὸς ἀπειθοῦντας καὶ ἀντιτείνοντας, αἰσίως καὶ δεξιῶς φέρεσθαι, καὶ ὡς τέκνα τούτους τῆς ἐκκλησίας υἱοποιεῖσθαι, καὶ πρόβατα ' λογικῆς τῆς ἐκλεκτῆς τοῦ Χριστοῦ ποίμνης καταρτίζοντες, καὶ τῇ θείᾳ μάνδρᾳ τῆς ἐκκλησίας ἐναυλίζεσθαι παρασκευάζοντες, ἀνάλωτα τοῖς ἀνηλεῶς σπαράσσουσι λύκοις γίνεσθαι τοῖς ὁμονοίας καὶ συμπνοίας σημαντῆρσιν ἐσφραγισμένους, ἀνεπιβουλεύτους καὶ ἀτρώτους ' ὑπάρχοντας· ἵνα τῇ πάντων ἡμῶν κεφαλῇ Χριστῷ τῷ ἀρχιποίμενι ὑποτάσσοιντο καὶ εὐήνιον αὐτοῦ τὸν αὐχένα ὑποτιθεῖεν.

' διαφέρεσθαι.
' λογικά.
' διαμ- τας.

Καθαρθῆναι δὲ ἡμᾶς καὶ λαμπρυνθῆναι, καὶ

γενέσθαι

γενέσθαι τέλεια τελείου φωτὸς γεννήματα, ὥστε A δύνασθαι καὶ ἄλλοις μεταδιδόναι λαμπρότητος καὶ καθάρσεως, δοθῆναι δὲ ἡμῖν λόγον ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματος εἰς τὸ πληροῦν τοὺς ἀκροωμένους πνεύματος, καὶ κηρύσσειν ἀόκνως καὶ συντονωτάτως τῶν καθ' ἡμᾶς μυστηρίων τὴν δύναμιν, χάριτι τοῦ τρανοῦντος γλῶσσαν μογιλάλων, καὶ πόδας ὀρθοῦν δυναμένου χωλεύοντας, καὶ τρέχειν καλῶς πρὸς τὴν τοῦ εὐαγγελίου ἑτοιμασίαν κρατύνοντος καὶ στηρίζοντος· πολλαπλασιάσαι δὲ τὸ συγχωρηθὲν τάλαντον καὶ ἐν καιρῷ ἀποδοῦναι σὺν τόκῳ τῷ δεσπότῃ τὸ ὀφειλόμενον, ἐργάζεσθαι δὲ εἰς τὸν καλὸν ἀμπελῶνα, καὶ τὸ δόκιμον τῆς ἐργασίας ἀπενέγκασθαι, B διενεγκόντας μὲν τῶν πόνων μεγαλοψύχως τὸ βαρύ τε καὶ δυσαχθέστατον καὶ βαστάσαντας γενναίως τῆς ἡμέρας τὸν καύσωνα, καὶ τοῖς περὶ τὴν ἑνδεκάτην εἰσιοῦσιν ἀσυμφώνως ἐν τῇ διανομῇ τῆς μισθαποδοσίας συγκαταλεχθήσεσθαι· αὐγασθῆναι δὲ ἡμῶν τῆς διανοίας τὸ ὀπτικόν, καὶ τῇ διόπτρᾳ ἐνατενίζοντας τῇ τοῦ πνεύματος, ὥστε προφητικῶν φωνῶν ἀκροατὰς γίνεσθαι, θείων τε προσταγμάτων προθύμους ὑπηρέτας καὶ τούτου ὑποδεδεγμένους τὴν δωρεάν, τὸ θολοῦν τὸν τῆς ψυχῆς ὀφθαλμὸν καὶ τὸ ἐν ἡμῖν νοερὸν ἐπισκιάζον ἐκκαθαίρεσθαι καὶ ἀπονίπτεσθαι, πανταχόθεν μὲν C ἑαυτοὺς περιφρουρεῖν, καὶ συντηρεῖν ταῖς τῶν ἐναντίων βολίσι μένειν ἀπροσβλήτους· προβλέπειν δὲ τὴν ῥομφαίαν, ἡνίκα ἐπὶ τοῖς ἁμαρτάνουσι θεήλατος παραγίνεται, ἵνα εἰ μὲν οἷόν τε παράσχῃ Θεός, ὅ τε σημαίνων τὴν ἔφοδον τοῦ θείου ἐξιλεούμενος, αὐτός τε καὶ οἱ κηρυσσόμενοι ἐκ τῆς ὀργῆς διαφύγοιεν. εἰ δὲ μὴ τοῦτο, τὴν γοῦν ἐμαυτοῦ διασώσωμαι ψυχήν. κατὰ τὸν Λὼτ ἐκεῖνον, τὸν δίκαιον, ὃς σῶσαι τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν τοῦ ἐμπρησμοῦ διεπραγματεύσατο. καὶ τὰ μὲν τῆς ὑμετέρας εὐχῆς τε καὶ πνευματικῆς συμμαχίας ἐνταῦθα κείσθω. καιρὸς δὲ λοιπὸν πάρεστι, τὴν μεγάλην τῆς ἀληθείας σάλπιγγα, τὸν μεγαλοφωνότατον D τοῦ εὐαγγελίου κήρυκα, Παῦλον καταθρῆσαι τὸν ἀοίδιμον ἐπὶ τοῖς πάλαι πιστοῖς Ῥωμαίοις ἄγαν παρακαλούμενον, καὶ οἷον σκιρτῶντα τῷ πνεύματι, καὶ πρὸς τὸ τῆς πίστεως αὐτῶν σπουδαῖον καὶ θερμόν, μεγαφρονοῦντα καὶ φιλοτιμούμενον, καὶ μαρτυροῦντα, ἐφ' ὅλοις τε τοῦ κόσμου τοῖς πέρασι περιηχούμενον καὶ διαγγελλόμενον, καὶ μεγαλαυχοῦντα λέγειν· δι' ὧν αὐτοῖς ἐπιστέλλων φαίνεται, εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου, ὅτι ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. καὶ ἐπειδὴ ἡ καθ' ἡμᾶς τοῦ εὐαγγελίου καθαρὰ καὶ ἀκίβδηλος πίστις, καὶ E ὑπὲρ ἣν οὐκ ἔστιν ἑτέρα, οὔτε Ῥωμαϊκοῖς ὅροις συνεσταλμένη περιγράφεται, οὔτε πέρασι περικοσμίοις ὁρίζεται. ἐπὶ τοσοῦτον δὲ μᾶλλον ὑφήπλωται καὶ ὑπερκέχυται, καὶ προφητικαῖς καὶ ἀποστολικαῖς φωναῖς παρορμώμενος φαίην· εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ὁ τοῦ θείου κηρύγματος φθόγγος ἐξελήλυθε καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τῶν κηρυσσόντων τὰ ῥήματα. εἰ δὲ δεῖ καὶ τούτων εἰπεῖν ὑψηλότερον, αὕτη καὶ ἐν οὐρανῷ ταῖς ἀνωτάτω καὶ νοεραῖς δυνάμεσι παρρησιάζεται. εἰ γὰρ καὶ μία ἐκκλησία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς, καὶ ἐκκλησίαν πρωτοτόκων ἐν οὐρανοῖς δεδικαιωμένην ἐκεῖθεν ἀκούομεν, καὶ πόλις τῶν ἐν πίστει δεδικαιωμένων ἡ ἄνω Ἱερουσαλήμ· ἧς τεχνίτης καὶ δημιουργὸς ὁ Θεός· ὃ καὶ καταλλάξ

(margin: ...λαλον.)

A idem ipse nos illuminare, ac emundare dignetur, quo filii perfectæ lucis effecti, alios quoque illuminare, & emundare valeamus: sermonem nihilominus in apertione oris subministret, quo auditores nostros spiritu adimpleamus, & mysteriorum nostrorum virtutem impigre, magnaque cum contentione deprædicemus illius semper gratia subnixi, qui balbutientium linguas facit disertas, & claudicantium pedes, ut ad euangelii prædicationem alacriter currant, confirmat consolidatque: Talentum præterea concreditum multiplicet, ut tempore oportuno, id quod patrifamilias debetur, non absque fœnore restitui B contingat: Neque id solum nobis impertiatur, ut in fertili illa vinea operemur, sed laborum gravitate molestiaque æquo animo toleratis, æstuque diei exantlato, operationis quoque præmium referamus, & his, qui citra pactionem sub undecimam introierant in mercede consequenda æquemur. Denique mentis nostræ oculum illustret, ut spiritali luce illustrati, sublatoque & eluto, quod animæ aciem conturbabat, & intellectum nostrum obfuscabat, propheticarum vocum sensum liquidius hauriamus, divinorumque præceptorum ministeria alacrius obeamus, &, ne ab adversariorum jaculis impetamur, studiosius C caveamus, nosque custodiamus & iræ divinæ gladium peccatoribus imminentem cautius prævideamus, ut si quidem fieri potest, periculo intellecto, numineque placato, tam ipsi quam reliqui, quorum duces constituti sumus, venturam iram effugiamus. quod si utrumque consequi nequeamus, saltem animam meam, juxta justi illius Loth exemplum, qui animam suam ab incendio liberare satagebat, salvam faciam. Vestræ itaque preces, spiritualisque præsidii conatus huc tendant. At quia occasio ita tulit, lubet hoc loco magnam illam sonoramque buccinam, disertissimumque euangelii præconem apostolum Paulum audire. Hic itaque de veterum Romanorum fervore, eo- D rumdemque in fide & religione constantia majorem in modum in spiritu exultans, adeoque in epistola, quam ad ipsos scribit, non absque sancta quadam gloriatione, illorumque pietatem, & fidem toto terrarum orbe divulgari & celebrari jactans, publiceque contestans inter cetera ita scribit: Gratias ago Deo meo, per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. Sed nunquid pura illa sinceraque euangelii nostri fides, extra quam alia nulla est, inter Romanorum tantum fines conclusa tenetur? Nequaquam: Nulla enim il- E la certi cujuspiam loci terminis circumscribitur, verum tam late diffunditur, diffusaque propagatur, ut propheticæ apostolicæque voces erumpentes, in omnem terram divinæ prædicationis sonum exivisse, & in fines orbis terræ cælestium præconum verba personuisse, affirmare non dubitent. Imo vero, ut amplius quiddam dicam, illa ne ab ipsis quidem cælis, supremisque & intellectualibus virtutibus secluditur: Nam etsi superior illa ecclesia primogenitorum in cælis justificata, civitas eorum, qui per fidem justificati sunt, cælestis Hierusalem, civitatis conditor & opifex est Deus, (qui terrena cælestibus conciliabit,

destituatur, difficulter alios illuminaverit.

Ephes. 6.

Matth. 20.

Gen. 19. 22.

Rom. 1. 8.

Rom. 1.
Psal 18.
Fines non sunt loci sed urbis & orbis.

Rom. 8.

bit, & maceriem sepis diruit, & ovem perditam in humeros sublatam, per admirabilem descensum, inexplicabilemque demissionem, salvat, iis, qui perstiterant, inseruit, aliisque id genus nominibus appellatur, est tamen non alia, & alia, sed una eademque cæli terræque ecclesia. Quare, nec immerito, unam ubique, eamque indivulsam, per fidei concordiam, societatem obtinemus: Neque enim in Iudæa tantum notus est Deus, sed omni in loco, quocumque mens sensusve attingere potest.

Psal. 75.

Constantinopolis nova Roma.

Vnde & nos quoque, qui novæ Romæ nomen sortiti sumus, tanquam super uno eodemque fidei fundamento, apostolorum nimirum & prophetarum, sapientissimorum utique architectorum, Christo interim & Deo, omnium nostrum salvatore pro angulari lapide & fundamento substrato, ædificati, quod quidem ad fidei integritatem attinet, veteribus Romanis nequaquam credimus. Nam in sanctis Dei ecclesiis non est prioris, aut posterioris ratio, sicut neque Iudæi quoque & Græci, servi, & liberi, & barbari & Scythæ, sed omnes unum in Christo sumus. Quapropter & de nobis quoque divus Paulus glorietur, magnificeque sentiat, & nova antiquis conjungens, dogmaque dogmati, & prædicationem prædicationi committens, ex æquo de utrisque gestiat. Siquidem nos æque ac illi, illius doctrinam & institutionem assequuti sumus, in illisque consistimus radicati, & in fidei nostræ confessione confirmati: In qua etiam stamus & gloriamur nostramque, quam de religione usque adeò gloriosa, & inculpata habemus, sententiam aperta revelataque facie prædicamus. In qua & Deo quoque servimus, & dum spirabimus indefense perseverare, cælesti gratia corroborati, constabilitique, ex hac vita discedere peroptamus. Nec enim alia est via, ut præsentem hanc vitam recte sancteque instituamus, bonaque quæ dignis in futuro sæculo reposita sunt, certo consequamur.

Col. 3.

Confessio Nicephori episcopi Constantinopolitani Leoni Pont. Max. exhibita.

Fateor proinde, me credere in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium factorem, omnium herum & dominum: & in filium ejus unigenitum dominum nostrum Iesum Christum verum Deum verbum æternum, ab æterno ineffabiliter, incomprehensibiliter, modoque, quem nulla, neque spiritalis, neque sensibilis creatura assequi potest, ex Patre natum. Et in Spiritum sanctum vivificum, ac sanctissimum. Credo in homousiam Trinitatem, supersubstantialem, inaspectabilem, incomprehensibilem, impartibilem, inalterabilem, æternam, indivisam, simplicem, omnis partis, omnis compositionis, omnis corporis, omnis quantitatis & qualitatis expertem, eodem honore, eadem gloria, eadem deitate pollentem, nulli neque tactui, neque contactui obviam, omnis figuræ exortem, infinite bonam, lumen defectionis nescium, trilucem, supersplendidam, semper pari similique modo affectam, virtutem omnia intuentem, omniaque perficientem, omnibus cum ratione, tum intellectu quoque præditis spiritualiter indivulseque, & proinde per divinæ lucis radium præsentem, illuminata & existentia omnia, tam in esse, quam in bene esse convenienter, prout cujusque natura fert, conservantem. In rebus subsistentibus, & non in solis nudisque nominibus cognitam, una divinitate pari potentia æquali regni majestate glorificatam, ab omnibus aspectabilibus inaspectabilibusque creaturis cultam, & adoratam.

A τὰ ἐπουράνια τοῖς ἐπιγείοις καὶ τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λέλυκε, καὶ τὸ ἀπολωλὸς ἐπὶ τῶν ὤμων ἀράμενος διὰ ἀφράστου συγκαταβάσεως τοῖς σωζομένοις καὶ μένουσιν ἐγκατέμιξε· ταύτῃ τοι καὶ μάλα δικαίως τὸ ἑνιαῖον καὶ ἀδιάστατον ἔχομεν· ἣν κατὰ σύνεσιν καὶ σύμπνοιαν ἡ κτίσις τῇ πίστει συνοῖσεν. οὐ γὰρ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ μόνον γνωστὸς ὁ Θεός· σύνα

Καὶ οἱ τὸ νέον τῶν Ῥωμαίων ὄνομα κληρωσάμενοι, ἅτε δὴ ἐπὶ ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ θεμελίου ᾠκοδομημένοι τῆς πίστεως, φαμὲν δὴ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν πανσόφων τεχνιτευμάτων· τεθέντος ἀκρογωνιαίου λίθου τοῦ πάντων ἡμῶν σωτῆρος B Χριστοῦ, καὶ Θεοῦ, κατ' οὐδὲν ἐν πίστει τὰ δεύτερα τῶν πρεσβυτέρων ἀποφερόμεθα. ἐν γὰρ τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔστι τὸ παραριθμούμενον· καθάπερ οὐκ ἔστιν Ἰουδαῖος, οὐχ Ἕλλην, οὐ βάρβαρος, οὐ δοῦλος, οὐκ ἐλεύθερος· ἀλλὰ πάντες ἐν Χριστῷ ἕν ἐσμεν. οὐ Σκ τοιγάρτοι καὶ ἐν ἡμῖν ὁ θεῖος Παῦλος κομπαζέτω, καὶ αὐχείτω μέγα, καὶ σεμνυνέσθω συνάπτων τοῖς παλαιοῖς τὰ νέα, καὶ συγκρίνων ἔν τε δόγμασι καὶ κηρύγμασιν, οὗ καὶ ἡμεῖς ταῖς διδασκαλίαις καὶ ὑποθήκαις ἑπόμενοι, ἐφ' αἷς ἐρριζώμεθα κραταιούμενοι τῇ ὁμολογίᾳ τῆς πίστεως ἡμῶν, ἐν ᾗ ἑστήκαμεν καὶ καυχώμεθα, C καὶ τὰς ἡμετέρας ὑπολήψεις, αἵ τινές ποτε εἰσὶ περὶ τὴν οὕτως εὐκλεᾶ καὶ ἀμώμητον ἡμῖν θρησκείαν ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ διαπρυσίως κηρύσσομεν, μεθ' ἧς τῷ Θεῷ λατρεύομεν, καὶ ἣν ἀναπνεῖν διαπαντὸς, ἢ τὸν ἀέρα, ἀκλινῶς ἔχομεν· ἢ καὶ συναπέρχεσθαι τῆς ἐνθένδε ζωῆς κατηχυειζόμεθα, τῇ ἄνωθεν χάριτι δυναμούμενοι καὶ φρουρούμενοι, ὡς οὐκ ἔστιν ἄλλην ὁδεῦσαι ἢ ἐπιβιῶναι ἢ τὰ τῆς παρούσης ζωῆς εὖ θέσθαι ἢ τῶν ἐν τῇ μελλούσῃ ἀποκειμένων τοῖς ἀξίοις ἀγαθῶν ἐπιτεύξασθαι.

D Ὁμολογῶ τοίνυν πιστεύειν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, τὸν πάντων ποιητὴν καὶ δεσπότην καὶ κύριον, καὶ εἰς τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν· τὸν ἀληθινὸν Θεὸν, τὸν προαιώνιον λόγον, τὸν ἀνάρχως καὶ ἀφράστως ἐξ αὐτοῦ γεννηθέντα, ἀλήπτως καὶ ἀπερινοήτως πάσῃ νοητῇ καὶ αἰσθητῇ κτίσει, καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τὸ ζωαρχικὸν καὶ πανάγιον. Τριάδα ὁμοούσιον, ὑπερούσιον, ἀόρατον, ἀκατάληπτον, ἀχώριστον, ἀναλλοίωτον, ἁπλῆν καὶ ἀμερῆ καὶ ἀσύνθετον, ἀδιάστατον, ἀΐδιον, ἀσώματον, ἄποιον, ἄποσον, ὁμότιμον, ὁμόδοξον καὶ ὁμόθεον· ἀναφῆ τε καὶ ἀψηλάφητον, καὶ ἀσχημάτιστον, ἀπειράγαθον, E φῶς ἀειλαμπὲς, τριλαμπὲς, ὑπέρφωτον· ἀεὶ ὡσαύτως καὶ κατὰ τὰ αὐτὰ ἔχουσαν· πάντων ἐποπτικὴν καὶ τελειωτικὴν δύναμιν, πᾶσι τοῖς λογικοῖς τε καὶ νοεροῖς, νοερῶς καὶ ἀμερῶς τῇ προνοίᾳ τοῦ θείου φωτὸς ἐπιλάμπουσαν ἀναλόγως ταῖς τῶν φωτιζομένων παραδοχαῖς, καὶ πρὸς τὸ εἶναι διατηροῦσαν ἐν ὑφεστῶσι πράγμασι καὶ οὐ ψιλοῖς ὀνόμασι γνωριζομένην, μιᾷ θεότητι, καὶ ἐξουσίᾳ, καὶ βασιλείᾳ δοξαζομένην, καὶ προσκυνουμένην ὑπὸ πάσης ὁρωμένης καὶ ἀοράτου κτίσεως. προχύ καὶ οὐ

Τῶν ἐν τριάδι θεωρουμένων, τὸ μὲν, πατὴρ ἄναρχος καὶ ἀναιτίως ὑπάρχων. οὐ γὰρ ἔκ τινος, ἐν ἑαυτῷ γὰρ τὸ εἶναι ἔχων· τὸ δὲ υἱὸς καὶ οὐκ ἄναρχος, ἐκ τοῦ πατρὸς γὰρ, ἀρχὴ γὰρ υἱοῦ πατὴρ, ὡς αἴτιον. εἰ δὲ τὴν ἀπὸ χρόνου λαμβάνοις ἀρχὴν καὶ ἄναρχος. ποιητὴς γὰρ χρόνων οὐχ ὑπὸ χρόνον· γεννητῶς μὲν, ἀϊδίως δὲ καὶ ἀδιαστάτως ἐκλάμψας τῷ πατρί· ὡς ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ τῆς πατρικῆς χαρακτὴρ ὑποστάσεως· τὸ δὲ πνεῦμα ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς τὴν ὕπαρξιν ἔχον, οὐ γεννητῶς μὲν ἀλλ' ἐκπορευτῶς, ἀϊδίως πατρὶ καὶ υἱῷ συνθεωρούμενον, οὐκ ἄναρχον μὲν διὰ τὴν ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπόρευσιν· ἀρχὴ γὰρ καὶ αὐτοῦ ὁ πατὴρ κατὰ τὸν τοῦ αἰτίου λόγον· ἄναρχον δὲ καὶ αὐτὸ κατὰ χρόνον.

Εἷς οὖν Θεὸς ὁ πατὴρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ ἓν πνεῦμα ἅγιον, ἐν ᾧ τὰ πάντα, ἐκ τῶν τριῶν τελείων ἓν ὑπερτελὲς καὶ προτέλειον ἡ θεότης. τοῖς μὲν ἀφοριστικοῖς καὶ προσωπικοῖς ἰδιώμασι καὶ ἀλλήλοις διαφέροντα. ἕκαστον γὰρ τούτων, τῶν φύσει ἀχωρίστων διὰ τὸ συναφὲς τῆς οὐσίας, ἡνίκα ταῖς τοῦ νοῦ ἐπιβολαῖς μερίζεται Θεὸς ὁμολογεῖται παρ' ἡμῶν, καὶ πιστεύεται, πάντων πληρέστατον ὑπάρχον τῶν τῆς θεότητος ἰδιωμάτων. καὶ τὰ τρία ἀλλήλοις συναπτόμενα, εἷς Θεὸς παρ' ἡμῶν προσκυνεῖται, τριαδικῶς μὲν κατὰ τὴν ὑπόστασιν, μοναδικῶς δὲ κατὰ τὴν οὐσίαν, καὶ μοναρχία παρ' ἡμῖν τὸ τιμώμενον, οὐ πολυαρχία διὰ τὸ ἄτακτον καὶ στασιῶδες τῆς Ἑλληνικῆς ἐμβροντησίας καὶ συγχύσεως· μοναρχία δὲ, οὐχ' ἡ ἑνὸς προσώπου περιγραφὴ, διὰ τὸ ἀτελὲς καὶ στοιχειῶδες τῆς Ἰουδαϊκῆς πενίας καὶ νηπιότητος· ἀλλ' ἣν φύσεως ὁμοτιμία, καὶ γνώμης σύμπνοια, καὶ ταυτότης κινήσεως δείκνυσι, καὶ πρὸς τὸ ἓν ἡ τῶν ἐξ αὐτοῦ σύννευσις· ὅπερ ἐπὶ τῆς γεννητῆς φύσεως ἀμήχανον. ἥ φησιν ὁ μέγας ἐν θεολόγοις Γρηγόριος, καὶ οὐδὲν τὸ συνημμένον καὶ συμφυὲς τῆς ἐν τριάδι θεωρουμένης θεότητος διατέμνεται. ἀλλοτριούσθω γὰρ ἡμῶν, καὶ ἀποτεμνέσθω ἡ τοῦ μανιώδους Ἀρείου κακοδοξία καὶ λύσσα. ἀδιαίρετος γὰρ ἡ αὐτὴ τριὰς, δόξῃ καὶ ἀϊδιότητι μὴ μεριζομένη μηδὲ ἀπαλλοτριουμένη, οὔτε τῶν θεαρχικῶν ὑποστάσεων μεταπιπτουσῶν καὶ περιχωρουσῶν εἰς ἀλλήλας· ἀλλ' ἐφ' ἑκάστης τούτων ἀμεταπτώτου καὶ ἀσυγχύτου φυλαττομένης τῆς ἀϊδιότητος. πόῤῥω γὰρ ἀποπεμπέσθω καὶ ἀπελαυνέσθω ἡ τοῦ ματαιόφρονος Σαβελλίου ἀπατητικὴ σύγχυσις.

Σέβω δὲ καὶ προσκυνῶ τὸ πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ὡρισμένον μυστήριον, ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν χρόνων ἀποκαλυφθὲν ἐπὶ σωτηρίᾳ παντὸς τοῦ γένους ἡμῶν, καὶ ἐπιτελεσθὲν διὰ τῆς μεγάλης συγκαταβάσεως, καὶ ἀῤῥήτου οἰκονομίας τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας καὶ ζωοποιοῦ τριάδος Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν· ἵνα, ὅθεν ἡμῖν τὸ εἶναι ὑπῆρξε διὰ τὴν ἄφατον αὐτοῦ ἀγαθότητα, ἐντεῦθεν καὶ τὸ εὖ εἶναι ἡμῖν χαρισθείη. ὁμολογῶ οὖν καὶ πιστεύω, αὐτὸν τὸν ἕνα ζωαρχικῆς καὶ μακαρίας τριάδος

Trium autem hypostaseon, quas in Trinitate consideramus, alia est Pater, principio carens, nullam suæ existentiæ causam habens, neq; enim aliunde est, sed a seipso, & in seipso habet esse. Alia rursum & Filius, qui principii expers non est, ex Patre enim est: Pater namque Filii principium & origo existit. quod si temporis initium spectes, æque Filius principio caret, ac Pater: est enim temporum conditor, non subjectus tempori: Inseparabili autem, æternaque generatione ex Patre elucet, tanquam gloriæ illius splendor, paternæque substantiæ character: Alia tandem est Spiritus sanctus, ex Patre, non nativitate, sed processione substantiam habens, eamdemque cum Patre & Filio æternitatem sortitus. Æternus quidem, non tamen absq; principio, ut qui a Patre procedat: est enim Pater ratione originis & illius quoque principium: Verum ad tempus quod attinet, & ipse quoque principii expers est.

Pereleganss & profunda trium hypostaseon theoria.

Vnus igitur est Deus Pater, ex quo omnia, & unus dominus Iesus Christus, per quem omnia, & unus Spiritus sanctus, in quem omnia ex his tribus perfectis, una perfectissima, imo secundum se absolutissima constat deitas, proprietatibus sane distinctivis ac personalibus hypostases inter se sunt distinctæ. (qualibet namque personarum, etiam si propter essentiæ cõjunctionem ab altera secerni non queat, proprietate tamen personali, mentisque conceptu ab altera distinguitur, Deusque perfectus, hoc est omnibus deitatis proprietatibus ornata esse noscitur, & creditur) at unum interim divinitate sunt omnes. Rursus licet simul conjunctę tres sint, unus nihilominus adoratur Deus: Obtinet hic enim trinitas secundum substantiam, unitas etiam secundum essentiam. Atque ita contra insanam inordinatamque paganicæ vesaniæ confusionisque seditionem non polyarchia a nobis colitur, sed monarchia: Monarchia autem non unius personæ circumscriptione, ne Iudaicæ tenuitatis, infantiæque imperfectionem, ruditatemq; inducamus, sed quam naturæ æqualitas, sententiæ concordia, motionis identitas, idemque singulorum nutus ad unum declarat. Hoc autem secundum summum illum theologum Gregorium, in generabili natura locum habere non potest: Vnitas enim & cognatio deitatis in trinitate consideratæ nequaquam distrahitur, aut in partes secatur, ut fit in rebus creatis, dum supposita multiplicantur: Procul enim insana & furiosa Arii opinio & rabies a nobis facessat: est enim trinitas secundum gloriam, & æternitatem modis omnibus indivisa, nullaque ex parte abs sese alienata. neque ob id tamen divinæ personæ se mutuo permeant, hoc est, in se invicem transmutantur, sed harum quælibet indemutabilis manet, & inconfusa, & æterna: longe enim amandetur pellaturque insani stolidique Sabellii deceptoria confusio.

Qua hypostases, unũ; quo rursum inter se distincta.

Veneror quoque & adoro incarnationis mysterium, ante omnia sæcula prædefinitum, in novissimis vero temporibus ad totius humani generis salutem patefactum, & per magnum illum admirabilemque unius, sanctæ vivificæque trinitatis personæ, Christi nimirum veri Dei nostri descensum, ineffabilemque ejusdem dispensationem consummatum. ut unde per inexplicabilem ipsius bonitatem esse eramus sortiti, inde etiam ipsum bene esse acciperemus: Confiteor itaque & credo unicum opulentissimæ beatissimæque trinitatis

Brevis & elegans œconomia Christi explicatio.

 suppositum,

suppositum, ipsum videlicet Dei filium, & verbum, quod cum Deo Patre & Spiritu sancto in omne ævum simul adoratur & conglorificatur, utpote iisdem coessentiale & coæquale existens, infinita benignitate, & misericordia erga proprium plasma motum, accedente huc paterna voluntate, & miseratione, & sancti quoque Spiritus gratia, ejusdemque cooperatione de cælo descendisse, & cum hominibus conversatum esse, quo nos dudum propter peccatum damnatos, & e paradisi deliciis expulsos, corruptioniq; obnoxios, per gratiam salvaret, & divinæ naturæ participes efficeret: In utero enim virginis vere proprieque deiparæ inhabitans, & per Spiritum sanctum animam & carnem sibi adaptans, totamque nostram naturam, quemadmodum hominem in principio finxerat sibi asciscens prodiit Deus incarnatus.

Cur verbum matrem ex qua natus conservaverit virginẽ. Virginem quoque, quæ supernaturaliter & ineffabiliter pepererat, post partum virginem conservavit virginitate illius secundū naturam nulla ex parte demutata aut labefactata, ad designandū per secundæ nativitatis processum, nullā prorsus naturę illius accessisse mutationem, aut alterationem. Qui ergo ejusdem est cum Patre naturæ, nobis per omnia, peccato tantum secluso, factus est coessentialis: Etenim semine Abraham suscepto, carnis & sāguinis, perinde ac unus ex nobis factus est particeps, carnemq; anima intelligente vivificatam assumpsit, nullo quidem pacto ante summā illam unionem præexistentem, sed simul carnem, simul anima rationis compote animatam, simul Verbo unitam. Nec rursum secundum solam gratiam in nostra natura habitavit, sed totus toti humanæ naturæ conjunctus, inconfusam, indivulsam, supernaturalemq; unionem operatus est: Divina enim & humana natura inter se coeuntes in naturali sua proprietate indemutate persistunt perseverantque, nec ulla ex parte in se mutuo transformantur: Verumtamen propter naturalem illam coitionem, & copulam, nominum quoque communicationem mutuamque reciprocationem pie concedendam existimamus: quandoquidem propter physicam illam admirandamque coeuntium naturarum inter se unionem, non re, sed sola imaginatione, unius ejusdemque quamdam hic distinctionem statuimus.

Porro autem, quod cum naturarum distinctione, personæ singularitas ejusdemque unitas, indivulsa interruptaque semper consistat permaneatque, (Nā monstrosam impostoris Eutychetis, & Dioscori confusionem concretionemve procul hinc ablegamus) fit ut unum eumdemq; confiteamur creatum & increatum, æternum & temporaneum, cælestem & terrenum, circumscriptum & incircumscriptum, patibilem & impatibilem, sine matre & sine patre: alterum quidem propter ineffabilem, æternam, & omne sæculum antecedentem ex Patre nativitatem, alterum vero propter arcanam incomprehensibilemq; cum nostra natura unionem: Duas enim ipsius nativitates, omnem sensum, omnemque intellectum excedentes agnoscimus: Vnigenitus enim filius, cum forma Dei ac in sinu, hoc est, usia Patris esset, & ab æterno ex ipso eluceret, sub sæculorum finem semetipsum exinanivit, servilemque formam, hoc est, nostram substantiam suscepit.

Vnio in Christo dicit aliud & aliud, non alium & alium. Vnio itaque in Christo secundum hypostasin aliud ad aliud adjungit, puta visibile ad invisibile, patibile ad impatibile, ceteraque ex quibus salvator constituitur, non tamen aliū & alium

A τὸν τοῦ Θεοῦ υἱὸν καὶ λόγον τὸν τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι ἀϊδίως συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, ὡς ὁμοούσιον καὶ σύνθρονον ἀπείρῳ φιλανθρωπίᾳ κινούμενον πρὸς οἶκτον τοῦ οἰκείου πλάσματος, εὐδοκίᾳ πατρικῇ καὶ οἰκτιρμοῖς, χάριτί τε καὶ συνεργίᾳ τοῦ παναγίου πνεύματος, κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν τοῖς ἀνθρώποις συναναστραφῆναι· ἵνα τοὺς κατακριθέντας ἡμᾶς πάλαι τῇ ἁμαρτίᾳ καὶ τῆς τρυφῆς ἐκπεπτωκότας παραδείσου, καὶ τῇ φθορᾷ ὑπενηνεγμένοις χάριτι ἀνασώσηται, καὶ θείας κοινωνοὺς ἀπεργάσηται φύσεως. ἐνοικήσας γὰρ ἐν τῇ γαστρὶ τῆς παρθένου, καὶ κυρίως καὶ ἀληθῶς B θεοτόκου καὶ ψυχὴν καὶ σάρκα προσκαθαρθείσης τῷ πνεύματι, καὶ ὅλον εἰς ἑαυτὸν ἀνειληφὼς ἐξ αὐτῆς τὸ ἡμέτερον, ὥσπερ ἐν ἀρχῇ ζωοπλαστήσας τὸν ἄνθρωπον· προῆλθε Θεὸς σεσαρκωμένος μείνας τοῦτο ὅπερ ἦν Θεός· Παρθένον καὶ μετὰ τόκον τὴν ὑπερφυῶς καὶ ἀῤῥήτως τεκοῦσαν συντηρήσας· μηδαμῶς τῆς κατὰ φύσιν παρθενίας τραπείσης εἰς ἔνδειξιν ἀληθῆ τῆς κατὰ τὴν πρόοδον αὐτοῦ τῆς γεννήσεως ἀτρεψίας καὶ ἀναλλοιώτου διαμονῆς. ὁ τῷ πατρὶ γὰρ συμφυὴς ὁ ὁμοούσιος ἡμῖν κατὰ πάντα χωρὶς ἁμαρτίας γινόμενος, σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται, παραπλησίως ἡμῖν κεκοινωνηκὼς αἵματος καὶ C σαρκός· σάρκα ἐμψυχωμένην ἀνείληφε ψυχῇ λογικῇ καὶ νοερᾷ οὐδαμῶς προϋποστᾶσαν τῆς ἄκρας ἑνώσεως, ἀλλὰ μία σὰρξ ἔμψυχος λογικὴ ἐπὶ τῆς κατὰ Χριστὸν συμφυΐας πιστεύεται, οὐ κατὰ χάριν σκηνώσας ἐν ἡμῖν, ἀλλ' ὅλος ὅλῃ τῇ ἀνθρωπείᾳ φύσει συμπλακεὶς· ἀσυγχύτως, καὶ ἀδιαιρέτως καὶ ὑπερφυῶς τὴν ἕνωσιν ἐργασάμενος, ἵνα αἱ συνελθοῦσαι οὐσίαι θεότητός τε καὶ ἀνθρωπότητος, ἐν ἰδιότητι τῇ κατὰ φύσιν διαμείνωσι, καὶ οὐδαμῶς εἰς ἀλλήλας μεταβῶσιν. εἰ καὶ κατακλίσεις τῷ λόγῳ τῆς συμφυΐας παραχωρεῖν εὐσεβῶς νοοῦμεν διὰ τὴν τῶν ὀνομάτων ἐπίζευξιν. ἐπινοίᾳ γὰρ μόνῃ καὶ οὐ πράγματι D διΐστασθαι δοξάζομεν, διὰ τὴν ὑπερφυᾶ τῶν συνελθόντων ἕνωσιν.

Τὸ μοναδικὸν δὲ καὶ ἑνιαῖον τῆς ὑποστάσεως, φυλάττεσθαι πιστεύομεν ἄτμητον καὶ ἀῤῥαγὲς διαμένον. καταβαλέσθω γὰρ ἡ φαντασιώδης τοῦ ἀπαταιῶνος Εὐτυχίου, καὶ Διοσκόρου σύγχυσίς τε καὶ συνουσίωσις, ἐντεῦθεν τὸν αὐτὸν κτιστὸν καὶ ἄκτιστον ὁμολογοῦμεν. προαιώνιόν τε καὶ ὑπέρχρονον, οὐράνιόν τε καὶ ἐπίγειον, περίγραπτόν τε καὶ ἀπερίγραπτον, παθητόν τε καὶ ἀπαθῆ, ἀμήτορα καὶ ἀπάτορα, τὸ μὲν διὰ τὴν ἄῤῥητον, καὶ ἄναρχον, καὶ προαιώνιον ἐκ πατρὸς γέννησιν, E τὸ δὲ διὰ τὴν καθ' ἡμᾶς κρυφίαν τε καὶ ἀπερινόητον ἕνωσιν, καὶ δύο αὐτοῦ τὰς γεννήσεις κηρύσσομεν, ἀκαταλήπτους, καὶ ὑπὲρ λόγον τυγχανούσας. ὁ γὰρ ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν ἐν τοῖς κόλποις τοῦ πατρός· τουτέστιν ὁ ἐν οὐσίᾳ τοῦ πατρὸς προαιώνιος ἐξ αὐτοῦ ἐκλάμψας· ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων, ἑαυτὸν κεκένωκε, καὶ τὴν τοῦ δούλου μορφὴν ἀνέλαβεν, ὅ ἐστι τὴν ἡμετέραν οὐσίαν.

Εὐτυχ.

Ἡ ἐν Χριστῷ οὖν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσις, ἄλλο μὲν πρὸς ἄλλο τὰ ἐξ ὧν ὁ σωτὴρ, συνάγει· οἷον δὴ τὸν ἀόρατον καὶ ὁρώμενον, παθητὸν καὶ ἀκήρατον, οὐκ ἄλλον δὲ καὶ ἄλλον

μὴ

μὴ γένοιτο. Θεὸν τὸν αὐτὸν τέλειον ἀληθῆ καὶ ἄνθρωπον τέλειον ὁμολογοῦμεν· τὸ διάφορον τῶν φύσεων προσνέμοντες, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν γινώσκοντες, καὶ μετὰ τὴν σάρκωσιν, οὐκ εἰς δυάδα υἱῶν μερίζοντες, διὰ τὸ ἑτεροῖον τῶν συνδραμουσῶν ἐπὶ τῇ καθ' ὑπόστασιν ἑνώσει φύσεων, ἵνα ἐξωσθῇ τῆς θείας αὐλῆς ὁ παράφρων Νεστόριος, πάντα δὲ τὰ τῆς θεανδρικῆς αὐτοῦ ἐνεργείας ἐπιτελέσαντα. ὡς γὰρ Θεὸς ἐνήργει τὰ θεῖα, δι' αὐτῶν τὰς θεοσημείας καὶ τὰ θαύματα ἐργαζόμενος, ὡς ἄνθρωπος δέ, ὁ αὐτὸς τὰ πάθη καὶ τὰς ὕβρεις ἑκουσίως κατεδέξατο. διὰ τοῦτο μετὰ τῶν δύο φύσεων ἀκολούθως καὶ ἀναγκαίως, ἰσαρίθμους καὶ τὰς φυσικὰς αὐτοῦ ἐνεργείας δοξάζω, ὡς δηλωτικὰς καὶ συστατικὰς αὐτῶν τῶν οὐσιῶν ἤγουν φύσεων, κατὰ τὰς θεοσεβεῖς καὶ θεοπρεπεῖς τῶν θεοσόφων ἡμῶν πατέρων παραδόσεις. ὡσαύτως καὶ δύο θελήσεις ἤγουν θελήματα φυσικὰ τοῦ αὐτοῦ ἑνὸς κυρίου καὶ Θεοῦ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πρεσβεύω. θελητικὸν γὰρ αὐτὸν γινώσκω καθ' ἑτέραν τῶν φύσεων, ἐξ ὧν καὶ ἐν αἷς ὑπάρχει καὶ νοεῖται· ὥσπερ ἐνεργοῦντα οὕτω καὶ θέλοντα· ἐπὶ τὸ πάθος δὲ τὸ σωτήριον ἑκουσίως ἐλθόντα.

Πιστεύω αὐτὸν σταυρωθῆναι οὐκ ἐν ᾗ διαλάμπει σὺν τῷ πατρὶ οὐσίᾳ· εἰ καὶ τὸν κύριον τῆς δόξης ἐσταυρῶσθαι λέγεται τῷ λόγῳ τῆς ἀντιδόσεως· ἀλλὰ τῇ καθ' ἡμᾶς γεηρᾷ φύσει· καθ' ἣν τὸ χοϊκὸν ἡμῶν ἀνέλαβε φύραμα· καὶ κατάρα ὑπὲρ ἡμῶν γέγονεν, ἵνα τῆς παρ' ἑαυτοῦ εὐλογίας κοινωνοὺς ἡμᾶς ἀναδείξῃ, καὶ τὸν τῶν κακούργων κατὰ τὴν σάρκα ἠνέσχετο ὑπομεῖναι θάνατον, ἵνα τὸ τοῦ θανάτου κέντρον, τὴν ἁμαρτίαν κατακρίνῃ ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ, καὶ καταργήσῃ τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τουτέστι τὸν διάβολον· ταφῇ δὲ παραδοθὲν αὐτοῦ τὸ σῶμα ἄφθαρτον διατηρήσαντα, μηδαμῶς τῆς ἀπορρήτου καὶ ἀνεκφράστου διαιρεθὲν ἑνώσεως· εἰ καὶ τῆς λογικῆς αὐτοῦ καὶ νοερᾶς ψυχῆς ἐχωρίσθη ἐν τῷ τριημέρῳ διαστήματι· μεθ' ἧς αὐτὸς καὶ εἰς ᾅδου καταβέβηκε, καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασιν, ὡς ὁ κορυφαῖος καὶ θεῖος ἔφησε Πέτρος, πορευθεὶς ἐκήρυξε τὴν ἀνάστασιν, καὶ τὴν ἐλευθερίαν καὶ ἀπολύτρωσιν ἐχαρίσατο, ἀφθαρσίας δὲ ἡμῖν ἀπαρχὴ γέγονεν· ἐν ᾧ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν ἀνεβίωσεν. ἀνέστη γὰρ ὡς Θεός, πατήσας τὸν θάνατον, προοδοποιῶν πάσῃ σαρκὶ τὴν ἀνάστασιν, καὶ συνανέστησεν ἡμᾶς, τοὺς πεσόντας τῷ τῆς ἁμαρτίας πτώματι.

Ἐπιστάντα δὲ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ταῖς γυναιξί, καὶ τὴν χαρὰν αὐταῖς προσαγγείλαντα, καὶ τὴν ἐκ τοῦ θήλεος ἡμῖν ἐνσκήψασαν λύπην ἐξαφανίσαντα, ὀφθέντα δὲ καὶ τοῖς θεσπεσίοις αὐτοῦ μαθηταῖς τὸ τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ πιστούμενον μυστήριον· καὶ δεικνύντα, ὅτι ὁ αὐτὸς ἦν καὶ πρὸ τῆς ἀναστάσεως διά τε τῆς βρώσεως, καὶ τῆς τοῦ σοφοῦ Θωμᾶ κατὰ τὴν θείαν πλευρὰν ἐπαφῆς. ἀναληφθέντα τε εἰς τοὺς οὐρανούς· καὶ καθεσθέντα ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς μετὰ τοῦ προσλήμματος· μεθ' οὗ αὖθις ἐλεύσεται ἐν δόξῃ θεοπρεπεῖ καὶ ἐξουσίᾳ τῇ κατὰ πάσης κτίσεως, καὶ κριτὴς καθεσθήσεται ἑκάστῳ κατὰ τὸ βεβιωμένον ἀποδιδούς. πάντας γὰρ ἡμᾶς φανερωθῆναι δεῖ ἔμπροσθεν τοῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ.

A constituit, absit: Vnum namque eumdemque Deum perfectum & hominem itidem perfectum confitemur: Nam etsi naturarum differentiam Christo tribuimus, unum tamen eumdemque etiam post incarnationem agnoscimus, & quo stolidus Nestorius a divinis septis facessat, propter naturarum ad hypostaticam unionem coeuntium diversitatem, non duos filios, aut dualitatem filiorum inducimus, omnes autem Christi actiones, quæ utique theandricæ, hoc est, Dei simul & hominis erant, uni tribuimus. Nam ut Deus erat, edebat opera divina, signa nimirum & miracula: ut autem homo idem ipse sponte subibat passio-B nes, sustinebatque probra & contumelias. Vnde cum duabus naturis consentanee, imo necessario, juxta pias divinasque divinorum patrum nostrorum traditiones, duas quoque naturales operationes illius glorifico, ipsarum quodammodo naturarum & substantiarum indices atque constitutrices. Pari modo & duas quoque naturales unius ejusdemque Dei & domini nostri Iesu Christi voluntates veneror: Nam juxta utramque naturam, ex quibus & in quibus existit & intelligitur, voluntatis facultatem ei tribuimus: Vt enim operatur, salutarique passioni ultro sese exponit, ita & vult quoque.

C Credo rursum illum ipsum crucifixum esse, non quidem in ea natura, in qua cum Patre lucet & regnat (esto Gloriæ dominus propter idiomatum communicationem crucifixus dicatur) sed in natura, hoc est, terrena, secundum quam terrestrem nostram massam suscepit, & factus est maledictum propter peccata nostra, quo suæ nos benedictionis faceret esse participes. Et carnis mortem ab improbis illatam, patienter sustinuit, quo mortis stimulum, id est peccatum in carne sua condemnaret, & destrueret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum. Credo corpus suum sepulturæ contraditum, incorru-D ptum conservasse, nullo quidem modo ab arcana illa inexplicabilique unione divulsum, etsi illud tridui illo intervallo anima fuerit spoliatum. Cum qua anima & ipse quoque ad inferos descendit, iisque, qui in carne erant spiritibus (quemadmodum apostolorum coryphæus divinus Petrus exponit) resurrectionem prædicavit, libertatemque & redemptionem impertivit. & nobis quoque utpote primogenitus mortuorum, per resurrectionem aliquod incorruptionis principium extitit: surrexit enim ut Deus, mortem pessundans, universæque carni ad resurrectionem viam patefaciens; nos, qui peccati casu in mortem concideramus, una secum quodam-E modo suscitans.

Verbū crucifixum, sed in nostra non in propria, hoc est, divina natura.

Credo mulieribus post resurrectionem suam adstitisse, tristitiaque quæ ex muliere ad nos devenerat, abolita, gaudium lætitiamque illis annuntiasse. Credo divinis discipulis vivum sese exhibuisse, suæ resurrectionis mysterium confirmasse, ac quomodo idem ipse foret, qui ante resurrectionē per manducationem, sacrique lateris, quod sapiens Thomas contrectavit, exhibitionem, demonstrasse. Credo deniq; assumptū esse in cælos, & ad dexteram Dei Patris cōsedisse, & cum assumpto corpore non absque gloria, divinaque majestate olim denuo venturum esse, judicem sessurū, & unicuiq; juxta vitæ suæ rationes redditurum: Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi.

Christus tristitiam quā attulerat Eua abolevit post suā resurrectionem.

Rom. 14. Credo postquam mundus hic fuerit innovatus, A & quodammodo transelemẽtatus, & carnis quoque resurrectionem futuram, quo nimirum nostrũ hoc mortale induat immortalitatem: & corruptibile incorruptionem. Confiteor etiam unum baptisma in remissionem peccatorũ, quod secundum euangelicam apostolicamq; traditionem perficitur: In nomine Patris, & Filii Spiritus sancti. Hæc veneranda orthodoxi sacrique cultus nostri dogmata, divinaque mysteria, quæ juxta sublimem sincerissimamque theologiam divini sacriq; doctores nobis tradiderunt: tum salutarem quoque divini verbi erga nos dispensationem: tum ceteras omnes hisce similes & consentaneas doctrinas prædicationesque cum omni acceptatione & fide amplector & servo. B

Sanctorum patrociniũ & invocatio: Divi omnes invocandi. Exosculor nihilominus & expeto sanctorum apud Deum patrocinia & intercessiones. Primo quidem præcipueq; sanctissimæ & immaculatissimæ semper virginis ac dominæ nostræ Dei matris, mox vero divinarum cælestiumq; virtutum, sanctorum laudatissimorumq; apostolorum, beatorũ prophetarum, gloriosissimorum invictissimorumque martyrum, divinorum patrum, ac omnium denique sanctorum, qui ab initio mundi domino placuerunt, & absque ullo omnino fine in ipso & *Sap. 3. 1.* per ipsum vivunt (animæ enim justorum in manu Dei sunt) ut qui maximam hinc animæ corporisque salutem consequar.

Adoro item & exosculor venerandas illorum C reliquias, quippe quæ certam animorum corporumque morbis salutem, medicinamque conferant. suscipio præterea ac laudo venerandam divinamq; illorum conversationem, celeberrimosq; eorumdem agones & pugnas, honoro quoque & veneror sacrosanctas illorum tũbas & sepulturas. Dignos deniq; illos ipsos censeo, qui summis honoribus decorentur, maximisq; laudibus evehantur, quoniam pro gloria Dei omniũ nostrum salvatoris sanguinem suum profuderunt, & hanc fluxam præsentemq; vitam, ob suam in Deũ charitatem animose spreverunt, vivificasque ac salutares illius perpessiones imitati sunt. Cõplector itidem suscipioque non solum venerandas Christi omnium salvatoris nostri iconas, & venerabiles sanctissimæ Dei matris imagines, verum sacras quoq; D sanctorum omnium effigies eamq; venerationem illis exhibeo, quam honor eorũ merito postulat.

Nicephorus recipit septem universales synodos. Salubriter præterea reverenterque veneror, & amplector septem sacras & œcumenicas synodos, omniaque supernaturalia, & salutaria dogmata & decreta, quæ a sanctis, & divinis patribus nostris, quos olim Spiritus sanctus ad ecclesiam suam regendam pascendamque instituit, in illis extant sancita & determinata.

In primis quidem sacram 318. celeberrimorum patrum synodum, qui quondam apud Nicæam civitatem, contra impium & furiosum Arium convenerunt. quæ & impietatis auctorem ab ecclesia expulit, & fidem veram, re- E ctamque per sacrum illud divinumque symbolum nobis exposuit, & Deum verbum, Deique filium non creaturam, ut ille, sed Patri homousion & certum verumque Deum, & rerum omnium creatorem esse, orthodoxe determinavit.

Synodus Constant. damnat Apollinarium, explanat symbolum &c. Deinde vero 150. sanctorum divinissimorumque patrum synodum quæ post Nicæam in hac regia civitate coacta Macedonium impiissimum Spiritus sancti impugnatorem exauctoravit, ostendens illum non esse quid creatum, sed verum Deum Patri & Filio per omnia homousiõ, eadem sacram

Μετὰ ταῦτα πιστεύω καὶ σαρκὸς ἀνάστασιν, ἡνίκα ἡ τοῦ κόσμου μεταστοιχείωσις γένηται, ἵνα τὸ θνητὸν ἡμῶν ἐνδύσηται ἀθανασίαν, καὶ τὸ φθαρτὸν ἀφθαρσίαν περιβάληται. ὁμολογῶ καὶ ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· τὸ εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα τελούμενον κατὰ τὴν εὐαγγελικὴν καὶ θείαν παράδοσιν. ταῦτα τῆς ὀρθοδόξου, καὶ ἱερᾶς ἡμῶν λατρείας σεβάσμια δόγματα καὶ μυστήρια κατά τε τὴν παραδοθεῖσαν ἡμῖν παρὰ τῶν θείων μυσταγωγῶν ὑψηλήν τε καὶ ἀκραιφνεστάτην θεολογίαν, καὶ τὴν σωτήριον περὶ ἡμᾶς τοῦ Θεοῦ λόγου οἰκονομίαν, καὶ ὅσα τούτοις συμβαίνοντα ἐφάμιλλα κηρύγματα μετὰ πάσης ἀποδοχῆς καὶ πίστεως συντηρῶ τε καὶ ἀσπάζομαι.

Ἀποδέχομαι δὲ καὶ ἐξαιτοῦμαι τάς τε πρεσβείας καὶ πρὸς Θεὸν ἐντεύξεις· πρῶτον μὲν καὶ ἐξαίρετον, τῆς πανάγνου καὶ παναμώμου καὶ ἀειπαρθένου δεσποίνης ἡμῶν θεομήτορος· ἔπειτα τῶν θείων καὶ οὐρανίων δυνάμεων τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων τῶν μακαρίων προφητῶν, καὶ ἐνδόξων καὶ καλλινίκων μαρτύρων, καὶ θεοφόρων πατέρων, καὶ πάντων τῶν ἁγίων τῶν ἀπ' αἰῶνος εὐαρεστησάντων τῷ κυρίῳ· οἳ ζῶσι διαπαντὸς ἐν αὐτῷ. ψυχαὶ γὰρ δικαίων ἐν χειρὶ κυρίου, ὡς μεγίστην σωτηρίαν ἐντεῦθεν ψυχῆς καὶ σώματος καρπούμενος.

Προσκυνῶ δὲ καὶ περιπτύσσομαι τὰ σεβάσμια αὐτῶν λείψανα, ὡς ἰατρεῖον ψυχικῶν τε καὶ σωματικῶν παθημάτων τυγχάνοντα. αἰνῶ δὲ οὖν αὐτῶν τὴν σεμνὴν καὶ ἔνθεον πολιτείαν καὶ τοὺς ἀοιδίμους αὐτῶν ἀγῶνας καὶ ἄθλους. γεραίρω τὰς θήκας, καὶ ταῖς ἀνωτάτω τιμαῖς στεφανῶ αὐτούς· ὅτι ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ πάντων ἡμῶν σωτῆρος Θεοῦ τὸ αἷμα ἐξέχεαν, καὶ τῆς προσκαίρου ζωῆς διὰ τὴν εἰς αὐτὸν ἀγάπην κατεφρόνησαν, μιμηταὶ τοῦ ζωοποιοῦ καὶ σωτηρίου πάθους αὐτοῦ γενόμενοι. ἀσπαζόμενος ἅμα τῇ τοῦ πάντων σωτῆρος Χριστοῦ σεβασμίᾳ εἰκόνι τῆς τε παναγνου καὶ θεομήτορος καὶ τοὺς σεπτοὺς καὶ ἁγίους αὐτῶν χαρακτῆρας, προσνέμων αὐτοῖς τὴν κατὰ τιμὴν προσκύνησιν.

Πρὸς τούτοις ἀσπασίως ἀποδέχομαι καὶ τιμῶ τὰς ἁγίας καὶ οἰκουμενικὰς ἑπτὰ συνόδους καὶ τὰ ἐν αὐταῖς δογματισθέντα καὶ κηρυχθέντα θεῖά τε καὶ ὑπερφυῆ καὶ σωτήρια δόγματα παρὰ τῶν ὁσίων καὶ θεοφόρων πατέρων ἡμῶν· οὓς κατὰ καιρὸν ἔθετο τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν αὐτοῦ καὶ διέπειν.

Πρώτην μὲν τὴν ἐν Νικαίᾳ συνελθοῦσαν τῶν τιη'. ἀοιδίμων πατέρων ἡμῶν σύνοδον, κατὰ τοῦ δυσσεβοῦς καὶ μανιώδους Ἀρείου· ὃν τῆς ἐκκλησίας ἐξώσασα, πίστιν ἡμῖν ἀληθῆ καὶ εὐθυτάτην διὰ τοῦ ἱεροῦ καὶ θείου συμβόλου ἐξεφώνησε· τὸν Θεὸν λόγον, καὶ τοῦ Θεοῦ υἱὸν, οὐ κτίσμα κατ' αὐτὸν, ὁμοούσιον δὲ τῷ πατρὶ καὶ συνάναρχον, ὡς Θεὸν ἀληθινὸν καὶ κτίστην τῶν ἁπάντων ὀρθοδόξως ἐδογμάτισεν.

Εἶτα τὴν μετ' αὐτὴν ἐν ταύτῃ τῇ βασιλίδι τῶν πόλεων συναθροισθεῖσαν τῶν ρν'. θεοπνεύστων πατέρων· τὸν ἀνόσιον πνευματομάχον καθελοῦσαν Μακεδόνιον καὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ συμβόλου ἔννοιαν ἐξαπλώσασαν, καὶ τοῖς τοῦ ἁγίου πνεύματος λόγοις ἐπιτρανώσασαν, Θεὸν ἀληθινὸν ὁμοούσιον τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ

καὶ οὐ κτίσμα αὐτὸν βεβαιώσασαν, καὶ Ἀπολινάριον τὸν Λαοδικέα, τὸν ὄντως ἄφρονα καὶ ἀνόητον τῆς ἐκκλησίας ἀποκηρύξασαν.

Μεθ' ἣν τὴν ἐν Ἐφέσῳ τὸ πρότερον συναγηγερμένην, τῶν ἱερῶν διακοσίων διδασκάλων ἁγίαν σύνοδον κατὰ Νεστορίου τοῦ ματαιόφρονος καὶ τῶν ἐκείνου βλασφημιῶν, ἣν καθελοῦσα, μίαν τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν καθ' ἕνωσιν ὑπόστασιν, καὶ δύο φύσεις ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως σαφῶς ἐδογμάτισε, τὸν αὐτὸν Θεὸν καὶ ἄνθρωπον ἀποφήνασα, καὶ τὴν ἁγίαν Μαρίαν, κυρίως καὶ ἀληθῶς Θεοτόκον ὁμολογήσασα.

Μετὰ ταῦτα τῶν ἐν Καλχηδόνι συνδραμόντων ἑξακοσίων τριάκοντα ἐνθέων καὶ θεοφόρων πατέρων, ἥτις τοὺς δυσσεβεῖς, Εὐτυχέα καὶ Διόσκορον, καὶ τὴν ζοφώδη καὶ ἐσκοτισμένην αὐτῶν σύγχυσιν κατεδίκασε, καὶ τούτους ἀναθεματίσασα, τέλειον αὐτὸν Θεὸν, καὶ τέλειον ἄνθρωπον τὸν αὐτὸν Χριστὸν καὶ Θεὸν ἡμῶν ἐν δύο φύσεσι καὶ ὑποστάσει μιᾷ ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως εὐσεβῶς ἀνεκήρυξεν.

Ἐπὶ μὴν καὶ τὴν αὖθις κατ' αὐτὴν τὴν θεοφρούρητον πόλιν συγκροτηθεῖσαν ἁγίαν πέμπτην σύνοδον τῶν ρξε'. ἁγίων πατέρων ἡμῶν. ἥτις τὰ Θεοδώρου καὶ Νεστορίου, πρὸς δὲ καὶ Ὠριγένους, Διδύμου τε καὶ Εὐαγρίου καὶ τῶν ἀμφ' αὐτοὺς κακοδόξων ἀσεβῆ δόγματα, τέως μὲν παρὰ τοῖς πολλοῖς κρυπτόμενα, τηνικαῦτα δὲ πικρῶς ἀναφυέντα καὶ ἀναβλαστήσαντα ἐξέτεμε. δι' ὧν γὰρ αὐτοὶ ἐληρώδουν μυθολογημάτων, Ἰουδαϊκῇ τε καὶ Ἑλληνικῇ μᾶλλον, ἢ Χριστιανικῇ δόξῃ ἐπηκολούθησαν.

Ἑξῆς τὴν ἕκτην τῶν ρο'. ἱερῶν ἀνδρῶν οἰκουμενικὴν σύνοδον καὶ αὐτὴν κατὰ τοῦτο τὸ βασίλειον ἄστυ συνηγμένην, καὶ τῶν κατὰ Χριστὸν φύσεων τάς τε ἰδιότητας καὶ φυσικὰς ἐνεργείας καὶ θελήσεις κηρύξασαν· ἀναθεματίσασαν δὲ Θεόδωρον τὸν τῆς Φαρὰν ἐπίσκοπον, καὶ Ὀνώριον, Κῦρον τε καὶ Σέργιον, Πύῤῥον, Παῦλον καὶ Πέτρον, τοὺς συγχωρήσει Θεοῦ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν ἐν τῇ ἱερωσύνῃ εἰσφθαρέντας· ἔτι καὶ Μακάριον τὸν Ἀντιοχείας ὀνομασθέντα πρόεδρον, καὶ Στέφανον τὸν τούτου μαθητήν· πρὸς δὲ καὶ Πολυχρόνιον, τὸν νηπιόφρονα γέροντα· οἳ ἓν θέλημα, καὶ μίαν ἐνέργειαν ἐπὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἐδόξαζον.

Ἐπὶ ταύτης δὲ πάλιν καὶ μετὰ ταῦτα τὴν ἐν Νικαίᾳ τὸ δεύτερον συνελθοῦσαν τὴν ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις ρν'. πατέρων ἑβδόμην καὶ ἱερὰν σύνοδον· ἥτις πάσας τὰς προλαβούσας ἁγίας συνόδους ἐπεσφράγισε, καὶ τὰ τούτων δόγματα, τῶν σεπτῶν καὶ ἱερῶν εἰκόνων τὴν ἀρχῆθεν παραδεδομένην τῇ ἐκκλησίᾳ προσκύνησιν ἀνεδέξατο, ὁρίσασα παραπλησίως αὐτὰς τῷ τύπῳ τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ προσκυνεῖσθαι. ἀποβαλομένη τῆς ἐκκλησίας τοὺς ἐφ' ὕβρει καὶ καταστροφῇ τούτων κενολογήσαντας, καὶ τῶν Χριστιανῶν κατηγορήσαντας, ὅτι ὡς θεοῖς αὐτοῖς προσεκύνησαν· τουτέστι Θεοδόσιον, Βασίλειον, Σισίννιον τοὺς παροράσει Θεοῦ ἱερατικῶν θρόνων ἄρξαντας.

Καὶ ταύτας τὰς εἰρημένας ἁγίας οἰκουμενικὰς συνόδους ἀποδέχομαι, καὶ πάντων τῶν ἐκκρίτων καὶ μακαρίων πατέρων τά τε δόγματα καὶ πονήματα

A symbolum Spiritus sancti verbis fusius explicavit, quin & Apollinarium quoque hominem vere stolidum & insanum ab ecclesia pepulit.

Post hanc autem suscipio sacram 200. sanctorum patrum doctorumque hominum synodum, quæ contra vesanum Nestorium, blasphemasque ejusdem voces Ephesi coiit, eumdemque gradu & loco movit, & unam esse Christi & Dei nostri personam, duas vero ejusdem naturas sine ulla confusione ac divisione inter se unitas determinans, unum rursum eumdemque Deum & hominem simul esse declarans, ac sacram tandem virginem Mariam vere proprieque Deiparam esse pronuntians.

Synodus Ephesina contra Nestorium.

B Complector quarto sacram 630. divinorum Deoque afflatorum patrum Calchedone coactorum synodum, quæ impiissimos Eutychem, & Dioscorum, obscuramque ac tenebrosam eorumdem confusionem condemnavit. His anathemate jugulatis, unum eumdemque Christum Deum ac dominum nostrum & hominem perfectum, & Deum rursum perfectum esse in duabus quidem naturis, in una vero persona inconfuse indivulseque existentem pie deprædicavit.

Calchedonensis Eutychen & Dioscorum condemnat.

Tum quintam rursum sacram 165. sanctorum patrum synodum, quæ in hac iterum divina Deoque addicta civitate coacta, impia Theodori, Nestorii, Origenis, Didymi, Euagrii, reliquorumque hæreticorum prædicta sectantium C dogmata, dudum quidem ante apud plerosque occulta, per id vero tempus acerbos denuo ramos surculosque proferentia, juste excidit: quæ enim ipsi mente delira, & fabulose profitebantur, ea Iudæorum & paganorum imaginationi verius, quam Christianorum fidei consentanea erant.

Post hanc & sextam quoque sanctam & œcumenicam 170. sanctorum virorum synodum, iterum in regia hac urbe congregatam veneror, quæ pro naturarum Christi ratione, ejusdem quoque proprietates, naturalesque operationes, & voluntates distinxit, ac prædicavit, & Theo-D dorum episcopum Pharan, Honorium, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, qui permissu Dei per corruptionem & fraudem in ecclesiæ sacerdotium irrepserant, Macarium Antiochiæ antistitem, & Stephanum Macarii discipulum, & Polychronium puerilem insanumque senem anathemati subjecit. Vnam enim hi dumtaxat voluntatem, unamque operationem Christo servatori nostro tribuendam esse docebant.

Theodorus, Honorius, Cyr. Pyrrhus, Sergius, Paulus, Petrus, Macarius, Stephanus, Polychronius & alii præterea complures, Monothelitæ in sexta synodo condemnati.

Recipio tandem septimam sacram 150. sanctorum patrum synodum nostro hoc ævo in civitate Nicæa denuo celebratam, quæ omnes præcedentes sacras synodos, earumque dogmata, ac decreta confirmavit, & quodāmodo obsignavit, sacrarumque ac venerabilium imaginum cultum E adorationemque jam inde ab initio ecclesiis traditam, suscepit, definivitque non secus venerandas esse, atque vivificæ crucis effigiem. Eos proinde ex ecclesiis ejicimus, qui in harum contumeliam & eversionem futili garrulitate Christianis insultant, quasi deorum loco hactenus illas habeant, venerenturque, quales sunt Theodosius, Basilius, & Sisinnius, qui Dei permissione episcopalibus sedibus præfuere.

Has itaque prædictas sacras & œcumenicas synodos suscipio, & omnium electorum beatorumque patrum dogmata & opuscula (ut quæ ab

Optima hæc, tutissima in rebus præsertim dubiis via.

Nestorianos insinuat: His enim Simonianorum nomine imp. appellari voluit.

ab omni reprehensione alienam doctrinam salutisque fundamentum contineant) ex animo complector, demum quoscumque ecclesia catholica recipit, illos ego quoque recipio, & quoscumque illa aversatur, illos ipsos & ego itidem aversor. Execror etiam modisque omnibus detestor, qui a Simone Mago appellationem sortiti, & ab omni prorsus pietate exuti, ad præsentem usque diem pravorum exitialiumque dogmatum opinionibus sanctorum traditionem infirmare, virulentumque zizaniorum semen orthodoxæ fidei agro immiscere non cessant. Hos (inquam) omnesque eorumdem sequaces execror, & veluti ecclesiarum Christi pestes respuo & anathematizo. Nos proinde ecclesiarum sanctionem, quæ jam inde ab initio obtinuit, sequuti, hisce nostris literis veluti animato quodam præcone, & caritatis in Christo mutuæque inter nos concordiæ & amicitiæ vadibus usi, vos salutandos nostramque sententiam vobis beatissimis Deoque edoctis hunc in modum faciendam putavimus. Vestra autem desideratissima in domino fraternitas, vicem nobis reddens precibus ad dominum fusis, opportunisque sermonibus, & ipsis quoque rebus, nos confirmet, informetque, quo vestris legibus, vestraque suffulti doctrina in hac fide stabiles, simplices, & ab omni defectu immunes persistamus, omniaque mysteria, quæ in ipsa, vel de ipsa ab initio sunt tradita, inconcussa retineamus, & universum denique rationalem nostrum gregem, summi pastoris nomine & unctione insignitum, intraque ecclesiasticæ caulæ septa constitutum, manifesta divinæ illius & apostolicæ spiritualis doctrinæ fistulæ ebuccinatione, vocibusque divinitus inspiratis in unum congregemus & ab insidiantium ferarum morsibus illæsum conservemus.

Constant. patriarcha Nicephorus totum se permittit.

Si qua autem a nobis sunt prætermissa, ea amico paternoque affectu per vosmetipsos explete, quo nimirum vestra abundantia nostram suppleat inopiam. Quodcumque inquam, vel in verbis, vel etiam in rebus nobis deest, id venerabili sacerdoteque digna auctoritate vitæ nostræ adjicite, & superædificate: Charisma enim vobis communicatum, nullum hac ratione capiet detrimentum: siquidem liberalis communicatio adeo bonorum diminutionem nullam adfert, ut suo quoque tempore multiplices gloriososque fructus refundat. Vestra proinde divina virtute nos veluti infirmiores fulcite, pedesque nostros ad currendam euangelii semitam perficite, neque ulla omnino, quæ salutaria, aut utilia videbuntur, suggerere prætermittite, ut quemadmodum in fide & confessione unitatem concordiamque conservamus, ita caritatis quoque vinculo aptati colligatique, indivulsum pacis donum, quod ecclesiarum concordiam unitatemque conciliat, conservatique in concredito nobis ministerio inter nos usque retineamus: quo magni regis civitas hinc munita & circumvallata, omnibus fraudibus inaspectabiliumque hostium insultibus, qui avide expectantes, ut aliquem in ipsa descriptum Spirituque signatum devorent, numquam non in circuitu obambulant, maneat impervia. Contra quos sane inaspectabiles hostes non carnalia, sed spiritualia objicimus arma, scutum videlicet fidei, sermonisque gladium, quod est verbum Dei, ut peccati munitiones & machinas spiritus fun-

A ἀσπάζομαι, ὡς διδασκαλίαν ἀνεπίληπτον, καὶ σωτηρίας θεμέλιον, καὶ οὓς ἡ καθολικὴ ἐκκλησία προσίεται ἀποδέχομαι, καὶ οὓς ἀποτρέπεται ἀποστρέφομαι. ἀποβάλλομαι δὲ καὶ παντελῶς ἀποτρέπομαι τοὺς ἀπὸ Σίμωνος τοῦ Μάγου, καὶ μέχρι τοῦ δεῦρο τῆς εὐσεβείας παντάπασιν ἀποπεπτωκότας, καὶ δόξαις πονηρῶν δογμάτων καὶ φθοροποιῶν ἐμφυρέντας, καὶ τὴν τῶν ἁγίων παράδοσιν ἀθετήσαντας, καὶ τὸν πικρὸν τῶν ζιζανίων σπόρον συναναμίξαι τῇ τῆς ὀρθοδοξίας ἀρούρᾳ τολμήσαντας αὐτούς τε ἀναθεματίζω, καὶ πάντας τοὺς ἑπομένους αὐτοῖς· καὶ ὡς λύμην τῆς κατὰ Χριστὸν ἐκκλησίας διαπτύω καὶ τῷ ἀναθέματι καθυποβάλλω. ἡμεῖς μὲν οὖν τὸ ἡμέτερον φρόνημα
B τοῖς μακαριωτάτοις ὑμῖν καὶ θεοδιδάκτοις κατὰ ταῦτα δεδηλωμένον προσαπεφωνήκαμεν τῷ ἄνωθεν κεκρατηκότι ἐκκλησιαστικῷ θεσμῷ ἑπόμενοι, οἷόν τινι ἐμψύχῳ κήρυκι, τῷδε ἡμῶν προσχρησάμενοι τῷ γράμματι, τῆς ἐν Χριστῷ ἀγάπης καὶ πρὸς ἀλλήλους συμπνοίας καὶ ὁμονοίας τὰς ἐγγύας ἐπαγόμενοι· ἡ δὲ ὑμετέρα ποθεινοτέρα ἐν κυρίῳ ἀδελφότης ἀμείβοιτο ἡμᾶς πρῶτα μὲν εὐχαῖς ταῖς πρὸς κύριον, ἔπειτα δὲ καὶ λόγοις τοῖς καθήκουσι καὶ πράγμασιν ἐπιστηρίζουσι καὶ συνετίζουσιν, ἵνα ταῖς ὑμετέραις νομοθεσίαις καὶ διδασκαλίαις στήκωμεν ἑδραῖοι ἐν τῇ τοιαύτῃ πίστει ἀνελλιπῶς καὶ ἀκέραιοι· πάντα τὰ ἐν αὐτῇ μυστήρια, ἄνωθεν παραδεδομένα ἀπαράτρωτα φυλάττοντες, καὶ εἴσω τῶν ὅρων τῆς ἐκκλησιαστικῆς αὐλῆς ἱστάμενα, τῇ θείᾳ σύριγγι,
C τῇ τῆς ἀποστολικῆς καὶ πνευματικῆς διδασκαλίας εὐσήμῳ περιβομβήσει, καὶ θεοπνεύστοις ἠχήμασι πάντα τὰ λογικὰ τῆς ἱερᾶς ποίμνης θρέμματα περιαθροίζοντες, καὶ περιφρουροῦντες παρὰ τὴν τῶν ἐπιβουλευόντων θηρίων αλώβητα ἐνσεσημασμένα τῷ τοῦ ἀρχιποίμενος Χριστοῦ χρίσματι καὶ ὀνόματι.

Καὶ τὰ παρ' ἡμῶν ἀπολειπόμενα δι' ἑαυτῶν ἀποπληροῦτε, ὡς φιλάδελφοι καὶ φιλόστοργοι, ἵνα τὸ ὑμῶν περίσσευμα, εἰς τὸ ἡμέτερον χρησιμεύσῃ ὑστέρημα, καὶ τὸ ἐν λόγοις καὶ πράγμασιν ἡμῖν ἐνδέον, τῷ κατὰ τὸν βίον ὑμῶν ἱεροπρεπεῖ καὶ σεμνῷ παραστήματι ἐποικοδομήσητε, καὶ ἐπαυξήσητε, μηδὲν μικρολογούμενοι περὶ τὸ δοθὲν ὑμῖν χάρισμα. οὐ γὰρ ἐλάττωσιν φέρει τοῖς ἀφθόνως παρέχουσιν, ἀλλ' εἰς τὸ πολλαπλάσιον εὐκαίρως εὐκλεεῖς τοὺς καρποὺς τοῖς προαιρουμένοις ἀποδίδωσιν· ὑπερείδουσιν ἡμᾶς ὡς ἀσθενεστέρους τῇ παρ' ἑαυτῶν θεοσδότῳ δυνάμει, καὶ καταρτίζουσι τοὺς πόδας ἡμῶν εἰς τὴν τοῦ εὐαγγελίου τρίβον καὶ συμβουλεύειν τὰ ὀνησιφόρα καὶ σωτηρίας ἐχόμενα μὴ διαλίποιτε· ἵνα ὥσπερ ἐν τῇ ὁμολογίᾳ τὸ ἑνιαῖον καὶ ἀδιάφορον ἔχωμεν· οὕτω καὶ ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς ἀγάπης συναρμοζόμενοι καὶ συνδεόμενοι ἀναπόσπαστον τῆς εἰρήνης τὸ δῶρον ἐν τῇ πεπιστευμένῃ ἡμῖν διακονίᾳ ἐφ' ἡμῖν αὐτοῖς κατάσχωμεν· ἣ τὸ ἀδιάτμητον καὶ σύμφωνον τῇ ἐκκλησίᾳ περιποιεῖται· ὅπως ἐντεῦθεν ἡ νοητὴ πόλις τοῦ βασιλέως τοῦ μεγάλου τειχιζομένη καὶ περιφρουρουμένη ἀκατάβλητος καὶ ἀπόρθητος διαμένῃ ἐκ πάσης προσβολῆς τε καὶ τέχνης τῶν ἀοράτων ἐχθρῶν· καὶ τῶν κύκλῳ περιθεόντων, καὶ ζητούντων καταπιεῖν τινα τῶν ἐν αὐτῇ ἀπογεγραμμένων, καὶ σημειωθέντων ἐν πνεύματι· καθ' ὧν προβαλλόμεθα οὐ σαρκικὰ ὅπλα, ἀλλὰ πνευματικά· τήν τε ἀσπίδα τῆς πίστεως καὶ τὴν τοῦ λόγου μάχαιραν, ὅ ἐστι ῥῆμα Θεοῦ τοῦ καθελεῖν τῆς ἁμαρτίας τὰς ἑλεπόλεις καὶ μηχανὰς

ἐποικοδομήσητε καὶ ἐπαυξήσητε. ἡμῶν

τῇ

τῇ σφενδόνῃ τοῦ πνεύματος πόῤῥω που τὸ ἄγριον θράσος αὐτῶν ἀποσοβοῦντες καὶ ἐκδιώκοντες, ὡς τῆς θείας φυλακῆς τε καὶ ῥοπῆς ἀξιούμενοι ἢ καὶ ἠρεμαῖον καὶ εἰρηναῖον ἡμῶν καθίστησι τὸ πολίτευμα, ἵνα καὶ ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι ἀξιωθῶμεν τῷ ἀρχηγῷ τῆς ζωῆς ἡμῶν ἀκατακρίτως ὑπαντῆσαι ἐρχομένῳ μετὰ δόξης τῆς πατρικῆς σὺν τοῖς ἁγίοις ἀγγέλοις αὐτοῦ, καὶ ἐν τῷ νυμφῶνι ταῖς φρονίμοις συνεισέλθωμεν παρθένοις, καὶ τῆς ἀγγελικῆς ἀπολαύσωμεν πανδαισίας· κληρονόμοι γενόμενοι τῶν ἀποκειμένων τοῖς ἀξίοις ἀγαθῶν ἐν Χριστῷ τῷ ἀληθινῷ Θεῷ πρεσβείαις ἀχράντου καὶ ἀμωμήτου αὐτοῦ μητρὸς καὶ πάντων τῶν ἁγίων, ἀμήν.

Εἰ δὲ τοσοῦτον ὀψὲ τοῦ καιροῦ ἐν τούτοις δὴ τοῖς προσρηθεῖσιν ἀπηντήκαμεν θαυμαζέτω μηδεὶς, μηδὲ κατηγορείτω τῆς ἡμετέρας ὑπολήψεως, ἀλλὰ γινωσκέτω μὲν ἡ θεοφιλὴς ὑμῶν ἀδελφότης, ὡς ἐξουσίας γνώμη σκληρά τε καὶ ἀμείλικτος ἐπρυτάνευσε κωλύειν ἡμᾶς τοῖς δεδογμένοις χρῆσθαι δυναμένη, οὐχ ἱερατικὸν ἔθος παρεῶπται καὶ διαπέπτωκεν, οὐδὲ ἐκ ῥαθυμίας τινὸς, τῶν δεόντων καὶ ἐκκλησιαστικοῖς ἀνδράσιν ἀνηκόντων ὑπερόπται γεγόναμεν· καὶ συγγινωσκέτω ἡ ἱερὰ ὑμῶν ψυχὴ, εἴ τι μοι μέλλοι τῆς βραδυτῆτος μέμφεσθαι, ἐν πείρᾳ καθεστῶσα καὶ αὐτῆς, ὡς οὐκ εὔοδόν ἐστι πρὸς δυναστείας ἀντιφέρεσθαι, ἰδίοις ὑπεζευγμένους θελήμασι καὶ πάντα πληροῦν σπουδάζοντας τὰ καταθύμια. ἐδόκει γὰρ τῷ εἴργοντι καὶ ἀφορμὴν εὐπρόσωπον προβάλλεσθαι ἐφ' ἡμῖν τῶν ἐπιτελεσθέντων τοῦ χρίσματος ἕνεκεν· καὶ ὡς ὑμεῖς τῆς ἐκκλησίας ἑαυτοὺς ἀπερρήξατε, διεθρύλλει καὶ ἐχαλέπαινε· διὸ καὶ ὑμεῖς ἀφ' ὧν ἐν τούτοις τὸ ἠναγκασμένον πεπόνθατε, δύνασθε συγγνώμονες ἔσεσθαι τοῖς ὁμοίοις περιπεπτωκόσιν ἀβουλήτως· καὶ διὰ ταῦτα, οἶμαι, οὐδὲ δεήσει πλειόνων τῶν περὶ τῆς ἀπολογίας λόγων· ἀλλ' ἐνταῦθά σοι εὐκαίρως παραγραφήσονται· καὶ μαρτυρεῖ γε τὰ νῦν πραττόμενα καὶ τελούμενα· ἐπειδὴ ἡ κλεὶς περιεθραύσθη, καὶ ἡ πύλη ἀναπέπταται, καὶ οἱ λίθοι τοῦ προσκόμματος τῆς ὁδοῦ διήρθησαν, καὶ πᾶσα λεία καὶ ἀποστιβὴς ἐξωμάλισται, καὶ οἴχεται λοιπὸν τὰ λυπηρά· ἐκποδὼν γέγονε τὰ σκάνδαλα, φροῦδα τὰ τῆς ἐπηρείας νῦν καθίσταται· τὰ ἐκεῖθεν σκῦλα λέλυνται· καὶ φῶς ἐλευθέριον τῇ ἐκκλησίᾳ ἐπέλαμψε. διὰ τοῦτο χώραν ἔχει τὰ τῆς ἀγάπης, καὶ τῆς κρατούσης ἱερατικῆς συνηθείας αὔξεσθαι καὶ περαίνεσθαι.

Ἀλλ' εἰσὶν οἷς τὰ θεῖα οὐκ ἐμέλησαν, οἰκείας δὲ δόξης χάριν, ἐσπούδασαν κατόψεσθαι οἷα αὐτοῖς τὰ ἐκ τοῦ θείου ἀπαντήσεται δικαστήρια. ὡς γὰρ φίλον αὐτοῖς πρὸς τὴν παροῦσαν κεχηνόσι δόξαν καὶ περιφάνειαν, τὰ πρὸς ἀλλήλους ἔθεντο, ἡμεῖς δὲ τῆς περὶ Θεὸν δόξης, καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς τιμῆς, καὶ ὁμονοίας, καὶ τῶν ἱερῶν θεσμῶν τηρήσει τιθέντες τὸ σπούδασμα, τῶν ἡμετέρων ἐχόμεθα, καὶ ὑπὲρ τοῦ νῦν ἀναδειχθέντος εὐσεβοῦς καὶ κραταιοτάτου ἡμῶν βασιλέως, καὶ τέκνου γνησίου τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἤθεσι θεαρέστοις καὶ τρόποις ἀγαθοεργίας προλάμποντος, εὐχὰς καὶ δεήσεις συντόνους πρὸς τὸν στέψαντα καὶ συμβασιλεύοντα αὐτῷ Θεὸν ἀναπέμπομεν· ὅπως αὐτῷ εἰρηνικὴν τὴν ζωὴν, καὶ

da demolientes insectantesque, crudelem illorum audaciam procul pellamus, frangamusque, quo hac tandem ratione divina custodia auxilioque potiti, vitæ nostræ conversatio quieta pacataque consistat, & in regeneratione, cum novissima tuba personabit, digni censeamur, qui citra condemnationem vitæ nostræ duci in patris gloria cum sanctis angelis suis venturo occurramus, unaque ad sponsi thalamum, cum prudentibus virginibus, spiritali angelicoque convivio perpetuo fruituri ingrediamur, eorumque bonorum heredes efficiamur, quæ in Christo vero Deo reposita sunt non indignis, idque immaculatæ inculpatæque matris illius & omnium sanctorum intercessione. Amen.

Quod aut isto serius per ea, quæ hactenus exposuimus, occurrimus, id nemo miretur, neque nostram ob id existimationem, in accusationem adducat. quin potius Deo dilecta vestra fraternitas certo sibi persuasum habeat sacerdotalem consuetudinem nequaquam hic exolevisse, aut per contemptum, vel ignaviam quippiam eorum, quæ ecclesiasticis viris conveniunt, neglectu habuisse, verum duram implacabilemque præpotentis potestatis sententiam, quo minus decretis uteremur, obstitisse. Ignoscat proinde beata vestra anima, si quam noxam cunctatione mea promerui, cogitetque haudquaquam facile esse potentibus propria voluntate elatis, & quodcumque animo libitum fuerit, adimplere satagentibus sese opponere. etenim rati causam admodum plausibilem, qua nos jam tum sacerdotio initiatos ab officio prepedirent, sese nactos, stomachose nobis objectabant, passimque invulgabant vos a Constantinopolitana ecclesia alienos esse, temereque ab ea vos devulsisse. Cum ergo hæc, sive vis, sive injuria ad vos quoque attinuerit, venia eos dignabimini, qui præter voluntatem pari necessitate constricti fuerunt. At cum præsentem ecclesiæ locique hujus statum jam non ad sanctitatem tuam perscripserimus, & suo deinceps opportuno tempore, quæ hic fient perscribere certo decreverimus, non erit opus prolixiore ut arbitror nunc purgatione. Siquidem repagulum, quod impediebat, jam est perruptum, apertum est ostium, lapides offensionis e medio sublati, via lata, plana, scrupulisque libera & exæquata teritur, tristia procul ab oculis evanuerunt, scandala seditionesque conquieverunt, omnia denique impedimenta amota, luminaque pristina ecclesiæ restituta sunt. quare quæ caritatis sacerdotalisque consuetudinis propria sunt, locum suum denuo adepta nullo imposterum negotio perfici observarique poterunt.

At sunt interim nonnulli adhuc, qui divina flocci faciunt, propriæque existimationis causa quidvis moliuntur, neque quale ex Deo judicium sibi immineat, quicquam pensi habent. Verum enimvero, ut illis usitatum gratumq; est præsenti gloriæ splendoriq; inhiare, eaque de causa inter sese conspirare, ita plane consentaneum est, ut nos divinæ gloriæ ecclesiasticoque decoro, & concordiæ, sacrorumque canonum observationi modis omnibus operam navemus, nostrisque muniis die noctuque incumbamus, & pro imperatore nostro piissimo, potentissimoque jam declarato, sincero germanoque ecclesiæ filio, ac moribus Deo gratis, honestæque vitæ conversationeque egregie ornato, Deo qui illum coronat, regnumque

Probabile fit hunc imperat. fuisse Constantinum Leonis quarti & Irenes filiũ, hic enim fuit catholicus & pius.

' Errat Peltanus: fuit Michael Curopalates dictus sive Rangabe, quem exauctoravit Leo Armenus.

que una cum illo administrat, continuas preces obsecrationesque offeramus, quo vitam pacificam, imperiumque quam maxime diuturnum illi largiatur, barbaricis triumphis exornet, felicem Christiani orbis moderationem concedat, ad orthodoxæ fidei zelum incitet, in divinorum tamdem præceptorum observatione ita perficiat, ut liberis suis cum regni potentiæque diuturnitate, honorem & gloriam relinquat non vulgarem.

Ceterum nostras hasce synodicas literas Michaeli sanctissimo Christoque dilecto Philadelphiæ civitatis metropolitano, ad dilectam desideratamque fraternitatem vestram deferendas tradidimus. Et quamvis ex sermone & colloquio, quod cum eo miscuimus, conjecturam facientes, non dubitemus, quin omni cum humanitate eum suscepturi, lætisque oculis aspecturi sitis, rogamus nihilominus propter nostram parvitatem, ut germane, familiariter, honorificeque a vobis excipiatur, reficiaturque. Is enim est, qui sincero fervidoque affectu vestram dilectionem complectitur. magnumque in rebus ecclesiasticis studium promptitudinemque declarat, & in sermone, vitæque integritate, & virtute admodum excellere videtur, qui etiam Deo illum dirigente, animumque vestrum permovente, ad majorem nostram lætitiam spiritualem perfectioremque nostræ in domino dilectionis affectionem, dilectionis, concordiæque symbola, hoc est, venerandas vestras literas hisce præsentibus respondentes ad nos est relaturus. Vniversam, quæ vobiscum agit, fraternitatem, plurimum salutamus in Christo. Vale in domino. Ora pro nobis sanctissime & beatissime frater, mediatorem, & synergum apud Deum communem patronum, fautoremque nostrum, magnum illum principemque apostolum adeptus, cui pro nobis indignis illius servis intercessiones offerre ne graveris. In signum autem caritatis, quæ inter nos in domino intercedit, misimus fraternæ vestræ beatitudini encolpium aureum, cujus alterum latus crystallo est inclusum, alterum opere fusili effigiatum. Habet id intra se alterum encolpium, cui pretiosorum lignorum particulæ celatæ insertæ sunt: Accessit his candidum sticharium, & castanei coloris contextum phenolium, tum epitrachelium quoque & enchirium auro variegata & ornata. Isthæc mnemosyni loco ad misericordem illum apostolatum, Deo duce transferenda, submissque offerenda sindoni eleganter involvi, plumbeoque sigillo obsignari curavimus.

Michael Philadelphiæ metropolitanus commendatur serio Leoni pontifici.

A τὸ βασίλειον χαρίσηται ἐπὶ μήκιστον διαφυλάττων χρόνον, τοῖς κατὰ βαρβάρων τροπαίοις κοσμῶν αὐτόν· καὶ τὸ Χριστιανικὸν διακυβερνῶντα αἰσίως πολίτευμα, πρὸς ζῆλον ὀρθοδοξίας καταρτιζόμενος, καὶ τὴν θείων ἐντολῶν τήρησιν, καὶ τέκνοις τὸ εὐδόκιμον ἐν τῇ τῆς ἐξουσίας διαμονῇ κτώμενον.

Μιχαὴλ δὲ τῷ ὁσιωτάτῳ μητροπολίτῃ τῆς Φιλαδέλφου φιλοχρίστου πόλεως τὰ παρόντα ἡμῶν συνοδικὰ γράμματα πρὸς τὴν ὑμετέραν ἠγαπημένην καὶ ποθεινὴν ἀδελφότητα ἐνεχειρισάμεθα· καὶ πεπείσμεθα μὲν ἐκ τῆς ἤδη προλαβούσης αὐτοῦ ἐντεύξεώς τε καὶ ὁμιλίας, ὡς φιλοφρόνως B παρ' ὑμῶν ὁραθήσεται καὶ δεχθήσεται, παρακαλοῦμεν δὲ καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν μετριότητα, γνησιώτερα καὶ οἰκειότερα τὰ τῆς ἀποδοχῆς καὶ τιμῆς καὶ ἀναπαύσεως αὐτῷ παρ' ὑμῶν γενέσθαι. καὶ γὰρ καὶ πρὸς τὴν ὑμετέραν ἀγάπην, πάνυ τὸ θερμὸν καὶ γνήσιον κέκτηται, καὶ ἐν τοῖς τῆς ἐκκλησίας πράγμασι, τὸ σπουδαῖον καὶ πρόθυμον ἐπιδείκνυται· ὥσπερ καὶ ἐν λόγῳ καὶ βίῳ καὶ ἀρετῇ τὸ προὖχον ἀποφέρεται· ὃς καὶ μέλλει Θεοῦ εὐοδοῦντος τοῦτο καὶ ὑμᾶς κινοῦντος, τὰ τῆς ἀγάπης καὶ ὁμονοίας σύμβολα, τουτέστι τὰς τιμίας ὑμῶν κεραίας τῶν ἐν χερσὶ συλλαβῶν ἀντίγραφα πρὸς ἡμᾶς κομίζειν, εἰς πλείονα εὐφροσύνην ἡμῶν πνευ- C ματικὴν, καὶ καταρτισμὸν τῆς ἐν κυρίῳ φιλικῆς ἡμῶν διαθέσεως. πᾶσαν τὴν σὺν ἡμῖν ἐν Χριστῷ ἀδελφότητα, πλεῖστα προσαγορεύομεν. ἐῤῥωμένος ἐν κυρίῳ ὑπερεύχου ἡμῶν ἁγιώτατε καὶ μακαριώτατε ἀδελφέ· μεσίτην καὶ συνεργὸν πρὸς Θεὸν τὸν κοινὸν προστάτην καὶ ἀντιλήπτορα ἡμῶν, τὸν μέγαν καὶ κορυφαῖον ἀπόστολον κεκτημένος· ᾧ τὰς ὑπὲρ ἡμῶν τῶν ἀναξίων δούλων αὐτοῦ ἐντεύξεις, προσάγειν μὴ κατοκνήσῃς. εἰς σύμβολον δὲ τῆς μεσιτευούσης ἐν ἡμῖν ἐν κυρίῳ ἀγάπης, ἀπεστείλαμεν τῇ ἀδελφικῇ ὑμῶν μακαριότητι, ἐγκόλπιον χρυσοῦν, οὗ ἡ μία ὄψις κρυστάλλου ἐγκα- D τακεκλεισμένη, ἡ δὲ ἑτέρα εἰκονισμένη δι' ἐγκαύσεως, καὶ ἐντὸς ἔχον ἕτερον ἐγκόλπιον, ἐν ᾧ εἰσι μερίδες τῶν τιμίων ξύλων ἐντετυπωμέναι. στιχάριον λευκὸν καὶ φαινόλιον κάστανον ἄραφα, ἐπιτραχήλιον καὶ ἐγχείριον, πεποικιλμένα χρυσῷ. καὶ ταῦτα δεχόμενοι Θεοῦ εὐοδοῦντος καὶ διασώζοντος μετειάσῃ πρὸς τὴν οἰκτρὰν ταύτην ὑπομνήσεως χάριν, ἀποστολὴν, ταῦτα ἐν ὀθόνῃ εὐφυῶς διατυλιχθέντα διετάξαμεν μολιβδίνῃ σφραγῖδι ἐνσημανθῆναι.

ANNO CHRISTI 813.

12 CONCILIVM ARELATENSE VI.

* CAROLI MAGNI IMPERATORIS IVSSV IN basilica S. Stephani, sub die VI. Idus Maias, æra DCCCLI. celebratum, id est anno Christi DCCCXIII. Leonis III. papæ XVIII. Caroli ejusdem regis & imperatoris XLV.

TITVLI CANONVM.

I. *De fide catholica omnibus prædicanda & tenenda.*

II. *Vt omnes pro rege ac liberis ejus Deum orent.*

III. *Vt episcopi presbyteros de baptismo doceant, sanctaque scripturæ, & canonum lectioni insistant.*

IV. *Ne laici presbyteros de ecclesiis absque episcopi judicio ejiciant: & quod episcopi presbyteros diligenter instruere debeant.*

V. *Ne laici a presbyteris munera pro datis ecclesiis exigant.*

VI. *Vt episcopi qualiter vivant canonici & monachi provideant.*

VII. *Quibusnam in monasteria puellarum, & quatenus permitti aditus debeat.*

VIII. *Ne in monasteriis plures suscipiantur, quam ratio permittat.*

IX. *De decimis.*

X. *De prædicatione in civitatibus, & omnibus parochiis non negligenda.*

XI. *De incestis conjunctionibus.*

XII. *De pace atque concordia.*

XIII. *Vt comites & judices cum episcopis consentiant & justitias faciant.*

XIV. *Vt famis tempore unusquisque suos alere studeat.*

XV.

xv. *Vt justa sint ubique pondera & mensuræ.*
xvi. *Vt die dominico mercata & placita non fiant, nec opus rurale & servile.*
xvii. *Vt episcopus semel in anno circumeat parochiam suam, & pauperes oppressos protegat.*
xviii. *Vt presbyteri sub sigillo chrisma custodiant.*
xix. *Vt parentes filios, & patrini filiolos erudire studeant.*
xx. *Vt antiquis ecclesiis sua jura serventur.*
xxi. *De sepeliendis intra basilicas.*
xxii. *Vt placita publica in ecclesiis, earumve atriis, non fiant.*
xxiii. *Ne res pauperum malis artibus emantur, aut quoquomodo surripiantur.*
xxiv. *Vt fugitivi clerici diligenter inquirantur & reddantur.*
xxv. *Vt qui de rebus ecclesiæ beneficium habet, ad ejus restaurationem adjuvet.*
xxvi. *Vt publici criminis rei publicam pœnitentiam agant.*

PRÆFATIO.

Dum anno XLV. inclyti & orthodoxi domini & principis nostri Caroli imperatoris, sub die VI. Idus Maias, æra DCCCLI. unanimitatis nostræ conventus in Arelatensium urbe, in basilica sancti Stephani martyris primi aggregatus consisteret, atque unusquisque nostrorum ex more, secundum ordinationis suæ tempus, in locis debitis resideret, rerum omnium domino prius devotissima gratiarum jura persolvimus, pro eo quod nos & alternæ visionis contuitu solari permisit, & alternæ pacis osculo confovendos statuit: diffusis cordibus, simulque & vocibus, precum murmura effundentes, ut sicut nos alternorum osculorum impensione lætificos efficit, ita serenissimum ac religiosissimum prædictum dominum nostrum, Carolum imperatorem, cujus jussu fraternitatis nostræ cœtus est adunatus, fidei suæ conservatione stabiliat, prærogatione justitiæ muniat, pacem ei locupletem reddat, impensione misericordiæ fulciat, virium fortitudine roboret, commissa sibi regni gubernacula discreto moderamine tenere concedat, ut commissos, sibi populos benigne regat, æque disponat, & jure pietatis modificet. His devotione promptissima actis, cœpit unionis nostræ numerositas de rebus spiritalibus mutua collatione inter se ora diffundere, atque eventum rei expectatione mansuetissima præstolari. Igitur cum hæc attentius agerentur, venerabiles missi gloriosissimi ac piissimi domini nostri, Ioannes Arelatensis ecclesiæ archiepiscopus, nec non & Nibridius Narbonensis sedis archiepiscopus, surgentes steterunt in medio concilii, & dixerunt: Sanctissimi & venerandissimi sacerdotes, gloriosus etenim ac serenissimus dominus noster ferventissimi amoris Christi igne succensus, & sanctæ actionis ope perfunctus, ut pote verus Christi discipulus & imitator, ecclesiæ Dei statum vigili instantia roborare disponit, sanctis Dei basilicis sese munificum exhibet, maligna contra se observatione agentibus animi liberalitate gratissima ac piæ miserationis instantia ignoscere consuevit, ut qui in diversis sanctæ vitæ studiis sese exercendo præpollet, atque omnibus Dei sacerdotibus obsecrans & obtestans, ut ecclesias quas regendas susceperunt, pia prædicatione instruant, moribus sanctis exornent, ac beatæ vitæ exemplis ædificent. Quocirca quoniam pro tot tantisque beneficiis, quæ multimoda devotione ecclesiæ Dei, vel gentibus prærogare studet, quid illi unanimitas nostra condigne respondeat, invenire non prævalet; id salutari providentia, quæ semper est utilis, (imo semper est utile quod veram pertinet ad salutem) decernit atque instituit, ut tam per omnes civitates ac loca, in quibus sedes episcoporum esse noscuntur, quam etiam per eorumdem episcoporum diœceses, cunctis diebus, quibus idem dominus noster in hac vita superstes extiterit, pro eo, vel pro cunctis ejus filiis vel filiabus, sacrificiorum Deo libamina dedicentur, pia orationum vota solvantur, ac cum gratiarum actione superno numini commendentur, ut desideria in eis bona quotidie multiplicentur, adversantium conamina virtutis divinæ dextera confringantur, indulgentia & gratia eis a sua misericordia conferatur, ut suæ potentiæ defensione protecti, antiqui hostis decipulam evadant, & caritatis munere ac vitæ longævitate pollentes adire mereantur post transitum sidereas mansiones. Qui cum sequenti die in eadem ecclesia sancti ac beatissimi Stephani martyris debitis in sedibus locaremur, inter cetera, quæ subterius discreto capitulorum ordine sunt digesta, non aliunde primum cœpimus habere sermonem, quam de nostræ fidei puritate. Et quia initiandis ad beatam vitam hominibus hæc prima semper est via salutis, prævia quoque nostris & institutis pariter & præceptis, quæ per veram credulitatem in omni terrarum orbe diffusa expandatur, nostræ collationis eloquiis prædicetur, prædicata veraciter teneatur, retenta in penetralibus nostri pectoris illibata servetur.

CANONES.

I.

Secundum divinas enim scripturas, & doctrinam quam a sanctis patribus accepimus, Patrem, & Filium & Spiritum sanctum, unius deitatis atque substantiæ confitemur. In personarum diversitate trinitatem credentes, in divinitate unitatem prædicantes, nec personas confundimus, nec substantiam separamus. Patrem a nullo factum, vel genitum dicimus: Filium a Patre, non factum, sed genitum asserimus: Spiritum vero sanctum, nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex Patre & Filio profitemur. Ipsum autem dominum Iesum Christum, Dei Filium, & creatorem omnium, ex substantia Patris ante sæcula genitum, descendisse ultimo tempore pro redemptione mundi a Patre, qui nunquam desiit esse cum Patre. Incarnatus est enim ex Spiritu sancto, & sancta gloriosa Dei genitrice Maria, & natus ex ipsa solus idem dominus Iesus Christus, unus de sancta trinitate, animam & carnem, perfectum sine peccato suscipiens hominem, manens quod erat, assumens quod non erat, æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem, habens

ANNO CHRISTI 813.

bens in una persona duarum naturarum proprietatem, (naturæ enim in illo duæ, Deus & homo: non enim duo filii, & dii duo, sed idem una persona in utraque natura) perferens passionem & mortem pro nostra salute, non in virtute divinitatis, sed in infirmitate humanitatis. Descendit ad inferos, ut sanctos qui ibidem tenebantur erueret; devictoque mortis imperio resurrexit: assumptus deinde in cælos, venturus est in finem ad judicium vivorum & mortuorum. Cujus morte & sanguine mundati peccatorum remissionem consecuti sumus, resuscitandi ab eo in die novissimo, in ea qua nunc vivimus carne, & in ea quæ surrexit idem dominus forma, percepturi ab ipso alii pro justitiæ meritis vitam æternam, alii pro peccatis supplicii æterni sententiam. Hæc est catholicæ ecclesiæ fides, hanc confessionem servamus atque tenemus. Quam quisquis firmissime custodierit, perpetuam salutem habebit. Sanctæ enim fidei mysterium oris nostri confessione pandentes, ad capitula quę ad disciplinam ecclesiasticam moresque male errantium componendos necessaria sunt, unanimitatis nostræ articulum flectere, & quæ opportuna sunt discretis capitulis diffinire oportet.

II.

Vt pro excellentissimo atque gloriosissimo domino nostro Carolo rege, seu liberis ejus, omnes episcopi, presbyteri, seu abbates, & monachi in unum collecti, inquantum extremitas nostra prævalet, psalmodiam, missarum solennia, atque litaniarum officia, omnipotenti Deo devotissime exolvere decrevimus.

III.

De baptismo, & mysterio sanctæ fidei, unusquisque archiepiscopus suos suffraganeos diligenter studioseque admoneat; quatenus per studium sacræ lectionis imbuti, & de mysterio sanctæ fidei, & de sacramento baptismatis, unusquisque illorum in propria parochia perfecte studioseque presbyteros, & universum populum docere & instruere non negligat: quia ignorantia mater cunctorum est errorum, & maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas scripturas admonet Paulus apostolus, dicens ad Timotheum: *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.* Sciant igitur sacerdotes scripturas sanctas & canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina.

Dist. 38. Ignorantia. Conc. Tolet. IV. capite 25.

1. Tim. 4.

IV.

Vt laici presbyteros absque judicio proprii episcopi non ejiciant de ecclesiis, nec alios immittere præsumāt: quia quando presbyteri ab episcopis in parochiis ordinantur, necesse est ut ab ipsis episcopis diligenter instructi ecclesias sibi deputatas accipiant; ne per ignorantiam, quod absit, etiam in ipsis divinis sacramentis offendant: quia a sanctis patribus institutum est, ut quando ad concilium venerint, rationem episcopo suo reddant, qualiter susceptum officium, vel baptismum celebrent.

Dist. 3. Quando presby. Conc. Tolet. IV. capite 26.

V.

Vt laici omnino a presbyteris non audeant munera exigere propter commendationem ecclesiæ: quia propter cupiditatem plerumque a laicis talibus presbyteris ecclesiæ dantur, qui ad peragendum sacerdotale officium sunt indigni.

Addit. cap. 6.

VI.

Providendum necesse est unicuique episcopo, qualiter canonici vivere debeant, nec non & monachi, ut secundum ordinem canonicum vel regularem vivere studeant, ut ait apostolus: *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* 1. Cor. 7.

VII.

Vt in monasteria puellarum non nisi probatæ vitæ & ætatis provectæ viri ad quascumque earum necessitates, vel ministrationes permittantur intrare: ad faciendas vero missas qui ingressi fuerint, statim exacto ministerio regredi festinabunt. Alias autem nec clericus nec monachus juvenis ad puellarum congregationem habebit accessum, nisi aut paterna aut germana necessitudo probetur admittere.

VIII.

Vt non amplius suscipiantur in monasterio canonicorum atque monachorum, seu etiam puellarum, nisi quantum ratio permittit, & in eodem monasterio absque necessariarum rerum penuria degere possunt.

Cap. 1 institutionibus. Mogunt. Conc. tempore Arn. si cap. 23.

IX.

Vt unusquisque de propriis laboribus decimas & primitias Deo offerat, sicut scriptum est: *Decimas & primitias tuas non tardabis offerre domino Deo tuo.* Exod. 22.

X.

Providimus enim pro ædificatione omnium ecclesiarum, & pro utilitate totius populi, ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus parochiis, presbyteri ad populum verbum faciant, & ut bene vivere studeant, & populo sibi commisso prædicare non negligant.

XI.

De incestis conjunctionibus, sicut a sanctis patribus institutum est, nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adul-

terium

terium separatione sanaverint. Incestos vero, nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est, hos esse censemus: Si quis relictam fratris, quæ pene prius soror extiterat, carnali conjunctione violaverit: si quis fratris germanam uxorem acceperit, si quis novercam duxerit, si quis consobrinæ suæ se societ, si quis relictæ vel filiæ avunculi misceatur, aut patris filiæ vel privignæ suæ concubitu polluatur: vel si quid est hujusmodi, quod & hic annotare longum est, & in exitii barathrum negligentem quemlibet immergit.

XII.

De pacis bono atque concordia, ut ab omnibus omnino indisrupta teneatur, inter episcopos & comites, inter clericos & monachos, & omnem populum Christianum, ut beatus apostolus docuit, dicens: *Sectamini castitatem, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Et idcirco quidquid illud est, quod nos ad veræ pacis studium, & caritatis perfectionem provocat, totis viribus nostris sectandum est: quidquid nos ab illa disjungit, ut venenum mortiferum, a nobis cavendum est.

XIII.

Vt comites, judices, seu reliquus populus, obedientes sint episcopo, & invicem consentiant ad justitias faciendas, & munera pro judicio non recipiant, nec falsos testes, ne per hoc pervertant judicia justorum: quia scriptum est: *Iustitia elevat gentem, injustitia vero miseros facit populos.* & psalmista: *Beati qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore.*

XIV.

Vt unusquisque tempore famis, aut cujuslibet necessitatis, ad se pertinentes pro viribus suis gubernare studeat, quia scriptum est: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* & iterum: *Date & dabitur vobis: dimittite, & dimittetur vobis.*

XV.

Vt pondera vel mensuræ ubique æqualia sint & justa, sicut scriptum est: *Æquus modius, & æquus sextarius.* & iterum: *Pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.*

XVI.

Ne in dominicis diebus publica mercata, neque causationes disceptationesque exerceantur & penitus a rurali & servili opere cessetur: his solummodo peractis, quæ ad Dei cultum & servitium pertinere noscuntur.

XVII.

Vt unusquisque episcopus semel in anno circumeat parochiam suam. Noverint sibi curam populorum & pauperum in protegendis ac defendendis impositam. Ideoque dum conspiciunt judices ac potentes pauperum oppressores existere, prius eos sacerdotali admonitione redarguant; & si contempserint emendari, eorum insolentia regis auribus intimetur, ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, regalis potestas ab improbitate coerceat.

XVIII.

Vt presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ, vel cujuslibet rei donare præsumant. Genus enim sacramenti est, & non ab aliis nisi a sacerdotibus contingi debet. Quod si fecerint, honore priventur.

XIX.

Vt parentes filios suos, & patrini eos, quos de fonte lavacri suscipiunt, erudire summopere studeant. illi, quia eos genuerunt, & eis a domino dati sunt: isti, quia pro eis fidejussores existunt. Capitular. lib. II. c. 46.

XX.

Vt ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec alia ulla possessione priventur.

XXI.

Vt de sepeliendis in basilicis mortuis illa constitutio servetur, quæ ab antiquis patribus constituta est. Capitular. lib. II. c. 47.

XXII.

Vt placita publica & sæcularia, neque in atriis basilicarum, neque in ipsis basilicis fiant, dicente domino: *Domus mea domus orationis vocabitur.* Matth. 21.

XXIII.

Ne comites, vel vicarii, seu judices, vel centenarii, sub mala occasione vel ingenio res pauperum emant, nec per vim tollant, aut quolibet argumento subripiant: sed si cui aliquid possessionum emendum, aut vendendum sit, id in publico coram comite, & judicibus, & nobilibus civitatis facere debebit.

XXIV.

Vt unusquisque episcopus in sua parochia presbyteros vel diacones diligenter inquirat, & fugitivos omnes clericos ad loca sua redire jubeat, & propriis episcopis, aut rectoribus quærentibus reddat.

XXV.

Vt si quis beneficium de rebus ecclesiæ habet, ad tecta ejusdem ecclesiæ restauranda, vel ad ipsas ecclesias ædificandas omnino adjuvet.

XXVI.

Vt qui publico crimine convicti sunt, rei publice judicentur, & publicam pœnitentiam agant secundum canones.

Hæc igitur sub brevitate, quæ emenda-

ANNO CHRISTI 813.

tione digna perspeximus, quam brevissime annotavimus, & domino imperatori præsentanda decrevimus, poscentes ejus clementiam, ut si quid hic minus est, ejus prudentia suppleatur: si quid secus quam se ratio habet, ejus judicio emendetur: si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio divina opitulante clementia perficiatur.

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Concilium Arelatense VI.*] De hoc & quatuor sequentibus conciliis Eginhartus in chronico anni DCCCXIII. *Concilia quoque jussu ejus*, Caroli imperatoris, *super statu ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ab episcopis celebrata sunt: quorum unum Moguntiaci, alterum Rhemis, tertium Turonis, quartum Cabillone, quintum Arelati congregatum est.* Eodemque ordine ac numero in annalibus Pithœanis, & a Reginone, aliisque recensentur. In tomis conciliorum primo loco positum est Arelatense, tum Turonense, Cabillonense, Moguntiacum, & Rhemense. Si temporis spectanda est ratio, Arelatense & Rhemense Maii mensis notam præferunt, Moguntiacum Iunii, reliqua duo notam nullam habent: quamquam omnia per æstatem habita fuisse dubium non est.

NOTA SEVERINI BINII.

Locus, causa & tempus concilii.

a *Concilium.*] De loco, causa, & tempore hujus & sequentium quatuor conciliorum, annales Francorum ista habent: *Nam hoc eodem anno quinque concilia quoque jussu ejus super statu ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ab episcopis celebrata esse. Quorum unum Moguntiaci, alterum Rhemis, tertium Turonis, quartum Cabilloni, quintum Arelati congregatum est. Et constitutiones, quæ in singulis facta sunt, collatione coram imperatore in illo conventu habita, qui nosse voluerit, in supradictis civitatibus invenire poterit, quamquam & in archivo palatii exemplaria illarum habeantur.*

a CONCILIVM b MOGVNTIACVM

CAROLI MAGNI IMPERATORIS IVSSV in claustro basilicæ sancti Albani celebratum sub die v. Idus Iunias, indictione VI. anno Christi DCCCXIII. Leonis III. papæ XVIII. Caroli ejusdem regis & imperatoris XLV.

TITVLI CANONVM.

I. *De fide catholica firmiter tenenda.*
II. *De spe habenda in Deum.*
III. *De caritate ab omnibus conservanda.*
IV. *De sacramento baptismi uniformiter celebrando.*
V. *De pace, & concordia, & unanimitate.*
VI. *De orphanis & exheredatis subveniendo.*
VII. *Vt res pauperum, vel minus potentum, mala occasione non emantur.*
VIII. *De potestate episcoporum pro rebus ecclesiasticis, ac de convenientia episcoporum cum laicis.*
IX. *De vita canonicorum.*
X. *Item de vita clericorum.*
XI. *De vita monachorum.*
XII. *Ne monachi placita sæcularia adeant.*
XIII. *De sacris virginibus.*
XIV. *De negotio sæculari clericis & monachis interdicto.*
XV. *De imitatione apostolica.*
XVI. *De eo, quid sit relinquere mundum.*
XVII. *De armis omittendis.*
XVIII. *De fictis virtutibus, & veris vitiis discernendis.*
XIX. *Vt in monasteria nimis multi homines non mittantur.*
XX. *De locis monasteriorum vel ædificiis providendis.*
XXI. *Vt episcopi sciant qualiter canonici, qui sunt cum abbatibus, vivant.*
XXII. *De clericis vagis.*
XXIII. *De clericis injuste tonsuratis.*
XXIV. *De clericis adeuntibus imperatorem.*
XXV. *Vt prædicatio sancta assidue in ecclesia fiat.*
XXVI. *Presbyteri tantum ad missarum solennia introitum habeant ad monasteria puellarum.*
XXVII. *Vt presbyteri chrisma diligenter custodiant.*
XXVIII. *Vt presbyteri assidue utantur orariis.*
XXIX. *Ne laici presbyteros ejiciant de ecclesiis, eosve in eis constituant absque episcopi consensu.*
XXX. *Ne laici a presbyteris munera exigant.*
XXXI. *De fugitivis clericis.*
XXXII. *Quid sit litania, & quid exomologesis.*
XXXIII. *De litania majore.*
XXXIV. *De quatuor temporibus observandis.*
XXXV. *De indictio jejunio.*
XXXVI. *De festivitatibus anni.*
XXXVII. *De dominicis diebus cum veneratione observandis.*
XXXVIII. *De decimis, ut dentur.*
XXXIX. *Vt ecclesiæ pacem habeant.*
XL. *Vt in ecclesiis placita sæcularia non fiant.*
XLI. *Vt antiquæ ecclesiæ honorem suum habeant.*
XLII. *De beneficiis ecclesiasticis, ut qui hæc habent, ad ecclesiarum restaurationem adjuvent, & nonam ac decimam reddant.*
XLIII. *Ne presbyter solus missam cantet.*
XLIV. *De oblatione & pace in ecclesia facienda.*
XLV. *Vt symbolum & orationem dominicam omnes discant.*
XLVI. *Vt malum ebrietatis omnino vitetur.*
XLVII. *De spiritalibus filiolis instruendis.*
XLVIII. *Vt canticum luxuriosum circa ecclesias non canatur.*
XLIX. *De subintroductis mulieribus.*
L. *De præpositis, vel advocatis, sive vicedominis.*
LI. *Ne corpora sanctorum transferantur de loco ad locum.*
LII. *Qui mortui in ecclesia sepeliantur.*
LIII. *De incestuosis.*
LIV. *Ne proprius filius de baptismo suscipiatur, & ne filiola vel commater uxor ducatur.*
LV. *De damnatis nuptiis.*

PRÆFATIO.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Gloriosissimo & Christianissimo imperatori Carolo augusto, veræ religionis rectori, ac defensori sanctæ Dei ecclesiæ, una cum prole sua, ejusque fidelibus, vita & salus, honor & benedictio, cum victoria sine fine mansura. Almificæ reverentiæ vestræ patefacimus nos humillimi famuli ac missi vestri, Hildebaldus scilicet sacri palatii archiepiscopus, Richolfus & Arno archiepiscopi, seu Bernharius, una cum reliquis coepiscopis, atque abbatibus, & cetero clero, quia venimus secundum jussionem vestram in civitatem Maguntiam; ibique pariter adunati primitus cum litaniis triduanum celebravimus jejunium, divinam suppliciter postulantes clementiam, quatenus sancta gratia sua conventum & actionem ipsius synodi sibi acceptabilem facere dignaretur, & Christiano populo proficientem ad salutem & vitam perpetuam, vobisque ad æternum honorem

ANNO CHRISTI 813.

honorem & gloriam. Tum vero consedentes in claustro basilicæ sancti Albani martyris Christi, consona voce gratias egimus Deo Patri omnipotenti, quia sanctæ ecclesiæ suæ tam pium ac devotum in servitio Dei concessit habere rectorem, qui suis temporibus sacræ sapientiæ fontem aperiens, oves Christi indesinenter sanctis reficit alimentis, ac divinis instruit disciplinis, Christianumque populum indefesso labore amplificare conatur, hilariterque Christi honorat ecclesias, ac de fauce diri draconis multorum animas studet eripere, & ad signum sanctæ matris ecclesiæ revocare, atque ad gaudia paradisi, & ad regna cælestia omnes communiter invitare, sancta sapientia sua devotissimoque studio ceteros reges transcendens. Incipientes igitur in nomine domini communi consensu & voluntate tractare pariter de statu veræ religionis, ac de utilitate & profectu Christianæ plebis, convenit nobis, de nostro communi collegio clericorum, seu laicorum, tres facere turmas, sicut & fecimus. In prima autem turma consederunt episcopi cum quibusdam notariis, legentes atque tractantes sanctum euangelium, nec non epistolas & actus apostolorum, canones quoque ac diversa sanctorum patrum opuscula, pastoralemque librum Gregorii, cum ceteris sacris dogmatibus; diligenti studio perquirentes, quibus modis statum ecclesiæ Dei, & Christianæ plebis profectum sana doctrina & exemplis justitiæ inconvulsum, largiente gratia Dei, perficere & conservare potuissent. In alia vero turma consederunt abbates ac probati monachi, regulam sancti Benedicti legentes, atque tractantes diligenter, qualiter monachorum vitam in meliorem statum, atque augmentum cum Dei gratia perducere potuissent. In tertia denique turma sederunt comites & judices in mundanis legibus decertantes, vulgi justitias perquirentes, omniumque advenientium causas diligenter examinantes, modis quibus poterant justitias terminantes. In his itaque omnibus primo decrevimus, unicuique personæ vel sexui congruum honorem impendere, secundum dictum beati Petri primi pastoris ecclesiæ, ubi ait: *Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorificate. Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia in Christo Iesu domino nostro.* Hinc Paulus ad Timotheum scripsit dicens: *Attende tibi & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt. Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut sorores in omni castitate.* Insuper etiam congruum nobis esse videbatur, ut sacerdotes ecclesiæ Dei jure legitimo & inconvulso honorarentur, de quibus dominus ait: *Qui vos audit, me audit: & qui vos recipit, me recipit: qui autem me recipit, recipit eum qui me misit.* & apostolus ab Hebræos: *Obedite*, inquit, *præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Nam de reverentia ecclesiarum dicit dominus: *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus.* De his tamen omnibus valde indigemus vestro adjutorio, atque sana doctrina, quæ & nos jugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea, quæ paucis subter perstrinximus capitulis, a vestra auctoritate firmentur, si tamen vestra pietas ita dignum esse judicaverit; & quidquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica imperialis dignitas jubeat emendare: ut ita emendata, nobis omnibus & cunctæ Christianæ plebi, ac posteris nostris proficiant ad vitam & salutem, & ad gloriam sempiternam; vobisque inde merces, honor, & laus, & benedictio ac beatitudo permaneat in omnes æternitates sæculi.

CANONES.

I.

Initium enim actionis nostræ de fide esse decrevimus, quæ bonorum omnium est fundamentum, & quia *sine fide*, ut dicit apostolus, *impossibile est placere Deo*. (Hebr. 11.) Fides tamen indiget opere, quia fides sine operibus mortua est. Ideo beatus Gregorius: Ille, inquit, vere credit, qui exercet operando quod credit. Quapropter de vera fide omnes omnino Christianos alterutrum inter se jugiter admonere & docere oportet. Maxime tamen domini sacerdotes in eo certamine laborare decet, ut firmiter ab omnibus teneatur.

II.

Spes vero in Deum firmiter a cunctis Christianis tenenda est. Vnde psalmista commemorat: *Sperate in eo omnis congregatio populi*, & reliqua. (Psal. 61.) & iterum: *Spera in domino, & fac bonitatem.* (Psal. 36.) & iterum: *Sperantes autem in domino misericordia circumdabit.* (Psal. 31.) & apostolus: *Spe enim salvi facti sumus.* (Rom. 8.)

III.

Caritas Deus est, ut ait Ioannes apostolus: *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* (1. Ioan. 4.) Item Paulus apostolus: *Finis*, inquit, *præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* (1. Tim. 1.) Caritatem ergo qui habet, omnia bona habet. Quam ideo commemoravimus, quia volumus ut firmiter ab omnibus æque catholicis conservetur. Augustinus quoque in sermone de laude caritatis dicit: Si ergo non vacat omnes paginas perscrutari, omnium scripturarum secreta penetrare, tene caritatem, ubi pendent omnia: ibi tenebis quod ibi didicisti. Ille itaque tenet & quod patet, & quod latet in divinis sermonibus, qui caritatem tenet in moribus.

IV.

Sacramenta itaque baptismatis volumus, ut sicut sancta vestra fuit admonitio, ita concorditer atque uniformiter in singulis parochiis, secundum Romanum ordinem inter nos celebrentur, jugiterque conserventur: id est scrutinium ad ordinem baptismatis, sicut in decretis Leonis papæ sub duobus continetur capitulis. (Ad episcopos Siciliæ.) In capitulo XI. Duo tempora, id est pascha & pentecoste, ad baptizandum a Romano pontifice legitima præfixa sunt. Item capitulo XII. Non interdicta licentia,

Anno Christi 813 tia, qua in baptismo tribuendo quolibet A tempore periclitantibus subvenitur. Et Siricius: Si in qualibet necessitate opus fuerit sacri unda baptismatis, omni volumus celeritate succurri. (Ad Himerium cap. 2.)

V.

(Addit III. cap. 15.) Ut pax & concordia sit atque unanimitas in populo Christiano, quia unum Deum patrem habemus in cælis, & unam matrem ecclesiam, unam fidem, unum baptisma. Ideo in una pace & unanimitate concorditer vivere debemus, si ad unam & veram hereditatem regni cælestis cupimus pervenire: quia non est B dissensionis Deus, sed pacis, ut ipse ait: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* (Matth. 5.)

VI.

(Capitular. lib. II. c. 31.) Propter istius itaque pacis concordiam conservandam, placuit nobis de orphanis & pauperibus, qui debite vel indebite dicuntur amisisse hereditatem paterni vel materni juris ad se legibus pertinentem; si alicubi inventi fuerint, quos patres vel matres propter traditiones illorum exheredes fecerunt, aliorum scilicet suasionibus aut petitionibus, vel aliquo ingenio; C omnino volumus atque decrevimus emendari, quantum ad nos vel ad nostram pertinet potestatem, juxta voluntatem Dei, & vestram sanctam admonitionem & considerationem. Quod si forte extra officium nostrum alicubi inventum fuerit, admonere vestram clementiam audeamus, ut emendetur.

VII.

(Ibid. c. 32.) Propter provisiones pauperum, pro quibus curam habere debemus, placuit nobis, ut nec episcopi, nec abbates, nec comites, nec vicarii, nec judices, nullusque omnino sub mala occasione, vel malo ingenio, res pauperum, vel minus potentum, nec emere, nec vi tollere audeat. Sed si quis ex eis aliquid comparare voluerit, in publico placito, coram idoneis testibus, & cum ratione hoc faciat. Ubicumque autem aliter inventum fuerit factum, hoc omnino emendetur per jussionem vestram.

VIII.

(Capitular. lib. 5. c. 114.) Ut episcopi potestatem habeant res ecclesiasticas providere, regere, gubernare, atque dispensare secundum canonum auctoritatem, volumus: & ut laici in eorum ministerio obediant episcopis ad regendas ecclesias Dei, viduas & orphanos defensandos, & ut obedientes sint eis ad eorum Christianitatem servandam. Et episcopi consentientes sint comitibus & judicibus ad justitias faciendas: & ut nullatenus per aliquorum mendacium, vel falsum testimonium, neque per perjurium, aut per præmium, lex justa in aliquo depravetur.

IX.

(Ibid. c.) In omnibus igitur, quantum humana permittit fragilitas, decrevimus, ut canonici clerici canonice vivant, observantes divinæ scripturæ doctrinam, & documenta sanctorum patrum, & nihil sine licentia episcopi sui vel magistri eorum composite agere præsumant in unoquoque episcopatu: & ut simul manducent & dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit, vel qui de rebus ecclesiasticis stipendia accipiunt, & in suo claustro maneant, & singulis diebus mane primo ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam vero similiter lectionem audiant, & obedientiam secundum canones suis magistris exhibeant.

X.

Discretionem igitur esse volumus atque decrevimus inter eos, qui dicuntur sæculum reliquisse, & adhuc sæculum sectantur. Placuit igitur sancto concilio, ut ita discernantur, sicut in regula clericorum dictum est. His igitur lege patrum cavetur, ut a vulgari vita seclusi, a mundi voluptatibus sese abstineant; non spectaculis, non pompis intersint, convivia inhonesta & turpia fugiant. Tamen Hieronymus in epistola ad Nepotianum dicit: Omnium Christianorum domos quasi proprias amare debemus, ut consolatores nos in mœroribus suis potius, quam convivas in prosperis noverint. Item Isidorus: Clerici tamen convivia privata non tantum pudica, sed & sobria colant: usuris (Lib. 2. offic. cap.) D nequaquam incumbant, neque turpium occupationes lucrorum, fraudisque cujusquam studium appetant. Amorem pecuniæ, quasi materiam cunctorum criminum, fugiant; sæcularia officia, negotiaque abjiciant: honorum gradus per ambitionem non subeant: pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant: dolos & conjurationes caveant: odium, æmulationem, obtrectationem, atque invidiam fugiant. Non vagis oculis, non infreni lingua aut petulanti, tumidoque gestu incedant: sed pudorem ac verecundiam mentis E simplici habitu incessuque ostendant, obscœnitatem etiam verborum, sicut & operum, penitus execrentur. viduarum ac virginum visitationes frequentissimas fugiant: contubernia feminarum nullatenus appetant. castimoniam quoque inviolati corporis perpetuo conservare studeant. Senioribus quoque debitam præbeant obedientiam; neque ullo jactantiæ studio se attollant. Postremo in doctrina, in lectionibus, in psalmis, hymnis & canticis, exercitio jugi incumbant. Tales enim

enim debent esse, qui divinis cultibus se mancipandos student exhibere: scilicet ut dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent.

XI.

Abbates autem censuimus ita cum monachis suis pleniter vivere, sicut ipsi qui in præsenti synodo aderant palam nobis omnibus promiserunt: id est, secundum doctrinam sanctæ regulæ Benedicti, quantum humana permittit fragilitas. Ac deinde decrevimus, sicut sancta regula dicit, ut monasterium, ubi fieri possit, per decanos ordinetur: quia illi præpositi sæpe in elationem incidunt, & in laqueum diaboli.

XII.

Hoc tamen omnino volumus, ut monachi ad sæcularia placita nullatenus veniant, neque ipse abbas sine consilio episcopi sui: & cum necessitas exigit, tunc per jussionem & consilium episcopi illuc vadat, nequaquam tamen contentiones, aut lites aliquas ibi movere præsumat: sed quidquid quærendum vel etiam respondendum sit, per advocatos suos hoc faciat. Abbates & monachi usque ad interrogationem silentium habeant: & cum interrogantur, cum humilitate & reverentia respondeant: alias querelas omnino devitent. In eorum claustro permaneant, nullusque ex eis foras vadat, nisi per necessitatem ab abbate mittatur in obedientiam. Nec foris manducent, neque bibant, sine permissione abbatis, nec ad convivia sæcularia vadant.

XIII.

Abbatissas cum sanctimonialibus omnino recte & juste vivere censemus. Quæ vero professionem sanctæ regulæ Benedicti fecerunt, regulariter vivant. Sin autem, canonice vivant pleniter, & sub diligenti cura custodiam habeant, & in claustris permaneant, neque foras exitum habeant. Sed & ipsæ abbatissæ in monasteriis sedeant, nec foras vadant sine licentia & consilio episcopi sui.

XIV.

Ministri autem altaris domini, vel monachi, nobis placuit, ut a negotiis sæcularibus omnino abstineant. Multa sunt ergo negotia sæcularia: de his tamen pauca perstrinximus, ad quæ pertinet omnis libido, non solum in immunditia carnis, sed etiam in omni concupiscentia carnali. Quidquid plus justo appetit homo, turpe lucrum est. munera injusta accipere, vel etiam dare, pro aliquo sæculari quæstu pretio aliquem conducere, contentiones lites vel rixas amare, in placitis sæcularibus disputare, excepta defensione orphanorum aut viduarum, A conductores aut procuratores esse sæcularium rerum: turpis verbi vel facti joculatorem esse, vel jocum sæcularem diligere, aleas amare, ornamentum inconveniens proposito suo quærere, in deliciis vivere velle, gulam & ebrietatem sequi, pondera injusta vel mensuras habere, negotium injustum exercere. Nec tamen justum negotium est contradicendum propter necessitates diversas; quia legimus sanctos apostolos negotiatos esse, & in regula sancti Benedicti præcipitur prævidere, per quorum manus negotium monasterii transeat. B Canes & aves sequi ad venandum, in omnibus quibuslibet sit causis superfluum esse. Ecce talia, & his similia ministris altaris domini, nec non & monachis, omnino contradicimus. de quibus dicit apostolus: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* 2. Tim. 2.

ANNO CHRISTI 813.

XV.

Apostolus dicit: *Imitatores mei estote, & observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram: non eos observantes* C *qui sunt inimici crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in cælis est.* Phil. 3. Sicut Hieronymus in epistolam ad Galatas ait: Æmulantur autem bene, qui cum videant vel audiant esse in aliquibus gratias, dona virtutesque, ipsi tales esse desiderant, & fidem, vitam, atque industriam eorum, per quæ illa meruerunt, nituntur imitari, ut possint ea quoque quæ bona æmulatione digna sunt consequi, D magis quærentes spiritalia quam carnalia, ut perseveranti gradu ad finem boni operis pervenire possint. Augustinus in primo libro de agone Christianorum hanc sententiam interpretans dicit: Imitatores mei estote: sicut & ego Christi. Quare intelligendum est, etiam ipsum apostolum in semetipso triumphasse de potestatibus hujus mundi, sicut de domino dixerat, cujus se imitatorem esse profitetur. Imitemur ergo & nos illum, sicut hortatur, & castigemus corpus nostrum, E & in servitutem redigamus, si mundum volumus vincere. Aliquando quidem suo exemplo Christi nos fieri imitatores jubet dicendo: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 1. Cor. 11. Aliquando quidem de se reticens, ad ipsius imitationem Dei extendit, dicens: *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi.* Ephes. 5. Iam vero demonstrans quia nihil ita hanc imitationem pariat, quam si ita vivat aliquis, ut bonum ejus in commune proficiat, atque universis utiliora provideat, adjunxit: *Ambulate in caritate.* Ideo cum dixisset, imitatores

Anno Christi 813.

res Dei estote, continuo de caritate disseruit, quia hæc præcipue virtus homines Deo proximos facit.

XVI.

Sæculum autem relinquere, est, sicut Gregorius dicit, sæculi voluptatibus contraire. Hinc Paulus admonet: dicens: *Qui emunt, tamquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur.* Et Gregorius in libro pastorum: Vt videlicet sic vobis suppetant, & exterius serviant, quatenus a supernæ dilectionis studio animum non reflectant. (1. Cor. 6.)

XVII.

Nos autem qui relinquimus sæculum, id modis omnibus observare volumus, ut arma spiritalia habeamus, sæcularia dimittamus. laicis vero, qui apud nos sunt, arma portare non præjudicemus: quia antiquus mos est, & ad nos usque pervenit.

XVIII.

Dominus dicit in in euangelio: *Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* (Matth. 7.) Hinc Hieronymus in commentario Matthæi dicit: De omnibus quidem intelligi potest, qui aliud habitu ac sermone promittunt, aliud opere demonstrant. Item in alio loco: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* (Matth. 7.) Nec his quidem accommodanda fides est, qui cum pollent integritate fidei, turpiter vivunt, & doctrinæ integritatem operibus destruunt. Vtrumque enim Dei servis necessarium est, ut opus sermone, & sermo operibus comprobetur. Et Beda in tractatu in euangelium Lucæ dicit: Ipse enim finis est, ut nihil duplici animo faciamus. Si veram, inquit, & non fictam vis habere justitiam, quæ verbis ostentas, etiam factis compensare curato. Et apostolus. *Dilectio sine simulatione, odientes malum, adhærentes bono.* (Rom. 12.)

XIX.

Vt plures non mittantur in monasteria canonicorum vel monachorum, aut etiam puellarum, quam sufferri possit.

XX.

Deinde dignum ac necessarium est, ut missi per quæque loca directi, simul cum episcopis uniuscujusque diœcesis, perspiciant loca monasteriorum, canonicorum pariter & monachorum, similiterque puellarum, si in apto & congruo loco sint posita, ubi commodum necessarium possit acquiri, quod ad utilitatem pertinet monasterii, sicut in sancta regula dicitur: monasterium autem ita debet constitui, ut omnia necessaria infra monasterium exerceantur; ut non sit necessitas monachis vel clericis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Similiter quoque ædificia monasteriorum supradicti missi, & cum eis episcopi, per diversa loca prævideant, si apta sint, & congruenter sanctæ professioni composita: vel si claustrum firmum habeant, in quo salvari possint animæ in eis commorantium sub disciplina canonica vel regulari. ubi autem aliter inventum fuerit, hoc omnimodis episcopus loci ipsius faciat emendari: ita ut condignam professioni eorum custodiam habeant canonici, vel monachi, atque nonnanes, ne detur eis occasio malefaciendi quod absit. (Capitular. lib. 5. c. 79.)

XXI.

Præcipimus ut unusquisque episcopus sciat per singula monasteria, quantos quisque abbas canonicos in monasterio suo habeat: & hoc omnino ambo pariter provideant, ut si monachi fieri voluerint, regulariter vivant: sin autem, canonice vivant omnino. (Capit. lib. 5.)

XXII.

De clericis vagis, seu de acephalis, id est, de his qui sunt sine capite, neque in servitio domini nostri, neque sub episcopo, neque sub abbate, sed sine canonica vel regulari vita degentes, ut in libro officiorum secundo, capitulo tertio, de eis dicitur. Hos neque inter laicos sæcularium officiorum studia, neque inter clericos religio tenet divina, sed solutos atque oberrantes sola turpis vita complectitur & vaga: quique dum nullum metuunt, explendæ voluptatis suæ licentiam sectantur, quasi animalia bruta, libertate ac desiderio suo feruntur, habentes signum religionis, non religionis officium, hippocentauris similes, nec equi, nec homines. Tales omnino, ubicumque inventi fuerint, præcipimus ut episcopi sine ulla mora eos sub custodia constringant canonica, & nullatenus eos amplius ita errabundos & vagos secundum desideria voluptatum suarum vivere permittant. Sin autem episcopis suis canonice obedire noluerint, excommunicentur usque ad judicium archiepiscopi regionis illius. Si autem nec ille eos corrigere voluerit, tunc omnino sub vinculis constringantur, usque ad synodum, ut ibi eis judicetur, utrum ad judicium domini nostri, aut ad istam magnam synodum adferantur sub custodia. (Isidor.)

XXIII.

De clericis vero hoc statuimus, ut hi qui hactenus inventi sunt, sive in canonico, sive in monachico ordine, tonsurati sine eorum voluntate, si liberi sunt, ut ita permaneant: & deinceps cavendum, ut nullus tondeatur sine legitima ætate, & spontanea voluntate, vel cum licentia domini sui. (Cap. regul. & tribus lig.)

XXXIV.

ANNO CHRISTI 813.

XXIV.

De clericis adeuntibus imperatorem hoc placet omnibus modis observare, quod de eis in sacris canonibus constitutum est.

XXV.

De officio prædicationis, si forte episcopus non fuerit in domo sua, aut infirmus est, aut alia aliqua causa exigente non valuerit, nunquam tamen desit diebus dominicis, aut festivitatibus, qui verbum Dei prædicet, juxta quod intelligere vulgus possit.

XXVI.

Ut presbyteris per monasteria puellarum opportuno tempore liceat missarum solennia celebrare, & iterum ad proprias ecclesias redire.

XXVII.

Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ, vel maleficii, donare inde præsumant. Quod si fecerint, honore priventur.

XXVIII.

Presbyteri sine intermissione utantur orariis propter differentiam sacerdotii dignitatis.

XXIX.

Ut laici presbyteros non ejiciant de ecclesiis, neque constituant, sine consensu episcoporum suorum.

XXX.

Ut laici omnino munera injusta non exigant a presbyteris propter commendationem ecclesiæ cuiquam presbytero.

XXXI.

Ut unusquisque episcopus in sua parochia diligenter presbyteros vel clericos inquirat unde sint, & si aliquem fugitivum invenerit, ad suum episcopum redire faciat.

XXXII.

Litaniæ autem Greco nomine appellantur, quę Latine dicuntur rogationes. Inter litanias autem & exomologeses hoc differt, quod exomologeses pro sola peccatorum confessione agantur: litaniæ vero indicantur propter rogandum Deum, & impetrandum in aliquo miseicordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum sub una designatione habetur.

XXXIII.

Placuit nobis, ut litania major observanda sit a cunctis Christianis diebus tribus, sicut legendo reperimus, & sicut sancti patres nostri instituerunt, non equitando, nec preciosis vestibus induti, sed discalceati, cinere & cilicio induti, nisi infirmitas impedierit.

XXXIV.

Constituimus ut quatuor tempora anni ab omnibus cum jejunio observentur, id

A est, in mense Martio hebdomada prima: & feria IV. & VI. & sabbato veniant omnes ad ecclesiam, hora nona cum litaniis ad missarum solennia. Similiter in mense Iunio hebdomada secunda, feria IV. & VI. & sabbato jejunetur usque ad horam nonam, & a carne ab omnibus abstineatur. Similiter in mense Septembrio hebdomada tertia, & in mense Decembrio hebdomada, quæ fuerit plena ante vigiliam natalis domini, sicut est in Romana ecclesia traditum. Constituimus.

B

XXXV.

Quod si quis indictum jejunium superbiendo contempserit, & observare cum ceteris Christianis noluerit, in Gangrensi concilio precipitur ut anathematizetur, nisi emendare se studeat. Ibid. c. 87. Conc. Gangr. can. 19.

XXXVI.

Festos dies in anno celebrare sancimus. Hoc est diem dominicum paschæ, cum omni honore & sobrietate venerari, simili modo totam hebdomadam illam observari decrevimus. Diem ascensionis domini C pleniter celebrare. Item pentecosten similiter ut in pascha. In natali apostolorum Petri & Pauli diem unum, nativitatem sancti Ioannis Baptistæ, assumptionem sanctæ Mariæ, dedicationem sancti Michaelis, natalem S. Remigii, S. Martini, S. Andreæ. In natali domini dies quatuor, octavas domini, epiphaniam domini, purificationem sanctæ Mariæ. Et illas festivitates martyrum, vel confessorum observare decrevimus, quorum in unaquaque parochia sancta corpora requiescunt. Similiter etiam dedicationem tēpli. Capitular. lib. II. c. 35.

XXXVII.

D Omnes dies dominicos cum omni veneratione decrevimus observari, & a servili opere abstinere: & ut mercatus in eis minime sit, nec placitum, ubi aliquis ad mortem vel ad pœnam judicetur. Capitular. lib 5. c. 88.

XXXVIII.

Admonemus atque præcipimus, ut decimas Deo omnino dari non negligatur, quas Deus ipse sibi dari constituit: quia timendum est, ut quisquis Deo debitum suum abstrahit, ne forte Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua. Ibid. c. 89.

XXXIX.

E Reum confugientem ad ecclesiam nemo abstrahere audeat, nec inde donare ad pœnam vel ad mortem, ut honor Dei & sanctorum ejus conservetur: sed rectores ecclesiarum pacem & vitam ac membra ejus obtinere studeant: tamen legitime componat, quod inique fecit. Ibid. c. 90.

XL.

Precipimus ut in ecclesiis, aut in domibus ecclesiarum, vel atriis, placita sæcularia minime fiant. Ibid. c. 91.

ANNO CHRISTI 813.

XLI.

Capitular. lib. II. c. 36. 16. q. 1. Ecclesię antiq.

Ecclesiæ antiquitus constitutę nec decimis, nec aliis possessionibus priventur, ita ut novis oratoriis tribuantur.

XLII.

Capitular. lib. 5. c. 92. c. 1. de ecclesiis ædific.

Quicumque beneficium ecclesiasticum habent, ad tecta ecclesiæ restauranda, vel ipsas ecclesias emendandas, omnino adjuvent, & nonam & decimam reddant.

XIII.

Ibid. c. 93.

Nullus presbyter, ut nobis videtur, solus missam cantare valet recte. Quomodo enim dicet, Dominus vobiscum, vel, Sursum corda admonebit habere, & alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit?

XLIV.

Ibid. c. 94.

Oblationem quoque & pacem in ecclesia facere, jugiter admoneatur populus Christianus: quia ipsa oblatio sibi & suis magnum remedium est animarum, & in ipsa pace vera unanimitas, & concordia demonstratur.

XLV.

Ibid. c. 95

Symbolum, quod est signaculum fidei, & orationem dominicam discere semper admoneant sacerdotes populum Christianum. Volumusque ut disciplinam condignam habeant qui hæc discere negligunt, sive in jejunio, sive in alia castigatione emendentur. Propterea dignum est, ut filios suos donent ad scholam, sive ad monasteria, sive foras presbyteris, ut fidem catholicam recte discant, & orationem dominicam, ut domi alios edocere valeant. Et qui aliter non potuerit, vel in sua lingua hoc discat.

XLVI.

Ibid. c. 96.

Magnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus præcipimus cavere: & qui hoc vitare noluerit, excommunicandum eum esse decrevimus usque ad emendationem congruam.

XLVII.

Deinde præcipimus, ut unusquisque compater, vel proximi, spiritales filiolos suos catholice instruant.

XLVIII.

Capitular. lib. 6. c. 97.

Canticum turpe atque luxuriosum circa ecclesias agere omnino contradicimus. quod & ubique vitandum est.

XLIX.

Omnibus igitur clericis feminas secum in domibus suis habere ultra licentiam canonum firmiter sit contradictum.

L.

Omnibus igitur episcopis, abbatibus, cunctoque clero omnino præcipimus vicedominos, præpositos, advocatos, sive defensores bonos habere, non malos, non crudeles, non cupidos, non perjuros, A non falsitatem amantes, sed Deum timentes, & in omnibus justitiam diligentes. De judicibus autem, vel centenariis, atque tribunis, seu vicariis, dignum esse censemus, ut si mali fuerint, de ministerio suo abjiciantur.

LI.

Deco dist. ... pora ... ctoru...

Deinceps vero corpora sanctorum de loco ad locum nullus pręsumat transferre, sine consilio principis, vel episcoporum, & sanctæ synodi licentia.

LII.

13. q. 2. ... lus mo...

B Nullus mortuus infra ecclesiam sepeliatur, nisi episcopi, aut abbates, aut digni presbyteri, vel fideles laici.

LIII.

Capit... lib. 5...

Vt episcopi incestuosos pariter investigare studeant omnino præcipimus. Et si pœnitere noluerint, de ecclesia expellantur, donec ad pœnitentiam revertantur.

LIV.

Ibid. c...

Contradicimus quoque, ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copu- C letur: ubi autem post interdictum factum inventum fuerit, separetur.

LV.

Ibid. c...

Nullus igitur proprium filium vel filiam de fonte baptismatis suscipiat: nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem; nec illam cujus filium, aut filiam ad confirmationem duxerit. Vbi autem factum fuerit, separentur.

LVI.

Ibid. c...

Si quis uxorem viduam duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu D duabus sororibus nupserit; aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre & filio, tales copulationes anathematizari & disiungi præcipimus, nec unquam amplius conjugio copulari, sed sub magna districtione fieri.

Facta est autem hæc synodus in civitate Moguntia, in claustro basilicæ sancti Albani martyris, anno domini DCCCXIII. & imperii domini Caroli imperatoris anno XIII. Indictione VI. V. Idus Iunii. ubi sederunt episcopi triginta, abbates vero viginti quinque.

NOTÆ SEVERINI BINII.

E

Causa ... pus con...

a *Concilium.*] Hęc synodus Moguntina loco & occasione eadem, qua pręcedentes, celebrata fuit tempore Richolphi archiepiscopi Moguntini, & Caroli magni, die nono Iunii anno Christi DCCCXIII. in claustro basilicæ sancti Albani Post triduanum jejunium inchoata. In ea de litaniis, quatuor temporibus, clericorum castitate & exemptione a bellicis negotiis: de armis laicis hominibus licite concessis. Plura utiliter, pie ac sancte constituta fuerũt. Acta synodalia contuli cum manuscripto exemplari, quod ex amplissima sacræ Cæsareæ majestatis bibliotheca Viennensi ad me deferri curavit reverendissimus D. Ioannes Pistorius. Hildebaldus qui hoc loco nominatur archiepiscopus sacri palatii, videtur fuisse ille, qui in testamento Caroli apud Eginhartum nominatur & subscribitur primo loco Hildeboldus Coloniensis archiepiscopus, cui successit Hadebaldus, qui cum Haistulpho, Ebbone Rhemensi, & Hettone Trevirensi, concilio ad Theodonis villam post hæc tẽpora celebrato, sub Ludovico imperatore pręsens interfuit. Vide quę in prædictũ conciliũ annotavi.

Acta aut...

Hildeb... dus Co... niensis ... scopus.

b *Mogun-*

b *Moguntiacum.*] Sic dictum a Moguntia, quæ auctore Nicolao Serario in hist. sua Mogunt. est urbs Galliæ sive Germaniæ, ab antiquissimis scriptoribus *Maguntiacum* & Mogantiacum: usitatiore nomine *Moguntia*, vulgo *Mentz* appellata; cujus etymologiam nominis Sorbillo quidam a Magog Iaphet filio: Piscator a magis ex eo loco per Trebatam expulsis: a Magantio Troiano alii deducunt. Claudius Drusus Germanicus Augusti privignus, Tiberii frater, inquit Serarius, urbem pauculis annis ante nativitatē Christi condidisse videtur alio loco quam nunc est sita: aliquoties destructa, sæpe restaurata fuit. Lingua utitur Germanica: Inter plurima urbis ornamenta, quæ describit Serarius, post typographiam Moguntiæ primum inventam, præcipuum hoc est, quod archiepiscopus Moguntinæ urbis a sede apostolica electoralem dignitatem primariam consecutus, convocandi & reliquos congregandi auctoritatem & potestatem habeat. Quadraginta tres archiepiscopi electores fuere. Bonifacius Germanorum martyr & apostolus, primus archiepiscopatum a sede apostolica impetravit. Fuerit ne Moguntinæ urbis femina, (ut vulgata communis habet fabula) ad Romanum pontificatum evecta, infra suo loco decidam.

a CONCILIVM b RHEMENSE II.

CAROLI MAGNI IMPERATORIS IVSSV in Rhemorum metropoli a Vulfario ejus sedis archiepiscopo congregatum anno Christi DCCCXIII. Leonis III. papæ XVIII. Caroli ejusdem regis & imperatoris XLV.

TITVLI CANONVM.

PRÆFATIO.

Hic est ordo capitulorum breviter annotatus, quæ anno dominicæ incarnationis DCCCXIII. notata sunt in conventu metropolitanæ sedis Rhemensis ecclesiæ a domino Carolo piissimo Cæsare, more priscorum imperatorum congregato, ordinante Vulfario ejusdem sanctæ sedis archiepiscopo, & ceteris quamplurimis patribus & fratribus in eodem conventu divina largiente clementia residentibus. Primo omnium mediante mense Maio, Deo inspirante, ab eisdem venerabilibus patribus institutum est secundum consuetudinem jejunium triduanum. quatenus ipso miserante ea quæ ad laudem & gloriam sui sancti nominis, & ad mercedm præfati gloriosissimi principis nostri, seu correctionem totius Christianitatis imperii, in eo consideranda vel statuenda erant, eo cooperante, secundum suam magnam misericordiam piissima voluntate ordinari mererentur.

CANONES.

I.

Capitulum primum est de fidei ratione, ut unusquisque juxta intellectum suæ capacitatis, domino largiente, disceret & intelligeret, atque operibus pleniter observaret.

II.

Vt orationem, quam dominus noster Iesus Christus discipulos suos orare docuit, verbis discerent, & sensu bene intelligerent: quia illam ignorare nulli Christiano licet.

III.

Vt quicumque ad gradus ecclesiasticos condigne ascendere voluerit, unusquisque intelligeret qualiter secundum possibilitatem intellectus sui in eo gradu, ubi consti-

ANNO CHRISTI 813.

constitutus est, Deo militare, & seipsum valeret custodire.

IV.

Vt ea quæ scripta sunt superius unusquisque secundum a Deo sibi collatum gradum operibus perficere valeret, residentibus cunctis lectæ sunt epistolæ Pauli, qualiter subdiaconi ministerium est eumdem apostolum legere, ut officium sibi commissum implere rectius potuisset.

V.

Lectum est euangelium, ut diaconi etiam instruerentur, qualiter Christo, cujus funguntur officio, condigne valerent ministrare.

VI.

Missarum ibi discussa est ratio, ut presbyteri minus antea scientes intelligerent, qualiter missarum solennia deinceps dignius celebrare deberent.

VII.

Baptisterii & catechumenorum ventilata est ratio, ut sacerdotes plenius intelligerent, qualiter condignis ordinibus efficerent Christianum.

VIII.

Lecti sunt sancti canones, ut quisque canonicus legem vitamque suam minime ignoraret, quod omnimodis non expedit, sicut in decretali legitur Innocentii.

IX.

Lecta est regula sancti Benedicti, ut ad memoriam reduceretur abbatibus minus scientibus, si qui forte adfuerint, qualiter & se & suos secundum eamdem regulam custodire valerent atque gubernare.

X.

Lectæ sunt sententiæ libri pastoralis beati Gregorii, ut pastores ecclesiæ intelligerent, quomodo ipsi vivere, & qualiter sibi subjectos deberent admonere: quoniam, teste eodem beato Gregorio, aliter admonendi sunt prælati, atque aliter subditi.

XI.

Diversorum ibi sententiæ relatæ sunt patrum, ut audientes in omnibus quæ supra inserta leguntur, tam prælati quam subditi, in Dei laudibus roborati, de his quæ audierant, fructum boni operis contenderent reddere.

XII.

Omnibus his actis, ventilata est ratio pœnitentiæ, ut sacerdotes certius intelligerent, quomodo confessiones recipere, & pœnitentiam secundum canonicam institutionem pœnitentibus deberent indicare.

XIII.

Ventilata est ratio octo principalium vitiorum, ut unusquisque diversitatem illorum sciret, & ab illis domino auxiliante se intelligeret custodire, & aliis prædicare.

XIV.

Vt episcopi diligentius operam dent, lectionique divinæ incumbant, id est, canonicis libris, & opusculis patrum, & verbum Dei omnibus prædicent.

XV.

Vt episcopi sermones & homilias sanctorum patrum, prout omnes intelligere possint, secundum proprietatem linguæ prædicare studeant.

XVI.

Vt episcopi & presbyteri examinent, qualiter confitentibus peccata dijudicent, & tempus pœnitentiæ constituant.

XVII.

Vt episcopi & abbates ante se joca turpia facere non permittant, sed pauperes & indigentes secum ad mensam habeant, & lectio divina ibi personet, & sumant cibum cum benedictione & laude domini, secundum apostolum: *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in laudem Dei facite.* Addit. 3. 18. 1. Cor. 10.

XVIII.

Episcopi, & Dei ministri, non debent comessationibus & vinolentiis nimiis incumbere, sed considerent sententiam domini dicentis: *Attendite ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate.* Moderate enim cibum & necessarium potum sumant, ut juxta apostolum sobrii sint, parati ad servitium domini. Luc. 21.

XIX.

Vt episcopi & judices judicia discernant: quia sunt quædam judicanda modo, quædam Dei judicio reservanda. Scriptum est enim: *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat dominus, qui & illuminabit absc ondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo.* Et illius memores sint: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis.* Addit. 3. cap. 19. 1. Cor. 4. Matt. 7.

XX.

Vt presbyteris de minore titulo ad majorem non liceat transmigrare.

XXI.

Vt quicumque presbyter per precium gradum & ecclesiam acquisierit, deponatur.

XXII.

Vt a sacerdotibus omnis suspicio mulierum funditus eradicetur: cum quibus etiam nulla habitatio eis concedatur, præter illam quæ in Nicæna synodo permittitur, id est, matrem, aut sororem, vel eas tantum personas, a quibus omnes suspiciones effugiant.

XXIII.

Vt in victu, vel vestitu, vel conversatione abbatum, qui monachos habere cernuntur, Dei voluntas & domini imperatoris impleatur.

XXIV.

XXIV.

Ut præpositi & vicedomini secundum regulas vel canones constituantur.

XXV.

Ut monachi & canonici pariter consilium habeant, qualiter Deo militare, animasque eorum melius valeant custodire, ne propter aliquam necessitatem occasionem quærant vagandi, & inter ipsos propter hoc locus tentandi detur diabolo.

XXVI.

Ut monachi & canonici tabernas ad edendum vel bibendum non ingrediantur, sicut in conciliis Laodicensi & Africano legitur esse interdictum.

XXVII.

Ut in civitatibus, & monasteriis, non major numerus servientium Deo mittatur, quam possibilitas eis ministrandi fuerit.

XXVIII.

Ut cupiditatis & avaritiæ malum nullatenus sectetur, sicut Carthaginense interdicit concilium.

XXIX.

Ut monachi ad placita sæcularia nullatenus vadant.

XXX.

Ut nemo sacerdotum, vel monachorum, negotiis illicitis se implicet, quomodo scriptum est: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.*

XXXI.

Ut discretio servanda sit inter pœnitentes, qui publice & qui absconse pœnitere debent.

XXXII.

Ut turpia lucra & usuras minime exerceant, sicut ipsum habet concilium.

XXXIII.

De monasteriis puellarum considerandum est, & domini imperatoris misericordia imploranda, ut victum & necessaria a sibi prælatis consequi possint sanctimoniales, & vita illarum & castitas secundum fragilitatem sexus diligenter provisa tueatur.

XXXIV.

Ut viduæ non sint in deliciis, sed secundum apostolum sub potestate episcopi vivant sicut decet.

XXXV.

Ut diebus dominicis secundum domini præceptum nulla opera servilia quilibet perficiat, nec ad placita conveniat, nec etiam donationes in publico facere præsumat, neque mercata exerceat.

XXXVI.

Ut quicumque per cupiditatem, & malum ingenium, aliorum res sibi acquisierint, & pro ipsis rebus ecclesiæ illis in precaria reddiderint, & in postmodum datoribus displicuerit, pars ecclesiæ quod suum est habeat, & illi quę sua sunt absque ullius contradictione recipiant. Post hæc vero, hi qui hoc malum perpetrati sunt, secundum modum culpę pœnitentiam agant, & deinceps res aliorum cupide & procaciter recipere non pręsumant, nisi tantum quod pro sola eleemosyna eas Deo dare voluerint, vel etiam ipsas, quas donant, in nomine suo & filiorum suorum, in precariam recipere voluerint.

XXXVII.

Ut si quilibet hominum res ecclesiæ per mendacia, vel mala ingenia, in precariam sibi acquirere & habere voluerit, & post factas precarias, eadem mendacia ad aures ejusdem rectoris ecclesiæ delata fuerint, ipsa ecclesia res suas, quæ ei mendaciter abstractæ fuerint, pleniter absque ullius contradictione omnimodis recipiat. Ille vero, qui res suas per eadem mendacia propter cupiditatem ipsius precariæ eidem ecclesiæ tradidit, simili modo in suam recipiat dominationem.

XXXVIII.

Ut decimæ pleniter dentur.

XXXIX.

Ut nullus homo munera pro placito requirat, aut accipere præsumat.

XL.

Ut pro domino imperatore, suaque nobilissima prole, orationes & oblationes super has quæ hactenus pro ipsis Deo omnipotenti oblatæ sunt, augeantur, ut eos suis temporibus in præsenti sæculo cum omni felicitate custodiat, & in futuro cum sanctis angelis suis pia miseratione gaudentes efficiat.

XLI.

Ut dominus imperator secundum statutum bonæ memoriæ domini Pippini misericordiam faciat, ne solidi, qui in lege habentur, per quadraginta denarios discurrant: quoniam propter eos multa perjuria, multaque falsa testimonia reperiuntur.

XLII.

Ut in sua eleemosyna firmiter statuat, ne quilibet in suum pergentibus servitium ullatenus prohibere audeat mansionem, neque aliis quibus necessitas incumbit.

XLIII.

Ut ejus magnificum cuncto imperio ejus suis & futuris temporibus firmetur capitulum, sive ab anno XXX. a quo adhuc testes haberi possunt, seu etiam ab illo, a quo felicissimum regnum ejus sumpsit exordium, qualiter omnes lites & jurgia in sua misericordia terminum habere potuissent: quoniam pro talibus multa perjuria,

ANNO CHRISTI 813.

juria, multæque dissensiones oriuntur in populo.

XLIV.

Vt de falsis testibus ejus simili modo piissimum firmetur capitulum, qualiter & hoc quod ille Bononiæ statuit firmissimum habeatur: & adhuc quærantur, quatenus in sua piissima misericordia, si qua necessaria sunt augeantur: ne propter eorum falsa testimonia iniquaque perjuria, tot damna, totque injustitiæ oriantur.

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Concilium.*] De causa, tempore & occasione hujus concilii Rhemis celebrati, vide quæ ex annalibus Francorum supra notavi in concilio Arelatensi IV. verbo *Concilium.*

De eodem Frodoardus libro 2. capite 18. ista: Hoc etiã Vulfario præsule ordinante congregatum reperitur Rhemis ab imperatore Carolo Magno concilium plurimorum patrum in quo confecta XLIV. coguntur capitula in quibus de fidei ratione atque Dei ecclesiæ honore, rectorumque ipsius ac ministrorum dispositione, regisque fidelitate atque totius regni utilitate tractatum est.

Rhemorum urbis in Gallia.

b *Rhemense*] Sic dictum a Rhemis in Gallia Belgica, quæ haud procul a Matrona fluvio distat. Est vero metropolis cujus suffraganei sunt omnes episcopi eadem in Gallia Belgica siti. Rex Francorum ab archiepiscopo Rhemensi ungitur & consecratur. Vide Ptolemæum libro 2. capite 5. Plinum libro 4. cap. 17.

CONCILIVM TVRONENSE III.

QVOD CAROLI MAGNI IMPERATORIS jussu in Turonorum urbe celebratum est anno Christi DCCCXIII. Leonis III. Papæ XVIII. Caroli ejusdem regni anno XLV. imperij vero XIII.

TITVLI CANONVM.

I *Vt omnes obedientes & fideles sint domino imperatori, Deumque pro illo assidue orent.*

II. *Vt episcopi studiose legant evangelium & epistolas B. Pauli cum sanctorum patrum expositionibus.*

III. *Quod episcopi canones, & librum pastoralem sancti Gregorii ignorare non debeant.*

IV. *Vt episcopi gregem sibi commissum sacra prædicatione, vitaque sua exemplo doceant.*

V. *Vt episcopus parca mensa sit contentus, eique sacram lectionem adhibeat.*

VI. *Vt peregrini & pauperes convivæ sint episcoporum.*

VII. *Vt episcopi omnium generum illecebras, histriones, ac turpes jocos refugiant.*

VIII. *Vt episcopi a sæcularibus ludis, & venationibus abstineant.*

IX. *Presbyteri & diacones episcopi sui vestigia bonis moribus consectentur.*

X. *Episcopi pauperum curam habeant, & res ecclesiasticas caute dispensent.*

XI. *Vt liceat episcopis præsente clero thesaurum ecclesiæ pauperibus erogare.*

XII. *Vt presbyter ante* XXX. *annos non ordinetur; & ut in episcopio ante ordinationem probetur.*

XIII. *Inquirant episcopi, ne quis alterius parochiæ presbyter officium celebrare præsumat sine literis commendatitiis.*

XIV. *De titulo minori ad majorem migrare presbytero non liceat.*

XV. *Vt presbyter, qui alterius ecclesiam pretio adeptus sit, deponatur: & ut nulli presbytero ecclesiam dare liceat sine consensu episcopi.*

A XVI. *Vt decimæ singularum ecclesiarum a presbyteris consulto episcopo dispensentur.*

XVII. *De homiliis, quas habere debent episcopi.*

XVIII. *Vt episcopi baptismi sacramentum accurate tradant presbyteris.*

XIX. *Vt presbyteri corpus domini quibuslibet personis indiscrete non tribuant.*

XX. *Vt presbyteri sacrum chrisma extra conclave non relinquant.*

XXI. *Presbyteri tabernas, cibi potusque causa, non ingrediantur.*

XXII. *Vt episcopi decernant quis potissimum liber pœnitentialis sit sequendus.*

B XXIII. *De vita canonicorum, qui in episcopiis conversantur.*

XXIV. *De canonicis, qui sub abbate vivunt in monasteriis.*

XXV. *De monasteriis monachorum regula sancti Benedicti.*

XXVI. *De monasteriis puellarum.*

XXVII. *Vt juvenes viduæ cito non velentur.*

XXVIII. *Vt virgines sacrum velamen ante* XX. *annos sine necessitate non accipiant.*

XXIX. *Clerici in claustris puellarum ne habitent, earumque monasteria, nisi ad ecclesiastica officia non intrent: aliis hominibus omnis aditus præcludatur.*

C XXX. *Abbatissæ sine episcopi licentia non exeant nisi cum ad imperatorem ire voluerint.*

XXXI. *Ne in monasteriis plures admittantur, quam facultas ferat.*

XXXII. *Vt omnes inter se pacem & concordiam habeant.*

XXXIII. *Quomodo comites & iudices erga episcopos gerere se debeant, & episcopi erga illos.*

XXXIV. *Vt comites & judices viles personas ad testimonium non admittant.*

XXXV. *Nullus pro judicio munus exigat vel accipiat.*

XXXVI. *Vt unusquisque pauperes suos alere studeat.*

D XXVII. *Quod exceptis diebus dominicis, & tempore paschali, flexis genibus orandum sit.*

XXXVIII. *Quomodo fideles ad ecclesiam convenire, atque in ea versari debeant.*

XXXIX. *Vt in ecclesiis, earumve atriis placita non fiant.*

XL. *Vt mercata & placita die dominico non fiant.*

XLI. *De criminosis, qui sacerdotali admonitione non corriguntur, sæculari pœnitentia coercendis.*

XLII. *Quod magicæ artes ad curandas hominum vel animalium infirmitates nihil conferant.*

XLIII. *De prohibenda jurandi consuetudine.*

XLIV. *De subleuandis pauperibus, qui a potentioribus opprimuntur.*

XLV. *Vt justa ubique sint pondera & mensuræ.*

E XLVI. *Vt nonæ & decimæ solvantur ab iis qui debent, & ecclesiasticorum ac monasteriorum tecta restaurentur.*

XLVII. *De observandis jejuniis, quæ pro aliqua necessitate indicuntur.*

XLVIII. *De vitanda crapula & ebrietate.*

XLIX. *Vt domini subditos suos non vexent.*

L. *Vt laici homines ter saltem in anno cõmunicent.*

LI. *De iis qui ob traditiones ecclesiæ a parentibus factas exheredati dicebantur.*

PRÆFATIO.

QVantum piissimi imperatoris nostri excellens animus divinæ sapientiæ fulgore sit irradiatus ac ad gubernandum præsentium rerum

statum, ipsius imperii sibi a Deo dati liquido testantur negotia: quæ quanta sint industria administrata, quantaque prudentia ordinata, qui sapiens ac intelligens est, facile perspicere potest, & eo præcipue, quod hic toto animo invigilat, investigando quæ ad pietatem & veram religionem pertinent, quorum fructus hominem in bono beatitudinis collocat. His igitur intentus, pios ac religiosos Dei sacerdotes, ecclesiæ gubernacula in regno sibi divina largitate collato tenentes, saluberrimis exhortationibus admonuit, ut operam darent & actibus eminerent, quibus & se bene operando, & sibi commissos verbis & exemplis instruendo regerent. Diffinitum itaque de locis & tempore, quando & ubi coadunari fuerit opus: & quod a tanto principe nobis injunctum est, ad statuta loca convenimus. Siquidem urbe Turonis congregati episcopi, abbates, & venerabilis clerus, pro parvitate nostra, pauca quæ ad tantum opus pertinere animadvertimus, & quæ secundum canonicam regulam emendatione indigent, distincte per capitula annotavimus serenissimo imperatori nostro ostendenda.

CANONES.

Primo omnium admonuimus generaliter cunctos, qui nostro conventui interfuere, ut obedientes sint domino excellentissimo imperatori nostro, & fidem, quam ei promissam habent, inviolabiliter conservare studeant. Orationes quoque assiduas intente fundere pro ejus stabilitate ac incolumitate omnes se velle, secundum nostram admonitionem, unanimiter professi sunt, ut misericordia divina longiori ævo illius mansuetudinem conservare dignetur.

II.

Ut omnes episcopi studiose operam divinæ dent lectioni: sanctum euangelium, & epistolas beati Pauli apostoli, non solum crebro lectitent, sed etiam quantum possint, memoriæ studeant commendare: sanctorumque patrum opuscula super eadem exposita devote frequentent. Similiter & de ceteris libris canonicis faciant.

III.

Nulli episcopo liceat canones, aut librum pastoralem a beato Gregorio papa editum, si fieri potest, ignorare; in quibus se debet unusquisque, quasi in quodam speculo, assidue considerare.

IV.

Solicite studeat unusquisque episcopus gregem sibi commissum sacra prædicatione, quid agere, quidve vitare debeat, informare. Et ipse episcopus vita, habitu, forma & conversatione sancta, suis sit subjectis exemplum, ut juxta dominicam vocem, videant opera ejus bona, & glorificent patrem Deum, qui in cælis est.

V.

Episcopum non oportere nimium profusis incumbere conviviis: sed parco & moderato contentus sit cibo, ne videatur domini abuti sententia dicentis: *Attendite ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate.* Et quandiu convivatur, potius sacra lectio ante mensam ejus recitetur, quam otiosa a susurronibus resonent verba. Luc. 21.

VI.

Peregrini & pauperes convivæ sint episcoporum: cum quibus non solum corporali, sed & spiritali reficiantur alimento.

VII.

Ab omnibus, quæcumque ad aurium & ad oculorum pertinent illecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur, (quod de aliquibus generibus musicorum, aliisque nonnullis rebus sentiri potest) Dei sacerdotes abstinere debent: quia per aurium, oculorumque illecebras, vitiorum turba ad animam ingredi solet. Histrionum quoque turpium, & obscenorum insolentias jocorum, & ipsi animo effugere, ceterisque sacerdotibus effugienda prædicare debent. Addit. 3. cap. 42.

VIII.

Sacerdotibus non expedit, sæcularibus & turpibus quibuslibet interesse jocis: venationes quoque ferarum vel avium minime sectentur. Ibid. c. 43.

IX.

Presbyteri quoque & diaconi in omnibus bonorum exhibitionibus sui episcopi vestigia sectentur; & in bonorum morum probitate, quæ episcopo sunt observanda, eadem & sibi observanda esse cognoscant. Ibid. c. 44.

X.

Episcopi quidem maximam curam & solicitudinem circa pauperes habeant, & res ecclesiasticas ecclesiis collatas cauta circumspectione dispensent, quasi Dei ministri, non quasi turpis lucri sectatores: illisque ita utantur, non ut propriis, sed ut sibi ad dispensandum commissis. Ibid. c. 45.

XI.

Licitum sit episcopis, præsentibus presbyteris & diaconis, de thesauro ecclesiæ, familiæ & pauperibus ejus ecclesiæ, secundum canonicam institutionem, juxta quod indiguerint, erogare. Ibid. c. 46.

XII.

Presbyterum ordinari non debere ante legitimum tempus, hoc est ante XXX. ætatis annum: sed priusquam ad consecrationem presbyteratus accedat, maneat in episcopio discendi gratia officium suum tamdiu, donec possint & mores & actus ejus animadverti: & tunc, si dignus fue- Ibid. c. 48.

ANNO CHRISTI 813.

fuerit, ad sacerdotium promoveatur.

XIII.

Ibid. c. 49. Vt unusquisque episcoporum parochiam suam diligenter perscrutari nitatur, ne aliquis presbyter ab alterius parochia in suam commigrans, officium celebrare præsumat sine literis commendatitiis, sicut olim multis in locis actum esse repertum est.

XIV.

Ibid. c. 50. De titulo minori ad maiorem migrare nulli presbytero licitum sit: sed in eo permaneat, ad quem ordinatus est. Quod si inventus fuerit contra statuta id facere, eadem feriatur sententia, qua episcopus, si de minore ad majorem transmigraverit sedem.

XV.

Quicumque presbyter per precium ecclesiam fuerit adeptus quolibet expulso, omnimodis deponatur, quouiam & ille contra ecclesiasticæ regulæ disciplinam agere dignoscitur, qui alium presbyterum legitime ad ecclesiam ordinatum per pecuniam expulerit, eamque sibi taliter vindicaverit. Quod vitium late diffusum summo studio emendandum est. Itemque interdicendnm videtur clericis, sive laicis, ne quis cuilibet præsbytero præsumat dare ecclesiam sine licentia & consensu episcopi sui.

XVI.

Addit. 3. cap. 5. Vt decimæ quæ singulis dabuntur ecclesiis, per consulta episcoporum a presbyteris ad usum ecclesiæ & pauperum summa diligentia dispensentur.

XVII.

Visum est unanimitati nostræ, ut quilibet episcopus habeat homilias continentes necessarias admonitiones, quibus subjecti erudiantur, id est de fide catholica, prout capere possint, de perpetua retributione bonorum, & æterna damnatione malorum: de resurrectione quoque futura, & ultimo judicio, & quibus operibus possit promereri beata vita, quibusve excludi. Et ut easdem homilias quisque aperte transferre studeat in rusticam Romanam linguam, aut Theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere quæ dicuntur.

XVIII.

Episcoporum sit magna solicitudo, presbyteris suis tradere baptismi sacramentum, & quid in eodem renuntiandum, quidve credendum sit. Renuntiatur ergo diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus. Opera ejus intelliguntur & sunt homicidia, fornicationes, adulteria, ebrietates, & multa alia his similia: quæ nimirum diabolico instinctu prius cogitatione mentis concipiuntur, quam opere perpetrentur. Pompæ vero ejusdem sunt superbia, jactantia, elatio, vana gloria, fastus, & alia quamplurima, quæ ex his oriri videntur.

XIX.

Presbyteri omnino admonendi sunt, ut cum sacra missarum solennia peregerint, atque communicaverint, pueris aut aliis quibuslibet personis adstantibus corpus domini indiscrete non tribuant. Qui si forte majoribus peccatis fuerint irretiti, magis sibi damnationem quam remedium comparant, juxta sententiam apostoli dicentis: *Quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* 1. Co

XX.

Item presbyteris injungendum est, ne sacrum chrisma foras conclave dimittant, ubi a quolibet attingi possit. Nam criminosos eodem chrismate unctos aut potatos, nequaquam ullo examine deprehendi posse a multis putatur.

XX.

Seruandum presbyteris firmiter statuimus, ne tabernas ingrediantur comedendi bibendive causa. Quod si, post hæc statuta, facere præsumpserint, canonica decernimus sententia feriendos.

XXII.

Episcopis & presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant, ut juxta modum peccati pœnitentibus abstinentia indicatur: quoniam varie ab aliquibus sacerdotibus & indiscrete hæc judicia proferuntur. Ideo necessarium videbatur nobis, cum omnes episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus antiquorum liber pœnitentialis potissimum sit sequendus.

XXIII.

Canonici & clerici civitatum, qui in episcopiis conversantur, consideravimus ut in claustris habitantes simul omnes in uno dormitorio dormiant, simulque in uno reficiantur refectorio, quo facilius possint ad horas canonicas celebrandas occurrere, ac de vita & conversatione sua admoneri & doceri: victum & vestimentum juxta facultatem episcopi accipiant, ne paupertatis occasione compulsi per diversa vagari, ac turpibus se implicare negotiis cogantur: dimissoque ecclesiastico officio incipiant indisciplinate vivere, & propriis deservire voluptatibus.

XXIV.

Simili modo & abbates monasteriorum,

in quibus canonica vita antiquitus fuit, vel nunc videtur esse, solicite suis provideant canonicis, ut habeant claustra & dormitoria, in quibus simul dormiant, simulque reficiantur, horas canonicas custodiant, victum & vestimenta juxta quod poterit abbas habeant, quo facilius ad Dei servitium possint constringi: sintque abbates sibi subditis bene vivendo duces & prævii, viamque demonstrent, qua recte gradiendo ad meliorem vitam pervenire valeant.

XXV.

Monasteria monachorum, in quibus olim regula B. Benedicti patris conservabatur, sed nunc forte qualicumque negligentia subrepente remissius ac dissolutius custoditur; vel certe penitus abolita negligitur, bonum videtur ut ad pristinum reuertantur statum, & abbates eorumdem in eodem habitu & vita, qua ipsa regula præcipit eos incedere, vivere studeant: quoniam aliqua sunt monasteria, in quibus jam pauci sunt monachi, qui prædicti patris regulam suis abbatibus promissam habeant: quippe cum ipsi abbates magis canonice, quam monachice, inter suos conversari videntur.

XXVI.

Porro in monasteriis puellarum multa inveniri possunt, quæ emendatione indigent. Nam quædam abbatissarum negligentius, quam oporteat, vivere dicuntur, & ob hoc earum vita & conversatio a multis diffamatur: Sed & talium actus subditam familiam imitari velle credendum est. Victus etiam ac vestimenta, aliaque nonnulla necessaria, quæ jure ab abbatissis præparari debuerant, abstracta sibi eadem conqueritur familia.

XXVII.

Ut juvenes viduæ cito nequaquam velentur, usque dum probetur illarum religio, & bona ab eis nota sit conversatio: ne forte de eisdem dici possit ab apostolo: *Quæ autem in deliciis sunt, viventes mortuæ sunt.*

XXVIII.

Virginibus quoque sacrum velamen accipiendum decreta patrum interdicunt ante XXV. annos, nisi forte aliqua cogente necessitate, pro qua licitum est hæc statuta mutare, ut in canonibus, si requiratur, inveniri poterit.

XXIX.

Presbyteris, diaconibus, ceterisque clericis, infra claustra monasteriorum puellarum non sit concessum habitare. Neque enim intrent monasteria, nisi tempore quo missarum solennia celebranda sunt, vel alia quælibet ecclesiastica officia peragenda: quibus peractis, statim egrediantur; ne ibi postea aliquam moram faciant. Similiter & aliis hominibus, eadem monasteria importune frequentare cupientibus, omnis aditus præcludatur.

XXX.

Abbatissæ absque sui episcopi licentia foras egredi non habeant potestatem, nisi cum ad piissimum imperatorem nostrum proficisci voluerint: sed tantum in suis permaneant monasteriis, ibique & seipsas custodire, sibique commissas servare, quanta poterunt vigilantia, decertent.

XXXI.

Ut in monasteriis canonicorum, monachorum, seu puellarum, major hominum numerus non admittatur; quam facultas monasterii possit sufferre.

XXXII.

Omnes homines & maxime Christiani, studeant inter se pacem, unanimitatem & concordiam habere; odium vero & discordiam longe a se propellere: neque pro terreno & caduco quæstu, quis invidiæ stimulis agitatus felicitati fratris invideat; sed potius bona quæ sibi optat, eadem & proximis æqualiter cupiat.

XXXIII.

Comitibus, judicibus, reliquoque populo expedit, ut suis sint episcopis consentientes & obedientes propter Dei amorem, suique gradus honorem, & semper ab eis utile quærant consilium, illorumque salubria non spernant monita, sed intenta cordis aure audiant. Similiter vero & episcopi prædictas personas humiliter suscipiant, honorificeque erga eos in omnibus agant: & sic sese mutuis studeant sublevare consolationibus. Addit. 3. cap. 54.

XXXIV.

Summopere admonendi sunt comites & judices, ne viles & indignas personas coram se permittant ad testimonium accedere: quoniam multi sunt, qui peierare pro nihilo ducunt: in tantum ut pro unius diei satietate, aut pro quolibet parvo precio, adjuramentum conduci possint, animasque suas perjurio perdere minime formident. Quamobrem tales nequaquam ad quodlibet testimonium admittendi sunt. Et hoc notandum, quod non solum illi qui peierant, sed etiam qui perjuris consentiunt, simili plectendi sunt damnatione. Ibid. c. 55.

XXXV.

Nullus Christianus pro quolibet placito, vel judicio, a qualibet persona munera exigere, aut accipere debet: quoniam id divina scriptura multis in locis magna interdicit auctoritate, teste scriptura quæ ait: *Munera excæcant oculos sapientum, & subvertunt verba justorum.* Ibid. c. 57. Exod. 23.

XXXVI.

Omnibus communiter intimetur, ut unusquisque

Anno Christi 813. unusquisque omni tempore suam fami- A
liam, & ad se pertinentes inopes alere ac vegetare studeat: quoniam impium est, & Deo odibile, eos qui divitiis affluunt, nimiisque opibus abundant, non adjuvare miseros & indigentes.

XXXVII.

Sciendum est, quod exceptis diebus dominicis, & illis solennitatibus, quibus & universalis ecclesia, ob recordationem dominicæ resurrectionis solet stando orare, fixis in terra genibus supplici- B
ter Dei clementiam nobis profuturam, nostrorumque criminum indulgentiam deposcendum est: cujus rei in euangelio ipse dominus nobis dedit exemplum. Sed
Luc. 22. & Stephanum martyrem, & apostolum
Act. 7. & 20. Paulum eadem fecisse liber Actuum apostolorum testis est. Ex quibus intelligi datur, oportere Christianum humiliter ad terram prosterni, ne forte illi dicatur:
Eccles 10. *Quid superbis, terra & cinis?*

XXXVIII.

Sacerdotes debent fideles admonere, ut quando ad ecclesiam conveniunt, sine strepitu ac tumultu eam ingrediantur: in qua etiam quamdiu orationis causa morantur, nequaquam inanes inter se proferant confabulationes. Sed & tempore quo missarum solennia celebrantur, non solum ab otiosis & inutilibus verbis, verum etiam & a perniciosis cogitationibus funditus abstinendum est.

XXXIX.

Addit. 3. cap. 59. Placita quidem sæcularia in ecclesiis, vel in atriis ecclesiarum, a comitibus, vicariisque usque modo multis in locis ha- D
Matth. 21. bita ne ultra fiant interdicendum est, cum auctoritate domini, qui expulsis de templo negotiatoribus asseruit debere domum Dei domum esse orationis.

XL.

Itemque interdicatur ne mercata & placita usquam fiant die dominica, qua oportet omnes Christianos a servili opere in laude Dei & gratiarum actione usque ad vesperam perseverare.

XLI.

Capitular. lib. 2. c. 43. Incestuosi, parricidæ, homicidæ multi E
apud nos, heu proh dolor! reperiuntur: sed aliqui ex illis sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus: quos oportet per sæcularis potentiæ disciplinam, a tam prava consuetudine coerceri, qui per salutifera sacerdotum monita noluerunt revocari. Quorum aliquos jam excommunicavimus. Sed illi hoc parvipendentes in eisdem perdurarunt criminibus. Quamobrem vestra decernat mansuetudo, quid de talibus deinceps agendum sit.

XLII.

Addit. cap. 6[...] Admoneant sacerdotes fideles populos, ut noverint, magicas artes, incantationesque, quibuslibet infirmitatibus hominum nihil posse remedii conferre: non animalibus languentibus, claudicantibusve, vel etiam moribundis quidquam mederi: non ligaturas ossium, vel herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodesse: sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.

XLIII.

Omnes homines admonemus, ne per Ibid.
singula verba, quasi ad confirmationem suæ assertionis, nomen domini in vanum assumant. quod ipse dominus interdicit faciendum, ubi ait: *Ne assumas nomen Dei* Exod.
tui in vanum. In vanum etenim nomen Dei assumitur, quando aliquis ad singula verba, quibus vult ut sibi ab alio credatur, Deum omnipotentem testem rei de C
qua ait, invocat, eumque sibi ita esse adjutorem, sicut ea vera sint quæ loquitur. Nam & ipse dominus in euangelio hoc modo prohibens omne genus juramenti, *Nolite*, inquit, *omnino jurare, neque per* Matth.
cælum, neque per terram, neque per caput tuum, &c.

LXIV.

Propter diversas occasiones res pauperum multis in locis valde attenuatæ sunt: eorum scilicet dicimus, qui liberi esse noscuntur, & sub potestate potentiorum sunt constituti: quorum si negotia & causas clementia piissimi principis nostri diligenter investigari jusserit, reperientur quamplurimi diversis occasionibus ad ultimam paupertatem jam redigi.

XLV.

Quod mensuræ & pondera justa ubique habenda sint, testis est Salomon, qui dicit quod statera dolosa abominatio sit Prov.
apud Deum, & pondus æquum voluntas ejus: Et dominus in euangelio: *In qua* Matth.
mensura, inquit, *mensi fueritis, remetietur vobis*. Quod licet de mutua ibi dictum indulgentia intelligi possit, tamen non absurde & de hac re dictum accipi valet.

XLVI.

Nonas ac decimas, quas qui res ecclesiasticas tenent, solvere rectoribus ecclesiarum ordinati sunt ad luminaria & stipendia clericorum, multis in locis abstractas esse vidimus. Quod sæpe jam missis vestris in publicis indicavimus placitis. Sed inde hactenus aut parvum, aut nullum consecuti sumus effectum. Similiter & de restauratione tectorum nobis necessitas incumbit indicare, quia non tantũ domus monasteriorum, sed & ipsæ ecclesiæ, propter tectorum inopiam, ruinas minantur.

XLVII.

ANNO CHRISTI 813.

A XLVII.

Iejunia quando generaliter pro aliqua necessitate indicuntur, diligenter ab omnibus custodienda sunt & observanda. Nec se aliquis improbitate gulæ patiatur corrumpi, ut de communi consortio sequestratus, effectum jejunii, quem cum ceteris abstinendo consequi debuit, ingluvie ventris victus turpiter amittat.

XLVIII.

Ebrietatem & crapulam fideles sectari non debere dominus in euangelio auctor est, qui suis auditoribus ita præcipiens,
1. *Attendite*, inquit, *ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate*, quæ vitia modo apud homines nullius momenti esse putantur. Sed quanta mala de illis generari soleant, facile non possunt comprehendi. Generantur enim de illis quique noxiores corporum morbi, ut physici testantur. Ad statum quoque mentis evertendum quantum noceat ebrietas, non facile deprehendi poterit; quippe cum pene omnium malorum, quæ ab hominibus raptim perpetrantur, causa sit & origo ebrietas.

XLIX.

ar. Admonendi sunt domini subditorum,
44. ut circa suos pie & misericorditer agant: nec eos qualibet injusta occasione condemnent, nec vi opprimant, nec illorum substantiolas injuste tollant: nec ipsa debita, quæ a subditis reddenda sunt, impie ac crudeliter exigantur.

L.

Vt si non frequentius, vel ter laici ho-
45. mines in anno communicent; nisi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur.

LI.

Diligenter tractare & inquirere pariter cœpimus in conventu nostro, sicut pia serenissimi principis nostri nobis injunxit admonitio, de illis hominibus, qui exheredati esse dicuntur, si aliquis esset, qui nostris temporibus voluisset dicere, se a quolibet nostrum illis privari rebus, quas pater ejus, aut mater, aut frater vel aliquis propinquorum ad ecclesias Dei dedisset, & in ejus nomine iterum precaria a rectoribus ecclesiarum acciperetur. Sed in eodem conventu nostro neminem reperimus, qui de hac re adversus nos conqueri voluisset. Nam pene nullus est qui res suas ad ecclesias donet, nisi de rebus ecclesiasticis, aut tantum quantum donavit, aut duplum aut triplum usufructuario accipiat; & quibus ille tunc, vel quantis filiis aut propinquis, a rectoribus impetraverit, post discessum ejus eadem conditione, qua ille tenebat, posteri ejus sibi vindicent. Hic usus & hæc ratio apud nos usque modo de talibus tenebatur. Nam & nobis visum est, prædictis heredibus hanc dare optionem, ut si voluissent traditiones parentum suorum consequi, de qua illi jam erant per legem exclusi, rectoribus ecclesiarum se commendarent, & hereditatem illam in beneficium, unde se adjuvare ac sustentare

B possent, acciperent.

Hæc nos in conventu nostro ita ventilavimus. sed quomodo deinceps piissimo principi nostro de his agendum placebit, nos fideles ejus famuli libenti animo ad nutum & voluntatem ejus parati sumus.

[a] CONCILIVM CABILONENSE II. CAROLI MAGNI IMPERATORIS IVSSV ab episcopis provinciæ Lugdunensis in Cabilonensi urbe celebratum anno Christi DCCCXIII. Leonis III. papæ XVIII. Caroli ejusdem regni anno XLV. imperii vero XIII.

TITVLI CANONVM.

A XXV. *Vt publica pœnitentiæ mos antiquus renovetur.*

XXVI. *Vt ecclesiæ inter heredes non dividantur.*

XXVII. *Quod confirmatio iterari non debeat.*

XXVIII. *Vt matrimonia in iis tantum gradibus jungantur, quos canones præscribunt.*

XXIX. *Quod in nuptiis uxoris quoque parentela observanda sit.*

XXX. *Vt conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos dominos habeant.*

XXXI. *De feminis quæ filios suos fraudulenter ad confirmandum tenent.*

XXXII. *De his qui pleniter peccata non confitentur.*

XXXIII. *Quod Deo & sacerdoti confitenda sint peccata.*

XXXIV. *Quod personarum acceptio in pœnitentiæ judicio cavenda sit.*

B XXXV. *Quod multi in pœnitentia deliciis indulgeant.*

XXXVI. *De his qui ex industria peccant.*

XXXVII. *Quæ potissimum concilia canonum sint sacerdotibus legenda & prædicanda.*

XXXVIII. *Quod pœnitentia secundum antiquos canones imponi debeat, repudiatis libellis pœnitentialibus.*

XXXIX. *Vt in omnibus missis fiat commemoratio defunctorum.*

XL. *Vt presbyteri degradati pœnitentiam agant in monasteriis.*

C XLI. *Vt presbyteri alterius parochiæ sine literis commendatitiis non recipiantur.*

XLII. *Quod ecclesiæ presbyteris sine consensu episcopi dari vel auferri non debeant.*

XLIII. *De irritandis ordinationibus, quas faciunt Scoti, qui se episcopos dicunt.*

XLIV. *Vt presbyteri sine episcopi sui licentia non peregrinentur: & ut cancellarii publici non fiant.*

XLV. *De peregrinatione ad loca sancta, & de quorumdam abusu.*

XLVI. *De discretione adhibenda in perceptione eucharistiæ.*

XLVII. *Quod in cœna domini eucharistia fidelibus percipienda sit.*

D XLVIII. *Quod infirmi oleo benedicto perungendi sint.*

XLIX. *De locis in quibus missæ celebrandæ sunt.*

L. *De observatione diei dominicæ.*

LI. *Quod prælati ecclesiæ clementer erga subditos agere debeant.*

LII. *Quales in monasteriis abbatissæ præfici debeant.*

LIII. *Instructio pro sanctimonialibus quæ se canonicas vocant.*

LIV. *Quæ curare debeat abbatissa erga sanctimoniales sibi commissas.*

LV. *Abbatissa cum viris horis incompetentibus non loquatur.*

E LVI. *A vespera usque ad primam nulla sanctimonialium cum viris colloquatur.*

LVII. *Abbatissa sine licentia episcopi non exeat: & cum foras pergit quid curare debeat.*

LVIII. *Abbatissa monasterio necessaria providatt.*

LIX. *Sanctimoniales in monasterio quid observare debeant.*

LX. *Prebyteri in monasteriis puellarum, nisi ad ecclesiastica officia, non immorentur.*

LXI. *Vt sanctimoniales, cum viris nisi in auditorio, non comedant, nec colloquantur.*

LXII. *Sanctimoniales, nisi abbatissa mittente, non exeant; & negotia sua ad mediam portam monasterii exerceant.*

A LXIII. *Nullus laicus claustra illarum, nisi ad operandum, ingrediatur.*

LXIV. *Portaria qualis eligi debeat.*

LXV. *Vt abbatissa episcopo in omnibus obediat.*

LXVI. *Vt ab omnibus assidue orationes fiant pro domino imperatore.*

PRÆFATIO.

AUXILIANTE domino nostro Iesu Christo, & imperante serenissimo atque inclyto Augusto Carolo, convenimus episcopi & abbates totius Galliæ Lugdunensis in urbem Cabilonensem; & de quibusdam rebus, in quibus nobis emendatio necessaria videbatur, quædam capitula, quæ subter inserta sunt, eidem domino imperatori præsentanda, & ad ejus sacratissimum B judicium referenda annotavimus, quatenus ejus prudente examine ea quæ rationabiliter decrevimus confirmentur; sicubi minus aliquid egimus, illus sapientia suppleatur.

CANONES.

I.

Decrevimus juxta sanctorum canonum constitutionem, & ceterarum sanctarum scripturarum doctrinam, ut episcopi assidui sint in lectione, & scrutentur mysteria verborum Dei, quibus in ecclesia do- C ctrinæ fulgore splendeant, & verborum Dei alimentis animas sibi subditas satiare non cessent, & cum David quotidie domino dicant: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* (Psal. 11) Ita videlicet, ut illas scripturas notissimas habeant, quę canonicæ appellantur, & earum sensum per patrum tractatus inquirāt. Canones quoque intelligant, & librum beati Gregorii papæ de cura postorali: & secundum formam ibidem constitutam & vivant & prædicent.

II.

D Vt ea quæ legendo perscrutantur opere compleant, juxta illud: *Cœpit Iesus facere & docere.* (Act. 1.) & illud: *Et memoria tenentibus mandata ejus, ut faciant ea.* (Psal. 1) & illud: *Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt ea. non enim qui operantur iniquitatem in viis ejus ambulaverunt.* (Psal. 11) Et quia *non auditores legis, sed factores ejus justificabuntur.* (Rom.) Et *regnum Dei non est in sermone, sed in opere.* (1. Cor.) Et sint subditis norma vivendi, ita videlicet ut & verbis & exemplis populo ad æternam patriam pergenti ducatum E præbeant: ut vita eorum & doctrina nequaquam discordent, sed quæ dicunt faciant, & quæ faciunt docere studeant. Et prædicatione assidua plebem admoneant, & falce justitiæ a credentium mentibus vitiorum spinas eradicent, & verbi Dei semine agros mentis eorum ad fœcunditatem perducant.

III.

b Oportet etiam, ut sicut dominus imperator Carolus, vir singularis māsuetudinis, fortitudinis,

fortitudinis, prudentiæ, justitiæ, & temperantiæ præcepit, scholas constituant, in quibus & literas solertia disciplinæ, & sacræ scripturæ documenta discantur, & tales ibi erudiantur, quibus merito dicatur a domino: *Vos estis sal terræ:* & qui condimentum plebibus esse valeant, & quorum doctrina non solum diversis hæresibus, verum etiam antichristi monitis, & ipsi antichristo resistatur. ut merito de illis in laude ecclesiæ dicatur: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

IV.

Opportunum ducimus, ut humilitatem atque religionem & in vultu, & in opere, & in habitu, & in sermone demonstrent: ut bene agentes & habitu & vultu demulceant; male agentibus vero ipso suo visu terribiles sint. juxta illud quod in tabernaculo Dei boum & leonum effigies expressæ fuisse memorantur: & dominus in euangelio, & astutiam serpentis, & simplicitatem columbæ habendam percenset.

V.

Vt juxta apostoli vocem sacerdotes irreprehensibiles sint, & moribus ornati: & nequaquam turpibus lucris deserviant, juxta illud quod ait scriptura: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit.* Et a turpibus lucris & usuris non solum ipsi abstineant, verum etiam plebes sibi subditas abstinere instituant.

VI.

Imputatur quibusdam fratribus, eo quod avaritiæ causa hominibus persuadeant, ut abrenuntiantes sæculo res suas ecclesiæ conferant: quod penitus ab omnium mentibus eradicandum est. Animarum quippe salutem inquirere sacerdos, non lucra terrena, debet: quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi, neque circumueniendi. Oblatio namque spontanea esse debet, juxta illud quod ait scriptura: *Voluntarie sacrificabo tibi.* & illud: *Omnis populus mente devota obtulerunt donaria domino.* Ecclesia vero sancta non solum fideles spoliare non debet: quin potius inopibus opem ferre, ut debiles, pauperes, viduæ, orphani, & ceteri necessitatem patientes, a sancta ecclesia, ut puta a pia matre & omnium gubernatrice, subsidium accipiant: quia res ecclesiæ, quibus episcopi, non ut propriis, sed ut commendatitiis uti debent, precia sunt peccatorum, patrimonia pauperum, stipendia fratrum in communi viventium.

VII.

Constituit sane sacer iste conventus, ut episcopi, sive abbates, qui non in fructum animarum, sed in avaritiam, & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines illectos circumveniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione non solum acceperunt, sed potius subripuerunt, pœnitentiæ canonicæ, sive regulari, ut puta turpis lucri sectatores subiaceant. Hi vero, qui vanis promissionibus illecti, vel quibuslibet machinationibus persuasi, mentis inopes effecti, rerum suarum domini esse nescientes, comam deposuerint, in eo quod cœperunt perseverare cogantur. Res namque, quæ ab illectis & negligentibus datæ, ab avaris & cupidis non solum acceptæ, sed raptæ noscuntur, heredibus reddantur, qui dementia parentum, & avaritia incentorum, exheredati esse noscuntur. Si vero nescientibus episcopis aut abbatibus ministri eorum, quilibet videlicet in clero, hoc fecisse convincuntur, episcopi & abbates desidia, illi vero rapacitate & avaritia judicentur. Hoc vero, quod quisque Deo juste & rationabiliter de rebus suis offert, firmiter ecclesia tenere debet.

VIII.

Oportet etiam, ut si quando sacerdotes fruges, vel quosdam reditus terræ, congregant & protelant; non ideo hoc faciant, ut carius vendant & thesauros congregent, sed ut pauperibus tempore necessitatis subveniant.

IX.

Ab omnibus oculorum auriumque illecebris sacerdotes abstinere debent: & canum, accipitrum, falconum, vel ceterarum hujusmodi rerum curam parvipendere: & histrionum, sive scurronum, & turpium seu obscenorum jocorum insolentiam, non solum ipsi respuant, verum etiam fidelibus respuenda percenseant.

X.

Vt sobrietatem sacerdotes teneant, & hanc habendam fidelibus prædicent: quia non potest libere sobrietatem prædicare, qui se mero usque ad alienationem mentis ingurgitat. Hoc & de comessationibus, & de ceteris pestibus ad gastrimargiam pertinentibus servandum est. Ivo part. 3. cap. 72.

XI.

Vt episcopus ad forum, neque ubi publice negotia judiciaria exercentur, non pergat suæ causæ suffragaturus; nisi forte, ut aut pauperibus oppressis succurrat, aut viduis & orphanis tuitionem conferat, aut de verbo Dei judices admoneat, ut juxta domini præceptum justa judicent judicia. Hoc & de abbatibus, & de presbyteris, & diaconibus, & maxime monachis observandum est. Si vero eorum qui in clero sunt propria causa agenda est, cum licentia episcopi & advocato pergat, & suæ causæ cum justitia suffragetur.

ANNO CHRISTI 813.

XII.

Ut neque presbyteri, neque diaconi, neque monachi villici fiant.

XIII.

Dictum est interea de quibusdam fratribus; quod eos quos ordinaturi sunt jurare cogant, quod digni sint, & contra canones non sint facturi, & obedientes sint episcopo qui eos ordinat, & ecclesiæ in qua ordinantur. quod juramentum, quia periculosum est, omnes una inhibendum statuimus.

XIV.

10.q.3. Cavendum est. Cavendum sane est, ne cum episcopi parochias suas peragrant, quamdam non solum erga subditos, sed erga socios tyrannidem exerceant: nec (quod absit) cum caritate, sed quadam judiciaria invectione stipendia ab eis exigant. Observandum etiam modis omnibus est, ut si quando eis peragrandæ parochiæ necessitas incumbit, in confirmandis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in prædicatione verbi Dei, in lucris animarum potius, quam in deprædandis & spoliandis hominibus, & scandalizandis fratribus, operam dent. Et si quando eis ad peragendum ministerium suum a fratribus, aut a subditis aliquid accipiendum est, hoc summopere observare debent, ne quem scandalizent aut gravent. Tanta ergo in hac re discretio tenenda est, ut & verbi Dei prædicator sumptus, ubi proprii desunt, a fratribus accipiat, & iidem fratres illius potentia non graventur: exemplo apostoli Pauli, 2. Thess. 3. qui ne quem gravaret, arte & manibus victum quærebat.

XV.

Dist. 94. Dictum est. Dictum est etiam, quod in plerisque locis archidiaconi super presbyteros parochianos quamdam exerceant dominationem, & ab eis census exigant, quod magis ad tyrannidem, quam ad rectitudinis ordinem pertinet. Si enim episcopi, juxta Petri apostoli sententiam, non debent esse 1. Petr. 5. dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo; multo minus isti hoc facere debent, sed contenti sint regularibus disciplinis, & teneant propriam mensuram; & quod eis ab episcopis injungitur, hoc per parochias suas exercere studeant, nihil per cupiditatem & avaritiam præsumentes.

XVI.

Quidam fratres dixerunt, consuetudinis antiquæ fuisse in eorum ecclesiis, ut pro balsamo emendo ad chrisma faciendum, sive pro luminaribus ecclesiæ concinnandis, binos vel quaternos denarios 1 q. 1. Statuimus, ut sicut. presbyteri darent. Unde omnes uno consensu statuimus, ut sicut pro dedicandis basilicis, & dandis ordinibus, nihil accipiendum est, ita etiam pro balsamo, sive luminaribus emendis, nihil presbyteri chrisma accepturi dent. Episcopi itaque facultatibus ecclesiæ balsamum emant, & luminaria singuli in ecclesiis suis concinnanda provideant.

XVII.

Inventum est, quod in quibusdam locis presbyteri duodenos, vel quaterdenos denarios episcopis in censum annis singulis darent: quod penitus abolendum esse decernimus.

XVIII.

Dictum est nobis, quod in quibusdam locis episcopi & comites ab incestuosis, & ab his qui decimas non dant, wadios accipiant, & a presbyteris pro quibusdam negligentiis, & inter se pecuniam dividant. quod penitus abolendum decrevimus, ne forte avaritiæ locus detur. Et constituimus, ut incestuosi juxta canonicam sententiam pœnitentia multentur: qui vero decimas post crebras admonitiones dare neglexerint, excommunicentur. juramento vero eos constringi nolumus propter periculum perjurii. Capitul. lib. II. c.

XIX.

Questi sunt præterea quidam fratres, quod essent quidam episcopi & abbates, 16 q. 1. Questi sunt pr. qui decimas non sinerent dari ecclesiis, ubi illi coloni missas audiunt. Proinde decrevit sacer iste conventus, ut episcopi & abbates de agris & vineis, quæ ad suum vel fratrum stipendium habent, decimas ad ecclesias deferri faciant: familiæ vero ibi dent decimas suas, ubi infantes eorum baptizantur, & ubi per totum anni circulum missas audiunt.

XX.

Si inter omnes fideles pax & concordia habenda est, dicente apostolo: *Sequimini pacem & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*, multo magis inter episcopos & comites esse debet, qui post imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt. Ita enim inter se concordare debent, ut alterutrum sibi, ad Dei servitium peragendum, & ministerium suum explendum, non solum non noceant, quin potius adminiculo sint. Hebr. 12.

XXI.

Comitibus vero & judicibus hoc summopere observandum est, ut juste judicent, & nequaquam in judicio munera, seu personas accipiant, dicente domino: *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.* Sed & ministros, quos vicarios & centenarios vocant, justos habere debent: ne forte eorum avaritia, aut rapacitate populus gravetur, & amissis facultatibus Deut. 1

facultatibus in paupertatem redigatur. A Testes vero probatissimi & pauci de pluribus esse debent tales, de quorum fide non dubitetur. Multum autem pravorum testium cupiditate & falsitate respublica læditur.

XXII.

De abbatibus vero & monachis, idcirco hic pauca scribimus, quia pene omnia monasteria regularia in his regionibus constituta, secundum regulam sancti Benedicti se vivere fatentur: quæ beati Benedicti documenta per omnia demon- B strant, qualiter eis vivendum sit. Inquiratur ergo diligenter, ubi secundum ipsum ordinem vivitur, & ubi ab ipso ordine digressum est, ut juxta ejusdem beati viri institutionem vivere certent, qui se ut ita viverent cum attestatione professi sunt.

XXIII.

Decrevimus enim secundum institutionem, presbyterorum, diaconorum, & ceterorum graduum inferiorum ordinationes statutis temporibus fieri debere.

XXIV.

C De episcopis vero, presbyteris, & diaconibus, & monachis interfectis, quærendum a domino imperatore est, cui illius homicidii precium exsolvendum sit.

XXV.

Pœnitentiam agere juxta antiquam canonum constitutionem in plerisque locis ab usu recessit, & neque reconciliandi, antiqui moris ordo servatur: ut a domino imperatore impetretur adjutorium, qualiter si quis publice peccat, publica mul- D tetur pœnitentia, & secundum ordinem canonum pro merito suo excommunicetur & reconcilietur.

XXVI.

Perlatum ad nos est, quod inter heredes ecclesiæ in rebus propriis constitutæ dividantur, & tanta per eamdem divisionem simultas oriatur, ut unius altaris quatuor partes fiant, & singulæ partes singulos habeant presbyteros: quod sine discordia & simultate nullo modo geri potest. Vnde nobis visum est, quod hujuscemodi ecclesiæ inter heredes dividi non debeant, & si in contentionem vene- E rint, & simultates inter eos surrexerint, per quas sacerdos suo ibi officio canonice fungi non possit, præcipiatur ab episcopo civitatis, ut nullo modo ibi missarum solennia celebrentur, donec illi ad concordiam redeant, & pari voto atque consilio ecclesia illa sacerdotem canonice habeat, qui libere ibi suum ministerium peragere possit.

XXVII.

Dictum nobis est, quod quidam de plebe bis & ter ab episcopis, ignorantibus eisdem episcopis, confirmentur. Vnde nobis visum est, eamdem confirmationem, sicut nec baptismum, iterari minime debere. ANNO CHRISTI 813. Ibid. c. 26.

XXVIII.

Interrogaverunt nos quidam de affinitate propinquitatum, & in quibus gradibus matrimonia jungenda sint. Quibus ad canones currere præcepimus, & quod in eis continetur, hoc ab eis in negotio, sicut & in ceteris, observari debere.

XXIX.

Sane quæ in proprio viro, hæc nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum regula custodienda est. Quia ergo constat eos duos esse in carne una, communis illis utrimque parentela esse credenda est, sicut scriptum est: *Erunt duo in carne una.* Ivo p. 9. cap 44. Genes. 2 & Ephes. 5.

XXX.

Dictum nobis est, quod quidam legitima servorum matrimonia potestativa quadam præsumptione dirimant, non attendentes illud euangelicum: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Vnde nobis visum est, ut conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos dominos habeant: sed in uno conjugio permanentes dominis suis serviant. Et hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem dominorum. 29. q. 2. Dictum est nobis quod. Addit. 3. cap. 28. Matth. 19.

XXXI.

Dictum etiam nobis est, quasdam feminas desidiose, quasdam vero fraudulenter, ut a viris suis separentur, proprios filios coram episcopis ad confirmandum tenuisse. Vnde nos dignum duximus, ut si qua mulier filium suum desidia, aut fraude aliqua, coram episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam suam, aut propter fraudem, quamdiu vivet, agat pœnitentiam, a viro tamen suo non separetur. 30. q. 1. Dictum est nobis, quasdam.

XXXII.

Sed & hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio: scilicet ut & ea confiteantur quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum confessor, ut de octo principalibus vitiis, sine quibus Addit. 3. cap. 29. Ivo p. 15. cap. 52.

ANNO CHRISTI 813.

in hac vita difficile vivitur, confessionem faciat: quia aut cogitatione, aut quod est gravius opere eorum instinctu peccavit. Odium etenim, invidia, superbia, vel ceteræ hujusmodi animæ pestes tanto periculosius lædunt, quanto subtilius serpunt.

XXXIII.

Ibid. c. 31. Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata, quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent: quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit ecclesiam. Ita dumtaxat ut & Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra, & cum David dicamus: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. dixi confitebor adversum me injustitias meas domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* (Psal. 31.) & secundum institutionem apostoli, confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro invicem ut salvemur. (Iac. 5.) Confessio itaque quæ Deo fit, purgat peccata: ea vero quæ sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata. Deus namque salutis & sanitatis auctor & largitor, plerumque hanc præbet suæ potentiæ invisibili administratione, plerumque medicorum operatione.

XXXIV.

Ibid. c. 32. Ivo part. 15. cap. 73. Rom. 2. Ephes. 6. Coloss. 3. Actor. 10. Quia igitur, apostolo teste, non est personarum acceptio apud Deum, & in omnibus judiciis cavenda est; multo magis in hoc pœnitentiæ judicio præcaveri debet, ut nullus sacerdotum unquam, aut gratia, aut odio alicujus personæ, secus judicet quam quod in canonibus sacris invenerit, aut quod illi secundum sanctarum scripturarum auctoritatem, & ecclesiasticam consuetudinem, rectius visum fuerit. Si ergo medici, qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter personæ cujuslibet acceptionem, his quos sanare cupiunt, cauterio, aut ferro, aut duris aliis quibuslibet rebus parcunt; multo magis id ipsum his observandum est, qui non corporum, sed animarum medici existunt. Neque enim pensanda est pœnitentia quantitate temporis, sed ardore mentis, & mortificatione corporis. Cor autem contritum & humiliatum Deus non spernit. (Psal. 50.)

XXXV.

Ibid. c. 33. Multi, quod non sine dolore dicendum est, in pœnitentia non tam peccati remissionem, quam temporis constituti expectant expletionem. Et si carnium & vini usus eis interdictus est, mutata non voluntate, sed ejusdem cibi aut potus perceptione, in tantum deliciis suis indulgent, ut deliciosius, his interdictis, aliorum ciborum vel potionum appetitu vivere cognoscantur. Spiritalis autem abstinentia quæ in pœnitentibus potissimum vigere debet, & quorumdam ciborum ac potionum perceptiones & desiderium fugere debet. Ille, inquam, ille magis parsimoniæ servire censendus est, qui sibi non solum quarumdam rerum perceptiones, sed delectationes corporis penitus interdicit.

XXXVI.

Ibid. c. Ivo par. cap. 7. Sed nec hoc prætereundum putavimus, quod quidam ex industria peccantes propter eleemosynarum largitionem quamdam sibi promittunt impunitatem. Eleemosyna enim extinguit peccata, juxta illud: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccata.* (Eccl. 3.) Sed ea, quæ aut necessitate, aut casu, aut qualibet fiunt fragilitate. Ea vero quæ ex industria, aut cujuslibet libidinis explendæ causa, idcirco fiunt ut eleemosynis redimantur, nequaquam eis redimi possunt: quia qui hoc perpetrarunt, videntur Deum mercede conducere, ut eis impune peccare liceat. Non ergo quis idcirco peccare debet ut eleemosynam faciat: sed ideo eleemosynam facere debet, quia peccavit. Mentem enim & corpus, quæ libido traxit ad culpam, afflictio & contritio debet reducere ad veniam.

XXXVII.

Cum igitur omnia concilia canonum, quæ recipiuntur, sint a sacerdotibus legenda & intelligenda, & per ea sit eis vivendum & prædicandum; necessarium duximus, ut ea quæ ad fidem pertinent, & ubi de extirpandis vitiis & plantandis virtutibus scribitur, hoc ab eis crebro legatur, & bene intelligatur, & in populo prædicetur.

XXXVIII.

Addit. cap. 35. Modus autem pœnitentiæ peccata sua confitentibus, aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem, sicut superius dictum est, imponi debet, repudiatis ac penitus eliminatis libellis, quos pœnitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti auctores, de quibus recte dici potest: *Mortificabant animas, quæ non moriuntur, & vivificabant animas, quæ non vivebant.* (Ezech.) Qui dum pro peccatis gravibus leves quosdam & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos, secundum propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. (Ibidem.)

XXXIX.

De c. dist. Visum præterea nobis est, ut in omnibus missarum

missarum solennitatibus pro defunctorum spiritibus loco competenti dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro quibuslibet necessitatibus dominus deprecetur, ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces domino in missarum solennibus fundantur. Antiquitus hunc morem igitur sancta ecclesia tenet, ut & in missarum solennitatibus, & in aliis precibus, domino spiritus quiescentium commendet, dicente beato Augustino: Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus eorum, sub generali commemoratione suscepit ecclesia: ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati vel amici, ab una eis exhibeantur pia matre communi.

XL.

Dictum nobis est, presbyteros propter suam negligentiam canonice degradatos sæculariter gradu amisso vivere, & pœnitentiæ agendæ bonum negligere. Vnde statuimus, ut gradu amisso, agendæ pœnitentiæ gratia in monasterio, aut canonico aut regulari, mittantur. Si vero hoc fieri causa quælibet prohibuerit, ubicumque sint, pœnitentiam agere non desistant. Si autem amisso gradu sæculariter vivere voluerint, & pœnitentiam agere neglexerint, ab ecclesiæ communione separentur.

XLI.

Presbyter proprio loco dimisso ad alium migrans nequaquam recipiatur, nisi suæ migrationis causam dixerit, & se innocenter vixisse in parochia, in qua ordinatus est, sub testibus probaverit. Literas etiam habebit, in quibus sint nomina episcopi & civitatis plumbo impressa. quibus cognitis, & talibus inventis, quibus fides adhiberi possit, recipiatur.

XLII.

Inventum est, quod multi arbitrii sui temeritate, & quod est gravius ducti cupiditate, presbyteris quibuslibet absque consensu episcoporum ecclesias dant vel auferunt. Vnde oportet, ut canonica regula servata, nullus absque consensu episcopi cuilibet presbytero ecclesiam det. Quam si juste adeptus fuerit, hanc non nisi gravi culpa sua, & coram episcopo canonica severitate amittat.

XLIII.

Sunt in quibusdam locis Scoti, qui se dicunt episcopos esse, & multos negligentes, absque licentia dominorum suorum, sive magistrorum, presbyteros & diaconos ordinant: quorum ordinationem, quia plerumque in Simoniacam incidit hæresim, & multis erroribus subjacet, modis omnibus irritam fieri debere omnes uno consensu decrevimus.

XLIV.

Superius scripsimus presbyteros villicos esse non debere: & nunc eis in tabernis bibere, cancellarios publicos esse, nundinas insolenter peragrare, Romam sive Turonum absque licentia episcopi sui adire, penitus decrevimus inhibendum.

XLV.

Nam & a quibusdam, qui Romam Turonumve, & alia quædam loca sub prætextu orationis inconsulte peragrant, plurimum erratur. Sunt presbyteri, & diacones, & ceteri in clero constituti, qui negligenter viventes, in eo purgari se a peccatis putant, & ministerio suo fungi debere, si præfata loca attingant. Sunt nihilo minus laici, qui putant se impune aut peccare, aut peccasse, quia hæc loca oraturi frequentant. Sunt quidam potentum, qui acquirendi census gratia sub prætextu Romani, sive Turonici itineris, multa acquirunt, multos pauperum opprimunt; & quod sola cupiditate faciunt, orationum sive sanctorum locorum visitationis causa se facere videri affectant. Sunt pauperes, qui vel ideo id faciunt, ut majorem habeant materiam mendicandi. De quorum numero sunt illi, qui circumquaque vagantes, illo se pergere mentiuntur, vel quia tantum sunt vecordes, ut putent se sanctorum locorum sola visione a peccatis purgari, non attendentes quod ait beatus Hieronymus: Non Hierosolymam vidisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est. [c] De quibus omnibus domini imperatoris, qualiter sint emendanda, sententia expectetur. Qui vero peccata sua sacerdotibus, in quorum sunt parochiis, confessi sunt, & ab his agendæ pœnitentiæ consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, apostolorum limina, vel quorumlibet sanctorum invisere desiderant, horum est devotio modis omnibus collaudanda.

XLVI.

In perceptione corporis & sanguinis dominici magna discretio adhibenda est. Cavendum est enim, ne si nimium in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente domino: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Si vero indiscrete accipiatur timendum est illud quod ait apostolus: *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit.* Iuxta ejusdem ergo apostoli

Anno Christi 813.

Ivo part. 15. cap. 65.

Epistol. ad Paulinum de institutione monachi.

Capitular. lib. II. c. 40.

Ioan. 6.

1. Cor. II.

ANNO CHRISTI 813. stoli documentum, probare se debet homo, & sic de pane illo manducare, & de calice bibere: ut videlicet abstinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus animamque suam, præparet se ad percipiendum tantum sacramentum, exemplo David, qui nisi se fassus fuisset abstinuisse ab opere conjugali ab heri & nudiustertius, panes propositionis nequaquam a sacerdote accepisset.

I. Cor. 11.

XLVII.

Addit. 3. cap. 38. In cœna domini a quibusdam perceptio eucharistiæ negligitur. Quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his quibus pro gravibus criminibus inhibitum est, percipienda sit, ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis dominici sacramenta reconciliat.

XLVIII.

Ibid. c. 39. Secundum beati apostoli Iacobi documentum, cui etiam documenta patrum consonant, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent. Sic enim ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, unguentes eum oleo in nomine domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & allevia-bit eum dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Non est itaque parvipendenda hujuscemodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.

Iac. 5.

XLIX.

Ibid. c. 41. In quibus locis, & quo apparatu, missarum solennia, exceptis basilicis, celebrari debeant, & utrum celebrari debeant, in concilio Laodicensi ita scribitur: *Quod non oporteat in domibus oblationes celebrari ab episcopis, vel a presbyteris.*

L.

Diei interea dominici observatio & veneratio plurimum negligitur. Vnde oportet, ut authentica constitutione illius venerandæ diei observatio juxta imperium domini imperatoris statuatur.

LI.

Capitular. lib. 2. c. 41. Ivo part. 16. cap. 33. Quia ergo constat, in ecclesia diversarum conditionum homines esse; ut sunt nobiles & ignobiles, servi, coloni, inquilini, & cetera hujuscemodi nomina, oportet ut quicumque eis prælati sunt, clerici, sive laici, clementer erga eos agāt, & misericorditer eos tractent, sive in exigendis ab eis operibus, sive in accipiendis tributis, & quibusdam debitis: sciantque eos fratres suos esse, & unum secum habere patrem Deum, cui clamant: *Pater noster qui es in cælis*, & unam matrem sanctam ecclesiam, quæ eos intemerato sacri fontis utero genuit. Disciplina igitur eis misericordissima, & gubernatio opportuna adhibenda est: disciplina, ne indisciplinate vivendo auctorem suum offendant; & gubernatio, ne in quotidianis vitæ commeatibus prælatorum adminiculo destituti fatiscant.

Math. 6.

LII.

Ibid. c. Monasteriis sane puellaribus tales præesse debent feminæ, & abbatissæ creari, quæ & se & subditum gregem cum magna religione & sanctitate custodire norint, & his quibus præsunt prodesse non desinant. Sed & se & illas ita observent, utpote vasa sancta in ministerio domini præparata. Talem enim se debet abbatissa exhibere subditis in habitu, in veste, in omni convictu, ut eis ad cælestia regna pergentibus ducatum præbeat. Sciat etiam, se pro his quas in regimine accepit, in conspectu domini rationem reddituram.

LIII.

Libuit namque huic sacro conventui, quasdam admonitiunculas breviter eis sanctimonialibus scribere, quæ se canonicas vocant: quoniam hæ quæ sub monasticæ regulæ norma degunt, totius vitæ suæ ordinem in eadem quam profitentur regula scriptum habent.

LIV.

Abbatissa diligentem habeat curam de congregatione sibi commissa, & provideat ut in lectione, & in officio, & in psalmorum modulatione ipsæ sanctimoniales strenuæ sint, & in omnibus operibus bonis illa eis ducatum præbeat, utpote pro animabus earum rationem in conspectu domini reddituram, & stipendia sanctimonialibus præbeat necessaria, ne forte per indigentiam cibi, aut potus peccare compellantur.

LV.

Abbatissa cum viris, clericis, sive laicis, horis incompetentibus non loquatur: sed quidquid cum masculis, clericis, sive laicis, de rebus necessariis peragere debet, a prima hora usque ad vespertinam peragat. Et hoc non cum singulis, sed coram pluribus.

LVI.

A vespera usque ad primam, neque abbatissa, neq; aliqua sanctimonialium, cum quibuslibet masculis ullum colloquiū habeant, nisi forte talis fuerit occasio, quam evitare non possint: & si necessitas incubuerit, id coram testibus facere debebunt.

LVII.

Abbatissa, quæ in civitate monasterium habet, nequaquam de monasterio egrediatur, nisi per licentiam episcopi sui, aut qui ejus vicem obtinet: nisi forte aut imperialis jussio eam cogat, aut prolixitas itineris id facere minime permittat. Et si quando foras pergit, de sanctimonialibus,

bus, quas secum ducit, curam & vigilantiam habeat, ut nulla eis detur peccandi licentia, sive occasio. Sed & cum pergit, in monasterio talem vice sua constituere debet, quæ sanctimonialium animabus curam & vigilantiam habeat.

LVIII.

Habeat etiam abbatissa studium, aut in ædificando ea quę ad sanctimonialium necessitatem pertinent, aut in restaurando.

LIX.

Sanctimoniales in monasterio constitutæ habeant studium in legendo, & in cantando, in psalmorum celebratione, sive oratione: & horas canonicas, matutinam videlicet, primam, tertiam, sextam, nonam, vespertinam, completoriam pariter celebrent, & omnes, excepta quam infirmitas tenet, in dormitorio dormiant, & omnibus diebus ad collationem veniant.

LX.

Non debere presbyteros amplius in monasterio puellari immorari, nisi donec missarum solennia celebrent, aut aliquid ibi de Dei servitio & suo ministerio expleant.

LXI.

Non debere sanctimoniales in propriis mansionibus cum aliquibus masculis, clericis, sive laicis, consanguineis, sive extraneis, bibere, sive comedere: sed si quando id agendum est, in auditorio agatur; & ubi auditorium deest, fiat. Et cum nulno masculo eis colloquium habere liceat, nisi in auditorio, & ibi coram testibus.

LXII.

Sanctimoniales, nisi forte abbatissa sua pro aliqua necessitate incumbente illas mittente, nequaquam de monasterio egrediantur. Hæ vero, quæ famulos aut famulas non habent ad exercenda negotia, ad mediam portam monasterii perveniant, & ibi coram testibus negotium suum exerceant.

LXIII.

Nullus vassus abbatissæ, nec minister aliquis, nec clericus, nec laicus, claustra ancillarum Dei ingrediatur, nisi forte quando necessitas operandi incumbit.

LXIV.

Portaria non eligatur, nisi quæ ætate matura sit, & testimonium habeat bonum, & vitæ probabilis sit.

LXV.

Quidquid in his capitulis minus est, ab episcopo suo abbatissa perquirat, & illi in omnibus obediens sit, secundum canonicam institutionem, sicuti justum & rectum est.

LXVI.

Interea omnis iste conventus gratissima deliberatione decrevit, ut ab omnibus indesinenter orationes fiant, pro vitæ incolumitate, pro salute animæ & corporis domini imperatoris, prolisque ejus, pro statu regni, pro remissione peccatorum, & cælestis regni collatione: ita dumtaxat, ut semper magis ac magis per incrementa temporum talis crescat observatio. Dixit etiam, se scripturarum sanctarum monita, & canonum instituta diligenti indagatione perquirere, & indefensa atque infatigabili observatione, auxiliante domino, velle perficere.

Hæc itaque pauca de pluribus, quæ necessaria perspeximus, cum magna brevitate, domini imperatoris prudenti judicio præsentanda annotavimus. Ceterum quid generaliter in omnibus & ab omnibus sequendum sit, quidve vitandum, qualiterve intra sanctam ecclesiam sit vivendum, qui plenius nosse desiderat, sanctarum scripturarum prata percurrere non desistat.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Causa & tempus concilii.

a *Concilium.*] Hæc synodus eadem occasione, eodemque tempore celebrata est quo duæ præcedentes: constituti sunt in ea 66. canones ad disciplinam ecclesiasticam pertinentes.

Carolus Magnus studia reformavit.

b *Oportet etiam ut sicut dominus imperator Carolus.*] De studiorum reformatione & bonarum artium restitutione hæc Ansegisus lib. 1. *Carolus siquidem constituit in singulis monasteriis & episcopiis scholas esse, ubi ingenuorum & servorum filii grammaticam, musicam & arithmeticam doceantur.* Eo namque profundi bonæ literæ demersæ erant, ut si quis nobilioris ingenii vellet eas addiscere, magistrum non inveniret qui doceret. Unde Lupus in epistola ad Eginhartum: *Nisi*, inquit, *intercessisset inopia præceptorum & longo situ collapsa priorum studia pene interiissent; largiente domino meæ aviditati satisfacere forsan potuissem. Siquidem vestra memoria per famosissimum imperatorem Carolum (cui literæ eousque deferre debent, ut æternitatis pareant memoriam) cœpta revocari, aliquantulum quidem extulere caput. satisque constat veritate subnixum præclarum dictum, Honos alit artes, & accenduntur omnes ad studia gloria.* Idem testatur Ionas Aurelianensis, qui quantum opera Caroli Magni Germaniæ & Galliæ ecclesiæ studio bonarum literarum profecerint, docet his verbis: *Non solum apud Germaniam studium literarum & amor sanctarum scripturarum, verumetiam studio & ferventissimo desiderio actum est, ut domino opem ferente in sibi commissæ ecclesiæ filiis & liberalium artium apprime disciplina, & divinarum scripturarum perfecta pollet intelligentia.* Hic fervor in docendis & addiscendis literis viguit, usque dum vixit Carolus: post obitum vero illius ipsum studium literarum nonnihil refrixisse, Lupus prædicta epistola ad Eginhartum testatur: *Nunc*, inquit, sub Ludovico filio Caroli imperatoris, *oneri sunt, qui aliquid discere affectant, & velut in edito sitos loco studiosos quosque imperiti vulgo aspectantes, si quid in eis culpæ deprehenderint, id non humano vitio, sed qualitati disciplinarum assignant. Ita dum alii dignam sapientiæ palmam non capiunt; alii famam verentur indignam, a tam præclaro opere destiterunt.* Unde cognoscis lector, quas suo tempore Carolus pene extinctas bonas litteras revocavit, easdem cum ipso ferme defunctas, vel saltem languore corruptas suo genuino vigore caruisse.

Post obitum Caroli studia defecerunt.

Peregrinationum abusus sublatus.

c *De quibus omnibus domini imperatoris, qualiter sint emendanda, sententia exspectetur.*] Ex iis, qui his temporibus gratia consequendi remissionem peccatorum Romam ad limina apostolorum atque Turonum ad sanctum Martinum peregrinabantur, complures pio instituto lucri causa abutebantur: quemobrem sancta synodus hoc canone decrevit, quæ peregrinationes probandæ, quæve improbandæ forent: idque interventu scientiæ & consensu Caroli imperatoris fecerunt ideo, quod scirent Carolum in colligendis & excipiendis hujuscemodi hominibus studiosissimum esse: nam de ejus propensissimo studio in peregrinos hæc recitat Eginhartus in vita

ANNO CHRISTI 813.

Caroli studium erga peregrinos. Carolus peregrinantes lucri causa, coercuit.

ejus: *Amabat peregrinos, adeo ut eorum multitudo non solum palatio, verum etiam regno non immerito videretur onerosa. Ipse autem pro magnitudine animi hujuscemodi pondere minime gravabatur, cum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis & bonæ famæ mercede compensaret.* Hæc Eginharthus. Hac constitutione synodali fretus imperator Carolus deinceps ejusmodi errones lucri causa peregrinantes cohibuit. Nam de mangonibus, qui novis adinventis etiam cum dispendio sanguinis pecuniam corradebant, lib. 1 capit. cap. 79. ista habet: *Item ut isti mangones & cogciones, qui sine omni lege vagabundi vadunt, per istam terram non sinantur vagari, & deceptiones hominibus agere. Nec isti nudi cum ferro, qui dicunt se, data sibi pœnitentia ire vagantes. Melius videtur, ut si aliquod inconsuetum & capitale crimen, commiserint, in uno loco permaneant, laborantes & servientes & pœnitentiam agentes, secundum quod sibi canonice impositum sit.* Item de pauperibus ita vagantibus cap. 124. ejusdem lib. 1. ista constituit. *De mendicis qui per patrias discurrunt, volumus ut unusquisque fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio aut de propria familia nutriat, & non permittat alicubi ire mendicando. Et ubi tales inventi fuerint, qui sibi manibus laborent, nullus iis quidquam tribuere præsumat.* Hæc de vagantibus sub prætextu peregrinatorum fidelibus concilium & imperator prudentissime constituerunt.

CAROLI MAGNI IMPERATORIS

CAPITVLARE

Anno imperii ejus 13. post synodos præcedentes editum, de iis quæ episcopi congregati in unum observanda decreverant, & admonenda.

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *De baptismo rite celebrando.*
II. *Vt laici presbyteros de ecclesiis non ejiciant.*
III. *Vt laici pro datis ecclesiis munera non exigant.*
IV. *Vt canonici & monachi secundum ordinem vivant.*
V. *Vt in monasteriis puellarum presbyteri peractis sacris non subsistant.*
VI. *Vt plures in monasteriis, quam ferre possint, non recipiantur.*
VII. *De decimis.*
VIII. *De incestuosis investigandis & coercendis.*
IX. *De pace & concordia.*
X. *Vt comites episcopis obediant, & justitias faciant.*
XI. *Vt tempore famis unusquisque suos alere studeat.*
XII. *Vt episcopo liceat de thesauro ecclesiæ pauperibus erogare.*
XIII. *Vt justa sint pondera & mensuræ.*
XIV. *Vt prædicatio assidue fiat, & ab omnibus intelligatur.*
XV. *De iis quæ dominico die fieri non debent.*
XVI. *Vt episcopi parochias suas circumeant.*
XVII. *Vt chrisma sub sigillo custodiatur.*
XVIII. *Vt parentes & patrini filios suos doceant.*
XIX. *Vt in ecclesiis antiquis sua jura serventur.*
XX. *In ecclesiis sepelire quos liceat.*
XXI. *Vt placita in ecclesiis earumve atriis non fiant.*
XXII. *Vt res pauperum fraudulenter non acquirantur.*
XXIII. *Vt fugitivi clerici redire compellantur.*
XXIV. *Vt qui beneficium habet ecclesiæ, ad ejus sartatecta adjuvet.*
XXV. *Vt publici criminis rei publicæ pœnitentiæ subjiciantur.*
XXVI. *Vt presbyteri quod docent opere compleant.*
XXVII. *De presbyteris qui confessiones revelare dicebantur.*
XXVIII. *De tumultibus quos faidosi homines excitabant.*

CAPITVLA.

I.

Vt unusquisque archiepiscopus suos suffraganeos diligenter studioseque admonere studeat, ut unusquisque suos presbyteros pariter investigare non negligat, baptismatis sacramenta qualiter agant, & hoc eos studiose doceant, ut ordinabiliter fiat. Conc. [Arc]lat. 6. [can.] 3.

II.

Vt laici presbyteros non ejiciant de ecclesiis, nec alios mittere præsumant. Arelat. can. 4.

III.

Vt laici omnino non audeant munera exigere a presbyteris propter commendationem ecclesiæ cuique presbytero. Arelat. can. 5.

IV.

Providendum necesse est, qualiter canonici vivere debeant, nec non & monachi, ut secundum ordinem canonicum & regularem vivere studeant. Arelat. can. 6.

V.

De monasteriis puellarum, ut presbyteros opportuno tempore ad missarum solennia liceat advenire, & iterum ad proprias ecclesias redire. Mogũ. can. 26.

VI.

Vt plures non mittantur in monasteria canonicorum, atque monachorum, seu puellarum, quam sufferri possit. Mogũ. can. 1[9]

VII.

De decimis admonendis.

VIII.

De incestuosis omnino investigandum, ut ab ecclesia expellantur, nisi pœnitentiam egerint. Mogũ. can. 53

IX.

Vt pax sit & concordia inter episcopos & comites, & reliquos clericos, & monachos, & laicos. Arelat. can. 1[1]

X.

Vt comites & judices, seu reliquus populus, obedientes sint episcopo, & invicem consentiant ad justitias faciendas, & munera pro judicio non accipiant, nec falsos testes. Arelat. can. 1[3]

XI.

Vt unusquisque propter inopiam famis suos familiares, & ad se pertinentes, gubernare studeat. Arelat. can. 1[4]

XII.

Vt unicuique episcoporum liceat de thesauro ecclesiæ pauperibus erogare ad nutrimentum secundum canones, cum testibus. Turon. can. 1[6]

XIII.

Vt pondera & mensuræ ubique æqualia sint & justa. Arelat. can. 1[5]

XIV.

De officio prædicationis, ut juxta quod bene vulgaris populus intelligere possit assidue fiat. Mogũt. can. 25.

XV.

Ne dominicis diebus mercatum fiat, neque placitum: & ut his diebus nemo ad pœnam, vel ad mortem judicetur, & de operibus cavendis admoneatur. Arelat. can. 16 Mogũt. can. 37

XVI.

Vt unusquisque episcopus interim circumeat parochiam suam docendo & admonendo, & quæque sunt necessaria emendare studeat: & si quid emendare nequiverit, ad prædictum placitum proferat. Arelat. can. 17.

XVII.

XVII.

Vt presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ, vel maleficii donare præsumant. Quod si fecerint, honore priventur.

XVIII.

De fide unusquisque compater, vel parentes, vel proximi, filios suos spiritales catholice instruant; ita ut coram Deo ratiocinare debeant.

XIX.

Vt ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decima, nec alia ulla possessione priventur, ita ut novis tribuatur ecclesiis.

XX.

Vt mortui non sepeliantur in ecclesia, nisi episcopi, vel abbates, vel fideles & boni presbyteri.

XXI.

Vt placita in domibus vel atriis ecclesiarum minime fiant.

XXII.

Vt comites vel vicarii, seu judices aut centenarii, sub mala occasione vel ingenio res pauperum non emant, nec cui tollant: sed quisquis hoc comparare voluerit, in publico placito coram episcopo hoc faciat.

XXIII.

Vt unusquisque in sua parochia presbyteros vel alios clericos diligenter inquirat, & fugitivos ad loca sua redire faciat, & ad proprium episcopum suum.

XXIV.

Vt quisque beneficium ecclesiasticum habet, ad tecta ecclesiæ restauranda, vel ipsas ecclesias omnino adjuvet.

XXV.

Vt qui publico crimine convicti sunt rei, publice judicentur, & publicam pœnitentiam agant secundum canones.

XXVI.

Vt presbyteri bene vivere studeant, & ita populum doceant.

XXVII.

Vt hoc inquiratur, si de partibus Austriæ verum est, quod dicunt, an non, quod presbyteri de confessionibus accepto precio manifestent latrones.

XXVIII.

Vt inquiratur diligenter de faidosis hominibus, qui solent incongruas commotiones facere, tam in dominicis diebus quamque & aliis solennitatibus sicuti & in feriaticis diebus. Hoc omnino prohibendum est, ne facere præsumant.

Observatio Iacobi Sirmondi, S.I.

Hactenus edicti hujus capitula, vel summæ potius ac breviaria capitulorum. In altero autem codice Gandavensi, ex quo & postrema duo capita descripsimus, quæ in Metensi non sunt, sequebantur præterea hoc loco, repetebanturque ex superioribus capitula duo, quartum nimirum & quintum, sed plena atque integra, in hunc modum. Anno Christi 813.

IV.

Providendum omnimodis, ac diligenter exquirendum, qualiter canonici vivant, nec non & monachi: ut unusquisque eorum secundum ordinem canonice ac regulariter vivant, & non similiter. Id est, ut refectoria & dormitoria una simul observentur, quemadmodum jamdudum in capitulis nostris injunctum habemus.

V.

De monasteriis puellarum, ut presbyteris certo tempore ad missarum solennia celebranda liceat ad eas in ecclesia convenire, & mox ad proprias redire ecclesias. Ceteri vero clerici vel laici similiter observentur, ut nequaquam in eadem monasteria ingredi audeant, nisi necessitatis causa ipsius monasterii compulerit. Hoc tamen cum summa providentia episcopi vel abbatissæ fiat. Similiter & hoc pleniter observandum sit, ut feminæ per domos clericorum minime discurrant.

Nota Iacobi Sirmondi, S.I.

1 *Caroli magni capitulare.*] Titulus in codice Metensi simplex erat: *De anno* 13. In Gandavensi plenior: *Hæc sunt capitula quæ episcopi congregati in unum observanda decreverunt & admonenda* Edita constat in conventu Aquisgranensi, in quo constitutionum quæ in synodis superioribus factæ fuerant, collationem coram imperatore habitam docet idem Eginhartus. Præter hæc autem, quę tunc a Carolo imperatore sancita sunt, multa post hæc ex earumdem synodorum canonibus ab Ansegiso abbate in librum 2. capitularium translata, & a Benedicto rursum Levita tota propemodum additio 3. ex iisdem canonibus conflata.

Observatio Philippi Labbe, S.I.

Antequam ex occidente vela faciamus in Græciam, & cum Baronio, Binio; aliisque pseudosynodum Iconoclastarum hæreticorũ repræsentemus, placet hic paulisper subsistere, & alterius Constantinopoli a S. Nicephoro patriarcha virisque sanctissimis adversus Antonium Silæi metropolitam habitę catholicæ synodi meminisse. Illam porro mutuabimur ex oratione sive epistola synodica orientalium aliquot antistitum ad Theophilum imperatorem Michaelis τοῦ τραυλοῦ filium, quam vulgavit ac latinitate donavit Combefisius O. P. in manipulo rerum Constantinopolitanarum. Neque vero succenseat lector, quod paulo fortasse altius narrationem ducamus ab ipsis fere Leonis Armeni imperii primordiis: res enim id plane exigit nondum hactenus satis explicite in annalibus monumentisque ecclesiasticis proposita. Eidem quoque subjiciemus leges synodicas ab eodem Nicephoro sancitas ex libro III. tomi I. Iuris Græco-Romani á Ioanne Leunclavio concinnati: neque enim indagare ullatenus potuimus ad quem potissimum annum sint revocandæ.

ΣΥΝΟΔΟΣ ΕΝ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΙ κατὰ Ἀντωνίου μητροπολίτου τοῦ Σιλαίου συναθροισθεῖσα παρὰ τοῦ ἁγίου Νικηφόρου καὶ σο' ἐπισκόπων.

ΚΑΙ δὴ τοῦ Λέοντος τὰ βασίλεια σκῆπτρα κεκρατηκότος, περισσότερος ζηλωτὴς καὶ μιμητὴς γίνεται τῶν προβεβηκότων δυσσεβῶν ἀνάκτων, Λέοντος καὶ Κωνσταντίνου, τῶν τῆς Ἰσαύρων ἀγχιστείας γεγονότων, καὶ πολυχρονίοις ἔτεσιν ἐν τῇ βασιλείᾳ διαρκεσάντων· πολέμων τε ἀνδραγαθήμασι καὶ πολεμίων βαρβάρων θράσος καταβαλόντων· εὐθηνίαις τε καὶ εὐημερίαις βεβιωκότων.

CONCIL. CONSTANTINOPOLI HABITVM CONTRA ANTONIVM SILÆI metropolitam a sancto Nicephoro patriarcha CP. & episcopis CCLXX.

LEO itaque imperii sceptris potitus, impiorum illo superiorum imperatorum, Leonis ac Constantini ex Isauris genus ducentium abundantius æmulator ac imitator efficitur; qui scilicet annos longe plures rerum domini fuerant, rebusque bello strenue gestis, hostium barbarorum audaciam fregerant, atque bonorum affluentia faustos beatosq; dies duxerant.

ANNO CHRISTI 814.

Coepit ergo ſcrutari ſcrutationes, nempe vaticinia quædam & aſtrologos mathematicos qui velut ex tripode ejus generis illi oracula ederent. Accerſitoque Baſilio quodam chartulario ejus, quam Exarteſem vocant (velut dicas ſuſpenſionem ſeu alligationem) homini rem credit. Is porro rei familiaris anguſtiis velut ſervus deditiṫius, imperata ſe facturum pollicetur. Invento itaque viro quodam Salabrienſi, homine vago ac nuſquam conſiſtente, in cauponis rerumque venalium foro, in divinationibus & auguriis verſante (Sabbatius huic nomen erat) ab eo auditurus quæ futura imperatores manerent, ſuadet ut cuncta ad gratiam imperatori loquatur, & quæ illi ex animo ſint. Sabbatius igitur gravi pondere catena collo alligata, ferreiſque vinculis conſtrictus pedes, in Dagiſtei majoris balnei caminorum cupis ſeſe includit. Baſilius autem, ut quod imperator maxime cupiebat celerius expleret, ad Pythoniſſæ vatem eum adducit. Profunda nox erat, tantæque tenebræ quas & palpare liceret. Enque tibi militum ſatellitio ſtipari ſolitus imperator, ipſe ſolus, nudus, inermis, uno Baſilio comite, loca ſubterranea, inferna, obſcura, velut olim Iulianus ille prævaricator, Hebræo mathematico ſponſore cum diabolo fœdus icturus irrumpit. O quomodo ſapientum evacuata ſapientia! O quomodo ſtulti facti ſunt qui videbantur eſſe ſapientes! Quid ergo magnus ille gloria inclytus ac formidabilis imperator? advolvitur arioli pedibus; rogat oracula, velut olim Alexander cum Candaulo viro unius ſecum animi, Serapidis penetralia ingreſſus, ad exquirendum quæ eſſent eventura. Videtque accumbentes quoſdam micantibus oculis, ex quorum caterva unus quis in hæc verba alloquitur; Salve ſis, Alexander: mene noſti quis ſim? Ad quem ille, Quomodo, domine? Cui magus, Ego ſum Seſuch Rex terræmotus arbiter: me autem fortunatior ipſe extitiſti, qui nomen immortale nactus es; Ad quem Alexander: Quomodo domine? cui ille, intus ingredere ut videas qui tibi patronus ac defenſor ſit. Intus ergo ingreſſus, ignis fulgore mirantem nubem videt, inque throno ſedentem quem olim Serapidem in Rhacuntide, divinis honoribus a mortalibus frequentari conſpexerat. Aitque Alexander: Domine, quot annos victurus ſum? Cui Serapis, Prę̨ſtat qui mortalis exiſtat, neſcire quonam die moriturus ſit. Qui enim diei illius expectatione ſuſpenſus eſt, quo ex die didicit, mortuus eſt. At, quod neſcienti accidat, oblivionem præbet, ut ne animo ſuccurrat; & ſi prorſus etiam morti concedendum ſit.

Tum curioſus imperator divino & vati, Quid, inquit, faciam ac quid agam, ut vitam omnem felix fauſtiſque ominibus, ac tropæis clarus traducam? Ad quem Sabbatius, Tu quidem imperator, fortunatus celebrique fama inter reges terræ clarebis. Quod ſi vis vitam, & diligis dies videre bonos, ac inter gentes & barbaros proferre imperium, omnem imaginum abole memoriam; ac ecce futurum eſt, ut annos duos ſupra triginta bene plenos cum filio domino Conſtantino imperes ac rerum potiaris, Bulgaroſque ſubjicias, atque enſem tuum in media Bulgaria, ad eorum aulæ aream figas. Verũ

A καὶ δὴ ἤρξατο ἐξερευνᾷν ἐξερευνήσεις, μαντείας τινὰς καὶ μαθηματικοὺς ἀστρολόγους, τοιαῦτα αὐτῷ χρησμῳδεῖσθαι· καὶ προσκαλεσάμενος Βασίλειόν τινα χαρτουλάριον τῆς λεγομένης Ἐξαρτήσεως, θαῤῥεῖ αὐτῷ τὰ τοῦ πράγματος. ὁ δὲ, ἐν ἀμηχανίᾳ γεγονὼς, ὡς δοῦλος ὑπήκοος ποιεῖν τὸ κελευσθὲν ἐπαγγέλλεται. καὶ δὴ εὑρών τινα αὐδεχ τῶν ἐπιχωρίων Σαλαμβρείας ὧδε κἀκεῖσε πλανώμενον, ἐν καπηλίοις καὶ κυκλεύμασι, μαντείαις τε καὶ οἰωνίσμασι· καὶ μέλλων τῶν βασιλέων πρόγνωσιν μυεῖσθαι, Σαββάτιον οὕτω λεγόμενον ὑποτίθεται αὐτῷ πάντα τὰ καταθύμια τῷ βασιλεῖ χαρίσασθαι. καὶ δὴ περιβαλὼν ἑαυτῷ ὁ Σαββάτιος ἅλυσιν μεγίστην τῷ τραχήλῳ, B καὶ σιδηροπέδαις ἑαυτὸν περισφίγξας, περικλείει ἑαυτὸν ἐν τοῖς τοῦ Δαγιστέως μεγάλου λουτροῦ τῶν καμίνων κούφοις. καὶ δὴ ὁ Βασίλειος τὰ βασίλεια καταθύμια τάχιον ἐκπληρῶν, προσαγηόχει αὐτὸν τῷ μάντει τοῦ Πύθωνος. νὺξ δὲ βαθεῖα ἦν, καὶ σκότος ψηλαφητόν. καὶ ἰδοὺ ὁ ὑπὸ στρατοπέδων δορυφόρων φρουρούμενος βασιλεὺς, μεμονωμένος γυμνὸς καὶ ἄοπλος σὺν τῷ Βασιλείῳ παραγίνεται ἐν ὑπογείοις καὶ καταχθονίοις ἀμειδέσι τόποις, ὡς ποτὲ Ἰουλιανὸς ὁ παραβάτης, ὑπὸ τοῦ μα- C θηματικοῦ Ἑβραίου τῷ διαβόλῳ σπονδιζόμενος· ὢ πῶς ἀπώλετο ἡ σοφία τῶν σοφῶν. ὢ πῶς ἠθέτηται ἡ σύνεσις τῶν συνετῶν. ὢ πῶς οἱ θέλοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. τί οὖν ὁ μέγας καὶ ἔνδοξος καὶ φοβερὸς βασιλεύς. προσκυλινδεῖται τοῖς ποσὶ τοῦ Πύθωνος. χρησμῳδοτίας αἰτεῖται, ὥσπερ ὁ Ἀλέξανδρός ποτε μετὰ Κανδαύλου συμψύχου αὐτοῦ εἰσελθὼν εἰς τὸν Σέραπιν, ὥστε μαθεῖν τὰ ἀποβησόμενα. καὶ ὁρᾷ τινας ἀστράπτοντας ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν ἀνακειμένους· ἕνα δὲ λέγοντα αὐτῷ, Χαίροις Ἀλέξανδρε, οἶδάς με τίς εἰμί; ὁ δὲ, Πῶς κύριε. ὁ δὲ μάγος, ἐγώ εἰμι Σεσοὺχ ὁ σεισμοκράτωρ βασιλεύς. οὐ τοσοῦτον δὲ εὐτύχησα, ὅσον σύ. καὶ ἔχεις ὄνομα ἀθάνατον. ὁ δὲ, πῶς κύριε. ὁ δὲ λέγει, εἴσελθε D ἔνδον ἵνα θεάσῃ τὸν προστάτην. εἰσέρχεται Ἀλέξανδρος ἔνδον, ὁρᾷ ὁμίχλην πυραυγῆ, καὶ καθεζόμενον ἐπὶ θρόνου, ὅν ποτε εἶδεν ἐν Ῥακουώπει προσκυνούμενον βροτοῖς Σέραπιν. εἶπε δὲ ὁ Ἀλέξανδρος, Κύριε, πόσα ἔτη ζήσομαι. εἶπε δὲ ὁ Σέραπις, Καλὸν μὲν θνητὸν ὄντα, μὴ εἰδέναι πότε μέλλει τελευτᾷν. προσδεχόμενος ἐκείνην τὴν ἡμέραν, ἀφ᾽ ἡμέρας ἔμαθεν, ἐτελεύτησε. τὸ δὲ ἐν ἀγνοίᾳ παθεῖν, τοῦτο λήθην παρέχει, τὸ μὴ ἔχειν κατὰ γνώμην, εἰ καὶ ὅλως τελευτᾷν.

Εἶτά φησιν ὁ πολυπράγμων βασιλεὺς τῷ προγνώστῃ καὶ μάντει, τί ποιήσω καὶ τί πράξω, ὅπως E ἐν εὐζωΐᾳ καὶ εὐημερίᾳ καὶ τροπαιοφόρῳ νίκῃ διαβιῶναί με τὸν ἅπαντά μου χρόνον. καὶ φησὶ πρὸς αὐτὸν ὁ Σαββάτιος, Σὺ μὲν, ὦ βασιλεῦ, ηὐτύχησας, καὶ ὀνομαστὸς ἔσῃ ἐν βασιλεῦσι τῆς γῆς. εἰ δὲ θέλεις ζωὴν, καὶ ἀγαπᾷς ἡμέρας ἰδεῖν ἀγαθὰς, καὶ κυριεῦσαι ἐθνῶν καὶ βαρβάρων, πᾶσαν τὴν τῶν εἰκόνων ἐξαφάνισον μνήμην τέλεον· καὶ ἰδοὺ μέλλεις ἐν ὅλοις τριακονταδύο χρόνοις μετὰ τοῦ υἱοῦ σου κυροῦ Κωνσταντίνου ἄρχειν καὶ βασιλεύειν. καὶ τοὺς Βουλγάρους καθυποτάξεις, καὶ πήξεις τὴν ῥομφαίαν σου μέσον τῆς Βουλγαρίας, εἰς τὴν χαλκῆν ἅλωνα τῆς αὐλῆς αὐτῶν. ἀλλ᾽ ὅπερ ποιεῖς,

ποιεῖς, ποίησον τάχιον. μήτε ἄνω ἀφίῃς εἰκόνα, μήτε κάτω.

Περιχαρὴς οὖν γενόμενος ὁ βασιλεὺς, τὰ προσταχθέντα ἀνενδοιάστως ἐκπληρῶσαι ἐσπούδαζε, μήπως ἡ τῶν λ΄. χρόνων προθεσμία ὥσπερ ὄρνεον ἐκπετασθὲν, ἐκ τῶν χειρῶν αὐτοῦ διαδράσῃ. προσκαλεῖται οὖν τὸν προῤῥηθέντα ἀναγνώστην Ἰωάννην· καὶ ἀνατίθεται αὐτῷ τὰ τῆς σκήψεως. ὁ δὲ, ἑτοιμότατα φοβηθεὶς τὴν τοῦ βασιλέως κέλευσιν, ποιεῖν τὸ κελευσθὲν ἐπαγγέλλεται. καὶ δὴ βασιλικῇ χειρὶ τὰς βίβλους πάσας τῶν μοναστηρίων παραθροίσας, καὶ ἀνερευνήσας τὰς τῶν εἰδώλων ἀπαγορεύσεις, ταύτας προσέῤῥαψαν τῇ σεβασμίᾳ εἰκόνι τοῦ Χριστοῦ. ὡς γὰρ τὸν Βὴλ καὶ Δαγὼν τὸν Χριστὸν λογιζόμενοι, τούτου τὰς σεπτὰς εἰκόνας κατέκαυσαν.

Καὶ δὴ οὐκ ἀναπέπαυται ὁ ἐπισπουδαστὴς βασιλεὺς, ἀλλὰ προσκαλεσάμενος τὸν ἁγιώτατον Νικηφόρον τὸν πατριάρχην, δείκνυσι αὐτῷ τὰ συλλεγέντα παρὰ τοῦ Ἰωάννου πιττάκια, καὶ μυθικὰ λογίδρια ὡς μειρακίσκων ἀθύρματα. ὁ δὲ ἁγιώτατος καὶ σοφὸς τῆς ἐκκλησίας διδάσκαλος, ὥσπερ ἱστὸν ἀράχνης ταῦτα διέλυσε. καὶ τέως μὲν ὁ βασιλεὺς εὐλαβηθεὶς, ἀνακωχὴν ποιεῖται τοῦ σκέμματος. ὁ δὲ Ἰωάννης δεδιὼς τὸν ἀπὸ τοῦ πατριάρχου ἀφορισμὸν, συμβεβηκυίᾳ δὲ νόσῳ περιτρυχωθεὶς, ἠμελημένην μετάνοιαν ἐξαιτεῖται παρὰ τοῦ πατριάρχου. συγγνώμην αὐτῶν τῆς προπετείας, καὶ τῇ μοναδικῇ προσδεχθῆναι μετανοίᾳ. ὅπερ καὶ γέγονεν. ὁ δὲ βασιλεὺς ἐν ἀπορίᾳ καὶ ἀστοχίᾳ τῶν ἀγωνισμάτων γενόμενος, διενοεῖτο τίνα ἄρα εὑρήσει συνεργόν. μηνύεται δὲ αὐτῷ τὰ περὶ τοῦ μητροπολίτου Ἀντωνίου ὄντι ἐν τῷ Σιλαίῳ. ὁ δὲ τάχιστα αὐτὸν κελεύει τὰ βασίλεια προσφθάσειν.

Καὶ δὴ πρὸς αὐτὸν ὁ βασιλεύς· συναγώνισαι ἡμῖν ὦ μητροπολῖτα εἰς ὃ βουλόμεθα, καὶ πρόεδρόν σε καταστήσω τοῦ πατριαρχικοῦ θρόνου. ὁ δὲ ἑτοιμότατα τὰ προσταχθέντα ποιεῖν ἐπαγγέλλεται. γνοὺς δὲ ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης Νικηφόρος, προσκαλεσάμενος αὐτὸν, εἶπεν, εἰ ταῦτα οὕτως ἔχει. ὁ δὲ φησὶ, μὴ γένοιτο ἡμῖν ὦ δέσποτα τοῦτο, μηδέ τι πρᾶξαι. ἀλλὰ πρὸς πλείονα πληροφορίαν, τοὺς ἰδιοχείρους μου σταυροὺς ὑπογράφω τῷ τῆς ὀρθοδοξίας λιβέλλῳ ἑπόμενος· ὅπερ καὶ τάχιον κατὰ παρουσίαν τῶν συνευρεθέντων ἁγιωτάτων μητροπολιτῶν πεποίηκεν, καθὼς καὶ ἐν χειροτονίᾳ αὐτοῦ ταῦτα ὑπέγραψεν. ἐν ὀνόματι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, Ἀντώνιος ἐλέει Θεοῦ μητροπολίτης Σιλαίου, χειρὶ ἐμῇ ὑπέγραψα, πιστεύοντες εἰς τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοούσιον καὶ ζωοποιὸν Τριάδα, τὰς τιμίας ἀσπαζόμεθα εἰκόνας. οἱ μὴ οὕτω φρονοῦντες, ἀνάθεμα ἔστωσαν. οἱ μὴ οὕτω πιστεύοντες, πόῤῥω τῆς ἐκκλησίας ἐκδιωχθήτωσαν. αὕτη ἡ πίστις τῶν ἁγίων πατέρων. αὕτη ἡ πίστις τὴν οἰκουμένην ἐφώτισε. οἱ οὖν τολμῶντες μετὰ ταῦτα ἀνατρέπειν τι τῶν ἐνθέσμων τῇ ἐκκλησίᾳ παραδεδομένων, ἢ εἰκονικὴν ἀναζωγράφησιν, ἢ σταυροῦ ἐκτύπωμα· εἰ μὲν ἱερεῖς εἰσὶ, παντάπασι καθαιρείσθωσαν· εἰ δὲ μονάζοντες ἢ λαϊκοὶ, ἀναθεματιζέσθωσαν. ὁ δὲ ταῦτα ἐπισφραγισάμενος, ἐξῄει τοῦ εὐαγοῦς πατριαρχείου.

quod facis fac citius, nec ullam susdeque imaginem relinquas.

Summe igitur exhilaratus imperator, imperata indubie exque animo præstare satagebat; ne forte annorum triginta factæ induciæ, haud secus ac avis avolans, e manibus illi effluerent. Accersito itaque, quem modo dicebam, Ioanne lectore, ad eum quæ mandata acceperat refert. Is vero, imperatoris jussionem reveritus, propensissime se facturum pollicetur. Imperiali itaque manu atque opera, quicquid in monasteriis librorum erat coacervantes, ac quibus in eis interdictum idolis est, locos scrutantes, venerandæ Christi imagini, eos affinxere. Velut enim Belis atque Dagonis loco Christum habentes, venerandas ejus imagines flammis addixere.

Accersita ab idolis ad sacras imagines calumnia.

Denique nihil sibi quietis indulgens gnavus imperator: quin immo sanctissimum patriarcham Nicephorum accersens, collectos a Ioanne libellos, fabellisque refertos indiculos; velut puerorum terriculamenta ac larvas ei ostendit. At vir sanctissimus sapiensque ecclesiæ magister, tamquam aranearum telam cuncta facili negotio evertit. Quamobrem hactenus quidem imperator reveritus, ejus quod ita moliebatur, inducias facit. Ioannes vero movendum se communione, patriarchæ sententia timens, morbique casu attritus, quam neglexerat, a patriarcha pœnitentiam petit; veniam temeritatis rogans, & ut ejus criminis reatu monasticæ exercitationis castra petere liberum sit: quod & factum est. At imperator rei eventu animi anxius, irritoque conatu percussus, animo cogitabat, quem demum operis adjutorem inveniret. Nuntiatumque illi est de Antonio metropolita, qui erat in Sylæo: quem mox in aula præsto esse jubet.

Nicephori patriarchæ illis tuendis præclara opera.

Ioannis lectoris ficta pœnitentia.

Ad quem imperator: una operam præsta, o metropolita, in id quod molimur, teque patriarchalis sedis antistitem collocabo; Pollicetur ille propensissime se jussa facturum. Quo cognito, sanctissimus patriarcha virum accersens, Num hæc ita se habeant, quærit. Cui ille, Absit, domine, istud a nobis, & ut aliquid fecerim. Quin adeo majorem facturus fidem, manu propria exaratas cruces, sententiæ tenax, fidei libello apponam. Quod & ocyus sub sanctissimorum metropolitarum qui simul inventi sunt, præsentiam fecit; uti etiam quando ordinatus est hæc subscripserat. *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti; Antonius Dei misericordia Silai metropolita, manu mea subscripsi. Qui in sanctam & consubstantialem ac vivificam trinitatem credamus, venerandas imagines amplexamur ac suscipimus. Qui non ita sentiunt, sint anathema. qui non ita credunt, procul ab ecclesia arceantur. Hac est fides sanctorum patrum. Hac fides, orbem terrarum illustravit. Qui igitur posthac ausi fuerint evertere aliquid eorum, quæ ecclesiæ legitima tradita sunt, sive pictas imagines; sive crucis figuram, si quidem sacerdotes sint, prorsus deponantur: sin autem monachi aut laici, anathematizentur.* Hæc Antonius cum sigillo obsignasset, patriarchalibus ædibus excedit.

Antonii metropolitæ simulatio ac perversitas.

Hæc

Anno Christi 814.

Hæc autem imperatore ex illo percontante, ait, *Illuſimus eis, imperator, ut curis liberior ſis, in iis quæ moliris.* O novum Manichæum eademque ac Perſa ſentientem! o dementiam! o ſtoliditatem! Inter Chriſtianos, Chriſtianum agit; inter Iudæos, Iudæum. Adeoque præſidentes ambo, Ioannes ac Antonius, hæreticorum vino medicatum craterem miſcuerunt. Ac ſane divinas ſcripturas atque utiles ſecundum deſideria ſua pervertentes, commentitias inque animorum exitium comparatas doctrinas proferunt, venerandas imagines idola obgannientes.

Nicephori ſynodus exque illa dictum in Antonium anathema.

Magnus itaque præſul divinorum interpres Nicephorus, ſanctorum ducentorum ſeptuaginta patrum collecta ſynodo, cunctiſque ſacerdotalibus ſtolis indutis in magna Sophiæ æde, una quoque congregata ſacerdotum ac monachorum urbis Auguſtæ multitudine, ipſe ſanctiſſimus patriarcha ambonem conſcendens, hæreſiarcham anathemate ferit, ac devovet in hæc verba clamans: *Antonii novi Arii, errore Paulicianis affini, anathema.* Populus, *anathema*, ſanctiſſimus patriarcha ait; *Antonius novus Arius ligatus eſt in hoc ſæculo & futuro, in cælo & ſuper terram, ex ſancta conſubſtantiali & vivifica trinitate, Patre & Filio & Spiritu ſancto, exque ſancto ac apoſtolorum principe Petro, ex duodeno apoſtolorum collegio: ex ſanctis trecentis decem & octo patribus, ex ſanctis magnis & univerſalibus ſynodis, ex ſanctis magnis patriarchalibus & apoſtolicis ſedibus, & a me, qui ipſum ordinavi, cunctique illi communione juncti; tamquam Chriſti hoſtis, ut qui manu propria fixas cruces prævaricator violaverit, ut qui a recta fide deſertor ſit, ut imaginum effractor, ut idolorum cultor, ut Chriſtianorum calumnioſus accuſator, ut Chriſtianorum perſecutor, ut ſacerdotum occiſor, ſacerdotum ille & patriarcharum execratio, ille ſceleſtiſſimus; abominatio deſolationis, prima diſceſſio ac defectio,* (Matth. 24.) *antichriſti præcurſor, homo iniquitatis, filius perditionis, qui nunc temporis revelatus eſt.* (2. Theſſ. 2.) Hæ laudes, tantaque præconia infelicis Antonii.

Quid igitur ejus adjutor & particeps, ille vero pro nominis ipſa ratione antichriſti præcurſor, cujus ex ore egreditur igneus blaſphemiæ clibanus; (Exod. 7.) falſus ille vates Balaam, Pythoniſſæ diſcipulus? adverſæ nimirum partis ambo tribuni: (2. Tim. 3.) novi Pharaonis venefici ac incantatores Iannes & Iambres mathematici? Quid Leonis ille præditus ſpecie, in Leonis morem adverſus eccleſiam rugiens? nempe hujus auctorem hæreſeos imitatur; ac, ſicut ille, divinum germanum, hic quoque inclytum ſanctiſſimumque Nicephorum patriarchali ſede expellit, cunctoſque illius partium ſanctiſſimos epiſcopos atque monachos tormentis exiliiſque damnavit. (Rom. 9.) Quid igitur? Extruſo Iacob prædilecto, ejus loco exoſus & ante ortum Eſau, intruditur. (Ioan. 10.) Aſcendunt aliunde fures & latrones in eccleſiæ caulam. Sacrum altare contaminatum eſt. Gaudent rurſus Iudæi; rurſus jubilant ac plaudunt manibus; rurſus ſuperbiunt & inſoleſcunt adverſus Chriſtum Dei Nazarenum, quem cruci affixerunt, dum hæc fieri conſpi-

Altera Alterius Leonis perſecutio.

A ὁ δὲ βασιλεὺς ταῦτα πυθόμενος, ἔφησεν ὁ Ἀντώνιος, ἐχλευάσαμεν αὐτοὺς ὦ δέσποτα, ὅπως ἀμεριμνότερος ἔσῃ ἐπὶ τὰ δοκοῦντα. ὢ τοῦ νέου Μανιχαίου καὶ Περσόφρονος. ὢ τῆς ἀνοίας. ὢ τῆς φρενοβλαβείας. ἐν Χριστιανοῖς χριστιανίζει. ἐν Ἰουδαίοις ἰουδαΐζει. καὶ δὴ προκαθεσθέντες οἱ δύο Ἰωάννης καὶ Ἀντώνιος, ἐκέρασαν εἰς κρατῆρα τῶν αἱρετικῶν πεφαρμακευμένον οἶνον. καὶ δὴ γραφὰς θεοπνεύστους καὶ ὠφελίμους στρεβλοῦσι, κατὰ τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας, προβαλλόμενοι ἐπιπλάστους καὶ ψυχοφθόρους διδασκαλίας. εἴδωλά τε τὰς σεβασμίας εἰκόνας βαττολογίζοντες.

B Ὁ οὖν μέγας ἀρχιερεὺς Νικηφόρος ὁ θεοφάντωρ σύνοδον ἁγίων πατέρων συναθροίσας τὸν ἀριθμὸν σο. καὶ πάντων τὰς ἱερατικὰς στολὰς ἀμπεχομένων ἐν τῇ μεγάλῃ Σοφίᾳ. τό τε πλῆθος τῶν ἱερέων καὶ τῶν μοναχῶν τῆς βασιλίδος πόλεως ὁμοῦ συναθροισθέντων. ἀνελθὼν ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης ἐν τῷ ἄμβωνι, ἀνεθεμάτισε τὸν αἱρεσιάρχην, τάδε ἀναβοῶν· Ἀντωνίου τοῦ νέου Ἀρείου παραπλήσιον Παυλικιανῶν, ἀνάθεμα. ὁ λαὸς, ἀνάθεμα. ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης φησὶν, Ἀντώνιος ὁ νέος Ἄρειος δεδεμένος ἐστὶν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς, ἐκ τῆς ἁγίας ὁμοουσίου καὶ ζωοποιοῦ Τριάδος, ἐκ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· ἐκ τοῦ ἁγίου καὶ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου. ἐκ τῶν δώδεκα ἀποστόλων, ἐκ τῶν ἁγίων τριακοσίων δεκαοκτὼ πατέρων, ἐκ τῶν ἁγίων μεγάλων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων, ἐκ C τῶν ἁγίων μεγάλων πατριαρχικῶν καὶ ἀποστολικῶν θρόνων, καὶ παρ' ἐμοῦ τοῦ χειροτονήσαντος αὐτὸν, καὶ οἱ κοινωνοῦντες αὐτῷ πάντες· ὡς χριστομάχος, ὡς παραβάτης τῶν ἰδιοχείρων σταυρῶν, ὡς ἀποστάτης τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, ὡς εἰκονοκλάστης, ὡς εἰδωλολάτρης, ὡς χριστιανοκατήγορος, ὡς χριστιανοδιώκτης, ὡς ἱεροκτόνος· τῶν ἱερέων τὸ μῦσος, τῶν πατριαρχῶν ὁ ἐξάγιστος, τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, ἡ πρώτη ἀποστασία, ὁ πρόδρομος τοῦ Ἀντιχρίστου, ὁ ἄνθρωπος τῆς ἀνομίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ὁ ἀποκαλυφθεὶς ἐν τῷ ἐνεστῶτι καιρῷ. ταῦτα τὰ ἐγκώμια τοῦ ἐλεεινοῦ Ἀντωνίου.

Τί οὖν ὁ συνεργὸς καὶ συμμέτοχος αὐτοῦ ὁ φερώνυμος πρόδρομος τοῦ Ἀντιχρίστου. οὗ ἐκ τοῦ στόματος ἐκπορεύεται τῆς βλασφημίας κλίβανος πυρός· ὁ ψευδομάντις Βαλαὰμ, ὁ τῆς ἐγγαστριμύθου μύστης· οἱ δύο τῆς ἐναντίας μοίρας ἑκατόνταρχοι· οἱ νέοι Φαραωνιτικοὶ φαρμακοὶ καὶ ἐπαοιδοὶ Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς οἱ μαθηματικοί. τί οὖν ὁ λεόντειον εἶδος ἔχων, λεόντεια βρυχόμενος κατὰ τῆς ἐκκλησίας. μιμεῖται τὸν ἀρχηγέτην Λέοντα τῆς αἱρέσεως ταύτης· καὶ ὥσπερ ἐκεῖνος τὸν θεσπέσιον Γερμανὸν, καὶ οὗτος τὸν ἀοίδιμον καὶ ἁγιώτατον Νικηφόρον τοῦ πατριαρχικοῦ θρόνου ἐξωστράκισε, καὶ πάντας τοὺς κατ' αὐτὸν ἁγιωτάτους ἀρχιερεῖς καὶ μονάζοντας, βασάνοις, καὶ ἐξορίαις κατεδίκασε. τί οὖν. ἐξάγεται Ἰακὼβ ὁ ἠγαπημένος· ἀντεισάγεται Ἡσαῦ ὁ μεμισημένος πρὸ γενέσεως. ἀναβαίνουσιν ἀλλαχόθεν οἱ κλέπται, καὶ λῃσταὶ εἰς τὴν αὐλὴν τῆς ἐκκλησίας. βεβήλωται τὸ ἅγιον θυσιαστήριον. πάλιν οἱ Ἰουδαῖοι χαίρουσι. πάλιν ἀλαλάζουσι μεγαλοκροτοῦντες τὰς χεῖρας· πάλιν βρενθύονται καὶ γαγγάνωνται. κατὰ τοῦ Ναζωραίου Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ, ὃν ἐσταύρωσαν, ταῦτα δρώμενα βλέποντες·

βλέποντες· πάλιν Μωντανισαὶ χώραν ἔλαβον. A

Τί οὖν Λέων, μέγα ὡς ἐκ δρυμοῦ ὠρυόμενος, καὶ μυκώμενος κατὰ τῆς ἐκκλησίας καὶ κατὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτῆς; ταραχῶν, καὶ σκανδάλων τὴν εὐδαίμονα πόλιν ἐμπίπλησι· οἰμωγαί τε καὶ θρῆνοι καὶ δάκρυα καὶ στεναγμοὶ πανταχόθεν διέτρεχον. διπλοῦς γὰρ ἦν ὁ θάνατος, ψυχῶν τε καὶ σωμάτων. καὶ δὴ τὸν φύλακα καὶ φρουράρχην τῆς αὐτοῦ βασιλείας ἀπώσατο, εἰπὼν, ἀπόστα ἀπ' ἐμοῦ, Ἰησοῦ βασιλεῦ. ὁδούς σου οὐ βουλόμεθα εἰδέναι· καὶ τούτου τὸν σεβάσμιον χαρακτῆρα τὸν ὄντα ἐν τῇ χαλκῇ, λίθοις καὶ κόπροις, καὶ πηλώδεσι μάζαις, ἐμπτύοντες εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, προσέρριπτον, διαρρήξαντες αὐτὸν εἰς τοὔδαφος. B

A ciunt. Rursus Montanistæ locum acceperunt.

Anno Christi 8[4]1.

Quid igitur Leo altum rugiens velut in sylva, fremensque adversus ecclesiam & adversus Christum ejus? Beatam urbem turbis implet ac scandalis. Vndique suspiria, lamenta, lacrymæ, gemitus discurrebant. Duplex namque erat animorum, corporumque interitus. Ac sane, sui custodem præsidemque imperii repulit, dicens: Recede a me, Iesu imperator atque rex; nolumus vias tuas scire: ejusque venerandam imaginem "in ærea porta existentem, lapidibus, stercoribus, molli luto petentes, inque ejus faciem spuentes, disruptam solo dejecerunt.

Ier. 22.

'' De hac imagine Greg. II. ad Leonem Isauricum.

ΤΩΝ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ ΤΟΥ ΟΜΟΛΟΓΗΤΟΥ κανόνων τινές.

"** NICEPHORI CONFESSORIS aliquot canones.

"** *Ex jure GR. ut supra jam monuimus.*

α΄.

Ὅτι δεῖ νηστεύειν τοὺς μοναχοὺς τῇ τετράδι τῆς τυροφάγου, καὶ τῇ παρασκευῇ. καὶ μετὰ τὴν τῶν προηγιασμένων ἀπόλυσιν ἐσθίειν τυρὸν ὅπου ἂν εὑρεθῶσιν. ἀνατρέπει δὲ ὁ κανὼν οὗτος τοῦ Ἰακώβου τὸ δόγμα, καὶ τὴν τῶν τετραδιτῶν αἵρεσιν. C

I.

Oportet monachos jejunare die Mercurii & Veneris septuagesimæ: & ubicumque fuerint caseum comedere post præsanctificatorum solutionem. Evertit hic canon Iacobi dogma, & Tetraditarum hæresim.

β΄.

Ὅτι οὐ δεῖ ὁδοιπορεῖν ἄνευ ἀνάγκης ἢ βίας ἐν κυριακῇ.

II.

Die dominico sine impellente necessitate aut vi non oportet iter facere.

γ΄.

Τὴν ἀποκάλυψιν τοῦ Παύλου, καὶ τὰ λεγόμενα βροντολόγια, καὶ σεληνοδρόμια, ἢ καλανδολόγια, οὐ χρὴ δέχεσθαι. βέβηλα γὰρ πάντα.

III.

Apocalypsin Pauli, & ea quæ dicuntur brontologia, & selenodromia, aut calandologia, suscipere non oportet, profana enim omnia.

δ΄.

Τὴν ἀποκάλυψιν Ἐσδρα καὶ Ζωσιμᾶ, καὶ τὰ δύο μαρτύρια τοῦ ἁγίου Γεωργίου καὶ τῶν ἁγίων μαρτύρων Κηρύκου καὶ Ἰουλίττης, καὶ τὴν βίβλον Μάρκου καὶ "διαδόχου οὐ χρὴ δέχεσθαι. ἀπόβλητα γὰρ, καὶ οὐ δεκτά. D

[Δια]δόχου

IV.

Apocalypsin Esdræ & Zosimæ, & duo sancti Georgii martyria, & sanctorum martyrum "Ceryci & Iulittæ, librumque Marci & "successoris suscipere non oportet. Rejicienda hæc, non admittenda.

'' Cyrici
'' Diadochi

ε΄.

Τοὺς ὄντας ἐν ἐπιτιμίοις μοναχοὺς χρὴ συνεσθίειν καὶ συνεύχεσθαι. μετέχειν δὲ καὶ εὐλογίας, ἤγουν κατακλαυστοῦ, ἅμα τῇ αὐτῶν ἐξομολογήσει.

V.

Monachi in pœnis existentes, ad communem fratribus cibum & precationem admittendi sunt. Participes etiam esse debent benedictionis, id est, frusti, simul cum eorum confessione.

ϛ΄.

Χρὴ δέχεσθαι τὰς εὐποιΐας τῶν ἀδιαθέτως τελευτώντων τὰς ὑπὲρ αὐτῶν γινομένας· εἴγε καὶ ζῶντες ἄρα προθέσεως εἶχον τοῦ οὕτω ταύτας τελεσθῆναι.

VI.

Intestato morientium piæ largitiones pro ipsis factæ suscipiendæ sunt, siquidem viventes eo animo fuerint, ut ita præstarentur.

η΄.

Ἐάν τις ἀσθενὴς ᾖ, καὶ ἐπιζητῇ τὸ ἅγιον βάπτισμα, ἢ τὸ ἅγιον σχῆμα, χρὴ διδόναι ἀνυπερθέτως, καὶ μὴ κωλύειν τὴν χάριν. E

VII.

Si quis infirmus sit, & sanctum baptisma, sanctumque habitum requirat, dare ei sine mora oportet, nec gratia est deneganda.

θ΄.

Ἐάν τις ἐν ἀσωτίᾳ ἔζησε μέχρις ἐτῶν εἴκοσι, καὶ ἐπέκεινα, εἶτα μετὰ ταῦτα φανῇ ποιῶν ἔργα ἀρετῆς, οὐ χρὴ αὐτὸν χειροτονεῖσθαι. τὸ γὰρ ἱερὸν ἀμόλυντον.

VIII.

Si quis ad annos viginti & deinceps dissolute & in luxu vixerit, deinde studiosus apparuerit virtutis, non est ordinandus. Sacrum enim impollutum est.

ι΄.

Ὅτι οὐ δεῖ ἐργάζεσθαι τὴν ἑβδομάδα τῆς διακαινησίμου, οὐδὲ τῷ σαββάτῳ τῆς ἀπολυσίμου

IX.

Non oportet operari hebdomade diacænesimi, neque sabbato apolysimi canere imma-

ANNO CHRISTI 814.

culatum, neque dies Iovis observare.

X.

Bigamus non coronatur, sed in eo punietur ut annis duobus sacra non participet mysteria.

XI.

Trigamus annis quinque emendetur, & sic admittatur.

XII.

Qui pulsaverit patrem suum & sponte occiderit, annis triginta quinque deget in pœnis homicidæ.

XIII.

Etiam simplex monachus ex causa baptizat, ut & diaconus.

XIV.

Si antimensium per ignorantiam impletum sit, non polluitur. Sanctificatio enim in eo est. Sacrum enim, impurum non efficitur.

XV.

Qui ex concubina & scorto, & ex digamis & trigamis nati sunt, si virtutibus præditi appareant, & sint sacerdotio digni, ordinentur.

XVI.

Infantes non baptizatos oportet, si quo loco reperiatur quis, ubi non sit sacerdos, baptizari. Quod si vel pater, aut quilibet alius, modo sit Christianus, baptizet, peccatum non committit.

XVII.

Vsuram accipientibus non sunt elargienda sacramenta: nec cum perseverantibus in iniquitate communiter cibus sumendus.

A ψάλλειν τὸν ἄμωμον, οὐδὲ τὰς πέμπτας φυλάττειν.

ι'.

Ὁ δίγαμος οὐ στεφανοῦται, ἀλλ' ἕξει ἐπιτίμιον τὸ μὴ μεταλαβεῖν τῶν ἀχράντων μυστηρίων ἔτη δύο.

ια'.

Ὁ τρίγαμος ἐπιτιμάσθω ἔτη πέντε, καὶ οὕτω δεχθήτω.

ιβ'.

Ὁ χειρισάμενος τὸν ἑαυτοῦ πατέρα, καὶ ἀποκτείνας ἑκουσίως, τὰ τοῦ φόνου ἐπιτίμια τελέσει B ἔτη τριάκοντα πέντε.

ιγ'.

Κατὰ περίστασιν καὶ μοναχὸς λιτὸς βαπτίζει. ὡσαύτως καὶ διάκονος κατὰ περίστασιν βαπτίζει.

ιδ'.

Ἐὰν κατὰ ἄγνοιαν πληθυνθῇ ἀντιμίνσιον, οὐ μολύνεται. ὁ γὰρ ἁγιασμὸς ἐν αὐτῷ ἐστί. τὸ γὰρ ἱερὸν, μιαρὸν οὐ γίνεται.

ιε'.

Οἱ ἀπὸ παλλακίδος καὶ πορνείας καὶ ἀπὸ διγάμων καὶ ἀπὸ τριγαμίας τικτόμενοι παῖδες, ἐὰν φανῶσιν ἀρετὰς ἔχοντες, καὶ εἰσὶν ἄξιοι ἱερωσύνης, χειροτονείσθωσαν.

C

ιϛ'.

Χρὴ τὰ ἀβάπτιστα νήπια, ἐὰν εὑρεθῇ τις εἰς τόπον μὴ ὄντος ἱερέως βαπτισθῆναι. εἰ βαπτίσει δὲ καὶ ὁ ἴδιος πατὴρ, ἢ οἱοσδήποτε ἄνθρωπος, μόνον ἵνα ἐστὶ Χριστιανὸς, οὐκ ἔστιν ἁμαρτία.

ιζ'.

Ὅτι οὐ χρὴ μεταδιδόναι τοῖς λαμβάνουσι τόκον, ἢ συνεσθίειν αὐτοῖς, ἐπιμένουσι τῇ παρανομίᾳ.

a CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOLITANVM III.

D

QVO ICONOCLASTÆ HÆRETICI Nicænam II. synodum condemnarunt anno domini DCCCXIV. tempore Leonis papæ III.

Causa & acta concilii.

a *Conciliabulum.*] Post Nicephorum Constantinopolitanæ ecclesiæ patriarcham orthodoxum jussu Leonis Armeni imperatoris Iconomachi sede Constantinopolitana amotum & relegatum: postque Theodotum Melissenum Iconomachum illi suffectum, Iconoclastis auctoribus indicta est pseudosynodus: citati & vocati sunt orthodoxi: quorum alii cum Theodoro Studita remanserunt: alii intrepide accesserunt, ut coram ipsis hæreticos redarguerent. Præsentibus orthodoxis inchoata est synodus: qua cum Iconomachis, auctore Theodoro epistola 15. libri secundi, *veterem illam impiam*, puta pseudoseptimam, *& orthodoxam, Nicænam scilicet, anathemate damnassent*, sanctosque patres sub anathemate rejecissent, *episcopos qui dissentiebant*, inquit Theosterictus in Niceta, *partim in terram dejectos pedibus conculcabant: partim per posticum ejiciendos e consessu curarunt. Quo facto jussi sunt introire insignium monasteriorum duces. Itaque omnes introierunt, e quorum numero unus fuit & divinus pater noster Niceta, de quo nobis sermo est. Deinde illos primum assentationibus, versuto quodam modo decipere; postea vero & minis eosdem perterrefacere conabantur. Cum vero illos omnia contemnentes vidissent, in diversos carceres conjecerunt, cogitantes quidnam de ipsis fieret.*

E

Tunc & sanctus pater noster Niceta in carcere maleolente & sordido clausus fuit, idque per multos dies, ita ut etsi non alia pœna ei accessisset, satis condemnatio hæc ad supplicium valeret. Erat enim vir ille, ut quivis alius, ad nauseam propensus. Ad hæc omnia veniebant ad ipsum per singulos dies insani & imperfecti quidam homunculi, abjecti, & pro nihilo faciendi, & plane indigni qui virum appellarent. ejusmodi tamen homines nugaces, maledicta & insana quædam verba jactabant, ut molestiam viro sancto afferrent. Præter ceteros autem homo quidam Nicolaus nomine, inani & temerario sermone illum sæpius affligebat, quoad ejus pater qui mortuus fuerat, in somnis filio Nicolao apparuit, eique minatus: Abstine, inquit, a servis Dei. Ex illo tempore vir ille immodestus resipuit, neque amplius viro justo molestus fuit. Cum igitur sanctus ille pater multos dies vexatus fuisset; tunc imperator in orientis partibus illum exulem esse jussit, & in castello quodam servari, quod Masaleon dicebatur. Porro carceris tempus ad finem anni hujus perdurasse, indeque in exilium

Nicetæ confe[ssio], carcer & exilium

ANNO CHRISTI 814.

lium abire iussum, idem auctor his quæ subiicit docet, cum ait: *Erat autem medium hiemis tempus: itaque licebat videre sanctum illud corpusculum frigore ac nivibus e superiore parte affligi, ex inferiore vero, cum terra ipsa humorem emitteret, & multam difficultatem afferret, multo magis affligebatur. Ad hæc cum is, qui virum sanctum ad exilium ducere iussus fuerat, natura esset immitis, divinum illum patrem ita vrgebat, ut per septem dies, qui eo tempore brevissimi erant, totam viæ illius longitudinem transegerit.*

De Theodoro Studita, qui ad Iconomachicum & satanicum conventum epistolam infra subiunctam conscripserat, aliisque orthodoxis exilio relegatis, hæc subiungit: *Omnes imperator eiecit, sanctum vero Theodorum*, Studitam videlicet, *in exilium misit, ac iussit, quamdiu imperator ipse viveret, in urbem Byzantium non reverti. Monasteriorum vero præsides, cum præcepisset eos nusquam progredi, neque orthodoxæ fidei veritatem docere, expulit eos ex urbe, magnarumque ecclesiarum præfectos partim ad orientis, partim ad occidentis insulas relegavit.* Hæc ipse.

Sed de exilio Theodori Michaël paulo fusius istis verbis: *Quamobrem nesciens quo se verteret tyrannus, cum hominis libertatem ac fiduciam ferre amplius non posset, Byzantio expelli atque in exilium duci, carcerique tradi iussit. Hanc enim unam quasi vitalem scintillam superesse videns, illam ipsam orthodoxis eripere properabat, ne quem postea sententiæ suæ repugnantem haberet. Accepto igitur vir sanctus hoc decreto, discipulos ad se omnes vocat. Quibus cum vale dixisset; & apta cuique sigillatim monita præbuisset: hoc ante omnia universis iniunxit, ne quis post discessum suum in monasterio remaneret, sed abirent omnes, quo via cuique salutem ostenderet: dies enim malos esse, pedesque iniquorum veloces. Ad extremum, Deo ac præcipuis fratribus omnes commendans, monasterio digreditur, flens flentes & tristis tristes relinquens. Quem mox vicinus Apolloniæ locus in castro, quod e paludis regione Mesopa nuncupatur, custodiæ traditum excepit.*

Theodorus in carcere scribendo atque docendo omnibus prodest.

An vero qui liber cum esset, liberumque indefessum docendi studium ostendebat, inclusus nunc carcere pristinam curam intermisit, statimque obmutuit, tamquam si angustiis loci oppressus, linguam idcirco compesceret, velut una cum corpore vinctam & præpeditam? minime gentium. Quin perinde ac si novi nihil accidisset, ita totus in docendo erat; partim hos coram allocutus & erudiens, partim ad illos atramento, manuque stylum exerens, & tamquam ex mentis tabulis dicta promens; aliis demum aliter; prout temporis ratio dabat, omnibus autem suum fructum, utilitatemque tribuens, ita ut ex ipso carcere omnes afflata eius colloquia, doctrinamque perciperent.

EPISTOLA THEODORI STVDITÆ,

AD SYNODVM ICONOMACHICAM.

Nomine omnium præpositorum fidem catholicam defendit, & ad pseudosynodum venire recusantes excusat.

Iconomachicæ synodo tamquam ex persona omnium præpositorum.

DIVINIS legibus, canonicisque decretis obsequentes, quæ præter episcopi sui sen- A tentiam in iis quæ ad ecclesiasticam disciplinam pertinent, nedum quæ ad dogmaticas quæstiones deducunt, nihil agi vel dici oportere definiunt: cum ab auctoritate vestra semel atque iterum ad talia evocaremur: ausi non fuimus præter ea quæ statuta sunt agentes, accedere, ut qui sub sacra manu Nicephori sanctissimi patriarchæ divino spiritu constituti sumus. Postquam autem quidam ex ordine nostro præpositi, quasi periculum aliquod facturi, accedendum sibi, & oppositis sermonibus respondendum censuerunt: quid aliud audire nobis liceat, quam quæ humile cor nostrum obstupefaciant? Ferunt siquidem conventum istum ad B eversionem secundæ synodi Nicenæ, id est, ad tollendam venerandam domini nostri Iesu Christi & Deiparæ, sanctorumque omnium imaginis adorationem constitui.

Et quisnam hæc audiens, ex imo pectore non ingemiscat, tamquam eversa iam per hæc œconomia domini nostri Iesu Christi? *Audi cælum & auribus percipe terra*, & quæ sequuntur, nobiscum exclamat clarissimus Isaias, aut potius & proprie magis exclamemus: Audi oriens, occidens, Aquilo & plaga quæ ad mare est, quo nunc redactæ sint res nostræ, & qua de re conventum isti agere non reformident. Nos itaque omnium minimi, qui præsentes quique absentes; vtriusque enim idem est sermo, tamquam C unanimis in uno eodemque divino sensu, consonam universæ sub cælo ecclesiæ fidem tenentes, divinam salvatoris nostri Iesu Christi, & sanctissimæ matris ejus, aut cujuscumque sanctorum imaginem erigere & adorare, non solum ex sancta Nicæna secunda synodo, alterave quæ ante illam divinissime docuit, securum & tutum esse affirmamus, sed ab ipsomet adventu domini nostri ac Dei tam scripto quam sine scripto fundati, secure supra sedem illam consistimus, de qua Christus ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

Isa. 1.

Iusta declamatio Theodori Studitæ.

Matth. 16.

Quænam enim reperiri possit oratio, si quis tan- D tum veritatis robur impugnandum sibi proponat? Nam si communi omnium consensu dominus Iesus Christus in humana forma nostra visus est: congruenter profecto circumscribitur & imagine exprimitur more nostro, quamvis incircumscriptus ipse maneat secundum formam divinam: quippe qui mediator est Dei & hominum, utriusque naturæ qua constat, proprietates integras conservans. Quod si non circumscribitur, homo esse desineret, ac multo magis mediator, sublatis una cum circumscriptionis privatione, omnibus ejusdem ordinis proprietatibus. Etenim si circumscriptitius non est, nec tangi utique potest: sin tangi potest, utique E & circumscribi: quibus sane contradicere, stultum esset: corporis enim hæc propria sunt, quod sub tactum, coloremque cadit. Quomodo non circumscriptitius, quando & passibilis? Quod si circumscriptitius & passibilis, omnino etiam adorandus, secundum eam nimirum formam, qua circumscribitur, cum prototypi gloria (sicut magnus Basilius docet) in similitudinis expressione minime dividatur: honor siquidem imaginis ad prototypum transit, quæcumque haud dubie illa sit, sive naturalis, sive arte facta. quandoquidem & venerandæ crucis typo eadem speculatio locum habet. cum typi enim adoratione vivificum simul lignum adoratur, & vice versa, ea sublata, simul tolli necesse est. Nonne ty-

pi

ANNO CHRISTI 814.

typi confessio, confessio est vivifici ligni? eodemque modo negatio iuxta conversionis similitudinem. Par igitur analogia in imagine Christi & Christo ipso sumenda est omni recte ratiocinanti.

Firma fidei catholicæ professio.

Sed nondum est tempus dogmaticæ explanationis, quæ vel obscuræ admodum mentis homini facile persuadeat attollere oculos & suspicere ad splendorem veritatis. Hæc peccatorum euangelica fides nostra: hæc humilium apostolica confessio nostra; hæc minimorum a patribus tradita religio nostra. Præter hanc non solum si qui, aut si quæ ex his qui nunc sunt vel olim fuerunt; sed neque si Petrus, & Paulus (dicemus enim quæ evenire nequeunt quasi evenire possint) neque si ex cælis ipsis veniat quispiam aliud docens & euangelizans, illum in communionem recipere possumus, qui sanam fidei doctrinam non sequatur. Demum quidquid libet auctoritati vestræ, parata est humilitas nostra usque ad mortem perpeti potius, quam ut negatores simus hujusce nostræ confessionis.

a CONCILIVM NOVIOMENSE

DE TERMINIS EPISCOPATVVM NOVIOMENSIS & Suessionensis, a Vulfario metropolitano cum suffraganeis episcopis celebratum anno Christi DCCCXIV. Leonis III. papæ XIX. Ludovici Pii imperatoris primo.

In hac Synodo composita est controversia, quæ inter episcopum Noviomensem & Suessionensem versabatur, de parochiis quibusdam, quas uterque ad diœcesim administrationemque suam pertinere contendebat. Quænam autem hæ fuerint, & quæ cui a Synodo adjudicatæ, docet Flodoardus, ubi de Vulfarii Rhemensis archiepiscopi rebus agit, libro II. historiæ cap. XVIII. Hic, *inquit*, Synodum invenitur habuisse anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCCXIV. in ecclesia Nouiomensi, regnante Ludovico filio Caroli, congregatis secum coepiscopis suis, Hildoardo, Ermenone, Iesse, Ragimberto, Grimboldo, Rotaldo, Vvendilmaro, Ostroldo, & chorepiscopis Vvaltario, Sperno: nec non & abbatibus, Adalardo, Nantario, Fulrado, Erico, Hilderico, Remigio, Ebone, Sigbaldo, cum cetero clero, presbyteris & diaconibus: convocatis etiam comitibus, Gunhardo, Rotfrido, Gisleberto, Othero. His omnibus residentibus, sententia ventilata est inter Vvendilmarum & Rotaldum episcopum, de terminis parochiarum suarum: & requisitum ac definitum est, quod hæc loca trans fluvium Isaram in pago Noviomensi, pertinere deberent ad parochiam ecclesiæ Noviomensis: id est Varinæ, Vrscampus, Trapiacus, Ierusalem, Hairbaudianisva, sive ecclesia sancti Leodegarii, cum reliquis villis ad has ecclesias convenientibus. Cetera vero loca trans supradictum fluvium in prædicto pago, omnia pertinere deberent ad parochiam ecclesiæ Suessonicæ. Hæc diligentissime inuestigata consenserunt suprascripti episcopi, & chorepiscopi, abbates, presbyteri & diaconi, & pars ecclesię Noviomensis, clerici & laici; & pars ecclesiæ Suessonicæ, similiter clerici & laici: & vno animo vnoque consensu confirmare decreverunt.

NOTA SEVERINI BINII.

Eadem quę supra ex

a *Concilium.*] Flodoardus libro secundo capite decimo octauo de rebus in hac Synodo gestis habet ista: *Hic*, scilicet Vulfarius, *Synodum invenitur habuisse anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi* DCCCXIV. *in ecclesia Noviomensi regnante Ludovico filio Caroli, congregatis secum episcopis suis Hildoaldo, Gemenone, Iesse, Ragunberto, Grunbaldo, Rotardo, Vvendelmaro, Ostroldo & chorepiscopis Vvaltario, Sperno; nec non & abbatibus Adalardo, Nantario, Fulrado, Erico, Hilderico, Remigio, Ebone, Sigbaldo, & cetero clero, presbyteris & diaconibus, convocatis etiam comitibus, Gunthardo, Rotfrido, Gisleberto, Obhero. His omnibus residentibus, sententia ventilata est inter Vvendelmarum & Rotardum episcopos de terminis parochiarum suarum: & requisitum ac definitum est, quod hæc loca trans fluvium" Haram in pago Noviomensi, pertinere deberent ad parochiam ecclesiæ Noviomensis, id est, Varinæ, Vrbs campus, Trapiarus, Ierusalem, Harbaudianisve, sive ecclesia sancti Leodegarij, cum reliquis villis ad has ecclesias convenientibus. Cetera vero loca trans supradictum fluvium in prædicto pago, omnia pertinere deberent ad parochiam sanctæ ecclesiæ Suessonicæ. Hæc diligentissime investigata consenserunt suprascripti episcopi, & chorepiscopi, abbates, presbyteri & diaconi, & pars ecclesiæ Noviomensis, clerici & laici, & pars ecclesiæ Suessonicæ: similiter clerici & laici, & uno animo vnoque consensu confirmare decreverunt.* Chronicon Cameracense libro primo capite trigesimo septimo de eadem synodo ista scribit: *Hic*, nimirum Hildovvardus Cameracensis episcopus, *interfuisse synodo inuenitur, quam anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi* DCCCXIV. *Vulfarius Rhemensium archiepiscopus in ecclesia Noviomensi cum aliis coepiscopis habuit, ubi videlicet sententia ventilata est inter Vvendelmarum & Rotardum episcopos de terminis parochiarum suarum.* Hæc chronicon. Vvindelmarum fuisse Noviomensem, & Rotardum Suessionensem episcopum, notat D. Georgius Colvenerius cap. 37. libri I. additque illum esse qui in tabulis Democharis vocatur Gaudelmarus seu Audomarus, numero trigesimo quinto. Hunc vero eundem esse qui in ejusdem tabulis trigesimus quartus numeratur, & Concilio Turonensi anno DCCCXLIX. & Suessionensi anno DCCCLIII. interfuisse legitur.

"** CONCILIVM TREVIRENSE,

IMPERANTE LVDOVICO PIO CELEBRATVM, sed quo anno incertum, ab Hetti Archiepiscopo Trevirensi, cujus mentio in epistola Frotarii Tullensis episcopi ordine XVIII. quàm ex membranis S. Petri Carnotensis à R. P. Iacobo Sirmondo acceptam cum aliis edidit Andreas Duchesnius Tomo II. Hist. Franciæ pag. 719.

Domino beatissimo & unicæ dilectionis affectu colendo Hetti suprema largiente providentia Treverorum ecclesiæ Archiepiscopo, Frotharius episcoporum extimus in Christo salutem.

Tanto ardore æstuo vestræ paternitatis sublimitatem intuendi atque affandi, ac si multorum jam temporū labantur volumina, quibus vestro aspectu vel vestris colloquijs perfrui nequiverim. Nam & inde me usquequaque fateor anxiari, quod nuper mihi de palatio regrediēti defuit facultas vobiscum loquendi. Vnde & inexplebilibus desiderijs ora dulcetudinis vestræ his in partibus citius invisere opto. Quapropter vestris literis mihi significari expeto, quando huc pro legatione vobis injuncta venire, vel quando synodale concilium iuxta modernam constitutionem debeatis convocare. De his ob id præcipuè sollicitus maneo, quia & ipse secundū imperiale præceptum ad providendas mansiones in quibus legati suscipi debent, scilicet à Monte Iovis usque palatium Aquis ire debeo, & infra mensem Octobrem egrediens ante solemnitatem beati Andreæ domum regredi cupio. Sed si vos infra eundem mensem has in partes proficisci cognovero, pręsens adesse curabo, ut vestri famulator & adiutor in omnibus existens à vobis rursus & in spiritalibus rebus congruum supplementum recipere merear. Nostri in omnibus reminiscentem vos in Christo benè opto valere.

Ejusdem

" ** Ejusdem Hetti Trevirensis archiepiscopi duæ inter Frotarianas à Duchesnio, ut monuimus, excusas extant epistolæ. I. ordine XXV. quæ incipit: NOTVM sit tibi, &c. II. ordine XXVIII. hoc initio: Meminisse volumus, &c quas ex Sirmondo nos exhibuimus tum in notis ad conc. Aquisgranense II. tum [illegible] epistola de Amalario *ad D. Cajetanum*, &c.

VITA STEPHANI PAPÆ IV.

STEPHANVS natione Romanus ex patre Marino, sedit * annos septem, menses septem. Hic a primæva ætate in patriarchio Lateranensi sub sanctæ memoriæ domino Hadriano papa nutritus, atque educatus, nobili prosapia, atque clarissimo genere ortus, adhuc in parua ætate ad discendam sacræ disciplinæ scientiam studiosius vigilabat. Defuncto vero sanctæ memoriæ iam præfato domino Hadriano papa, in locum eius dominus Leo papa successit. Qui prædictum dominum Stephanum conspiciens bonæ conversationis atque humilitatis, eum ad subdiaconatus ordinem promovit.

Quem magis, ac magis spiritualibus studiis vacare conspiciens, Domino annuente ad diaconatus culmen eum provehit, & extunc multipliciter spiritualibus pollens studiis, maximam tam ad euangelizandum populo solerter, ac clare divina atque euangelica verba, quamque ad exercendam ecclesiasticam traditionem gessit curam. Et ita Spiritus sancti gratia in eius corde refulsit, ut in omnibus efficax idoneusque comprobaretur. Sicque factum est, ut dum de hac vita migraret ante præfatus dominus Leo papa, illico, dum ferventissimo affectu a populo Romano diligeretur, isdem præcipuus ac sanctissimus vir Stephanus ad sacrum pontificatus culmen est electus. Qui omnes uno affectu, parique amore eum ad ecclesiam beati Petri apostoli perducentes, Dei ordinante prouidentia, papa orbis consecratus est.

Hic sanctissimus vir in pontificatu iam positus, pro confirmanda pace & vnitate sanctæ Dei ecclesiæ, ad Franciæ arreptus est iter apud piissimum & serenissimum dominum Ludovicum imperatorem. Qui cum in Franciam pervenisset, tanto honore atque exaltatione a prædicto piissimo principe atque Francorum populo susceptus est, quanto vix lingua narrari potest. Et tantam illi dominus gratiam largiri dignatus est, ut omnia quæ ab eo poposcisse dignoscitur, in omnibus impetrarit.

In tantum ut isdem piissimus princeps pro illius amore in finibus Franciæ super omnia dona, quæ ei largitus est, curtem de suo proprio fisco beato Petro apostolo perpetuali usu per perceptionis paginam concessit. Isdem vero sacer antistes exemplum sumens Redemptoris nostri, qui pro nobis de cælis dignatus est descedere, & de captivitate diaboli nos eripere, omnes exules, qui illic captivitate tenebantur propter scelera, & iniquitates suas, quas in sanctam ecclesiam Romanam, & erga dominum Leonem papam gesserunt, pro pietate ecclesiæ secum reduxit. Fecit autem in ecclesia beati Petri apostoli Ad vincula thymiamaterium de argento desuper deaurato pensans libras......

Item similiter fecit gabathas & de argento pensantes libras..... Similiter fecit vela holoserica cum periclysi de fundato numero...... Imo & in eadem ecclesia fecit vestem de chrysoclavo cum gemmis habentem historiam beati Petri apostoli. Item fecit vela de fundato numero ..... Et in monasterio vbi supra fecit calicem de auro cum gemmis ornatum pensantem libras..... Et patenam de argento desuper deauratam pensantem libras .... Item fecit

A crucem de auro cum gemmis ornatam pensantem libras........ Fecit autem prædictus, & venerabilis præclarus pontifex in sancto Theodoro in Sabello crucem de auro cum gemmis ornatam, & calicem de argento pensantes libras........

ANNO CHRISTI 816.

S. Theodori.

Fecit autem prædictus venerabilis, & præclarus pontifex in basilica beati Petri apostoli Ad vincula patenam, & calicem de argento desuper deaurato pensantes libras ...... Item vbi supra, fecit coronam de argento cum pendentibus suis pensantem libras...... Enimuero & in oratorio sanctæ Barbaræ martyris in Subora fecit vestem de fundato. Nec non & in basilica beatæ Helenæ fecit vestem de fundato. Hic divina vocatione de hac luce subtractus ad æternā migrauit requiem. Sepultus vero est in basilica beati Petri apostoli. Fecit autem ordinationem unam in mense Decembrio, presbyteros nouem, diaconos quatuor; episcopos per diversa loca numero quinque: & cessavit episcopatus dies duos.

S. Barbaræ.

Mors Stephani.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Stephanus.] Anno domini nostri Iesu Christi 816. vigesima secunda mensis Iunij, in locum Leonis tertij Stephanum IV. in sacris canonibus & disciplinis optime versatum clerus Romanus unanimi consensu surrogauit. Cum pacis & unionis impetrandæ gratia secundo mense suæ creationis, ut refert Aimoinus, ad Ludovicum imperatorem in Gallias profectus esset; præter ea quæ supra recenset Anastasius, quidam " auctor incertus, sed tamen verus, in vita Ludovici cap. 38. & 39. hæc contigisse scribit: *Imperator autem eius*, Stephani papæ, *adventu præcognito, Bernhardo quidem nepoti eum comitari iussit. Sed & appropinquanti, alios missos, qui eum cum debito honore perducerent, direxit. Ipse autem aduentum eius Rhemis sustinere statuit. Cui etiam obviam Hildebaldum archicapellanum sacri palatij, Theodulphum episcopum Aurelianensem, Ioannem Arelatensem, aliorumque ministrorum ecclesiæ copiam procedere iussit, infulis indutos sacerdotalibus. Ad vltimum imperator milliario a monasterio sancti confessoris Remigij, & tamquam beati Petri vicarium honestissime suscepit, descendentem ex equo excepit, & ecclesiam intrantem manu propria sustentauit, præcinentibus pro tanta exultatione variis ecclesiæ ordinibus:* Te Deum laudamus, *& reliqua. Quo hymno finito laudes imperatori debitas clerus Romanus conclamauit, quarum finem dominus apostolicus oratione compleuit. His expletis intra domus penetralia concessum est, expositisque causis sui aduentus, & benedictione panis ac vini simul participata, imperator ad ciuitatem rediit: dominus apostolicus ibidem remansit.* Hæc de pontificis ad imperatorem accessu in vita Ludovici. Theganus Treuirensis chorepiscopus, in libello (cui Vvilfridus Strabo præfationem præposuit.) de gestis Ludovici capit. 16. 17. 18. " De pontificis pedibus a Ludovico tertio adoratis: De corona imperij Ludovico eiusve uxori Irmingardæ imposita, eiusve dum Romam revertisset, obitu miraculis clarissime illustrato, hæc ait: *Stephanus statim postquam pontificatum suscepit, iussit omnem populum Romanum fidelitatem cum iuramento promittere Ludovico.* (ut nimirum tumultuantes eo modo coërceri possent.) *Et dirigens legatos suos ad supradictum principem, nuntiauit ei ut libenter eum videre voluisset in loco ubicumque sibi placuisset. Quod audiens, magno tripudio repletus cœpit gaudere. Et confestim iussit missos suos obviam ire sancto pontifici cum salutationibus maximis & servitia præparare. Perrexit post missos dominus Ludovicus obviam supradicto pontifici obvians ei in campo magno Rhemensium. Descendit uterque de equo suo. Et princeps se prosternens omni corpore in terram tribus vicibus ante pedes tanti pontificis, & tertia vice erectus salutauit pontificem istis verbis, dicens:* Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis. *Et respondit pontifex: Benedictus sit Dominus Deus noster, qui tribuit oculis nostris secundum Dauid regem videre. Amplexantes enim se & osculantes pacifice perrexerunt ad ecclesiam. Qui cum diu orav runt, erexit se pontifex & excelsa voce cum clero suo fecit ei laudes regales.*

Postea Pontifex honorauit eum magnis honoribus & multis; & reginam Irmingardam, & omnes optimates & ministros eius. Et in proxima die dominica in ecclesia ante Missarum solennia coram clero & omni populo consecrauit eum, & unxit ad imperatorem, & coronam auream miræ pulcritudinis & preciosissimis gemmis ornatam quam secum

Quando pontifex creatus sit.

" Ademarū pleriq; solent appellare.

Pontifex in Gallias ad imperatorē quando profectus & quomodo exceptus.

" Videndus quoque Flodoardus lib. 2. Remensis historiæ cap. 19.

Quomodo Ludovicus imperator prostravit se coram pontifice.

Stephanus papa coronat Ludovicum & Irmingardam.

apper-

ANNO CHRISTI 816.

apportauerat, posuit supra caput eius Et Irmingardam reginam appellauit Augustam, & posuit coronam auream super caput eius. Quamdiu ibi erat beatissimus papa, quotidie colloquium habebant de utilitate sanctæ Dei ecclesiæ. Post quod dominus imperator eum honorauit magnis & innumeris donis tripliciter & amplius quam susceptisset ab eo, sicut semper solebat agere, magis dare quam accipere. Dimisit eum ire Romam cum legatis suis, quibus præcepit vbique in itinere suo honestum exhibere servitium. Postquam Romam venit, non post multos dies claruit Dei manifestatione in nonnullis miraculis quod ipse verus erat vivens Dei cultor.

Decretum de elect. pontificis an Stephani IV. sit.

Decretum, quod sub nomine Stephani IV. de Romani pontificis electione extat distinct. 33. canon. 28. *Quia sancta*; Stephani papæ esse non videtur: tum quod hac in re impostores schismatici, ut supra visum est, frequenter ecclesiæ imponere studuerint: tum etiam, quod Ludovicus imperator in constitutione sub initium Paschalis papæ a se edita de donatione facta Romanæ ecclesiæ, electionem & coronationem Romani pontificis liberam esse, neque ad aliud teneri & obligari voluerit, quam ut post sui electionem & consecrationem imperatoriam maiestatem, prout successor Stephani Paschalis fecisse conspicitur, hac de re certiorem reddat. Constitutionem ipsam Ludouici recitat Gratianus distinctione 63. Canone 30. *Ego Ludovicus*: sed imperfectam & mutilam. Ego quam ex bibliotheca Vaticana Baronius anno 817. num. 10. edidit integram sub Paschali nulla ex parte mutilatam lectori exhibebo.

Quamdiu pontificatum obtinuerit.

b *Sed annos septem, menses septem.*] Stephanum, postquam e Gallia Romam revertisset, tribus dumtaxat mensibus superstitem fuisse, post auctoritatem Thegani supra recitatam testatur Aimoinus his verbis: *Stephanus non duobus post consecrationem suam exactis mensibus, quam maximis itineribus ad imperatorem venire contendit*: & infra, de tempore reditus subiungit. *Tertio postquam Romam venerat mense nondum exacto circiter octavum Kalendas Februarij diem obiit.* Vnde necessum est errore librarij factum esse, vt loco septem mensium, vt apud Anastasium hic, ab aliis septem dumtaxat anni; a quibusdam autem septem anni & septem menses substituti reperiantur. Vide Baron. anno 817. num. 1.

I a CONCILIVM b AQVISGRANENSE.

IN QVO EDITA EST FORMA INSTITVTIONIS canonicorum & sanctimonialium, Ludovici Pij jussu in Aquisgrani palatio celebratum, anno Christi DCCCXVI. indictione x. Stephani IV. papæ anno I. Ludovici eiusdem Pij regis & imperatoris III.

PRÆFATIO.

CVM in nomine sanctæ & individuæ trinitatis, Christianissimus ac gloriosissimus Hludouvicus superno munere victor Augustus, anno incarnationis domini nostri Iesu Christi DCCCXVI. indictione x. anno siquidem imperij sui tertio, Aquisgrani palatio generalem sanctumque convocasset conventum, & cœpisset secundum ardentissimam erga diuinum cultum sibi cælitus inspiratam voluntatem, multa congrua & necessaria de emendatione sanctæ ecclesiæ, illius videlicet amore, qui eam suo sancto & pretioso redemit sanguine, eique se adfuturum usque ad consummationem pollicitus est sæculi, solerter ac curiose pertractare: cousque inter cetera perventum est, ut eumdem sanctum & venerabilem Deo annuente aggregatum conventum consuleret, imo consulendo admoneret, super quibusdam ecclesiarum præpositis, qui partim ignorantia, partim desidia, subditorum curam parvipendebant, & hospitalitatem minus iusto diligebant, quid facto opus esset. Adiunxit etiam monendo, vt quia canonicorum vita sparsim in sacris canonibus, & in sanctorum patrum dictis erat indita, propter simplices quosque minusque capaces, aliquam ex eisdem sacris canonibus, & sanctorum patrum dictis, institutionis formam pari voto, parique consensu excerperent, per quam patenter prælatorum & subditorum vita monstraretur, quatenus omnes qui canonica censentur professione, per viam propositi sui inoffenso gressu incederent, & in Christi militia deuotius vnanimes atque concordes existerent. Sed ut id nutu divino fieret, dominum in commune humiliter exorandum præmonuit, ut servorum suorum exorabilibus pulsatus precibus, eius admonitionem secundum suam voluntatem fieri, suaque gratia eam præcedere & subsequi dignaretur. Ad quam etiam admonitionem sacer conuentus intimo gaudio repletus, expansis in cælum manibus creatori omnium gratias agens, benedixit. Quippe qui talem, tam pium, tamque benignum ecclesiæ suæ sanctæ principem, cunctisque eius necessitatibus sapientissimum ac deuotissimum prætulerit procuratorem. Suscipientes ergo libentissime hilariterque eius saluberrimam multis Deo miserante profuturam admonitionem, licet plerique auxiliante Christo deuote ac religiose cum sibi subiectis canonicam servent institutionem, & in plerisque locis idem ordo plenissime servetur, omnium tamen id animis sedit, ut secundum ejusdem principis admonitionem, vna divino freti auxilio, ejusdem piissimi principis non modico adjuti juvamine, ejus videlicet liberalissima largitione copiam librorum præ manibus habentes, ex canonica auctoritate, & sanctorum patrum dictis, veluti ex diversis pratis quosdam flosculos carpentes, hanc institutionis formam excerperent, & canonicis observandam conferrent: ut quorum forte labore, ob tarditatem ingenij, seu inopiam librorum, sparsim digesta difficile comprehendi posset, solerti studio in eodem opere breuiter congesta perfacile ab his reperiri posset: per quam, vt præmissum est, & prælati recto tramite incedere, & subditis normam vivendi absque ignorantiæ obstaculo salubriter nossent præbere. Vigilanti ergo studio eamdem institutionis formam colligere studuerunt: in qua plenissime continetur, qualiter & prælati vivere, & subjectos regere, eisque ecclesiasticos sumptus administrare, & in Dei servitio constringere, bene operantes quoque ad meliora provocare, protervos quosque & negligentes debeant corripere. Cum igitur hujus institutionis formam coram memorato glorioso principe prolatam sacer conventus laudibus extulisset, & ecclesiastica auctoritate fulcitam, laudeque dignam, ac sanctæ ecclesiæ utillimam atque proficuam consona voce prædicaret, nihilque in ea reprehensionis ab jis qui sanum sapiunt, reperiri posse profiteretur, ab eodem victoriosissimo principe, & ab omnibus qui aderant, Deo gratias acclamatum est. Nec immerito: quippe qui & occulta sua dispensatione, & gratissima inspiratione præfatum principem, ut id fieri moneret, compulit, & ut ad effectum perduceretur; miserando adjuvit. Proinde omnium sententia statutum est, ab omnibus, qui in canonica professione Domino militant, hanc institutionis formam, tot ecclesiasticorum virorum vigilanti studio congestam dignisque præconiis laudatam, juxta virium possibilitatem modis omnibus observandam: quatenus hanc, sive aliarum sanctarum scripturarum documenta, sedula meditatione perlegentes & prælati & subditi, vocatione qua vocati sunt, ope divina adminiculati, infatigabiliter ambulent, & pro tam piissimo principe, qui ob lucrum animarum hoc sacrum & venerabile concilium ad hanc formam congerendam & statuendam salutiferis admonitionibus excitavit, modernis futurisque temporibus Dei immensam clementiam iugiter

jugiter exorent. Nam in altero libello idem sacer A conventus, eodem religiosissimo Augusto monente, quamdam institutionis formulam ex sanctorum patrum dictis studiose excerpsit, & in unum breviter satisque congruenter congessit, & sanctimonialibus canonice degentibus tenendam percensuit. In qua continetur, quales eis abbatissæ præferendæ sint, qualiter eisdem sanctimonialibus infra claustra monasterii vivendum, quid a prælatis stipendiorum dandum, quibus documentis & virtutum instrumentis exornandæ sint: quatenus hac formula vivendi inspecta, & Deo sibi adjutorium præbente, humiliter suscepta & efficaciter impleta, cum bonorum operum lampadibus venienti sponso apparere, B atque ejus thalamum ingredi mereantur.

INDEX CAPITUM LIBRI I.

LXXI.

ANNO CHRISTI 816.

LXXI. *De his qui ab alia parœcia præter conscientiam episcoporum suorum in altis commorantur.* Ejusdem.

LXXII. *De clericis vel laicis excommunicatis.* Ejusdem.

LXXIII. *De episcopis & clericis adeuntibus imperatorem.* Ejusdem.

LXXIV. *De damnatis episcopis aut clericis adeuntibus imperatorem.* Ejusdem.

LXXV. *Ut qui in sacrario serviunt usuras non exigant.* CONC. LAODIC.

LXXVI. *De his qui debeant in pulpito psallere.* Ejusdem.

LXXVII. *De honore quem presbyteris diaconi, qui sub ipsis sunt, debeant exhibere.* Ejusdem.

LXXVIII. *Quod subdiaconi non debeant benedicere, vel benedictionem dare.* Ejusdem.

LXXIX. *De exorcistis qui non sunt ab episcopis ordinati.* Ejusdem.

XXC. *In ecclesia prandia fieri non debere.* Ejusdem.

XXCI. *Quod præter episcopi jussionem clericus proficisci non debeat.* Ejusdem.

XXCII. *Ut ad sacrarium mulieres non introeant.* Ejusdem.

XXCIII. *Non licere clericis ludicris interesse spectaculis.* Ejusdem.

XXCIV. *Oblationes in domibus offerri non oportere.* Ejusdem.

XXCV. *De clericis & monachis non manentibus in suo proposito.* CONC. CALCHEDON.

XXCVI. *Quod non oporteat clericos habentes adversus invicem negotium proprium episcopum relinquere, & ad sæcularia judicia convolare.* Ejusdem.

XXCVII. *Quod minime clericos transmigrare conveniat.* Ejusdem.

XXCVIII. *Quod non liceat clericis post mortem sui episcopi bona ejus diripere.* Ejusdem.

XXCIX. *Si quis clericorum pauper promotus, in ordine postea habuerit aliquid, ecclesiæ potestati subjiciat.* CONC. CARTHAGIN.

XC. *Ut clerici tabernas, nisi in peregrinis, non ingrediantur.* CONC. AFRICANI.

XCI. *Ut alienus clericus minime suscipiatur ab alio.* Ejusdem.

XCII. *Ut clericus nec suo, nec alieno nomine fenus exerceat.* LEONIS PAPÆ.

XCIII. *Ut clerici nullas negotiationes inhonestas, & turpia lucra sectentur.* GELASII PAPÆ.

XCIV. *De vita clericorum.* HIERONYMI ad Nep.

XCV. *De institutione clericorum.* Ejusdem ad Paulinum.

XCVI. *Ex epistola Hieronymi ad Rusticum.*

XCVII. *Quid distet inter monachum & clericum.* Ejusdem ad Heliodor.

XCVIII. *De vita clericorum.* Ejusdem ad Oceanum.

XCIX. *De clericis.* ISIDORI.

C. *De regulis clericorum.* Ejusdem.

CI. *De generibus clericorum.* Ejusdem.

CII. *Quales oporteat clericos esse.* GREGORII.

CIII. *De subjectis bonis sub pastorali regimine constitutis.* Ejusdem.

CIV. *De subditis.* ISIDORI.

CV. *De invidis & protervis subditis.* GREGORII.

CVI. *Quod secundum sermonem prophetæ culpa sua pereant, qui sacerdotum increpationes perversa voluntate contemnunt.* PROSPERI.

CVII. *Cum quo damno animæ suæ ab ecclesia quæ pauperes pascit accipiunt illi, qui sibi de suo sufficiunt.* Ejusdem.

A CVIII. *Qui sint qui etiam cum profectu animæ suæ opibus sustentantur ecclesiæ.* Ejusdem.

CIX. *Quid facere debeant clerici, quorum infirmitas non potest sua contemnere.* Ejusdem.

CX. *Quæ sint vera gaudia, vel veræ divitiæ, & quid impedimenti afferant bona præsentia amatoribus futurorum.* Ejusdem.

CXI. *Quomodo intelligatur, quod dicit apostolus,* Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt. Ejusdem.

CXII. *De vita & moribus clericorum.* AUGUST.

CXIII. *Item de vita & moribus clericorum.* Ejusdem lib. 2.

CXIV. *Quæ præcepta specialiter monachis, quæ generaliter ceteris conveniant Christianis.* B

CXV. *Quod canonica institutio, evangelica & apostolica auctoritate fulta, ceteris supereminet institutionibus.*

CXVI. *Quid sint res ecclesiæ.*

CXVII. *Quod diligenter munienda sint claustra canonicorum.*

CXVIII. *Ut in congregandis canonicis modus discretionis sit tenendus.*

CXIX. *De his qui in congregatione sibi commissa solummodo ex familia ecclesiæ clericos aggregant.*

CXX. *Qui clerici in congregatione canonica constituti ecclesiastica accipere stipendia debeant.*

CXXI. *Ut in congregatione canonica æqualiter cibus & potus accipiatur.* C

CXXII. *De mensura cibi & potus.*

CXXIII. *Quod a prælatis gemina pastio sit subditis impendenda.*

CXXIV *Ut canonici sicut in ceteris, ita etiam in cultu vestium modum teneant discretionis.*

CXXV. *Ut canonici cucullas monachorum non induant.*

CXXVI. *Qua auctoritate horæ canonicæ celebrentur, quas scire ac religiose observare canonicos oportet.* ISIDORI.

CXXVII. *De vespertinis.* ISIDORI.

CXXVIII. *De completis.*

CXXIX. *De vigiliarum antiquitate.*

D CXXX. *De matutinis.*

CXXXI. *Ut canonici horas canonicas religiose observent.*

CXXXII. *Quod cantantibus & psallentibus domino angelorum adsint præsidia.*

CXXXIII. *Quales ad legendum & cantandum in ecclesia constituendi sint.*

CXXXIV. *Qui modus sit correptionis.*

CXXXV. *Ut erga pueros, qui nutriuntur vel erudiuntur in congregatione canonica, instantissima sit adhibenda custodia.*

CXXXVI. *Ut omnes canonici ad completorium veniant.*

CXXXVII. *De cantoribus.*

E CXXXVIII. *Quales vice prælatorum in congregatione canonica fungi debeant.*

CXXXIX. *De præpositis.*

CXL. *Qualis sit cellararius constituendus.*

CXLI. *Cui committi debeant stipendia pauperum.*

CXLII. *De infirmorum ac senum cura fratrum.*

CXLIII. *Qualiter porta canonicorum custodiatur.*

CXLIV. *Ut claustra canonicorum diligenter custodiantur.*

CXLV. *Epilogus breviter digestus.*

CONCILII

NO ISTI 16.

CONCILII AQVISGRANENSIS

LIBER I.

Qui est de institutione canonicorum.

CAPVT I.

TONSVRÆ ecclesiasticæ usus a Nazaræis, nisi fallor, exortus est. Qui prius crine servato, denuo post magnam vitæ continentiam devotione completa caput radebant, & capillos in igne sacrificii ponere jubebantur, scilicet ut perfectionem devotionis suæ domino consecrarent. Hujus ergo exempli usus ab apostolis introductus est, ut hi qui in divinis cultibus mancipati domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est sancti Dei, crine præciso innoventur. Hoc quippe & Ezechieli prophetæ jubetur, dicente domino: *Tu fili hominis, sume tibi gladium acutum, & duces per caput tuum & barbam.* Videlicet quia & ipse sacerdotali genere Deo in ministerium sanctificationis deserviebat. Hoc & Nazaræos illos, Priscillam & Aquilam, in Actibus apostolorum primum fecisse legimus. Paulum quoque apostolum, & quosdam discipulorum Christi, qui in hujusmodi cultu mirandi extiterunt. Est autem in clericis tonsura signum quoddam, quod in corpore figuratur, sed in animo agitur, scilicet, ut hoc signo in religione vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ, quasi crinibus exuamur, atque inde innovatis sensibus ut comis rudibus enitescamus, exspoliantes nos, juxta apostolum, veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, qui renovatur in agnitione Dei. Quam renovationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi ipsa mens noscitur habitare. Quod vero detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumque ecclesiæ in eis existimo figurari. Tiara enim apud veteres constituebatur in capite sacerdotum. Hęc ex bysso confecta rotunda erat, quasi sphæra media, & hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem, latitudo aurei est circuli, quæ regum capita cingit. Vtrumque itaque signum in capite clericorum exprimitur, ut impleatur etiam corporis quadam similitudine quod scriptum est, Petro apostolo perdocente: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* Quæritur autem, cur sicut apud antiquos Nazaræos, non ante coma nutritur, & sic tondetur. Sed qui hæc exquirunt, advertant quid sit inter illud propheticum velamentum, & hanc euangelii revelationem, de qua dicit apostolus: *Cum transieris ad Christum, auferetur velamen.* Quod autem significabat velamen interpositum inter faciem Mosis & aspectum populi Israel, hoc significabat illis temporibus etiam coma sanctorum. Nam & apostolus comam pro velamento esse dicit. Proinde jam non oportet ut velentur crinibus capita eorum qui domino consecrantur, sed tantum ut revelentur: quia quod erat occultum in sacramento prophetiæ, jam in euangelio declaratum est.

II.

Ostiarii sunt, qui in veteri testamento janitores templi vocabantur, qui præerant portis Ierusalé, quique ordinati per vices suas omnia interiora templi vel exteriora custodiebant. Hi denique inter sanctum & iniquum discernentes, eos tantum in ecclesia qui sunt fideles recipiunt. Intrare enim templum nisi per hos non possumus. Habent enim potestatem tam bonos recipiendi, quam rejiciendi indignos. LIBER I.

III.

Lectorum ordo formam & initium a prophetis accepit. Sunt igitur lectores, qui verbum Dei prædicant, quibus dicitur: *Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam.* Isti quippe dum ordinantur, primum de eorum conversatione episcopus verbum facit ad populum. Deinde coram plebe tradit eis codicem apicum divinorum, ad verbum Dei annuntiandum. Qui autem ad hujusmodi provehitur gradum, iste erit doctrina & libris imbutus, sensuumque ac verborum scientia perornatus: ita ut distinctionibus sententiarum intelligat ubi finiatur junctura, ubi adhuc pendeat oratio, ubi sententia extrema claudatur. Sicque expeditus vim pronuntiationis tenebit, ut ad intellectum omnium mentes sensumque promoveat, discendo genera pronuntiationum, atque exprimendo proprios sententiarum affectus: modo indicantis voce, modo dolentis, modo increpantis, modo exhortantis, sive his similia, secundum genus propriæ pronuntiationis, in quo magis illa ambigua sententiarum adhibenda cognitio est. Multa enim in scripturis sunt, quæ nisi proprio modo pronuntientur, in contrariam recidunt sententiam, sicuti est: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat?* Quodque si confirmative non servato genere pronuntiationis suæ dicatur, magna perversitas oritur. Sic ergo pronuntiandum est, ac si diceret: Deusne qui justificat? subauditur, Non. Necesse est ergo in tantis rebus scientiæ ingenium, quo proprie singula convenienterque pronuntientur. Propterea & accentuum vim oportet lectorem scire, ut noverit in qua syllaba vox protendatur pronuntiantis. Plerumque enim imperiti lectores in verborum accentibus errant, & solent irridere nos imperitiæ hi qui videntur habere notitiam, detrahentes & jurantes penitus nos nescire quod dicimus. Porro vox lectoris simplex erit & clara, ad omne pronuntiationis genus accommodata, plena succo virili, agrestem & subrusticum effugiens sonum, non humilis, nec adeo sublimis, non fracta, non tenera, nihilque femineum sonans, neque cum motu corporis, sed tantum cum gravitatis specie. Auribus enim & cordi consulere debet lector, non oculis: ne potius ex seipso expectatores magis, quam auditores faciat. Vetus opinio est, lectores pronuntiandi causa præcipuam curam vocis habuisse, ut exaudiri in tumultu possit. Vnde & dudum lectores præcones vel proclamatores vocabantur.

Ibid. c. 11. — Isa. 58. — Rom. 8. — Ibid. c 12.

IV.

In ordine & ministerio ecclesiæ decet esse exorcistas secundum officia quæ in templo Salomonis erant disposita, quæque posterius sunt ab Esdra dispertita. Et invenimus eos quos scilicet Esdras actores memorat templi, nunc esse exorcistas in ecclesia Dei. Fuerunt enim sub Esdra actores templi, servorum Salomonis filii, qui actum templi totius sub cura sua haberent, ac sacris oblationibus deservirent. Et cum fuissent ex ordine & ministerio templi, longe fuerunt officio altaris Dei: quia nec psalmistis, nec ostiariis, nec sacrorum servis attingere licebat ad munera altaris, nisi tantummodo Levitis. Quid ergo est? Nullam aliam curam habebant actores templi, Ibid. 13.

 pli, nisi ad sartatecta facienda, ut quæcumque fuissent vexata in ædificio templi, aut delapsa, per eosdem actores de thesauris dominicis reficerentur atque excolerentur. Ergo actores templi, exorcistæ sunt in populo Dei. Quomodo enim actor prudens & bonus scit quis sit domini sui census & omnis substantiæ modus, & redigit apud se totius possessionis instrumenta originalia: sic & exorcista redigit in suam diligentiam totius regni domini secreta, ut memoriæ mandet de scripturarum sacramentis, unde exerceat donum, quod illi est a Spiritu sancto concessum, secundum apostoli præconium. Exorcistas enim memorat apostolus, cum dicit: *Numquid omnes donationes habent sanationum?* Hi enim cum ordinantur, sicut ait canon, accipiunt de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, accipientes potestatem imponendi manus super energumenos, sive catechumenos, sive baptizatos.

1. Cor. 12. Conc. Carthag. 4. Dist. 23. Exorcistarum.

V.

Etymol. lib. 7. c. 12.

Acolyti Græce, Latine ceroferarii dicuntur a deportandis cereis, quando legendum est euangelium, aut sacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria ab eis, & deportantur, non ad fugandas tenebras, dum sol eo tempore rutilet, sed ad signum lætitiæ demonstrandum: ut sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur, de qua in euangelio legitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem veniente in hunc mundum.*

Ioan. 1.

VI.

De offic. lib. 2. c. 10. 1. Esdr. 2 & 8.

Subdiaconi, qui apud Græcos hypodiaconi vocantur, in Esdra inveniuntur, appellanturque ibi Nathinæi, id est, in humilitate domino servientes. Ex eorum ordine fuit ille Nathanael, qui in euangelio Ioannis divina proditione commonitus, salvatorem meruit confiteri. Quique etiam ad primum divinitatis indicium fidelis enituit, protestante domino ac dicente: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Denique isti oblationes in templo domini suscipiunt a populis. Isti obediunt officiis Levitarum. Isti quoque vasa corporis & sanguinis Christi diaconibus ad altaria domini offerunt. De quibus quidem placuit patribus, ut quia sacra mysteria contrectant, casti & continentes sint ab uxoribus, & ab omni carnali immunditia liberi, juxta quod illis propheta dicente jubetur: *Mundamini qui fertis vasa domini.* Hi igitur cum ordinantur, sicut sacerdotes & Levitæ, manus impositionem non suscipiunt: sed patenam tantum & calicem de manu episcopi, & ab archidiacono scyphum aquæ cum aquamanili & manutergium accipiunt.

Ioan. 1. Conc. Carthag. IV. Dist. 2 subdiaconi. Isa. 52.

VII.

Ibid. c. 8.

Diaconorum ordo, a tribu Levi accepit exordium. Præcepit enim dominus Mosi, ut post ordinationem Aaron sacerdotis & filiorũ ejus, rursus Levi tribus in divini cultus ministerio ordinarentur & consecrarentur domino pro omnibus primogenitis, & servirẽt pro Israel coram Aaron, & filiis ejus, in tabernaculo Dei, excubantes in tẽplo die ac nocte. Ipsique gestarent arcam & tabernaculum & omnia vasa ejus, & in circuitu tabernaculi castra ipsi rursus cõstituerent, & in promovendo tabernaculo ipsi deponerent, rursus ipsi componerent. A vigintiquinque annis, & supra, in tabernaculo servire ipsis mandatum est. Quam regulam sancti patres & in novo testamento constituerunt. In euangelio autem primordia eorum, & in Actibus apostolorũ ita leguntur: *Convocantes autem duodecim apostoli multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Quid ergo est, fratres? Considerate ex vobis viros boni testimonii septem, plenos spiritu sapientiæ, quos constituamus in hanc rem. Nos vero orationi & ministerio sermonis instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt statim Stephanum virum plenum fide & Spiritu sancto, Philippum, Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum. Hi steterunt ante apostolos. Et cum orassent, imposuerunt illis manus. Verbumque Dei crescebat, & multiplicabatur numerus credentium.* Exhinc jam decreverũt apostoli, apostolorumq; successores, per omnes ecclesias septem diaconos ordinandos esse, qui sublimiori gradu ceteris proxime circa aram Christi, quasi columnæ altaris assisterent, & non sine aliquo septenarii numeri mysterio. Hi sunt enim, quos in Apocalypsi legimus, septem angeli tubis canentes. Hi sunt septem candelabra aurea, hi voces tonitruorum. Ipsi enim clara voce in modum præconis admonent cunctos, sive in orando, sive in flectendis genibus, sive in psallendo, sive in lectionibus audiendis. Ipsi etiam, ut aures habeamus ad dominum, clamant. Ipsi quoque euangelizant. Sine ipsis sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam sicut in sacerdote consecratio, ita & in ministro dispensatio sacramenti est. Ille orare, hic psallere mandat. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsis etiam sacerdotibus propter præsumptionem non licet de mensa domini tollere calicem, nisi eis traditus fuerit a diacono. Levitæ inferunt oblationes in altaria: Levitæ mensam domini componunt: Levitę operiunt arcam testamenti. Non enim omnes vident alta mysteriorum quæ operiuntur a Levitis, ne videant qui videre non debent, & sumant qui servare non possunt. Qui propterea altari albis induti assistunt, ut cælestem vitã habeant, candidique ad hostias & immaculati accedant, mundi scilicet corpore, & incorrupti pudore. Tales enim decet dominum habere ministros, qui nullo carnis corrũpantur contagio, sed potius eminenti castitate splendeant. Quales autem diaconi ordinentur, Paulus apostolus plenissime scribit ad Timotheum. Nam cum præmisisset de sacerdotũ electione, continuo subjunxit: *Diaconi similiter irreprehensibiles*, hoc est, sine macula, sicut episcopi. *Pudici* utique, id est, a libidine cõtinentes. *Non bilingues*, scilicet ne conturbent pacem habentes. *Non multo vino dediti*: quia ubi ebrietas, ibi libido dominatur & furor. *Non turpe lucrũ sectantes*, ne de cælesti ministerio lucra terrena sectentur. Est quippe & turpis lucri appetitio, plus de præsentibus quã de futuris cogitare. Post hæc subjecit: *Hi autem probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes.* Hi utique, sicut episcopi, ante ordinationem probari debent, si digni sint, & sic postea ministrare.

Cap. 6. Apoc. 8. 10. 1. Tim.

VIII.

Ibid. c.

Presbyterorum ordo exordium sumpsit (ut dictum est) a filiis Aaron. Qui enim sacerdotes vocabantur in veteri testamento, hi sunt qui nunc vocantur presbyteri. Et qui nuncupabantur principes sacerdotũ, nunc episcopi nominantur. Presbyteri autem interpretantur seniores, quia seniores ætate Græci presbyteros vocant. His enim, sicut episcopis, dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Præsunt enim ecclesiæ Christi, & in confectione divini corporis & sanguinis consortes cũ episcopis sunt. Similiter & in doctrina populorũ, & in officio prædicandi, sed solũ propter auctoritatem sũmi sacerdotii, clericorũ ordinatio & consecratio

LIBER. I.

secratio reservata est, ne a multis disciplina ecclesiæ vindicata concordiam solveret, scandala generaret. Nam Paulus apostolus eosdem presbyteros, ut vere sacerdotes, sub nomine episcoporum ita asseverat, loquens ad Titum: *Hujus*, inquit, *rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates presbyteros, quemadmodum ego tibi disposui. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse.* Qua sententia ostendit, etiam presbyteros sub episcoporum nomine taxari. Unde & ad Timotheum de ordinatione episcopi & diaconi scribens, de presbyteris omnino tacuit, quia eos in episcoporum nomine comprehendit. Secundus enim primo conjunctus est gradus, sicut & ad Philippenses episcopis & diaconibus scribit, cum una civitas plures episcopos habere non possit. & in Actibus apostolorũ presbyteros ecclesiæ, iturus Hierosolymam, congregavit, quibus inter cetera ait: *Videte gregem in quo vos Spiritus sanctus episcopos ordinavit.* Unde etiã tales in ecclesia presbyteros constituendos esse, sicut episcopos, & apostolus ad Titum loquitur, & canones ipsi testantur. Presbyteros autem merito & sapientia dici, non ætate. Nam & Mosi præcipitur, ut eligat presbyteros. Unde & in Proverbiis dicitur: *Gloria senum canities.* Quæ est hæc canities? Haud dubium quin sapientia, de qua scriptum est: *Canities hominum, prudentia est.* Cumque nongentos & amplius annos ab Adam usque ad Abraham vixisse homines legerimus, nullus alius primus appellatus est presbyter, id est senior, nisi Abraham, qui multo paucioribus annis vixisse convincitur. Non ergo propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam, presbyteri nominantur. Quod si ita est, mirum cur insipientes constituantur.

IX.

Veniamus ergo nunc ad sacratissimos ordines, & singulariter demonstremus, quod est sacerdotii fundamentum; vel quo auctore pontificalis ordo adolevit in sæculo. Initium quidem sacerdotii Aaron fuit, quamquam & Melchisedec prior obtulerit sacrificium, & post hunc Abraham, Isaac & Iacob. Sed isti spontanea voluntate, non sacerdotali auctoritate, ista fecerunt. Ceterum Aaron primus in lege sacerdotale nomen accepit, primusque stola indutus victimas obtulit, jubente domino, ac loquente ad Mosem: *Accipe*, inquit, *Aaron & filios ejus, & applicabis ad ostium tabernaculi testimonii. Cumque laveris patrem cum filiis aqua, indues Aaron vestimentis suis, id est, linea & tunica, & superhumerali, & rationali, quod constringes balteo, & pones tiaram, & oleum unctionis fundes super caput ejus, atque hoc ritu consecrabitur. Filios quoque illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingesque balteo, Aaron scilicet & liberos ejus, & impones eis mitras, eruntque sacerdotes mei religione perpetua.* Quo loco contemplari oportet, Aaron summum sacerdotem, id est, episcopum fuisse, & filios ejus, presbyterorum figuram præmonstrasse. Fuerunt enim filii Aaron & ipsi sacerdotes, quibus merito adstare debuissent Levitæ, sicut summo sacerdoti. Sed hoc fuit inter Aaron summum sacerdotẽ & inter filios ejusdem Aaron, qui & ipsi erant sacerdotes: quod Aaron super tunicam accipiebat poderem, stolam sanctam, & coronam auream, mitram & zonam auream, & superhumerale, & cetera quæ supra memorata sunt. Filii autem Aaron, super tunicas lineas cincti tantummodo & tiarati adstabant sacrificio Dei. Sed forsitan quæritur & hoc, Cujus figuram faciebat Moses. Si enim filii Aaron presbyterorum figuram faciebant, & Aaron summi sacerdotis, id est episcopi, Moses cujus? Indubitanter Christi, & vere per omnia Christi: quoniam fuit similitudo mediatoris Dei, qui est inter Deum & hominem, Iesus Christus, qui est verus dux populorum, verus princeps sacerdotum, & dominus pontificum, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Hactenus de primordiis sacerdotalibus in veteri testamento: in novo autem testamento, post Christum, sacerdotalis ordo a Petro cœpit. Ipsi enim primum datus est pontificatus in ecclesia Christi. Sic enim loquitur ad eum dominus: *Tu es*, inquit, *Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meã, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves regni cælorum.* Hic ergo ligandi solvendique potestatem primus accepit, primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit. Siquidem & ceteri apostoli cum Petro par consortium honoris & potestatis acceperunt. Qui etiam in toto orbe dispersi, euangelium prædicaverunt; quibusque decedentibus successerunt episcopi, qui sunt constituti per totum mundum in sedibus apostolorum. Qui non jam ex genere carnis & sanguinis eliguntur, sicut primum secundum ordinem Aaron, sed pro uniuscuisque merito, quod in eum gratia divina contulerit. Sicut etiam ad Heli dominus prænuntiavit, dicens: *Hæc dicit dominus Deus Israel: Dixi, domus tua & domus patris tui permanebunt coram me usque in æternum. Et nunc hæc dicit dominus: Nequaquam, sed glorificantes me glorificabo, Qui me spernit, spernetur.* Quatuor enim sunt genera apostolorum. Unum a Deo tantum, ut Moses. Alterum per hominem & Deum, ut Iosue. Tertium tantum per hominem, sicut his temporibus multi favore populi & potestatum in sacerdotium subrogantur. Quartum autem genus ex se est, sicut pseudo-prophetarum & pseudoapostolorum. Quid est autem nomen apostolorum? apostoli in Latina lingua missi interpretantur, quia ipsos misit dominus euangelizare ad illuminationem omnium populorum. Episcopus autem, ut quidam prudentium ait, nomen est operis, non honoris. Græcum est enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, superintendit, curam scilicet subditorum gerens. Ἐπὶ quippe, super, σκοπὸς autem, intentio est: ergo episcopum Latine superintendentem possumus dicere: ut intelligat non se esse episcopum, qui non prodesse, sed præesse dilexerit. Quod vero per manus impositionem a præcessoribus Dei sacerdotibus episcopi ordinantur, antiqua est institutio. Isaac autem patriarcha sanctus ponens manum suam super caput Iacob, benedixit ei. Similiter & Iacob filiis suis benedictionem dedit. Sed & Moses super caput Iosue manum suam imponens, dedit ei spiritum virtutis & ducatus in populo Israel. Sic & superimpletor legis & prophetarum dominus noster Iesus Christus, per manus impositionem apostolos benedixit, sicut in euangelio Lucæ scriptum est: *Et perduxit illos trans Bethaniam: & elevavit manus suas, & benedixit eos. Factumque est cum benedixisset illis, discessit ab eis: & ipsi reversi sunt in Ierusalem cum gaudio magno.* Et in Actibus apostolorum, ex præcepto sancti Spiritus, Paulo & Barnabæ ab apostolis manus imposita est in episcopatum, & sic missi sunt ad euan-

Matth. 16.

1. Reg. 2.

August. de Civ. Dei l. 19. c. 19.

Gen. 27.

Num. 27.

Luc. 24.

Act. 13.

LIBER I. evangelizandum. Quod autem a triginta annis A sacerdos efficitur, ab ætate scilicet Christi sumptum est, ex qua idem orsus est prædicare. Hæc enim ætas profectu jam non indiget parvulorum, sed perfectionis vi plena est, & robusta, & ad omne disciplinæ ac magisterii exercitium præparata. Quod vero unius virginalis matrimonii sint qui eliguntur in ordine pontificatus, & in veteri lege mandatum est, & plenius scribit apostolus dicens:
1. Tim. 3. Tit. 1. *Unius uxoris virum*. Sacerdotem quærit ecclesia, aut de monogamia ordinatum, aut de virginitate sanctum. Digamus enim haud fertur agere sacerdotium. Porro quod episcopus non ab uno, sed a cunctis provincialibus episcopis ordinatur, ideo institutum est, ne aliquid contra fidem ecclesiæ unius tyrannica auctoritas moliretur. B Propterea ab omnibus convenientibus constituitur, ac non minus quam a tribus præsentibus, ceteris tamen consentientibus testimonio literarum. Huic autem, dum consecratur, datur baculus, ut ejus indicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat. Datur & anulus, propter signum pontificalis honoris, vel signaculum secretorum. Nam multa sunt, quæ carnalium minusque intelligentium sensibus occultantes sacerdotes, quasi sub signaculo condunt, ne indignis quibusque sacramenta Dei aperiantur. Iam vero, quod sæcula- C res viri nequaquam ad ministerium ecclesię assumantur, eadem auctoritas apostolica docet, & dicit:
1. Tim. 5. Ibid. 3. *Manus cito nemini imposueris*. Et iterum: *Non neophytum*, ne in superbiam elatus, putet se non tam ministerium humilitatis, quam administrationem sæcularis potestatis adeptum: & in condemnationem superbiæ, sicut diabolus per jactantiam dejiciatur. Quomodo enim valebit sęcularis homo sacerdotii magisterium adimplere, cujus nec officiũ tenuit, nec disciplinam cognovit? aut quid docere poterit, cum ipse non didicerit? Nunc vero sæpe cernimus plurimos ordinationem talibus facere: nec eligunt qui ecclesię prosint, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt D obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit: & ut deteriora dicam, qui ut ordinarentur, muneribus impetrarunt. Taceo de reliquis. Alii successores filios vel parentes faciunt, & conantur posteris præsulatus relinquere
Num. 27. dignitatem, cum hoc nec Moses amicus Dei facere potuit, sed Iosue de alia tribu elegit, ut sciremus, principatum in populo non sanguine defendendum esse, sed vitæ meritis. Interdum autem & juxta meritum plebium eliguntur personæ rectorum: unde noverint populi sui fuisse meriti, regimen perversi suscepisse pontificis. Quod autem is, qui post baptismum aliquo mortali E peccato corruptus, ad sacerdotium non provehatur, lex ipsa testatur.
Levit. 1. & 2. Moses enim in lege præcepit sacerdotibus, ne aliquod vitiatum ad aram Dei offerant, quod ipsum postea offerentibus
Malach. 1. sacerdotibus Israel per Malachiam improperavit Deus, dicens: *Vos sacerdotes qui polluistis nomen meum, & dixistis: In quo polluimus eum? Offerentes super altare meum panem pollutum, & offerebatis cæcum & languidum* Unde & in Nu-
Num. 19. meris vitula rufa, cujus cinis expiatio est populi, non aliter jubetur offerri ad altare domini, nisi quæ terrena opera non fecerit, jugumque delicti non traxerit, nec vinculis peccatorum fuerit alligata. Sed quid plura subjiciamus? Si enim is, qui in episcopatu vel presbyterio positus, mortale aliquod peccatum admiserit, retrahitur: quãto magis ante ordinationem repudiari peccator inventus debet, ut non ordinetur? Quapropter quia lex peccatores a sacerdotio removet, consideret se unusquisque: & sciens quia potenter tormenta patientur, retrahat se ab hoc non tam honore, quam onere, & aliorum qui digni sunt, locum non ambiat occupare. Qui enim in erudiendis atque instruendis de virtute populis præerit, necesse est ut in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse a peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subjectos arguere poterit, cum illi statim possit correptus ingerere, Ante doce te quæ recta sunt episcope? Quapropter qui negligit recta facere, desinat recta docere. Prius quippe semetipsum corrigere debet, qui alios ad bene vivendum monere studet, ita ut in omnibus semetipsum formam vivendi præbeat, cunctosque ad bonum opus & doctrina & opere provocet. Cui etiam scientia scripturarum necessaria est: quia si episcopi tantum sit sancta vita, sibi soli potest prodesse sic vivens. Porro si & doctrina fuerit eruditus, potest ceteros quosque instruere, & docere suos, & adversarios repercutere. Qui nisi refutati fuerint atque convicti, facile possunt simplicium corda pervertere. Hujus autem sermo debet esse purus, simplex & apertus, plenus gravitate & honestate, plenus suavitate & gratia, tractans de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiæ, de disciplina justitiæ: unumquemque diversa admonens exhortatione, juxta professionem morumque qualitatem: videlicet ut pernoscat, quid, cui, quando, vel quomodo proferat. Cujus præ ceteris speciale officium est, scripturas legere, percurrere canones, exempla sanctorum imitari. Vigiliis, jejuniis, orationibus incumbere: cum fratribus habere pacem, nec quemquam ex membris suis discerpere. Nullum damnare, nisi comprobatum: nullum excommunicare, nisi discussum. Quique ita humilitate pariter & auctoritate præstabit, ut nec per nimiam humilitatem suam, subditorum vitia convalescere faciat; nec per immoderatam auctoritatem severitatis potestatem exerceat: sed tanto cautius erga sibi commissos agat, quanto durius a Christo judicari formidat. Tenebit quoque illam supereminentem donis omnibus caritatem, sine qua omnis virtus nihil est. Custos enim sanctitatis, caritas est: locus autem hujus custodis, humilitas est. Habebit etiam inter hæc omnia & castitatis eminentiam, ita ut mens Christi corpus confectura, ab omni inquinamento carnis sit munda & libera. Inter hæc oportet eum solicita dispensatione curam pauperum gerere, esurientes pascere, vestire nudos, suscipere peregrinos, captivos redimere, viduas ac pupillos tueri, pervigilem in cunctis exhibere curam providentia & distributione discreta. In quo etiam & hospitalitas ita erit præcipua, ut omnes cum benignitate & caritate suscipiat. Si enim omnes fideles illud evangelicum audire desiderant, *Hospes fui, & suscepistis me*, quanto magis episcopus, cujus diversorium cunctorum debet esse receptaculum? Laicus enim unum aut duos suscipiens, implebit hospitalitatis officium: episcopus si omnes non receperit, inhumanus est. In negotiis autem sæcularibus dirimendis, oportet eum causam merito discernere, non gratia. Neque enim sic debet episcopus suscipere potentem, ut contristet contra justitiã pauperem: neque pro paupere, auferre

auferre justitiam a potente. Non defendat improbum, nec sancta indigno committenda arbitretur: neque arguat aut impugnet, cujus crimen non reprehendit. Erit quoque illi etiam juxta apostolum mansuetudo, patientia, sobrietas, moderatio, abstinentia, sive pudicitia, ut non solum ab opere immundo se abstineat, sed etiam ab oculi, oris, & cogitationis errore. Ita ut dum nullum in se vitium regnare permittit, impetrare apud Deum veniam pro subditorum facinoribus valeat. Qui enim ista sectaverit, & Dei minister utilis erit, & perfectum sacerdotium consummabit.

X.

Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas. Reliquit Titum discipulum Cretæ, B ut rudimenta nascentis ecclesiæ confirmaret, & si quid videbatur deesse, corrigeret: ipse pergens ad alias nationes, ut rursum in eis Christi jaceret fundamentum. Quod autem ait, *ut ea quæ desunt corrigas*, ostendit necdum eos ad plenam venisse scientiam veritatis: & licet ab apostolo correcti fuerint; tamen adhuc indigere correctione. *Et constituas per civitates presbyteros, sicut & ego tibi disposui.* Diligenter apostoli attendamus verba, dicentis: *Ut constituas per civitates presbyteros, sicut & ego tibi disposui.* Qui qualis presbyter debeat ordinari, in consequentibus differens, hoc C ait: *Si quis sine crimine est, unius uxoris vir*, &c. postea intulit: *Oportet enim episcopum sine crimine esse, tamquam Dei dispensatorem.* Idem ergo est presbyter, qui episcopus. Et antequam diaboli instinctu studia & schismata in religione fierent, ac diceretur in populis, *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ.* communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat, putabat suos, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis cura ecclesiæ pertineret, & schismatum semina tollerentur. Putat aliquis, non scripturarum, sed nostram esse sententiam, episcopum & presbyterum unum esse, & aliud ætatis, aliud esse nomen officii? Relegat aposto- D li ad Philippenses verba, dicentis: *Paulus & Timotheus servi Christi Iesu, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum episcopis, & diaconibus, gratia vobis & pax*, & reliqua. Philippi una est urbs Macedoniæ. Et certe in una civitate plures, ut nunc putatur, episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem episcopos illo in tempore quos presbyteros appellabant, propterea indifferenter de episcopis, quasi de presbyteris est locutus. Adhuc alicui hoc videatur ambiguum, nisi altero testimonio comprobetur. In Actibus apostolorum scriptum est, quod cum venisset apostolus Paulus Miletum, miserit Ephesum, & convocaverit presbyteros ejusdem ec- E clesiæ, quibus postea inter cetera sit locutus: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus episcopos pascere ecclesiam domini, quam acquisivit per sanguinem suum.* Et hic diligentius observate, quomodo unius civitatis Ephesi presbyteros vocans, postea eosdem episcopos dixerit. Videamus igitur, qualis presbyter, sive episcopus ordinandus sit. *Si quis est sine crimine, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse tamquam Dei dispensatorem. Non proterum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri appetitorem.* Primum itaque sine crimine sit,

A quod puto alio verbo ad Timotheum, irreprehensibilem nominatum. Non qui eo tantum tempore, quo ordinandus est, sine ullo sit crimine, & præteritas maculas nova conversatione deleverit: sed ex eo tempore, quo in Christo renatus est, nulla peccati conscientia mordeatur. Quomodo enim potest præses ecclesiæ auferre malum de medio ejus, qui in delictum simile corruerit? aut qua libertate corripere peccantem, cum tacitus sibi ipse respondeat eadem se admisisse quæ corripit? Primum itaque dicendum est, quod tam sanctum sit nomen sacerdotii, ut nobis etiam ea quæ extra nos sunt posita, reputentur: non quod propter vitia nostra episcopi non fiamus, sed quod propter filiorum incontinentiam ab hoc gradu arcendi simus. Qua enim libertate possumus alienos filios corripere, & docere quæ recta sunt, cum nobis statim possit, qui fuerit correptus, ingerere, Ante doce filios tuos? Aut qua fronte extraneum corripio fornicantem, cum mihi conscientia mea ipsa respondeat, Exhereda ergo filium fornicantem, abjice filios tuos vitiis servientes? Cum autem nequam filius in una tecum * convivatur domo, tu audes de alterius oculo festucam detrahere, in tuo trabem non videns? Non itaque justus polluitur ex vitiis filiorum, sed libertas ab apostolo ecclesiæ principi reservatur, ut talis fiat, qui non timeat propter vitia liberorum extraneos reprehendere. Oportet enim episcopum sine crimine esse, tamquam Dei dispensatorem. Quæritur ergo inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur: & non comedens & bibens cum ebriosis, percutiat servos & ancillas, sed incertum domini expectet adventum, & det conservis in tempore cibaria. Inter villicum autem & familiam hæc sola distantia est, quod conservus præpositus est conservis suis. Sciat itaque episcopus & presbyter, sibi populum esse conservum, non servum. Cetera quæ sequuntur, in nobis posita sunt. *Non protervum*, id est, non tumentem & placentem sibi quod episcopus sit: sed quasi bonum villicum, id requirentem quod pluribus prosit. *Non iracundum.* Iracundus est, qui semper irascitur, & ad levem responsionis auram atque peccati, quasi a vento folium commovetur. Neque vero qui aliquando irascitur, iracundus est: sed ille dicitur iracundus, qui crebro hac passione superatur. Prohibet quoque episcopum esse vinolentum, ne vel sensu occupato exaltet risum contra gravitatis decorem, & labiis dissolutis cachinnet: vel si paululum tristis cujusdam rei fuerit recordatus inter pocula, in singultus prorumpat & lacrymas. Longum est ire per singula, & insanias, quas ebrietas suggerit, explicare. Post vinolentiam etiam hoc præcepit, ne percussor sit. Quod quidem, & simpliciter intellectum, ædificat audientem, ne facile manum porrigat ad cædendum, ne in os alterius verberandum insanus erumpat. Melius est autem, ut non percussorem, illum esse dicamus, qui mansuetus & patiens, sciat quid in tempore loquendum sit, quid tacendum, ne sermone inutili conscientiam percutiat infirmorum. Turpis quoque lucri appetitus, ab eo qui episcopus futurus est, esse debet alienus. Sunt enim multi, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia, qui totas domos subvertunt, & putant quæstum esse pietatem. *Melior est* autem, juxta Salomonem, *modica acceptio cum justitia, quam multa gemmina cum iniquitate: & magis eligendum in paupertate nomen bonum, quam in* divitiis

LIBER I. 1. Tim. 3.

* al. communicat

Prov. 16.

divitiis nomen pessimum. Episcopus, qui imitator apostoli esse cupit, habens victum & vestitum, his tantum debet esse contentus. (1. *Tim.* 6.) *Qui altario serviunt, de altario vivant. Vivant,* inquit, & non divites fiant. Vnde & æs nobis excutitur de zona, & una tantum tunica induimur, ne de crastino cogitemus. Turpis quoque lucri appetitio est, plus de præsentibus quam de futuris cogitare. Huc usque quid non debeat habere episcopus, sive presbyter, apostoli sermone præceptum est: nunc e contrario, quid habere debeat, explicatur. *Sed hospitalem, bonorum amatorem, castum, justum, sanctum, continentem, abstinentem, obtinentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit consolari in doctrina sana, & contradicentes arguere.* Ante omnia hospitalitas futuro episcopo denuntiatur. Si enim omnes illud de euangelio audire desiderant, (*Matth.* 25.) *Hospes fui, & suscepistis me,* quanto magis episcopus, cujus domus omnium commune debet esse hospitium? Laicus enim unum aut paucos suscipiens, implevit hospitalitatis officium: episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est. Quomodo itaque mansuetudo, patientia, sobrietas, moderatio, abstinentia lucri, hospitalitas quoque & benignitas præcipue esse debent in episcopo, & inter cunctos laicos eminentia: sic & castitas proprie, &, ut ita dixerim, pudicitia sacerdotalis: ut non solum ab opere se immundo abstineat, verum a jactu oculi & cogitationis errore mens Christi corpus confectura sit libera. Iustus quoque episcopus esse debet & sanctus, ut justitiam in populis, quibus præest, exerceat, reddens unicuique quod meretur, nec accipiat personam in judicio. Inter laici autem & episcopi justitiam hoc interest, quod laicus potest apparere justus in paucis: episcopus vero in tot exercere justitiam, quot & subditos habet.

IX.

(Ex eodem, ep. ad Oceanum. 1. *Tim.* 3.) *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Opus, non dignitatem: laborem, non delicias. Opus quo per humilitatem decrescat, non intumescat fastigio. *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse.* Id ipsum quoque ad Titum: (*Tit.* 1.) *Si quis est sine crimine.* Omnes virtutes in uno sermone comprehendit, & pene rem contra naturam exigit. Si enim omne peccatum, etiam in otioso verbo, reprehensione dignum est: quis ille, qui absque peccato, id est, sine reprehensione, versetur in mundo? Sed futurus pastor ecclesiæ talis eligitur, ad cujus comparationem recte grex ceteri nominentur. Definiunt rhetores oratorem qui sit vir bonus, dicendi peritus. Ante vita quam lingua irreprehensibilis quæritur, ut doctus merito suscipiatur. Perdit enim auctoritatem dicendi, cujus sermo opere destruitur. *Vnius uxoris virum.* Certe de baptizatis apostoli sermo est, nemo dubitet. *Sobrium, prudentem, ornatum, hospitalem, doctorem, pudicum,* &c. (*Levit.* 10.) Sacerdotes qui ministrant in templo Dei, prohibentur vinum & siceram bibere, ne crapula & ebrietate aggraventur corda eorum: & ut sensus officium exhibens Deo, vigeat semper & tenuis sit. Quod autem infert, *prudentem,* excludit eos, qui sub nomine simplicitatis, excusant stultitiam sacerdotum. Nisi enim cerebrum sanum fuerit, omnia membra in vitio erunt. *Ornatum.* Qui vitia non habet, irreprehensibilis appellatur: qui virtutibus pollet, ornatus est. possumus & aliud intelligere ex hoc verbo, juxta illud Tullii: Caput est artis, decere quid facias. Sunt enim quidam ignorantes mensuram suam, & tantæ stoliditatis ac vecordiæ, ut & in motu, & in incessu, & in habitu, & in sermone cōmuni, risum spectantibus tribuant: & quasi intelligentes quid sit ornatus, comunt se vestibus & munditiis corporis, & lautioris mensæ epulas parant cum omnis istiusmodi ornatus & cultus sordibus fœdior sit. Quod autem doctrina a sacerdotibus expetatur, & veteris præcepta sunt legis, & ad Titum plenius scribitur. (*Tit.* 1.) Innocens enim & absque sermone conversatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. Nam latratu canum, baculoque pastoris, luporum rabies deterrenda est. *Non vinolentum, non percussorem.* Virtutibus vitia opposuit. Didicimus, quales esse debeamus: discamus, quales non esse debeant sacerdotes. Vinolentia, scurronum est & comessatorum: venterque mero æstuans, cito despumat in libidines. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia est. Qui luxuriatur, vivens mortuus est: ergo qui inebriatur, & mortuus & sepultus est. (*Gen.* 9.) Noe ad unius horæ ebrietatem nudavit femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. (*Gen* 19.) Loth per temulentiam nesciens libidini miscet incestum: & quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt. Percussorem autem episcopum ille condemnat, qui dorsum posuit ad flagella, & maledictus non remaledixit. *Sed modestum.* Duobus malis unum opposuit bonum, ut temulentia & ira modestia refrenentur. *Non litigiosum, non avarum.* Nihil enim impudentius arrogantia rusticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant, & parati semper ad lites, in subjectum sibi gregem tumidis sermonibus tonant. (1. *Reg.* 12.) Avaritiam in sacerdote vitandam & Samuel docet, nihil coram populo eripuisse se cuiquam probans: & apostolorum paupertas, qui refrigeria sumptuum a fratribus accipiebant, & præter victum atque vestitum, nihil se aliud nec habere, nec velle gloriabantur. Quam ad Timotheum avaritiam, ad Titum turpis lucri cupiditatem apertissime notat. (*Tit* 1.) *Domum suam bene regentem.* Non ut opes augeat, non ut regias paret epulas, non ut cælatas patinas struat, non ut phasides aves lentis vaporibus coquat, qui ad ossa perveniant, & superficiem carnium non dissolvant artifici temperamento: sed ut quod populo præcepturus est, prius a domesticis exigat. *Filios habentem subditos cum omni castitate.* (1. *Reg.* 2.) Ne scilicet incontinentes imitentur filios Heli, qui in vestibulo templi cum mulieribus dormiebant. *Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* Heri catechumenus, hodie pontifex: heri in amphitheatro, hodie in ecclesia: vespere in circo, mane in altari: dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator. Quod autem ait, *ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli,* quis non exemplo verum probet? Ignorat momentaneus sacerdos humilitatem & mansuetudinem rusticorum, ignorat blanditias Christianas, nescit seipsum contemnere. De dignitate transfertur ad dignitatem. Non jejunavit, non flevit, non mores suos sæpe reprehendit, & assidua meditatione correxit. Non substantiam pauperibus erogavit. De cathedra quodam modo ducitur ad cathedram, id est de superbia ad superbiam. Iudicium autem & ruina diaboli nulli dubium quin arrogantia sit. Incidunt in eam, qui in puncto horæ, necdum discipuli, jam magistri sunt. *Oportet autem eum & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt.*

Qualo

Quale principium, talis & clausula. Qui irreprehensibilis est, non solum a domesticis, sed & ab alienis consono ore laudatur. Alieni extra ecclesiam sunt Iudæi, hæretici, atque gentiles. Talis ergo sit pontifex Christi, ut qui religioni detrahunt, vitæ ejus detrahere non audeant. Hos in sacerdotibus eligendis canones observare oportet.

XII.

ib. Qui pastorum nomina audire volunt, & pastorum officium implere nolunt, quid ad eos per prophetam dicatur, sicut lectum audivimus, recenseamus. Audite vos cum intentione, audiamus nos cum tremore. *Et factum est verbum domini*, inquit Ezechiel, *ad me dicens: Fili hominis, propheta super pastores Israel, & dic ad pastores Israel.* Hanc lectionem modo, cum legeretur, audivimus. hinc cum vestra sanctitate aliquid loqui decrevimus. Adjuvabit ipse ut vera dicamus, si non nostra dicamus. Nam si nostra dixerimus, pastores erimus pascentes nos, non oves. Si autem illius sunt quæ dicimus, per quemlibet ipse vos pascit. Hæc dicit dominus Deus: Væ pastoribus Israel, qui pascunt se solos. Numquid oves pascunt pastores? id est non se pascunt pastores, sed oves. Hæc prima causa est, quare arguantur isti pastores: quia seipsos pascunt, non oves. Qui sunt, qui seipsos pascunt? De quibus apostolus dicit: *Omnes enim sua quærunt, non quæ Iesu Christi.* Nos enim, quos in loco isto, de quo periculosa ratio redditur, dominus secundum dignationem suam, non secundum meritum nostrum, constituit, habemus duo quædam. Vnum, quod Christiani sumus: alterum, quod præpositi sumus. Illud, quod Christiani sumus, propter nos est: quod præpositi sumus, propter vos est. In eo quod Christiani sumus, attenditur utilitas nostra: in eo quod præpositi sumus, non nisi vestra. Et sunt multi, qui Christiani, & non præpositi, perveniunt ad Deum faciliore fortasse itinere, & tanto forte expeditius ambulantes, quanto minorem sarcinam portant. Nos autem, excepto quod Christiani sumus, unde rationem reddemus Deo de vita nostra, sumus etiam præpositi, unde rationem reddemus Deo de dispensatione nostra. Ad hoc istam difficultatem propono, ut compatientes nobis, oretis pro nobis. Veniet enim dies, quo cuncta adducantur in judicium, & ille dies si sæculo longe est, unicuique homini suæ vitę ultimus prope est: tamen utrumque latere voluit Deus, & quando veniat finis sæculi, & quando sit in unoquoque homine hujus vitæ finis. Vis non timere diem occultum? Dum venerit, inveniat te paratum. Cum ergo præpositi ad hoc sint, ut his qui subjecti sunt, consulant: nec ideo quod præsunt, omnino utilitatem suam attendant, sed eorum quibus ministrant: quisquis ita prępositus est, ut in eo quod præpositus est, gaudeat, & honorem suum quærat, & commoda sua sola respiciat, se pascit, non oves. Ad hos sermo dirigitur. Audite, tamquam oves Dei, & videte, quemadmodum vos securos fecerit Deus. Qualescumque sint qui vobis præsunt, id est, qualescumque nos simus, vobis securitatem dedit, qui pascit oves Israel. Nam si Deus non deserit oves suas, & mali pastores debitas pœnas luent, & oves promissa percipient. Videamus ergo quid alloquatur pastores seipsos pascentes, non oves, sermo divinus neminem palpans: *Ecce lac consumitis, & lanis vos tegitis, & quod crassum est interficitis, & oves meas non pascitis. Quod infirmum est, non confortastis, & quod ægrotat, non corroborastis: & quod contribulatum est, non colligastis: & quod errabat, non revocastis: & quod periit, non requisistis: & quod forte fuit, confregistis: & dispersæ sunt oves meæ, eo quod non sit pastor.* Dicitur ad pastores pascentes seipsos, non oves, quid diligant, quid negligant. Quid ergo diligunt? *Lac consumitis.* Propter quod & apostolus dicit: *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non sumit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit?* Invenimus ergo lac esse gregis, quidquid a plebe distribuitur præpositis, ad eorum sustentandum victum temporalem. Inde enim loquebatur apostolus, cum hęc diceret quę commemoravi. Et quidem apostolus, quamquam elegerit manibus suis transigi, & nec ipsum lac quærere ab ovibus; tamen lactis percipiendi potestatem habere se dixit, & sic dominum disposuisse, ut qui euangelium annuntiant, de euangelio vivant. Et dicit alios coapostolos suos usos fuisse hac potestate non usurpata, sed data. Plus ille fecit, ut nec quod debebatur, acciperet. Ipse ergo donavit & debitum, * sed ab aliis non exegit indebitum. Ille plus fecit. fortassis enim ipsum significabat, qui ægrum cum adduceret ad stabularium, dixit: *Si quid amplius erogaveris, in redeundo reddam tibi.* De his ergo qui non indigent lacte gregis, quid plura dicamus? Misericordiores sunt, vel potius ipsius misericordiæ officium largius impendunt: possunt enim, & quod possunt faciunt. Laudentur hi, nec damnentur illi. Nam & ipse apostolus datum non quærebat. Fructuosas tamen oves suas esse cupiebat, non steriles, sine lactis ubertate. Itaque cum esset quodam tępore in magna indigentia, vinctus in confessione veritatis, missum est illi a fratribus, unde necessitati & indigentiæ ejus ministraretur. Respondit autem illis gratias agens, & dixit: *Benefecistis communicantes necessitatibus meis. ego enim didici in quibus sum sufficiens esse. Scio & abundare, novi & penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat. Verumtamen vos benefecistis, usibus mittere meis.* Sed ut ostenderet in eo quod illi benefecerunt, quid ipse quæreret, ne inter illos esset, qui se ipsos pascunt, non oves: non tam suæ gaudet subventum esse necessitati, quam illorū gratulatur fecunditati. Quid ergo ibi quærebat? Non quia quæro, inquit, datum, sed requiro fructum. Non ut ego, inquit, explear, sed ne vos inanes remaneatis. Qui ergo non possunt facere quod Paulus, ut manibus suis se transigant, accipiant de lacte ovium: sustentent suam necessitatem, sed non negligāt ovium infirmitatem. Non hoc ibi quærant, tamquam commodum suum, ut ex necessitate penuriæ suæ videantur annuntiare euangelium, sed hominibus illuminandis parent lucem verbi veritatis. Sunt enim tamquam lucernæ, sicut dictum est: *Sint lumbi vestri præcincti; & lucernæ ardentes.* Et, *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio: sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* Si ergo tibi lucerna accenderetur in domo, nonne adjiceres oleum ne extingueretur? Porro si lucerna accepto oleo non luceret, non erat plane digna, quæ in candelabro poneretur, sed quæ continuo frangeretur. Vnde ergo vivitur, necessitatis est accipere, caritatis est præbere. Non tamquam venale sit euangelium, ut istud sit precium ejus, quod sumunt qui annuntiant, unde vivant. Si enim sic vendunt, magnam rem vili precio vendunt. Accipiant sustentationem necessitatis

Marginal notes: 1. Cor. 9. — * al. sed alius non exegit indebitum. — Luc. 10. — Philipp. 4. — Luc 12. — Matth. 5.

LIBER I. cessitatis a populo, mercedem dispensationis a domino. Non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in caritate evangelii serviunt. Non expectent illi mercedem, nisi unde & isti salutem. Quid ergo istis increpatur, unde arguuntur? quia cum lac sumerent, & lanis se tegerent, oves negligebant. Sua ergo tantum quærebant, non quæ Iesu Christi. Sed quoniam diximus, quid sit lac consumere: quæramus, quid sit lanis tegere. Qui præbet lac, potum præbet: & qui præbet lanam, honorem præbet. Ista sunt duo, quæ a pastoribus quæruntur, qui seipsos pascunt, non oves: commodum supplendæ necessitatis, & favorem honoris & laudis quærunt. Etenim vestimentum propterea bene intelligitur in honore, quia nuditatem contegit. Est enim unusquisque homo infirmus. Et quid est, quisquis vobis præest, nisi quod vos estis? Carnem portat, mortalis est, manducat, dormit, surgit, natus est, moriturus est. Si ergo cogites quid sit, secundum seipsum homo est: & tamen honorando eum velut angelum, contegis quod infirmum est. Videte cujusmodi indumentum acceperat a bona Dei plebe idem Paulus, cum

Gal. 2. diceret: *Sicut angelum Dei excepistis me. Testimonium enim vobis perhibeo, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* Sed cum tantus illi honor exhibitus esset, numquid propter ipsum honorem sibi exhibitum, ne forte negaretur, & minus ille cum argueret laudaretur, pepercit errantibus? Nam si hoc fecisset, esset inter illos qui se ipsos pascunt, non oves. Diceret apud seipsum: Quid ad me pertinet? quisque quod velit, agat. Victus meus salvus est, honor meus salvus est, & lac & lana satis est mihi. Eat quisque qua potest. Ergo integra tibi sunt omnia, si eat quisque qua potest? Nolo te præpositum facere: unum te constituo de ipsa plebe. Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Proinde ipse apostolus cum eis commemorat, quales fuerint erga illum, ne quasi oblitus eorum honorificentiæ videretur, testimonium perhibet, quod sicut angelum Dei susceperint eum: quod si fieri posset, oculos suos vellent eruere, & illi dare. Et tamen accedit ad ovem languidam, ad ovem putridam, secare vulnus, non parcere putredini. *Ergo*, inquit, *inimicus factus sum vobis prædicans veritatem?* Ecce & accepit de lacte ovium, sicut paulo ante commemoravimus; & indutus est lanis ovium: sed tamem oves non neglexit. Non enim sua quærebat, sed quæ Iesu Christi. Absit ergo ut dicamus vobis, Vivite ut vultis: securi estote, Deus neminem perdet. Tantummodo fidem Christianam tenete: non perdet ille quod redemit: non perdet pro quibus sanguinem fudit. Et si spectaculis volueritis oblectare animos vestros, ite, quid mali est? & festa ista, quæ celebrantur per universam civitatem in lætitia convivantium, & publicis mensis seipsos (ut putant) iocundantium, re vera perdentium, ite, celebrate securi: magna est Dei misericordia, quæ totum ignoscat. Coronate vos rosis, antequam marcescant. In domo Dei vestri, quando volueritis, convivamini: implemini cibo & vino cum vestris. Ad hoc enim data est ista creatura, ut ea perfruamini. Non enim paganis & impiis eam dedit Deus, & vobis non dedit. Hæc si dixerimus, forte congregabimus turbas ampliores. Et si sunt quidam, qui sentiant nos hæc dicentes non recte sapere, paucos offendimus, sed

A multitudinem conciliamus. Quod si fecerimus non verba Dei, non verba Christi dicentes, sed nostra: erimus pastores pascentes nosmetipsos, non oves. Cum autem dixisset quæ diligant isti pastores, dicit & quæ negligant. Vitia enim ovium late patent. Sanæ atque crassæ oves perpaucæ sunt, id est solidæ in cibo veritatis, utentes pascuis bene de munere Dei. Sed mali illi pastores non parcunt talibus. Parum est, quod illas languentes, & infirmas, & errantes, & perditas non curant: etiam istas fortes & pingues necant, quantum in ipsis est: & illæ si vivunt, de misericordia Dei vivunt: tamen quantum ad pastores malos attinet, occidunt. Quomodo,

B inquit, occidunt? Male vivendo, malum exemplum præbendo. An frustra dictum est servo Dei eminenti in membris summi pastoris: *Circa omnes teipsum bonorum operum præbens exemplum: & forma esto fidelibus?* Attendit enim ovis, etiam fortis, plerumque præpositum suum male viventem, si declinet oculos a regulis domini. Intendit in hominem, incipit dicere in corde suo: Si præpositus meus sic vivit, ego quis sum, qui non faciam quod ille facit? occidit ovem fortem. Si fortem ergo occidit ovem, jam de ceteris quid faciet, qui illud, quod non ipse fructificaverat, sed forte aut robustum invenerat, male vivendo interfecit? Dico caritati vestræ, ac iterum dico: Tit. 2.

C Etsi vivunt oves, etsi fortes sunt oves in verbo domini, & tenent illud quod audierunt a domino suo: *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite:* tamen qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, eum a quo attenditur, occidit. Non sibi ergo blandiatur, quia ille non est mortuus: & ille vivit, & iste homicida est. Quomodo cum lascivus homo intendit in mulierem ad concupiscendum eam, ecce illa casta est, & mœchatus est iste. Domini enim vera & aperta est sententia: *Quisquis viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Non pervenit ad illius cubiculum, & in interiore jam suo cubiculo Matth. 23. Matth. 5.

D volutatur. Sic omnis qui male vivit in conspectu eorum quibus præpositus est, quamtum in ipso est, occidit etiam fortes oves. Qui ergo imitatur præpositum malum, moritur: qui non imitatur, vivit: tamen quantum ad illum pertinet, ambos occidit. *Et quod crassum est*, inquit, *interfecistis, & oves meas non pascitis.* Iam audistis quid diligant: videte quid negligant. *Quod infirmatum est, non confortastis: & quod male habuit, non corroborastis: & quod contribulatum est, & quod confractum est, non colligastis: & quod errabat, non revocastis: & quod periit, non inquisistis: & quod forte fuit, confregistis, interfecistis, occidistis.* Infirmum quippe animum ge-

E rit ovis, quando tentationes sibi profuturas non credit. Pastor negligens, quando sic credit talis infirmus, non illi dicit: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuā ad tentationem.* Qui enim hæc loquitur, confortat infirmum, & ex infirmo facit firmum, ut non ille, cum crediderit, prospera hujus sæculi speret. Si enim doctus fuerit sperare prospera hujus sæculi, ipsa prosperitate corrumpitur, supervenientibus adversitatibus sauciatur, aut fortassis extinguitur. Non ergo eū ædificat super petrā, qui sic ædificat, sed super arenā ponit. Petra autem erat Christus. Christi passiones imitandæ sunt, non a Christianis deliciæ conquirendæ. Confortatur infirmus cum ei dicitur, Spera. Imminent quidem tentationes hujus Eccl. 2. 1 Cor.

huius sæculi, sed ab omnibus te eruet Dominus, si ab illo non recesserit retro cor tuum. Nam ad confortandum cor tuum venit ille pati, venit ille mori, venit sputis illiniri, venit spinis coronari, venit opprobria audire, venit postremo ligno configi. Omnia hæc ille pro te: tu nihil pro illo, sed pro te. Quales autem sunt, qui timentes hos lædere quibus loquuntur, non solum non præparant ad imminentes tentationes, sed etiam promittunt felicitatem huius seculi, quam Deus ipsi sæculo non promisit? Ille prædicit labores super labores usque in finem venturos ipsi sæculo, & tu vis ab ipsis laboribus exceptum esse Christianum? quia Christianus est, aliquid plus passurus est in hoc sæculo. Etenim ait Apostolus: *Omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur.* Iam si tibi placet pastor sua quærens, non quæ Iesu Christi: ille dicat: *Omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur:* & tu dic, si in Christo pie vixeris, abundabunt tibi omnia bona, & si filios non habes, suscipies, & nutries omnes, & nemo tibi morietur. Hæccine est ædificatio tua? Attende quid facias, ubi ponas. Super arenam est quod constituis. Venturus est imber, influxurus est fluuius, flaturus est ventus, & impingent in domum istam, & cadet, & fiet ruina eius magna. Leva de arena, pone supra petram: in Christo sit, quem vis esse Christianum. Attendat ad passiones Christi indignas: Attendat illum sine vllo peccato, quæ non rapuit, exolventem. Attendat scripturam dicentem sibi: *Flagellat omnem filium quem recipit,* & para te flagellari aut certe non quæras recipi. Flagellat autem omnem, inquit, filium quem recipit, & tu dicis forte exceptus eris? Si exceptus a passione flagellorum, exceptus a numero filiorum. Itane, inquies, flagellat omnem filium? Prorsus flagellat omnem filium, ut & vnicum. Vnicus ille de patris substantia natus, æqualis patri in forma Dei, verbum per quod facta sunt omnia, non habebat unde flagellaretur. Ad hoc carne indutus est, vt sine flagello non esset. Qui ergo flagellat unicum sine peccato, relinquit cum peccato adoptatum? In adoptionem vocatos nos esse Apostolus dicit. Adoptionem filiorum accepimus, ut essemus vnico coheredes, essemus etiam hereditas eius. Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam. Exemplum nobis proposuit in passionibus suis. Sed plane, ne in futuris tentationibus deficiat infirmus, nec falsa spe decipiendus est, nec terrore frangendus. Dices ei: *Præpara animam tuam ad tentationem,* & forte incipit labi, contremiscere, nolle accedere. Habes & aliud: *Fidelis Deus qui non vos sinet tentari supra quam potestis ferre.* Illud enim promittere, & prædicere venturas passiones, infirmum confirmare est. Timenti autem nimium, & ex hoc deterrito, cum polliceris misericordiam Dei, non quia tentationes deerunt, sed quia non permittit tentari supra quam ferre potest, fructum colligere est. Sequitur: *Quod infirmatum est,* inquit, *non confortastis.* Pastoribus malis dicit, pastoribus falsis, pastoribus sua quærentibus, non quæ Iesu Christi, & commodo lactis & lanæ gaudentibus, oues omnino non curantibus. *Et quod male habuit, non corroborastis.* Inter infirmum (id est, non firmum) & ægrotum (id est, male habentem) hoc mihi videtur interesse. Etenim inter ista, fratres, quæ distinguere utcumque conamur, forte & nos possumus majori diligentia melius distinguere, & alius peritior, vel lumine cordis plenior. Interim ne fraudemini, quod sentio, loquor. Infirmo, ne accidat tentatio, & eum frangat, timendum est. Languens autem, jam cupiditate aliqua ægrotat, jam cupiditate aliqua impeditur ab intranda via Dei, a subeundo jugo Christi. Qui ergo videntur feruere in operibus bonis, sed imminentes passiones tolerare nolle, aut non posse, infirmi sunt. Qui vero aliqua cupiditate mala amatores mundi ab ipsis bonis operibus revocantur, languidi & ægroti jacent. Quippe qui in ipso languore, tamquam sine ullis viribus, nihil boni possent operari. Sequitur: *Et quod errabat, non revocastis: & quod periit, non inquisistis.* Hic inter manus latronum, & dentes luporum furentium, utcumque versamur: & contumaces sunt oues, quia quæruntur errantes. Alienas se a nobis dicunt, errore suo & perditione sua: Quid nos vultis, inquiunt, quid nos quæritis? Si in errore, inquit, sum, si in interitu, quid me vis? quid me quæris? Quia in errore es, revocare volo: quia peristi, invenire volo. Sic volo errare, sic volo perire. Sic vis errare? sic vis perire? Quanto melius ego nolo? Prorsus audeo dicere, Importunus sum. Audio dicentem Apostolum: *Prædica verbum, insta opportune, importune.* Quibus opportune? quibus importune? Opportune utique volentibus, importune nolentibus. Prorsus, Importunus sum, audeo dicere. Tu vis errare, tu vis perire? Ego nolo. Revocabo errantem, requiram perditam. Velis nolis, id agam, etsi me inquirentem laniant vepres silvarum, per omnia angusta me coarctabo. Omnes sepes excutiam, quantum mihi virium terrens dominus donat. Omnia peragrabo, revocabo errantem, requiram pereuntem. Si me pati non vis, noli errare, noli perire. Parum est quod doleo te errantem atque pereuntem. Timeo, ne negligens te, etiam quod forte est occidam. Vide enim quid sequitur: *Et quod forte fuit, confregistis.* Si neglexero errantem atque pereuntem, & eum qui fortis est, delectabit errare atque perire. Cupio lucra exteriora, sed timeo plus damna interiora. Si indifferentem habuero errorem tuum, attendit qui fortis est, cum te perditum non requiro: & putat nihil esse ire in errorem. Non frustra ergo, cum jam dixisset superius, *quod crassum est, interfecistis*: hic iterum in novissimo posuit, *& quod forte fuit, confregistis.* Proinde audi quid sequatur de ista negligentia malorum, imo falsorum pastorum: *Et dispersæ sunt oues meæ, eo quod non sit pastor: & factæ sunt in comesturam omnibus bestiis agri.* Furantur lupi insidiantes, rapiunt leones frementes, cum oues adhærent pastori. Nam præsens est pastor: sed male agentibus non est pastor. & inhærent pastoribus non pastoribus, se ipsos videlicet, non oues, pascentibus: & lethalis error consequitur. Eunt in bestias deprædantes se, & de illarum morte se satiare cupientes. Tales enim sunt omnes qui gaudent de erroribus alienis. Dispersæ sunt & errarunt oues meæ in omnem montem, & in omnem collem altum: hoc est, in omnem tumorem terrenæ superbiæ. Mons enim & collis, tumor terrenus & superbia sæculi intelligitur. Sunt enim & montes boni, de quibus Propheta dicit: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* In omnem montem, & in omnem collem, & in omnem faciem terræ lucent, & in omnem faciem terræ dispersæ sunt, omnia terrena sectantes. Ea quæ in faciem terræ lucent, ipsa amant, ipsa diligunt. Nolunt mori, ut abscondatur vita eorum in Christo. Propterea pastores

Margin notes: LIBER I. — Ezech. 34. — 1. Tim 4. — Psalm. 120.

LIBER I.

pastores audite sermonem Domini: *Vivo ego, dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas sicut visitat pastor gregem suum.* Non curaverunt mali pastores, non enim suo sanguine redemerunt. Sicut visitat, inquit, pastor gregem suum in die. In quali die? Cum fuerit nimbus & nubes; id est, in pluuia & in nebula. Pluuia & nebula, error sæculi huius, caligo magna, surgens de cupiditatibus hominum, & nebula valida * conterens terram. Et difficile est, ut non errent oves in ista nebula: sed pastor non deserit eas, inquirit eas, penetrat nebulam oculis validis & acutissimis, non impeditur caligine nubium. Videt undique, errantem revocat, tantum ut fiat, quod dicit in euangelio: *Quæ sunt oves meæ, audiunt vocem meam, & sequuntur me.* In medio ovium dispersarum: sic inquiram oves meas, & reducam eas ab omni loco quo dispersæ sunt illic. In die nubis & nimbi, quando difficile est inveniri eas, tunc ego inveniam, crassa est nebula, pinguis nimbus est, oculos eius nihil latet. Et educam eas de gentibus, & colligam eas de regionibus, & inducam eas in terram earum, & pascam eas super montes Israël. Constituit super montes Israël auctores scripturarum divinarum. Ibi pascite, ut secure pascatis. Quidquid inde audieritis, hoc vobis bene sapiat: quidquid extra est, respuite. Ne erretis in nebula, audite vocem pastoris: colligite vos ad montes scripturæ sanctæ. Ibi sunt deliciæ cordis vestri, ibi nihil venenosum, nihil alienum. Vberrima pascua sunt, vos tantum sanæ venite, sanæ pascimini in montibus Israël, & in rivis, & in omni habitatione terræ. A montibus enim quos ostendimus, manaverunt rivi prædicationis euangelicæ, cum in omnem terram exivit sonus eorum. Et facta est omnis habitatio terræ pascendis ouibus læta atque fecunda. In pascuis bonis pascam eas, & in montibus altis Israël: & erunt stabula earum illic, hoc est, vbi requiescant, vbi dicant, Bene est, verum est, & manifestum: non fallimur. In gloria Dei requiescent, tamquam in stabulis illis, & dormient, hoc est, requiescent in deliciis suis bonis; & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël. Sequitur: quod enim primum curavit, iterum dicit: *Hæc dicit Dominus Deus: quod perijt, inquiram: & quod erravit, revocabo: & quod imminutum est, colligabo: & quod exanime est, confortabo: & quod pingue est & forte, custodiam.* Quod non faciebant mali pastores, seipsos pascentes, non oues. Non ait Dominus, constituam alios bonos pastores, qui faciant hæc, sed ego, inquit, faciam: oues meas nulli committam. Securi vos fratres, securæ vos oues. Nobis videtur timendum quasi desit bonus pastor. Et addit sic: *Et pascam eas cum iudicio.* Vide, quia solus pascit, cum iudicio pascit. Quis enim homo certum iudicat de homine? Temerariis iudiciis plena sunt omnia. De quo desperavimus, subito convertitur, & fit optimus: de quo præsumpsimus, subito deficit, & fit pessimus. Nec timor ergo noster certus est, nec amor noster certus est. Quid sit hodie quisque homo, vix novit ipse homo: tamen utcumque ipse, quid hodie; quid autem cras, nec ipse. Pascit ergo ille cum iudicio, dispertiens propria propriis. Novit enim quid agat. Cum iudicio pascit, quos iudicaturus redemit. Sequitur. Absit, ut desint modo boni pastores. Absit a nobis ut desint. Absit a misericordia ipsius, ut non eos gignat atque constituat. Vtique si sunt bonæ oves, sunt & boni pastores. Nam de bonis ovibus fiunt boni pastores. Sed omnes boni pastores in uno sunt, unum sunt. Illi pascant, Christus pascit. Sint ergo omnes in pastore uno, & dicant vocem pastoris unam, quam audiant oves, & sequantur pastorem suum, & non illum, aut illum, sed unum. Et omnes in illo unam vocem dicant, diversas voces non habeant.

f. contegens — *Ioan 10.*

XIII.

Cum rerum necessitas exposcit, pensandum valde est, ad culmen quisque regiminis qualiter veniat: atque ad hoc rite perveniens, qualiter vivat, & bene vivens, qualiter doceat, & recte docens, infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat: ne aut humilitas accessum fugiat, aut perventioni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinam præsumptio extollat. Prius ergo appetitum timor temperet: post autem magisterium, quod non a quærente suscipitur, vita commendet. Ac deinde necesse est, ut pastoris bonum, quod vivendo ostenditur, loquendo propagetur. Ad extremum vero superest, ut perfecta quæque opera consideratione propriæ infirmitatis deprimat, ne hæc ante occulti arbitri oculos tumor elationis extinguat. Isaias * quoque ait: *Clama, ne cesses: sicut tuba exalta vocem tuam.* Præconis namque officium suscipit, quisquis ad sacerdotium accedit, ut ante adventum iudicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Fortes perseverantesque doctores, velut imputribilia ligna, quærendi sunt, qui instructioni sacrorum voluminum semper inhærentes, sanctæ ecclesiæ unitatem denuntient, & quasi intromissi circuli, arcam Domini portent. Vectibus arcam testamenti portare, est bonis doctoribus sanctam ecclesiam ad rudes infidelium mentes prædicando deduci. Qui auro quoque jubentur operiri, ut cum sermone aliis insonant, ipsi etiam vitæ splendore fulgescant. Necesse est igitur, ut qui ad officium prædicationis excubant, a sacræ lectionis studio non recedant. Ad hoc namque vectes esse in circulis arcæ semper jubentur, ut cum portari arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus portandi tarditas nulla generetur: quia videlicet cum spiritale aliquid a subditis pastor inquiritur, ignominiosum valde est, si tunc quærat discere, cum quæstionem debet enodare. Circulis arcæ fœderis vectes inhæreant, ut doctores semper in suis cordibus eloquia sacra meditantes, testamenti arcam sine mora elevent, si quidquid necesse est, protinus docent. Vnde bene primus pastor ecclesiæ pastores ceteros admonet, dicens: *Parati semper estote ad satisfactionem de ea, quæ in nobis est, spe.* Ac si aperte dicat, ut ad portandam arcam mora nulla præpediat, vectes a circulis nunquam recedant. Sancti viri dum præsunt, non in se potestatem ordinis, sed æqualitatem conditionis attendant: nec præesse gaudeant hominibus, sed prodesse. Sciant enim, quod antiqui patres nostri, non tam reges hominum, quam pastores pecorum fuisse memorantur. Cum Noe Dominus filiisque eius post diluvium diceret: *Crescite & multiplicamini, & implete terram*, subditur: *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ.* Homo quippe animalibus irrationalibus, non autem ceteris hominibus natura prælatus est. Idcirco ei dicitur, ut ab animalibus, non ab homine timeatur, quia

Greg. Pastor. in proœmio. — Isa. 58. — Pastor. p. II. c. — 1 Pet. 3 — Mor. l. 21. cap. 10. — Gen. 9.

NNO
RISTI
16.
tor.
c. 16.

quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri. Cuncti qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis. Nam sicut præfati sumus, antiqui patres nostri, pastores pecorum, & non reges hominum, fuisse memorantur. Necesse est ergo, ut rectores a subditis timeantur, quando ab eisdem Deum minime timeri deprehendunt: ut humana saltem formidine peccare metuant, qui divina judicia non formidant. Nequaquam præpositi ex subjectorum timore superbiant; in quo non suam gloriam; sed subditorum justitiam quærunt. In eo autem quod metum sibi a perverse viventibus exigunt, quasi non hominibus, sed animalibus dominantur: quia videlicet ex qua parte bestiales sunt subditi; ex ea debent etiam formidini jacere substrati. Facies sanctæ ecclesiæ sunt hi, qui in locis regiminum positi, apparent primi, ut ex eorum specie honor sit fidelis populi, etiam si quid in corpore latet deforme. Qui nimirum prælati plebibus, plangunt culpas infirmantium, seque sic de alienis lapsibus, ac si de propriis, affligunt. Sæpe rectores boni, dum quosdam vident ad veniam post culpas redire; quosdam vero in iniquitate persistere, occulta omnipotentis Dei judicia mirantur; sed penetrare nequeunt. Obstupescunt enim quæ non intelligunt. Ille modis omnibus debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritaliter vivit, qui prospera mundi postposuit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola æterna concupiscit, cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat spiritus. Ipse nihilo minus ad dignitatem pastoralis officii debet provehi, qui ad aliena capienda non ducitur, sed propria largitur: qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, sed non plusquam decet ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur: qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis, ut propria, deplorat: qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi, sicut in suis provectibus, lætatur. Ad dignitatem pontificalis excellentiæ recte pervenit, qui ita se imitabilem ceteris in cunctis quæ agit, insinuat, ut inter eos non habeat quod saltem de transactis mens erubescat: qui sic studet vivere, ut proximorum quoque corda arentia doctrinæ valeat fluentis irrigare: qui orationis usu experimento jam didicit, quod obtinere a domino, quæcumque poposcerit, possit: cui prophetica voce jam qua specialiter dicitur: *Adhuc loquente te, dicam, ecce adsum.* Si fortasse quisquam veniat, ut pro se ad intercedendum nos apud potentem quempiam virum, qui sibi iratus, nobis vero est incognitus, ducat, protinus respondemus: Ad intercedendum venire non possumus, quia familiaritatis ejus notitiam non habemus. Si ergo homo apud hominem, de quo minime præsumit, fieri intercessor erubescit, qua mente apud dominum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se ejus gratiæ esse per vitæ meritum nescit? Aut ab eo quomodo aliis veniam postulat, qui, utrum sibi sit placatus, ignorat? Qua in re est adhuc aliud solicitius formidandum, ne qui placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. Cuncti liquido novimus, quia cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Qui adhuc terrenis desideriis adstringitur,

r. lib. . 10.

s. .

A caveat ne districti iram judicis gravius accendens, dum loco delectatur gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ. Solerter ergo se quisque metiatur, ne locum regiminis assumere audeat, si adhuc in se vitium damnabiliter regnat: ne is, quem crimen depravat proprium; intercessor fieri appetat pro culpis aliorum.

LIBER I.

XIV.

Sunt plerique pastorum, qui dum metiri se nesciunt, quæ non didicerunt, docere concupiscunt. Qui pondus magisterii tanto levius æstimant, quanto vim magnitudinis illius ignorant. Ut quia indocti ac præcipites doctrinæ arcem tenere appetunt, a præcipitationis suæ ausi-B bus in ipsa locutionis janua repellantur. Nulla ars doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum? Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpe qui nequaquam spiritalia præcepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt: dum qui pigmentorum vim nesciunt; videri medici carnis erubescunt. Sunt nonnulli, qui intra sanctam ecclesiam per speciem regiminis, gloriam affectant honoris. Videri doctores appetunt, transcendere ceteros concupiscunt, attestante veritate: *Primos recu-*C *bitus in cœnis, primas in conventibus cathedras quærunt:* qui susceptum curæ pastoralis officium ministrare digne tanto magis nequeunt, quanto ad humilitatis magisterium ex sola elatione pervenerunt. Ipsa quippe in magisterio lingua confunditur, quando aliud discitur, & aliud docetur. Contra indignos pastores dominus per prophetam queritur: *Ipsi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt; & non cognovi.* Ex se namque, & non ex arbitrio summi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupiditate accensi, culmen regiminis rapiunt potius quam assequuntur. Inutiles sacerdotes internus judex & provehit;
D & non cognoscit: quia quos permittendo tolerat, profecto per judicium reprobationis ignorat. Unde ad se quibusdam, & post miracula venientibus dicit: *Recedite a me operarii iniquitatis: nescio qui estis.* Pastorum imperitia voce veritatis increpatur, cum per prophetam dicitur: *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.* Quos rursus dominus detestatur, dicens: *Et tenentes legem, nescierunt me.* Et nesciri ergo se ab eis veritas conqueritur, & nescire se principatum nescientium se protestatur: quia profecto hi qui ea quæ sunt domini, nesciunt, a domino nesciuntur, Paulo attestante qui ait: *Si quis autem ignorat,*
E *ignorabitur.* Plerumque pastorum imperitia meritis congruit subjectorum: quia quamvis lumen scientiæ, sua culpa exigente, non habeant: districto tamen judicio agitur, ut per eorum ignorantiam hi etiam qui sequuntur, offendant. Hinc namque in evangelio per semetipsam veritas dicit: *Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* Hinc psalmista non optantis animo, sed prophetantis mysterio, denuntiat dicens: *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva.* Oculi quippe sunt, qui in ipsa honoris summa facie positi, providendi itineris officium susceperunt. Quibus hi nimirum qui subsequenter inhærent, dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis, dorsum flectitur: quia cum lumen scientiæ perdunt qui præeunt, pro-

Gregor. in prol. Pastoralis.

Matth. 23.

Osee 8.

Luc. 13.

Isai. 56.

Hier. 2.

1. Cor. 14.

Matth. 15.

Psal. 78.

LIBER I. Profecto ad portanda peccatorum onera curvantur qui sequuntur. Indigni quippe tanti reatus pondera fugerent, si veritatis sententiam solicita cordis aure pensarent, quæ ait: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* (Matth. 18.) Ne temerare sacra regimina, quisquis his impar est, audeat: & per concupiscentiam culminis, ducatum suscipiat perditionis. Hinc enim pie Iacobus prohibet, dicens: *Nolite plures magistri fieri, fratres mei.* (Iacob. 3.) Hinc ipse Dei hominumque mediator, regnum percipere vitavit in terris: qui supernorum quoque spirituum scientiam sensumque transcendens, ante sæcula regnat in cælis. Plerumque adversitatis magisterio sub disciplina cor premitur: quod si ad regiminis culmen eruperit, in elationem protinus usu gloriæ permutatur. Sic Saul, qui indignum se prius considerans, fugerat: mox ut regni gubernacula suscepit, intumuit. Honorari namque coram populo cupiens, dum reprehendi publice noluit, ipsum tamen qui in regem se unxerat, abscidit. David propheta, auctoris sui judicio pene in cunctis actibus placens, mox ut pressuræ pondere caruit, in tumorem vulneris erupit: factusque est in morte Vriæ crudeliter rigidus, qui in appetitu feminæ enerviter fuerat flexus. Et qui malis ante pie noverat parcere, in bonorum quoque nece post didicit sine obstaculo retractationis anhelare. Prius quippe ferire deprehensum persecutorem noluit, & post cum damno desudantis exercitus, etiam devotum militem extinxit. Quem profecto ab electorum numero culpa longius raperet, nisi hunc ad veniam flagella revocassent. (Ibid. c. 9.) Plerumque qui subire magisterium pastorale cupiunt, nonnulla quoque bona opera animo proponunt. Et quamvis hoc elationis intentione appetant, operaturos tamen se magna pertractant. Fitque ut aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Nam sibi ipsa de se mens sæpe mentitur, & fingit se de bono opere amare, quod non amat: de mundi autem gloria non amare, quod amat. Sæpe mens principari appetens, fit ad hoc pavida, cum quærit; audax, cum pervenerit. Tendens enim, ne non perveniat, trepidat: sed repente perveniens, jure sibi hoc debitum, ad quod pervenerit, putat. Cumque percepto principatus officio perfrui sæculariter cœperit, libentur obliviscitur quidquid religiose cogitavit. Necesse est enim, ut cum cogitatio extra usum ducitur, protinus mentis oculus ad opera transacta revocetur: ac penset quisque, quid subjectus egerit. Et repente cognoscit, si prælatus bona agere, quæ proposuerit, possit. quia nequaquam valet in culmine humilitatem discere, qui in imis positus, non desiit superbire. Nescit laudem, cum suppetit, fugere, qui ad hanc didicit, cum deesset, anhelare. Nequaquam vincere avaritiam potest, quando ad multorum sustentationem tendit is, cui sufficere propria nec soli potuerunt. Ex ante acta ergo vita se quisque inveniat, ne in appetitu se culminis imago cogitationis illudat. Plerumque in occupatione regiminis, ipse quoque boni operis usus perditur, qui in tranquillitate tenebatur: quia quieto mari, recte navem & imperitus nauta dirigit: turbato autem tempestatum fluctibus, etiam peritus se nauta confundit. Quid est potestas culminis, nisi tempestas mentis, in qua dum cogitationum semper procellis navis cordis quatitur, huc illucque incessanter impellitur, ut per repentinos excessus oris & operis, quasi per obviantia saxa frangatur? Inter hæc itaque quæ protulimus, quid sequendum est, quid tenendum, nisi ut virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat; virtutibus vacuus, nec coactus accedat? Ille si omnino renititur, caveat ne acceptam pecuniam in sudario ligans, de ejus occultatione judicetur. Pecuniam quippe in sudario ligare, est, percepta dona sub otio lenti torporis abscondere. At contra iste, cum regimen appetit, attendat, ne per exemplum pravi operis, pharisæorum more, ad ingressum regni tendentibus obstaculum fiat. Qui juxta vocem magistri, nec ipsi intrant, nec alios intrare permittunt. (Matth.) Considerandum quoque est, quia cum causam populi electus præsul suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus opere passiones vivunt, qua præsumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat?

ANNO CHRISTI 816.

XV.

(Isidori. l. 3. Sentent. cap. 34.) Non sunt promovendi ad regimen ecclesiæ, qui adhuc vitiis subjacent. Hinc est quod præceptum est David, non ædificare visibile templum, quia sanguinum vir belli frequentia esset. Qua figura illi spiritaliter admonentur, qui vitiorum adhuc corruptioni sunt dediti, ne templum ædificent, hoc est, ecclesiam docere præsumant. Non debet honorem ducatus suscipere, qui nescit subjectis tramite vitæ melioris præire. Neque enim quisque ad hoc præficitur, ut subditorum culpas corrigat, & ipse vitiis serviat. Qui se indignum ad episcopatum existimat, locum ejus qui dignus est, occupare non præsumat. Nam tam sanctum est sacerdotii nomen, ut nulla vitiorum nota maculari se sinat. Gravius enim condemnabitur, qui indignus suscipit quod non meretur. Qui regimen sacerdotii contendit appetere, ante in se discutiat, si vita honori sit congrua. Quod si non discrepat, humiliter ad id, ad quod vocatur, accedat. Reatum quippe culpæ geminat, si quis cum culpa ad sacerdotale culmen adspirat. Vniuscujusque casus tanto majoris est criminis, quanto priusquam caderet, majoris erat virtutis. Præcedentium namque magnitudo virtutum crescit ad cumulum sequentium delictorum. Plerique sacerdotes, suæ magis utilitatis causa, quam gregis, præesse desiderant: nec ut prosint, præsules fieri cupiunt: sed magis, ut divites fiant & honorentur. Suscipiunt enim sublimitatis culmen, non pro pastorali regimine, sed pro solius regiminis vel honoris ambitione: atque abjecto opere dignitatis, solam nominis appetunt dignitatem. Dum mali sacerdotes Deo ignorante non fiant, tamen ignorantur a Deo, ipso per prophetam testante: *Principes extiterunt, sed non cognovi.* (Osee 8.) Sed hic nescire Dei, reprobare est: nam Deus omnia novit.

XVI.

(Ibid. c.) Sicut iniqui & peccatores ministerium sacerdotale assequi prohibentur, ita indocti & imperiti a tali officio retrahuntur. Illi enim exemplis suis vitam bonorum corrumpunt: isti sua ignavia iniquos corrigere nesciunt. Qui enim docere poterunt, quod ipsi non didicerunt? Desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere. Ignorantia quippe præsulum, vitæ non congruit subjectorum. *Cæcus enim si cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* (Matth.) Sacerdotes indoctos per Isaiam prophetam ita dominus improbat:

improbat: *Ipsi*, inquit, *pastores ignoraverunt intelligentiam*. Et iterum: *Speculatores ejus caeci omnes*, id est, imperiti episcopi. *Nescierunt*, inquit, *universi canes muti, non valentes latrare*: hoc est, plebes commissas non valentes, resistendo malis, per verbum doctrinae defendere.

XVII.

Sunt nonnulli, qui nimia virtutum dona percipiunt, & pro exercitatione ceterorum, magnis muneribus exaltantur. Qui studio castitatis mundi, abstinentiae robore validi, doctrinae dapibus referti, patientiae longanimitate humiles, auctoritatis fortitudine erecti districti sunt. Qui nimirum culmen regiminum si vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt, quae non pro se tantummodo, sed etiam pro aliis acceperunt. Cumque sua & non aliorum lucra cogitant, ipsis se, quae privata habere appetunt, bonis privant. Hinc itaque ad discipulos veritas dicit: *Non potest civitas abscondi super montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt*. Hinc Petro dominus ait: *Simon Ioannis, amas me?* Qui cum se amare protinus respondisset, audivit: *Si diligis me, pasce oves meas*. Si ergo dilectionis est testimonium, cura pastionis: quisquis virtutibus pollens, gregem Dei renuit pascere, pastorem summum convincitur non amare. Si nostri, sicut proximi, curam gerimus, quasi utrumque pedem per calceamentum munimus. Qui vero sua cogitans, utilitatem proximorum negligit, quasi unius pedis calceamentum cum dedecore amittit. Sunt nonnulli, qui magnis muneribus ditati, dum solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati proximorum in praedicatione refugiunt. secretum quetis diligunt, secessum speculationis appetunt: de quo si districte judicentur, ex tantis procul dubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. Qua enim mente is, qui proximis profuturus enitesceret, utilitati ceterorum secretum praeponit suum: quando ipse summi patris unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum? Sunt nonnulli, qui ex sola humilitate refugiunt, ne his quibus se impares aestimant, praeferantur: Quorum profecto humilitas, si ceteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante oculos Dei vera est, cum ad respuendum hoc, quod utiliter subire praecipitur, pertinax non est. Neque enim vere est humilis, qui superni nutus arbitrio, ut debeat praeesse, intelligit, & tamen contemnit. Divinis dispositionibus subditus, atque a vitio obstinationis alienus, cum sibi regiminis culmen imponitur, si jam donis praeventus est, quibus & aliis prosit, & ex corde debet fugere, & invitus obedire.

XVIII.

Vir ecclesiasticus & crucifigi mundo per mortificationem propriae carnis debet, & dispensationem ecclesiastici ordinis, si ex Dei voluntate provenerit, nolens quidem, sed humilis, gubernandam suscipiat. Multis intercipit satanas fraudibus eos, qui vitae & sensus utilitate praestantes praeesse & prodesse aliis nolunt: & dum eis regimen animarum imponitur, renuunt, consultius arbitrantes otiosam vitam degere, quam lucris animarum insistere. Quod tamen decepti agunt per argumentum diaboli, fallentis eos per speciem boni: ut dum illos a pastorali officio retrahit, nequaquam proficiant, qui eorum verbis & exemplis instrui poterant. Viri sancti nequaquam occupationum saecularium curas appetunt: sed occulto ordine sibi superimpositas gemunt. Et quamvis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per subditam mentem portant. Quas quidem summopere, si liceat, vitare festinant: sed timentes occultam dispensationem Dei, suscipiunt quod fugiunt, exercent quod vitare noscuntur. Intrant enim ad cor, & ibi consulunt quid velit occulta voluntas Dei: sesque subditos debere esse summis ordinationibus cognoscentes, humiliant cervicem cordis jugo divinae dispensationis.

XIX.

Qui diligenter de vita contemplativa considerat, & sufficienter instructus intelligit, quando & ubi possit ejus perfectio comprehendi: non dubitabit, ecclesiarum principes vitae contemplativae posse & debere fieri sectatores. Quia sive secundum opinionem quorumdam, nihil aliud sit vita contemplativa, quam rerum latentium, futurarumque notitia: sive vacatio ab omnibus occupationibus mundi, sive divinarum studium literarum, sive (quod his probatur esse perfectius) ipsa visio Dei: non video quid impedimenti sanctis sacerdotibus possit afferri, quo minus ad haec quatuor, quae commemoravi, perveniant. Duo enim, primum & ultimum, id est, rerum latentium futurarumque notitia, & ipsa visio Dei, incomparabiliter praestantiora erunt in illa vita beata, quam in ista diversis erroribus implicata. Quandoquidem tam rerum omnium notitia, quam ipsa Dei substantia, plene ac perfecte videbitur. Duo autem media, vacationem videlicet ab omnibus occupationibus mundi, & divinarum studium literarum, etiam hic possunt habere pontifices. Sed illi, qui se ab omnibus implicamentis negotiorum saecularium removentes, non torpent otio, sed insistunt perfectionis suae negotio, & ab stultitia sapientiae saecularis aversi, verbo Dei infatigabiliter vacant, sapientes veraciter fiunt, caelestia sapiunt, terrena despiciunt, contradicentes sanae doctrinae redarguunt, obedientes instituunt, sanctis virtutibus, quibus in dies singulos fiant Deo propinquiores, incumbunt: & tam suis quam omnium, qui per eos erudiuntur, provectibus clari, hic quidem velut gustum quemdam contemplativae vitae, quo ad eam ferventius provocentur, accipiunt: sed ibi jam in aeternum felices affecti, de ejus perfectione gaudebunt. Proinde non inflantur, quia hic omnium fidelium catholicorum honorantur ut capita: sed laetantur potius, quia ibi Christi, qui est sacerdotum ac omnium fidelium caput, chariora membra futuri sunt. At si (quod absit) saecularibus negotiis implicati, fundorum terminos sine termino cupiditatis extendant ac se passim exquisitis deliciis addicant, quae animum corpusque debilitant; si gloriam non Christi, sed suam, decepti vulgi adulantis honoribus, quaerant: plusque de se alienae linguae, quam suae conscientiae credant: si omne gaudium suum, non in futurorum remuneratione, nec in sanctitate vitae, sed in sua tantum dignitate constituant: & dum tales esse, quales credunt, amantur, nunquam sibi displiceant: ac placentes sibi, non sint de sua correctione soliciti: quis non intelligat tales, si in talibus perseverent, nec se ante finem praesentis vitae emendent, contemplativae vitae participes esse non posse? Ad quam non perveniunt, nisi qui studuerint esse quod facti sunt, nec

Ex Prosperi De vita contempl. lib. I. cap. 13.

LIBER I. nec affectant videri, sed esse quod sunt. non alienis laudibus, sed moribus suis eximii: nec solum de sua dignitate, sed potius de sacerdotalis vitæ nobilitate conspicui: qui sunt non appellatione tenus, sed virtute pontifices, vitæ contemplativæ capaces; & gaudiorum cælestium coheredes.

XX.

Isidori. lib. 3. Sentent. cap. 36. Tam doctrina quam vita clarere debet ecclesiasticus doctor. Nam doctrina sine vita, arrogantem reddit: vita sine doctrina, inutilem facit. Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est, ita ut quod docet verbo, instruat exemplo. Vera enim est illa doctrina, quam vivendi sequitur forma. Nam nihil turpius est, quam si bonum, quod sermone quisque prædicat, explere opere negligat. Tunc enim prædicatio utiliter profertur, quando efficaciter adimpletur. Vnusquisque doctor, & bonæ actionis, & bonæ prædicationis habere debet studium. nam alterum sine altero non facit perfectum. sed præcedat justus bene agere, ut sequenter possit bene docere. Sicut in numismate metallum, figura, & pondus inquiritur, ita in omni doctore ecclesiastico, quid sequatur, quid doceat, quomodo vivat. Per qualitatem igitur metalli, doctrina: per figuram, similitudo patrum: per pondus, humilitas designatur. Qui ergo ab his tribus discrepaverit, non metallum, sed terra erit.

XXI.

Gregorii. Pastor. lib. 2. cap. 4. Sit rector discretus in silentio, utilis in verbo: ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium hos, qui erudiri
Ibid. c.16. poterant, in errore derelinquit. Sit rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus: ut & bonis in nullo se præferat, & cum pravorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratus agnoscat, quatenus & honore suppresso, æqualem se subditis bene viventibus deputet, & erga perversos jura rectitudinis exercere non formidet. Omnes homines natura æquales genuit; sed variante meritorum ordine, alios aliis culpa postponit. Ipsa autem diversitas, quæ accessit ex vitio, divino judicio dispensatur: ut quia omnis homo æque stare non valet, alter regatur ab altero. Vnde cuncti qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis: nec præesse hominibus gaudeant, sed prodesse. Quam videlicet potentiam bene regit, qui & tenere illam noverit, & impugnare. Bene hanc regit, qui scit per illam super culpas erigi, scit & cum illa ceteris æqualitate componi. Quam tamen potestatem recte dispensat, qui sollicite noverit, & sumere ex illa quod adjuvat, & expugnare quod tentat: & æqualem se cum illa ceteris cernere, & tamen se peccantibus zelo ultionis anteferre. Prædicator quisque studeat, ut minas potentium ratiocinatione mitiget: & oppressorum angustias, quantum prævalet, ope levet: ut foris resistentibus opponat patientiam, & intus superbientibus exhibeat cum patientia disciplinam: ut erga errata subditorum sic mansuetudo zelum temperet, quatenus a justitiæ studio non enervet: sic ad ultionem zelus ferveat, ne tamen pietatis limitem fervendo transcendat. Rectoris officium esse debet, ut ingratos beneficiis ad amorem provocet, ut gratos quoque ministeriis in amore servet: ut proximorum mala, cum corrigere non valet, taceat: & A quæcumque corrigi loquendo possunt, silentium consensum esse pertimescat.

XXII.

ANN. CHRIS. 816.

Isidori. lib. 3. Sent. cap. 41. Qui præficitur ad regimen, taliter erga disciplinam subditorum præstare se debet, ut non solum auctoritate, verum etiam humilitate clarescat. Sed tamen ita erit in eo virtus humilitatis, ne dissolvatur vita subditorum in vitiis: atque ita auctoritas aderit potestatis, ne per tumorem cordis severitas existat immoderationis. Hæc est in Dei sacerdotibus vera discretio, qua nec per libertatem superbi, nec per humilitatem fiunt remissi. Hinc est quod sancti cum multa constantia redarguerunt etiam principum vitia: B in quibus cum summa esset humilitas, loco tamen necessario libere transgressores justitiæ increpabant. Aliquando etiam subditis nos oportet animo esse humiliores, quoniam facta subditorum judicantur a nobis, nostra vero Deus judicat. Agnoscat episcopus servum se esse plebis, non dominum. Verum hæc caritas, non conditio exigit.

XXIII.

Ejusdem lib. 3. Sent. cap. 43. Non omnibus una eademque doctrina est adhibenda: sed pro qualitate morum, diversa exhortatio erit doctorum. Nam quosdam increpatio dura, quosdam vero exhortatio corrigit blanda. Sicut periti medici ad varios corpo- C ris morbos diverso medicamine serviunt, ita ut juxta vulnerum varietates, medicina diversa sit: sic & doctor ecclesiæ singulis quibusque congruum doctrinæ remedium adhibebit, & quid cuique oporteat pro ætate, pro sexu ac professione, annuntiabit. Non omnibus ea quæ sunt clausa, aperienda sunt. Multi sunt enim qui capere non possunt: quibus si indiscrete manifestentur, statim aut detrahunt, aut negligunt. Prima quippe prudentiæ virtus est, eam quam docere oporteat, existimare personam. Rudibus populis, seu carnalibus, plana atque communia, non summa atque ardua, prædicanda sunt, ne immensitate doctrinæ opprimantur po- D tius quam erudiantur. Vnde & apostolus Paulus ait: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.* Carnalibus quippe animis, nec alta nimis de cælestibus, nec terrena convenit prædicare: sed mediocriter, ut initia eorum moresque desiderant, edoceri. Corvus dum suos pullos viderit albi coloris, nullis eos cibis alit: sed tantumdem attendit, donec paterno colore nigrescant, & sic illos frequenti cibo reficit. Ita & ecclesiæ doctor strenuus, nisi eos quos docet, viderit ad suam similitudinem pœnitentiæ confessione nigrescere, & nitore sæculari deposito, lamentationis habitum de E peccati recordatione induere, utpote adhuc exterioribus, hoc est carnalibus, non aperit intelligentiæ spiritalis profundiora mysteria: ne, dum audita non capiunt, prius incipiant contemnere, quam venerari mandata cælestia. Aliter est agendum circa eos, qui nostro committuntur regimini, si offendunt: atque aliter cum his, qui nobis commissi non sunt. Qui si justi sunt, venerandi sunt: si vero delinquunt, pro sola caritate, ut locus est, corripiendi sunt: non tamen cum severitate, sicut hi qui nobis regendi sunt commissi. Prius docendi sunt seniores plebis, ut per eos infra positi facilius doceantur. Vnde & apostolus: *Hæc*, inquit, *commenda fidelibus hominibus, qui idonei sunt & alios docere.* Ingenium boni

1 Cor. 3.

2. Tim. 2.

boni doctoris est, incipere a laudibus eorum, quos A salubriter objurgatos corripere cupit, sicut Apostolus ad Corinthios facit, quos a laudibus inchoat, & increpationibus probat. Sed erant apud Corinthios, qui & laude & increpatione digni essent. Ille vero indiscrete loquitur, qui sic utraque omnibus loquitur ut omnibus utraque convenire videantur.

XXIV.

Quia igitur, qualis esse debeat pastor, superius ostendimus: nunc qualiter doceat, demonstremus. Ut enim longe ante nos reverendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non una eademque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe namque aliis officiunt, quæ aliis prosunt. B Quia & plerumque herbæ, quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt. Et lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat: & medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit: & panis, qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium, formari debet sermo doctorum: ut & ad sua singulis congruat, & tamen a communis ædificationis arte nunquam recedat. Quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi (ut ita dixerim) quædam citharæ tensiones tractæ chordarum. Quas tangendi artifex, ut non sibimetipsi dissimile canticum faciat, dissimiliter pulsat: & idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, C quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu, feriuntur. Doctor quisque, ut in una virtute caritatis cunctos ædificet, ex una doctrina, non una eademque exhortatione, tangere corda audientium debet. Doctor etenim, qui loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat ut fiat. Hinc enim per prophetam dominus dicit: *Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion.* Ut videlicet qui cælesti prædicatione utitur, D ima terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare videatur, tantoque facilius subditos ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de supernis clamat. Recte etiam sacerdos superhumerale ex auro, hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, & bysso retorta factum habere præcipitur: ut quanta virtutum diversitate clarescere debeat, demonstretur. In sacerdotis quippe habitu ante omnia aurum fulget, ut in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet. Cui hyacinthus, qui æthereo colore resplendet, adjungitur, ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad favores infimos, sed ad amorem cælestium surgat: ne, dum suis incautus laudibus capitur, ipso etiam veritatis intellectu vacuetur. E Auro quoque & hyacintho, ac purpuræ, bis tinctus coccus adjungitur, ut ante interni iudicis oculos, omnia virtutum bona ex caritate decorentur, & cuncta quæ coram hominibus rutilant, hæc in conspectu occulti arbitri flamma intimi amoris accendat. Quæ scilicet caritas, quia Deum simul ac proximum diligit, quasi ex duplici tinctura fulgescit. Qui igitur sic ad auctoris speciem anhelat, ut proximorum curam negligat: vel sic proximorum curam exequitur, ut a divino amore torpescat: qui unum horum quodlibet negligit, in superhumeralis ornamento habere coccum bis tinctum nescit. Ceterum cum rector se ad loquendum præparat, sub quanto cautelæ studio loquatur, attendat: ne, si inordinate ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur: & cum fortasse sapiens videri desiderat, unitatis compagem insipienter abscindat. Hinc namque in euangelio veritas ait: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.* Marc. 9. Per sal quippe verbi sapientia designatur. Qui igitur loqui sapienter nititur, magnopere metuat, ne in eius eloquio audientium unitas confundatur. Hinc Paulus ait: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Rom. 12. Ne igitur rector incautus ad loquendum proruat, hoc quod jam præmisimus, per semetipsam discipulis veritas clamat: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.* Marc. 9. ac si figurate per habitum sacerdotis dicat: Mala punica tintinnabulis jungite, ut per omnia quæ dicitis, unitatem fidei cauta observatione teneatis. Sacerdos semper vocem prædicationis habeat, ne superni spectatoris iudicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est: *Audiatur sonitus, quando ingreditur, aut egreditur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur.* Exod. 28. Sacerdos in tabernaculum ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non auditur: quia iram contra se occulti iudicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. Apte autem tintinnabula vestimentis pontificis describuntur inserta. Vestimenta etenim sacerdotis quid aliud, quam recta opera debemus accipere, Propheta attestante qui ait: *Sacerdotes tui induantur iustitiam:* Psal. 131. vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, ut vitæ viam, cum linguæ sonitu, ipsa quoque bona opera sacerdotis clament. Nos quia infirmi homines sumus, cum Deo de hominibus loquimur, debemus primum meminisse quid sumus: ut ex propria infirmitate pensemus, quo docendi ordine infirmos fratres consolemur. Consideremus igitur, quia aut tales sumus, quales nonnullos corrigimus: aut tales aliquando fuimus, etsi jam divina gratia operante non sumus: ut tanto eos temperantius corde humili corrigamus, quanto nosmetipsos verius in his, quos emendamus, agnoscimus. Si nos sacerdotes tales nec sumus, nec fuimus, quales adhuc illi sunt, quos emendare curamus: ne cor nostrum forte superbiat, & de ipsa innocentia in pejus ruat, quorum mala corrigimus, alia eorum bona nobis ante oculos revocemus: quæ si omnino nulla sunt, ad occulta Dei iudicia recurramus. Quia sicut nos nullis meritis hoc ipsum bonum, quod habemus, accipimus: ita illis quoque potest gratia supernæ virtutis infundere, ut excitati posterius, etiam possint ipsa bona quæ nos ante accepimus, prævenire. Quis enim crederet, quod per apostolatus meritum Saulus lapidatum Stephanum præcursurus erat, qui in morte eius lapidantium vestimenta servabat? His ergo primum cogitationibus humiliari cor debet, & tunc demum delinquentium iniquitates increpare.

XXV.

Isidori. l. 3. Sent. c. 44.

Pro malo merito plebis, aufertur doctrina prædicationis: pro bono merito audientis, tribuitur sermo doctoris. In potestate divina consistit, cui velit Deus doctrinæ verbum dare, vel cui auferre: & hoc aut pro dicentis, aut pro audientis fit merito, ut modo pro culpa plebis auferatur sermo doctoris, modo pro utilitate rectoris tribuatur. Nam & bonus docet bonum, & malus malum: & bonus malum, & malus bonum: quod tamen fit juxta meritum populorum. Non omnia tempora congruunt doctrinæ, secundum

LIBER I. secundum Salomonis sententiam dicentis : *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Non quidem per timorem, sed per discretionem, propter malorum incorrigibilem iniquitatem, nonnunquam electos oportet a doctrina cessare. Interdum doctores ecclesiæ calore caritatis ardentes, conticescunt a docendo, quia non est qui audiat, testante propheta: *Civitates Austri clausæ sunt, & non est qui aperiat.* Qui docendi accipit officium, interdum ad tempus facta proximi taceat; quæ statim corrigere nequaquam existimat. Nam si corrigere potest & dissimulat, verum est quod consensum erroris alieni habeat. Plerique sancti doctores pro mali pertinacia, quia iniquos emendare nequeunt, his tacere disponunt: sed calorem spiritus quo aguntur, ferre non sustinentes, iterum in increpationem prosiliunt impiorum.

Eccles. 3. Hier. 13.

XXVI.

Prosperi De vita cõtemplat. lib 1. c. 20. 2. Thess. 3.

Quod vero dicit Apostolus, ut nos formam debeamus exhibere fidelibus, quid valebit, si is cui vel exhortandi bonos, vel castigandi malos cura commissa est, bene vivendo se imitandum bonis exhibeat, & malos tacendo non arguat? Ad hoc enim (nisi me fallit opinio) sancte vivendum est sacerdoti, ne dicta sua repugnantibus factis evacuet. Si quod prædicat fieri debere, non faciat, aut si quod non facit, prædicare præsumpserit; nihil apud eos qui eius vitam novere, proficiet. Quia ad hoc est ecclesiæ Dei præpositus, ut non solum bene vivendo alios exemplo suæ conversationis instituat, sed etiam fiducialiter prædicando singulis ante oculos peccata sua constituat: quæ pœna maneat duris, quæ gloria obedientibus, ostendat, nullius salutem desperando contemnat, animas emendari nolentium plangat, imitatus Apostolum qui ait: *Vt lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam.* & iterum: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Quapropter sciens quod si quibuslibet divitibus ac potentibus male viventibus parcat, aut foveat eos, perdat simul & pereat, & sancte debet vivere propter exemplum, & pie docere propter suæ administrationis officium: certus quod ei nihil sua iustitia suffragetur, de cujus manu anima pereuntis exigitur. Quando quicumque alius perierit, quem nulla docendi necessitas manet, solus pœnas sui sceleris dabit. Ille autem cui dispensatio verbi commissa est, etiam si sancte vivat, & tamen perdite viventes arguere aut erubescat, aut metuat, cum omnibus qui eo tacente perierint, perit. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? Mentior, nisi hoc dominus per Ezechielem prophetam sub cujusdam terroris denuntiatione loquitur, dicens ad eum: *Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel.* Nec hoc transeunter debemus audire, quod sacerdotem speculatorem appellat: ut sicut speculatoris est, de loco editiore prospicere, & plus omnibus contemplari, ita sacerdos debet esse propositi sublimitate celsior cunctis, ac majoris scientiæ habere gratiam, qua possit sub se viventes instruere. Videamus jam quid diuinus sermo contineat. *Audies*, inquit, *sermonem ex ore meo, & annuntiabis eis ex me*: ut hoc dicat sacerdos, quod ex divina lectione didicerit, quod illi Deus inspiraverit, non quod præsumptione humani sensus invenerit. *Annuntiabis eis*, inquit, *ex me.* Ex me, & non ex te, mea verba loqueris eis: non est quod ex eis tamquam de tuis infleris: ex me, inquit, eis annuntia. Sed jam quid annunciet, audiamus. *Si me dicente ad impium, Impie, morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem vero eius de manu tua requiram.* Quid expressius, quid apertius potest dici? Si impio, inquit, locutus non fueris, ut se ab impietate custodiat, & ille perierit: sanguinem eius de manu tua requiram. Hoc est dicere: Si ei peccata sua non annuntiaveris, si eum non argueris, ut ab impietate sua convertatur, & vivat: & te qui non increpasti, & ipsum qui te tacente peccavit, flammis perennibus perdam. Quis rogo, tam saxei pectoris, qui tam ferreus erit, quem sententia ista non terreat? quis tam alienus a fide, qui sententiæ isti non credat?

1. Cor. 12. 2. Cor. 11. Ezech. 3. Ezech. 3.

ANNO CHRISTI 816.

XXVII.

Gregorii Pastor. lib. cap. 2.

Sunt nonnulli, qui solerti cura spiritalia præcepta perscrutantur: sed quæ intelligendo penetrant, vivendo conculcant. Repente docent, quæ non opere, sed meditatione didicerunt: & quod verbis prædicant, moribus impugnant. Vnde fit, ut cum pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur. Per prophetam Dominus contra contemptibilem pastorum scientiam queritur dicens: *Cum ipsi limpidissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris conculcabatis: & oves meæ, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur, & quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant.* Aquam nempe limpidissimam pastores bibunt, cum fluenta veritatis recte intelligentes hauriunt. Sed eamdem aquam perturbare, est sanctæ meditationis studia male vivendo corrumpere. Aquam scilicet pastorum turbatam pedibus oves bibunt, cum subiecti quique non sectantur verba quæ audiunt, sed sola quæ conspiciunt, exempla pravitatis imitantur. Qui cum dicta sitiunt, & per opera pervertuntur, quasi corruptis fontibus, in potibus lutum sumunt. Nemo amplius nocet in ecclesia, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit: & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Qui ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo ceteros destruit, vel exemplo, melius profecto fuerat, ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quam sacra officia in culpa ceteris imitabilem demonstrarent: qui nimirum si solus caderet, utcumque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret. Sæpe suscepta cura regiminis, cor per diversa intuendo diverberat: & impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur ad multa. Vnde quidam sapiens prouide admonet, dicens: *Fili, ne in multis sint actus tui.* Quia videlicet nequaquam plene in uniuscujusque operis ratione colligitur, dum mens per diversa sparsa partitur. cumque foras per insolentem curam trahitur, a timoris intimi soliditate vacuatur. Dum etiam mens in exteriorum fit dispositione solicita, sui est solummodo ignara: & scit multa cogitare, se nesciens. Nam cum plus, quam necesse est, se exterioribus implicat, quasi occupata in itinere, obliviscitur quo tendebat: ita ut ab studio suæ inquisitionis alienata, ne ipsa quidem, quæ patitur, damna consideret, & per quanta delinquat, ignoret. Ezechias rex peccare se minime credidit, cum venientibus ad se alienigenis, cellas aromatum ostendit: sed in damnationem secuturæ prolis,

Ezech. 34. Ibid. c. 4. Eccles. 11. Isa. 39.

prolis, ex eo iram judicis pertulit; quod se licenter facere existimavit. Sæpe enim dum multa suppetunt, dumque agi possunt, subjecti quæ acta sunt, admirantur, in cogitatione se animus elevat, & plene in se iram judicis provocat, quamvis per iniqua foras opera non erumpat. Intus quippe est qui judicat, intus quod judicatur. Cum ergo in corde delinquimus, latet homines quod apud nos agimus: sed tamen ipso judice teste peccamus. Hæc proferentes, non potestatem regiminis reprehendimus: sed ab appetitu illius cordis infirmitatem munimus, ne imperfecti quique culmen arripere regiminis audeant: & qui in planis stantes titubant, in præcipiti pedem ponant. Cæcus pastor est, qui supernæ luminis contemplationis ignorat, qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicit, quo gressum operis ponat, nescit. Claudus vero rector est, qui quidem, quo pergere debeat, aspicit: sed per infirmitatem mentis, vitæ viam perfecte nen valet tenere quam videt: quia ad virtutis statum dum fluxa consuetudine non erigitur, quo per desiderium innititur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur. Parvo autem naso est, qui ad tenendam mensurā discretionis idoneus non est. Naso quippe odores fœtoresq; discernimus. Recte ergo per nasum discretio exprimitur, per quā virtutes eligimus, delicta reprobamus. Sed sunt nonnulli, qui dum æstimari se hebetes nolunt, sæpe se in quibusdam inquisitionibus, plusquam necesse est, exercentes, ex nimia subtilitate falluntur. Unde hic quoque subditur: *Vel grandi & torto naso*. Nasus etenim grandis & tortus, est discretionis subtilitas immoderata. Quæ dum plus, quam decet, excreverit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit. Fracto autem pede vel manu est, qui viam Dei pergere omnino non valet, atque a bonis actibus funditus exors vacat: quatenus hæc non ut claudus saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omnimodo alienus existat. Gibbus vero est, quem terrenæ solicitudinis pondus deprimit, ne unquam ad superna respiciat, sed solis his, quæ in infimis calcantur, intendat. Qui etsi aliquando aliquid ex bono patriæ cælestis audierit, ad hoc nimirum perversæ consuetudinis pondere prægravatus, cordis faciem non attollit: quia cogitationis statum erigere non valet, quem terrenæ solicitudinis usus curvum tenet. Lippus namque est, cujus quidem ingenium ad agnitionem veritatis emicat, sed tamen hoc carnalia opera obscurant. In lippis quippe oculis pupillæ sanæ sunt: sed humore defluente infirmatæ palpebræ grossescunt. Quæ quia infusione crebra atteruntur, acies pupillæ vitiatur. Et sunt nonnulli, quorum sensum carnalis vitæ operatio sauciat, qui videre recta subtiliter per ingenium poterant, sed usu pravorum actuum caligant. Lippus itaque est, cujus sensum natura exacuit, sed conversationis pravitas confundit. Cui bene per angelum dicitur: *Collyrio injunge oculos tuos, ut videas*. Collyrio quippe oculos, ut videamus, inungimus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem, intellectus nostri aciem medicamine bonæ operationis adjuvamus. Albuginem tolerans, nihil videt: albuginem habet sacerdos in oculo, qui veritatis lucem videre non sinitur, quia arrogantia sapientiæ, sive justitiæ cæcatur. Pupilla namque oculi nigra, videt: albuginem tolerans, nihil videt: quia videlicet sensus humanæ cogitationis, si stultum se peccatoremque intelligit, cognitio-

A nem intimæ claritatis apprehendit: si autem candorem sibi justitiæ, sive sapientiæ tribuit, a luce se supernæ cognitionis excludit: & eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quo se apud se per arrogantiam exaltat; sicut de quibusdam dicitur: *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt*. Iugem vero habet scabiem in corpore, cui carnis petulantia sine cessatione dominatur in mente. In scabie etenim fervor viscerum ad cutem trahitur, per quam recte luxuria designatur: quia si cordis tentatio usque ad operationem prosilit, nimirum fervor intimus usque ad cutis scabiem prorumpit. Et foris jam corpus sauciat: quia dum in cogitatione voluntas non re- B primitur: etiam in actione dominatur. Quasi enim cutis pruriginem Paulus curabat abstergere, cum dicebat: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana*. Ac si aperte diceret: Humanum quidem est, in corde tentationem perpeti: dæmoniacum vero est, tentationis certamine in operatione superari. Impetiginem quoque habet in corpore, quisquis avaritia vastatur in mente. Quæ si in parvis non compescitur, nimium sine mensura dilatatur. Impetigo quippe sine dolore corpus occupat, & absque occupati tædio excrescens, membrorum decorem fœdat: quia & avaritia captivam animam, dum quasi delectat, exulcerat: dum adipiscenda quæque cogitationi objicit, ad ini- C micitias accendit: & dolorem in vulnere non facit, quia æstuanti animo ex culpa abundantiam promittit. Decor membrorum per impetiginem perditur, quia aliarum quoque virtutum per avaritiam pulchritudo depravatur. Et quasi totum corpus exasperat, quia per universa vitia animum supplantat, Paulo attestante qui ait: *Radix omnium malorum est cupiditas*. Ponderosus est, qui turpitudinem non exercet opere, sed tamen ab hac cogitatione continua sine moderamine gravatur in mente. Qui nequaquam usque ad opus quidem nefarium rapitur, sed ejus animus voluptate luxuriæ, sine ullo repugnationis obstaculo, delectatur. Vitium quippe est ponderis, cum humor viscerum ad virilia labitur, quæ profecto D cum molestia dedecoris intumescunt. Ponderosus ergo est, qui totis cogitationibus ad lasciviam defluens, pondus turpitudinis gestat in corde. Et quamvis prava non exerceat opere, ab his tamen non evellitur mente: nec ad usum boni operis in aperto valet assurgere, quia gravat hunc in abditis pondus turpe. Quisquis ergo quolibet horum vitio subigitur, panes domino offerre prohibetur: ne profecto diluere aliena delicta non valeatis, quem adhuc propria devastant. Cum sacerdos non agit bona quæ loquitur, ei etiam sermo subtrahitur, ne loqui audeat quod non operatur, sicut per Prophetam dicitur: *Peccatori au-* E *tem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Unde etiam deprecatur, dicens: *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque*. Perpendit namque, quod omnipotens Deus veritatis verbum facientibus tribuit, & non facientibus tollit. Qui ergo hoc de ore suo non auferri petiit, quid aliud quam gratiam bonæ operationis quæsivit? Ac si aperte diceret: A bono opere errare me non sinas, ne, dum amitto ordinem bene vivendi, rectitudinem perdam loquendi. Plerumq; doctor qui docere audet quod negligit agere, cum desierit bona loqui quæ operari contempsit, docere subjectos incipit prava quæ agit: ut justo omnipotentis Dei judicio, in bono jam nec linguam habeat, qui habere

Rom. 1.
1. Cor. 10.
1. Tim. 6.
Moral. 11. cap. 9.
Psal. 49.
Psal. 118.
Moral. 11. cap. 10.

ANNO CHRISTI 816.

habere bonam vitam recusat: quatenus dum mens ejus terreno amore incenditur, de terrenis rebus semper loquatur. Unde in euangelio veritas dicit: *Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.* Hinc & Ioannes ait: *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur.*

Matth. 12.

1 Ioan. 4.

XXVIII.

Prosperi De vita contempl. lib. 1. cap. 13.

Recolite ergo, quanta & qualia, me audiente atque probante, dicere solebatis de administratione pontificis, qui populi sibi commissi cura posthabita, ardentius bona præsentia desiderat, quam futura: & oblitus quod non solum de se, sed etiam de grege sibi credito, rationem pastori pastorum omnium reddet, sua suorumque detrimenta non cogitat. Quem non delinquentium peccata contristant, nec proficientium bona lætificant, sed de se tantum, plerumque autem nec de se omnino solicitus, quid a suis boni malive geratur, ignorat. Qui non prædicat perseverantiam justis, pœnitentiam pravis, contemptum mundi conversis, futuras pœnas aversis. Qui non potest dicere contemptoribus admonitionis suæ, Futurum cogitate judicium, quod ipse forte non cogitat. Amatoribus mundi, Nolite diligere mundum, si eum mundi amor oblectat. Ambitiosis, Ambitioni jam finem imponite, si eum ambitio ruinosa præcipitat. Ebriosis, Ebrietatem cavete, si se mero usque ad alienationem mentis ingurgitat. Sumptuosis dapibus gravidus, non potest suis abstinentiam laudare, quam calcat. Vitio cupiditatis addictus, cupidis amorem non potest dissuadere pecuniæ. Inimicitiarum tenax, non valebit animos dissidentium sacerdotali tranquillitate componere. Iustitiā prædicare judicibus erubescit, quam ipse personæ potentis favore corrumpit: nec defendit oppressos, si personas aut honorat, aut despicit: & quidquid boni non facit, aut mali committit, nec jubebit fieri, nec vetabit: quia necessariam docendi auctoritatem, contrarietate suæ actionis, aut amittit aut minuit.

i. Ioan. 2.

XXIX.

Isidori lib. 3 Sent. cap 37.

Interdum doctoris vita etiam ipsa verax doctrina vilescit: & qui non vivit sicut docet, ipsam, quam prædicat, veritatem contemptibilem facit. Arcus perversus est lingua magistrorum docentium bene, & viventium male: & ideo quasi ex perverso arcu sagittam emittunt, dum suam pravam vitam propriæ linguæ ictu confodiunt. Qui bene docet, & male vivit, tamquam æs, aut cymbalum, sonitum facit aliis, ipse tamen sibi manet insensualis. Qui bene docet, & male vivit, quod docet, bene viventibus proficit: quod vero male vivit, se ipsum occidit. Sicut sacerdos, qui si digne se agit, ut sacerdotem decet, ministerium ejus & ipsi & aliis utile est. Indigne autem vivens, aliis quidem utilis est loquendo, se autem interficit prave vivendo. Ac per hoc, quod in illo mortuum est, proprium ejus est: quod vero vivit in eo, id est, sacrum ministeriū, alienum est. Qui bene docet, & male vivit, videtur ut cereus, qui aliis bonam novit lucē præstare, se vero in malis suis consumere atq; extinguere. Qui bene docet, & male vivit, videtur bonum malo conjungere, lucem tenebris miscere, veritatem mendacio mutare.

XXX.

Ibid. c. 38.

Sæpe per quos justitia docetur, per ipsos peccati morbus irrepit, & mors ad plebes pertransit: scilicet vel dum mala docēt, vel dum faciunt prava. Plerique sacerdotes & clerici prave viventes, forma ceteris in malum existunt, qui in bonis exemplum esse debuerunt. Hi enim quoscumque exemplo malæ conversationis suæ perdunt, de illis rationem sine dubio reddituri sunt. Ex carnalium præpositorum exemplo, plerumque fit vita deterior subditorum: & plebis merito fiunt tales sacerdotes, qui exemplo deteriore populum destruant, non ædificent. Ex merito enim plebis nonnunquam episcopi depravantur, quatenus proclivius corruāt qui sequuntur. Capite lāguescente, cetera corporis membra inficiuntur. Unde & scriptum est: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Caput enim languidum, doctor est agens peccatum: cujus malū ad corpus pervenit, dum eo vel peccante, vel prave docente, pestifer languor ad plebes subditas transit. Deteriores sunt, qui sive doctrinis, sive exemplis vitā moresq; bonorum corrumpunt, his qui substantias aliorū prædiaque diripiunt. Hi enim ea quæ extra nos, sed tamen quæ nostra sunt, auferunt. Corruptores vero morū, proprie nos ipsos diripiunt: quoniam divitiæ hominum justorum, mores eorum sunt. Multum ergo distant damna morum, a damnis temporalium rerum, dum ista extra nos sint, mores vero in nobis.

Isa. 1.

XXXI.

Ibid. c.

Providentia plerumque divini consilii ordinantur præpositi mundana & exteriora sectantes, ut dum temporalibus rebus se totos impendunt, spiritales tutiorem vitam contemplationis exerceant. Quia duræ sunt quiete vivere volentibus sarcinæ curarum episcopalium, providet sæpe Deus curis deditos sæcularibus ad susceptionem regiminis: ut dum hi exteriora sine tædio procurant, spiritales rebus interioribus sine impedimento rerum terrenarum deserviant. Dei ergo ordinem accusant, a quo instituuntur, qui episcopos condemnant, dum minus spiritualia, sed magis terrena sectantur. Ex divina enim constat tabernaculi dispositione, ob injurias mundi ferendas & turbines, quosdam institui episcopos, sæcularibus curis insistentes: ut hi qui interius superna desiderant, nullo terreno obsistente negotio, liberius hoc quod amant, intendant. Non est itaque judicandus a plebe rector inordinatus, dum magis noverint populi, sui fuisse meriti, perversi regimen suscepisse pontificis. Nam pro meritis plebium, disponitur a Deo vita rectorum. Exemplo David peccant, ad comparationem principum, qui ex merito plebis prævaricantur. Sententia damnantur Cham filii Noe, qui suorum præpositorum culpas in publico produnt, sicut Cham qui patris pudenda non operuit, sed deridenda monstravit. Habituri sunt Sem meritum & Iaphet, qui reverenter operiunt quæ patres suos excessisse cognoscunt, si tamen patrum facta non diligant, sed tantum operiant, nec imitentur. Nam sunt qui præpositos suos perverse judicant, dum terrenis studiis eos plus viderint esse intentos, si vel parum jam ipsi de spiritalibus cognoverint. Rectores ergo judicandi a Deo sunt, a suis autem subditis nequaquam judicandi sunt, exemplo domini, qui per se vendentes columbas & nummulariorum mensas proprio evertit flagello, & projecit a templo. vel etiam sicut dicit Psalmista: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit.* Quod si a fide exorbitaverit rector, tunc erit arguendus a subditis. Pro moribus vero reprobis tolerandus magis, quam distringendus a plebe est.

Gen. 9.

Ioan. 2.

Psal. 81.

XXXII.

Sed nos præsentibus delectati, dum in hac vita commoda

ANNO CHRISTI 816.

commoda nostra & honores inquirimus, non ut meliores, sed ut ditiores, nec ut sanctiores, sed ut honoratiores simus, ceteris præesse festinamus. Nec gregem domini, qui nobis pascendus tuendusque commissus est, sed nostras voluptates, dominationem, divitias, & cetera blandimenta carnaliter cogitamus. Pastores dici volumus, nec tamen esse contendimus. Officii nostri vitamus laborem, appetimus dignitatem. Immundorum spirituū feras a grege dilacerando non pellimus: & quod eis remanserit, ipsi consumimus; quando peccantes divites vel potentes, nōn solum non arguimus, sed etiam veneramur, ne nobis aut munera solita offensi non dirigant, aut obsequia desiderata subducant. Ac si muneribus eorum, & obsequiis capti; imo per hæc illis addicti, loqui eis de peccato suo, aut de futuro iudicio formidamus: Et ideo minaciter superbiam nostram divinus sermo contundit, sed noster auditus nihil, unde proficiamus, admittit: quia præsentis vitæ capti dulcedine, quæ pœna negligentiam nostram maneat in æternum, nolumus cogitare. In pastores ergo ista dicuntur, de quorum nobis inani appellatione blandimur: *Hæc dicit dominus Deus: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus? Lac comedebatis, & lanis operiebamini. Quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit, non consolidastis: & quod ægrotum, non sanastis: quod fractum est, non alligastis: & quod abjectum, non reduxistis: quod perierat, non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia: & dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor, & factæ sunt in devoratione omnium bestiarum agri.* Et paulo post. *Propterea pastores, audite verbum domini: Vivo ego, dicit dominus Deus, quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinā, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor: neque enim quæsierunt pastores gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, & gregem meum non pascebant. Propterea, pastores, audite verbum domini: Hæc dicit dominus deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum; & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos.* Quis ad hæc non contremiscat? Quis ista sine intolerabili metu futuræ examinationis accipiat, nisi qui aut non intelligit, aut futura non credit? Sed quia omnia quæ Deus observari voluit, tam aperte posuit, & ita sui nominis auctoritate firmavit, ut ea facilius (quod dictu quoque nefas est) contemnamus, quam nos non intelligere, vel non credere, tam aperta & divina fingamus, quando audimus, *Hæc dicit dominus*, quis non futurum esse credat quod dicit dominus, nisi qui Deo non credit? Quod autem dicit, *væ pastoribus*: istud væ pro maledicto poni, & pastorū nomine nos significari, quis non intelligat, nisi qui futurū non cogitat? Greges domini pascendos pastores facti suscipimus, & nos ipsos pascimus, quando non gregum utilitati prospicimus, sed quid foveat & augeat nostras voluptates, attendimus. Lac & lanas ovium Christi, videlicet oblationes quotidianas ac decimas fidelium, gaudentes accipimus: & curam pascendorum gregum ac reficiendorum, a quibus perverso ordine volumus pasci, deponimus. Non sanamus spiritali consilio peccatis infirmum: non sacerdotali ope consolidamus, aut reficimus diversis tribulationibus fractum: non ad viam salutis revocamus errantem: non requirimus solicitudine pastorali veniæ desperatione jam perditum: ad hoc tantum potentes effecti, ut nobis in subjectos dominationem tyrannicam vindicemus, non afflictos contra violentiam potentum, qui in eos ferarum more sæviunt, defendamus. Inde est quod non tam a potentibus hujus mundi, quam a nobis (quod pejus est) nonnulli graviter fatigati depereunt: quos se de manu nostra dominus requisiturum terribiliter comminatur, dicens: *Requiram oves meas de manu pastorum, & cessare eos faciam, ut ultra jam non pascant greges meos.* Quod quid est aliud, quam pastores, qui semetipsos, non greges meos pascunt, sublimitate suæ dignitatis expoliabo, & inter reprobos, quia honorem suum noluerunt custodire, projiciam? Horum & his similium consideratione perterritus Propheta: *Timor & tremor*, inquit, *venerunt super me, & contexerunt me peccatorum meorum tenebræ. Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbæ; & volabo, & requiescam?* Et hoc est totum, propter quod imperitiæ meæ ac futuri finis recordatus ingemui, & volui sarcina episcopatus mei deposita, elongare fugiens, & manere in solitudine, & ibi expectare dominum, qui salvum me faceret a pusillanimitate mea, & ab ipsa intolerabilium mihi solicitudinum tempestate.

XXXIII.

Iracundi doctores, per rabiem furoris, disciplinæ modum ad immanitatem crudelitatis convertunt: & unde emendare subditos poterant, inde potius vulnerant. Ideo sine mensura ulciscitur culpas præpositus iracundus: quia cor ejus dispersum in rerum curis, non colligitur in amorem unius deitatis. Mens enim soluta in diversis, catena caritatis non adstringitur: sed male laxata, male ad omnem occasionem movetur.

XXXIV.

Omnis spiritalis zelus doctoris, animum frigit: quia valde cruciatur, dum infirmos quosque æterna deserere, & rebus temporalibus delectari conspicit. Nullum quippe omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum, sicut Psalmista ait: *Zelus domus tuæ comedit me.* Paulus apostolus zelo animarum cruciatus, dicebat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Ipsum suum cor, quod animarum zelo succenderat, quid aliud quam quasi sartaginem fecerat, in qua amore virtutum contra vitia ardebat? Quod enim urebatur, sartago erat. Inardescebat enim & coquebatur, quia incendebatur amaritudine, sed virtutum alimenta præparabat ex sua afflicta cogitatione. Sed quid est quod Ezechiel propheta eamdem sartaginem inter se & civitatem murum ferreum ponit, nisi quod idem fortis zelus, qui nunc in mente doctoris agitur, in die extremi judicii inter eum & animā quam a vitiis zelatur, testis est? ut & si audire is qui docetur noluerit, doctor tamen pro zelo quē exhibet; de auctoris negligentia reus non sit? Murum ergo ferreum propheta inter se & civitatem ponit; quia in ultionis tempore, inde doctor a damnationis periculo munitur, unde nunc per zelum custodiæ cordis frixuram patitur. Quantum vero frixura cordis, quæ spiritali zelo agitur, omnipotenti Deo placeat, aperte ostenditur, cum offerri per legem simila in sacrificium jubetur. Scriptum quippe est: *In sartagine oleo conspersa frigetur, offeretque eam calidā in odore suavissimum domino sacerdos, qui patri jure successerit, & tota cremabitur in altari.* Tūc simila in

Margin notes: Ex Iuliano Pomerii de vita contempl. lib. 1. cap. ...; Ezech. 34.; Psal. 54.; Isidori lib. 3. Sent. cap. 46.; Gregorii lib. 1 Super Ezech homil. 12.; Psal. 68.; 2. Cor. 11.; Cap. 4.; Levit. 6.

ANNO CHRISTI 816

A in ſartagine frigitur, cum munda mens juſti per zeli ſancti ardorem crematur. Quæ conſpergi oleo præcipitur, id eſt caritatis miſericordia miſceri, quæ in conſpectu omnipotentis Dei ardet & lucet. Conſpergatur ergo oleo mens, quæ in ſartagine frigitur: quia ſancti zeli diſtrictio neceſſe eſt ut ex miſericordiæ virtute & ardeat & clareſcat. Amat enim eumdem ipſum, quem inſequi videtur. Vnde & calida in odorem ſuaviſſimum domino offerri præcipitur: quia ſi amorem zelus non habet, ea quæ de ſartagine offertur, calorem ſimila amiſit. Notandum valde eſt, quis ſimilam offerre præcipitur, videlicet ſacerdos qui patri jure ſucceſſerit. Ille enim ſacerdos patri jure ſuccedit, qui ſe eſſe omnipotentis domini filium moribus demonſtrat, atque a nobilitate intima operum ſuorum ignobilitate non diſcrepat. B Quæ in altari tota cremari præcipitur, ut videlicet holocauſtum fiat. Simila itaque in ſartagine, eſt munda mens juſti in zeli ſpiritalis afflictione, quæ per ſolicitudinem animarum frigitur: & non ſolum ſacrificium, ſed etiam holocauſtum domino eſſe deputatur. Sumamus igitur ſartaginem ferream, & ponamus eam murum ferreum inter nos & civitatem, id eſt, aſſumamus zelum fortem, ut inter nos & auditoris noſtri animum inveniamus hanc poſtmodum fortem munitionem. Tunc enim hunc murum ferreum inventuri ſumus, ſi nunc eum fortiter tenemus, videlicet docendo, C cuſtodiendo, ſuadendo, increpando, mulcendo, terrendo, aliquando leniter, aliquando vero & ſeverius agendo. De qua ſeveritate per Ezechielem

Ezech. 4 recte ſubditur: *Et obſervabis faciem tuam ad eam, & erit in obſidionem.* Quid eſt, obfirmare faciem ad Ieruſalem in latere deſcriptam, niſi ut ei animæ, cui cæleſtis pacis viſionem doctor denuntiat, ſi adhuc eam infirmari in ſuis actibus conſpicit, remiſſiorem & clementiorem ſe minime

Eccl. 7. oſtendat? Vnde ſcriptum eſt: *Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas.* Infirmæ quippe animæ, atque appetitui mundi deditæ, aliquando melius ex ſeveritate ſeruantur, ut obfirmata facies, id eſt, per ſeveritatis cuſtodiam ab omni ſpe frivolæ remiſſionis abducta, inconſtantem animam terreat, D atque a delectatione vitiorum, diſtrictionis vigore conſtringat. Quod cum a doctore agitur, ſemper neceſſe eſt, ut dulcedo & humilitas in corde teneatur; quatenus & multum amet, & nunquam contra eum per elationem ſuperbiat: cui tamen amorem ſuum & humilitatem pro utilitate ejus prodere recuſat. Sequitur: *Et circumdabis eam.* Circumdat doctor auditoris animam, cum in omne quod in hac vita agitur, tentationum laqueos apponi poſſe denuntiat: ut dum ubique fit mens pavida, ubique circumſpecta, quanto timidior, tanto vigilantior vivat. Ipſe namque zelus rectitudinis, dum inquietudine E

Moral lib. 5. cap 33. mentem agitat, ejus mox aciem obſcurat, ut altiora in commotione non videat, quæ bene prius tranquilla cernebat. Sed inde ſubtilius ad alta reducitur, unde ad tempus, ne videat, reverberatur. Nam ipſa recti æmulatio, æterna poſt paululum in tranquillitate largius aperit, hic interim per commotionem claudit: & unde mens turbatur ne videat, inde proficit, ut ad videndum verius clareſcat. Sicut infirmati oculo cum collyrium immittitur, lux penitus negatur: ſed inde eam poſt paululum veraciter recipit, unde hanc ad tempus ſalubriter amittit. Nunquam vero commotioni contemplatio jungitur; nec prævalet mens perturbata conſpicere, ad quod vix tranquilla valet inhiare: quia nec ſolis radius cernitur, cum commotæ nubes cæli faciem obducunt, nec turbatus fons reſpicientis imaginem reddit, quam tranquillus proprie oſtendit: quia quo ejus unda palpitat, eo in ſe ſpeciem ſimilitudinis obſcurat. Sed cum per zelum animus movetur, curandum ſummopere eſt, ne hæc eadem, quæ inſtrumento virtutis aſſumitur, menti ira dominetur: nec quaſi domina præeat, ſed velut ancilla ad obſequium parata, a rationis tergo nunquam recedat. Tunc enim robuſtius contra vitia erigitur, cum ſubdita rationi famulatur. Nam quantumlibet ira ex zelo rectitudinis ſurgat, ſi immoderata mentem vicerit, rationi protinus ſervire contemnit. Et tanto ſe impudentius dilatat, quanto impatientiæ vitium virtutem putat. Vnde neceſſe eſt, ut hoc ante omnia, qui zelo rectitudinis movetur, attendat, ne ira extra mentis dominium tranſeat, ſed in ultione peccati tempus modumque conſiderans, ſurgentem animi perturbationem ſubtilius retractando reſtringat, animoſitatem reprimat, & motus fervidos ſub æquitate diſponat: ut eo fiat juſtior ultor alienus, quo prius extitit victor ſuus. Qui zelo rectitudinis movetur, ſic culpas delinquentium corrigat, ut ante ipſe qui corrigit, per patientiam creſcat, ut fervorem ſuum tranſcendendo dijudicet, ne intemperanter excitatus, ipſo zelo rectitudinis longe a rectitudine aberret.

XXXV.

Expedit facultates eccleſiæ poſſideri & proprias perfectionis amore contemni. Non enim propriæ ſunt, ſed communes, eccleſiæ facultates: Proſperi de vita contempl. l. 2 cap. 9. & ideo quiſquis omnibus, quæ habuit, dimiſſis aut venditis, fit rei ſuæ contemptor, cum præpoſitus fuerit factus eccleſiæ, omnium quæ habet eccleſia efficitur diſpenſator. Denique ſanctus Paulinus, (ut ipſi melius noſtis) ingentia prædia quæ fuerant ſua, vendita pauperibus erogavit. Sed cum poſtea factus fuiſſet epiſcopus, non contempſit eccleſiæ facultates, ſed fideliſſime diſpenſavit. Quo facto ſatis oſtendit, & propria debere propter perfectionem contemni, & ſine impedimento perfectionis, poſſe quæ ſunt communia eccleſiæ poſſideri. Quid ſanctus Hilarius? Nonne & ipſe omnia ſua, aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogavit? Is tamen, cum merito perfectionis ſuæ fieret eccleſiæ Arelatenſis epiſcopus, quod illa tunc habebat eccleſia non ſolum poſſedit, ſed etiam acceptis fidelium numeroſis hereditatibus ampliavit. Iſti ergo tam ſancti, tamque perfecti pontifices, factis evidentibus clamant, poſſe & debere fieri quod fecerunt. Qui utique homines tam ſæcularium, quam divinarum literarum ſine ambiguitate doctiſſimi, ſi ſcirent res eccleſiæ debere contemni, nunquam eas haberent qui omnia ſua reliquerant. Vnde datur intelligi, quod tales ac tanti viri, qui volentes fieri Chriſti diſcipuli, renuntiaverunt omnibus quæ habebant, non ut poſſeſſores, ſed ut procuratores, facultates eccleſiæ poſſidebant. Et idcirco ſcientes nihil aliud eſſe res eccleſiæ, niſi vota fidelium, precia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vendicaverunt in uſus ſuos, ut proprias; ſed ut commendatas, pauperibus diviſerunt. Hoc eſt enim poſſidendo contemnere, non ſibi, ſed aliis poſſidere, nec habendi cupiditate eccleſiæ facultates

facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere. Quod habet ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune. Nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, erogat: quando nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere.

XXXVI.

Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant, testante domino ad prophetam: *Speculatorem domui Israel dedi te. Si non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ille in iniquitate sua morietur, sanguinem vero ejus de manu tua requiram.* Sic enim Heli sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est, licet eos delinquentes admonuit, sed tamen non ut oportebat redarguit. Sacerdotes exquirere debent peccata populorum, & sagaci sollicitudine unumquemque probare juxta testimonium domini ad Ieremiam loquentis: *Probatorem*, inquit, *dedi te in populo meo robustum: & scies, & probabis vias eorum.* Sacerdotes studio corrigendi facta perscrutari debent subjectorum, ut emendatos lucrifacere possint. Sicut autem peccatorem convenit argui, ita justum non exulcerari. Sacerdotes curam debent habere de his qui pereunt, ut sacerdotali redargutione, aut corrigantur a peccatis, aut si incorrigibiles existunt, ab ecclesia separentur. Atrociter arguuntur, qui decipiendo peccantes, non solum non arguunt pro peccato, sed etiam adulanter decipiunt, dicente propheta: *Et erunt qui beatificant populum istum, seducentes: & qui beatificantur, præcipitati.* Atrociter iterum arguuntur, qui peccantem non recipiunt, sed despiciunt & spernunt, nec alterius delictum, tamquam proprium, ingemiscunt. De talibus per Isaiam dominus comminans, dicit: *Qui dicunt, recede a me: non appropinques mihi, quia immundus es, isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.* Inde est quod & apostolus omnibus omnia factus est, non imitatione erroris, sed compassionis miseratione, scilicet ut ita vitia aliena fleret, quemadmodum si tali & ipse implicaretur errore. Boni pastores populi debent delicta deflere, & totos se planctibus tradere, imitantes Ieremiam prophetam dicentem: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei?* Tamquam propria igitur delicta, plebis peccata sacerdos flere debet: sed affectu compatiendi, non actione commissi. Nonnulli præsules gregis, quosdam pro peccato a communione ejiciunt, ut pœniteant: sed quali sorte vivere debeant, ad melius exhortando non visitant. Quibus congrue increpans sermo divinus comminatur: *Pastores qui pascunt populum meum, vos dispersistis gregem meum: ejecistis, & non visitastis eos. Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum.* Bonorum studia sacerdotum, multa diligentia etiam parva plebium facta perquirunt: ut dum in minimis subditorum peccatis se acerrimos præstant, de majoribus malis cautos sibi subditos, ac solicitos faciant. Sicut medici morbos imminentes curandos suscipiunt, futuros vero, ne irrepant, medicinæ objectu quadam præscientia antecedunt: ita & doctores boni sic ea, quæ male acta sunt, resecant, ut ea quæ admitti possunt, ne perpetrentur, doctrina sua succurrente præveniant. Qui blando sermone castigatus non corrigitur, acrius necesse est ut arguatur. Cum dolore enim abscindenda sunt, quæ leniter sanari non possunt. Admonitus secretim si corrigi de peccato negligit, ut vulnus quod occulte sanari nescit, manifeste debeat emendari. Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda. Palam enim sunt arguendi, qui palam nocent, ut dum aperta objurgatione sanantur, hi qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Dum unus corripitur, plurimi emendantur. Necesse est enim, ut pro multorum salvatione unus condemnetur, quam pro unius licentia multi periclitentur. Ita erga delinquentem sermo est proferendus, sicut ejus qui corripitur expostulat salus. Quod si opus est aliquam medicamenti salutem verbo increpationis aspergere, lenitatem tamen corde opus est retinere. Doctores nonnunquam duris feriunt increpationibus subditos, qui tamen a caritate eorum quos corripiunt, non recedunt. Sæpe ecclesiæ censura arrogantibus videtur esse superbia: & quod a bonis pie fit, crudeliter fieri putatur a pravis: quia non discernunt recto oculo, quod a bonis recto fit animo. Notandum ab omni pontifice vehementer, ut tanto cautius erga commissos agat, quanto durius a Christo judicari formidat. Nam sicut scriptum est, *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Quotidie namque omnes delinquimus, & in multis erroribus labimur. Qui enim in nostris delictis clementes sumus, in alieno peccato rigorem tenere nequaquam debemus. Multi aliorum vitia cernunt, sua non aspiciunt. & cum ipsi maximis criminibus obnoxii teneantur, minora peccata fratribus non dimittunt. Hypocritæ trabem in oculo suo consistentem non sentiunt, & hærentem festucam in lumine fratris intendunt. Facilius reprehendimus vitia aliena, quam nostra. Nam sæpe quæ perversa in aliis judicamus, in nobis nocibilia esse minus sentimus: & quod in aliis reprehendimus, agere ipsi non erubescimus. Facilius vitia uniuscujusque, quam virtutes, intendimus: nec quid boni quisque gesserit cupimus agnoscere, sed quid mali egerit, perscrutamur.

Matth. 7. Iacob. 3.

XXXVII.

Prædicatores sancti, qui districtum Dei judicium metuunt, animarum judices fiunt: & alios damnant & liberant, qui semetipsos damnari metuebant. Horum profecto nunc in ecclesia episcopi locum tenent: solvendi atque ligandi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor pontificalis, sed grave pondus istius est honoris. Durum quippe est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex vitæ fiat alienæ. Plerumque contingit, ut ipse judicii locum teneat, cui ad locum vita minime concordat. Ac proinde sæpe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat. Sæpe in solvendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Unde fit, ut ipsa & ligandi & solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subjectorum meritis, exercet. Sæpe fit, ut erga quemlibet proximum odio vel gratia moveatur pastor. Iudicare autem digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia, vel gratiam sequuntur. Unde recte per prophetam dicitur: *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt.* Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat: & non victurum vivificare nititur, qui reum a supplicio absolvere conatur. Deus omnipotens, ut nos a præcipitata sententiæ prolatione compesceret, cum omnia nuda & aperta sint oculis ejus, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare,

Gregorii Homil. 26. in Ioan. 20.

Ezech. 23.

Moral. 19. cap. 14.

Anni Christi 816.

judicare, qui ait: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam & videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* (Genes. 18.) Omnipotens itaque dominus, & omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere, quam probare. Quid hoc exemplo nisi nos admonemur, ne ad proferendam sententiam unquam præcipites esse debeamus, ne temere indiscussa judicemus, ne qualibet mala audita nos moveant, ne passim dicta sine probatione credamus? (Homil. 26. in Ioan. 20.) Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est, quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur judicis. Quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat: quæ videlicet demonstrat, quia prius mortuum dominus vocavit & vivificavit, dicens: *Lazare, veni foras.* (Ioan. 11.) & postmodum is, qui vivus egressus fuerat, a discipulis est solutus, sicut scriptum est: *Cumque egressus esset qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis suis: Solvite eum, & sinite abire,* (Ibidem.) scilicet ut pastores ecclesiæ ei pœnam debeant amovere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Sub magno moderamine pastores ecclesiæ, vel solvere studeant, vel ligare. Sed utrum juste an injuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is qui subest, & cum injuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor itaque quisque vel absolvere indiscrete timeat: vel ligare. Is autem qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel injuste, nec pastoris sui judicium temere reprehendat, ne etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa quæ non erat, fiat.

XXXVIII.

(Ejusdem Homil. 4. in evang. Matth. 10. Misit Dominus. Act. 8.) Nonnulli episcoporum, donum accepti Spiritus in usum solent negotiationis inflectere, & miraculorum signa ad avaritiæ obsequium declinare. Hinc est enim, quod Simon per impositionem manus edita miracula conspiciens, percipere donum Spiritus sancti per pecuniam voluit: scilicet ut deterius venderet, quod male comparasset. (Ioan. 2.) Hinc redemptor noster flagello de resticulis facto, de templo turbas ejecit, cathedras vendentium columbas evertit. Columbas quippe vendere, est impositionem manus, qua Spiritus sanctus accipitur, non ad vitæ meritum, sed ad præmium dare. Sed sunt nonnulli, qui nummorum quidem præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum, quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt: quia de impenso officio sãctitatis, nummum favoris expetunt. Unde bene, cũ justum virum describeret Isaias propheta, ait: *Qui excutit manus suas ab omni munere.* (Isa 33.) Neque enim dicit, Qui excutit manus suas a munere, sed adjunxit, ab omni: quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio, est subjectio indebite impensa. Munus a manu, pecunia est. Munus a lingua, favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non

A solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit. Plerumque fit, ut quisque eorum vel bona corporalia ab hominibus accipere contemnat: sed quia hæc non accipit, majores ab eis recipere laudes quærat; & fortasse munus se accepisse non æstimat, qui bona corporalia accipere recusat. Sicut scriptum est superius, aliquando munus a manu, aliquando vero ab ore porrigitur. Nam qui nummum tribuit, munus ex manu dedit: qui autem verbum laudis impendit, munus ab ore protulit. Plerumque sacerdos, & si exteriora dona, quæ terrenæ forsitan necessitati congruunt, pro impositione manuum accipere recusat; plus est B quod sibi retribui appetit, cum ultra meritum laudari desiderans, munus ab ore quærit.

XXXIX.

(Ex conc. Nicæn. Can. 3. Distin. Interd. per om.) Interdixit per omnia magna synodus, non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem: nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspiciones effugiunt.

XL.

(Ex eod. concil. Can. 17. 14. q. Quoniam multi. Dist. 47. Quoniam multi. Psalm.) Quoniam multi sub regula constituti, avaritiam & turpia lucra sectantur, oblitique divinæ scripturæ, dicentis: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram,* mutuum dantes, centesimas C exigunt: juste censuit sancta & magna synodus, ut si quis inventus fuerit post hanc diffinitionem usuras accipiens, aut ex adinventione aliqua, vel quolibet modo negotium transigens, aut hemiolia, id est sescupla, exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratia, dejiciatur a clero, & alienus existat a regula.

XLI.

(Ex eod. concilio Can. 18. D. 93. ... venit ad) Pervenit ad sanctum magnumque concilium, quod in quibusdam locis & civitatibus presbyteris gratiam sacræ communionis diaconi porrigant, quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant. Nec- D non & illud innotuit, quod quidam diaconi ante episcopos sacra oblata contingant. Hæc igitur omnia resecentur, & in sua diaconi mensura permaneant, scientes quod episcoporum quidem ministri sint, inferiores autem presbyteris habeantur. Per ordinem ergo, post presbyteros gratiam sacræ communionis accipiant, aut episcopo eis, aut presbytero porrigente. Sed nec sedere in medio presbyterorum diaconis liceat: quia si hoc fiat, præter regulam & ordinem probatur existere. Si quis autem etiam post has diffinitiones obedire noluerit, a ministerio cessare debebit.

XLII.

E (Ex eodem concilio Can. 5. 11. q. 3. ... vetur ... sententia) De his qui communione privantur, seu ex clero, seu ex laico ordine ab episcopis, per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet episcopi vitio, videatur a congregatione seclusus. Ut hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari, ut communiter omnibus simul episcopis provinciæ congregatis discutiantur hujusmodi quæstiones: & sic, qui suo peccaverunt evidenter episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur, usquequo vel in communi, vel episcopo placeat humaniorem pro

pro talibus ferre sententiam. Concilia vero celebrentur, unum quidem ante quadragesimam paschæ, ut omni dissensione sublata munus offeratur Deo purissimum; secundum vero circa tempus autumni.

XLIII.

Propter multam perturbationem & seditiones quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videtur admissa, ita ut de civitate ad civitatem non episcopus, non presbyter, non diaconus transferatur. Si quis autem post diffinitionem sancti & magni concilii, tale quid agere tentaverit, & se hujuscemodi negotio manciparit, hoc factum prorsus in irritum ducatur, & restituatur ecclesiæ, cujus fuit episcopus, aut presbyter, aut diaconus ordinatus.

XLIV.

De his qui transmigrant de civitate in civitatem, episcopis aut clericis, placuit ut canones qui de hac re a sanctis patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem.

XLV.

Quicumque temere ac periculose, neque timorem Dei præ oculis habentes, nec agnoscentes ecclesiasticam regulam, discedunt ab ecclesia sibi commissa, presbyteri aut diaconi, vel quicumque sub regula prorsus existunt, hi nequaquam debent in aliam ecclesiam recipi, sed omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas parochias revertantur. Quod si non fecerint, oportet eos communione privari. Si quis autem ad alium pertinentem audacter invadere, & in sua ecclesia ordinare tentaverit, non consentiente episcopo, a quo discessit is qui regulæ mancipatur, ordinatio hujuscemodi irrita comprobetur.

XLVI.

Quoniam sunt quidam in die dominico genu flectentes, & in diebus pentecostes, ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto concilio, stantes domino vota persolvere.

XLVII.

Si quis episcopus damnatus a synodo, vel presbyter aut diaconus a suo episcopo, ausi fuerint aliquid de ministerio sacro contingere, sive episcopus, juxta præcedentem consuetudinem, sive presbyter aut diaconus, nullo modo liceat ei nec in alia synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis. Sed & communicantes ei omnes abjici de ecclesia, & maxime si postea quam didicerint adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentaverint.

XLVIII.

Et illud petendum, ut statuere dignetur, ut si quis cujuslibet honoris clericus, judicio episcoporum quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum, sive ab ecclesiis quibus præfuit, sive a quolibet homine defensari, interposita pœna damni pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem, nec sexum excusandum esse præcipiant.

XLIX.

Nullus peregrinorum sine pacificis, id est, commendatitiis suscipiatur epistolis.

L.

Non licere clericum in duarum civitatum conscribi simul ecclesiis, sed in qua ab initio ordinatus est, non ad quam confugit, quasi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes revocari debere ad suam ecclesiam, in qua primitus ordinati sunt, & ibi tantummodo ministrare. Si vero quis jam translatus est ex alia in aliam ecclesiam, prioris ecclesiæ, vel martyriorum quæ sub ea sunt, aut ptochodochiorum, aut xenodochiorum rebus in nullo communicet. Eos vero, qui ausi fuerint, post diffinitionem magnæ & universalis hujus synodi, quidquam ex his quæ sunt prohibita perpetrare, decrevit sancta synodus, a proprio hujusmodi gradu excidere.

ANNO CHRISTI 816.

quis jam translatus

LI.

Peregrinos clericos & lectores in alia civitate, præter commendatitias literas sui episcopi, nusquam penitus ministrare debere.

Ex eodem concilio. Can. 13.

LII.

Quod non oporteat sacerdotem, vel clericum, sine literis proficisci canonicis.

Ex concilio Laodicensi. Can. 41.

LIII.

Osius episcopus dixit: Hoc quoque omnibus placet, ut sive diaconus, sive presbyter, sive quis clericorum ab episcopo suo communione fuerit privatus, & ad alterum perrexit episcopum, & scierit ille ad quem confugit, eum ab episcopo suo fuisse abjectum, non oportet ut ei communionem indulgeat. Quod si fecerit, sciat se convocatis episcopis causas esse dicturum. Universi dixerunt: Hoc statutum & pacem servabit, & concordiam custodiet.

Ex concilio Sardicensi. Can. 16.

LVI.

Item placuit universo concilio, ut qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, sive episcopus, sive quilibet clericus, & tempore excommunicationis suæ ante audientiam communionem præsumpserit, ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam.

Ex concilio Carthaginensi. Can. 29.

LV.

Ianuarius episcopus dixit: Illud quoque statuat sanctitas vestra, ut nulli episcopo liceat alterius episcopi civitatis ministrum ecclesiasticum solicitare, & in suis parochiis ordinare. Universi dixerunt: Placet, quia ex his contentionibus solet nasci discordia: & ideo prohibet omnium sententia, ne quis hoc facere audeat.

Ex concilio Sardicensi. Can. 18.

LVI.

Item placuit, ut quicumque in ecclesia vel semel legerit, ab alia ecclesia ad clericatum non teneatur. & subscripserunt. Aurelius episcopus ecclesiæ Carthaginensis, huic decreto consensi, & prælecto subscripsi. Similiter & ceteri episcopi subscripserunt.

Ex concilio Africano. Can. 57.

LXVII.

Item placuit, ut quicumque clerici vel diaconi, pro necessitatibus ecclesiarum, non obtemperaverint episcopis suis volentibus eos ad honorem ampliorem in sua ecclesia promovere, nec illic ministrent in gradu suo, unde recedere noluerunt.

Ex concilio Carthaginensi. Can. 31.

LVIII.

Alienum clericum, invito episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo solicitet, nisi forte ex placito caritatis id inter dantem accipientemque conveniat. Nam gravis injuriæ reus est, qui de fratris ecclesia id, quod est utilius aut preciosius, audet vel allicere, vel tenere. Itaque si intra provinciam res agatur, transfugam clericum ad suam ecclesiam, metropolitanus redire compellet. Si autem longius recessit, sui præcepti auctoritate revocabitur, ut nec cupiditati, nec ambitioni occasio relinquatur.

Ex Leonis papæ epist. 82. ad Anastasium Thess. c. 9. 19. q. 2. Alienum clericum

LIX.

Ut nulli episcopi vel clerici in ecclesia conviventur, nisi forte transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiant. Populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum fieri potest, prohibeantur.

Ex concilio Africano, Can. 9.

LX.

ANNO CHRISTI 816.

LX.

Quod non oporteat sacro ministerio deditos a presbyteris usque ad diaconos, & reliquum ecclesiasticum ordinem, id est, usque ad subdiaconos, lectores, cantores, exorcistas, & ostiarios, & ex numero continentium & monachorum, ingredi tabernas.

Ex concilio Laodicensi, D. 44. Non oportet clericum

LXI.

Aurelius episcopus dixit: Avaritiæ cupiditas, quam rerum omnium malarum matrem esse nemo est qui dubitet, proinde inhibenda est, & ne quis alienos fines usurpet, aut per præmium terminos patrum statutos transcendat. Nec omnino cuiquam clericorum liceat de qualibet re fenus accipere. Quod si & sanctitati tuæ, & huic concilio videatur, præsenti placito designetur. Gratus episcopus dixit: Novellæ suggestiones, quæ vel obscuræ sunt, vel sub genere latent, inspectæ a nobis formam accipient. Ceterum de quibus apertissime divina scriptura sanxit, non est differenda sententia, sed potius exequenda. Proinde quod in laicis reprehenditur, id multo magis debet in clericis prædamnari. Universum concilium dixit: Nemo contra prophetas, nemo contra evangelia facit sine periculo.

Ex concilio Cartaginensi. Can. 5.

Carth. concil. I. c. 13.

LXII.

Nec hoc quoque præter[illegible]ndum esse duximus, quosdam lucri turpis c[illegible]itate captos, usurariam exercere pecuniam, [illegible] fenore velle ditescere. quod nos, non dicam in eos qui sunt in clericali officio constituti, sed in [illegible]icos cadere, qui Christianos se dici cupiunt, [illegible]dolemus. Quod vindicari acrius in eos qui fuerint confutati decernimus, ut omnis peccandi opportunitas adimatur.

Ex decretali. Leonis papæ. 14. q. 4. Nec hoc prætereundum

LXIII.

De his, qui in clero sunt presbyteri & diaconi, & a carnibus abstinent, placuit eas quidem contingere, & ita si voluerint, continere. Quod si intantum eas abominantur, ut nec olera, quæ cum eis coquuntur, existiment comedenda, tamquam non consentientes regulæ, ab ordine cessare debebunt.

Ex concilio Ancyritano. Can. 13.

LXIV.

Diaconi septem esse debent juxta regulam, licet & valde magna sit civitas. Idipsum autem & Actuum apostolorum liber insinuat.

Ex concilio Neocæsariensi. Can. 14. D. 93. Diaconi septē Act. 6.

LXV.

Si quis carnes edentem, præter sanguinem & idolis immolatum, & suffocatum, cum religione & fide condemnat, velut spem propter hujusmodi perceptionem non habentem, anathema sit.

Ex concilio Gangrensi. Can. 2. Dist. 30. Si quis carnē

LXVI.

Si quis dederit vel acceperit oblata, præter episcopum, vel eum qui constitutus est ab eo; ad dispensandam misericordiam pauperibus; & qui dat, & qui accipit, anathema sit.

Ex eodem concilio. Can. 8.

LXVII.

Si quis ex his qui virginitatem propter dominum servant, extollitur adversus conjugatos, anathema sit.

Ex eodem concilio. Can. 10. D. 30. Si quis propter Deum.

LXVIII.

Si quis propter continentiam quæ putatur, aut contumaciam, in die dominico jejunat, anathema sit.

Ex eodem concilio. Can. 18. D. 30. Si quis tamquam hoc.

LXIX.

Si quis eorum qui continentiæ student, absque necessitate corporea, tradita in commune jejunia, & ab ecclesia custodita, superbiendo dissolvit stimulo suæ cogitationis impulsus, anathema sit.

Ex eodem concilio. D. 30. Si quis eorum

LXX.

Omnes qui ingrediuntur ecclesiam Dei, & scripturas sacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia se a perceptione sanctæ communionis avertunt, hi de ecclesia removeantur, quamdiu per confessionem pœnitentiæ fructus ostendant, & precibus indulgentiam consequantur.

Ex concilio Antiocheno. Can. 2.

LXXI.

Si quis presbyter, aut diaconus, & omnino quilibet ex clero, parochiam propriam deserens, ad aliam properavit, dein omnino demigrans, in alia parochia per multa tempora nititur immorari; ulterius ibidem non ministret: maxime si vocanti suo episcopo, & regredi ad propriam parochiam commonenti, obedire contempserit. Quod si in hac indisciplinatione perdurat, a ministerio modis omnibus removeatur, ita ut nequaquam locum restitutionis inveniat. Si vero pro hac causa damnatum alter episcopus susceperit, hic etiam a communi coerceatur synodo, velut qui ecclesiastica constituta dissolvat.

Ex eodem concilio. Can. 3. 7. q. 1. Si quis presbyter

LXXII.

Si quis a proprio episcopo communione privatus est, non ante suscipiatur ab aliis, quam suo reconcilietur episcopo: aut certe ad synodum, quæ congregatur, occurrens, pro se satisfaciat.

Ex eodem concilio. Can. 6. 11. q. 3. Si quis a proprio

LXXIII.

Si quis episcopus, aut presbyter, aut quilibet regulæ subjectus ecclesiæ, præter consilium & literas episcoporum provinciæ, & præcipue metropolitani, adierit imperatorem, hunc reprobari & abjici oportere, non solum a communione, verum & ab honore cujus particeps videtur existere, quia venerandi principis auribus molestiam tentavit inferre contra leges ecclesiæ. Si igitur adire principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cum tractatu & consilio metropolitani, & ceterorum episcoporum, qui in eadem provincia commorantur. Qui etiam proficiscentem suis prosequantur epistolis.

Ex eodem concilio. Can. 11. 13. q. 8. Si quis episcopus

LXXIV.

Si quis a proprio episcopo presbyter aut diaconus, aut a synodo fuerit episcopus forte damnatus, & imperatoris auribus molestus extiterit, oportet ad majus episcoporum converti concilium: & quæ putaverint habere justa, plurimis episcopis suggerant, eorumque discussiones ac judicia præstolentur. Si vero hæc parvipendentes, molesti fuerint imperatori, hos nulla venia dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutionis penitus opperiri dijudicamus.

Ex eodem concilio. Can. 12. 11. q. 3. Si quis a proprio episcopo presbyter

LXXV.

Quod non oporteat sacerdotes & clericos fœnerantes usuras, vel quæ dicuntur sescupla, id est, & summam capitis & dimidium summæ, percipere.

Ex concilio Laodiceno. Can. 6. D. 46. Non licet fœnerari.

LXXVI.

Quod non oporteat amplius præter eos qui regulariter cantores existunt, qui & de codice canunt, alios in pulpitum conscendere, & in ecclesia psallere.

Ex eodem concilio. Can. 15.

LXXVII.

Quod non oporteat diaconum coram presbytero sedere, sed jussione presbyteri sedeat. Similiter autem & diaconus in honore habeatur ab obsequentibus, id est, subdiaconis, & omnibus clericis.

Ex eodem concilio. Can. 20. D. 93. Non oportet.

LXXVIII.

Quod non oporteat subdiaconos panem dare, vel calicem benedicere.

Ex eodem concilio. Can. 25. D. 93. Non oportet subdiaconos.

LXXIX.

Quod hi qui non sunt ab episcopis ordinati, tam in ecclesiis, quam in domibus, exorcizare non possint.

Ex eodem concilio. Can. 26.

XXC.

XXC.

Quod non oporteat in domiciliis divinis, id est, in domini ecclesiis convivia, quæ vocantur agapæ, fieri, nec intra domum Dei comedere, vel accubitus sternere.

XXCI.

Quod non oporteat sacerdotem, vel clericum præter jussionem sui pontificis proficisci.

XXCII.

Quod non oporteat ingredi mulieres ad altare.

XXCIII.

Quod non oporteat sacerdotes, aut clericos, quibuscumque spectaculis in scenis, aut in nuptiis interesse: sed antequam thymelici ingrediantur, exurgere eos convenit, atque inde discedere. Nec oporteat sacerdotes, aut clericos, ex collatis vel comessationibus convivia celebrare. Hoc autem nec laicis posse congruere.

XXCIV.

Quod non oporteat in domibus oblationes celebrari ab episcopis vel presbyteris.

XXCV.

Qui semel in clero deputati sunt, aut monachorum vitam expetiverunt, statuimus, neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam: aut hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quo minus redeant ad hoc quod propter dominum primitus elegerunt, anathematizari.

XXCVI.

Si quis clericus adversus clericum habet negotium, non deserat episcopum proprium, & ad sæcularia percurrat judicia: sed prius actio ventiletur apud episcopum proprium, vel certe consilio ejusdem episcopi, apud quos utræque partes voluerint, judicium obtinebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correptionibus subjacebit. Quod si clericus habet causam adversus episcopum proprium, vel adversus alterum, apud synodum provinciæ judicetur. Quod si adversus ejusdem provinciæ metropolitanum episcopus vel clericus habet querelam, petat aut primatem diœceseos, aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsum judicetur.

XXCVII.

Clericos in ecclesia ministrantes, sicut jam constituimus, in alterius civitatis ecclesiam statutos fieri non oportet, sed contentos esse, in quibus ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis, qui proprias amittentes provincias, ex necessitate ad aliam ecclesiam transierunt.

XXCVIII.

Non licere clericis post obitum sui episcopi, res ad eum pertinentes diripere, sicut antiquis quoque est canonibus constitutum. Quod si hoc facere tentaverint, graduum suorum periculo subjacebunt.

XXCIX.

Item placuit, ut episcopi, presbyteri, diaconi, vel quicumque clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore episcopatus vel clericatus sui agros, vel quæcumque prædia, nomine suo comparant, tamquam rerum dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti in ecclesia eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis proprie aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerit, faciant inde quod eorum proposito congruit. Quod si a suo proposito retrorsum exorbitaverint, honore ecclesiastico indigni, tamquam reprobi, judicentur.

XC.

Ut clerici, edendi vel bibendi causa tabernas

A non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

XCI.

Epigonius episcopus dixit: in multis conciliis hoc statutum est, etiam nunc hoc confirmandum est a vestra prudentia, beatissimi fratres, ut clericum alienum nullus sibi præripiat episcopus, præter ejus arbitrium cujus fuerit clericus.

Anno Christi 816. Africano Can. 7. D. 44. Clerici Ex eodem concilio. Can. 21.

XCII.

Illud etiam duximus præmonendum, ut sicut non suo, ita nec alieno nomine aliquis clericorum exercere fœnus attentet. Indecens enim est, crimen suum commodis alienis impendere. Fœnus autem hoc solum aspicere & exercere debemus, ut B quod hic misericorditer tribuimus, ab eo domino, qui multipliciter & in perpetuum mansura retribuet, recipere valeamus.

Ex decretali Leonis papæ epistola 1. c. 4.

XCIII.

Consequens fuit, ut illa quoque, quæ de Piceni partibus nuper ad nos missa relatio nuntiavit, nec nunc prætereunda putaremus, id est, plurimos clericorum negotiationibus inhonestis & lucris turpibus imminere, nullo pudore cernentes euangelicam lectionem, qua ipse dominus noster negotiatores e templo verberatos flagellis asseritur expulisse, nec Apostoli verba recolentes, quibus C ait: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus:* Psalmistam quoque David surda dissimulantes aure cantantem: *Quoniam non cognovi negotiationes, introibo ad potentias domini.* Proinde hujuscemodi aut ab indignis post hæc quæstibus noverint abstinendum, & ab omnibus cujuslibet negotiationis ingeniis cupiditateque cessandum, aut in quocunque gradu sint positi, mox a clericalibus officiis abstinere cogantur, quoniam domus Dei domus orationis & esse debet & dici, ne officina negotiationis & spelunca potius sit latronum.

Ex decretali Gelasii papæ epist. 1. cap. 15. Dist. 88. Consequẽs. Matth. 21. 2. Tim. 2. Psal 70. Matth. 21.

D

XCIV.

Petis a me, Nepotiane carissime, literis transmarinis, & crebro petis, ut tibi brevi volumine digeram præcepta bene vivendi: & qua ratione is, qui sæculi militia derelicta, vel monachus cœperit esse vel clericus, rectum Christi tramitem teneat, ne ad diversa vitiorum diverticula rapiatur. Scio quidem ab avunculo tuo B. Heliodoro, qui nunc pontifex Christi est, te & didicisse quæ sancta sunt, & quotidie discere, normamque vitæ ejus exemplum habere virtutum. Sed & nostra, qualiacumque sunt, suscipe: & libellum hunc libello illius copulato, ut cum ille te monachum erudierit, hic clericum doceat esse perfectum. Igitur clericus, qui Christi servit ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum: & nominis diffinitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim cleros Græce, Latine E sors appellatur; propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt domini, vel quia dominus ipse sors, id est pars, clericorum est. Qui autem vel ipse pars domini est, vel dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut ipse possideat dominum, & ipse possideatur a domino. Qui possidet dominum, & cum Propheta dicit, *Pars mea dominus*, nihil extra dominum habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit præter dominum, pars ejus non erit dominus. Verbi gratia: Si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus dominus pars ejus fieri non dignatur. Si autem ego pars domini sum, & funiculus hereditatis ejus: nec accipio partem inter ceteras tribus, sed quasi levita & sacerdos, vivo de decimis; & altari serviens, altaris

Excerptum ex epistola S. Hieron. presbyteri ad Nepotianum de vita clericorum. Ibid. post multa. Psalm. 72.

ANNO CHRISTI 816.

altaris oblatione ſuſtentor ; habens victum & veſtitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus ſequar. Obſecro itaque te, & repetens iterum iterumque monebo, ne officium clericatus, genus antiquæ militiæ putes : id eſt, ne lucra ſæculi in Chriſti quæras militia : nec plus habeas, quam quando clericus eſſe cœpiſti, & dicatur tibi ; *Cleri eorum non proderunt eis.* [*Ier. 12.*] Menſulam tuam pauperes & peregrini, & cum illis Chriſtus conviva noverit. Negotiatorem clericum, & ex inope divitem, ex ignobili glorioſum, quaſi quamdam peſtem fuge. *Corrumpunt mores bonos confabulationes peſſimæ.* [*1. Cor. 15.*] Tu aurum contemnis, alius diligit. Tu calcas opes, ille ſectatur. Tibi cordi eſt manſuetudo, ſilentium, ſecretum : illi loquacitas, attrita frons, fora placent, & plateæ, & medicorum tabernæ. In tanta morum diſcordia, quæ poteſt eſſe concordia ? Hoſpitiolum tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas & virgines Chriſti, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne ſub eodem tecto manſeris, nec in præterita caſtitate confidas. Nec David ſanctior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper, quod paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier ejecerit. [*Gen. 3.*] Ægrotanti tibi ſanctus quilibet frater aſſiſtat, & germana, vel mater, aut probatæ quælibet apud omnes fidei. Quod ſi hujuſmodi non fuerint conſanguinitatis caſtimoniæque perſonæ, multas anus nutrit eccleſias, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant miniſtrando, ut infirmitas quoque tua fructum habeat eleemoſynæ. Scio quoſdam convaluiſſe corpore, & animo ægrotare cœpiſſe. Periculoſe tibi miniſtrat, cujus vultum frequenter attendis. Si propter officium clericatus, aut vidua viſitatur, aut virgo ; nunquam domum ſolus introeas, taleſque habeto ſocios, quorum contubernio non infameris. Si lector, ſi acolytus, ſi pſaltes te ſequitur : non ornentur veſte, ſed moribus ; nec calamiſtro criſpent comas, ſed pudicitiam habitu polliceantur. Solus cum ſola ſecrete & abſque arbitro vel teſte, non ſedeas. Si familiarius eſt aliquid loquendum, habet nutricem, majorem domus, virginem, viduam, maritatam ; non eſt tam inhumana, ut nullum præter te habeat cui ſe audeat credere. Caveto omnes ſuſpiciones : & quidquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur, ante devita. Crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicitas, & oblatos ac deguſtatos cibos, blandaſque ac dulces literulas ſanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meumque deſiderium, Chriſtus eſt. [*Paulo poſt priora.*] Natus in paupere domo, & in tugurio ruſticano, qui vix milio & cibario pane rugientem ſatiare ventrem poteram, nunc ſimilam & mella faſtidio. Novi & genera & nomina piſcium : in quo litore conchæ lectæ ſint, calleo : ſaporibus avium diſcerno provincias : & ciborum me raritas, ac noviſſime damna ipſa delectant. Tu quidem divinas ſcripturas ſæpius lege, imo nunquam de manibus tuis ſacra lectio deponatur. Diſce quod doceas, obtine eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut poſſis exhortari in doctrina ſana, & contradicentes revincere. Permane in his quæ didiciſti, ac credita ſunt tibi, ſciens a quo didiceris, paratus ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti te rationem de ea, quæ in te eſt, ſpe. Non confundant opera ſermonem tuum, ne cum in eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat : Cur ergo hæc quæ dicis, ipſe non facis ? Delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre de jejuniis diſputat. Accuſare avaritiam & latro poteſt. Sacerdotis Chriſti os, mens, manuſque concordent. Eſto ſubjectus pontifici tuo ; & quaſi animæ parentem ſuſpice. Amare filiorum, timere, ſervorum eſt. *Si pater ſum,* inquit, *ubi eſt honor meus ? Si dominus ego ſum, ubi timor meus eſt ?* [*Malach. 1.*] Melius eſt cariſſime, non habere quod tribuas, quam impudenter petere quod des. Sed & genus arrogantiæ eſt, clementiorem te velle videri, quam pontifex Chriſti eſt. Non omnia poſſumus omnes. Alius in eccleſia oculus eſt, alius lingua, alius manus, alius pes, auris, venter, & cetera. Lege Pauli epiſtolam ad Corinthios, [*1. Cor. 12.*] quomodo diverſa membra unum corpus efficiunt. Nec ruſticus tamen & ſimplex frater ideo ſe ſanctum putet ſi nihil noverit : nec peritus & eloquens lingua æſtimet ſanctitatem : multoque melius eſt e duobus imperfectis, ruſticitatem habere ſanctam, quam eloquentiam peccatricem. Multi ædificant parietes, & columnas eccleſiæ ſubſtruunt, marmora nitent, auro ſplendent laquearia, gemmis altare diſtinguitur, & miniſtrorum Chriſti nulla electio eſt. Nunc vero portemus crucem Chriſti, & divitias lutum putabimus. Quid miramur quod Chriſtus vocat iniquum mammona ? [*Luc. 16.* *Act. 3.*] quid ſuſpicimus & amamus, quod Petrus ſe non habere teſtatur ? Convivia tibi deteſtanda ſunt ſæcularium, maxime horum qui honoribus tument. Turpe eſt, ante fores ſacerdotis Chriſti crucifixi & pauperis, & qui cibo quoque veſcebatur alieno, lictores conſulum & milites excubare : judicemque provinciæ melius apud te prandere, quam in palatio. Quod ſi obtenderis facere te hæc, ut roges pro miſeris atque ſubjectis : judex ſæculi plus defert clerico continenti, quam diviti : & magis ſanctitatem tuam venerabitur, quam opes. Aut ſi talis eſt qui non audiat clericos niſi inter phialas, libenter carebo hujuſcemodi beneficio, & Chriſtum rogabo pro judice, qui magis poteſt & citius ſubvenire. Melius eſt enim confidere in domino, quam confidere in homine. Melius eſt ſperare in domino, quam ſperare in principibus. Nunquam vinum redoleas, ne audias illud philoſophi : Hoc non eſt oſculum porrigere, ſed vinum propinare. Vinolentos ſacerdotes & Apoſtolus damnat, & vetus lex prohibet. [*1. Tim. 3.* *Levit. 10.*] *Qui altario ſerviunt, vinum & ſiceram non bibant.* Sicera, Hebræo ſermone, omnis potio nuncupatur quæ inebriare poteſt, ſive illa quæ frumento conficitur, ſive pomorum ſucco, aut cum favi decoquuntur in dulcem & barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctiſque frugibus, aqua pinguior coloratur. Quidquid inebriat, & ſtatum mentis evertit, fuge ſimiliter ut vinum. Nec hoc dico quod Dei creatura a nobis damnetur. Si quidem & dominus vini potator eſt appellatus : [*Matth. 11.* *1. Tim. 5.*] & Timotheo dolenti ſtomachum, vini modica ſorbitio relaxata eſt. Sed modum pro ætatis & valetudinis, & corporum qualitate exigimus in potando. Quod ſi abſque vino ardeo adoleſcentia, & inflammor calore ſanguinis, & ſucculento validoque ſum corpore, libenter carebo poculo, in quo ſuſpicio veneni eſt. Pulcre dicitur apud Græcos, ſed neſcio utrum apud nos æque reſonet, Pinguis venter non gignit ſenſum tenuem. Tantum tibi jejuniorum impone, quantum ferre potes. Sint tibi jejunia pura, caſta, ſimplicia, moderata, & non ſuperſtitioſa. Quid prodeſt oleo non veſci, & moleſtias quaſdam difficultateſque ciborum quærere, caricas, piper, nuces, palmarum fructus, ſimilam, mel, piſtacia ? Tot

hortorum cultura vexatur, ut cibario non vescamur pane. Audio præterea quosdam contra rerum hominumque naturam, aquam non bibere, nec vesci pane, sed sorbitiunculas delicatas, & contrita olera, betarumque succum non calice sorbere, sed concha. Fortissimum jejunium, est aqua & panis. Sed quia gloriam non habet, & omnes pane & aqua vivimus, quasi publicum & commune iejunium non putatur. Cave ne hominum rumusculos aucuperis, ne in offensam Dei populorum laudem commutes. *Si adhuc*, inquit Apostolus, *hominibus placerem, Christi servus non essem*. Desijt placere hominibus, & servus factus est Christi. Per bonam & malam famam, a dextris & à sinistris Christi miles graditur: nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur: non divitiis tumet, non contrahitur paupertate: & læta contemnit & tristia. Per diem sol non urit eum, neque luna per noctem. Nolo te orare in angulis platearum, ne rectum iter precum tuarum frangat aura popularis. Nolo te dilatare fimbrias, & ostentui habere phylacteria: & conscientia repugnante, pharisaica ambitione circumdari. Inde pendet euangelium, inde lex & prophetæ. Fidelis mecum lector intelligis quid taceam, & quid magis tacendo loquar. Tot te regulæ; quot species gloriarum percurrant. Quanto melius erat, hæc non in corpore, sed in corde gestare? Deum habere fautorem, non aspectus hominum? Vis scire, quales dominus quærat ornatus? Habeto justitiam, prudentiam, temperantiam, fortitudinem. His cæli plagis includere, quæ te quadriga velut aurigam Christi, ad metam concita ferat. Nihil hoc monili pretiosius, nihil hac gemmarum varietate distinctius. Ex omni parte decoraris, cingeris, atque protegeris: & ornamento tibi sunt, & munimini: gemmæ vertuntur in scuta. Cave quoque, aut linguam, aut aures habeas prurientes; id est, ne aut ipse aliis detrahas, aut
49. alios audias detrahentes. *Sedens*, inquit, *adversus fratrem tuum loquebaris: & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum*, &c. Parce a detractione linguæ, custodi sermones tuos, & scito quia cuncta quæ de aliis loqueris, tua sententia judicaris: & in his ipse deprehendendus eris, quæ in aliis arguebas. Neque vero illa justa est excusatio, Referentibus aliis injuriam facere non possum. Nemo invito auditori libenter refert. Officii ergo tui sit, carissime, non solum oculos castos servare, sed & linguam. Nunquam de mulierum formis disputes, nec quid in cujusquam domo agatur, alia domus per te noverit. Omnium Christianorum domos, quasi proprias ama. Facilius contemnitur clericus, qui sæpe vocatur ad prandium, & non recusat. Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. Beatius enim est magis dare, quam accipere. Nescio enim quomodo etiam ipse qui deprecatur ut tribuat, cum acceperis, viliorem te judicat. Et mirum in modum, si eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur. Procuratores atque dispensatores domorum alienarum atque villarum, quomodo esse possunt clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates? Amico rapere quippiam, furtum est: ecclesiam fraudare, sacrilegium est. Accepisse pauperibus erogandum, & esurientibus plurimis, vel cautum esse velle, vel timidum, aut (quod apertissimi sceleris est) aliquid exinde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. Alter fame torquetur, & tu judicas, quantum ventri ejus satis sit. Aut divide statim, quod acceperis: aut, si timidus dispensator es, dimitte largitorem, ut sua ipse distribuat. Nolo, sub occasione mea, sacculus tuus plenus sit. Nemo meà melius me servare potest. Ipse est optimus dispensator, qui nihil sibi reservat. Coegisti me, Nepotiane carissime, talia scribendo confodiendum me omnium linguis prodere. Aut enim nihil scribendum fuit, ne hominum judicium subiremus, quod tu facere prohibuisti: aut scribentes nosse, adversum nos cunctorum maledicorum tela esse torquenda. Quos obsecro ut quiescant, & desinant maledicere. Non enim ut adversariis, sed ut amicis scripsimus. Nec invecti sumus in eos qui peccant, sed ne peccent, monuimus: neque in illos tantum, sed in nos ipsos severi judices fuimus, volentesque festucam de oculo alterius tollere, nostram prius trabem ejecimus. Nullum læsi, nullius nomen mea scriptura designatum est. Neminem specialiter meus sermo pulsavit. Generalis de vitiis disputatio est. Qui mihi irasci voluerit, prius ipse de se, quod talis sit, confitebitur.

ANNO CHRISTI 618.

XCV.

Excerptum beati Hieronymi de institutione clericorum. Ex epistola ad Paulinum Presbyterum.

Obsecro te, carissime, ut multitudines hominum, & officia & salutationes & convivia, veluti quasdam catenas fugias voluptatum. Sit vilis tibi & vespertinus cibus. Olera & legumina, interdum que pisciculos, pro summis ducas deliciis. Qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quærit magnopere, de quam pretiosis cibis stercus conficiat. Quidquid post gulam non sentitur, idem tibi sit quod panis & legumina. Semper in manu tua sacra lectio sit. Frequenter orandum, & flexo corpore mens erigenda ad dominum. Crebræ vigiliæ, & ventre vacuo sæpius dormiendum. Rumusculos & gloriolas, & palpantes adulatores quasi hostes fuge. Pauperibus & fratribus refrigeria sumptuum manu propria distribue. Humilitatem vestium tumenti animo non appetas. Sæcularium, & maxime potentium, consortium devita. Habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos: & serpentis astutiam, ne aliorum supplanteris insidiis. Non multum distat in vitio, vel decipere posse, vel decipi posse Christianum. Templum verum Christi, anima credentis est: illam exorna, illam vesti, illi offer donaria, in illa Christum suscipe. Nescio enim quomodo plus placeat mundo, qui Christo displicet.

XCVI.

Eiusdem, ex epistola ad Rusticu.

Dico autem, si clericatus titillat te desiderium, disce quod possis docere, & rationalem hostiam offer Christo. Ne sis miles antequam tiro: ne prius magister sis antequam discipulus Non est humilitatis meæ neque mensuræ, judicare de clericis, & de ministris ecclesiarum sinistrum quippiam dicere. Habeant illi ordinem & gradum suum. Quem si tenueris, quomodo tibi in eo vivendum sit, editus ad Nepotianum liber docere poterit. Volo ergo, ut sine intermissione oratio, & vigil tibi sit sensus, nec vagis cogitationibus patens, corpus pariter & animus tendatur ad dominum. Iram vince patientia. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. Nec vacet mens tua variis perturbationibus: quæ si pectori insederint, dominabuntur tui, & te deducent ad delictum maximum. Facito aliquid operis, ut semper te diabolus inveniat occupatum. Memento quia & apostoli Christi, habentes potestatem de euangelio vivere, laborabant manibus suis ne quem gravarent: & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia Cor. 9.

ANNO CHRISTI 816.

carnalia. Ita ergo age, & vive in monasterio, ut clericus esse merearis, ut adolescentiam tuam nullà sorde commacules, ut ad altare Christi quasi de thalamo virgo procedas, & habeas deforis bonum testimonium. Fœminæ quæ nomen tuum noverint, vultum nesciant. Cum ad perfectam ætatem veneris, si tamen vita comes fuerit, & te vel populus vel pontifex civitatis ad clericum adlegerint, agito quæ clerici sunt, & inter ipsos sectare meliores: quia in omni conditione & gradu optimis mixta sunt pessima. Multo tempore disce quod doceas. Ne credas laudatoribus tuis, imo irrisoribus aurem ne libenter accommodes.

X CVIII.

Ejusdem, ex epistola ad Heliodorum. Quid distet inter clericum & monachum.

Monachum autem perfectum esse nolle, delinquere est. Sed de hoc gradu pulsus, provocabis ad clericos. An de his aliquid audeam dicere, qui certe in suis urbibus commorantur? Absit autem, ut quidquam de his sinistrum loquar, qui apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt: per quos nos etiam Christiani sumus: qui claves regni cælorum habentes, ante judicij diem judicant, qui sponsam domini sobria castitate conservant. Sed & alia, ut ante perstrinxi, monachorum causa est, alia clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor. Illi de altario vivunt: mihi, quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero. Nec possum obtendere paupertatem, cum in euangelio anum viduam duo, quæ sibi sola supererant, æra mittentem laudaverit dominus. Mihi ante presbyterum sedere non licet, illi, si peccavero, licet tradere me satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die domini Iesu. Et in veteri quidem lege, quicumque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur à populo, aut gladio cervice subjecta, contemptum expiabat cruore. Nunc vero inobediens, spiritali mucrone truncatur: aut ejectus de ecclesia, rabido demonum ore discerpitur.

Matth. 16. & 18.

Deut. 17.

XVIII.

Ejusdem, ex epistola ad Oceanum, de vita clericorum.

Deprecatus es, ut tibi breviter exponerem, qualiter clerici victitare debeant. Hinc me plerique e maledictis æmulis præstolantur, quia non sileo veritatem. Prima quidem tentamenta sunt clericorum, fœminarum frequentes accessus. Iste sexus reprehensibiles exhibet clericos. Quid tibi reverà cum feminis, qui ad altare cum domino fabularis? Te cuncti in publico, te in agro rustici aratores ac vinitores quotidie graviter lacerabunt, si contra dispositum fidei cum feminis habitare contendis. Et quia (ut arbitror) concupiscis irreprehensibilis inveniri, testimonio bono munire. Numquid in choro apostolorum feminæ affuerunt? Prohibe virgines tecum commorari, etiam quæ de genere tuo sunt. Diligis eas? exterius ordina, frequenter visita junctus obsequio clericorum, ne dum secretaliter ac solus ingrederis, macules testimonium tuum. Aliter namque conjugati, aliter continentes edocentur ecclesiasticum subire ministerium & onus. Feminarum cum clericis, nullo pacto conjuncta præcipitur conversatio. Ianua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivumque genus est femina. Cum proximat stipula, incendit ignem. Flammigero igne percutit femina conscientiam pariter habitantis, exuritque fundamenta montium. Ego judico, si cum viris feminæ habitent, viscarium non deerit diaboli, qui ex eis aucupatus est ab initio peccatum. Ferreas mentes libido domat: si alligaverit quis ignem in sinu suo, vestimenta ejus non comburentur? Aut si quis ambulaverit super carbones ignis, pedes suos non comburet? Mihi crede non potest toto corde habitare cum domino, qui feminarum accessibus copulatur. Sed dicis: *Qui ambulat*, inquit, *simpliciter, ambulat confidenter*. Bene & argute, sed oportet testimonium bonum habere ab his, qui foris sunt. Licet coram domino incedas, tamen coram hominibus bona providenda sunt: quia astutiores sunt filij tenebrarum super filios lucis. Cum a te hoc genus non amputatur, das reprehendentibus te locum. Ipse te detrahentium morsibus tradidisti, si agapetarum consortium non dimiseris. Benignus es? gaudeo. Pudicus? falsum est. Si pudicitiam quæris, feminam, quam videris bene conversantem, mente dilige, non corporali frequentes ornatu. Non vestis tenera clericum [illegible]it, aut sacerdotem, sed casta mentis intentio. Hęc enim devotionem honoris in te custodit. Honorem quidem gloriosius boni operis fama conseruat. Sacerdotes quippe decet, vel cæteros quidem clericorum gradus, ut supra dictum est, a feminis segregari. Si igitur generis gratia judicas easdem nullo pacto dimittere, memento quod Thamar ab Amnon fratre suo corrupta sit. Idipsum persequor, dilectissime: ubi unius est tabernaculi conversatio, carnis non facile tollitur delectatio. De duobus enim, quod unus desiderat, si loqui non potest, vel tentatur. Remotio igitur viri castitatis collocat arma, construit in melioribus castra, pudoris honorem consolatur. Potuit enim & Maria mater domini de choro apostolorum non discedere, si liceret. Tecla post tentationem passionis Antiochiæ a Paulo prohibetur pariter pergere. Nemo miles cum uxore pergit ad bellum. Non invideo caritati. sit tibi cum castis virginibus longæva dilectio. tunc in bono meritum collocabis, & famam meliorabis. Sed de congregatione puellarum pulcre censeo, in hebdomada secunda visitatione ad benedicendam congregationem convenias, sed non solus, ne rumigeruli linguis te lacerantibus macerent. Alienam enim cupiunt vicini discutere vitam non suam. Propterea digne accipe nostrorum præcepta verborum, & monita humilitatis; quæ fraterno affectu calamo imperante expressimus, dulciter lege. Iam vero, ut reprehensibilis divini altaris non sit sacerdos, pauca de reliquis Apostoli testimoniis, quantum dominus donat, exponam. Sufficiant superiores causæ, quæ dictæ sunt. Verum ne aliquis minus intelligens, ad episcopos sentiat Apostolum fuisse locutum, quid de diaconibus ad Timotheum præceptum est, quid de presbyteris ad Titum, commemorare delectat. Sed prætereundum non est, superiorem explanare sententiam. Vnius uxoris virum & nova & vetus præceptio sacerdotem censuit eligendum. Quia digamos ad ministerium plerique episcopi applicuerunt, sic asseruerunt: Concubina fuit illa, hæc uxor. Quasi non hæc eadem sint commercia fœditatis in illa, quæ in hac exercentur, quæ uxor asseritur, aut quia conjugij tabulas non fecit, concupiscentia alia non fuit. Nullo pacto digamos, vel concubinarum catenis insertos, decet subire sacerdotii ministerium. In Levitico scriptum est ac pręfinitum, quales eligi debeant sacerdotes. Si ergo clericus monogamus fuerit, & uxor ejus digama: noli eum ad ministerium applicare. Hæc Tito præcepta, idem Apostolus de ordinandis clericis dedit. Et quia liber finé expectat, ad id redeamus, unde digressi sumus. Nec si duæ aut tres pariter

ANNO CHRISTI 816.

Prov. 1…

2. Reg…

Cap 21

Tit. 1.

ter Dei ancillæ morentur, solum ad eas decet ingredi sacerdotem. Si quis hæc præcepta non observaverit, hostis est animæ suæ. Quod si post nostra monita aliquis clericus agapetas amplius quæsierit amare quam Christum, secundum synodalem regulam conveniatur, & præcepta patrum in Nicæa diffinita ei legantur. Iam vero si conventus prædicta fugerit & reliquerit, consecuti sumus maximum lucrum. Alioquin talis ab ecclesia anathematizandus est. Germinant enim feminæ spinas cum viris habitantes, & arcana mentium acuto mucrone percutiunt. Proh nefas! dolor est dicere, sed præterire non decet. Christo istæ nouerunt nubere, non clericis. Clericum solitudo facit, non publicum. Lege quia talis debet esse solitarius, qualem Ieremias descripsit: *Sedebit solitarius, & tacebit.* Et quia Iesus, relictis apostolis, solus ibat orare. Mariam in penetralibus angelus solam invenit, non cum agapeta loquentem, & illa virilem introitum trepidavit. Hospitalem præcepit apostolus clericum ordinandum. Hoc præcepto pater Abraham & Loth angelos susceperunt, quia hospites dilexerunt. sic & Onesiphorus Paulum doctrinæ fontem suscepit. Hæc imitationes sint vestræ, & ne sinatis incolam præterire, qui apud vos non comederit panem. Sequitur: *Non percussorem.* Non enim pugilem describit apostolus, sed qui conscientias non percutiat singulorum. Sit modestus, non infletur, non inebrietur, suæ domui bene præsit: perquam erit horribile, si domui clerici detrahatur. Lædit sacerdotis opinionem in plebe, quando de proximis ejus male loquitur populus. Super omnia hæc, præcipit apostolus boni testimonii clerico fundamenta componere, ut bonorum operum testificatio casto confirmetur affectu.

XCIX.

Itaque omnes qui in ecclesiastici ministerii gradibus ordinati sunt, generaliter clerici nominantur. Cleros autem vel clericos hinc appellatos, doctores nostri dicunt, quia Matthias sorte electus est, quem primum per apostolos legimus ordinatum. Sic & omnes, quos illis temporibus ecclesiarum principes ordinabant, sorte eligebant. Nam cleros sors interpretatur. Unde & hereditas Græce cleronomia appellatur, & heres cleronomos. Proinde ergo clericos vocari aiunt, eo quod in sorte hereditatis domini dentur, vel pro eo quod ipse dominus sors eorum sit, sicut de eis scriptum est, loquente domino: *Ego hereditas eorum.* Unde oportet, ut qui Deum hereditate possident, absque ullo impedimento sæculi Deo servire studeant, & pauperes spiritu esse contendant, ut congrue illud Psalmistæ dicere possint: *Dominus pars hereditatis mea.*

C.

His igitur lege patrum cavetur, ut a vulgari vita seclusi, a mundi voluptatibus sese abstineant. Non spectaculis, non pompis intersint, convivia publica fugiant: privata non tantum pudica, sed & sobria colant. Usuris nequaquam incumbant, neque turpium occupationes lucrorum, fraudisve cujusquam studium appetant. Amorem pecuniæ, quasi materiam cunctorum criminum, fugiant: sæcularia officia negotiaque abjiciant: honorum gradus per ambitiones non subeant: pro beneficiis medicinæ Dei, munera non accipiant. Dolos & conjurationes caveant, odium & æmulationem, obtrectationem atque

A invidiam fugiant: non vagis oculis, non infreni lingua, aut petulanti tumidoque gestu incedant, sed pudorem ac verecundiam mentis simplici habitu incessuque ostendant. obscœnitatem etiam verborum, sicut & operum, penitus execrentur: viduarum ac virginum visitationes frequentissimas fugiant. Contubernia extranearum feminarum nullatenus appetant. Castimoniam quoque inviolati corporis perpetuo conservare studeant, aut certe unius matrimonii vinculo fœderentur. Senioribus quoque debitam præbeant obedientiam, neque ullo jactantiæ studio semetipsos attollant. Postremo in doctrina, in lectionibus, psalmis, hymnis, can-
B ticis, exercitio jugi incumbant. Tales enim esse debent quicumque divinis cultibus sese mancipandos student scilicet ut dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent.

CI.

Duo sunt genera clericorum. unum ecclesiasticorum, sub regimine episcopali degentium: alterum acephalorum, id est sine capite, qui quem sequantur ignorant. Hos neque inter laicos sæcularium officiorum studia, neque inter clericos religio retentat divina: sed solutos atque oberrantes sola turpis vita complectitur & vaga: quique dum nullum metuentes, explendæ volu-
C ptatis suæ licentiam consectantur, quasi animalia bruta, libertate ac desiderio suo feruntur, habentes signum religionis, non religionis officium, hippocentauris similes, nec equi, nec homines, mixtumque (ut ait poeta) genus, prolesque biformis: quorum quidem sordida atque infami numerositate, satis superque nostra pars occidua * pollet.

> Ejusdem De officiis lib. 2. cap. 3.
>
> Æneid. 6.
>
> * al. polluitur

CII.

Clericus admonendus est, quatenus sic vivat, ut bonum exemplum vitæ suæ sæcularibus præbeat. Et in clerico, si quid juste reprehenditur, ex ejus vitio ipsa religionis nostræ æstimatio gra-
D vatur. Clerici discant, ut quæ a senioribus suis jubentur, impleant, ut humiliter eorum imperiis subjaceant, ut nec subjectio eos conterat, nec locus superior extollat. Clerici discant, quomodo ante occulti arbitri oculos per humilitatem & obedientiam sua interiora componant, quatenus non cum reprobis puniantur, sed cum electis æterna præmia sortiantur. Admonendi sunt clerici, ut tanto circa se solicitius vivant, quanto eos aliena cura non implicat. Dicendum est clericis, ne præpositorum suorum vitam temere judicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident: ne unde recte mala redarguunt, inde per elationis impulsum in profun-
E diora mergantur. Admonendi sunt clerici, ne cum culpam suorum præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant: sed sic eorum prava apud semetipsos dijudicent, ut tamen divino timore constricti, ferre sub eis jugum reverentiæ non recusent: quia facta præpositorum, oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda judicantur. Plerosque clericos, impudentiæ vitio, non nisi increpatio dura compescit: quia dum se delinquere nesciunt, necesse est ut a plurimis increpentur.

> Gregorii. Quales oporteat esse clericos.

CIII.

Admonendi sunt subditi, ne præpositorum suorum vitam temere judicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident, ne unde recte mala redarguunt, inde per elationis impulsum in pro-

> Ejusdem. Pastor. l. 3. Admon. 5.

ANNO CHRISTI 816.

profundiora mergantur. Admonendi sunt subditi, ne cum culpas præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant: sed sic, si qua valde sunt eorum prava, apud semetipsos dijudicent, ut tamen divino amore constricti, ferre sub eis jugum reverentiæ non recusent. Quod melius ostendimus, si Davidis factum ad medium deducamus. Saul quippe persecutor, cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus; illic cum viris suis David inerat, qui jam tam longo tempore persecutionis ejus mala tolerabat. Cumque eum viri sui ad feriendum Saul accenderent, fregit eos reprehensionibus, quia manum mittere in christum domini non deberent. Qui tamen occulte surrexit, & oram chlamydis ejus abscidit. Quid per Saul, nisi mali rectores? quid per David, nisi boni subditi designantur? Saulem igitur ventrem purgare est, pravos præpositos conceptam in corde malitiam usque ad opera miseri odoris ostendere, & cogitata apud se noxia, factis exterioribus exequendo monstrare. David namque Saulem ferire metuit, quia piæ subditorum mentes, ab omni se peste obtrectationis abstinentes, præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt. Boni subditi, quando pro infirmitate sese abstinere vix possunt, ut extrema quædam atque exteriora præpositorum mala, sed tamen humiliter, loquantur, quasi oram chlamydis silenter incidunt. Quia videlicet dum prælatæ dignitati, saltem innoxie & latenter derogant, quasi regis superpositi vestem secant. Sed tamen ad semetipsos redeunt, seque vehementissime vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Unde bene & illic scriptum est: *Post hæc David percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.* Facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum reprehendenda judicantur. Si quando vero contra eos vel in minimis lingua labitur, necesse est ut per afflictionem pœnitentiæ cor prematur; quatenus ad semetipsum redeat. Et cum quis præpositæ potestati deliquerit, ejus contra se judicium, a quo sibi prælata est, perhorrescat. Nam cum in præpositos delinquimus, ejus ordinationi, qui eos nobis prætulit, obviamus. Unde Moses, cum contra se, & Aaron conqueri populum cognovisset, ait: *Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra dominum.* Admonendi sunt benevoli subditi, ut sic alienis bonis congaudeant, quatenus habere & propria concupiscant: sic proximorum facta diligendo laudent, ut ea etiam imitando multiplicent. ne si in hoc præsentis vitæ stadio ad certamen alium devoti fautores, sed pigri spectatores adsistant, & post certamen sine bravio remaneant, qui nunc in certamine non laborant: & tunc eorum palmas afflicti respiciant, in quorum nunc laboribus otiosi perdurant. Valde quippe peccamus, si aliena bene gesta non diligimus: sed nihil mercedis agimus, si ea quæ diligimus, inquantum possumus, non imitamur. Dicendum est benevolis subditis, quia si imitari bona minime festinant, quæ laudantes approbant, sic eis virtutum sanctitas sicut stultis spectatoribus ludicrarum artium vanitas placet. Illi namque aurigarum ac histrionum gesta favoribus efferunt: nec tamen tales esse desiderant, quales illos conspiciunt esse quos laudant. Mirantur eos placita egisse, sed tamen devitant similiter placere. Dicendum est benevolis subditis, ut cum proximorum facta conspiciunt, ad suum cor redeant: & de alienis actibus non præsumant, ne bona laudent, & agere recusent. Gravius quippe extrema ultione feriendi sunt, quibus placuit quod imitari noluerunt.

1 Reg. 24. — 1. Reg. 24. — Exod. 16.

CIV.

Propter peccatum primi hominis, humano generi pœna divinitus illata est servitutis, ita ut quibus aspicit non congruere libertatem, his misericordius irroget servitutem. Et licet peccatum humanæ originis, per baptismi gratiam cunctis fidelibus dimissum sit, tamen æquus Deus ideo discrevit hominibus vitam, alios servos constituens, alios dominos, ut licentia male agendi servorum, potestate dominantium restringatur. Nam si omnes sine metu fuissent, quis esset qui a malis quempiam prohiberet? Inde & in gentibus reges principesque electi sunt, ut terrore suo populos a malo coercerent, atque ad recte vivendum legibus subderent. Quantum attinet ad rationem, non est personarum acceptio apud Deum; qui mundi elegit ignobilia & contemptibilia, & quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ne glorietur omnis caro, hoc est, carnalis potentia coram illo. Unus enim dominus æqualiter, & dominis fert consultum, & servis. Melior est subjecta servitus, quam elata libertas. Multi enim inveniuntur Deo libere servientes, sub dominis constituti flagitiosis: qui etsi subjecti sunt illis corpore, prælati tamen sunt mente.

Isidori lib. 3. S[…] cap. 47.

CV.

Plerumque subditi sub pastorali regimine constituti, dum valde de se elati præsumunt, exprobrando ceteros dedignantur, dum singulariter summa existimant cuncta quæ agunt. Subtiliter itaque ab arguente discutienda sunt opera protervorum, ut in quo sibi placent, ostendantur quia Deo displicent. Tunc protervos melius corrigimus, cum ea quæ bene egisse se credunt, male acta monstramus: ut unde adepta gloria creditur, inde utilis confusio subsequatur. Nonnunquam subditi, cum se vitium proterviæ minime perpetrare cognoscunt, compendiosius ad correctionem veniunt, si alterius culpæ manifestioris, & ex latere requisitæ, improperio confundantur: ut ex eo quod defendere nequeunt, cognoscant se tenere improbe quod defendunt. Cum proterve Paulus Corinthios adversum se temere invicem videret inflatos, ut alius Apollo, alius Pauli, alius Cephæ, alius Christi se esse diceret: incestus culpam in medium deduxit, quæ apud eos & perpetrata, & incorrepta remanebat, dicens: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris quis habeat. Et vos inflati estis & non magis luctum habuistis, ut tolleretur de medio vestrum qui hoc opus fecit.* Ac si aperte dicat: Quid vos per protervíam hujus vel illius dicitis, qui per dissolutionem negligentiæ nullius vos esse monstratis? Admonendi sunt invidi subditi, ut perpendant quantæ cæcitatis sint, qui alieno profectu deficiunt, aliena exaltatione contabescunt: quantæ infelicitatis sint, qui melioratione proximi deteriores fiunt: dumque augmenta alienæ prosperitatis aspiciunt, apud semetipsos anxie afflicti, cordis sui peste moriuntur. Quid invidis infelicius quos dum conspecta felicitas afficit, pœna nequiores reddit? Aliorum vero bona, quæ habere non possunt, si diligerent, sua fecissent. Nostra nimirum sunt bona aliorum, quæ etsi imitari non possumus, amamus in aliis, & aman-

Gregor. Pastor. III. Ad[…] mon. 9[…] — 1. Cor. — Ibid. […] ral. li[…] cap. 4[…]

[Anno] Christi [81]6.

mantium fiunt, quæcumque amantur in nobis. Hinc ergo penſent invidi, caritas quantæ virtutis eſt, quæ alieni laboris opera, noſtra ſine labore facit. Dum ſe invidi à livore minime cuſtodiunt, in antiquam verſuti hoſtis nequitiam demerguntur. De illo namque ſcriptum eſt: *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Quia enim ipſe cælum perdidit, condito hoc homini invidit: & damnationem ſuam perditus, adhuc alios perdendo cumulavit. Cognoſcant invidi, quantis lapſibus ſubcreſcentis ruinæ ſubjaceant: quia dum livorem a corde non projiciunt, ad apertas operũ nequitias devolvuntur. Niſi enim Cain invidiſſet acceptam fratris hoſtiam, minime perveniſſet ad ejus extinguendam vitam. Vnde ſcriptum eſt: *Et reſpexit dominus ad Abel & ad munera ejus, ad Cain vero & ad munera ejus non reſpexit. Iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus ejus.* Itaque livor ſacrificii, fratricidii ſeminarium fuit. Nam quem meliorem ſe eſſe doluit, ne utcumque eſſet, amputavit. Dicendum eſt invidis, quia dum ſe iſta intrinſecus peſte conſumunt, etiam quidquid in ſe aliud boni habere videntur, interimunt. Vnde ſcriptum eſt: *Vita carnium, ſanitas cordis: putredo oſſium, invidia.* Per livoris vitium ante Dei oculos pereunt, etiam quæ humanis oculis fortia videntur. Oſſa quippe per invidiam putreſcere eſt, quædam etiam robuſta deperire. Ille eſt vere humilis ſubjectus in bonis, qui non eſt defenſor in malis. Nam dum de malis ſuis ſubjectus arguitur, & contra verba arguentis accenditur, quando de bonis ſuis quaſi humiliter titubat, per humilitatis vocem ornari appetit, non doceri.

[Sap.] 14.

[Prov.] 14.

CVI.

[...]eri. [...]ira cō [...]l.lib.1. 22.

Ad hæc quæ prædicta ſunt, ego tunc: Sic, inquam, iſta invidioſis queſtibus jactas, & in ſuggillationem pontificum, vel certe ipſius pontificatus exaggeras, quaſi non ubi iſta legiſti, quibus rationabiliter permoveris; ibi etiam illa ſint, quæ a vobis prætermiſſa, breviter in excuſationem officii ſacerdotalis attingemus. Poſt illa verba, quibus negligentium finis ſacerdotum oſtenditur, de pontifice officium ſuum curante, propheta ſic loquitur: *Si autem annuntiante te ad impium, ut a viis ſuis convertatur, non fuerit converſus a via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, & tu animam tuam liberaſti.* Hic certe ſatis evidenter oſtenditur, quod ſive proficiant, ſive non proficiant auditores, tacere eis non debeant ſacerdotes: nec ideo rei ſint, ſi forte eorum verba populi non audiunt, vel audita contemnunt, ſed ſi ab eis corrigendis abſiſtunt. Quia ſi nec exemplo vitæ præpoſitorum ſuorum, nec verbo doctrinæ populi contumaces emendati proficiunt, ipſi ſibi cauſa ſuæ perditionis exiſtunt, & doctores ſuos, quorum exempla ſimul ac verba deſpiciunt, involuere criminibus ſuis omnino non poterunt. Quod idem propheta evidentius alio loco proſequitur, dicens: *Speculator cum viderit gladium venientem ſuper terram & cecinerit buccina, & annuntiaverit populo: audiens autem, quiſquis ille eſt, ſonitum buccinæ, & non ſe obſervaverit, veneritque gladius & tulerit eum, ſanguis ipſius ſuper caput ejus erit. Sonum buccinæ audivit, & non ſe obſervavit, ſanguis ejus in ipſo erit. Si autem ſe cuſtodierit, animam ſuam ſalvabit.* Hic quoque quid agere debeat, qui fungitur ſpeculatoris officio, divinus ſermo ſatis oſtendit: ſcilicet ut quando viderit venientem gladium ſuper terram, hoc eſt iram Dei ſuper peccatores, operibus terrenis addictos, omnino non taceat, atque eis, quamdiu inhæſerint iniquitatibus

[Eze]ch. 33.

[Eze]ch. 33.

ſuis, imminere divinæ indignationis interitum denuntiare non deſinat, ſed clare ac publice arguat: quia hoc buccinæ nomen inſinuat, ut ſe a ſuis criminibus emendantes, ſupplicium futuræ damnationis effugiant. Quod ſi corripientem, ſi iram futuram, quæ contemptoribus jam imminet, nuntiantem homines terreni deſpiciunt: ſanguis eorum in ipſis erit, & ſacerdos, qui eis peccata eorum non tacuit, pœnæ, quæ eos expectat, particeps eſſe non poterit.

CVII.

Ejuſdem. De vita cō templ. lib. 2. cap. 10.

Oſee. 4.

Nec illi, qui ſua poſſidentes, dari ſibi aliquid volunt, ſine grandi peccato ſuo, unde pauper victurus erat, accipiunt. De clericis quidem Spiritus ſanctus dicit: *Peccata populi mei comedunt.* Sed ſicut nihil habentes proprium, non peccata, ſed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt: ita poſſeſſores non alimenta quibus abundant, ſed aliena peccata ſuſcipiunt. Ipſi quoque pauperes ſi ſe poſſint ſuis artificiis, aut laboribus expedire, non præſumant quod debet debilis & infirmus accipere: ne forte eccleſia, quæ poteſt omni ſolatio deſtitutis neceſſaria miniſtrare, ſi omnes etiam nihil indigentes accipiant, gravata, illis quibus debet ſubvenire non valeat. Qui autem eccleſiæ ſerviunt, & labori ſuo velut debita reddi oportere credentes, ea quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt, nimis carnaliter ſapiunt, ſi putant quod eccleſiæ fideliter ſervientes, ſtipendia terrena ac non potius præmia æterna percipiant. Sæcularis quippe militia, quia cæleſtia non habet, terrena ſtrenue militantibus præſtat. Vnde ſatis indignum eſt, ſi fidelis & operoſa devotio clericorum, propter ſtipendium temporale præmia ſempiterna contemnat. Quod ſi quilibet miniſter eccleſiæ non habeat, unde vivat, non ei reddat hic, ſed neceſſaria præſtet eccleſia, ut in futuro præmium laboris recipiat, quod in hac vita jam ſpe dominicæ promiſſionis expectat. Illi quoque, qui velut idonei, nihil ſibi quidem dari velut debitum poſcunt, ſed tamen eccleſiæ ſumptibus vivunt; non eſt meum dicere, quali peccato cibos pauperum præſumendo ſuſcipiant, qui eccleſiam, quam juvare de propriis facultatibus debuerant, ſuis expenſis inſuper gravant: propter hoc fortaſſis in congregatione viventes, ne aliquos pauperes paſcant, ne advenientes excipiant, aut ne ſuum cenſum expenſis quotidianis imminuant. Quod ſi aliquid de fructibus ſuis eccleſiæ velut pro ipſa expenſa ſua contulerint, non ſe præferant inani jactantia illis quos nihil habentes paſcit & veſtit eccleſia: quia perfectior eſt ille, qui ſe mundi rebus expoliat, aut qui cum nihil habuerit, nec habere deſiderat, quam ille qui ex multis quæ poſſidet, eccleſiæ aliquid præſtat, ac ſe de eo quod præſtiterit, forſitan jactat. Dura ſunt quæ dico, nec ego diffiteor; dura ſunt, ſed obſervare nolentibus. Ceterum ſi fiant iſta, quæ difficilia non facientibus ſunt, ſtatim facilia facientibus fiunt. Nõ ergo ea quæ nolumus obſervare, impoſſibilitas nobis facit dura, ſed novitas. In uſum veniant, & neminem frequentata conturbabunt. Nam quæro, quid ſit eorum, quæ dixi, difficile? ut homo id quod opus non habet, ab eccleſia non accipiat: an, ut quod opus non habet, ſine cauſa contemnat? Si propter hoc non vult ſua quiſque relinquere, ut habeat unde vivat; ut quid accipit, unde rationem reddat? ut quid peccatis alienis ſua multiplicat?

CVIII.

Itaque ſacerdos, cui diſpenſationis cura commiſſa

Anno Christi 816.

Ejusdem. De vita cõtempl lib 2. cap. 11.

missa est, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis, accipit a populo dispensanda, & fideliter dispensat accepta, qui omnia sua aut reliquit, aut ecclesiæ rebus adjunxit, & se in numero pauperum paupertatis amore constituit, ita ut unde pauperibus subministrat, inde & ipse tamquam pauper voluntarius vivat. Clerici quoque, quos pauperes aut voluntas, aut nativitas fecit, cum perfectione virtutis, vitæ necessaria, sive in domibus suis, sive in congregatione viventes, accipiunt: quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, sed cogit vivendi necessitas.

CIX.

Ejusdem De vita cõtempl. l. 2. cap. 12. 1. Cor. 9.

Illi autem, qui tam infirmi sunt, ut possessionibus suis renuntiare non possint, si ea quæ accepturi erant, dispensatori relinquant, nihil habentibus conferenda, sine peccato possident sua: quia & ipsi quodammodo sua relinquunt, quando propriis contenti rebus, nihil eorum quæ labori vel ordini suo deberi arbitrantur, accipiunt. Quod si putant ideo accipi debere eorum, quæ conferuntur ecclesiæ, portionem, ne eam videantur abjicere, se vero non posse sua relinquere, quod eis deforme sit inter suos pauperes reddi: noverint esse deformius, possessores de eleemosynis pauperum pasci.

CX.

Ejusdem De vita contẽpl. l. 2. cap. 13.

Heu quam subtiliter nos ille decipiendi artifex fallit! quanta cæcitate oculos nostræ mentis obducit, ne discernamus gaudendi avidi, unde justius gaudeamus: aut ne cupientes augeri divitiis, noverimus quas quibus incomparabiliter præferamus! Nam gaudere quidem bonum est: sed qui gaudet, si non inde gaudet unde debet, non potest bonum esse quod gaudet. Si quidem gaudet & raptor, cum desiderata rapuerit. gaudet & ebriosus, cum exoptatæ occasionem potationis invenerit: gaudet & adulter, cum ad delectationem fruendi corporis concupiti pervenerit. Sed cum sit gaudere bonum, de his atque de hujuscemodi gaudere, grande est malum. Hæc & his similia sunt, unde nos gaudere vult mundus, cum suis amatoribus periturus. Hæc sunt quæ repudiare debemus, ut de bona conscientia, sanctitate morum, de acquisitione virtutum, de dono Dei, & de promissione futuri regni, ineffabiliter gaudeamus. Ditari quoque divitiis, grande est bonum. Sed inde ditari unde non debeas, non est habenda facultas, sed detestanda calamitas. Nihil est enim calamitosius, nihilque miserius eo, qui iniquis acquisitionibus crescit, quem locupletem fraudes faciunt ac rapinæ. Illæ nobis sunt ambiendæ divitiæ, quæ nos ornare possunt pariter & munire, quas nec acquirere possumus inviti, nec perdere: quæ nos contra impetus hostiles armant, a mundo disterminant, Deo commendant, ditant animos nostros atque nobilitant: nobiscũ sunt, intra nos sunt. Divitiæ nostræ credendæ sunt; pudicitia, quæ nos pudicos, justitia, quæ justos, pietas, quæ pios, humilitas, quæ humiles, mansuetudo, quæ mansuetos, innocentia, quæ innocentes, puritas, quæ puros, prudentia, quæ prudentes, temperantia, quæ temperantes, & caritas, quæ nos facit Deo & hominibus caros, virtutum potentes, sæculi contemptores, ac bonorum omnium sectatores. Hæc sunt non omniũ, sed sanctorum sanctæ virtutes: non divitum

A superborum, sed humilium pauperum facultates: patrimonium cordium, divitiæ incorruptibiles morum: quibus non abundant, nisi qui illis carnalibus ex corde renuntiant. Quæ quamvis & ipsa sint bona, ut pote a bono Deo creata, tamen quia sunt bonis malisque communia, student ea spiritales viri contemnere, quo possint ad illa incomparabiliter meliora, quæ sunt bonorum omnium propria, pervenire. Quoniam non est tale bonum quod habent & mali, quale illud est, quod non habent nisi boni. Corporale bonum quando habent iniqui, ipsorum est premium: quando habent justi, non est eorum præmium, sed temporale solatium. Item boni temporalis amissio, fit exercitiũ justi, & injusti supplicium: quia & justus desiderio

B cælestium captus, omnia temporalia, sive habeat, sive amittat, omnino non sentit: & iniquus id, quod cum delectatione habuit, sine dolore non perdit. Propterea igitur eis qui militant Deo, fugiendæ sunt ex toto corde divitiæ. Quas qui habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. Apostolus autem Christi militibus dicit: *Volo vos sine solicitudine esse.* &, *Radix omnium malorum avaritia, quam quidam appetentes erraverunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Ac sic census iste terrenus eis, a quibus vitiose diligitur, non est voluptatum materia, sed dolorum.

1 Cor. 7. 1. Tim.

C Quapropter expedit facultates ecclesiæ possideri, ut inde vivant, qui non sæculo, cujus gaudia fugitiva repudiant, sed Deo deserviunt, cujus ineffabilia bona desiderant.

CXI.

De talibus dicere videtur apostolus: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altario deserviunt, cum altari participant.* Qui nisi hoc de contemptoribus facultatum suarum vellet intelligi, nunquam securus adjungeret: *Ita & dominus ordinavit his qui euangelium annuntiant, de euangelio vivere.* De euangelio vivunt, qui nihil proprium habere volunt: qui nec habent, nec habere aliquid concupiscunt, non suorum, sed communium possessores. Quid est

D aliud de euangelio vivere, nisi laborantem inde, ubi laborat, necessaria vitæ percipere? Apostolus tamen, qui sic euangelium prædicavit, ut nec de euangelio viveret, sed necessaria sibi suis manibus ministraret, de se confidenter eloquitur: *Ego autem nullo horum usus sum.* Et quare hoc dixerit, securus aperuit, dicens: *Expedit mihi mori, magis quam ut gloriam meam quis evacuet.* Evacuari dicit gloriam suam, si ab eis, quibus prædicabat, voluisset accipere vitæ temporalis expensam. Nolebat quippe in præsenti laboris sui fructum, sed in futuro, recipere. Si ergo ille qui nihil habebat, noluit de euangelio, ubi

E laborabat, sed suis manibus vivere, ne gloriam suæ mercedis amitteret: quid nos, qui propria nolumus, amore possidendi, non vivendi necessitate, relinquere, & accipere insuper volumus, non unde vivamus, sed unde censum nostrum incrementis damnabilibus augeamus?

CXII.

Augustin. De vita & moribus clericorum.

Propter quod volui & rogavi hesterno die, ut hodie frequentius conveniretis, hoc est quod dicturus sum. Vobiscum hic vivimus, & propter vos vivimus, & intentio votumque nostrum est, ut apud Christum vobiscum sine fine vivamus. Credo autem ante oculos vestros esse conversationem

ANNO CHRISTI 816.

tionem nostram, ut & nos dicere fortassis audeamus, quamvis multum illi impares, quod dixit Apostolus: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Et ideo nolo, ut aliquis de nobis inveniat male vivendi occasionem. *Providemus enim bona*, ait idem Apostolus, *non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Propter nos conscientia nostra sufficit nobis: propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi, atque distinguite. Duæ res sunt, conscientia & fama. Conscientia tibi, fama proximo tuo est necessaria. Qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est, maxime in loco isto positus, de quo dicit Apost. scribens ad discipulum suum: *Circa omnes te ipsum bonorum operum præbe exemplum.* Vt ergo non vos diu teneam, præsertim quia ego sedens loquor, vos stando laboratis: Nostis omnes, aut pene omnes, sic nos vivere in ea domo, quæ dicitur domus episcopii, ut quantum possumus, imitemur eos sanctos, de quibus loquitur liber Actuum apostolorum: *Nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia.* Quia forte aliqui vestrum non sunt tam diligentes vitæ nostræ scrutatores, ut hoc sic noverint, quomodo volo vos nosse: dico quid sit, quod breviter dixi. Ego, quem Deo propitio videtis episcopum vestrum, iuvenis veni ad istam civitatem, ut multi vestrum noverunt. Quærebam ubi constituerem monasterium, & viverem cum fratribus meis. Spem quippe omnem sæculi reliqueram, & quod esse potui, nolui: non quæsivi tamen quod sum. Elegi in domo Dei abiectus esse, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ab eis qui diligunt sæculum, secrevi me: sed eis qui præsunt populis, non me coæquavi: nec in convivio domini mei superiorem locum elegi, sed inferiorem & abiectum. Et placuit illi dicere mihi, Ascende sursum. Vsque adeo autem timebam episcopatum, ut quoniam cœperat esse iam alicuius momenti inter Dei servos fama mea, in quo loco sciebam non esse episcopum, non illo accederem. Cavebam hoc, & agebam, quantum poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer. Sed, ut dixi, domino servus contradicere non debet. Veni ad istam civitatem, propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, ut nobiscum esset in monasterio: quasi securus, quia locus habebat episcopum. Apprehensus, presbyter factus sum, & per hunc gradum ad episcopatum perveni. Non attuli aliquid, non veni ad hanc ecclesiam nisi cum his indumentis quibus illo tempore vestiebar. Et quia hoc disponebam, esse in monasterio cum fratribus, cognito instituto & voluntate mea, beatæ memoriæ senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est monasterium. Cœpi boni propositi fratres colligere compares meos, nihil habentes, sicut nihil habebam, & imitantes me, ut quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi, & pauperibus erogavi, sic facerent & illi qui mecum esse voluissent, ut de communi viveremus: commune autem nobis esset magnum & uberrimum prædium ipse Deus. Perveni ad episcopatum: & vidi necesse habere episcopum, exhibere humanitatem assiduam quibuscunque venientibus, sive transeuntibus: quod si non fecisset episcopus, inhumanus diceretur. Si autem ista consuetudo in monasterio permissa esset, indecens esset: & ideo volui habere in domo ista episcopii mecum monasterium clericorum. Ecce quomodo viuimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium. Sed forte aliqui habent: nulli licet. Si qui habent, faciunt quod non licet.

Phil. 3. / Rom. 12. / Tit. 2. / Act. 2 & 4. (margin references, partly cut off: "Cor. 4", "m.:.", "it. 2.", "2 & 4.")

A Bene autem sentio de fratribus meis, & semper bene credens, ab hac inquisitione dissimulavi: quia & ista quærere, quasi male sentire videbatur. Noveram enim & novi, omnes qui mecum viverent, nosse propositum nostrum, nosse legem vitæ nostræ. Venit ad nos etiam presbyter Ianuarius, qui videbatur sua honeste erogando quasi consumpsisse, sed non consumpsit. Remansit illi quædam pecunia, id est, argentum quod diceret esse filiæ suæ. Filia ipsius, Deo propitio, in monasterio feminarum, & bonæ spei est. gubernet illam dominus, vt impleat quod de illa speramus, in illius misericordia, non in eius meritis. Et quia infra annos erat, & de sua pecunia nihil facere poterat:

B quamvis enim videremus fulgorem professionis, tamen lubricum timebamus ætatis: factum est ut ipsum argentum quasi puellæ servaretur, ut cum ad legitimos annos veniret, faceret inde quod virginem Christi deceret, quando optime iam facere posset. Dum hæc expectantur, cœpit ille morti propinquare. Qui diu tamquam de suo viuens, quia ipsius erat, non filiæ, testamentum fecit. Testamentum, inquam, fecit presbyter socius noster, nobiscum manens, de ecclesia viuens, communem vitam profitens. Testamentum fecit, heredes instituit. O dolor illius societatis, ô fructus natus non de arbore quam plantavit Dominus. Sed ecclesiam scripsit

C heredem. Nolo munera ista, non amo amaritudinis fructum. Ego illum Deo quærebam, societatem professus erat, hanc teneret, hanc exhiberet. Nihil habebat? testamentum non faceret. Habebat aliquid? non se nostrum socium, quasi Dei pauperem fingeret. Magnus mihi inde dolor est, fratres. Dico caritati vestræ: propter hunc dolorem statui hereditatem ipsam in ecclesia non suscipere. Filiorum ipsius sit quod reliquit. Ipsi inde faciant quod voluerint. Videtur enim mihi, quia si eam suscepero, in isto facto, quod mihi displicet, & quod doleo, eius particeps ero. Hoc volui non latere caritatem vestram. Filia ipsius in monasterio est feminarum, & filius ipsius in monasterio virorum est. ambos exheredavit: illam cum laude, istum cum

D elogio, id est, cum vituperatione. Commendavi autem ecclesiæ, ut non accipiant ipsas portiunculas, quæ pertinent ad exheredatos, nisi cum ad legitimam ætatem pervenerint. Hoc eis reseruat ecclesia. Deinde litem dimisit inter filios suos, in qua laboro. Puella dicit, Meum est, nostis quia hoc dicebat semper pater meus. Puer dicit, Credatur patri meo, quia moriens mentiri non potuit. Et ista contentio quale malum est? Sed si pueri ipsi serui Dei sunt, litem hanc inter illos citò finimus. Audio illos ut pater, & forte melius quam pater ipsorum. Videbo quid sit iuris. Sicut dominus voluerit, cum paucis fratribus fidelibus honoratis, Deo propitio, de numero vestro, id est, de plebe ista, audio inter

E illos causam, & sicut dominus donaverit, finio. Tamen rogo vos, nemo me reprehendat, quia eius hereditatem nolo suscipiat ecclesia. Primo, quia factum illius detestor. Deinde, quia institutum meum est. Multi laudant quod dicturus sum, sed aliqui & reprehendunt: utrisque facere satis valde difficile est. Audistis modo cum euangelium legeretur: *Cantavimus vobis, & non saltastis: planximus, & non luxistis. Venit Ioannes Baptista non manducans neque bibens, & dicunt, Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt, Ecce homo vorax, potator vini, & amicus publicanorum.* Quid ergo facio inter illos, qui parant me reprehendere, & dentes in me ducere, si suscepero hereditates eorum qui filios Matth 11.

ANNO CHRISTI 816.

ANNO CHRISTI 816.

suos irati exheredant? Iterum quid sum facturus eis, quibus canto, & nolunt saltare? qui dicunt, Ecce quare nemo donat ecclesiæ Hipponensi aliquid: Ecce quare non eam faciunt, qui moriuntur, hæredem: quia episcopus Augustinus de bonitate sua (laudando enim mordent, labiis mulcent, & dentem figunt) donat totum, non suscipit. Plane suscipio, profiteor me suscipere oblationes bonas, oblationes sanctas. Si quis autem irascitur in filio suo, & moriens exheredat eum; si viveret, non eum placarem? non ei filium reconciliare deberem? Quomodo ergo cum filio suo volo ut habeat pacem, cuius appeto hæreditatem? Sed plane si faciat quod sæpe hortatus sum. Unum filium habet? putet Christum alterum: duos habet? putet Christum tertium: decem habet: Christum undecimum faciat, & suscipio. Quia ergo feci hoc in quibusdam rebus, iam volunt bonitatem meam, vel commendationem famæ meæ in aliud vertere, ut alio modo me reprehendant, quia oblationes devotorum hominum nolo suscipere. Considerent quam multa susceperim. Quid opus est ea numerare? Ecce unam dico, filii Iuliani hereditatem suscepi. Quare? quia sine filiis defunctus est. Bonifacii hereditatem suscipere nolui, non misericordia, sed timore. Naviculariam nolui esse ecclesiam Christi. Multi sunt quidem, qui etiam de navibus acquirunt. Tamen una tentatio si esset, si iret nauis, & naufragaret, homines ad tormenta daturi eramus: ut de submersione navis secundum consuetudinem quæreretur, & torquerentur a iudice qui essent de fluctibus liberati. Sed non eos daremus, nullo pacto enim hoc facere deceret ecclesiam. Onus ergo fiscale persolveret, sed unde persolveret? enthecam nobis habere non licet. Non est episcopi servare aurum, & revocare a se mendicantis manum. Quotidie tam multi petunt, tam multi gemunt, tam multi nos inopes interpellant, ut plures tristes relinquamus, quia ut possimus dare omnibus non habemus. Non habemus ergo enthecam. Propter naufragium ergo hoc vitandum feci, non donando. Nemo ibi me laudet, sed nemo & vituperet. Plane, quando donavi filio quod iratus pater moriens abstulit, bene feci. Laudent, qui volunt: parcant, qui laudare nolunt. Quid pluribus, fratres mei? Quicumque vult, exheredato filio, heredem facere ecclesiam, quærat alterum qui suscipiat, non Augustinum: imo, Deo propitio, neminem inveniat. Quam laudabile factum sancti & venerandi episcopi Aurelii Carthaginensis, quomodo implevit os omnium qui sciunt laudibus Dei? Quidam cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes, retento sibi usufructu, donavit ecclesiæ. Nati sunt illi filii, & reddidit episcopus nec opinanti, quæ illi donaverat. In potestate habebat episcopus non reddere: sed iure fori, non iure cæli. Sane etiam hoc noverit caritas vestra, dixisse me fratribus meis, qui mecum manent, ut quicumque habet aliquid, aut vendat, aut eroget, aut donet, aut commune illud faciat. Ecclesiam habet, per quam nos Deus pascit. Et dedi dilationem usque ad epiphaniam, propter eos qui vel cum fratribus suis non diviserunt, & dimiserunt quod habent apud fratres suos: vel nondum de re sua aliquid egerunt, quia expectabatur ætas legitima. Faciant inde quod volunt, dum tamen sint pauperes mecum, simul expectemus misericordiam Dei. Si autem nolunt, qui forte nolunt, certe ego sum, qui statueram, sicut nostis, nullum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet manere: ut si vellet discedere a proposito, recte illi tollerem clericatum, quia desereret sanctæ societatis promissum, cœptumque consortium. Ecce in conspectu Dei & vestro, muto consilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus & ecclesia eius, maneant ubi volunt, & ubi possunt; non eis aufero clericatum. Nolo habere hypocritas. Malum est, quis nesciat? malum est, cadere a proposito: sed peius est, simulare propositum. Ecce dico, audite: Qui societatem communis vitæ iam susceptam, quæ laudatur in apostolorum Actibus, deserit, a voto suo cadit, a professione sancta decidit. Observet iudicem, sed Deum, non me: ergo ei non aufero clericatum, quantum sit periculum, ante oculos eius posui, faciat quod vult. Novi enim, quia si aliquem hoc facientem degradare voluero, non ei deerunt patroni, non ei deerunt suffragatores, & hic, & apud episcopos, qui dicant: Quid mali fecit? non potest tecum tolerare vitam istam, extra episcopum vult manere, de proprio vivere: ideóne debet perdere clericatum? Ego scio, quantum mali sit, profiteri sanctum aliquid, nec implere, *Vovete*, inquit, *& reddite Domino Deo vestro.* &, *Melius est non vovere, quam vovere & non reddere.* Virgo & si nunquam fuerit in monasterio, & virgo sacra est; nubere illi non licet, esse in monasterio non compellitur. Si autem cœpit esse in monasterio, & deseruit, & tamen virgo est, dimidia ruit. Sic & clericus duas res professus est, & sanctitatem, & clericatum; interius sanctitatem. Nam clericatum propter populum suum Deus imposuit cervicibus ipsius. Magis onus est, quam honor. Sed quis sapiens, & intelligit hæc? Ergo professus est sanctitatem, professus est communiter vivendi societatem: professus est, Quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum. Si ab hoc proposito ceciderit, & extra manens clericus fuerit, dimidius & ipse cecidit. Quid ad me? non eum iudico. Si foris servat sanctitatem, dimidius cecidit. Si intus habuerit simulationem, totus cecidit. Nolo habeat necessitatem simulandi. Scio quomodo homines ament clericatum. Nemini eum tollo nolenti mecum communiter vivere: habet Deum, qui mecum manere vult. Si paratus est pasci a Deo per ecclesiam ipsius, non habere aliquid proprium, sed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere, maneat mecum. Qui hoc non vult, habeat libertatem: sed videat, utrum habere possit felicitatis æternitatem. Sufficiant hæc nunc interim caritati vestræ: quod egero cum fratribus meis, annuntiabo vobis. Spero enim bona, quod omnes mihi libenter obediant, nec inventurus sum aliquos habere aliquid, nisi aliqua necessitate religionis, non occasione cupiditatis. Quod ergo egero, post epiphaniam caritati vestræ in Domini voluntate nuntiabo. Et quomodo litem finiero inter duos fratres, filios presbyteri Ianuarii, non vobis tacebo. Multa loquutus sum, date veniam loquaci senectuti, sed timidæ infirmitati. Ego, sicut videtis, per ætatem modo senui: sed per infirmitatem corporis, olim senex fui. tamen si Deo placet quod dixi, modo ipse det vires, non vos desero. Orate pro me, ut quantum inest anima in hoc corpore, & qualescumque vires suppetunt, in verbo Dei serviam vobis. Amen.

Cap. 2 & 4. — Psal. — Eccl.

CXIII.

Eiusdem Sermo I. De vita & moribus clericorum. — 1 Cor. 4.

Caritati vestræ hodie de nobisipsis sermo reddendus est. Quia enim, ut ait Apostolus, *Spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus*, qui nos amant, quærunt quod laudent in nobis: qui autem nos oderunt, detrahunt nobis. Nos autem in utroque medio constituti, adjuuante domino Deo

nostro,

ANNO CHRISTI 815.

nostro, & vitam nostram, & famam nostram sic custodire debemus, ut non erubescant de detractoribus laudatores. Quomodo autem viuere velimus, quomodo Deo propitio iam vivamus, quamuis de scriptura sancta multi noveritis, tamen ad commemorandos vos, ipsa de libro Actuum apostolorum vobis lectio recitabitur, ut videatis ubi descripta sit forma, quam desideramus implere. Dum ergo recitatur, vos intentissimos esse volo, ut post eius recitationem, quod constitui loquar, Domino donante, intentioni vestræ. Cumque diaconus Lazarus legeret: *Cum orassent, motus est locus in quo*

Act. 4. *erant congregati, & impleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia omni volenti. Multitudinis autem credentium erat anima una & cor unum: & nemo eorum quæ possidebat, dicebat aliquid suum esse, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant testimonium apostoli resurrectionis Domini Iesu, gratiaque magna erat super omnes illos. Neque enim egens quisquam fuit inter illos. Quotquot enim possessores prædiorum vel domorum erant, vendentes afferebant precia illorum, & ponebant ante pedes apostolorum. distribuebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Cumque Lazarus diaconus recitaret, & episcopo codicem tradidisset, August. episcopus dixit: Et ego legere volo: plus enim me delectat huius verbi esse lectorem, quam verbi mei disputatorem. *Cum orassent, motus est locus in quo erant congregati, & impleti omnes Spiritu sancto, loquebantur verbum Dei cum fiducia omni volenti. Multitudinis autem credentium erat anima una & cor unum: Et nemo eorum quæ possidebat, dicebat aliquid suum esse, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant testimonium apostoli resurrectionis Domini Iesu, gratiaque magna erat super omnes illos. Neque enim egens quisquam fuit inter illos. Quotquot enim possessores prædiorum vel domorum erant, vendentes afferebant precia eorum, & ponebant ante pedes apostolorum distribuebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Cumque episcopus legisset, dixit: Audistis quid velimus, orate vt possimus. Contigit autem quædam necessitas, vt hæc diligentius agerem. Quoniam sicut iam nostis, presbyter in nostra societate constitutus, quali societati perhibet testimonium lectio, quam modo cum recitaremus, audistis; moriens testamentum fecit, quia habuit vnde faceret. Erat quod diceret suum, cum in ea societate viveret, vbi nemini licebat dicere aliquid suum, sed esse illis omnia communia. Si quis dilector & laudator noster apud detractorem nostrum prædicaret istam societatem, & diceret, Cum episcopo Augustino sic vivunt omnes cohabitatores eius, quomodo scriptum est in Actibus apostolorum, continuo ille detractor caput movens, dentem promovens, diceret: Ita vero, sic ibi vivitur quomodo dicis? Quare mentiris? quare falsa laude honoras indignos? Nonne ibi modo in eorum societate positus presbyter testamentum fecit, & quod habuit, quomodo voluit, disposuit & reliquit? Certe omnia ibi sunt communia, certe nemo dicit aliquid suum. Sub his verbis quid ageret laudator meus? Nonne os eius quasi plumbo oppilaret ille detractor? nonne illum laudasse pœniteret? nonne reverentia perfusus, & illius sermone confusus, vel nobis, vel testatori illi malediceret? Hæc fuit necessitas, ut ad istam diligentiam veniremus. Nuntio ergo vobis unde gaudeatis. Omnes fratres & clericos meos, qui mecum habitant, presbyteros, diaconos, subdiaconos, & Patricium nepotem meum, tales inveni, quales desideravi.

ANNO CHRISTI 816.

Sed sunt qui de sua qualicumque paupertate quod statuerant, nondum fecerunt. Hi sunt, Valens subdiaconus, & paulo ante dictus nepos meus subdiaconus, & matris vita impediebat, quia inde vivebat. Expectabatur in illo etiam legitimæ ætatis accessus, vt quod faceret, firmissime faceret. Nondum autem fecit, quia ipsos agellos habet cum suo fratre communes, & subindivisos eos possident. Sic autem eos cupit ecclesiæ conferre, ut inde alantur qui sunt in proposito sanctitatis, quousque in hac vita degunt. Scriptum est enim, & hoc Apostolus loquitur: *Quisquis autem suis, & maxime domesticis, non providet, fidem denegat, & est infideli deterior.* 1. Tim. 5. Adhuc autem mancipia sunt ei similiter cum fratre communia, nondum divisa. Disponit ea manumittere: non potest antequam dividantur. Quid enim ad se pertineat, adhuc ignorat. Ad ipsum sane, quia maior est, pertinet divisio & ad fratrem ejus electio: & ipse frater ejus Deo servit, & subdiaconus est cum sancto fratre meo, & coepiscopo Severo in ecclesia Milevitana. Hoc agitur, hoc sine dilatione peragendum est, ut illi servuli dividantur, & manumittantur, & sic det ecclesiæ, ut eorum excipiat alimentum. Nepos autem meus, ex quo conversus est, & mecum esse cœpit, impediebatur & ipse aliquid de agellulis suis agere invita usufructuaria matre sua, quæ hoc anno defuncta est. Inter ipsum & sorores ejus sunt quædam, in Christi adiutorio cito finienda, ut & ipse faciat quod Dei seruum decet, & quod ipsa professio & ista exigit lectio. Diaconus Faustinus (sicut pene omnes nostis) hic de militia sæculi ad monasterium conversus est, hic baptizatus, inde diaconus ordinatur. Sed quia exiguum est quod videtur possidere, sicut iuris periti loquuntur, iure, non corpore, reliquerat illud, & ab eius fratribus tenebatur. Nunquam inde cogitavit, ex quo conversus est, nec ipse aliquid quæsivit a fratribus suis, nec ab illo aliquid est quæsitum. Modo quia ventum est ad hunc articulum temporis, cum consilio meo divisit ipsam rem: & dimidiam donavit fratribus suis, dimidiam ecclesiæ pauperi in loco eodem constitutæ. Diaconus Severus sub qua Dei disciplina & flagello sit, nostis: lumen tamen non perdidit mentis. Vnam domum hic emerat propter matrem & sororem suam, quas de sua patria huc desiderabat adducere. Emerat autem, non sua pecunia, quam non habebat, sed ex consolatione religiosorum virorum, quos mihi quærenti etiam nominans indicavit. De ipsa non possum dicere quid fecerit, aut quid disponet, nisi quia ipse totum in mea posuit voluntate, ut quidquid ipse vellem, hoc inde fieret. Sed habet quasdam causas cum matre sua, quarum causarum me iudicem poscit: vt cum illæ causæ fuerint terminatæ, fiat de ipsa domo quod ego voluero. Quid autem velle potero, Deo regente, nisi quod iustitia iubet, & pietas postulat? Habet etiam in patria sua aliquos agellos: disponit eos sic distribuere, ut etiam illic in ipso loco positæ pauperi largiatur ecclesiæ. Diaconus Hipponensis homo pauper est: quid alicui conferat, non habet: tamen de laboribus suis, antequam esset clericus, emerat aliquos servulos, hodie illos in conspectu vestro manumissurus est episcopalibus gestis. Diaconus Eradius ante vestros oculos versatur: opera eius lucent coram oculis nostris: de opere eius & expensa pecunia memoriam sancti martyris habemus. De pecunia sua emit etiam possessionem ex consilio meo. Nam ipsam pecuniam volebat per manus meas erogari, sicut mihi placeret. ego si pecuniæ

pecuniæ auidus essem, aut necessitates ipsas meas, quas pro pauperibus habeo, in hac causa plus curarem, pecuniam acciperem. Quare? dicit aliquis. Quia possessio illa, quæ ab illo empta, & ecclesiæ donata est, adhuc nihil præstat ecclesiæ. Minus enim habebat ad precium. Et quia mutuatus fuerat, hoc de eius adhuc fructibus redditur. Homo sum senex: quantus mihi de illa possessione potest fructus accedere? Numquid promitto mihi tot annos esse victurum, donec suum precium illa persolvat? Quod ergo vix diu partibus reddit, de proximo haberem totum, si accipere voluissem. Non feci, aliud attendi. Fateor enim vobis, & ipsa suspecta mihi adhuc eius ætas fuit: ac verebar, ne forte, vt sunt homines, matri eius hoc B displiceret, & diceret, inductum a me fuisse adolescentem, ut bona eius paterna consumerem, & eum egentem relinquerem. Ideo volui eius pecuniam in illa possessione servari, vt si aliquid (quod Deus avertat) aliter quam volumus evenisset, redderetur villa, ne culparetur episcopi fama. Scio enim quantum vobis sit necessaria fama mea. Nam mihi sufficit conscientia mea. Emit etiam spatium ab ista postea ecclesia, notum vobis; & sua pecunia ædificavit domum, & hoc nostis. Ante paucos dies, priusquam sermonem de hac re haberem vobiscum, eam donavit ecclesiæ. Expectabat enim ut eam perficeret, & perfectam donaret. C Fabricandi autem domum necessitas illi nulla erat, nisi quia cogitavit matrem suam huc esse venturam. Si ante venisset, in re filii sui habitaret: modo si venerit, in opere filii sui habitabit. Testimonium ei perhibeo: pauper remansit, sed in caritatis possessione permansit. Aliqui servuli ei reliqui fuerant, iam quidem in monasterio viventes, quos tamen gestis ecclesiasticis manumissurus est hodie. Nemo ergo dicat, Dives est, nemo existimet, nemo male loquatur, nemo seipsum & animam suam suis dentibus laniet. Pecuniam nullam habet servatam, utinam quam debet restituat. Ceteri, id est subdiacones, pauperes sunt, Deo propitio, misericordiam Dei expectant. Vnde ipsi faciant, non habent: nullas habentes facultates, finierunt D mundi cupiditates. Vivunt nobiscum in societate communi. Nemo eos distinguit ab eis qui aliquid attulerunt. Caritatis vnitas præponenda est terrenæ commodo hereditatis. Restant presbyteri: sic enim ad eos gradatim ascendere volui. Cito dixerim, pauperes Dei sunt, nihil ad domum societatis nostræ attulerunt, nisi ipsam, qua nihil est carius, caritatem. Verumtamen quoniam scio natos fuisse rumores de divitiis ipsorum, non a me ad aliquid compellendi, sed vobis meo sermone purgandi sunt. Vobis dico, qui forte nescitis: nam & vestrum plurimi sciunt. Presbyterum Leporium, quamvis sæculi natalibus clarum, & apud suos honestissimo loco natum, tamen iam E Deo servientem, cunctis quæ habebat relictis, inopem suscepi. Non quia nihil habuit, sed quia iam fecerat, quod lectio ista persuadet. Hic non fecit, sed nos scimus & ubi fecit. Vnitas Christi est, ecclesia una est. Vbicumque fecit opus bonum, pertinet & ad nos, si congaudeamus. Hortus est unus, ubi nostis: ibi monasterium suis constituit, quia & ipsi Deo serviunt. Ille hortus ad ecclesiam non pertinet, nec ad ipsum. Et ad quem? dixerit aliquis: ad illud, quod ibi est, monasterium. Sed quod verum est, usque ad hoc tempus curam pro illis ita gerebat, ut sumpticulos, quibus sustentantur, apud se haberet, & eis ipse (ut videbatur) impenderet. Sed ne propter hoc daretur locus hominibus suspi-

ciones suas rodentibus, & ventrem non implentibus, hoc placuit & mihi & ipsi, ut sic se illi transigant, quasi iste iam de sæculo exierit. Numquid enim, cum obierit ipse, illis dispensaturus est aliquid? Melius est ut videat illos bene versantes, & regente Deo, in disciplina Christi viventes, ut de illis tantummodo gaudeat, non eorum necessitatibus occupetur. Pecuniam non habet, quam suam dicere possit. Habebat xenodochium ædificandum, quod modo videtis ædificatum. Ego illi iniunxi, ego iussi: obtemperavit mihi libentissime, & sicut videtis, operatus est. Quomodo etiam meo iussu basilicam ad octo martyres fabricavit, de his quæ per vos Deus donavit. Cœpit enim de pecunia, quæ data erat ecclesiæ propter xenodochium: Et cum cœpisset ædificare, ut sunt religiosi desiderantes opera sua in cælo scribi, adiuverunt prout quisque voluit & fabricavit. Opus ante oculos habemus. Omnis homo quid factum sit, videt: de pecunia, quia non habet, mihi credant: dentem compescant, ne frangant. Emerat de ipsa pecunia xenodochii quamdam domum in carraria, quam sibi existimabat propter lapides profuturam. Sed lapides eius domus, fabricæ necessarii non fuerunt, quoniam aliunde provisi sunt. Domus ergo ipsa sic remansit. Pensionem præstat, sed ecclesiæ, non presbytero. Nemo amplius dicat, In domum presbyteri, ad domum presbyteri, ante domum presbyteri. Ecce ubi est domus presbyteri: ubi est domus mea, ibi est domus presbyteri. Alibi non habet domum, sed ubicumque habet Deum. Quid amplius quæritis, nisi quia me illud memini etiam promisisse, ut ad vos perferrem, quid egissem inter duos, fratrem videlicet & sororem, filios Ianuarii presbyteri: quia orta inter illos fuerat controversia pecuniaria: sed tamen sicut inter fratres, salva Deo propitio caritate. Promiseram ergo audire, ut inter illos quidquid esset iudicandum finirem. Paraveram me iudicem, sed antequam iudicarem, ipsi, quod iudicaturus eram, finierunt. Non inveni unde iudicarem, sed unde lætarer. Acquieverunt omnino concorditer voluntati meæ & consilio meo, ut pares essent in pecunia, quam reliquit pater eorum, ecclesia renuntiante, post sermonem meum. Locuturi sunt homines. Sed & quodlibet homines loquantur, qualicumque aura flante perducetur inde aliquid ad aures meas: & si tale fuerit, ut sit iterum necesse nos purgare, respondebo maledicis, respondebo detractoribus, respondebo incredulis, non nobis credentibus præpositis suis. Respondebo, ut potero, quod Dominus dederit. Interim modo non est necesse, quia nihil forte dicturi sunt. Qui nos amant, libere gaudebunt: qui nos oderunt, tacite dolebunt: tamen si linguas exercuerint, audient Deo propitio vobiscum responsionem meam, non litem meam. Non enim homines nominaturus sum & dicturus, Ille hoc dixit, iste sic detraxit: cum fortasse etiam ad me falsa, quia & hoc potest fieri, perferantur. Verumtamen quæcumque perlata fuerint, si oportere videbitur, loquar inde caritati vestræ. Ante oculos vestros volo sit vita nostra. Scio quia quærentes licentiam male faciendi, quærunt sibi exempla male viventium & multos infamant, ut socios invenisse videantur. Ideo quod nostrum est fecimus, plus quid faciamus non habemus. Ante vestros oculos sumus, nullius aliquid desideramus, nisi bona opera vestra. Et vos exhortor, fratres mei, si aliquid vultis clericis dare, sciatis quia non debetis vitia eorum fovere cōtra me. Omne offerte quod vultis, offerte

offerte de voluntate vestra. Quod commune erit, distribuetur unicuique prout cuique opus erit. Gazophylacium attendite, & omnes habebimus. Valde me delectat, si ipsum fuerit præsepe nostrum, ut nos simus jumenta Dei, vos ager Dei. Nemo det birrum, vel lineam tunicam, seu aliquid, nisi in commune. De communi accipiam mihi ipsi, cum sciam commune me velle habere quidquid habeo. Nolo talia offerat sanctitas vestra, quibus ego solus quasi decentius utar. Offeratur mihi, verbi gratia, birrum preciosum. Forte decet episcopum, quamvis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem de pauperibus natum. Modo dicturi sunt homines, quia inveni preciosas vestes, quas non potuissem habere vel in domo patris mei, vel in illa sæculari professione mea. Non decet. Talem debeo habere, qualem possum, si non habuerit, fratri meo dare, qualem potest habere presbyter, qualem potest habere decenter diaconus & subdiaconus, talem volo accipere, quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo: quod & facere soleo, ut quando non potest vestis esse communis, precium vestis sit commune, vendo & erogo pauperibus. Si hoc eum delectat, ut ego habeam; talem det, de qua non erubescam. Fateor enim vobis, de preciosa veste erubesco: quia non decet hanc professionem, non decet hanc admonitionem, non decet hæc membra, non decet hos canos. Etiam illud dico, si forte in nostra domo, in nostra societate æger est aliquis, vel post ægritudinem, vt necesse sit eum ante horam prandii reficere, non prohibeo religiosos vel religiosas mittere eis quod videtur ut mittant. Prandium tamen & cœnam extra nemo habebit. Ecce dico, auditis? audiunt. Qui habere voluerit proprium, & de proprio vivere & contra ista præcepta nostra facere, parum est ut dicam, non mecum manebit, sed nec clericus erit. Dixeram enim, & scio me dixisse, ut si nollent suscipere socialem vitam mecum, non illis tollerem clericatum: sed seorsum manerent, & seorsum viverent, quomodo nossent, Deo viverent, & tamen ante oculos posui, quantum mali sit a proposito cadere. Malui enim habere cæcos vel claudos, quam plangere mortuos. Qui enim hypocrita est, mortuus est. Quomodo ergo quicumque voluisset extra manere, & de suo vivere, non ei tollerem clericatum: ita modo, quia placuit illis, Deo propitio, socialis hæc vita, quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto, ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula clericorum. Interpellet contra me mille concilia, naviget contra me quo voluerit, sit certe ubi potuerit. Adjuvabit me Dominus, ut ubi ego episcopus sum, ille clericus esse non possit. Audistis? audierunt. Sed spero in Deum nostrum & misericordiam eius, quia sicut dispositionem meam istam hilariter acceperunt, sic eam purè fideliterque servabunt. Dixi aliquid suum non habere presbyteros cohabitatores meos inter quos est & presbyter Barnabas. Sed & de illo audivi quædam fuisse jactata. Ante omnia, quia emit villam a dilecto & honorabili filio meo Eleusino. Hoc falsum est. Monasterio donavit ille, non vendidit. Ego sum testis. Quid amplius quæratis ignoro. Ego sum testis. Donavit ille, non vendidit. Sed dum non creditur donare potuisse, creditus est vendidisse. Beatus homo qui tam bonum opus fecit, ut non crederetur. Tamen vel modo credite, & detractores audire libenter desinite. Iam dixi, ego sum testis. Dictum est de illo, quod anno præ-

A positura suæ per industriam debita fecerit, ut dum volo ego reddi debita, dari illi licentiam poscendi fundum Victorianensem, tamquam dixisset mihi, Vt reddam debita mea, da mihi in decem annos fundum Victorianensem: & hoc falsum est: sed fuit unde rumor nasceretur. Fecit debita reddenda, a nobis reddita sunt partim, unde potuerunt. Remansit aliquid quod non debebatur etiam monasterio illi, quod per ipsum Deus instituit. Cum ergo remansisset, cœpimus quærere unde debitum redderemus. Ad conductionem ipsius fundi nullus accessit, nisi quadraginta solidorum offerens pensionem. Sed vidimus fundum amplius posse

B dare, ut celerius debitum redderetur, & commisi fidei eius, ut de ipsa conductione lucra non requirerent fratres: sed quidquid daret fundus, de ipsis fructibus imputarent ad debitum. Fide agitur. Paratus est presbyter, ut alium constituam qui de fructibus fratribus debitum reddat. Ex numero vestro sit aliquis cui hoc committam, ex numero ipsorum, qui ad nos talia pertulerunt. Sunt enim in vobis homines religiosi, si qui eum tumorem falso reprehensum esse doluerunt, & tamen crediderunt factum. Ex ipsis ergo aliquis veniat ad nos, suscipiat possessionem, omnes fructus preciis suis fideliter vendat, ut reddi possit facilius quod debetur, & hodie recedat inde cura presbyteri. Locus etiam ipse, ubi monasterium constitutum est, a me-

C morato honorabili filio meo Eleusino, ipsi presbytero Barnabæ donatus est. Antequam ordinaretur presbyter, in ipso loco monasterium instituit. Sed tamen quia nomine ipsius donatus erat locus, mutavit instrumenta, ut nomine monasterii possideatur. De fundo Victorianensi ego rogo, ego hortor, ego peto, ut si quis religiosus est, fide agat, & exhibeat ecclesiæ istam operam, ut cito debitum reddam. Quod si nemo de laicis fuerit inventus, ego propono alium, iste illuc non accedet. Quid vultis amplius? Nemo laceret servos Dei, quia non expedit lacerantibus. Servis Dei quidem merces falsis detractionibus crescit, sed crescit etiam pœna detrahentibus. Non sine causa dictum est: *Gaudete* Matth. 5.

D *& exultate*, quando detrahunt de vobis dicentes falsa, *quia merces vestra magna est in cælis*. Nolumus cum detrimento vestro magnam habere mercedem. Minus ibi habeamus, & tamen vobiscum ibi regnemus. Amen.

EXPLICIT.

Quia ergo constat, sanctam ecclesiam prædictorum patrum exempla sequi debere, quorum noscitur documentis post apostolica instituta ubertim coruscare: debent non solum prælati imitando, verùm etiam subditi obsequendo, usquequaque studere, qualiter eorum exemplis & doctrinis parentes, ad felicitatis gaudia, quo illi præcesserunt, valeant pervenire. Quoniam sicut hi qui eorum doctrinis & exemplis summa devotione obediunt,

E æternis gaudiis inferuntur: ita nimirum ea sectari nolentes æternis suppliciis mancipantur. Memoratas itaque sanctorum patrum sententias, quibus clericalis ordo ad bene vivendum instruitur, sedule perlegat & diligenter pertractet, quisquis canonicam professus est vitam. Quas cum bene perscrutatus fuerit, patenter inveniet, quod illi non enervate, sed religiose viuendum sit.

CXIV.

Propter quorumdam simplicium verba, qui religiosis & eruditis viris sese admonentibus ac redarguentibus plerumque objicere solent, solos monachos scripturarum sanctarum præcepta observare debere; operæpretium duximus, quædam evange- Quæ præcepta specialiter monachis, quæ generaliter ce-

ANNO CHRISTI 816.

teris conveniant Christianis.

euangelica atque apoſtolica quambreviſſime ad A medium deducere præcepta: vt hæc huiuſcemodi imperiti homines audientes, hiſque aurem cordis accommodantes, intelligant quæ ſibi, quæ monachis conveniant obſervare præcepta. Qui enim mente & corpore vult contemnere ſæculum, & pauperem ſequi Chriſtum, audiat ipſum dicentem in euangelio: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni, ſequere me.* & iterum: *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut matrem, aut agros propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Ad diſcipulos autem: *Vos*, inquit, *qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Hæc & huiuſ- B modi præcepta ſolis ſpecialiter congruunt monachis: & quanto ſingularia, tanto & præcipua. Dicit etiam idem Salvator generaliter omnibus: *Omnis qui venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* & iterum: *Qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* &: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* & iterum: *Qui non renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* & iterum: *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* & iterum: *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alio- C quin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum.* Item: *Theſaurizate vobis theſauros in cælo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur.* Item: *Attendite vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ.* Item: *Dico autem vobis: Nolite reſiſtere malo.* &: *Diligite inimicos veſtros: benefacite his qui vos oderunt, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Item: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit racha, reus erit concilio. Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Item: *Nolite iurare, neque per cælum, neque per terram. Sit autem ſermo veſter, eſt eſt, non non.* Item: *Omne verbum otioſum quod locuti fue- D rint homines, reddent de eo rationem in die iudicij.* Item: *Si quis te percuſſerit in dextera maxilla, præbe illi & alteram.* Item: *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Item: *Si peccaverit in te frater tuus, dimitte ei ſepties: & non ſolum ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Item: *Si non remiſeritis hominibus de cordibus veſtris, nec pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra.* Item: *Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Et cuidam diviti: *Si*, inquit, *vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, id eſt, *non homicidium facies, non adulterabis, non furtum facies, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces rem pro- E ximi tui, honora patrem tuum & matrem tuam, &, diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Et cuidam legis doctori, ſe interroganti, Quod eſſet mandatum magnum in lege, ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ.* Paulus quoque apoſtolus dicit: *Qui diligit proximum, legem implevit. Nam, Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces rem proximi tui, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur, Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Item idem: *Patientes eſtote ad omnes, videte ne quis malum pro malo alicui reddat, ſed ſemper quod bonum eſt ſectamini invicem & in omnes. Hæc enim eſt voluntas Dei. Omnia autem probate, quod bonum eſt, tenete, ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Item idem: *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam.* Item idem: *Nunc autem deponite & vos iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, & turpis ſermo de ore veſtro non procedat.* Item idem: *Induite vos viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes invicem.* Item idem: *Nolite mentiri invicem.* Item idem: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite.* Item idem: *Eſtote invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis.* Item idem: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur a vobis, cum omni malitia.* Item idem: *Fornicatio, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas.* Item idem: *An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare, Deus non irridetur: quia neque fornicarij, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Item idem: *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, non habet hereditatem in regno Chriſti & Dei.* Item idem: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Item idem: *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit dominum.* Item idem ad Timotheum: *Diſcedat*, inquit, *omnis ab iniquitate, qui nominat nomen domini.* Apoſtolus quoque Ioannes ait: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt: quia ſi quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo.* Item idem: *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulavit & ipſe ambulare.* Item ipſe: *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem.* Iacobus autem apoſtolus ait: *Quicumque voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur.* Multa quidem & innumera legalia, prophetica, & euangelica, atque apoſtolica poterant proferri documenta, quibus infatigabiliter atque inexcuſabiliter devotio famulari debet Chriſtiana: ſed propter eos quos ſupra memoravimus, hæc pauca breviter annumerare ſtuduimus, qui inſipienter aſſerunt, ſolos monachos artam ſectari debere viam, cum vtique Dominus artam & anguſtam viam dicat eſſe quæ ducit ad vitam, & nemo niſi per eam in vitam ingredi poſſit æternam. Non ſolum igitur monachis & clericis, verumetiam omnibus qui Chriſtiano cenſentur vocabulo, per hanc artam & anguſtam intrandum eſt viam. Quid ergo artius, quam id quod præcipitur, *Diligite inimicos veſtros:* &, *nolite reſiſtere malo:* &, *qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio:* &, *qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*, & cetera talia? Hæc quippe arta ſunt, ſed ſaluberrima: & quanto artiora, tanto potiora & eminentiora. Oportet itaque omnes qui iuxta Apoſtolum in Chriſto baptizati ſumus, Chriſtumque induimus, in novitate vitæ ambulare, ſemperque ante oculos ponere pactum, quod cum Deo in baptiſmate fecimus, ubi abrenunciavimus ſatanæ, & omnibus pompis eius, & omnibus operibus eius. Quod pactum tunc irritum fit, cum in fide quis permanendo, vitiis, aut a fide exorbitando, idolorum cultibus, aut hæreſum erroribus implicatur. Quia ergo (ſicut ſcriptum eſt) corpus, quod corrum-

Marginal references (left column): Matth. 19. — Ibidem. — Luc. 14. — Matth. 10. — Matth. 7. — Matth. 6. — Matth. 6. — Luc. 21. — Matth. 5. — Ibidem. — Ibidem. — Matth. 12. — Luc. 6. — Matth. 18. — Matth. 6. — Matth. 19. — Matth. 22. — Rom. 13. — 1. Theſſ. 5.

Marginal references (right column): Coloſſ. — Epheſ. — Ibid. — Epheſ. — 1. Cor. 6 — Epheſ. 5 — 1. Cor. 4 — Hebr. 12 — 2. Tim. — 1. Ioan. — Ibid. 6. — 1. Ioan. — Iac. 4. — Matth. 5 — Rom. 6. — Sap. 9.

ANNO CHRISTI 816.

corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, & fragilitas humana post baptismi gratiam peccatorum sordidatur illecebris, eademque peccata baptismatis iteratione nequaquam deleri possunt: necesse est, ut pœnitentiæ lamentis, & eleemosynarum largitionibus, & ceteris bonorum operum executionibus, quamcelerrime deleri procurentur. Et quia unus est pater noster, & magister & dominus, una fides, unum baptisma, una mater sancta ecclesia, instanter & vigilanter ab omnibus certandum est, quamquam diversorum donorum modis curratur; qualiter una ad sanctam & supernam Ierusalem matrem nostram tendamus, quo sine fine cum domino vivere mereamur. Illud quoque sciendum, quia quanto quisque se in præsenti sæculo pro Christi amore abjectiorem fecerit, tanto magis in futuro feliciorem remunerationem percipiet.

CXV.

[...]d canonica in[stitu]tio, [evan]gelica [et a]posto[lica] aucto[ritat]e fulta, [cete]ris su[per]emineat [insti]tutionibus.

Quia euidenti auctoritate liquet, canonicam institutionem ceteris præstare institutionibus; debent, necesse est, qui hujus professionis censentur nomine, procurare, qualiter in semetipsis eamdem institutionem vita & moribus exornent potius, quam dehonestent. Quoniam qui tantæ auctoritatis institutione pollent, & se aliis imitabiles præbere debent, verendum est, ne si (quod absit) a proposito exorbitaverint, regno Dei indigni fiant. Quamquam enim canonicis, quia in sacris canonibus illis prohibitum non legitur, liceat linum induere, carnibus vesci, dare & accipere, proprias res & ecclesiæ cum humilitate & justitia habere, quod monachis, qui secundum regularem institutionem artiorem ducunt vitam, penitus inhibitum est: non tamen in cavendis vitiis & amplectendis virtutibus, eorum a monachorum distare debet vita. Monachi namque, qui euangelicum præceptum sequentes, distractis atque renuntiatis patrimoniis, sua Christo dedere, merito de facultatibus ecclesiæ subsidium accipiunt temporale: ut quia toto mentis desiderio cælestia appetunt, sic in hac peregrinationis via sumptibus dominicis sustententur, quatenus ad ea quæ contempserunt, minime redire qualibet necessitatis causa compellantur. Et quia nihil sibi proprium reliquerunt, manifestum est, illos copiosioribus ecclesiæ sumptibus quam canonicos, qui suis & ecclesiæ licitè utuntur rebus, indigere. *Vnusquisque* enim, ut ait Apostolus, *proprium donum habet a Deo.* [...]r. 7.

CXVI.

[Qui]d sint [res e]cclesiæ.

Res ecclesiæ, sicut a sanctis patribus traditur, & in superioribus capitulis continetur, vota sunt fidelium, precia peccatorum, & patrimonia pauperum. Fideles namque fidei ardore & Christi amore succensi ob animarum suarum remedium & cælestis patriæ desiderium, suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt ecclesiam, ut his & milites Christi alerentur, & ecclesiæ exornarentur; pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur. Quapropter vigilanti ac solerti cura providendum est his qui eius facultates administrant, ne eas in suos solummodo usus convertant, sed magis juxta possibilitatem rerum, Christo famulantium, imo eorum in quibus Christus pascitur & vestitur, curam gerere penitus non negligant. Sed & sententia beati Hieronymi, non solum prælatis, sed etiam ceteris, qui rebus utuntur ecclesiæ, vigilanter perpendenda est, qui ita in commentario Matthæi euangelistæ ait: Omnes igitur qui stipendiis templi, & his quæ conferuntur ad usus ecclesiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus suam

A expleant voluntatem, similes sunt scribarum & sacerdotum redimentium mendacium & salvatoris sanguinem. Ergo res ecclesiæ pauperibus & militibus Christi stipendiariæ debent intelligi. Vnde totis nisibus prælatis satagendum est ut sanctorum patrum dictis & exemplis obsequentes, de rebus sibi commissis (ut præmissum est) & subditos gubernent, & pauperes foveant, cunctisque utilitatibus ac necessitatibus ecclesiæ fideliter administrando consulant, quatenus de fideli administratione ab ipso, cujus ministri esse noscuntur, ineffabiliter remunerari mereantur.

CXVII.

Quod diligenter munienda sint claustra canonicorum.

Præpositorum officii est, ut subditorum mentes B sanctarum scripturarum lectionibus assidue muniant, ne lupus invisibilis aditum inveniat, quo ovile Domini ingredi & aliquam ovium surripere valeat. Et quamquam ab his hoc instantissime spiritaliter fieri oporteat; necesse est tamen, ut claustra in quibus clero sibi commisso canonice vivendum est, firmis undique circumdet munitionibus, ut nulli omnino intrandi aut exeundi, nisi per portam, pateat aditus. Sint etiam interius dormitoria, refectoria, cellaria, & ceteræ habitationes, usibus fratrum in una societate viventium necessariæ. Qui vero hæc quæ præmissa sunt, juxta quod possibilitas suppetit, agere renuerit, impar minusque idoneus ad cetera ecclesiastica officia pera-C genda habendus est. Et quamquam divina ultione sit dignus, synodali tamen est sententia feriendus.

CXVIII.

Vt in congregandis canonicis modus discretionis sit tenendus.

Cavendum summopere præpositis ecclesiarum est, ut in ecclesiis sibi commissis non plures admittant clericos, quam ratio sinit, & facultas ecclesiæ suppetit: ne si indiscrete & extraordinarie plures aggregaverint, nec ipsos gubernare, nec ceteris ecclesiæ necessitatibus, ut oportet, valeant adminiculari. Sunt namque nonnulli vanam gloriam ab hominibus captantes, qui numerosam cleri congregationem volunt habere, cui nec animæ, nec corporis curant solatia exhibere. Hi namque taliter aggregati, dum a prælatis stipendia ne-D cessaria non accipiunt, neque canonicum servant ordinem, nec divinis officiis insistunt. claustra societatemque ceterorum relinquentes, efficiuntur vagi & lascivi, gulæ & ebrietati & ceteris suis voluptatibus dediti. quidquid sibi libitum est, licitum faciunt. Proinde præpositis solerter providendum est, ut in hoc negotio modum discretionis teneant. scilicet ut nec plusquam oportet, & possibilitas ecclesiæ suppetit, in congregationem admittant: nec eos, quos rationabiliter gubernare possunt, causa auaritiæ abjiciant.

CXIX.

De his qui in congregatione sibi commissa solummodo ex familia ecclesiæ clericos aggregant.

Sunt nonnulli, qui tantum ex familia ecclesiastica clericos in sibi commissis congregant eccle-E siis: & hoc ideo facere videntur, ut si quando eis aliquid incommodum fecerint, aut stipendia opportuna subtraxerint, nihil querimoniæ contra se objicere præsumant; timentes scilicet, ne aut severissimis verberibus afficiantur, aut humanæ servituti denuo crudeliter addicantur. Hoc autem non ideo dicitur, ut ex familia ecclesiæ probabilis vitæ in congregatione non sint admittendi, præsertim cum apud Deum non sit personarum acceptio: sed potius, ut propter quam intulimus occasionem, nullus prælatorum, seclusis nobilibus, viles tantum in sua congregatione admittant personas.

CXX.

Qui clerici in congre-

Quia sanctorum patrum supra notatæ sententiæ

ANNO CHRISTI 816.

tiæ docent, clericos non divitiarum sectatores esse, nec res ecclesiarum inofficiose accipere debere; non ab re putavimus, nonnulla capitula libri Prosperi ad medium, & exempli causa deducere, in quibus ita legitur: *Qui ecclesiæ serviunt, & ea quibus opus non habent, aut libenter accipiunt, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt.* Item ibi: *Satis quippe indignum est, si fidelis & operosa devotio clericorum propter stipendium sæculare præmia sempiterna contemnat.* Item ibi: *Si propter hoc non vult sua quisque relinquere, ut habeat unde vivat: ut quid accipit, unde rationem reddat? ut quid peccatis alienis sua multiplicat?* His igitur & ceterorum sanctorum patrum dictis diligenter animadversis, studeant necesse est clerici in accipiendis ecclesiasticis sumptibus suum vitare periculum. Proinde qui & suas & ecclesiæ habent facultates, & utilitatem ecclesiæ, aut interius, aut exterius conferunt; accipiant in congregatione cibum & potum, & partes eleemosynarum, & his contenti sint, ne plus accipientes, pauperes gravare videantur: perpendentes sententiam Prosperi, qua dicitur: *Qui sua possident, & dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, non accipiunt.* Hi vero qui nec suis rebus abundant, nec ecclesiæ habent possessiones, & magnam utilitatem ecclesiæ conferunt accipiant in canonica congregatione victum & vestitum, & eleemosynarum partes: quia de talibus ita in libro Prosperi scribitur: *Clerici quos voluntas, aut nativitas pauperes fecit, in congregatione viventes, necessaria vitæ accipiant: quia ad ea accipienda non eos habendi ducit cupiditas, sed cogit vivendi necessitas.* Porro si tales fuerint, qui nec suas, nec ecclesiæ velint habere possessiones, horum necessitatibus providentissima gubernatione de facultatibus ecclesiæ debent subvenire prælati, attendentes illud Prosperi: *Quod habet, inquit, ecclesia, cum omnibus nihil habentibus commune habet. Sed & illorum curam nihilo minus gerere debet, quos aut infirmitas, aut senectus aggravat, quos etiam constat olim in utilitatibus ecclesiæ desudasse.*

(Margin: gratione canonica cõstituti, ecclesiastica accipere debeant stipendia. — De vita contempl. l. 2. cap. 10 — Ibid. c. 11. — Ibid. c. 12. — Ibid. c. 9.)

CXXI.

(Margin: Ut in congregatione canonica æqualiter cibus & potus accipiatur.)

Solet in plerisque canonicorum congregationibus, irrationabiliter atque indiscretè fieri, ut nonnulli clerici, qui & divitiis affluunt, & aut parum, aut nihil utilitatis ecclesiæ conferunt, majorem ceteris, divinum strenue peragentibus officium, annonam accipiant: cum hoc ita fieri debere nusquam nec in auctoritate scripturarum, nec in traditionibus sanctorum patrum possit quoquo modo sancitum reperiri. Sed quia hujuscemodi factum nulla auctoritate fulcitur, sed magis gulæ, imo avaritiæ causa constat esse inolitum: restat ut falce justitiæ resecetur, & æquitatis censura ab eisdem locis in quibus fit, prorsus abdicetur. Est nempe rationabile justumque coram Deo & hominibus, ut in unaquaque canonica congregatione, a minimo usque ad maximum, cibum & potum omnes æqualiter accipiant, hi videlicet, qui propter aliquam utilitatem in numero canonicorum fuerint admissi. Quamquam enim plerique subditorum a prælatis, rebus quibuslibet aliis plus ceteris merito soleant honorari; in hac tamen societate, seclusa personarum acceptione, una debet cibi & potus æqualitas esse.

CXXII.

(Margin: De mensura cibi & potus.)

Illud quoque congruentissime, & rationabiliter tenendum esse censuimus, ut in singulis locis, in quibus socialiter canonice domino militatur, panem & pulmentum & eleemosynarum partes æqualiter canonici accipiant. Et quamquam decentissimum foret, ut similiter æque potum acciperent, non tamen id æqualiter in omnibus locis, nec ecclesiarum diversissimæ facultates, nec terrarum qualitates, nec eventuum sinunt fieri posse varietates. Unde necessarium duximus, ut in hoc negotio modum discretionis tenendum describeremus. Quapropter communi voto, communique consensu, sacro conventui statuere placuit, ut in omnibus locis, majoribus scilicet & minoribus, accipiant singuli canonici per singulos dies quatuor libras vini. In locis vero ubi majores facultates sunt ecclesiæ, verbi gratia, tria aut quatuor, aut certe octo, & eo amplius millia mansi, si eadem regio vinifera fuerit, accipiant per singulos dies quinque libras vini, si tamen sterilitas impedimento non fuerit temporis. Si vero vinifera plene non fuerit, tres libras vini, & tres cervisiæ. Et si penitus vini ferax non fuerit, accipiant libram vini, & quinque libras cervisiæ. In mediocribus enim locis, mille aut mille quingentos, vel certe duo millia mansos habentibus, si regio (ut præmissum est) vini ferax fuerit, quatuor libras vini: & si plene vini ferax non fuerit, duas libras vini, & tres potus ex diversis materiis confecti. Quod si etiam vini ferax minime fuerit, quatuor libras memorati potus, & libram vini accipiant. Porro in minoribus locis, ducentos, aut trecentos mansos habentibus, accipiant duas libras vini. Quod & si eadem regio (ut jam dictum est) vineis caruerit, tribuantur eis tres libræ cervisiæ, &, si facultas suppetit, libra vini. Licet enim in nonnullis provinciis copia desit vini, satagendum est tamen prælatis, ut ex circumjacentibus viniferis provinciis vinum habeant. Quoniam quamquam in plerisque regionibus vineæ non sint, abundat tamen sancta Dei ecclesia, domino attribuente, aliarum rerum copiis, e quibus industria prælatorum ex aliis provinciis vinum adipisci, sibique subditis juxta facultatem pocula conferre possunt. In locis igitur ubi permodicæ sunt res ecclesiæ, aut forte quorumdam abstractu valde attenuatæ, pauci numero, magni tamen constituantur officio; quibus saltem præmissa minor mensura sine difficultate dari possit. Diebus vero festis, sicut moris est ecclesiæ, juxta quod melius prælati possunt, fratribus cibum potumque ministrent. In his itaque locis, ubi forte nonnulli prælati piorum prælatorum imitantes exemplum, magis subditis dare soliti sunt, nullatenus bonum quod faciunt obmittant. Sed & si cui ob æternam retributionem magis subditis supererogare libuerit, hilariter quod potuerit tribuat. Sin autem, nullatenus mensuram prædictam absque inevitabili causa eis subtrahat. Quando igitur tempus sterilitatis vini extiterit, sicut crebro peccatis præpedientibus evenire solet, & prælati, quantum debent, dare vinum canonicis nequiverint, id quod dederint, sic discrete & temperate distribuant, ut omnes communiter eo utantur. Non autem id murmurantes, sed magis cum gratiarum actione, quod dari potest, accipiant, & socialiter in sancto proposito perseverent. Idcirco prospicere sibi debent canonici, ut vinum, aut quemlibet alium potum, in eleemosyna sibi datum, in communi recondant cellario, quatenus imminente hujuscemodi sterilitatis tempore, suis eo suffragentur communiter necessitatibus. non tamen eis propter hoc a prælatis potus debitus penitus subtrahatur, si est unde detur. Qui vero & suis & ecclesiæ abundant rebus, instante sterilitatis tempore, eis, quos

ANNO CHRISTI 816.

quos pauperes pascit ecclesia suis facultatibus, cum caritate & humilitate suffragari procurent, ut juxta apostolum, *Frater fratrem adjuvet, & ambo consolentur.* Non tamen ob id se superbiendo extollant: quia, sicut in libro Prosperi legitur, non se debent hujuscemodi inani jactantia præferre his, quos nihil habentes pascit ac vestit ecclesia. Illud interea semper caveant prælati, ne id quod dare debent aut possunt, qualibet dissimulatione aut tenacitate subditis subtrahant, ne paupertatis occasione compulsi, per diversa vagari, ac turpibus se implicare negotiis cogantur: relictoque ecclesiastico officio, incipiant indisciplinate vivere, & propriis voluptatibus deservire: & prælati, qui eis necessaria largiendo, a domino remunerari poterant, districte & severe judicentur. Dent quippe eis pulmentum, juxta quod vires suppetunt, & loca eis congrua attribuant, in quibus nutrimina fiant, unde necessaria pulmenta habeant, exceptis his quæ de ecclesiæ villis, vel oblationibus fidelium accipiunt. Habeant itaque iidem canonici hortos olerum, unde cum ceteris additamentis aliquod pulmentum quotidie in refectorio sibi vicissim ministrent. Propter diversitates namque & inæqualitates mensurarum, quæ apud plerosque non æque secundum domini legem, sed secundum uniuscujusque provinciæ usum habentur, mensuram cibi & potus ponderis ratione canonicis dandam esse censuimus, & hoc ideo, quia cum hujuscemodi mensuræ diversissimæ & inæquales soleant haberi, publicum tamen pondus provinciis, civitatibus, metallisque inditum, nihil diversitatis aut inæqualitatis pati debet, quatenus sicut idem pondus æquum permanet, ita etiam eadem mensura æque illis tribuatur. Noverint tamen generaliter omnes, libram non amplius quam duodecim unciis constare debere.

CXXIII.

Solerter prælatis satagendum est, ut eos quibus præsunt, verbis & exemplis ad bene vivendum informent: fixoque corde tenendum, ne eos quasi proprios, sed ut domini sui gregem tractare meminerint juxta illud quod Petro dicitur: *Si diligis me, pasce oves meas.* Meas, inquit, non tuas. Et hoc ideo dicimus, quia sunt nonnulli, qui oves Christi, non amore Christi, sed suæ vel gloriæ, vel dominationis, vel quæstus gratia pascunt. Sed & hoc vigilanter perpendere debent, quod eadem pastio gregis dominici, non uniformi, sed multimoda est solicitudine gerenda: scilicet quia & terrena subsidia diligenter illis præbere, & exempla virtutis simul cum verbo prædicationis debent solicite impendere. Quapropter studeat unusquisque prælatus, ut familiæ Christi annonam spiritalem, carnalemque fideliter subministret, ut effici mereatur euangelicus servus, de quo dicitur: *Fidelis servus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram.* Ergo, sicut subditis necessaria corporis tribuunt, ita nihilo minus studere debent, ut iidem religiosissime ordinem canonicum servent, & prælatis suis ac magistris honorem debitum humiliter impendant. Ut horis canonicis divinum officium devotissime expleant: intus, forisque non solum habitu & actu, sed etiam ipso incessu irreprehensibiles existant. Ut non otio vacent, non vaniloquiis inserviant, non detractionibus, & ceteris vitiorum illecebris incumbant: sed potius aut orationi, aut lectioni, aut quibuslibet ecclesiæ, aut certe propriis utilitatibus vacent; aut etiam doctrinis sanis, & diversarum artium erudiantur disciplinis: ita videlicet, ut nullus in congregatione inutilis, aut otiosus existens, stipendia ecclesiæ inofficiose accipiat. Ut quotidie ad collationem veniant, ubi & hanc institutionem, & aliarum scripturarum sanctarum lectiones perlegant, & pro admissis veniam postulent, & sententiam pro qualitate admissi suscipiant: ubi etiam de communi profectu & utilitate ecclesiæ pertractent. Ut omnes in dormitorio, nisi quem infirmitas aut senectus id facere prohibuerit, dormiant. in refectorio quotidie una reficiantur: nisi forte quem necessitas abesse compulerit, & hoc non sine licentia magistri fiat. Illis quoque comedentibus & silentium religiose tenentibus, continuatim legatur lectio, & ab his intentissime audiatur, ut vicissim in refectorio, & ceteris communibus necessitatibus, sibi fraternitatis officio serviant. Ut nullus foras, nisi per licentiam egrediatur, egressus quoque, nullum de se detractioni locum det, sed magis imitabilem se cunctis exhibeat. Hanc igitur geminam pastionem prælati sibi commissis ovibus impendere instanter procurent, ut pote pro animabus eorum domino rationem reddituri: quatenus videlicet eas pastori omnium Christo, summo pontifici, secum in tremendi examinis die illæsas præsentates, non cum reprobis & divina ultione feriendis damnentur, sed potius cum electis pastoribus perpetua felicitate a domino remunerentur.

CXXIV.

Ut canonici, sicut in ceteris, ita etiam in cultu vestiũ modum teneant discretionis.

Quærere potius Deum cultum cordis quam corporis, evidentibus scripturæ sanctæ patet indiciis. Proinde canonicis totis viribus elaborandum est, ut & indumenta virtutum habeant interius, & per immoderatum cultum caveant dehonestare religionis dignitatem exterius. Quantum etiam a superfluo & immoderato cultu vestium se compescere debeant, multis sanctorum patrum documentis perdoceri potest. Dicit enim beatus Hieronymus in epistola ad Eustochium: Sunt quidam mei ordinis quibus omnis cura est de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat. crines calamistri vestigio rotantur, digiti de anulis radiant, & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia: tales, inquit, cum videris, sponsos magis æstimato, quam clericos. Et beatus Gregorius: Nemo, inquit, æstimet in luxu atque in studio preciosarum vestium peccatum deesse: quia si hoc culpa non esset, nullo modo Ioannem dominus de vestiméti sui asperitate laudasset. Si cultus vestium culpa non esset, nequaquã Paulus apostolus per epistolam feminas a preciosarum vestium appetitu compesceret, dicens: *Non in veste preciosa.* Pensandum nobis summopere est de cultu vestium, quæ culpa sit, hoc etiam viros appetere, a quo curavit pastor ecclesiæ & feminas prohibere. Quapropter oportet canonicos sanctarum scripturarum auctoritati parere: sanctorumque patrum documenta vigilanter perpendere, ut humilitate, quam corde gestant, actu, habitu, incessu, ipsa etiam equitatione, religiosissime demonstrent, plusque velint sancta conversatione, eximiisque moribus, quam ornatu vestium fulgere. Si enim more conjugatorum in se ordinandis, nitore vestium, faleris equorum, ceterisque humanę vanitatis rebus abusi fuerint, scilicet ut se similibus uti debere contendant, in quo eorum conversatio a laicorum distare videbitur? Decet porro, ut eorum talis sit vestium cultus

Homil. 6. in euang.

1. Tim. 2.

ANNO CHRISTI 816.

cultus, qui occasione vanitatis careat, & nihil A novitatis, nihil superfluitatis redoleat, nihilque reprehensionis, aut detractionis habeat. Non enim specialiter præsumi debet ab aliquo, quod non generaliter teneatur ab omnibus, id est, nec plus justo cultior vestis, nec insolita atque deformis: quia in utroque illorum, aut elationis, aut certe simulationis noxa patescet. Inter utrumque enim virtus discretionis moderatissime tenenda est. Quæ plenissime in vita beati Augustini, in laudem illius prolata, ita legitur: Vestis ejus & calceamenta, vel lectualia, ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum: quia his plerique vel jactare sese B insolenter homines solent, vel abjicere, ex utroque non quæ Iesu Christi, sed quæ sua sunt, quærentes. At iste, ut dixi, medium tenebat, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinans.

Cap. 22.

CXXV.

Vt canonici cucullas monachorum non induant.

Reprehensibilem, & ecclesiastica emendatione dignum apud plerosque canonicos inolevisse comperimus usum, eo quod contra morem ecclesiasticum, cucullas, quibus solis monachis utendum est, induant: cum utique illorum habitum penitus usurpare non debeant, a quorum proposito quodam modo distant: quia sicut indecens est, ut arma militaria more laicorum ge- C stent, ita nimirum inhonestum & valde indecorum est, ut alterius propositi indumenta sibi imponant. Habitus namque singulorum ordinum idcirco in ecclesia ab invicem discreti sunt, ut his visis, cujus propositi sit gestans, vel in qua professione domino militet, liquido cognoscatur. Nam & domini lege vir muliebrem, & mulier virilem prohibetur induere vestem, scilicet ut uterque sexus sibi convenienti veste indutus incedat. Sicut enim turpe est, virum vestem muliebrem, & mulierem vestem virilem induere: ita valde indecorum est, canonicum vestem mo- D nasticam induere, nisi tamen cum veste etiam propositum voluerit assumere. Et quia hujuscemodi usus nulla auctoritate approbatur, sed potius ab his qui sanum sapiunt, merito reprehenditur & repudiatur, oportet ut abhinc, ne fiat penitus, inhibitum sit.

Deut. 22.

CXXVI.

Excerptum ex libro officiorum Isidori lib. 1. c. 19. *Dan.* 6. Qua auctoritate horæ canonicæ celebrentur, quas scire ac religiose observare canonicos oportet.

Horam tertiam, sextam, & nonam, Daniel & tres pueri supplicationibus devoverunt. scilicet ut ab ortu diei in tempus supplicationis tres horæ porrectæ, Trinitatis nobis reverentiam declararent: pariterque a tertia & sexta, usque inde ad nonam, per lucis intervalla latis dimensionibus terminata, Trinitas ter in die rogata coleretur. Illud etiam occurrit ad probationem venerabilis Trinitatis, quod Spiritus sanctus hora tertia, hoc est, suo loco & numero & tempore E descendit ad terras, impleturus gratiam quam Christus promisit. Nam & sexta hora Christus passus, in nonam patibuli cruciamenta porrexit. Tali enim sacramento legitimis ad precem temporibus per ternas horas Trinitatis perfectio, aut laudatur celebritatibus, aut precibus impetratur. Licet & si computetur diurna celebritas, per quaternarium usque in vespertinum officium, hoc est quater ternis significatur, quia mundus quadrifario divisus, in Trinitate salvatus. Si quidem & in nocte stationes vigiliæ militaris in quatuor partes divisæ, ternis horarum spatiis secernuntur, ut & in ipsis nocturnis mundialibusque officiis Trinitatis mysterium veneretur.

CXXVII.

ANNO CHRISTI 816. De vespertinis.

Vespertinum diurni finis officium, & alternæ lucis occasus est. cujus ex veteri testamento solennis est celebratio. Denique hoc tempore veterum sacrificia offerri, adolerique altario aromata & thura mos erat. Testis est hymnidicus ille, regio ac sacerdotali perfunctus officio, dicens: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* In novo quoque testamento eo tempore dominus & salvator noster, cœnantibus apostolis, mysterium sui corporis & sanguinis initio tradidit, ut tempus ipsum sacrificii, vesperum ostenderet sæculi. Proinde in honore ac memoria tantorum sacramentorum, his temporibus adesse nos decet Dei conspectibus, & personare in ejus cultibus, orationum nostrarum illi sacrificium offerentes, atque in ejus laudibus pariter exultantes. Vesperum autem nominatum a sidere quod vesper vocatur, & decidente sole exoritur. De quo propheta dicit: *Et vesperum super filios hominum prodire facis.*

Ibidem 21. *Exod* 19. *Psal.* 140. *Iob.* 38.

CXXVIII.

De completis autem celebrandis, id etiam in patrum invenitur exemplis, David propheta dicente: *Si ascendero in lectum strati mei; si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum domino, tabernaculum Deo Iacob:* Quis non stupeat tantam in Dei amore animi devotionem, ut somnum sibi, sine quo utique corpora humana deficiunt, penitus interdixerit, donec locum ac templum domino fabricandum in pectore suo rex & propheta reperiret? Quæ res nos debet fortiter admonere, ut si ipsi locus domini esse volumus, & tabernaculum ejus aut templum cupimus haberi, in quantum possumus, exempla sanctorum imitemur, ne de nobis dicatur quod legitur: *Dormierunt somnum suum & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

Ibid. c. 21. *Psal.* 131. *Psal.* 75.

CXXIX.

Antiqua est vigiliarum devotio, familiare bonum omnibus sanctis. Isaias denique propheta exclamat ad dominum, dicens: *De nocte vigilat spiritus meus ad te Deus, quia lux præcepta tua sunt super terram.* Item David, & regio & prophetico sanctificatus unguento, ita canit: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ.* Hoc namque tempore vastator angelus transiens, primogenita Ægyptiorum percussit. Vnde & nos vigilare oportet, ne periculo Ægyptiorum admisceamur. Iisdem etiam horis venturum se esse in euangelio salvator asseruit. Vnde ad vigilandum auditores suos exuscitans, dicit: *Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Et si vespertina,* inquit, *hora venerit; & si media nocte, & si galli cantu, & invenerit eos vigilantes, beati sunt servi illi. itaq; & vos estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus est.* Siquidem nec verbis solum docuit vigilias, sed etiam confirmavit exemplo. Nam testatur euangelium, quia erat Iesus pernoctans in oratione Dei. Paulus quoque & Silas in custodia publica, circa medium noctis orantes, hymnum audientibus cunctis dixisse memorantur. ubi repente terræ motu facto, & concussis carceris fundamentis, & ianuæ sponte apertæ, & omnium vincula sunt soluta. Vnde oportet his horis psallendi orandique frequentiam nos in sanctis habere officiis, finemque nostrum, vel si advenerit sub

Ibid. c. 22. *Isa.* 26. *Psal.* 118. *Exod.* 12. *Matth.* 24. *Luc.* 12. *Luc.* 6. *Act.* 14.

ANNO CHRISTI 816.

sub tali actu expectare securi. Est autem quodam genus hæreticorum, superfluas æstimantium sacras vigilias, & spiritali operi infructuosas, dicentium jura temerari divina, qui noctem fecit ad requiem, sicut diem ad laborem. Qui hæretici Græco sermone Nyctages, hoc est, somniculosi vocantur.

CXXX.

De matutinorum antiquitate & auctoritate testis est idem David propheta, dicens: *In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.* & alibi: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Cassianus autem dicit, matutinæ solennitatis officium, novo adhuc tempore institutum, primitus in Bethleem monasterio, ubi dominus noster Jesus Christus pro redemptione humanæ salutis ex virgine nasci dignatus est: sicque ex illo per universum mundum ejusdem celebrationis invaluit consuetudo. Diluculo autem proinde oratur, quod resurrectio Christi celebretur. Matutina autem luce radiante, dominus & salvator noster ab inferis resurrexit, quando cœpit oriri fidelibus lux, quæ moriente Christo occiderat peccatoribus. Si quidem & eodem tempore cunctis spes futuræ resurrectionis creditur, cum omnes justi ab hac temporali morte, quasi a sopore somni resurgentes, evigilabunt.

Psal. 62.
Psal. 118.
Instit. lib. 1. 3. c. 4.

CXXXI.

Studeant summopere canonici prædictas horas vigilantissima cura custodire, & in his divinum officium humiliter ac devote persolvere. Mox enim aut auditum fuerit signum, festinato omnes ad ecclesiam conveniant, quam non pompatice, aut inhoneste, vel incomposite; sed cum reverentia & Dei timore ingrediantur. Nec cum baculis in choro, exceptis debilibus, sed religiosissime illis standum & psallendum est. Sunt etenim quidam clericorum, qui in sæcularibus negotiis & disceptationibus pene totum infatigabiliter deducunt diem, & mox ut ecclesiam ad divinum officium peragendum intraverint, ita fatigati videntur, ut nec orationi vacare, nec ad psallendum stare queant: sed potius sedentes, non divinis, sed vanis solent instare loquelis, ac sæcularia verba, & (quod dictu nefas est) turpia & obscena invicem proferunt. Oportet itaque ut ab his qui faciunt, & ab illis qui eos forte imitari volunt, iste execrabilis usus radicitus evellatur: quia secundum domini sententiam; domus ejus domus orationis vocanda est. Omnes igitur ab otiosis sermocinationibus auditum pariter castigent & linguam, & in ecclesia cum timore & veneratione stantes, aut orent, aut cantent, aut legant, aut audiant. Verba vero turpia, & livida, ac sæcularia nec ipsi proferant, nec alios proferre sinant. Quinimo laudes Deo in commune persolventes, pro suis populorumque, quorum oblationibus vivunt, delictis dominum exorent. Debent quoque juxta apostolum, primo omnium ab his fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. *Hoc enim*, inquit apostolus, *bonum est & acceptum coram salvatore nostro Deo.* Caveant etiam, ne pro requie sibi in locis divino cultui mancipatis concessa, otio torpeant: sed magis in persolvendis divinis laudibus promptiores ac devotiores existant: ut per hanc quietem bene operantes, ad eam quæ fine caret, pervenire valeant. Qui vero has horas frequentare, & in his, ut dignum est, cæleste neglexerit officium persolvere, digna invectione corripiatur, ut & ipse emendetur, & ceteri timorem habentes hujuscemodi negligentiam caveant. Sed quoniam aliud est ex toto omittere, aliud pigre occurrere; qui segniter aut tarde ad matutinum, aut aliud quodlibet divinum obsequium peragendum occurrerit, dignum, ut non cum aliis in choro, sed omnium ultimus, aut certe, ut erubescere discat, in loco hujuscemodi negligentibus a prælatis constituto stet: foris vero nullatenus remanere præsumat, ne otio & fabulis vacet, & a Dei laudibus penitus alienus existat. Custodes præterea ecclesiæ harum horarum distinctiones bene norint, ut scilicet signa certis temporibus pulsent. Luminaria vero cum omni diligentia concinnanda provideant, sitque eorum studii, ut nihil de sibi commissis rebus ecclesiæ pereat.

Matth. 21.
1. Tim. 2.

CXXXII.

Quod cantantibus & psallentibus domino, angelorum adsit præsentia.

Psallentium in ecclesia domino mens concordare debet cum voce, ut impleat illud apostoli: *Psallam spiritu, psallam & mente.* Quoniam quamvis ubique dominum per potentiam divinitatis noverimus esse, præcipue tamen eum, cum divino assistimus officio, per gratiam nobis credimus adesse. De qua re Beda venerabilis presbyter, in expositione evangelii Lucæ ita dicit: Non latet, angelos crebro electis invisibili adesse præsentia, ut eos ab hostis callidi defendant insidiis, vel majori cælestis desiderii gratia sustollant, apostolo attestante, qui ait: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis?* Maxime tamen angelici nobis spiritus adesse credendi sunt, cum divinis specialiter mancipamur obsequiis, id est, cum ecclesiam ingressi, vel lectionibus sacris aurem accommodamus, vel psalmodiæ operam damus, vel orationi incumbimus, vel etiam missarum solennia celebramus. Unde ait Propheta: *In conspectu angelorum psallam tibi.* Nec dubitari licet, ubi corporis & sanguinis dominici geruntur mysteria, supernorum civium adesse conventus. Unde studendum solerter est; ut cum ecclesiam vel ad divinæ laudis debita solvenda, vel ad agenda missarum solennia intramus, semper angelicæ præsentiæ memores, cum timore & veneratione competenti, cæleste compleamus officium: ne si (quod absit) id negligenter, aut inhoneste, vel tepide expleverimus, & ad perficiendum pigri advenerimus; in sententiam qua dicitur; *Maledictus homo qui opus Dei fecerit negligenter*; miserabiliter labamur. Ergo solerti industria nobis observandum est, ne quid in ecclesia Dei ineptum, ne quid perversum, ne quid indecens, aut cogitatione, aut verbis, aut actibus perpetremus, quatenus & conspectu angelorum digni efficiamur; & dominus ad nos veniens, non quod condemnet in nobis, sed potius quod remuneret, inveniat.

1 Cor. 14.
Heb. 1.
Psal. 137.
Jer. 48.

CXXXIII.

Quales ad legendum & cantandum in ecclesia constituendi sint.

Tales ad legendum, cantandum, & psallendum in ecclesia constituantur, qui non superbe, sed humiliter debitas domino laudes persolvant, & suavitate lectionis ac melodiæ & doctos demulceant, & minus doctos erudiant; plusque velint in lectione vel cantu populi ædificationem, quam popularem vanissimam adulationem. Qui vero hæc docte peragere nequeunt, erudiantur prius a magistris: & instructi, hæc adimplere studeant, ut audientes ædificent.

CXXXIV.

ANNO CHRISTI 816.

CXXXIV.

Qui modis sit correptionis.

Quamquam contemptores canonicarum institutionum episcopali præcipue judicio plectendi sint, qua pœna (ut ait beatus Augustinus) in ecclesia nulla major esse potest; demonstrandum tamen est, qualem ceteri prælati, qui illis dignitate inferiores esse noscuntur, in locis sibi commissis, in quibus canonice vivitur, erga subjectos quosque delinquentes, & ea quæ proprie ad eorum propositum pertinent, observare nolentes, adhibere debeant correptionis modum. Sed quia omnis ætas, vel uniuscujusque intelligentiæ capacitas, proprias debet habere mensuras, & juxta modum culparum mensura extendenda est correptionum, & hæc omnia jure in prælatorum pendent judicio, quo & discretissime temperanda sunt: necesse est, ut iidem prælati circa delinquentes medici peritissimi imitentur factum: scilicet ut adhibita magnæ discretionis cura, quid cuique congruat, quidve conveniat, adhibeant: hoc summopere perpēdentes ut juxta quantitatem vulnerum, exhibeant fomenta curationum, quatenus nec alteri dent quod noceat, nec alteri subtrahant quod juvat. Omissis igitur his, quorum ætati delinquenti parcēdum non est, sed potius juxta Salomonem, eorum latera, ne indurescant, virgis assidue tundenda sunt; qualiter erga ceteros delinquentes, juxta auctoritatem divinam, & sanctorum patrum exempla traditionesque id fieri oporteat, strictim breviterque ostendatur. Si quis frater in congregatione canonica constitutus, horas canonicas frequentare neglexerit, ecclesiamque non religiose, sed pompatice vel incomposite intraverit, & opus Dei negligenter executus fuerit, ad collationem venire distulerit, obedientiam a magistris sibi injunctam agere recusaverit, in legendo vel cantando, vel in ceteris ecclesiasticis disciplinis, juxta vires studium non exhibuerit, ad mensam non necessitate, sed vitio tarde occurrerit, e claustris sine licentia exierit, per licentiam vero egressus, contra constitutum sibi placitum moras fecerit, in plateas ire, aut in biviis residere tentaverit, in dormitorio aliquid indecens, aut inhonestum, verbis, aut actibus perpetraverit, alibi nisi in dormitorio cum ceteris absque causa inevitabili dormire præsumpserit, fratribus caritatis officio obedienter servire neglexerit, discordiam quam (dicente scriptura) Dei anima detestatur, inter fratres seminaverit, & huic institutioni contumax, aut superbus, seu murmurans, aut in aliquo contrarius extiterit, & cetera hujuscemodi agere tentaverit, hic primo secundum Dei præceptum, non solum semel, & secundo ac tertio, quinimo crebrius admoneatur: & si his admonitionibus non cesserit, publica objurgatione corripiatur. Quod si & his renisus fuerit, ceteris sibi alimentis interdictis, pane tantum usque ad dignam satisfactionem utatur & aqua. Si vero nec sic se correxerit, separetur a mensa, & a societate fratrum in choro psallentium removeatur, & seorsum, in loco hujuscemodi negligentibus a prælatis constituto, stare cogatur, ut saltem rubore sequestrationis emendetur. Dein si his modis correptus incorrigibilis extiterit, & ætas permiserit, quia juxta Salomonis vocem, stultus verbis non corrigitur, congrua ei verberum adhibeatur castigatio, quibus utpote filius verberetur, quatenus secundum beati Gregorii sententiam, qui jubentis verba non audiunt, verberibus admoneantur, ut ad bona desideria pœnæ trahant, quos præmia non non invitant. Ceterum si talis fuerit, quem aut ætas, aut qualitas personæ verberari non siverit, publica objurgatione, & jejuniorum continua afflictione, & sequestrationis rubore, hujusmodi corripiatur, usque dum digna pœnitentiæ satisfactione veniam consequatur. Si vero uterque, & qui flagellatur, & quem flagellari ætas, aut qualitas personæ prohibent, adhuc incorrigibiles extiterint: fit locus intra claustra canonicorum, sicut multis in locis noscitur esse, quo ad tempus retrudantur, & secundum modum culpæ castigentur, ut juxta apostolum traditi satanæ in interitum carnis, spiritus salvus sit in die domini. Quod si etiam tot saluberrimis admonitionibus & castigationibus necdum paruerint, fiat pro eis ab omni congregatione communis oratio, ut a domino sanentur. Postremo, si prorsus inemendabiles & incorrigibiles apparuerint, ne per plures eorum dira serpant contagia, necesse est, ut a ceterorum societate, ut pote oves morbidæ, secreti, ante præsentiam deducantur episcopi, ut ab eo canonica auctoritate publice damnentur. Si vero quis in collegio canonicorum culpam criminalem admiserit, huic nulla est danda dilatio, quin aut sponte pœnitentiam pro admisso crimine gerat, aut si id agere refutaverit, coram episcopo deducatur, ut ab eo publica multetur pœnitentia. Meminisse enim oportet rectores, quia columba est in divinis scripturis ecclesia appellata, quæ non unguibus lacerat, sed alis pie percutit. Unde etiam illis summopere observandum est, ut sicut præmissum est, juxta modum culparum, & personarum atque ætatum, omnino ipsa temperata sit correptio, ut nec vitium desidiæ inolescat, nec correptio mansuetudinis modum excedat, ne, ut ait beatus Maximus, aut solutior lenitas conniventiam præbeat peccanti, aut immoderata severitas a lapsu non revocet delinquentem. Sed & hoc illis nihilo minus cavendum est, ne errata delinquentium alicujus rei livore feriant, sed potius, ut ait beatus Augustinus, sint criminum persecutores, & hominum liberatores. Oderint vitia, diligant homines. Oderint quod instinctu diaboli ingestum est, diligant quod Dei bonitate creatum est. Teneant in manu baculum & virgam. baculum videlicet, quo aliorum virium imbecillitates spiritaliter sustentent: virgam vero, qua vitia delinquentium zelo rectitudinis feriant. Delinquentibus interea & excommunicatis fratribus, nequaquam ceteri fratres debent favere, aut eos suis adulationibus decipere, aut eorum errata defendere: sed potius opem ferre, ut æquitatis censura districte corrigantur.

Prov. 6.

Prov. 18

1. Cor. 5.

Cant. 4.

CXXXV.

Solerter rectores ecclesiarum vigilare oportet, ut pueri & adolescentes, qui in congregatione sibi commissa nutriuntur vel erudiuntur, ita jugibus ecclesiasticis disciplinis constringantur, ut eorum lasciva ætas, & ad peccandum valde proclivis, nullum possit reperire locum, quo in peccati facinus proruat. Quapropter in hujuscemodi custodiendis, & spiritaliter erudiendis, talis a prælatis constituendus est vitæ probabilis frater, qui eorum curam summa gerat industria, eosque ita artissime constringat, qualiter ecclesiasticis doctrinis imbuti, & armis spiritalibus induti, & ecclesiæ utilitatibus decenter parere, & ad gradus ecclesiasticos quandoque digne possint promoveri. Libuit præterea, ob ædificationem congruam, & instructionem negotii, de quo agitur,

ANNO CHRISTI 816.

tur, quamdam sanctorum patrum sententiam huic operi inserere, quæ ita se habet: Prona est omnis ætas ab adolescentia in malum. Nihil incertius quam vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit, ut si quis in clero puer est, aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricæ ætatis annos, non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem & magistrum doctrinæ, & testem vitæ habeant, &c. His ita præmissis, oportet ut probatissimo seniori pueri ad custodiendum, licet ab alio erudiantur, deputentur. Frater vero, cui hæc cura committitur, si eorum curam parvipenderit, & aliud quam oportet docuerit, aut eis in aliquo cujuslibet læsionis maculam ingesserit, severissime correptus ab officio amoveatur: & fratri alii id committatur, qui eos & innocentis vitæ exemplis informet, & ad opus bonum peragendum excitet.

CXXXVI.

Expletis, religiosissimo obsequio horis competentibus, diurnis officiis, ab omnibus canonicis, dato signo, devotissime ad completorium celebrandum veniendum est. Quo completo, oportet ut non epulis & potationibus, vanisque inserviant loquelis, sed his penitus postpositis, humiliter & honeste dormitorium petant: & nequaquam duo in uno, sed singuli in singulis lectis quiescant. Lucerna quoque in eodem dormitorio noctis tempore jugiter ardeat. Nihil denique inhonestum, aut indecens in dormitorio geratur ab aliquo, nec quispiam aliquem inquietare præsumat, nec ad verba inutilia & otiosa prorumpere cogat. Hujus vero capituli contemptor specialiter a prælatis & magistris severissime corripiatur.

CXXXVII.

Studendum summopere cantoribus est, ne donum sibi divinitus collatum vitiis fœdent, sed potius illud humilitate, castitate, & sobrietate, & ceteris sanctarum virtutum ornamentis exornent: quorum melodia animos populi circumstantis ad memoriam amoremque cælestium, non solum sublimitate verborum, sed etiam suavitate tonorum, quæ dicuntur, erigat. Cantorem autem, sicut traditum est a sanctis patribus, & voce & arte præclarum, illustremque esse oportet, ita ut per oblectamenta dulcedinis, animos incitet audientium, &c. Cantores itaque non propter donum sibi collatum se ceteris superbiendo præferant, sed humiliter socios exhibeant. Et providendum est illis, quando temperate, quandoque submisse divinum agatur officium: scilicet ut secundum numerum clericorum, & officii qualitatem, & temporis prolixitatem, cantum protendant, & voces moderentur ceterorum. Sonum etiam vocalium literarum bene atque ornate perstrepant. His vero, qui hujus artis minus capaces sunt, donec erudiantur, melius convenit ut sileant, quam cantare volendo quod nesciunt, aliorum voces dissonare compellant. Psalmi namque in ecclesia non cursim, & excelsis atque inordinatis, seu intemperatis vocibus, sed plane ac dilucide, & cum compunctione cordis recitentur: ut & recitantium mens illorum dulcedine pascatur, & audientium aures illorum pronuntiatione demulceantur, quoniam quamvis cantilenæ sonus in aliis officiis excelsa soleat edi voce, in recitandis tamen psalmis hujusmodi vitanda est vox. Constituantur interea seniores fratres, pro-

A babilioris scilicet vitæ, qui tempore statuto vicissim cum cantorum schola sint, ne hi qui discere debent, aut otio vacent, aut inanibus & supervacuis fabulis instent. Si vero cantores superbi extiterint, & artem, quam divinitus adjuti didicerint, aliis insinuare renuerint, graviter ac severe judicentur, ut emendati atque correcti, talentum sibi a Deo collatum aliis erogare procurent. Hujuscemodi autem correptionis modus erga eos, qui quarumlibet artium disciplinis eruditi sunt, & de talento sibi divinitus collato, magis se aliis superbiendo præferre, quam id cum caritate insinuare gestiunt, a prælatis obnixe tenendus est.

B CXXXVIII.

Oportet ecclesiæ prælatos, ut de congregatione sibi commissa tales eligant boni testimonii fratres, in quibus onera regiminis secure possint partiri. Quibus etiam talem conferant potestatem, ut vice illorum fungentes, & inobedientes canonica censura corripere, & obedientes hortando ad meliora valeant provocare. Non enim constituendi sunt personaliter, aut eo ordine, quo in collegio fratrum admissi sunt, sed secundum vitæ meritum, & spiritalium donorum prærogativam, qui & in congregatione assidui sint, & fratrum curam pervigili studio gerant: & sicut alios præcedunt magisterio, ita nimirum innoC centis vitæ informent exemplo, ut juxta apostolum, exemplo sint ceteris in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. Qui etiam, si prioratus sui causa intumescere cœperint, & curam fratrum nihili penderint, si crebro admoniti incorrigibiles extiterint, a ministerio propellantur, aliique in loco illorum, qui id strenue peragere possint, substituantur. *1. Tim. 4.*

CXXXIX.

Quamvis omnes qui præsunt præpositi rite dicantur, usus tamen obtinuit, eos vocari præpositos, qui quamdam prioratus curam sub aliis prælatis gerunt. Hi tamen qui juxta hunc morem præpositi vocantur, tales & tam strenui constiD tuendi sunt, qui & vitæ probabilis sint, & ea quæ sibi injuncta sunt, fideliter humiliterque expleant, & pro eo quod aliis prælati sunt, nequaquam parvipendant canonica instituta; sed quanto plus implicantur in fratrum curis, tanto magis studeant cælestibus obtemperare monitis. Debent igitur cunctæ congregationi utiles esse, & de ministerio sibi commisso fideliter prodesse. Ea vero quæ fratribus dare debent, cum caritate tempore opportuno incunctanter prebeant, quatenus a domino de fideli administratione gradum bonum acquirant. Erga hujuscemodi vero delinquentes, & obedientiam sibi commissam non bene administrantes, modus superius compreE hensus tenendus est.

CXL.

Debet procurare prælatus, ut fratribus cellararium, non vinolentum, non superbum, non tardum, non prodigum, sed moribus honestum, ac Deum timentem constituat, qui & stipendia fratrum fideliter servet, & diligenti cura administrando nullatenus fratres contristet. Cui etiam pistrinum fratrum committendum est, ut illud ita vigilantissima cura custodiat, ne ministri ibidem deputati, annonam fratrum aut furtim subripiendo, aut alio quolibet modo negligenter vivendo dissipent. Hi vero famuli eligantur de fidelissima ecclesiæ familia, & his officiis diligenter erudiantur, ut scilicet & pistoria arte, & fidei

ANNO CHRISTI 816. puritate necessitatibus fratrum opportunissime valeant suffragari. Eadem quoque forma de cocis servanda est. Inutiles denique atque inobedientes cellararii, secundum superius comprehensam sententiam judicentur.

CXLI.

Euangelicis atque apostolicis instruimur documentis, in colligendis hospitibus ante omnia operam date debere, ut merito de nobis dicatur a domino: *Hospes fui, & collegistis me*, &c. Proinde oportet, ut prælati ecclesiæ præcedentium patrum exempla sectantes, aliquod præparent receptaculum, ubi pauperes colligantur, & de rebus ecclesiæ tantum ibidem deputent, unde sumptus necessarios juxta possibilitatem rerum habere valeant, exceptis decimis, quæ de ecclesiæ villis ibidem conferuntur. Sed & canonici, tã de frugibus, quam etiam de omnibus eleemosynarum oblationibus, in usus pauperum decimas libentissime ad ipsum conferant hospitale. Et boni testimonii de ipsa congregatione frater constituatur, qui hospites & peregrinos adventantes, ut pote Christum in membris suis, suscipiat, eisque necessaria libenter pro viribus administret: qui etiam ea quæ in usus pauperum cedere debent, nequaquam in suos usus reflectat: ne cum Iuda loculos domini furante, sententiam damnationis excipiat. Sed & prælatorum debet vigilare industria, ne eum cui hospitale pauperum committitur, res pauperibus deputatas in aliquo minuere, aut his quasi beneficiario munere concessis sinant uti, quod a prælatis quibusdam, curam pauperum parvipendentibus, fieri comperimus. Clerici namque si aliis temporibus nequeunt, saltem quadragesimæ tempore pedes pauperum in competenti lavent hospitali, juxta illud euangelicum: *Si ego dominus & magister lavi vobis pedes, quanto magis vos debetis alter alterius lavare pedes?* &c. Quapropter expedit, ut in competenti loco hospitale sit pauperum, ubi perfacilis ad illud veniendi conventus possit fieri fratrum. Quod si is, cui hospitale commissum est, curam pauperum neglexerit, eorumque res in suos usus retorserit, quamquam divina ultione dignus sit, severius tamen quam ceteri delinquentes a præpositis judicandus, & a ministerio removendus est. Nec immerito: quippe qui & precia peccatorum, & alimenta pauperum, & thesaurum cælo recondendum, suis (quod fas non fuit) aptavit usibus.

Matth. 25.

Ioan. 13.

CXLII.

Quamvis canonicis proprias licitum sit habere mansiones, debet tamen a prælato mansio infirmorum, & senum intra claustra canonicorum fieri; ut qui suam forte non habent, in eadem suam aptissime possint tolerare imbecillitatem, quatenus ibidem & subsidiis ecclesiasticis quibus indigent & fratrum adminiculis misericorditer sustententur. Erga quos oportet ut ceteri fratres magnam exhibeant caritatem: scilicet ut eis compatiendo subveniant, & assiduis visitationibus, & scripturarum sanctarum consolationibus, nec non & propriarum rerum facultatibus, adminicula necessaria præbeant, ut impleatur in eis illud euangelicum: *Infirmus fui & visitastis me.*

Matt. 25.

CXLIII.

Eligatur necesse est a prælato, ex congregatione sibi commissa frater probabilis vitæ, cui officii sit portam canonicorum cum summa obedientia & humilitate competenti tempore claudere ac reserare, ut nulli per eam nisi per licentiam aditus pateat intrandi aut exeundi. Cui etiam observandum est, ne eis quibus cordi est plus otiis vacare, quam divinis obsequiis incubare, foras evagandi locum præbeat, & eorum nugarum, quod nefas est, particeps fiat. Debet præterea advenientes quosque cum caritate suscipere, & priori adventum eorum causamque nuntiare. Expleto namque vespertino & completorio officio, obseratisque portis, claves earum idem portarius ei qui vicem prælati tenet, ferat, ut nulli horis incompetentibus intrandi aut exeundi maneat facultas: quas etiam ab eodem in crastinum tempore accipiat constituto. Si vero inobediens atque protervus idem repertus fuerit portarius, sicut de aliis ministris negligentibus superius dictum est, judicetur.

CXLVI.

Oportet claustra canonicorum ita diligenter custodiri, ut grex dominicus fraterna concorditer fruatur pace: & si quemlibet prælatus, aut qui ejus vice fungitur, aut forte quilibet alius spiritalis frater, intra claustra quempiam inhoneste agentem, aut extra in biviis & plateis otio vanisque confabulationibus vacantem, repererit, primo secreta admonitione eum corripiat, & post, si necesse fuerit, coram fratribus idem negligens acrius judicetur, ut deinceps emendatus in melius proficiat. Feminis namque non solum in mansionibus & claustris canonicorum prandendum aut requiescendum non est, quin potius nec in ea intrandi, excepto in ecclesiam, ulla tribuenda facultas, quia valde hoc a sanctis patribus legitur inhibitum. Siquid vero caritatis officio illis attribuendum est, extra claustra constituatur locus, in quo id accipiant: nullus tamen fratrum cum ipsis, nisi testes coram fuerint, loquatur. Qui vero secus, quam præmissum est, agere tentaverit, ita severiter a prælatis & magistris corrigatur, ut ceteris, ne quid tale agere pertentent, exemplo correptionis sibi exhibitæ terrorem incutiant.

CXLV.

Quamquam a sanctis patribus in superioribus hujus libelli partibus satis sit dilucidatum, qualiter clerici vivere debeant, adeo ut qui hæc, quæ superius comprehensa sunt; sedula meditatione perlegerit, perspicue in his reperire valeat, qualis ejus debeat esse fidei devotio, actuum morumque exornatio, ac divinorum cultuum executio: propter plerosque tamen simplices, minusque capaces, hæc strictim breviterque replicanda pernecessarium duximus: ut qui hæc aut legere, aut forte ab aliis lecta plene intelligere nequiverint, utantur hac defloratiuncula, utpote calatho diversorum florum vernantium nectare referto, & discant quid illis agendum, quidve vitandum sit. Legalibus interea institutis, & euangelicis saluberrimis monemur præceptis, ut dominum Deum nostrum totis præcordiis diligamus, & proximum tamquam nosmetipsos, &c. Si igitur ab omnibus fidelibus, his salutiferis præceptis totis nisibus est favendum: quanto magis ab his, qui divinis cultibus mancipati sunt, & aliis exemplo virtutum condimentum esse debent? Proinde oportet, ut primo omnium dominum Deum diligant ex toto corde, ex tota anima, tota virtute, & proximos tamquam seipsos: & nosse quia in his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Non occidant, neque fratrem oderint. quia (ut ait apostolus) *qui fratrem suum odit, homicida est.* Non adulterent, non furtum faciant, non concupiscant rem alienam, non

1. Ioan. 3.

ANNO CHRISTI 816.

non falsum testimonium dicant; & quod sibi nolunt fieri, alteri ne faciant. Non sint superbia tumidi, non detractionibus assueti, non ebrietati servientes, non luxuria enervati, non iracundia turbidi, non quibuslibet aliis vitiis substrati, non vaniloqui, non invidi, non somnolenti, non pigri, non murmuratores, non susurrones, non vinolenti, non multum edaces. Fraudes & dolositates caveant: usuris nequaquam inserviant. non jurent, ne forte perjurent. malum pro malo non reddant. Cum in se aliquid boni viderint, Deo, & malum cum viderint, sibi deputent. Discordiam fugiant, & quos discordantes invenerint, ad caritatis concordiam revocent; & B juxta vocem Psalmistæ, declinent a malo, & faciant bonum. Attendant & apostolum prohibentem: *Non*, inquit, *in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini dominum Iesum Christum.* Animadvertant etiam, quod ab his vitiis ab apostolo prohibitis, omnium vitiorum seges emergat: & quod horum morborum mater superbia sit. Oportet etiam, ut animam corpusque suum ab omni inquinamento carnis & spiritus custodiant, ut juxta apostolum, integer spiritus eorum & anima & corpus, sine querela in adventu domini nostri Iesu Christi servetur. Sobrie, juste, & pie vivant, sæcularia C negotia prorsus abjiciant, quia juxta eumdem apostolum, *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus; ut ei placeat cui se probavit.* Iejunium ament; hospites colligant, pauperes recreent, nudos vestiant, infirmos visitent, mortuos sepeliant, in tribulatione positis opem ferant, dolentes consolentur. Amori Christi nihil præponant, caritatem non derelinquant: pacem, si fieri potest, cum omnibus hominibus habeant: diem judicii timeant, vitam æternam spiritaliter concupiscant. Spem suam Deo committant, proprio episcopo in omnibus secundum canonicam institutionem obtemperent, magistros suos non temere reprehendant. Postremo D in doctrinis spiritalibus operam dent. Lectionibus, psalmis, hymnis, canticis, & ceterorum bonorum operum exercitiis jugiter incumbant. In dormitorio, nisi quem infirmitas detinuerit, omnes dormiant: in refectorio pariter reficiantur, quotidie ad collationem veniant. mox ut signum datum fuerit, ad ecclesiam omnes festinato veniant, & horas canonicas non negligenter, sed cum omni religione pariter celebrent. Ecclesiam non pompatice, sed reverenter ingrediantur. In choro non cum baculis stent, vaniloquiis nequaquam insistant, sed cum omni devotione & veneratione divinæ servitutis opus peragant, scientes angelorum præsentiam semper illic adesse. E claustris non nisi per licentiam egrediantur: egressi, irreprehensibiliter vivant, ut ab his qui E foris sunt, bonum testimonium habeant, & religionem ac propositum suum actibus illicitis nequaquam maculent, sed potius omnes quibus se conjunxerint, sale sapientiæ & bonorum operum exemplis condiant. Contubernia feminarum nullatenus appetant, non vanis oculis, aut petulanti tumidoque gestu, ac dissolutis renibus incedant: non spectaculis, non pompis sæcularibus intersint, non aleæ, non quibuslibet venationibus serviant. Apostoli namque instructi documento, quo ait: *Non in veste preciosa*, nequaquam preciosis delectentur vestibus. Caveant summopere, ne extra claustra moras faciant, nisi prout sibi a priore constitutum fuerit, & opportunitas temporis dictaverit. Intra claustra positi, non otio vacent, sed aut divinis officiis, aut propriis utilitatibus, aut certe magistrorum jussionibus pareant: ne otio torpentes, ab apostolo audiant: *Qui non vult operari, nec manducet.* (2. Thess. 3.) Seniores spiritaliter juniores diligant: juniores senioribus obsequium dignum exhibeant. Doctiores minus doctis nequaquam se præferant, sed magis eos cum caritate ædificent: neque hi qui nobilitate generis, aut virtutum donis pollent, ceteris se tumide superextollant. Omnes in congregatione vicissim sibi caritatis officio serviant. quibus etiam in refectorio comedentibus, & religiose silentium tenentibus, continuatim legatur lectio. Delinquentes zelo rectitudinis pariter arguant & castigent, pueros & adolescentes negligentes verborum disciplinis corripiant. Singuli juxta capacitatem suam, diversarum artium erudiantur disciplinis, ut nullus in collegio canonico inutilis appareat, nec vota fidelium otiosus comedat. Tales quippe esse, imo & taliter conversari decet omnes, qui divinis officiis se manciparunt. Quapropter studeant hæc breviter collecta sedula meditatione perlegere, & memoriæ commendare, & divina adjuvante gratia, juxta vires adimplere; quo facilius & liberius majora a sanctis patribus edita exequi valeant. Vocatione ergo qua vocati sunt, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes, ambulent: quatenus divinis jussionibus obtemperantes, ad Christum, in cujus sorte esse noscuntur, qui via, veritas, & vita est, eo opitulante, pervenire mereantur.

CONCILII AQVISGRANENSIS LIBER II.

Qui est de institutione sanctimonialium.

HANC constitutionem sacer conventus anno incarnationis domini DCCCXVI. indictione 10. anno siquidem gloriosissimi Ludouvici imperatoris tertio, in Aquisgrani palatio, eodem monente principe, ob animarum sanctimonialium canonice degentium salutem, divina inspirante gratia, & sanctorum patrum auctoritatibus, velut ex pratis vernantibus quosdam flosculos collegit & in unum congessit, atque communi voto, communique consensu, sanctimonialibus tenendam, observandamque percensuit.

INDEX CAPITVM LIBRI II.

II. Vt

Liber II. 816.

xi. *Ut monasteria puellarum undique muniantur, & necessariæ habitationes interius præparentur.*

xii. *Ut sanctimoniales in una societate viventes æqualiter cibum & potum accipiant.*

xiii. *Qualiter sanctimoniales stipendia accipere debeant necessaria.*

xiv. *Quod gemina abbatissis sanctimonialibus impendenda sit pastio.*

xv. *Ut ad horas canonicas celebrandas incunctanter conveniant sanctimoniales.*

xvi. *De instantia orationis.*

xvii. *Ut completorium pariter sanctimoniales celebrent.*

xviii. *Qui modus correptionis erga sanctimoniales delinquentes adhibendus sit.*

xix. *Ut abbatissæ virorum frequentias vitent.*

xx. *Ut sanctimoniales virorum caveant frequentias.*

xxi. *Ut sanctimoniales erga famulas sibi servientes pervigilem adhibeant custodiam.*

xxii. *Ut erga puellas in monasteriis erudiendas magna adhibeatur diligentia.*

xxiii. *Ut in monasteriis puellaribus domus propter anus & infirmas sit.*

xxiv. *Quales sint præpositæ constituendæ.*

xxv. *Qualis constituenda sit cellararia.*

xxvi. *De portaria monasterii constituenda.*

xxvii. *Ut non nisi statuto tempore presbyteri eorumque ministri monasteria puellarum ingrediantur.*

xxviii. *Ut hospitale pauperum extra monasterium sit puellarum.*

Caput I.

Excerptum ex epist. 22. Hieronymi ad Eustochium. *Psal. 44.* AUDI *filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum*, in quadragesimo quarto psalmo Deus ad animam loquitur humanam, ut secundum exemplum Abrahæ exiens de terra sua, & de cognatione sua, relinquat Chaldæos, qui quasi dæmonia interpretantur, & habitet in regione viventium, quam alibi Propheta suspirat dicens: *Psal. 26.* *Credo videre bona domini in terra viventium.* Verum non sufficit tibi exire de patria tua, nisi & obliviscaris populi & domus patris tui. Item ibi. Non expedit apprehenso aratro respicere post tergum, nec de agro reverti domum; nec post Christi tunicam ad tollendum aliud vestimentum tecta descendere. Grande miraculum. Pater filiam cohortatur, ne meminerit patris. *Ioan. 8.* *Vos de patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere*, dicitur ad Iudæos, & alibi: *1. Ioan. 3.* *Qui facit peccatum, ex diabolo est.* Tali primum parente generati nigri sumus, & post pœnitentiam nec dum culmine virtutis ascenso dicimus: *Cant. 1.* *Nigra sum, sed & formosa, filia Ierusalem.* Exivi de domo infantiæ meæ, oblitus sum patris, renascor in Christo. *Psal. 44.* Quid pro hoc mercedis accipio? Sequitur: *Et concupiscet rex decorem tuum.* Hoc ergo illud magnum est sacramentum. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt ambo, jam non, ut ibi, in una carne, sed in uno spiritu. Non est sponsus tuus arrogans, non superbus, Æthiopissam duxit uxorem. Statim ut volueris sapientiam veri audire Salomonis, & ad eum veneris, confitebitur tibi cuncta quæ novit; & inducet te rex in cubiculum suum: & mirum in modum, colore mutato, sermo tibi ille conveniet: *Quæ est ista quæ ascendit dealbata?* Item ibi. Nolo tibi venire superbiam de proposito, sed timorem. Onusta incedis auro, latro vitandus est. Stadium est hæc vita mortalibus; hic contendimus, ut alibi coronemur. Nemo inter serpentes & scorpiones securus ingreditur. *Et inebriatus est*, inquit dominus, *gladius meus in cælo*: & tu pacem arbitraris in terra, quæ tribulos generat & spinas, quam serpens comedit? *Isa. 34.* Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus principatus, & potestates hujus mundi, & rectores tenebrarum harum, adversus spiritalia nequitiæ in cælestibus. Magnis inimicorum circumdamur agminibus: hostium plena sunt omnia. Caro fragilis, & cinis futura post modicum, pugnat sola cum pluribus: cum autem fuerit dissoluta, & venerit princeps mundi istius, & invenerit in ea nihil, tunc secura audiet per Prophetam: *Non timebis a timore nocturno, & a sagitta volante per diem, & a negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabunt.* *Psal. 90.* Quod si eorum te multitudo turbaverit & ad singula incitamenta vitiorum cœperis æstuare, & dixerit tibi cogitatio tua, Quid faciemus? respondebit tibi Elisæus: *Noli timere, quoniam plures nobiscum sunt, quam cum illis.* *4. Reg. 6.* Sequitur in eadem. Quamdiu hoc fragili corpusculo detinemur: quamdiu habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, & concupiscit spiritus adversus carnem, & caro adversus spiritum, nulla est certa victoria. Adversarius noster diabolus, tamquam leo rugiens, aliquem devorare quærens circuit. Non quærit diabolus homines infideles, non eos qui foris sunt, & quorum carnes rex Assyrius in olla succendit; sed de ecclesia Christi rapere festinat. Non venit Salvator pacem mittere super terram, sed gladium. Item post pauca. Si post nuditatem, jejunia, famem, carcerem, flagella, supplicia, in semet reversus Apostolus exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* *Rom. 7.* tu te putas securam esse debere? Cave, quæso, ne quando de te dicat Deus: *Virgo Israel cecidit, & non est qui suscitet eam.* *Amos 5.* Audenter loquar. Cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam. Valet quidem liberare de pœna, sed non vult coronare corruptam. Timeamus illam prophetiam, ne in nobis etiam compleatur: *Virgines bonæ deficient.* Observa quid dicat: *Virgines bonæ deficient*, quia sunt & virgines malæ. *Ibidem 8.* *Qui viderit*, inquit, *mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eã in corde suo.* *Matth. 5.* Perit ergo & mente virginitas. Istæ sunt virgines malæ, virgines carne, non spiritu, virgines stultæ, quæ oleum non habentes excluduntur a sponso. Si autem & illæ, quæ virgines sunt, ob alias tamen culpas virginitate corporum non salvantur, quid fiet illis, quæ prostituerunt membra Christi, & mutaverunt templum sancti Spiritus in lupanar? Illico audient: *Descende, sede in terra, virgo filia Babylonis: sede in terra, non est thronus filiæ Chaldæorum: non vocaberis ultra mollis & delicata.* *Isa. 47.* Rectius fuerat subiisse conjugium, ambulasse per plana, quam ad altiora tendentem in profundum inferni cadere. Item post pauca. Non solvatur fascia pectoralis, sed statim ut libido titillaverit sensum, & blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem: Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat

ANNO CHRISTI 816.

faciat mihi caro. Et cum paululum interior homo inter vitia atque virtutes cœperit fluctuare, dicito: Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quia confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus. Nolo ſinas cogitationem creſcere: nihil in te Babylonium, nihil confuſionis adoleſcat. Dum parvus eſt hoſtis, interfice: nequitia, ne zizania creſcant, elidatur
Psalm. 136. in ſemine. Audi Pſalmiſtam loquentem: *Filia Babylonis miſera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* Quia enim impoſſibile eſt in ſenſum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui ſtatim ut cœperit cogitare ſordida, ſtatim interficit cogitatus, & elidit eos ad petram: petra autem erat Chriſtus. ITEM IBI. Si autem hæc ſuſtinent illi, qui exeſo corpore ſolis cogitationibus oppugnantur, quid patitur
1 Tim. 5. puella, quæ deliciis fruitur? Nempe illud apoſtoli: *Vivens mortua eſt.* Si quid itaque in me poteſt eſſe conſilii, ſi experto creditur; hoc primum moneo, hoc obteſtor, ut ſponſa Chriſti vinum fugiat pro veneno. Hæc adverſus adoleſcentiam prima arma ſunt dæmonum. Nec ſic avaritia quatit, inflat ſuperbia, delectat ambitio. Facile aliis caremus vitiis, hic hoſtis intus incluſus eſt: quocumque pergimus, nobiſcum portamus inimicum. Vinum & adoleſcentia, duplex incendium voluptatis. Quid ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus? Paulus ad Ti-
1 Tim. motheum: *Iam noli*, inquit, *aquam bibere, ſed vino modico utere, propter ſtomachum, & frequentes tuas infirmitates.* Vide quibus cauſis vini potio concedatur: ut ex hoc ſtomachi dolor, & frequens medeatur infirmitas. Et ne nobis forſitan de ægrotationibus blandiremur, modicum præcepit eſſe ſumendum, medici potius conſilio, quam apoſtoli. Alioquin idem apoſtolus alibi ſe di-
Gal. 5. xiſſe meminerat: *Et vinum in quo eſt luxuria:* &
Bonum eſt homini vinum non bibere, & carnem
Rom. 14. *non manducare.* Noe vinum bibit, & inebriatus
Psal. 91 eſt: rudi adhuc ſæculo, & tunc primo plantata vinea, inebriare vinum forſitan neſciebat. Et ut intelligas ſcripturæ in omnibus ſacramentum (margaritum quippe eſt ſermo Dei, & ex omni parte forari poteſt) poſt ebrietatem nudatio femorum ſubſecuta eſt, libido juncta luxuriæ. prius enim
Exod. 32. venter extenditur, & ſic cetera membra concitantur. Manducavit enim populus, & bibit, & ſurre-
Gen. 19. xerunt ludere. Loth amicus Dei in monte ſalvatus, & de tot millibus populi ſolus juſtus inventus, inebriatur a filiabus ſuis. Et licet illæ putarent genus humanum defeciſſe, & hoc facerent liberorum magis deſiderio, quam libidinis; tamen ſciebant virum juſtum hoc niſi ebrium non eſſe facturum. Denique quid fecerit ignoravit. Et quamquam voluntas non ſit in crimine, error in culpa eſt. ITEM IN EADEM. Innumerabilia ſunt de ſcripturis reſponſa divina, quæ gulam dánent, & ſimplices cibos præbeant. Verum quia nunc non eſt propoſitum de jejuniis diſputare, & univerſa exequi ſui eſt tituli & voluminis, hæc ſufficiant pauca de pluribus. Alioquin ad exemplum horum poteris tibi ipſa colligere, quomodo & primus de paradiſo homo, ventri magis obediens, quam Deo, in hanc lacrymarum dejectus eſt vallem: & ipſum dominum ſatanas fame tentauerit in deſerto; & a-
1 Cor. 6. poſtolus clamitet: *Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc, & illas deſtruet.* & de luxu-
Phil. 3. rioſis: *Quorum Deus venter eſt.* id enim colit u-

nuſquiſque quod diligit. Ex quo ſolicite providendum eſt, ut quos ſaturitas de paradiſo expulit, reducat eſuries. Quod ſi volueris reſpondere, te nobili ſtirpe generatam, ſemper in deliciis, ſemper in plumis, non poſſe a vino, & eſculentioribus cibis abſtinere, nec his legibus vivere diſtrictius: reſpondebo, Vive ergo lege tua, quæ Dei non potes. Nō quod Deus univerſitatis creator & dominus, inteſtinorum noſtrorum rugitu, & inanitate ventris, pulmonumque delectetur ardore: ſed quod aliter pudicitia tuta eſſe nō poſſit. Iob Deo carus,
& teſtimonio ipſius immaculatus, & ſimplex, audi Iob. 40.
quid de diabolo ſuſpicetur: *Virtus ejus in lumbis, & poteſtas in umbilico.* Omnis igitur adverſus viros diaboli virtus in lumbis eſt: omnis in umbilico contra feminas fortitudo. Vis ſcire ita eſſe ut dici-
mus? Arripe exempla. Samſon leone fortior, & ſaxo Iudic. 16.
durior, & qui unus & nudus mille perſecutus eſt armatos, in Dalilæ molleſcit amplexibus. SEQUITUR POST PAUCA. Piget dicere quot quotidie virgines ruant, quantas de ſuo gremio mater perdat eccleſia, ſuper quot ſidera ſuperbus inimicus ponat thronum ſuum, quot petras excavet, & habitet coluber in foraminibus earum. Videas pleraſque viduas, antequam nuptas, infelicem conſcientiam mentita tantum veſte protegere. quas niſi tumor uteri, & infantum prodiderit vagitus, ſanctas, & caſtas ſe eſſe gloriantur, & erecta cervice, & ludentibus pedibus incedunt. Aliæ vero ſterilitatem præbibunt, & nec dum ſati hominis homicidium faciunt. Nonnullæ cum ſe ſenſerint concepiſſe de ſcelere, abortii venena meditantur, & frequenter etiam ipſæ commortuæ trium criminum reæ ad inferos perducuntur, homicidæ ſui, Chriſti adulteræ, nec dum nati filii parricidæ. Iſtæ ſunt, quæ ſolent dicere, Omnia munda mundis, ſufficit mihi conſcientia mea. Cor mundum deſiderat Deus: cur me abſtineam a cibis, quos creavit Deus ad utendum? Et ſi quando lepide & feſtive volunt vivere, ubi ſe mero ingurgitaverint, ebrietati ſacrilegium copulantes, aiunt, Abſit ut ego a Chriſti ſanguine me abſtineam. Hæ ſunt, quæ per publicum notabiliter incedunt, & furtivis oculorum nutibus adoleſcentium greges poſt ſe trahunt:
quæ ſemper audiunt per prophetam: *Facies mere-* Ierem. 3.
tricis facta eſt tibi. Nolo habeas conſortium matronarum; nolo ad nobilium domos accedas; nolo te frequenter videre, quod contemnens virgo eſſe voluiſti. Neque vero earum tantum te cupio declinare congreſſus, quæ maritorum inflantur honoribus; quas eunuchorum greges ſepiunt, & in quarum veſtibus attenuata in filum auri metalla texuntur: ſed etiam eas fuge, quas viduas neceſſitas fecit. Sint tibi ſociæ, quas jejunia tenuant, quibus pallor in facie eſt, quas probavit & vita; quæ quotidie in cordibus ſuis canunt, Ubi paſcis, ubi cubas in meridie? quæ ex affectu dicunt, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Sit itaque tibi moderatus cibus, & nunquam venter expletus. Plures quippe ſunt, quæ cum vino ſint ſobriæ, ciborum largitate ſunt ebriæ. Ad orationem tibi nocte ſurgenti non indigeſtio ructum faciat, ſed inanitas. Crebrius lege, diſce quamplurima. Tenenti codicem ſomnus obrepat, & cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat. Sint tibi quotidiana jejunia, & refectio ſatietatem fugiens. Nihil prodeſt biduo, triduoque tranſmiſſo vacuum portare ventrem, ſi pariter obruatur, ſi compenſetur ſaturitate jejunium. Illico mens repleta torpeſcit, & irrigata humus ſpinas libidinum germinat. Si quando ſenſeris exteriorem

VVuu homi-

hominem florem adolescentiæ suspirare, & accepto cibo, cum te in lectulo compositam dulcis libidinum pompa concusserit, arripe scutum fidei, in quo ignitæ diaboli extinguuntur sagittæ. Omnes adulterantes, quasi clibanus corda eorum. SEQUITUR IN EADEM. Difficile est humanam animam aliquid non amare; & necesse est ut in quoscumque mens nostra trahatur affectus, carnis amor spiritus amore superetur. Desiderium desiderio restinguitur, quidquid inde minuitur, hic crescit. Quin potius semper ingemina: *Super lectulum meum in noctibus quæsivi quem dilexit anima mea.* (Cant. 3.) *Mortificate igitur*, ait apostolus, *membra vestra quæ sunt super terram;* (Col. 3.) Vnde & ipse confidenter aiebat: *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.* (Gal. 2.) Esto cicada noctium. Lava per singulas noctes lectum tuum, lacrymis stratum tuum riga. Vigila, & fias sicut passer in solitudine. Psalle spiritu, psalle & sensu. Benedic anima domino; & ne obliviscaris omnes retributiones ejus; qui propitiatur cunctis iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, & redimit ex corruptione vitam tuam. Illud quoque tibi vitandum est cautius, ne vanæ gloriæ ardore capiatis. *Quomodo*, inquit Iesus, *potestis credere gloriam ab hominibus accipientes?* (Ioan. 5.) Vide quale malum sit, quod qui habuerit, non potest credere. Nos vero dicamus: *Quoniam gloriatio mea tu es.* (Psal. 3.) &, *Qui gloriatur in domino glorietur.* (2. Cor. 10.) &, *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* (Gal. 1.) &, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* (Gal. 6.) & illud, *In te laudabimur tota die. In domino laudabitur anima mea.* (Psal. 43.) Cum facis eleemosynam, Deus solus videat. cum jejunas, læta sit facies tua. Vestis nec satis munda, nec sordida. ET MOX. Nec satis religiosa velis videri, nec plus humilis quam necesse est, ne gloriam fugiendo quæras. Plures enim paupertatis, misericordiæ, atque jejunii arbitros declinantes, hoc ipso cupiunt placere, quod placere contemnunt, & mirum in modum laus dum vitatur appetitur. Sunt quippe nonnullæ exterminantes facies suas, ut pareant hominibus jejunantes, quæ statim ut aliquem viderint, ingemiscunt, demittunt supercilium, & operta facie, vix unum oculum liberant ad videndum: vestis pulla, cingulum sacceū, & sordidis manibus pedibusque, venter solus, quia videri non potest, æstuat cibo. His quotidie psalmus ille canitur: *Dominus dissipabit ossa hominum sibi placentium.* (Psal. 52.) ITEM IBI. Post hæc quamquam apostolus semper orare nos jubeat, & sanctis etiam ipse somnus oratio sit, tamen diversas orandi horas debemus habere, ut si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoq;, & vesperam, nemo est, qui nesciat. Nec cibi sumãtur, nisi oratione præmissa: nec recedatur a mensa, nisi referatur creatori gratia. Noctibus bis terque surgendum, revoluenda quæ de scripturis memoriter retinemus. Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem. Nulli detrahas, nec adversus filium matris tuæ ponas scandalum. Nec si biduo jejunaveris, putes te non jejunantibus esse meliorem. Tu jejunas & irasceris: ille comedit, & fronte blanditur. Tu vexationem mentis, & ventris esuriem rixando digeris: ille moderatius alitur, & Deo gratias agit. Vnde quotidie clamat Isaias, *Non tale jejunium elegi*, dicit dominus. *In diebus jejuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestræ.* (Isa. 58.) Nec illarum tibi exempla proponas, quæ carnis curam facientes, possessionum reditus, & quotidianas domus impensas supputant. Nec dicas. Illa & illa suis rebus fruitur, honoratur ab hominibus; fratres ad eam conveniunt, & sorores: numquid ideo virgo esse desiit? Primum dubium est, an virgo sit talis. non enim quomodo videt homo, videt Deus. homo videt in facie; Deus autem in corde. Dehinc etiamsi corpore virgo est, an spiritu virgo sit nescio. Apostolus autem ita virginem definivit, *ut sit sancta corpore & spiritu.* (1. Cor. 7.) Hæc omnia, quæ digessimus, dura videbuntur ei, quæ non amat Christum. Qui autem omnem seculi pompam pro purgamento habuerit, & vana duxerit universa sub sole, ut Christum lucrifaciat, qui commortuus est domino suo, & consurrexit, & crucifixit carnem cum vitiis, & concupiscentiis, libere proclamabit: Quis nos separabit a caritate Christi? An tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Et iterum: Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angelus, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque excelsum, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Habeto in mente quomodo in Apocalypsi in virginitate permanentes laudantur. *Virgines*, inquit Ioannes, *permanserunt. Hi sunt qui sequuntur agnum quocumque vadit.* (Apoc. 14.) Quotiescumque te vana sæculi delectaverit ambitio, quoties in mundo aliquid videris gloriosum, ad paradisum mente transgredere. Esse incipe quod futura es, & audies a sponso tuo: *Pone me sicut umbraculum in corde tuo, sicut signaculum in brachio tuo*, (Cant. 8.) & opere pariter, ac mente munita, clamabis & dices: *Aquæ multæ non poterunt extinguere caritatem, & flumina non operiant illam:* (Ibidem.)

II.

(Eiusdem ad Demetriadem.) Vnum illud tibi, nata Deo, præque omnibus unum prædicam, & repetens iterumque, iterumque monebo, ut animum tuum sacræ lectionis amore occupes, nec in bona terra pectoris tui sementem lolii, avenarumque suscipias, ne dormiente patrefamilias, inimicus homo zizania superseminet; sed semper loquaris, In noctibus quæsivi quem diligit anima mea, &, Adhæsit post te anima mea, me suscepit dextera tua. Quando eras in sæculo, ea quæ erant sæculi diligebas: nunc autem quia sæculum reliquisti, & secundo post baptismum gradu inisti pactum cum adversario tuo, dicens ei. Renuntio tibi, diabole, & sæculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis: serva fœdus quod pepigisti, & esto consentiens, pactumque custodiens cum adversario tuo, dum es in via hujus sæculi, ne forte tradat te judici, tradarisque ministro; & non inde exeas, nisi solvas novissimum quadrantem, id est minimum quodque delictum. quia & pro otioso verbo reddituri sumus rationẽ in die judicii. Hæc dicta sint non infausto contra te vaticinio, sed pavidi, cautique monitoris officio, ea quoque in te, quæ tuta sunt, formidantis. Si spiritus, inquit, potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Vult nos loco movere hostis, & de gradu excedere: sed solidanda sunt vestigia, & dicendum, Statuit supra petram pedes meos, &c. Si in cogitationes tuas coluber ascenderit, serva cor tuum, & cum David canito: *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.* (Psal. 18.) Claude cubiculum pectoris, & crebro signaculo crucis munias frontem tuam, ne

exterminator Ægypti in te locum reperiat. Post cogitationum diligentissimam cautionem, jejuniorum tibi arma sumenda sunt, & canendum cũ David: *Humiliavi in jejunio animam meam, & cinerem tamquam panem manducavi.* &, *Cum molesti essent mihi, induebar cilicio.* Salvator generis humani, qui virtutum, & conversationis suæ nobis reliquit exemplum, post baptismum statim assumitur a spiritu, ut pugnet contra diabolum; & oppressum eum atque contritum tradidit discipulis conculcandum. Unde & apostolus loquitur: *Deus autem conteret satanam sub pedibus vestris velociter.* Et tamen hostis antiquus post quadraginta dierum jejunium, per cibum molitur insidias, & dicit: *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* In Iob scriptum est de dracone: *Virtus ejus in lumbis ejus, & fortitudo illius super umbilicum ventris ejus.* Adversum juvenes, & puellas ætatis ardore hostis noster abutitur, & inflammat rotam nativitatis nostræ; & implet illud Oseæ: *Omnes adulterantes, quasi clibanus corda eorum.* quæ Dei misericordia, & jejuniorum frigore restinguuntur. Hæc sunt ignita diaboli jacula, quæ simul & vulnerant, & inflammant. Sic quoque debes jejunare, ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias. Iejunium non perfecta virtus, sed ceterarum virtutum fundamentum est: & sanctificatio, atque pudicitia, sine qua nemo videbit Deum, gradus præbet ad summa standentibus. Legamus euangelium sapientum & stultarum virginum, quarum aliæ cubiculum ingrediuntur sponsi, aliæ bonorum operum oleum non habentes, extinctis lampadibus excluduntur. Disce quid boni habeat continentia, & quid e contrario mali saturitas. Scurrilitas, atque lascivia te præsente non habeant locum. Nunquam verbum inhonestum audias, aut si audieris, non inescеris. Perditæ mentis homines uno frequenter, levique sermone tentant claustra pudicitiæ. Ridere, & rideri sæcularibus derelinque; gravitas tuam personam decet. Superfluum reor te monere contra avaritiam, cum apostolus doceat avaritiam esse idolorum cultum. Laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta convivia. Christum vestire in pauperibus, pascere in esurientibus. & præter psalmorum, & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, sexta, nona, ad vesperum, media nocte, & mane semper est exercendum, statue quot horis sacram scripturam ediscere debeas, quanto tempore legere, non ad laborem, sed ad delectationem, & instructionem animæ. Cumque hæc finieris spatia, & frequenter te ad figenda genua sollicitudo animæ suscitaverit; habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtegmina in alueolis fusa vertantur, aliarumque neta, aut in globum collige, aut texenda compone. Si tantis operum varietatibus fueris occupata, nunquam tibi dies longi erunt. Hæc observans, & te ipsam salvabis, & alias, & eris magistra sanctæ conversationis, multarumque castitatem lucrum tuum facies, scriptura dicente: *In desideriis est omnis anima otiosi.* Ideo enim tibi cum omnibus laborandum est, ut per occasionem operis nihil aliud cogites, nisi quod ad domini pertinet servitutem. Simpliciter loquar. Quamvis omnem censum tuum in pauperes distribuas, nihil apud Christum erit preciosius, nisi quod manibus tuis ipsa confeceris, vel in usus proprios, vel in exemplum virginum ceterarum. Bonum est igitur obedire majoribus, parere perfectis; & post regulas scripturarum, vitæ suæ tramitem ab aliis discere, nec præceptore uti pessimo, scilicet præsumptione sua. Matronarum maritis ac sæculo servientium tibi consortia declinentur, ne sollicitetur animus, & audias quid vel maritus uxori, vel uxor locuta sit viro. Venenatæ sunt hujusmodi confabulationes, super quarum damnatione sæcularem versum assumens apostolus, facit ecclesiasticum: *Corrumpunt mores bonos confabulationes malæ.* Graves feminæ tibi comites eligantur, quarum probata est conversatio, sermo moderatus, sancta verecundia. Fuge lasciviam puellarum, quæ ornant capita, crines a fronte demittunt. Illa sit tibi pulcra, illa amabilis, illa habenda inter socias, quæ se nescit esse pulcram. Felix illa conscientia, & beata virginitas, in cujus corde præter amorem Christi, qui est sapientia, castitas, patientia, atque justitia; ceteræque virtutes, nullus alius versatur amor, nec ad recordationem hominis aliquando suspirat, nec videre desiderat, quem cum viderit, nolit dimittere. Sanctarum virginum proposit & cælestium consimilem gloriam, quarundam non bene se agentium nomen infamat. Finem jungo principio, nec semel monuisse contentus sum. Ama scripturas sanctas, & amabit te sapientia. dilige eam, & servabit te: honora illam, & amplexabitur te. Hæc monilia in pectore, & in auribus tuis hæreant. Nihil aliud noverit lingua, nisi Christum, nihil possit sonare, nisi quod sanctum est.

[Left margin notes: ANNO CHRISTI 816. — Psal. 34. — Rom. 16. — Matth. 4. — Iob 40. — Osee 7. — Matth. 25. — Ephes. 5. Right margin: 1 Cor. 15.]

III.

Eiusdem ex epistola ad Furiam.

Arripe quæso occasionem, & fac de necessitate virtutem. Non quæruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus male cœpit, sed bene finivit. Iudę laudantur exordia; sed finis proditione damnatur. Meretrix illa in euangelio baptizata lacrymis suis, & crine, quo multos ante deceperat, pedes domini tergens salvata est. Non habuit crispantes mitras, nec stridentes caleeolos, nec orbes stibio fuliginatos, quanto fœdior, tanto pulcrior. Vidua quæ marito placere desivit, & juxta apostolum vere vidua est, nihil habet necessarium, nisi perseverantiam. Ardentes diaboli sagittæ jejuniorum & vigiliarum rigore restinguendæ sunt. Aut loquendum nobis est ut vestiti sumus, aut vestiendum ut loquimur. Quid aliud pollicemur, & aliud ostendimus? Lingua personat castitatem, & totum corpus profert impudicitiam. Hoc quantum ad habitum pertinet, & ornatum. Ceterum vidua *quæ in deliciis est*, (non est meum, sed apostoli) *vivens mortua est.* Quid sibi vult hoc quod ait, *vivens mortua est*? Vivere quidem videtur ignorantibus, & non esse peccato mortua: sed Christo, quem secreta non fallunt, mortua est. Apostolus macerat corpus suum, & animæ subjicit imperio, ne quod aliis præcipit ipse non servet: & adolescentula fervente cibis corpore, de castitate secura est? Neque vero hæc dicens condemno cibos, quos dominus creavit ad utendum cum gratiarum actione, sed juvenibus, & puellis incentiua assero esse voluptatum. Non Ætnæi ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvius & Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ. Grandis ergo virtutis est, & sollicitæ diligentię superare quod nata sis, in carne non carnaliter vivere, tecum pugnare quotidie, & inclusum hostem Argi, ut fabulæ ferunt, centum oculis observare. Primum igitur, si stomachi firmitas patitur, donec

[Right margin: 1 Tim. 5.]

puellares annos transeas, aquam in potu sume, quæ natura frigidissima est: aut si hoc imbecillitas prohibet, audi cum Timotheo: *Vino modico utere propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates.* (1. Tim. 5.) Deinde in ipsis cibis calida quæque devita. Non solum de carnibus loquor, super quibus vas electionis profert sententiam: *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum:* (Rom. 14.) sed etiam in ipsis leguminibus inflantia quæque & gravida declinanda sunt. Nihil ita scias conducere Christianis adolescentibus, ut esum olerum. Unde & in alio loco: *Qui infirmus est,* (Rom. 14.) ait, *olera manducet*: ardorque corporum frigidioribus epulis temperandus est. Nihil sic inflammat corpora, aut titillat membra genitalia, sicut indigestus cibus, ructusque convulsus. Malo apud te, filia, verecundia parumper, quam causa periclitari. Quidquid seminarium voluptatis est, venenum puta. Parcus cibus, & venter semper esuriens, triduanis jejuniis præferatur. Et multo melius est quotidie parum, quam raro satis sumere. Pluvia illa optima est, quæ sensim descendit in terram: subitus & nimius imber in præceps arva subvertit. Quando comedis, cogita quod statim tibi orandum, illico & legendum sit. De scripturis sanctis habeto fixum versuum numerum. istud pensum domino tuo redde. Nec ante quieti membra concedas, quam calathum pectoris tui hoc subtegmine impleveris. Post scripturas sanctas, doctorum hominum tractatus lege eorum dumtaxat, quorum fides nota est. Amorem monilium, atque gemmarum, sericarumque vestium transfer ad scientiam scripturarum. Fac tibi amicos de inimico mammona, qui te recipiant in æterna tabernacula. Iuvenum fuge consortia: comatulos, comptos, atque lascivos domus tuæ tecta non videant. Cantor pellatur, ut noxius. Fidicinas, & psaltrias, & istiusmodi chorum diaboli, quasi mortifera Sirenarum carmina proturba ex ædibus tuis. Noli in publicum subinde procedere. Pessimæ consuetudinis est, cum fragilis sexus, & imbecilla ætas, suo abutitur arbitrio, & putat licere quod libet. Omnia quidem licent, sed non omnia expediunt.

IV.

(Excerptum ex epistola Cæcilii Cypriani, de habitu virginum.) Nunc nobis, inquit, ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, major & cura est. Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum & incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret ecclesiæ matris gloriosa fecunditas: quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit. Ad has loquimur, has adhortamur affectione potius, quam potestate. Ut quæ se Christo dicaverint, & a carnali concupiscentia recedentes, tam carne quam mente se Deo voverint, consumment opus suum magno præmio destinatum: nec ornari jam, aut placere cuiquam nisi domino suo studeant, a quo & mercedem virginitatis expectant. SEQUITUR. Quod si Christum continentia sequitur, & regno Dei virginitas destinatur, quid est illis cum terreno cultu, & cum ornamentis, quibus dum hominibus placere gestiunt, Deum offendunt, non cogitantes esse prædictum; *Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus nihili fecit illos?* (Psal. 52.) & Paulum quoque gloriose, & sublimiter prædicasse: *Si hominibus placere vellem, Christi servus non essem?* (Gal. 1.) Continentia vero, & pudicitia non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultus & ornatus honore pariter ac pudore, ut secundum apostolum, quæ innupta est sancta sit & corpore, & spiritu. SEQUITUR. Virgo non esse tantum, sed & intelligi debet, & credi, ut nemo cum virginem videt, dubitet an virgo sit. Parem se integritas in omnibus præstet, nec bonum corporis cultus infamet. Quid ornata, quid compta procedit, quasi maritum aut habeat, aut quærat? Timeat potius placere si virgo est, nec periculum sui appetat, quæ ad meliora & divina se servat. Quæ virum non habent cui placere se simulent, integræ & puræ, non tantum corpore, sed etiam spiritu perseverent. Neque enim fas est virginem ad speciem formæ suæ comi, aut de carne, & de ejus pulcritudine gloriari, cum nulla sit illi magis, quam adversus carnem colluctatio, & vincendi corporis ac domandi obstinata certatio. SEQUITUR. Neminem Christianum decet, & maxime virginem non decet, claritatem ullam computare carnis & honorem, sed solum appetere sermonem Dei, bona in æternum mansura complecti. SEQUITUR. Scriptum est, & legitur, & in exemplum nostri ecclesiæ ore celebratur: *Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit & ipse ambulare.* (1. Ioan. 2.) Ambulandum est vestigiis paribus, æmula ingressione nitendum est. Tunc respondet ad fidem nominis sectatio veritatis, & credenti præmium datur, si quod creditur & geratur. Locupletem te dicis, & divitem, sed divitiis tuis Paulus occurrit, & ad cultum atque ornatum tuum justo fine moderandum sua voce præscribit. *Sint,* inquit, *mulieres cum verecundia & pudicitia componentes se, non intortis crinibus, neque auro, neque margaritis, aut veste preciosa, sed ut decet mulieres promittentes castitatem per bonam conversationem.* (1. Tim. 2.) Item Petrus ad hæc eadem præcepta consentit, & dicit: *Sit in muliere non exterior ornamenti, aut auri, aut vestis cultus, sed cultus cordis.* (1. Pet. 3.) Quod si illi mulieres quoque admonent coercendas, & ad ecclesiasticam disciplinam religiosa observatione moderandas, quæ excusare cultus suos soleant per maritum, quanto id magis observare virginem fas est, cui nulla ornatus sui competat venia, nec derivari in alterum possit mendacium culpæ, sed sola ipsa remaneat in crimine? Locupletem te dicis & divitem: sed non omne quod potest, debet & fieri; cum scriptum sit: *Omnia licent, sed non omnia expediunt: omnia licent, sed non omnia ædificant.* (1. Cor. 6.) Ceterum si tu te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, sperandi fomenta succendas, ut etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te, & venenum videntibus præbeas; excusari non potes, quasi mente casta sis & pudica. redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus: nec computari jam poteris inter puellas, & virgines Christi, quæ sic vivis ut possis adamari. Ornamentorum ac vestium insignia, & lenocinia formarum, non nisi prostitutis, & impudicis feminis congruunt. Fugiant castæ virgines & pudicæ incestarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum. Hoc Deus culpat, hoc denotat. Sericum & purpuram indutæ, Christum

NNO RISTI 816.

ſtum induere non poſſunt : auro & margaritis, & monilibus adornatæ ornamenta cordis acpeſto-ris perdiderunt. Virgines certe, quibus hic ſermo nunc conſulit, quæ ſe ejuſmodi artibus compſerint, inter virgines ſe non putent debere numerari. Audite itaque virgines ut parentem, audite, quæſo vos, docentem pariter ac monentem, audite utilitatibus & commodis veſtris fideliter conſulenté. Eſtote tales, quales vos Deus artifex fecit: eſtote tales, quales vos manus patris inſtituit. Maneat in vobis facies incorrupta, cervix pura, forma ſincera. Vince veſtem, quæ virgo es, quæ Deo ſervis; vince aurum, quæ carnem vincis, & ſæculum. Arta & anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam: durus & artus eſt limes, qui tendit ad gloriam. Lata & ſpatioſa itinera vitæ lethalis: illic illecebræ, & mortiferæ voluptates; illic diabolus blanditur ut fallat, arridet ut noceat, illicit ut occidat. Servate virgines, ſervate quod eſſe cœpiſtis, ſervate quod eritis. Magna vos merces manet, præmium grande virtutis, munus maximum caſtitatis. Quod futuri ſumus, jam vos eſſe cœpiſtis. vos reſurrectionis gloriam in iſto ſæculo jam tenetis. per ſæculum ſine ſæculi contagione tranſitis: cum caſtæ perſeveratis & virgines, angelis Dei eſtis æquales. Tantum maneat, & duret ſolida & illæſa virginitas, & ut cœpit fortiter, jugiter perſeveret, nec monilium, ant veſtium quærat ornamenta, ſed morum. Deum ſpectet, & cælum. neq; oculos ad ſublime porrectos ad carnis & mundi concupiſcentiam deprimat, aut ad terrena deponat, &c. *Primus homo*, inquit, *de terra limo; ſecundus homo de cælo. Qualis ille de limo, tales & qui de limo: & qualis cæleſtis, tales & cœleſtes. Quomodo portavimus imaginem ejus, qui de limo eſt, portemus & imaginem ejus qui de cælo eſt.* Hanc imaginem virginitas portat, portat integritas, ſanctitas portat & veritas: portant diſcipulæ Dei memores juſtitiam cum religione retinentes, ſtabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad ſuſtinendam injuriam mites, ad faciendam miſericordiam faciles, fraterna pace unanimes, atque concordes. Quæ vos ſingula, o bonæ virgines, obſervare, dirigere, implere debetis, quæ Deo, & Chriſto vacantes, ad dominum, cui vos dicatis, & majore & meliore parte præceditis. Provectæ ætatis junioribus facite magiſterium. Minores natu præbete majoribus miniſterium, comparibus incitamentum. Hortamentis vos mutuis excitate; æmulis de virtute documentis ad gloriam provocate. durate fortiter, ſpiritaliter pergite, pervenite feliciter.

1. Cor. 15.

V.

Sermone ... Cæsarii episcopi ... sanctimonialibus dicto.

Gaudete, & exultate in domino, venerabiles filiæ, & gratias illi jugiter uberes agite, qui vos de tenebroſa ſæculi hujus converſatione ad portum quietis & religionis attrahere & provocare dignatus eſt. Cogitate jugiter unde exiiſtis, & ubi pervenire meruiſtis. Reliquiſtis fideliter mundi tenebras, & lucem Chriſti feliciter videre cœpiſtis. Contempſiſtis libidinis incendium, & ad caſtitatis refrigerium perveniſtis. Reſpuiſtis gulam, & abſtinentiam elegiſtis. Reſpuiſtis avaritiam, atque luxuriam, & caſtitatem vel miſericordiam tenuiſtis. Et quamvis vobis uſque ad exitum vitæ non deſit pugna, tamen Deo donante ſecuri ſumus de veſtra victoria. Sed rogo vos, venerabiles filiæ, ut quanto eſtis ſecuræ de præteritis, tanto ſitis ſolicitæ de futuris. Omnia enim crimina, vel peccata cito ad nos revertuntur,

A ſi non quotidie bonis operibus expugnentur. Audite apoſtolum Petrum dicentem; *Sobriæ eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus, tamquam leo rugiens, aliquid devorare quærens circuit.* Quomdiu in hoc corpore vivimus, die nocteque, Chriſto adjutore vel duce, contra diabolum repugnemus. Sunt enim aliquæ, quod pejus eſt, negligentes & tepidæ, quæ de ſolo Chriſtianitatis vocabulo gloriantur, & putant quod illis ſufficiat veſtem mutaſſe, & religionis tantum habitum ſuſcepiſſe: neſcientes illud propheticum: *Fili accedens ad ſervitutem Dei ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad* Eccleſ. 2.
B *tentationem.* Nec ſententiam Pſalmiſtæ conſiderantes: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.* Et illud quod Apoſtolus dixit: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorũ.* Veſtes enim ſæculares deponere, & religioſas aſſumere unius horæ momento poſſumus: mores vero bonos jugiter retinere, vel contra malas dulceſque voluptates ſæculi hujus, quamdiu vivimus, Chriſto adjutore, laborare debemus: quia non qui cœperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit. In primis ergo omnis anima, quæ religionem ſervare deſiderat, gulæ concupiſcentiam vincere, & ebrietatem vitare, tota
C fidei virtute contendat: & ita temperatum convivium, menſamque mediocrem habere ſtudeat, ut caro illius nec nimietate abſtinentiæ debilitetur, nec per deliciarum abundantiam ad luxuriam provocetur. Deinde abjecta ſuperbia cui Deus reſiſtit, profundæ humilitatis jaciat fundamentum: invidiam velut vipereum venenum deteſtetur ac fugiat, linguam refrenet, detractionem quaſi venenum reſpuat, verba otioſa nec ipſa proferat, nec ab aliis prolata auribus ſuis libenter admittat. Veſtimentorum habitum nec nimis abjectum, nec notabiliter pompoſum, aut periculoſe elegantem habere conſueſcat. Lectionem aut ipſa frequentius legat, aut legentis verba tota pectoris aviditate ſuſcipiat. De divinis ſcripturarum fontibus jugiter aquam ſalutis hauriat: illam utique, de Ioan. 7.
qua dominus dicit: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* De paradiſi etiam
D floribus, hoc eſt ſanctarum ſcripturarum ſenſibus, anima ſancta ſe jugiter ornare contendat. Ex ipſis pretioſas margaritas auribus ſuis indeſinenter appendat: ex ipſis anulos, & dextralia, dum exercet opera bona, ſibi componat. Ibi vulnerum medicamenta, ibi caſtitatis aromata, ibi compunctionis holocauſta requirat. Quæ vero religionem immaculato corde, & puro corpore conſervare deſiderat, aut nunquam in publicum, aut certe nonniſi pro grandi & ineffabili neceſſitate procedat. Nolite, quæſo vos, nolite quibuſcumque aut occaſionem dare, aut familiaritatem tribuere. Quæ vero libidinem Chriſto adjuvante deſiderat vincere, familiaritatem debet refugere: & quæ indignam familiaritatem non ſpreverit, aut ſe aut alium cito perdet. Sed forte dicit aliqua, ideo familiaritatem non fugio, quia volo habere quod
E vincam, & adverſarium meum cupio tenere captivum. Vide ne contra te adverſarius incipiat rebellare, vide ne te ducat captivitas iſta captivam. Audi Apoſtolum dicentem: *Fugite fornicationem.* 1. Cor. 5.
Contra reliqua vitia oportet nos omni virtute reſiſtere: contra libidinem vero, non expedit repugnare, ſed fugere. Eſto ergo libidinis fugitiva, ſi vis eſſe caſtitatis pugnatrix egregia. Sed quod dixi diligenter attendite. Quando ſola aliqua libidinis ſtimulis incitatur, Chriſto adjuvante repugnet

Liber II. 1. Petr. 5.

Pſal 16. Act. 14.

LIBER II. pugnet quantum prævalet contra se, quia non habet quo possit fugere. Quando vero per alterius sodalitatem, opportunitatem voluptatis diabolus subministrat, ipsam familiaritatem, quantum prævalet, ut diximus, anima sancta refugiat. Sed ut hæc omnia servare possimus abstinentiam rationabilem teneamus, quia vera est illius sanctissimi viri sententia: Prout continueris ventrem, ita & venenosos motus ejus. Humilitatem etiam veram quantum possumus conservemus. Non enim diu carnis integritas servatur, ubi animus superbiæ tumore corrumpitur, præcipue si iracundiæ flamma frequentius surgit, castitatis & virginitatis flores cito consumit. Casta enim, & Deo devota anima, non solum extraneorum, sed etiam parentum suorum familiaritatem habere non debet. Si enim vasa, quæ ecclesiæ offeruntur, ut in sacrosanctis altaribus ponantur, sancta ab omnibus appellantur, & nefas est, ut de ecclesia postmodum in domum laicam revocentur, aut usibus humanis aptentur: putas qualem dignitatem apud Deum habet anima ad ejus imaginem procreata? Sicut ergo vasa sancta humanis usibus servitura nec possunt, nec debent de ecclesia revocari, sic religiosam quampiam non oportet, non decet, non expedit, parentum suorum multis obligationibus implicari, aut quorumcumque extraneorum perniciosa familiaritate constringi. Illud ante omnia admoneo, ut æmulationis malum, quasi venenum vipereum fugiatis, & ita inter vos caritatis dulcedinem conservetis, ut vobis invicem per sancta colloquia medicamenta spiritalia præparetis. Sunt enim quod, pejus est, aliquæ quæ quando se pariter jungunt, magis sibi detrahendo vel contra præpositas murmurando, vulnera faciunt quam spiritalia medicamenta componunt. Vos vero, sanctæ ac venerabiles filiæ, si aliquam videtis pusillanimem, consolationem impendite; si superbientem, humilitatis medicamentum apponite: si iracundam videritis, refrigerium patientiæ ministrate. Si nobiles natæ estis, magis de religionis humilitate, quam de sæculi dignitate gaudete. Tenete ergo firmiter manus in aratro, & nolite respicere retro. Mementote uxoris Loth, quę retro respiciens versa est in statuam salis. Nunquam juramentum, nunquam maledictum de virginis ore procedat. Non solum enim corpora, sed etiam corda vestra omni solicitudine custodite, propter illud quod sciptũ est: *Omni custodia serva cor tuũ.* & illud quod dominus in euangelio dixit: *De corde exeunt cogitationes malæ.* Si enim in corde nihil male cogitatur, quidquid sanctũ est ex ore profertur, quia sicut scriptum est: *Ex abundantia cordis os loquitur.* Hoc enim lingua proferre consuevit, quod ex officina cordis conscientia ministraverit. Et ideo si ex ore vultis bona proferre, semper in corde quæ sancta sunt cogitate. Sic lectioni & orationi debetis incumbere, ut ante omnia etiam manibus possitis aliquid exercere, secundum illud quod Apostolus ait: *Qui non operatur, nec manducet.* Meliorem quoque diei partem sancto operi dedicate, lectioni vacare consuescite. Oratio vestra ita cum silentio procedat ex corde, ut vix audiatur in ore. Nam qui alta voce orare voluerit, & sibi, & alteri multum nocet, dum per suam garrulitatem alterius mentem ab oratione sancta & secreta suspendit. Pomposa indumenta, quæ non utilitati, sed vanitati serviunt, fastidite, atque omnia contemnite. Multæ enim quod in moribus diligunt, hoc etiam in operibus suis ostendunt, præparant sibi ornamenta sæ-

Prov. 4. Matth. 15. Matth. 12. 2. Thess. 3.

A cularia sæculum diligentes, & voluptati servientes vel luxuriæ. Vobis vero nihil sit commune cum talibus, sed omnia ornamenta, quibus ad luxuriam caro componitur, velut inimica & contraria a vestro proposito respuantur. Sunt enim, quod pejus est quæ pro vanitate sæculi istius plus student terrenis cupiditatibus operam dare, quam lectioni divinæ justitiæ, dum volunt stragula pulcra, & picta tapetia, plumaria etiam, & reliqua his similia, cum ingenti sumptu, & superflua expensa, ad oculorum libidinem præparare: nescientes illud, quod dominus per Ioannem euan-B gelistam clamat, & dicit: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi est.* Quid prodest virgini integritatem corporis custodire, si oculorum concupiscentias noluerit evitare? Vos vero, sanctæ & Deo dignæ animæ, totum spiritaliter agite. Sequimini Christum tenendo perseveranter quod voluistis ardenter. Iterum atque iterum, sanctæ & Deo dicatæ animæ, rogo, & cum omni humilitate pro conservando virginitatis præmio consilium do, ut familiaritatem incongruam a vobis, vel a vestris ani-C mis, totis viribus repellere laboretis. Nam ad conservandam sanctæ religionis dignitatem singularitas testis sanctissima est. Familiaritas enim cujuslibet si frequens esse cœperit, non nisi corruptionem seminat, vitia pullulat, libidinem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, lasciviam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, confusionem mercatur, thesaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, excusationes inflammat, & catervatim simul in fascem conglomerat. Nam si anima sancta secretum suum custodire voluerit, & assiduæ familiaritatis malum tota animi virtute fugerit, ipsa sancta singularitas munimen illi invictum est sanctimoniæ, expugnatio fortis infamiæ, exercitium D continentiæ, evacuatio luxuriæ, pax secura virtutum, & impugnatio inquieta bellorum; puritatis culmen, & libidinis carcer, honestatis portus, & ignominiæ naufragium; virginitatis mater, & hostis immunditiæ; integritatis dignitas, & fornicationis abdicatio; voluntas bonorum operum, & afflictio vitiorum; refrigerium pudicitiæ, & pœna petulantiæ; acquisitio triumphorum, & facinorum detrimentum, requies salutis, & perditionis exilium; vita spiritus, & carnis interitus. Hæc omnia mala fortiter, Deo adjuvante, repellentur, & illa quæ diximus bona feliciter acquirentur, si ab animabus sanctis familiaritas inordinata respuatur. Attendite vos, o animæ sanctæ, quia inter omnia certamina, quibus semper comes est Christiana E militia, sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana pugna est, & rara victoria. Castitatis dura sunt prælia, sed majora sunt præmia. Castitatis palmam nemo securus accipit, cui quantum duri sunt exitus, tantum gloriosi sunt fructus. Ut ergo castitatis præmia, & virginitatis coronam feliciter, Deo remunerante, possitis accipere, periculosam familiaritatem a vobis semper excludite. Currite fideliter, ut possitis pervenire feliciter, adjuvante domino nostro Iesu Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ANNO CHRISTI 816. 1 Ioan. 2.

V.

Quantam in cælestibus beatitudinem virginitas sancta possideat, præter scripturarum testimonia, ecclesiæ etiam consuetudine edocemur,

S. Athanasii ad sponsas Christi.

qua addiscimus peculiare illi subsistere meritum, cujus specialis est consecratio. Nam cum universa turba credentium paria gratiæ dona percipiat, & iisdem omnes sacramentorum benedictionibus glorientur, ista ad proprium aliquid præ ceteris habendum, de illo sancto & immaculato ecclesiæ grege, quasi sanctiores, purioresque hostiæ, & pro voluntatis suæ meritis a sancto Spiritu eliguntur, & per summum sacerdotem Dei offeruntur altario. Possidet ergo virginitas, & quod alii habent, & quod alii non habent, dum communem, & peculiarem obtinet gratiam, & proprio, ut ita dixerim, consecrationis privilegio gaudet. Nam & Christi sponsas virgines dicere ecclesiastica nobis permittit auctoritas, dum in sponsarum modum quas consecrat domino velat, ostendens eas vel maxime habituras spiritale connubium, quæ subterfugerint carnale consortium. Et digne Deo per matrimonii comparationem spiritaliter copulantur, quæ ejus dilectionis causa humana connubia spreverunt. In his quam maxime illud impletur Apostoli: *Qui autem adhæret domino, unus spiritus est.* Et quoniam multa sunt, quæ bono proprio carent, nisi aliarum rerum juventur auxilio, attentius prævidendum est, ne forte & virginitati aliqua sint necessaria, sine quibus nequaquam fructum afferre sufficiat: & tantus nihil proderit labor, dum vane prodesse creditur, quod absque rebus necessariis possidetur. Æternam vero vitam non nisi per omnem divinorum præceptorum custodiam promereri posse scriptura testatur. *Si vis*, inquit, *ad vitam ingredi, serva mandata.* Vitam ergo non habet, nisi qui legis mandata servaverit, & qui vitam non habuerit, cælestis regni non potest esse possessor. Ergo pudicitiam, integritatemque servantibus, & ejus remunerationem a Dei æquitate sperantibus, ante omnia mandatorum sunt custodienda præcepta, ne gloriosæ castitatis & continentiæ labor in irritum deducatur. Cupiens divinum implere consilium, ante omnia serva mandatum: volens virginitatis præmium consequi, vitæ amplectere merita, ut sit cujus remunerari castitas possit. Nam ut vitam præstat observatio mandatorum, ita eorum e contrario generat prævaricatio mortem. Et qui per prævaricationem in morte fuerit, virginitatis coronam spetare non poterit, neque pudicitiæ præmium expectare constitutus in pœna. Nolo enim putes in hoc constare justitiam ut malum non facias, cum & bonum non facere malum sit, & in utroque legis prævaricatio committatur, quoniam qui dixit: *Recede a malo*, ipse dixit, *& fac bonum.* Si a malo recesseris, & non feceris bonum, transgressor legis, quæ non tantum in malorum actuum abominatione, sed etiam in bonorum operum perfectione completur. Nolo enim tibi in hoc blandiaris, si aliqua non feceris, cum scriptum sit: *Qui universam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Adam enim semel peccavit, & mortuus est, & tu te vivere posse existimas, illud sæpe committens, quod alium, dum semel perpetrasset, occidit? Memento Adam & Euam virgines deliquisse, nec integritatem corporis profuisse peccantibus. Licitum quippe est matrimonii inire consortium. nam quæ connubia deserunt, non illicita, sed licita spernunt. Ejusmodi autem si jurent, si maledicant, si detrahant, si detrahentes patiantur audire, si malum pro malo reddant, si cupiditatis in alienis, aut avaritiæ in propriis crimen incurrant; si zeli aut livoris venena possideant, si contra legalia & apostolica instituta, indecens aliquid aut loquantur, aut cogitent; si in carne placendi studio comptæ & ornatæ procedant, si alia ut assolet illicita faciant, quid proderit eis sprevisse quod licuit, & exercere quod non licet? Si vis prodesse tibi quod licite contempsisti, vide ne quid eorum quæ non licent facias. Stultum est enim timuisse quod minus est, & non timere quod majus est. Dicit enim Apostolus, *Innupta cogitat quæ domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore, & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* 1. Cor. 7. Dicat ergo mihi quæ virum non habet, & tamen quæ mundi sunt cogitat, cui placere desiderat, nonne incipiat illi nupta præponi? Quia illa cogitando quæ mundi sunt, complacet vel marito: ista vero nec marito, quem non habet, potest placere, nec Deo. Sed nec illud silentio præterire nos convenit, quod dixerit: *Innupta cogitat quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore, & spiritu.* Quæ sunt ergo domini, dicat Apostolus: *Quæcumque sunt sancta, quæcumque sunt justa, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ: si qua virtus, si qua laus disciplinæ.* Ista sanctæ, veræ, & apostolicæ virgines die noctuque sine ullo temporis intervallo meditantur. Sequitur *quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo.* Deo, inquam, non hominibus, *ut sit sancta corpore, & spiritu.* non dixit, ut sit sancta membro, aut corpore tantum, sed, *ut sit sancta corpore & spiritu.* Membrum enim una corporis pars est: corpus vero omnium compago membrorum est. Cum ergo dicit *ut sit sancta corpore*, omnibus membris eam debere sanctificari testatur. Quia non proderit ceterorum sanctificatio membrorum, si inveniatur vel in uno corruptio. & jam non erit sancta corpore, quod ex omnibus constat membris, quæ vel unius fuerit coinquinatione polluta. Vnde, quæso te, virgo, neque in sola tibi pudicitia blandiaris, ne in unius membri integritate confundaris. sed secundum Apostolum soli Deo conserva corporis sanctitatem. Munda ab omni inquinamento caput, quia crimen est, illud post chrismatis sanctificationem, cujuslibet pigmenti fuco, vel pulvere sordidari, aut auro, vel gemmis, vel qualibet alia terrena specie componi. Munda frontem, ut humana, non divina opera erubescat, & illam confusionem recipiat, quæ non peccatum, sed Dei gloriam parit. Munda collum, ut non aurea ex capillis portet suspensa monilia, sed illa potius ornamenta circumferat, de quibus scriptura dicit: *Misericordia, & veritas non deficiant a te: suspende autem illa in collo tuo.* Prov. 3. Munda oculos, dum eos ab omni concupiscentia retrahis, & ab intuitu pauperum nunquam avertis. Munda linguam a mendacio, quia, Os quod mentitur occidit animam; a detractione, a juramento, a perjurio: Cohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum. Et memor esto Apostolum dicentem: *Benedicite, & nolite maledicere.* Rom. 12. Nefas est enim, ut labia illa quibus dominum confiteris, rogas, benedicis, & laudas; alicujus polluantur sorde peccati. Nescio qua conscientia ea lingua quis dominum rogat, qua aut mentitur, aut detrahit. Labia enim sancta exaudit Deus, & ipsis annuit cito precibus, quas lingua immaculata pronunciat. Munda aures, ut non nisi sermonibus sanctis auditum præbeant: ut nunquam obscena aut turpia, aut sæcularia verba suscipiant,

aut

aut aliquem de altero audiant derogantem, propter illud quod scriptum est: *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam.* (Eccles. 28.) Manus ne porrectæ ad accipiendum sint, nec ad feriendum paratæ; sed ad omnia misericordiæ & pietatis opera satis promptæ. Munda pedes, ne latam & spatiosam pergant viam, quæ ducit ad splendida sæculi & preciosa convivia: sed arduum magis, & angustum gradiantur iter, quod tendit ad cælum. Agnosce tibi a Deo artifice non ad vitia, sed ad virtutem membra formata: & cum universos artus mundaveris ab omni sorde peccati, & toto fueris sanctificata corpore, tunc tibi castitatem intelligas profuturam, & cum omni fiducia palmam virginitatis expecta. O virgo, serva propositum tibi magno præmio destinatum: agnosce statum tuum, agnosce locum; agnosce propositum. Christi sponsa diceris, vide ne quid indignum eo cui desponsata videris, admittas. Christum sponsum habes, a domesticis, & familiaribus ejus interroga, & strenue ac solerter inquire in quibus præcipue delectetur: qualem compositionem in te vestium diligat, cujusmodi concupiscat ornatum. Dicat tibi ejus familiarissimus Petrus, qui nec nuptis quidem corporalem permittit ornatum, sicut in epistola sua scripsit: (1. Petr. 3.) *Mulieres similiter subjectæ sint suis viris, ut & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore Dei castam conversationem vestram. Quarum sit non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* Dicat & alius apostolus beatus Paulus: (1. Tim. 2.) *Mulieres similiter in habitu ornato cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste preciosa, sed quod decet mulieres, promittentes castitatem per bonam conversationem.* Sed tu forsitan dicis: Cur hæc iidem apostoli non jusserunt? Quia non necessarium judicabant, ne talis virginibus commonitio potius injuria, quam emendatio videretur. Sed nec eas unquam tantæ temeritatis fore credidissent, ut nec nuptæ concessa carnalia ornamenta & terrena præsumerent. Revera ornare se & componere virgo debet: nam quomodo sponso suo placere poterit, nisi composita, & ornata processerit? Ornetur plane, sed interioribus ornamentis, & spiritaliter, non carnaliter componatur, quia Deus non corporis, sed animæ decorem in illa considerat. Ergo & tu, quæcumque animam tuam a Deo diligi, & inhabitari concupiscis, omni eam diligentia compone, & spiritalibus indumentis exorna. Nihil in ea dedecorum, nihil fœdum appareat. Resplendeat auro justitiæ, gemmis refulgeat sanctitatis, ac preciosissimo pudicitiæ margarito coruscet. Pro bysso & serico, misericordiæ & pietatis tunica vestiatur, secundum quod scriptũ est: (Coloss. 3.) *Induite ergo vos, sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem*, &c. Hujusmodi Deus quærit ornamentum & animam taliter compositam concupiscit. (Psal. 44.) Memento te Dei filiam dici; secundum quod ait: *Audi filia, & vide.* Sed & tu ipsa, quotiescumque dominum patrem nominas, Dei te filiam esse testaris. Ergo si Dei filia es, vide nequid eorum facias, quæ Deo patri incongrua sunt; sed age omnia quasi filia Dei. Originem tuam respice, genus intuere, gloriam nobilitatis adverte. Agnosce te non hominibus, sed Dei divinitatis nobilitate decoratam. Ita te exhibe, ut in te cælestis nativitas pareat, ut ingenuitas divina clarescat. Sit in te nova grauitas, honestas admirabilis, stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, & veræ pudicitiæ habitus, & sermo semper modestus, & suo in tempore proferendus, ut quisquis te viderit admiretur, & dicat, Quæ hæc novæ inter homines gravitatis patientia est? quæ pudoris verecundia? quæ honestatis modestia? quæ maturitas sapientiæ? non est ista humana institutio, nec disciplina mortalis: cæleste mihi aliquid in terreno corpore redolet. Puto enim quod habitat in quibusdam hominibus Deus. Et cum te Christi famulam esse cognoverit, majore stupore teneatur, & cogitet, qualis sit ille dominus, cujus talis & ancilla est. Si vis esse cum Christo, & cum Christo partem habere, Christi tibi exemplo vivendum est, qui ab omni malitia fuit extraneus. Nemo te circumveniat; nemo te fallaci sermone seducat. Non nisi sanctos, & simplices, & innocentes, & puros cælestis aula suscipit, & nullum apud Deum habet malitia locum. Ab omni nequitia & dolo mundum esse necesse est, qui cupit regnare cum Christo. Nolo enim illas respicias, quæ sæculi, non Christi sunt virgines: quæ propositi sui, & professionis immemores, gaudent in deliciis, in opibus delectantur. Tu autem, quæcumque Christi, non sæculi virgo es, omnem præsentis vitæ gloriam fuge, ut eam, quæ in futuro promittitur consequaris. Contentionum verba, & animositatis causas, & litium occasiones subterfuge. Nam si juxta Apostoli doctrinam servum domini litigare non oportet, (2. Tim. 2.) quanto magis Dei ancillam, cujus quo verecundior est sexus, animus debet esse modestior? Linguam a maliloquio cohibe, & ori tuo frenum legis impone; ut tunc forte loquaris, quando tacere peccatum sit, secundum id quod Apostolus dicit: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.* (Ephes. 4.) Semper linguam tuam de bonis loqui assuesce, & auditum tuum ad laudem bonorum magis, quam ad malorum vituperationem commoda. Vide ut omnia quæcumque bene facis propter dominum facias, sciens ejus rei tantum te a domino recepturam esse mercedis, quantum ejus timoris, & dilectionis causa perfeceris. Sancta magis esse, quam videri stude. In jejuniis vero magis, quam in epulis delectare, illius viduæ memor, quæ non discedebat de templo, jejuniis, & obsecrationibus serviens domino nocte ac die. Divinæ magis lectionis convivium dilige, & spiritalibus te saturari dapibus concupisce: & illos potius quære cibos, quibus anima quam corpus reficiatur. Carnis & vini species, quasi caloris fomenta, & libidinis incitamenta fuge. Iracundiam vince, animositatem cohibe, & quidquid illud est quod post factum pœnitentiam ingerit, velut proximi criminis abominationem declina. Satis tranquillam & quietam convenit esse mentem, & ab omni perturbatione furoris alienam, quæ Dei habitaculum esse desiderat. Cum orationem celebrare desideras, talem te exhibe, quasi quæ sis cum domino locutura. Cum psalmũ dicis, cujus verba dicis agnosce: & in compunctione magis animi, quã in tinnulæ vocis dulcedine delectare. Lacrymas enim psallentis Deus magis, quam vocis gratiam comprobat. Omnium operum, & cogitationum tuarum speculatorem Deum crede: & cave ne quid, quod divinis oculis indignum sit, aut opereris, aut cogites. Crescat in te cum annis gratia, crescat cum ætate justitia.

ANNO CHRISTI 816.

Omne tempus, in quo te non meliorem senseris, hoc te æstima perdidisse. Cœptum virginitatis propositum, ad finem usque conserva: quia non inchoasse tantum, sed perfecisse virtutis est. Esto ergo omnibus vivendi forma, esto exemplum. Virginem te in omnibus exhibe. Sit & inviolabilis conversatio: ut quisquis vitam tuam audire saltim contigerit, in tantum sibi intelligat gratiam ex tua conversatione transfundi, ut dum te imitari concupiscit, Dei sacrificio & ipse sit dignus.

Ecce quibus saluberrimis documentis sanctissimi & eruditissimi viri Deo dicatas ad castimoniale propositum servandum instituunt. Ecce quibus insignium virtutum indumentis eas exornant, ut illius sponsi, cui se dicaverunt, amplexibus dignæ fiant. Unde solerter sanctimonialibus vigilandum est, ut tantorum patrum obedienter obtemperent monitis: ne scilicet his resultando, cum fatuis virginibus reprobentur, sed potius parendo cum prudentibus Christi thalamo admittantur. Diligenter itaque eorumdem sanctorum patrum sententiis prælibatis, dignum & necessarium judicavimus, per singula capita distinguere quid prælatis, quidve subditis observandum sit. Et quoniam subditarum vita prælatarum est exemplis informanda, primum quales debeant abbatissæ constitui, qualiter eis vivendum, qualiter subditas gubernandum, qualiterve in monasteriis residendum, & instanter domino tota mentis & corporis devotione serviendum; dein quid subjectis specialiter observandum sit, ponendum censuimus.

VII.

Tales abbatissæ regendarum animarum curam suscipere debent, quæ subditis verbis & exemplis ducatum præbeant sanctæ religionis: quæ non propriis voluntatibus deserviant, sed magis subditarum solertissimam curam gerant: quæ se etiam, illasque, ut pote vasa sancta, in quibus instanter incensum orationis Deo digne offerri possit, ab omni labe vitiorum custodire norint: & ita eas secum in sancto proposito pervigiles reddant, ut una ad vitam tendentes æternam, societate supernorum civium mereantur perfrui. Qua igitur auctoritate, aut quibus sanctorum patrum documentis, sibi attribuunt licentiam foras vagandi, aut per villas residendi, aut sericas vestes induendi, aut pompis vanis inserviendi? Sed quia hoc nulla auctoritate sibi licitum facere possunt, præsertim cum a sanctis patribus in superioribus capitulis id penitus sanctimonialibus legatur inhibitum; restat ut abhinc hujuscemodi usus ab his, modis omnibus, quantum dominus posse dederit, caveatur. Quia quamvis in sæculari dignitate positæ multigenis deliciis voluptuose hujuscemodi soleant uti, in monasteriis tamen, in quibus Christi sponsæ sumptibus dominicis communiter sunt gubernandæ, prorsus est hoc censura æquitatis inhibendum. Nosse etenim eas oportet, quia non ideo prælatæ sunt, ut se solummodo, sed potius ut se, subditasque pascant, carnaliter videlicet, & spiritaliter: nec ut præsint tantum, sed ut prosint, a domino sunt aliis prælatæ. Ergo necesse est, ut se, sibique subditas in proposito sanctæ religionis solerter constringant. Et sicut alias præcedunt prioratus honore, præcedant etiam piæ conversationis exemplo: & quæ aliis facere prohibent, nullatenus perpetrent. Recte enim, ut habet beatus Gregorius, aliorum errata corrigit, qui ea, quæ reprehendit minime agit. Sed quia pastoris

A absentia ovium solet fieri præda; necesse est ut abbatissæ in monasteriis consistant assidue, & ovium sibi subditarum vigilantissimam curam gerant, ne illis absentibus prædæ fiant subditæ invisibilis lupi. Quales etiam esse debeant ductrices animarum, sanctus Cæsarius in epistola, quam ad Oratoriam abbatissam scripsit, plenissime docet: ex qua quædam capitula ob instructionem abbatissarum excerpere, & huic capitulo annectere curavimus. Dicit enim ita: Audi ergo me, dulcissima soror, & filia. Tu quantumcumque semper in studiis spiritalibus occupari desideras, propter sorores tamen aliquando etiam exteriora tibi erunt negotia dirimenda. Curandum ergo tibi summopere

B est, ut si temporalia quasi pro tempore agas; at semper tenacius in spiritali devotione, & amore inhæreas: ut cum temporalia citius dispensaveris, ad orationem illico, vel lectionem, quasi ad matris sinum recurras. Optare quippe debes, ut abjecta solicitudine mundi, semper cogites de servitio Christi, propter illud quod dicitur: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*, & cetera. In omnibus, juxta apostolum, temetipsam præbe exemplum bonorum operum, vitaque tua velut pennatum animal ad alta semper per desiderium evolet, per verbum resonet, luceat per exemplum. Cum vero ad annuntiandum verbum Dei te sororibus affectaveris, prius cauta considera-

LIBER II.

2. Tim. 2.

Tit. 2.

C tione pensa, ut quod ore promis, factis impleas, & quod aliis prædicas, operibus præbeas. Prior in ecclesia inveniaris, postrema exeas. Par sis in communi cibo cum quibus pari uteris in mensa consessu. Abstinentiam, quam lingua prædicat, proximæ fauces, vel vicinus stomachus sentiat: ne forsitan subditæ audientes, tacitis cogitationibus dicant, O quam pulcre nobis abstinentiam prædicat plenus venter! Et in his omnibus, ceterisque hoc tibi noveris convenire, ut angusti callis itinera, per quæ socias admones gradiendum, prior ipsa gradiaris. Non sis vestibus ornatior ceteris, sed moribus: Non quæ tibi vultu, intuituque placuerit, non quam tibi ad oculum cogno-

D veris, vel cujus blandiori obsequio fueris delinita, sed quam amor Christi, & religiosior demonstraverit vita, præponas. Oportet enim te propter quasdam cultrum nonnunquam habere in gutture, cauterium in lingua gestare, virgam tibi & baculum in manu ferre: ut per cultrum deseces vitia, per cauterium vero ad sanitatem secta reducas, per virgæ disciplinam corrigas, per baculum vero disciplinatam sustentes. Si quando vero cum sæcularibus ad colloquendum fueris evocata, prius arma frontem trophæo crucis, vexillo Christi pectus ingemina, ut cum sua virguncula Christus comitari dignetur. Confabulatio vero tua semper sit mixta gravitate, atque dulcedine:

E & tantum loquaris, quantum opportunitas flagitaverit rei ac temporis. Si quid vero ab eis petitum fuerit, quod præstare deliberas, cum vultu hilari præsta. Si quid vero præstare non convenit, petitionem illorum saltim honestate sermonis mollifica. Nomen tuum plures noverint, beneficia tua in quantum prævales plures sentiant, vultum rari cognoscant. Si quando autem tibi pro necessitate monasterii seorsum fuerit colloquendum, cum duabus, vel certe cum tribus electis sororibus facito. Quia opinio bonæ famæ, sicut etiam perfectæ vitæ custodia, tibi necessaria est: & tunc primum despicienda humana detractio cum Christus in causa est. Omnis quoque actio tua semper sit propter Deum, semper

 de Deo cogitatio in Deum. Et exceptis vitiis, A quibus non compassio, sed rectitudo debetur, omnibus te cupio esse compassibilem, omnibus gratam, omnibus te præfectam piam. Vt videlicet juxta Paulum sis sancta corpore & spiritu, ipso sponso, & domino tuo mentem tuam regente, & vias tuas sanctas disponente, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen. (1. Cor 7)

VIII.

Studendum summopere abbatissis est, ut tot talesque in monasteriis admittant sanctimoniales, quæ & morum probitate commendentur, & ecclesiasticis possint rationabiliter sustentari stipendiis. Quæ vero adhuc carnalibus delectationibus irretiuntur, nequaquam sunt in monasteriis admittendæ. quia satius est illis, juxta Paulum apostolum, foris nubere, tantum in domino, quam (1. Cor. 7) B in monasteriis admitti, & sub imagine simulatæ sanctitatis dissolute vivere. Cum igitur hujusmodi religionis gratia monasteria expetiverint, non eis facilis tribuatur ingressus, donec prius eis hæc legantur capitula: ut his perlectis noverint quid eis in castimoniali proposito observandum, quidve vitandum sit. Quia postquam se domino in hac militia devinxerint, nequaquam sibi licitum erit propriis uti consiliis, nec sæcularibus penitus implicari posse negotiis: nec frequentiam virorum, aut collocutionem familiarem absque causa inevitabili habere debent. Proinde scrutentur prius arcana cordis sui, simulque super annotatas sanctorum patrum sententias assidua meditatione perlegant, ne inconsulte, & minus caute vinculum continentiæ, & virginitatis arripientes, redeant post satan, & fiant sicut canis reversus ad vomitum.

IX.

Providendum est his, quæ ob amorem Christi castimoniæ se dicaverint, & in collegio sanctimonialium se admitti postulaverint, ut res suas, antequam monasterium ingrediantur, ita sapienter prudenterque deliberent, atque disponant, ut ad vitam tendentes æternam, nullam earum occasione patiantur perturbationem. Proinde si aliqua sanctimonialium res suas proprias ecclesiæ ita contulerit, ut nihil ex his sibi proprium vindicare, sed tantum rebus sustentari velit ecclesiæ, huic sufficienter in congregatione stipendia largiantur necessaria. Si autem ecclesiæ eas tradiderit, & usufructuario habere voluerit, quæstor ecclesiæ eas, utpote ecclesiæ, defendat. Quod si eas ecclesiæ conferre noluerit, abbatissa, & ceteris sanctimonialibus conniventiam adhibentibus, committat eas per scriptum publice roboratum, aut propinquo, aut alio cuilibet bonæ fidei amico, qui eas jure fori defendat. Secundum hanc igitur constitutionis formam, sanctimoniales suas proprias res deliberent & disponant, & aut servis, aut certe aliis, quibus illis libuerit, eas ad procurandum, sibique fideliter earum fructus administrandum, commendent. quoniam ante ingressum monasterii, cuncta, ut præmissum est, rationabiliter illis disponenda sunt, ut remota quarumlibet forensium rerum occupatione, suum liberius, & quietius possint custodire propositum. Sed & de adolescentulis, & de his, quarum conversatione simultates, & dissensiones plerumque pati solent monasteria, cavendum abbatissis est, ne incaute & indiscrete eas in congregatione admittant, ne forte earum admissio aliquod in posterum generet scandalum.

X.

Meminisse debent quæ se castimonialis nominis professione domino devinxerunt, in monasteriis jugiter residere, & domino tota mentis & corporis intentione instanter deservire debere, nec solum velamentum corporis sine ornamento mentis sibi prodesse posse. Quoniam nihil prodest corpus velare, & mentem vitiorum portentis maculare. Quid enim prodest corpus velare, & animum habere venenatum? quid prodest nigris vestibus indui, & a detractione linguam non cohibere? cum apostolus dicat: *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* Numquid enim velamentum corporis celare potest cupiditatem mentis? Quia igitur oculis Dei cuncta opera filiorum Adam nuda & aperta sunt, & humilitas vestium nihil valet sine humilitate mentium, & quia non nisi corde mundo Deus videri potest; necesse est ut quod habitu demonstrant, opere perficiant, & humilitas, quam in corpore gestant, in mente potissimum resplendeat. Nam si, quemadmodum apud Salomonem legitur, in domo patris positæ, instteār sunt monitis paternis erudiendæ; & nexu conjugali devinctæ, juxta apostolum, debent viris esse subditæ: quanto magis in domo Dei, quæ se religiose vivere devoverunt, divinis sunt erudiendæ disciplinis, & sponso suo Christo domino cum omni humilitate & castitate subditæ esse? Illud namque quod in domo patris, & in vinculo conjugali constitutis prorsus fuit illicitum, qua auctoritate, imo qua dementia, in monasteriis positæ sibi, nisi ob suam perniciem, facere poterunt licitum? præsertim cum beatus Hieronymus dicat, pessimæ esse consuetudinis, cum fragilis sexus, & imbecillis ætas suo arbitrio abutitur, & putat licere, quod non licet. Quapropter oportet ut sibi illicita nequaquam faciant licita: sed earum voluntas domini voluntati, imo servituti succumbat. In monasteriis quoque positæ non otio torpeant, non detractionibus, & obscenis confabulationibus incumbant: sed aut psalmorum modulationibus, aut manuum operationibus insistant, aut certe divinis lectionibus aurem accommodent. Frequentias & familiaritates, atque confabulationes virorum, sicut a sanctis patribus inhibetur, modis omnibus caveant. Omnes in dormitorio dormiant, singulæ scilicet in singulis lectis. In refectorio quotidie pariter reficiantur, nisi quam infirmitas, aut ætatis imbecillitas id facere prohibuerit. Omnes sibi caritatis officio vicissim serviant. Illis namque in refectorio comedentibus, & religiose silentium tenentibus, continuatim legatur lectio, & intensissime ab his audiatur. Ad collationem quotidie veniant, & hanc institutionem, sive aliarum divinarum scripturarum lectiones perlegant, & de animæ suæ salute pertractent. Vbi etiam delinquentes juxta modum delicti corripiantur. Horas canonicas cum omni devotione custodiant, & his divinum officium honeste expleant. Honorem sibi invicem humiliter deferant. Minores natu eas quæ provectæ sunt ætatis obsequio sanctitatis venerentur. Provectæ quoque annis, juniores dictis & exemplis ad bene vivendum informent. Nobiles genere nequaquam ignobilioribus se præferant, scientes quia personarum acceptor non est Deus. Neque enim quæ castitate, & ceterorum bonorum operum prærogativis, aut scientiæ doctrinis pollent, se ceteris præferant: sed potius de muneribus sibi divinitus

(Iac. 1)

NNO CHRISTI 816. divinitus collatis Deo gratias agentes, ceterarum A imbecillitatibus caritatis officio humiliter condescendant: semper illud apostoli perpendentes, quo dicitur: *Qui se putat stare, videat ne cadat.* Et illud Hieronymi: Timendum, inquit, & cavendum est, ne veterem gloriam, & solidam firmitatem unius horæ procella subvertat.

1. Cor. 10.

XI.

Summa intentione abbatissis satagendum est, ut monasteria puellarum ita undique firmissimis circumdent munitionibus, ut nulli intrandi, aut exeundi, nisi per portam pateat aditus: quatenus nec viri quiddam quod non decet in earum claustris agendi, nec sanctimoniales foras vagandi habeant facultatem. Habeant itaque interius sanctimoniales refectoria, cellaria, dormitoria, & ceteras suis usibus habitationes necessarias præparatas, uti quæ domino devoverunt, postposita omni excusatione, inviolabiliter custodire valeant. B

XII.

Usum reprehensibilem, & emendatione dignum, in nonnullis monasteriis puellaribus esse comperimus, eo quod sanctimoniales stipendia ecclesiastica non æqualiter accipiant: cum utique hoc ita fieri debere nusquam sancitum possit reperiri. Sed quia hoc nulla auctoritate fulcitur, sed magis avaritiæ causa, aut personarum acceptione constat esse inolitum; necesse est, ut æquitatis censura ab eisdem locis, in quibus sit, prorsus abdicetur. Dignum namque justumque est coram Deo & hominibus, ut omnes, quæ ob amorem Christi in castimoniali proposito, in una videlicet societate se vivere proposuerunt, seclusa causa avaritiæ, & personarum acceptione, cibum & potum æqualiter accipiant. C

XIII.

Quia perspicue compertum est, nonnullas abbatissas negligenter & tepide subditis stipendia necessaria conferre, oportunissime, imo rationabiliter statutum est, ut in omnibus monasteriis puellaribus, in quibus canonice vivitur, singulæ sanctimoniales per dies singulos tres libras panis accipiant, & in his regionibus, quæ viniferæ sunt, tres libras vini, si sterilitas temporis non impedierit: si autem plene eadem regio vini ferax non fuerit, duas libras vini, & duas cervisiæ: & si minime vini ferax fuerit, tres libras cervisiæ, & si facultas permiserit, libram vini. In locis vero minoribus, accipiant duas libras vini; & si eadem regio, ut præmissum est, vini ferax non fuerit, duas libras cervisiæ, & si facultas suppetit, libram vini. Licet enim in nonnullis provinciis copia desit vini, abundat tamen sancta Dei ecclesia, domino attribuente, aliarum rerum copiis, e quibus industria prælatarum ex aliis provinciis vinum adipisci, sibique subditis juxta facultatem pocula conferre possunt. In locis igitur ubi permodicæ sunt res ecclesiæ, aut forte quorumdam abstractu valde attenuatæ, tot, talesque admittantur, quibus saltim præmissa minor mensura potus sine difficultate dari possit. In his itaque locis, ubi forte nonnullæ prælatæ, piarum prælatarum imitantes exemplum, magis subditis dare solitæ sunt, nullatenus bonum, quod faciunt, omittant. Sed & si cui ob æternam retributionem magis subditis supererogare libuerit, hilariter quod poterit tribuat: sin autem, nullatenus mensuram prædictam eis subtrahat. Diebus vero festis, & sicut moris est ecclesiæ, prout melius possunt, sanctimonialibus stipendia ad- D E ministrent. In pulmentis namque eis dandis nihilo minus solertissime vigilare debet abbatissarum industria, ut juxta possibilitatem eis carnem, pisces, legumina, & olera, ligna, & cetera necessaria attribuant, ut his adminiculatæ promptiores in Dei consistant servitio. Nam & talia eis debent constituere loca, in quibus aptissime nutriant pecora, & horti olerum possint fieri, unde pulmenta habeant, exceptis his, quæ de villis ecclesiæ, & de eleemosynarum oblationibus accipiant. Caveant siquidem, ne propter earum incuriam, & insolentiam, aliquam in monasteriis patiantur inopiam: ut nec sibi in peccatum, nec sanctimonialibus proveniat in murmurationis lapsum. Sint quoque eis in refectorio convivæ, quatenus sanctimonialibus alimenta uberius administrentur, & quæ forte minus habentur, æquiori animo communiter tolerentur. Quoniam si earum societatem, curamque parvipendentes, lautiores sibi cibos privatim domi præparaverint, excepta causa infirmitatis, aut hospitum, procul dubio in detractionis aut murmurationis noxam sibi subditas corruere compellent. Dent etiam eis annis singulis lanam & linum, e quibus sibi conficiant necessaria indumenta, exceptis infirmis, & debilibus, quæ propter corporis incommoditatem, hæc sibi conficere nequeunt, & his quæ nihil proprium habere velint, quibus misericorditer studeant necessaria quæque præbere. Eleemosynarum vero oblationes æqualiter accipiant.

LIBER II.

XIV.

Sicut ea, quæ superius præmissa sunt, abbatissis ob necessitates corporum impendenda sunt sanctimonialibus, ita necesse est, ut in agro mentium sibi subditarum studeant plantare documenta virtutum, seque in omnibus illis, vita, moribus, actu, habitu, ipso etiam incessu irreprehensibiliter vivendo imitabiles exhibeant, ne per earum exempla perversitatum in lapsum occurrant voraginum. Doceant ergo eas, qualiter vitent superbiam, quæ radix est omnium malorum, avaritiam, invidiam, odium, detractionem, susurrationem, murmurationem, scurrilitates, bilinguitates, dissensiones, simulationes, vanas verborum confabulationes, & cetera his similia, quæ suos sectatores ad interitum pertrahunt. Curiositates etiam nihilo minus vitent, quibus femineus sexus potissimum implicatur. Defleant propria, aliena curiose non interrogent: attendentes illud Hieronymi: Sufficit, inquit, unicuique sua plangere, non aliena carpere. Instruant etiam eas ad sectandas bonorum operum virtutes, videlicet caritatem, humilitatem, patientiam, castitatem, continentiam, sobrietatem, benignitatem, obedientiam, mansuetudinem, & ceteras virtutes, quibus animus Christianus ad æternam patriam tendens jugiter famulari debet. Provideant etiam, ut otio vacare non possint, sed potius aut orationi, aut lectioni, aut manuum operationi insistant, aut certe divinis lectionibus aurem accommodent. quatenus sibi subditis hanc geminam pastionem tribuentes, quæ cavenda sunt vitare, quæve facienda sectari eas docentes, non de infideli, & negligenti administratione condemnari, sed potius de fideli a domino mereantur feliciter remunerari. Meminisse itaque, & ante oculos ponere eas oportet, quod de sibi commissis domino procul dubio redditura sunt rationes.

LIBER II.

ANN. CHRIST. 816

XV.

Oportet ut remoto totius excusationis obstaculo, expedite atque honeste sanctimoniales Dei exequantur ministerium: sitque earum vigilantissima cura, ut ad horas canonicas, mox ut signum datum fuerit, impigre occurrant, ecclesiamque cum Dei timore, & reverentia ingredientes, divinæ potentiæ famulatui religiosissime inserviant. Illudque semper caveant ut in domo Dei nihil inhonestatis corde, aut lingua, vel opere perpetrent, sed potius aut orent, aut legant, aut audiant. Si vero fuerit aliqua, exceptis his quæ aut quadam incommoditate corporis, aut obedientia sibi injuncta detinentur, quæ præfatas horas canonicas frequentare, diligenterque custodire, & in his, ut dignum est, cæleste neglexerit officium persolvere, digna invectione corripiatur. Custodes namque ecclesiæ harum horarum spatia bene norint, ut scilicet signa certis temporibus pulsent. quibus etiam sit studii, ut nihil de sibi commissis rebus ecclesiæ pereat.

XVI.

Ad imploranda divinæ pietatis solatia, hæc domini verba petentium animum informant: *Petite, inquit, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate & aperietur vobis.* (Matth. 7.) Sed si nobis pulsantibus aperiri gestimus, oportet ut domino ad nos venienti, & ostium mentium nostrarum pulsanti, aditum dignum pandamus, ut impleatur illud: *Si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* (Apoc. 3.) Quia ergo constat assiduitate orationum remissionem adipisci posse peccatorum, si tamen labia cordi non discrepaverint, studeant sanctimoniales mentem noxiis cogitationibus mundare, & Deum jugiter orando placare: scientes quia tunc mens bene Deum orando contemplatur, quando nullis terrenarum rerum curis, aut vitiorum illecebris implicatur. Quoniam, ut ait Isidorus, necesse est, ut cum ad impetranda muneribus suffragia assistitur, munda simplexque acies cordis ad dominum dirigatur: quatenus illuc dirigatur deprecantis oratio, quo Propheta suam dirigi optabat dicens: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo domine.* (Psal. 140.) Oratio namque, ut ait beatus Gregorius, cordis debet esse, non labiorum: quia nequaquam Deus verba deprecantis intendit, sed orantis cor adspicit.

XVII.

Vespertinis officiis devotissimo obsequio celebratis, & collatione divinarum scripturarum solenniter habita, dato signo ad completorium celebrandum, sanctimoniales pariter devotissime occurrant. Quo expleto, non ad epulandum, & bibendum, & supervacuis loquelis instandum se convertant: sed his postpositis honeste dormitorium petant. Caveatur etiam ab illis, ut nihil inhonestum, aut indecens in dormitorio geratur: nec aliquam inquietare præsumat, nec ad verba inutilia, & otiosa prorumpere cogat. Si qua vero id fecerit, severissima invectione corripiatur. Lucerna quoque noctis tempore in eodem dormitorio jugiter ardeat.

XVIII.

Studendum vigilanter abbatissis est, ut subditarum vitia nullatenus dissimulent, sed mox ut oriri cœperint, ea radicitus evellant, ne per earum scilicet desidiam, atque incuriam, animæ illarum laqueis irretiantur diaboli. Quanto enim idem sexus fragilior esse dignoscitur, tanto necesse est majorem erga eum custodiam adhiberi. Modus vero correptionis circa delinquentes sanctimoniales, omissis his, quarum latera, juxta Salomonem, ne indurescant, virgis tundenda sunt, iste obnixe ab abbatissis teneatur. (Eccl. 3.) Si aliqua in congregatione sanctimonialium horas canonicas frequentare neglexerit, & opus Dei negligenter executa fuerit, ad collationem venire distulerit, obedientiam sibi injunctam agere recusaverit, in discendis bonorum operum instrumentis juxta vires operam non dederit, in dormitorio aliquid indecens aut inhonestum verbis aut actibus perpetraverit, alibi quam in dormitorio absque causa inevitabili dormire præsumpserit, sororibus caritatis officio servire neglexerit; iræ, detractioni, susurrationi, scurrilitati, bilinguitati, verbositati, dissensioni, simulationi, curiositati, vanisque verborum confabulationibus inservierit; discordiam inter sorores seminaverit, huic institutioni contumax, aut superba, aut murmurans, seu in aliquo contraria extiterit, & cetera hujusmodi agere tentaverit: primo secundum domini præceptum, non solum semel, & secundo, ac tertio, quin etiam crebrius admoneatur; & si his admonitionibus non paruerit, publica objurgatione corripiatur. Quod si & huic renisa fuerit, ceteris alimentis sibi interdictis, pane tantum usque ad dignam pœnitentiæ satisfactionem utatur, & aqua. Si vero nec sic se correxerit, separetur a mensa, & a ceterarum sanctimonialium in choro psallentium societate, & seorsum in loco hujuscemodi negligentibus ab abbatissis constituto stare cogatur; ut statim rubore sequestrationis emendetur. Si autem his modis admonita atque castigata, incorrigibilis adhuc extiterit, congruet, si tamen ætas permiserit, verberum adhibeatur castigatio. Verum si talis fuerit, quam aut ætas, aut qualitas personæ verberari non siverit, hæc & publica objurgatione, & jejuniorum continuatione, & sequestrationis rubore tamdiu corripiatur, donec digna pœnitentiæ satisfactione veniam consequi posse videatur. Si igitur ea quæ flagellatur, & ea, quam flagellari aut ætas, aut qualitas personæ prohibet, incorrigibiles apparuerint; sit locus intra claustra, quo ad tempus retrudantur, & secundum modum culpæ castigentur. Quod si etiam aliqua in tantam insaniam devenerit, quæ post tot saluberrimas admonitiones & castigationes necdum se correxerit, deprecetur pro ea communi voto ab omni congregatione, ut ab illo, cui nihil est impossibile, sanetur. Postremo, si his omnibus exhibitis inemendabilis atque incorrigibilis apparuerit, quia nullatenus huic sæculum repetere fas est, advocetur, si necesse est, episcopus, & illius sapientissimo ac discretissimo judicio, ita ejusdem vita, quæ se tot vitiis fœdando, & in pertinacia permanendo, a collegio sanctimonialium quodammodo secrevit, intra septa monasterii moderetur, quatenus & pœnitentiam sibi ab eo injunctam salubriter gerat, & ceteris nullius contagionis morbum inferre valeat. Quæ autem criminale peccatum commiserit, huic nullatenus differenda est correptionis utilitas, quin aut sponte peccati sui facinus pœnitendo abluat, aut si id agere renuerit, ab episcopo, ut præmissum est, juxta modum taxatum sententiam excommunicationis, & modum pænitentiæ excipiat. In castigandis namque, atque corrigendis delinquentibus, opem ferre non desistant abbatissis ceteræ sanctimoniales.

XIX.

ANNO CHRISTI 816.

LIBER II.

XIX.

Scripturarum sanctarum doctrinis demonstratur, quod subditarum vita prælatarum sit exemplis informanda. Et quia sanctimoniales, secundum patrum documenta, virorum debent vitare familiaritates & sermocinationes, decet ut abbatissæ, sicut in ceteris, ita quoque & in virorum confabulationibus, bonum sibi subditis exemplum præbeant. Si quando autem eis sermocinandi necessitas incubuerit, juxta supra notatam sensentiam beati Cæsarii, adhibitis secum sanctimonialibus, quas & ætas, & morum probitas, & vitæ innocentia commendant, id faciant, & quod deliberandum est prudenter deliberent; & quod disponendum, utiliter disponant. quia si earum consilio, & præsentia usæ fuerint, & morsum detractionis vitabunt, & exemplum sibi subditis salubrius præbebunt. Licet enim hujuscemodi sanctimoniales talium negotiorum experientiam non habeant, earum tamen præsentia capaces boni consilii castique factæ sunt.

XX.

Quia virorum frequentias sanctimoniales, juxta superiorum patrum sententias, penitus vitare debeant, satis liquido patet: restat ut imminente inevitabili necessitate, qualiter id facere debeant, demonstretur. Decet porro, ut abbatissæ tres, aut quatuor sanctimoniales vitæ probabilis constituant, coram quibus ceteræ sanctimoniales, aut cum propriis equis, aut cum propriis servis res sibi necessarias deferentibus, tempore competenti, in loco videlicet ad hoc negotium constituto loquantur, & id quod delatum fuerit recipiant. Ut videlicet hujuscemodi confabulatio nullam possit in quoquam sinistræ opinionis afferre suspicionem. Sed & tempore novarum frugum, coram memoratis sanctimonialibus, quidquid eis recipiendum aut recondendum est, recipiant, & recondant. Similiter quoque, quando eis in propriis mansiunculis aliquid operis agendum est, quod non sine virorum labore perfici potest, hæ sanctimoniales coram sint, ut nullus in his negotiis possit oriri detrahendi, aut peccandi locus. Sed & hoc abbatissæ, non solum præpositarum suarum cura, & memoratarum sanctimonialium instantissima procuratione, verum etiam suo studio, imo sæpissima investigatione, scrutari, atque solerter inquirere debent, ne quid inhonestatis in mansiunculis sanctimonialium, aut in earum claustris quispiam quolibet modo perpetrare, aut ab aliqua alicujus familiaritatis occasione suscipi, aut clanculo abscondi possit. Tanta igitur sanctimonialibus in confabulando cum viris pudicitiæ fiducia inesse debet, ut aliis aspicientibus minime erubescant. Ut enim beatus Hieronymus dicit: Speculum mentis est facies, & taciti oculi cordis fatentur arcana. Unde ait & quidam: Frons hominis propriæ mentis depromit amictum: Qualis vultus erit, talia corda gerit. Si qua vero inventa fuerit his confabulationibus dedita, ita juxta superiorem modum corripiatur, ut & ipsa emendetur, & ceteræ timorem habentes nihil tale agere pertentent.

Epist. ad ...am.

XXI.

Quia licitum est Deo dicatis canonice viventibus, vernulas secum famulandi gratia in monasteriis habere, cavendum est illis, ut in eis animæ potius salutem, quam commodum terrenum quærant. Solent enim hujuscemodi, effrenes & impudicæ effectæ, cultu meretricio ornatæ incedere, & turpia quæque & obscena, quæ foris va- A gando viderint aut audierint, auribus dominarum suarum impudenter ingerere, & animos earum a rigore divinæ servitutis emollire. Quapropter necesse est, ut in talibus congregandis modum adhibeant discretionis: ut non amplius quam necessitas exigit, sibi ad serviendum congregent, & erga congregatas curam adhibeant, ne illis quolibet peccato ruentibus, illarum ruinæ participes existant. Si vero hæ famulæ, aut abbatissarum, aut certe sanctimonialium, in claustris monasterii quippiam indecens admiserint, & B crebro admonitæ, atque correptæ, non se correxerint, extra claustra monasterii procul ejiciendæ, atque eliminandæ sunt.

XXII.

Religio ecclesiastica docet, ut puellæ, quæ in monasteriis erudiuntur, cum omni pietatis affectu, & vigilantissimæ curæ studio nutriantur: ne si lubricæ ætatis annos indisciplinate vivendo transegerint, aut vix, aut nullatenus corrigi postea possint. Quapropter præferuntur eis ex sanctimonialibus tales magistræ, quæ utique & probabilis sint vitæ, & erga eas talem exhibeant curam, ut nequaquam huc atque illuc possint habere progressum, & aut desidiæ, aut lasciviæ vitio C maculentur: quin potius sacris imbuantur disciplinis, quatenus his mancipatæ vagandi otio careant. Sed qui modus hujuscemodi erudiendis tenendus sit, beatus Hieronymus in epistola, quam ad Lætam de institutione filiæ scripsit, plenissime docet, dicens: Igitur quæ de repromissione nata est, dignam habeat ortu suo institutionem parentum. Samuel enim in templo nutritus est: Ioannes in solitudine præparatur, locustis alitur, & melle silvestri, & in typum pœnitentiæ prædicandæ tortuosissimi animalis vestitur exuviis. Sic erudienda est anima, quæ futura est templum domi- D ni. Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet, turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret. Adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur: procul sit ætas lasciva puerorum. habeat modestam gerulam, nutricem gravem. Discat in pueritia cui imperatori tiruncula nutriatur. Ipse habitus & vestitus doceat eam, cui promissa sit. Aures ejus non perforentur, nec ora Christo consecrata cerussa & purpurisso depingantur: nec aurum, & margaritæ collum ejus deprimant; nec caput sacratum gemmis oneretur: sed habeat alias margaritas, quibus postea venditis emptura est preciosissimum margaritum. Sit nutrix ejus solicita & prudens, ut ea, quæ nutritur, ne percutiatur a vipera. Ne bibat de aureo calice Babylonis; E nec cum Dina egrediatur videre filias regionis; ne ludat pedibus, & trahat tunicas: quia venena non dantur nisi melle circumlita, & vitia non decipiunt, nisi sub specie virtutum. Postquam grandiuscula fuerit, & in exemplum sponsi sui, sapientia, ætate, & gratia apud Deum & homines crescere cœperit, pergat ad templum veri patris cum parentibus suis: sed cum illis non egrediatur e templo, & nusquam ab eis inveniatur, nisi in auditu sanctarum scripturarum. Nusquam exeat foras, ne inveniant eam, qui circumeunt civitatem, & vulnerent pudicitiam ejus auferentes theristrum, & nudam in sanguine derelinquant. Non vescatur in publico, ne videat cibos quos desideret. Discat jam nunc vinum non bibere, in quo est luxuria: usque ad perfectam tamen ætatem propter indulgentiam modico utatur vino, & carnium edulio susten-

LIBER II. tetur. Nullus ei iuvenis, nullus cincinnatus arrideat. Vigiliarum dies & solennes pernoctationes sic celebret, ut ne transversum quidem unguem a nutrice discedat. Non cum ancillis in auribus susurret, sed quod uni loquitur omnes intelligant. Sit ei comes non compta, atque formosa, quæ gutture carmen dulce moduletur: sed gravis, pallens, subtristis, & pudicitiæ veterana, quæ illam doceat, & assuescat exemplo, ad orationes, & psalmos nocte consurgere, mane hymnos canere, & stare in acie quasi bellatricem Christi. Horarum diei cursu peracto, accensaque lucernula, reddat sacrificium vespertinum. Sic dies transeat, sic nox inveniat laborantem. Cibus ejus olusculum sit, & simila, raroque pisciculi. Sic comedat ut semper esuriat, ut statim post cibum possit legere, orare, & psallere. Non habeat colloquia sæcularium puellarum, & malarum virginum contuberniis non misceatur. Balnearum vero fomitibus sopitos non suscitet ignes. Pro gemmis & serico, divinos codices amet. Discat primo psalterium: erudiatur in proverbiis Salomonis ad vitam: consuescat in Ecclesiaste calcare quæ mundi sunt. Sectetur in Iob virtutis & patientiæ exempla. Ad euangelia transeat, nunquam ea positura de manibus. Apostolorum acta, & epistolas tota cordis imbibat voluntate. Et sic per ordinem seriem novi veterisque testamenti. Cumque pectoris sui cellarium his opibus locupletaverit, tunc virtutum floribus adornata, soli sponso cælesti, cui commissa est, calcatis cunctis, quæ mundi sunt, placere studeat.

XXIII.

Quamquam intra claustra monasterii sanctimoniales canonice viventes proprias solitæ sint habere mansiunculas, propter anus tamen, & infirmas, debet intra claustra ab abbatissis mansio fieri; ubi earum, quæ forte suas non habent, imbecillitatibus atque infirmitatibus misericordissime possit opitulari. Quarum curam abbatissæ, ut pote spiritales matres, ante omnia gerere debent, ut his ea, quibus opus habent, misericorditer administrent. Sed & ceteræ sanctimoniales, accessu eas frequenti visitantes, divinarum scripturarum collocutionibus demulceant, & suis facultatibus eis adminiculum præbeant, earumque imbecillitates, & infirmitates cum caritate æquanimiter portent; ut merito a domino eis dicatur: *Infirmus fui, & visitastis me*, &c. Matth. 25.

XXIV.

Quia constat abbatissas exteriorum & interiorum pondere gravatas, adeo ut præpediente ignorantia fragilitatis humanæ multa nesciant, quæ in monasteriis negligenter fiunt; necesse est ut tales sub se constituant, cum quibus secure possint partiri onera regiminis. Quibus etiam talem conferent potestatem, ut vice sua fungentes, & bene agentes in melius proficere dictis & exemplis exhortentur, & delinquentium errata districtissima invectione corripiant: & quæ in monasteriis ab abbatissis, ob diversarum curarum occupationes, perfici minime possunt, ab his digne, & utiliter perficiantur. Quibus etiam expedit, ut se imitabiles ceteris præbeant, quatenus irreprehensibiliter vivendo, & sanctarum virtutum exempla præbendo, cœtibus sanctarum feminarum mereantur adscisci. Quod si negligenter vixerint, & his, quibus bene vivendo prodesse debuerant, exemplo suæ perversitatis aliquam læsionis maculam ingesserint, juxta modum præmissum judicentur, & si inemendabiles extiterint, a ministerio amoveantur, aliæque in loca earum probabilis vitæ constituantur.

ANNO CHRISTI 816.

XXV.

Expedit abbatissis, ut de congregatione sibi commissa tales eligant, quibus alimenta sanctimonialium committant, quæ non sint criminatrices, non vinolentæ, non prodigæ, & ceteris vitiorum illecebris mancipatæ, sed magis quæ vitæ sint probabilis, & inviolabiliter congregata conservent, & fideliter ea, atque humiliter sanctimonialibus administrent, ut de fideli administratione a remuneratore omnium bonorum Deo fideliter remunerentur. Erga hujuscemodi vero delinquentes & inobedientes modus præmissus obnixe tenendus est.

XXVI.

Oportet ad portam monasterii talis constituatur sanctimonialis, quæ ætate & morum probitate ceteris emineat: ut neque propter personarum acceptionem, neque propter alicujus adulationem, aut timorem, porta monasterii nisi horis statutis reseretur. Quia nisi talis ad portam constituta fuerit, magnum procul dubio in monasteriis degentibus poterit provenire periculum. Quod si alicujus gratia contra hanc institutionem facere tentaverit, & admonita non se correxerit, digna invectione correpta ministerio amoveatur.

XXVII.

Presbyteris, qui in monasteriis puellaribus Missarum solennia celebrare debent, extra monasterium sit locus, & ecclesia, ubi cum ministris suis habitent & divinæ servitutis obsequium expleant: & non nisi statuto tempore monasterium ingrediantur puellarum, & cum eis diaconus tantum, & subdiaconus, qui scilicet & vitæ honestate clarescant, & non se, sed Christum amare cupiant; nec sua quærant, sed quæ Iesu Christi, & non amplius ibi immorentur, nisi in Missarum celebrationibus ad sanctimoniales publice faciendis. Quibus rite ac devote celebratis, illico foras egrediantur. Sanctimoniales namque velo ante posito, ut moris est, horas canonicas, & Missarum solennia celebrent. Sed & hoc caveant, ut nulla illarum cum eisdem presbyteris, eorumque ministris aliquam sermocinationem familiarem habeat. Si qua igitur peccata sua sacerdoti confiteri voluerit, id in ecclesia faciat, ut ab aliis videatur, sicut in dictis sanctorum patrum continetur, exceptis infirmis, quibus in domibus id facere necesse est. Nam presbyter diaconum & subdiaconum, qui utique boni sint testimonii, ob detractionem vitandam secum habeat, a quibus scilicet videatur, & suæ innocentiæ bonum testimonium exhibeatur.

XXVIII.

Quia sanctarum scripturarum auctoritatibus liquido demonstratur, quod hospitalitas modis omnibus sit diligenda, & res ecclesiæ oblationes sint fidelium, precia peccatorum, patrimonia pauperum: quamquam ad portam monasterii locus talis sit rite habendus, in quo adventantes quique suscipiantur; oportet tamen, ut extra, juxta ecclesiam scilicet, in qua presbyteri cum ministris suis divinum explent officium, sit hospitale pauperum, qui etiam præsit talis, qui & avaritiam oderit, & hospitalitatem diligat. Et exceptis decimis, quæ de ecclesiæ villis ibidem conferuntur, de rebus ecclesiæ, prout facultas suppetit, eidem deputetur hospitali, unde pauperes ibidem recreentur, & foveantur. Sed & de oblationibus, quæ fidelibus sanctimonialibus deferuntur, decimæ

decimæ dentur ad eorumdem sustentationem pauperum. Is namque, cui hospitale committitur, nequaquam res pauperum in suos usus retorqueat, ne cum Iuda loculos domini furante sententiam damnationis excipiat. Sit etiam intra monasterium receptaculum, ubi viduæ & pauperculæ tantummodo recipiantur, & alantur: & si non possunt alio, saltem quadragesimæ tempore, sanctimoniales, domini implentes præceptum earum lavent pedes, juxta illud: *Si ego dominus & magister vester lavi vobis pedes, quanto magis vos debetis alter alterius lavare pedes?* [...] 13.

EPISTOLA LUDOVICI PII IMPERATORIS 4 AD SICHARIUM archiepiscopum Burdigalensem.

Mittit exemplum statutorum concilii Aquisgranensis, ut ea in provincia sua diligenter transcribi & observari faciat.

Ludovicus divina ordinante providentia imperator Augustus, venerabili in Christo Sichario archiepiscopo in domino Salutem.

SACRUM & venerabile concilium, divino nutu, nostroque studio in Aquisgrani palatio nuper aggregatum, in quo multa ob propagandam ecclesiasticam dignitatem, præcedente & subsequente gratia Christi, diligenter tractata atque instituta sunt, tuam nullatenus credimus latere sanctitatem. Sed quia contingit eidem sancto & venerabili concilio tuam non interfuisse paternitatem, ad tuam destinare decrevimus beatitudinem, per præsentem missum nostrum, nomine Adalelmum, formulam canonicæ institutionis, ab eodem sacro conventu ex sanctorum patrum sparsim digestis sententiis collectam; atque in unum congestam. Quam etiam idcirco penes palatium nostrum diligenter scribi fecimus, ut nihil in se scriptorum vitio depravationis aut detruncationis habens, ad te usque incolumis perferretur. Quapropter volumus atque decernimus, ut juxta metropolitanæ sedis tibi canonice collatam dignitatem, nostræque auctoritatis sanctionem, diœceseos tuæ episcopos, & ceteros ecclesiæ prælatos, tempore & loco congruenti ad te accersere facias, & his coram capitulatim memoratam institutionis formulam prælegi jubeas, & quod ob exaltandum ecclesiastici culminis fastigium, & animarum salutem, idem sacer conventus eam ediderit, liquido demonstres: sed & his qui in uno collegio canonice degunt, tenendam observandamque coram memorato misso nostro conferas. ac si alicujus cordis obtusio eam intelligere nequiverit, huic sive abs te, sive ab aliis episcopis, comprovincialibus scilicet tuis, doctrinæ fulgore renitentibus sobrie tradatur. Sed & in hoc nihilo minus circumspectam monemus esse tuam prudentiam, ut ab his qui eam transcripturi sunt, ita transcribatur, ut nec depravata vitio scriptoris, nec detruncata ab aliquo fiat: sed sicut a prædicto misso nostro eis demonstratum fuerit, absque aliqua depravatione vel detruncatione transcribatur. Noveris etiam, quia ideo illius exemplum apud armarium palatii nostri detentum est, ut eo probari patenter possit quis eam incuriose transcripserit, vel quis aliquam ejus partem detruncarit. Vt enim comperimus, dum in eodem sacro concilio perlegeretur, antequam coram nobis ab eodem concilio prolata, & necdum mensura cibi ac potus statuta fuisset, quidam magna ex parte illam detruncantes, quædam capitula inconsulte ex ea transcripserunt. Vnde necesse est, ut si aliquem in tua diœcesi tale fecisse repereris, hujusmodi factum coram provincialium tuorum episcoporum conventu, & coram præscripto misso nostro frustreris, & hanc authenticam, ut præmisimus, diligenter, sicut missus noster eis insinuaverit, transcribi percenseas. Omnes ergo tuæ diœceseos episcopi, & ceteri prælati eam vigilanti cura transcribere, solerti studio intelligere, instantissimæ assiduitatis exercitio divinitus adjuti operibus complere decertent: ut cum nos hujus rei gratia inquirendæ venturis Kalendis Septembribus, (sicut eidem sacro & memorabili concilio meminimus nos dixisse facturos) missos nostros per imperium a Deo nobis collatum destinaverimus, remota cujuslibet difficultatis oppositione, ejusdem salutiferæ institutionis prælati & subditi, prout dominus posse eis dederit, strenui inveniantur operatores. Quoniam diligenti indagine, vita comite, perquirere jubebimus; quis prælatorum injunctum sibi officium strenue peregerit, vel quis in claustris canonicorum, & ceteris habitationibus construendis, & in necessariis stipendiis eis tribuendis, & in domibus ad receptacula pauperum reparandis, sanctioni nostræ paruerit; quisve clerum suum eadem institutione, & ceteris spiritalibus documentis instruere curaverit: vel quis causa avaritiæ eos, quos Christi militia rationabiliter alere poterat, propulerit: quia unius anni spatium dedimus, ut ea quæ promissa sunt absque ullius difficultatis excusatione perfici, ubi necdum facta erant, facillime possent. Proinde qui hoc anni tẽpore in hoc negotio nostræ admodum jussioni pro viribus obedire neglexerit, ceteris sine dubio terrori erit, ne tale admittere præsumant. Direximus sane tibi institutionis formulam, quam ejusdem sacri concilii par consensus parque studium ex sanctorum patrum dictis enucleatim excerpsit, & castimoniæ dicatis in una societate canonice degentibus observandam statuit. Quam volumus a te, sive a tuis cõprovincialibus episcopis, studiose jubere trãscribi, & monasteriis puellaribus in tua diœcesi consistentibus, in quibus scilicet canonice vivitur, tenendam conferri, qualiterque ab abbatissis & ceteris sanctimonialibus religiosissime ac devotissime observari debeat, apertissime perdoceri. Quoniam, nisi quando nos aliquam abbatissarum nostram adire jusserimus præsentiam, alio tempore volumus in monasteriis residеant, & secundum ejusdem institutionis formam vitam ducant, sibique subditas in sancto religionis proposito constringant. Et nulla illarum foras evagandi, aut occasione qualibet accepta per villas residendi, suisque voluptatibus deserviendi licentiam sibi attribuat. Quamquam enim nonnulli clerici monasteria puellarum, & nonnulli laici monasteria virorum etiam & puellarum habeant, tua tamen debet prævidere solertissima industria, ut in omnibus locis sub tua diœcesi constitutis, ubicumque congregationes clericorum & sanctimonialium sunt, juxta possibilitatem & facultatem rerum secundum hujus institutionis formam vivant. Quia nulla est omnino ecclesia, quæ facultates habeat, ubi non possint tot talesque gubernari, qui divinum expleant officium & ubi hospitalitas juxta vires non possit diligi. Nos quoque

præfatum

ANNO CHRISTI 816.

præfatum missum nostrum ad tuam sanctitatem ideo direximus: ut tuum, ceterorumque ecclesiasticorum in tua diœcesi existentium, diligenter atque subtiliter in hoc negotio intueretur studium, & tibi opem in ceteris commonendis ferret. qui etiam nobis referret, qualiter prælati & prælatæ eas formulas libenter susceperint, diligenter transcribere studuerint, & devote adimplere juxta vires curaverint. Quoniam tamdiu illum in tua vel comprovincialium tuorum diœcesi immorari & discurrere una cum misso tuo jussimus, donec ab omnibus memoratæ formulæ transcriberentur. Vt videlicet cuncta procurans, diligenterque perficiens, cum ad nos illum redire opere expleto tempus permiserit, cuncta quæ acta sunt vestro utrorumque scripto notentur, atque per ipsum tuumque commissum nostræ dignoscentiæ intimentur, ut sciamus quibus gratiarum actiones referre, quosque etiam dignis correptionibus corrigere debeamus. Si vero aliquis tuæ diœceseos eidem institutioni, vestræque admonitioni procaciter reniti voluerit, & eam, quæ ab eodem sacro conventu constituta atque decreta est, pro viribus observare neglexerit, & subinde admonitus non se correxerit, quicumque ille est, ante præsentiam nostram, tua vel missi nostri admonitione venire festinet, quatenus a nobis juxa quantitatem culpæ digne corrigatur. Direximus præterea tibi pondus & mensuram, secundum quæ clericis & sanctimonialibus panis & potus æqualiter tribuenda sunt. Quę ab omnibus firmissime atque inviolabiliter teneantur decernimus, & ne quid incrementi aut detrimenti a quoquam patiantur, modis omnibus inhibemus. Tuam igitur in calce epistolæ admonemus sanctitatem, ut secundum ministerium tibi divino munere collatum, nostræ in hoc negotio saluberrimæ admonitioni obedienter atque inexcusabiliter pareas, & ceteris in parendo bonum exemplum tribuas. Dignum quippe justumque est, ut quanto sublimius sacerdotii dignitate aliis superemines, & a nobis venerabiliter diligeris, tanto magis ad Dei nostramque voluntatem exequendam devotiorem te, atque promptiorem exhibeas. Vale in domino, & ora pro nobis.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Concilium Aquisgranense.*] In hoc concilio, Ludovici Pii jussu, duplex libellis duobus, ut præfatio docet, condita est regula, una canonicorum, quæ sæpe hactenus vulgata est, altera sanctimonialium, quam primi in lucem edidimus. Qua in re præcipuam operam navasse dicitur Amalarius Metensis ecclesiæ diaconus is, cujus extant ad eumdem Ludovicum imperatorem libri de divinis officiis. Ab eo enim ferunt, facta e palatio librorum copia, totum hoc opus ex diversis doctorum sententiis concinnatum, conciliique judicio & auctoritate comprobatum, quod inter alios tradit Ademarus in chronico Engolismensi.

2 XIX. *Prosperi.* Iam tum videlicet Prospero tribuebantur libri tres de vita contemplativa, qui inter ejus opera edi solent, ejusque nomine a Gratiano passim, & ab aliis citari solent, re autem vera Prosperi non videntur. Primo quia Gennadius Prosperi opera recensens horum librorum non meminit. Deinde quia illorum auctor lib. II. cap. 9. de Hilario Arelatensi, qui æqualis fuit Prosperi, sic loquitur, ut ætate sua superiorem fuisse significet. Denique, ut aliis argumentis supersedeam, in antiqua collectione canonum codicis Andegavensis sancto Pomerio (sic enim appellat) ut auctori tribuuntur, loco citato, qui apud Prosperum extat lib. II. cap. 7. & in codice S. Salvatoris Vicecomitis, qui nunc est in bibliotheca reverendissimi archiepiscopi Tolosani, ejusdem loci abbatis, auctor his libris ascriptus est Iulianus Pomerius: & Iuliano Pomerio eosdem prorsus asserit Isidorus de ecclesiasticis scriptoribus capite II. *Alter quoque*, inquit, *tres libros edidit, de futura vita contemplatione, vel actuali conversatione, nec non etiam de vitiis & virtutibus.* Quibus verbis liquido patet singulorum hujus operis librorum argumenta describi. Ediderat idem præterea alios libros octo, quorum etiam lemmata ibidem singillatim explicat Isidorus, quorumque testimonio frequenter usus est Iulianus alter, Toletanus antistes, in prognosticis futuri sæculi. Fuit porro Pomerius hic Afer Maurusque patria, sed, quod ex vita Cæsarii & ex Ruricii ad Pomerium ipsum epistolis intelligi licet, in Gallia primum rhetor, tum presbyter & abbas floruit Arelate. Pomerio eidem, ut videtur, scribit etiam Ennodius libro undecimo epistola sexta.

3 *De institutione sanctimonialium*] Posterioris hujus regulæ unicum nobis videre codicem licuit Nicolai Fabri, qui nunc habetur in bibliotheca Thuana. sed alterum extare audio in ecclesia Autisiodorensi.

4 *Ad Sicharium archiepiscopum.*] Missa sunt concilii Aquisgranensis exemplaria in singulas provincias cum epistola imperatoris ad uniuscujusque provinciæ metropolitanum. Hinc epistolarum, quæ passim occurrunt, tituli diversi. In exemplari nostro quia in Aquitaniam secundam missum fuit, nomen est Sicharii archiepiscopi Burdigalensis; in Autisiodorensi nomen Magni Senonicæ urbis, quæ caput est provinciæ illius, archiepiscopi. Omnes porro ejusdem sunt argumenti.

5 *Habitationibus constructis.*] Duo præcipit imperator, regulam observari, & monasticas habitationes instaurari. Vtrumque pariter complexus est Hetti Trevirensis archiepiscopus in epistola, quam de eadem re tunc scripsit ad Frotarium Tullensem episcopum: *Non nescitis*, inquit, *cum qua cautela mandatum suscepimus domini imperatoris nos in diœcesi nostra, & episcopi singuli in parochiis suis, id est, de regula augenda religionis; & de ministratoriis canonicorum officinis, ut si quibus in locis bene compta essent, deinceps cum summa diligentia ornarentur. Nunc autem in proximo est placitum, quo sine dubio sciscitabitur de obtemperatione mandati dominus mandati. Quapropter scrutemini diligenter in parochia vestra, in vestris aliorumque monasteriis, si præfata regula digne per omnia conservetur, & si officina juxta ipsius decreta constructa atque innovata contineantur: ut cum imperiali solertia præsentabimur, dejecto procul molimento aliorum, una vobiscum ex omnibus illi a nobis veritas nuntietur.* & cetera, quæ sequuntur in schedis sancti Petri Carnotensis, unde olim descripsimus.

** *IACOBI SIRMONDI ADMONITIO ad lectorem de sequenti epistola.*

Quæ sequitur Ludovici imp. epistola ad Magnum arch. Senonensem, serius ad nos perlata est, quam ut suo loco edi liceret, hoc est post synodum Aquisgranensem anni DCCCXVI. ubi alteram ejusdem Ludovici, ejusdemque argumenti epistolam dedimus ad Sicharium Burdigalensem. Poterat enim illius loco substitui, vel cum illa potius conjungi: quia etsi utriusque idem fuit argumentum, magnum tamen in multis illarum est discrimen, ut neutra carere operæ pretium videatur. Quapropter hoc loco reddendam curavimus *omissam ab editore regio.*

Gloriosissimus Ludovicus superno munere victor semper Augustus venerabili in Christo Magno Senonicæ urbis archiepiscopo in domino salutem.

SICUT vobis nuperrime in sacro conventu, quem Deo annuente Aquisgrani palatio aggregavimus, ubi multa favente Christo ecclesiastice, imo catholice acta sunt, meminimus nos missos nostros, Ermenfredum videlicet & Haymonem, formulam canonicæ institutionis, quam idem sacer conventus ex sanctorum patrum sparsim digestis sententiis colligere, atque in unum congerere studuit. Quam, quia vobis transcribendi angustia temporis facultatem denegavit, studii nostri fuit eam diligenter transcribi jubere, ut absque ulla depravatione aut detruncatione, textus ejus ad vos usque incolumis perferretur. Proinde has litteras ad tuam direximus sanctitatem, per quas jubemus, ut memor admonitionis nostræ, suffraganeos tuæ diœceseos loco & tempore competenti ad te convocare studeas, & eamdem

camdem institutionem per singula capitula coram ecclesiasticis ordinibus prælegi facias, & qualiter eam sacer conventus ob emolumentum animarum instruere salubriter curaverit, patenter edoceas: & his qui canonicæ professionis censentur nomine, secundum ministerium tibi divinitus collatum, & nostræ auctoritatis præceptum, coram memoratis missis nostris observandam percenseas. Eorum autem, qui tardioris sunt ingenii, & eam forte plene intelligere nequeunt, tuo sive comprovincialium tuorum episcoporum dono scientiæ pollentium studio ejus notitia sensibus perfundatur. Nam & tuam nihilominus providam volumus esse beatitudinem, ut eam solerti cura prædicti missi nostri omnes, prout insinuaveris, transcribere absque ulla depravatione & detruncatione præmoneant, quoniam qualiter diligenter studioseque, distincte & aperte transcribatur, illos satis instituimus. Cujus nempe exemplar idcirco in armario palatii nostri recondi fecimus, ut per hoc nolle & inquirere possemus, utrumne ab aliquo negligenter transcripta fuerit: quia, ut comperimus, dum in eodem sacro concilio perlegeretur, antequam coram nobis ab eodem concilio prolata, & necdum mensura cibi & potus plene statuta fuisset, invidi magna ex parte illam detruncantes, quædam capitula inconsulte ex ea transcripserunt. Unde necesse est, ut si aliquem in tua diœcesi tale fecisse repereris; hujuscemodi factum coram provincialium tuorum episcoporum conventu, & coram præscriptis missis nostris frustreris, & hanc authenticam, ut præmisimus diligenter, sicut missi nostri eis insinuaverint, transcribi percenseas. Volumus ergo, ut omnes prælati canonicorum diligenter illam transcribant, studiose intelligant, efficaciter quantum dominus eis posse dederit, ob suam subditorumque utilitatem, opere adimplere procurent. Ut quando nos, sicut in eorum sacro & venerabili concilio generaliter omnibus diximus, missos nostros hujus negotii inquirendi gratia, per universum imperium nostrum Kalendis Septembris venturis direxerimus, omnes prælati videlicet, & subditi, juxta capacitatem & possibilitatem suam, eadem instructione informati atque instructi, ejusdemque operatores inveniantur strenui. Quoniam diligenti indagine, vita comite, inquirere jubebimus, qualiter unusquisque prælatorum ministerium suum expleat, qualiter jussioni nostræ in claustris, & ceteris canonicorum necessariis habitationibus, & in eorum stipendiis dandis, & receptaculis pauperum præparandis obtemperaverint, vel quis clerum suum secundum hujus institutionis normam & cetera spiritalia exercitia, informare studuerit: aut si quis quem eorum, quos in Dei servitio rationabiliter gubernare potuit, causa avaritiæ abjecerit. Quia, ut hæc quæ præmisimus, absque ullius difficultatis oppositione in locis, in quibus facta necdum erant, fieri opportunissime possent, unius anni spatium, sicut nosti, ad hoc peragenda tribuimus. Qui vero hoc annuo tempore nostræ imoque Dei jussioni juxta vires obtemperare neglexerit, ceteris ne talia facere audeant, terrorem procul dubio incutiet. Misimus itaque tibi institutionis formam quam idem sacrum & venerabile concilium ex sanctorum patrum sententiis diligenter excerpsit, & sanctimonialibus in uno collegio canonice degentibus observandam percensuit. Quem sive per te, sive per comprovinciales tuos episcopos, in omnibus tuæ diœceseos puellaribus monasteriis, in quibus canonice vivitur, studiose præscriptam haberi volumus. Sed & hoc decernimus, ut a vobis tam abbatissis, quam ceteris sanctimonialibus tradatur, & qualiter eam tenere debeant vestro studio informentur. Ceterum nisi aliquam abbatissarum quando nos ad præsentiam nostram venire jusserimus, alio tempore volumus ut abbatissæ propriis in monasteriis resideant, & secundum hanc institutionis formam vivere, sibique subjectas gubernare decertent: & nullis illarum per villas residendi, aut foras qualibet occasione accepta evagandi, suisque voluptatibus deserviendi licentiam attribuant. Quamquam enim nonnulli clerici monasteria puellarum, & nonnulli laici monasteria virorum etiam ac puellarum adeant, tua tamen debet providere solertissima industria, ut in omnibus locis sub tua diœcesi constitutis, ubicumque congregationes clericorum & sanctimonialium sunt, juxta possibilitatem & facultatem rerum, secundum hujus institutionis formam vivant. Quia nulla est omnino ecclesia, quæ facultates habeat, ubi non possint tot talesque gubernari, qui divinum expleant officium, & ubi hospitalitas juxta vires non possit diligi. Nos quoque præfatos missos nostros ad tuam sanctitatem ideo direximus, ut tuum, ceterorumque ecclesiasticorum in tua diœcesi consistentium, diligenter atque subtiliter in hoc negotio intuerentur studium, & tibi opem in cæteris commonendis ferrent: qui & nobis referrent, qualiter prælati & prælatæ eam libenter susceperint, diligenterque transcribere studuerint, & devote adimplere juxta vires curaverint: quoniam tamdiu illos in tua vel comprovincialium tuorum diœcesi morari, & discurrere una cum misso tuo jussimus, donec ab omnibus memoratæ formulæ transcriberentur. Ut videlicet cuncta procurantes, diligenterque taxantes, cum ad nos illos redire opere expleto tempus permiserit, cuncta quæ acta sunt vestro utrorumque scripto notentur, atque per ipsos tuumque missum nostræ dignoscentiæ intimentur: ut sciamus quibus gratiarum actoines referre, quosque etiam dignis correptionibus corrigere debeamus. Si vero aliquis tuæ diœcesis eidem institutioni, nostræque admonitioni procaciter reniti voluerit, & ea quæ ab eodem sacro & venerabili concilio constituta atque decreta sunt, quantum dominus eis posse dederit, observare contempserit, præcipimus ut si antea hujusmodi non se correxerit, quicumque ille est, ante præsentiam nostram, tua vel missorum nostrorum admonitione venire festinet: quatenus a nobis juxta quantitatem culpæ digne corrigatur. Direximus præterea tibi pondus & mensuram secundum quam clericis & sanctimonialibus panis & potus æqualiter tribuenda sunt. Quæ ut omnibus firmissime, atque inviolabiliter teneantur decernimus: & ne quid incrementi aut detrimenti a quoquam patiantur modis omnibus inhibemus. Tuam igitur in calce hujus epistolæ admonemus sanctitatem ut secundum ministerium tibi divino munere collatum, nostræ in hoc negotio saluberrimæ admonitioni

"nitioni obedienter atque inexcusabiliter pareas, & ceteris in parendo exemplum bonum tribuas. Dignum quippe est ut quanto sublimius sacerdotii dignitate aliis superemines, & a nobis venerabiliter diligeris, tanto magis ad Dei nostramque voluntatem faciendam, devotiorem te atque promptiorem exhibeas. Vale in domino & ora pro nobis.

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Concilium.* [In hoc provinciali concilio, præter ea quæ habent acta synodalia, sanctus Menulphus Paderbornensis ecclesiæ diaconus egregia sanctitate clarissimus, accepit licentiam ædificandi monasterium pro virginibus canonicis regularibus. Gobelinus in actis Menulphi.

b *Aquisgranense.*] Sic dictum ab Aquisgrano, quæ nomen sumpsit ab aquis calidis sive thermis in plano campo ibi repertis, unde Aquisgranum idem significare videtur, quod aqua Grani, quod nimirum Granus secus thermas illas nobile magnificumque extruxit ædificium: unde Ligurin. lib. 1.

——— pervenit ad illum
Vsque locum, cui nomen Aquis posuere priores

Postea ab Attila Hunnorum rege misere olim vastata, ac gravia perpessa; a Carolo vero magno imperatore non solum restaurata, sed & ampliata auctaque, omnibusque modis nobilitata ac ornata est, constituens eam cis Alpes imperii, regnique Gallici primariam sedem, ac perpetua lege ordinans Romanos reges electos designatosque in ea urbe corona ferrea, Mediolani argentea, Romæ aurea coronandos. Idem imperator reduxit civitatem hanc ad fidem Christianam, extruxitque insigne illud templum auro argentoque ornatum: præterea & palatium insigne, quod anno DCCCLXXXI. a Northmannis exustum est, illæso omnino templo. Obiit quoque hic Carolus magnus, sepultusque est in templo sanctæ Mariæ, de quo templo ita canit Celtes lib. 3. amor.

Quaque patent celsa Genitricis templa Tonantis,
Sanctius in nostro queis nihil orbe micat.

Epitaphium Caroli magni est tale:

SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPVS CAROLI MAGNI ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS, QVI REGNVM FRANCORVM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVI. FELICITER TENVIT. DECESSIT SEPTVAGENARIVS ANNO DOMINI DCCCXIV. INDICTIONE VII. KAL. FEBR.

Vrbs est nobilissima, aere fruitur saluberrimo, agroque gaudet circum pulcherrimo, quamquam quoad ædificia habitationesque attinet, nequaquam veteri famæ, nobilitati, splendorique respondeat. Balnea thermasque tam intra urbis mœnia, quam extra, e terra erumpentibus aquis natura calidis habet multis diversisque morbis apprime utiles.

"** IN VERAM AC SINCERAM NULLISQVE ADSCITITIIS ACCESSIONIBVS interpolatam Chrodogangi Metensis episcopi Regulam Canonicorum,

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE.

Ex codice manuscripto vetustissimo e Palatina Heidelbergensi bibliotheca in Vaticanam translato descriptum, missumque Roma studio eminentissimi principis Francisci Cardinalis Barberini exemplar habuimus. Illud Lector, collatum tibi offerimus, non solum cum apographo nostro ope R. P. Iacobi Sirmondi ex codicibus Andegavensi ac Fiscanensi jamdudum expresso, sed etiam cum excusis a D. Luca Dacherio O.B. tomo 1. spicilegii. Ex illa vero diligenti sedulaque collatione didicimus, argumentisque validissimis evincere parati sumus, hanc, quam primi nos publicæ luci damus, canonicorum, ut vulgo appellari solent, regularium normam, illam ipsam esse quam Metensibus suis canonicis specialiter Chrodegangus proposuit. Vulgarem autem quæ extat, ab anonymo quopiam, ut esset omnibus per orbem Christianum diffusis canonicis, communis, nec uni dumtaxat civitati affixa, primum quidem spoliatã fuisse iis omnibus, quæ ad solos Metenses spectare videbantur, tum deinde adscitis undecunque mutatoque in plerisque priori ordine non satis commode assutis præceptionib. regulari canonicorum instituto congruentibus, præsertim ex Aquisgranensi concilio anno 816. celebrato, locupletatam censeo. Neque tu, si utramque opellam conferre volueris, aliud opinor, judicabis.

DE CHRODOGANGO EIUSQUE REGULA VETERUM TESTIMONIA.

Sigebertus Gemblacensis de Script. ecclesiasticis Cap. LXXVIII.

Chrodogangus Metensis episcopus, Pippini regis ex sorore nepos, nobilitatem generis nobilitans fervore sanctæ religionis, scripsit regulam, quam specialiter Metensis ecclesiæ clericis observandam dedit. *Aliam ergo ab ea qua excusa est, id est, nostram, qua Metensis civitatis pluribus in locis apertissima prafert vestigia.*

Paulus diaconus libro de episcopis Metensis ecclesia. Tomo II. scriptorum Francicorum.

IAm hinc vir egregius & omnibus præconiis efferendus Chrodogangus antistes eligitur, ex pago Hasbaniensi oriundus patre Sigrammo, matre Landrada Francorum ex genere primæ nobilitatis progenitus. Hic in palatio majoris "Karoli ab ipso enutritus, ejusdemque referendarius extitit: ac demum Pippini regis temporibus pontificale decus promeruit. Fuit autem omnino clarissimus, omnique nobilitate coruscus, forma decorus, eloquio facundissimus, tam patrio quam etiam latino sermone imbutus, servorum Dei nutritor, orphanorum viduarumque non solum altor, sed & clementissimus tutor. Cumque esset in omnibus locuples a Pippino rege, omnique Francorum cœtu singulariter electus Romam directus est, Stephanumque venerabiliter papam, ut cunctorum vota anhelabant ad Gallias evocavit. Hic clerum adunavit, & ad instar cœnobii intra claustrorum septa conversari fecit, normamque eis instituit, qualiter in ecclesia militare deberent: quibus annonas vitæque subsidia sufficienter largitus est, ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis solummodo officiis excubarent. Ipsumque clerum abundanter lege divina, Romanaque imbutum cantilena, morem atque ordinem Romanæ ecclesiæ servare præcepit: quod usque ad id tempus in Metensi ecclesia factum minime fuit. *Tum pluribus aliis prætermissis qua ad fundatas ab eo ecclesias spectant:* Rexit ecclesiam Metensem annis viginti tribus, mensibus quinque, diebus quinque. Obiit pridie Nonas Martias in diebus Pippini regis: requiescit in Gorzia monasterio, quod ipse a fundamentis extruxit.

" Ita Ma[…] cellus, […] & Tude[…] d citur, […] discri[…]ne[…] Caroli m[…] gni ejus[…] nepotis.

Anastasius S. R. E. Bibliothecarius in vita Stephani PP. III.

DVm valide a Longobardorum rege civitates & provincia ista Romanorum opprimerentur, subito conjunxit missus Pippini, regis Francorum nomine Chrodigangus Abba, per quem misit in responsis omnem voluntatem ac petitionem prædicti sanctissimi papæ se adimplere. *Et paulo post.*

Extemplo & missi jam fati Pippini regis Francorum conjunxerunt; id est Chrodogangus episcopus, & Autcharius dux, quatenus prædictum sanctissimum papam, juxta quod petendo miserat, ad suum in Franciam regem deducerent.

Et sub finem. Et dum in Francia esset positus, Chrodigango sanctissimo viro episcopo pallium tribuit, & archiepiscopum ordinavit.

"** INCIPIT PROLOGUS REGULÆ CHRODOGANGI EPISCOPI.

Temporibus piissimi ac serenissimi regis Pippini, Chrodogangus servus servorum Dei Metensis urbis episcopus.

SI trecentorum decem & octo reliquorumque sanctorum patrum canonum auctoritas perduraret, & clerus atque episcopus secundum eorum rectitudinis normam viverent, superfluum videretur a nobis exiguis minimisque, super hac re tam ordinate disposita aliquid" retractari, & quasi quidem novi aliquid dici: sed dum pastorum, subditorumque negligentia & his temporibus nimium crevit, quid aliud agendum nobis est, qui in tam gravi discrimine venimus, nisi ut quantum possumus, si non quantum debemus, ad rectitudinis lineam, Deo inspirante, clerum" nostrum reducamus.

Retracta[…] aut dicer[…]

"De Met[…] tantum c[…] gitaba[…]

Igitur

Igitur quamvis indignus adeptam hujus sedis A pontificalem cathedram, cumque officij mei pastoralis curam invigilare cœpissem, & in tantam negligentiam, clerum plebemque devenisse conspicerem, cœpi mœstus" conqueri, quid agere deberem: sed divino fultus auxilio, fratrumq; spiritualium consolatione adjutus" volui necessitate compulsus parvum decretulum facere, per quod se clerus ab illicitis coerceat, vitiosa deponat, mala diu longeq; usurpata derelinquat; ut dum mens ab assuetis vitiis vacuatur, facilius" quæ bona optimaque sunt inserantur.

Scripturis enim sacris" nitentes decernimus, ut omnes sint unanimes, officiis divinis lectionibusque sacris assidui, atque ad obedientiam episcopi sui præpositique, ut ordo canonicus deposcit, parati, caritate connexi, zelo bono " ferventissimi, amore conjuncti, a litibus vel scandalis seu odio semoti. Pastor eorum quilibet fuerit, non solum de carnalibus, sed etiam de spiritualibus curam gerat, & in utraque parte sagacissimam sollicitudinem, in quo facultas fuerit, habeat: ut & vitia reprimat, & ea radicitus, ut oriri cœperint, ut prævalet, amputare festinet; & quod usibus humanis, juxta formam subter dispositam, necessarium fuerit, eis præbere audeat. Vt cum pastor pastorum judexque vivorum & mortuorum Christus in ultimo tremendoque die in sede majestatis suæ disceptaturus cum omnibus gentibus sederit, & omnis clerus eum revelata facie conspexerit; & si non cum summis pastoribus & gregibus sibi commissis pro dispensatis talentis multiplicatisque spiritualibus lucris, audire merebimur: *Euge serve bone & fidelis*: vel saltem hoc concedatur, ut delictorum venia ad integrum tribuatur. Quia manifestum est, quibus peccatorum venia ad integrum tribuitur, regni introitus non negatur: quia nec infelix potest judicari, cui contigerit qualemcumque partem in paradiso habere: Sed illis ibidem sors datur, qui in quantum possunt per vitæ meritum ad hoc in hujus D temporis curriculo, dum licet currere festinant.

Intendamus ergo ad hoc animum quantum possumus; quia non possumus quantum debemus: & vita nostra ad tempus amarescat in pœnitentia, ne ultio divina, quæ nunc mitis est & expectat, post sæviat ad vindictam.

EXPLICIT PROLOGVS.

INCIPIVNT CAPITVLA.

In excusis desunt cum duo postrema capita, tum etiam ex superioribus nonnulla alia (quam pluribus aliunde ab incerto interpolatore postea adiectis.

INCIPIT REGVLA CHRODOGANGI METENSIS EPISCOPI.

Cap. 1. *De humilitate.*

CLamat nobis scriptura divina: *Omnis qui se exaltat humiliabitur; & qui se humiliat exaltabitur.* Et, quãtum enim humilior fueris, tantum te sequitur gloriæ altitudo. Et; *quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Omnis qui arrogans, immundus est coram domino: quemcumque enim superbum videns, filium diaboli esse non dubites: & " quem humilem perspexeris, Dei filium esse omnino credere debes. De multis enim pauca perstrinximus, ut animos vestros ad amorem humilitatis provocemus" & a detestabili inimicaque Deo superbia retrahamus. Nam dum omne genus humanum Christianorum, atque omne vulgus humilitatem habere conveniat, nimis iniquum pessimumque ac detestabile est, ut qui servitio Dei peculiarius se junxerunt, humilitatem derelinquant

Margin notes: inqui- | ue re- | atic- | ovo- | na & na | ue | iente | ventis- | ique | e | Ib. 25. | Luc. 14. | Iac. 4. | Prov. 16. | " quemcumque | "detestabilem inimicamqueDei superbiam ab eis retrahamus.

derelinquant, & superbiæ, vel diabolicæ tyrannidi se socient. Idcirco necesse est, ut qui suadente diabolo usque nunc superbus atque elatus vultu " vixit, inantea, Deo auxiliante, per humilitatem atque caritatem vel obedientiam, seu per reliqua bona Dei præcepta, resurgat; quia multo melius est per humilitatem cum Christo in cælestibus regnare, quam cum diabolo per superbiam in inferno cum reliquis contemptoribus demergi.

" Christus in humilitate, diabolus in superbia sedet.
" & vultu rigidus

Cap. II. *De ordine congregationis Canonicorum.*

B ORdines suos canonici ita conservent, ut " ordinati sunt in gradibus suis secundum legitimam institutionem Romanæ ecclesiæ, in omnibus omnino locis, id est in ecclesia, vel ubicumque insimul se conjunxerint, & ratio præstat; exceptis his, quos episcopus in altiore gradu constituerit, vel degradaverit certis ex causis; reliqui omnes, ut diximus, ita ut ordinati sunt, ordines suos custodiant. Iuniores igitur priores suos honorent: Priores " juniores suos in Deum diligant.

" Et hoc & quædam alia ex regula S. Benedicti expressa notavit D. Dacherius
" Minores

In ipsius " autem appellatione nominis nulli liceat alium puro nomine appellare, sed secundum constitutionem sanctæ ecclesiæ sedis apostolicæ vocet eum nomen suum, prius addito & ministerii sui gradu, qualiscumque fuerit. Vbicumque autem se obviaverit " clerus junior, inclinatus a priore benedictionem petat; & si sedentem invenerit, transeunte majore minor surgat, & det ei locum sedendi, nec præsumat junior consedere, nisi ei præcipiat senior suus; ut fiat quod scriptum est: *honore invicem prævenientes.*

" ipsorum
C
" Clerus, junior inclinetur & a
Rom.12.

Pueri parvi, vel adolescentes in oratorio, vel ad " mensas cum disciplina ordines suos custodiant, foras autem, " ubi & ubi custodiam habeant disciplinam.

" Missas
" Et ubicumque fuerint

Cap. III. *Vt in illa claustra omnes in uno dormiant.*

ITa instituimus ut in illa claustra ille clerus canonicus, qui sub ipso ordine, Deo adjuvante, vivere debent, ut omnes in uno dormiant in dormitorio, præter illos quibus episcopus licentiam dederit, secundum quod ei rationabiliter visum fuerit, ut in ipsa claustra per dispositas mansiones dormiant separatim, & per singula lecta singuli dormiant, & in dormitorio similiter separatim dormiant mixti cum senioribus, propter prævidentiam bonam, ut seniores prævideant quod juniores secundum Deum agant. Et in ipsa claustra nulla fœmina introeat, nec laicus homo, præter tantum si episcopus, aut archidiaconus, vel primicerius jusserint. Vt in refectorio pro refectionis causa veniant, relinquant arma sua ante refectoriū, & statim cum exierint de refectorio ducantur foras claustra: & si necesse fuerit ad opera facienda
E intrent ibi laici homines, at ubi perfectum habuerint opus suum, cum summa festinatione egrediantur foras: & præter causam necessitatis, si coqui clerici desunt & opus fuerit, laici coqui ad coquinandum tantum ingrediantur, expleto ministerio suo cum celeritate exeant foras.

D

Et per illas mansiones ipsi clerici canonici nullum clericum eorum habeant sine præcepto episcopi sui: & si permiserit ut habeant, sic sit conversatio illorum cum humilitate & Dei timore, qualiter nec Deo, nec episcopo displiceant, nec illis,

A qui sub sua manu ipsam congregationem regunt. Et si aliter fecerint, ille qui præest aut excommunicet eos, aut corporalem disciplinam accipiant. Et in ipsas mansiones intra ipsa claustra, nec clericus, nec laicus bibere, nec manducare nec dormire non præsumant, nisi ipsi clerici qui in ipsa congregatione sunt, aut illi clerici, qui ibidem in ipso claustro per jussionem episcopi sui senioribus suis deserviunt. Et qui de ipso clero unum clericum in ipsa claustra, ut diximus, habuerit, hoc prævideat, ut planetam cum reliquis vestimentis habeat, & diebus dominicis, vel reliquis festivitatibus in ecclesia Dei vestiti in ordinibus suis stent.

Cap. IV. *De completorio, vel taciturnitate.*

VT ad completorium omnis clerus, qui in ipsa congregatione est, veniat, & omnino omni tempore incipiente nocte primum signum ad completorium sonet: & cum primitus illud signum, qui ad hoc ordinatus fuerit, auditum fecerit, statim ubicumque fuerint ad eorum claustra veniant: & cum iterum ipsum signum audierint, sic omnes in ecclesia " sancti Stephani sint, & tunc in Dei nomine completorium cantent. Et postquam completorium cantatum habuerint, postea non bibant, nec manducent usque in crastinum legitima hora; & omnes silentium teneant, & nemo cum altero loquatur usque mane post primam cantatam, nisi si necesse fuerit, & hoc cum suppressione vocis cum grandi cautela, ut de illa alia mansione, quæ juxta est sua vox non audiatur; & qui de illis ad completorium non fuerit, postea illam noctem non præsumat illa ostia tundere, nec per ullum locum in ipsa claustra ingredi, antequam ad nocturnas veniant. Nec archidiaconus, nec primicerius, nec ille ostiarius ullum commeatum exinde donare possint, ut post completorium aliquis ibi ingrediatur, nisi ad nocturnas; nisi tantum si talis causa evenerit, quod necesse sit, ut hoc ille archidiaconus, vel primicerius, vel qui tunc temporis exinde prævideris ad illum episcopum possit dicere pro qua causa hoc factum fuisset, & si ita est quod necesse sit, tunc licentiam habeaut introeundi & exeundi. Et si contigerit, ut opus sit post completorium aliqua causa in claustra nunciare, tunc ad illum custodem de sancto Stephano veniat, & illi patefaciat, & ipse hoc in claustra nunciet. Et si (quod absit) evenerit, ut ullus de ipso clero, qui ante completorium in civitate venerit, aut antea ibidem fuerit; quod si ausus vel præsumptuosus, aut negligens suadente diabolo fuerit ut in civitate aliqua nocte alicubi maneat, nisi in sua claustra; si una vice hoc fecerit, si pro vitio factum non est, verbis corripiatur: & si iteraverit ipse clericus, tunc ipso die sit in pane & aqua: & si tertia vice hoc fecerit, tres dies in pane & aqua sit: & si amplius hoc facere præsumpserit, corporali disciplinæ subjiciatur, sic, ut ceteri timeant: & si aliquid suadente diabolo per hoc retardaverint, ut ante completorium in civitatem non veniat, ut licentiam haberet foras claustra esse, & hoc episcopus, aut archidiaconus, vel primicerius investigare potuerint, ille clericus qui hoc vitium fecerit, aut excommunicetur, aut corporali disciplinæ subjaceat.

" Hæc Metensis urbis primaria basilica.

Cap. v. *De officiis divinis in noctibus.*

HYEMIS tempotibus, idest a kalendis Novembris usque in Pascha, juxta considerationem rationis" amplius de media nocte pausetur, & jam digesti ad vigilias surgant: finitis nocturnis dicant versum", *Kyrie eleison* & orationem dominicam, & faciant intervallum; excepto diebus dominicis & festivitatibus sanctorum, juxta considerationem episcopi, vel qui sub eo "sunt, id est, quadraginta, vel quinquaginta psalmos possit cantare, qui hoc ordinat, aut cum ei visum fuerit & hora permiserit. Et qui psalterium, vel lectionem aliquid indigent " meditationem inserviant, & meditent in ipso intervallo qui possunt capere, & qui non possunt in ecclesia omnes, aut cantent, aut legant; & non præsumat aliquis in ipso intervallo dormire, nisi infirmitate cogente, & hoc per commeatum faciant: & qui aliter fecerit excommunicetur; reliqui omnes ordinem vigiliarum teneant usque ad matutinas dictas. Hora prima omnes in ecclesia sancti" Stephani cantent primam.

Cap. vi. *Ut omnes horas canicas ad officium divinum veniant.*

AD horam divini officii " mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus, " qui sic propinquo de illa domo sunt ibidem occurrere possint, cum summa festinatione veniant; & si longe ab ipsa ecclesia aliquis fuerit, ita ut ad opus Dei per horas canonicas occurrere non possit, archidiaconus ita esse perpendit, agat opus Dei cum tremore divino ubi tunc fuerit; & prævideat archidiaconus, vel primicerius, vel custos ecclesiæ, ut illa signa horis competentibus sonent.

Cap. vii. *De" disciplina psallendi.*

UBIQUE credimus divinam esse præsentiam, & oculos domini speculari bonos, & malos; maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus divinum adsistimus; & ideo semper memores simus quod ait propheta: *Servire domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Et iterum: *Psallite sapienter.* &; *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Nam si, cum" hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus nisi cum humilitate & reverentia; quanto magis domino Deo universorum cum omni humilitate & puritatis devotione supplicandum est? Illud" in timore curavimus, secundum quod Romana ecclesia tenet, & nostra synodus judicavit, ut clerus noster in ecclesia, quando ad opus divinum adsistit, nisi infirmitate cogente, baculos in ecclesia manibus non teneant.

Cap. viii. *Ut ad capitulum quotidie veniant.*

NECESSE est, ut quotidie omnis clerus canonicus ad capitulum veniant, & ibidem Dei verba audiant, & istam institutiunculam nostram, quam propter illorum utiliterem ad eorum animas salvandas, Deo auxiliante fecimus, unoquoque die aliquod capitulum exinde relegant; præter tantum die dominico, & feria quarta, & sexta: tractatus & alias homilias, vel

A quod ædificet audientes ad capitulum legant. Ideo autem quotidie ad capitulum omnes venire constituimus, ut & anima verbum Dei audiat, & quod episcopus, vel archidiaconus, vel quilibet tunc præesse videtur, ibidem, quod jubere habet, jubeat; & quod corrigere, corrigat; vel quod faciendum sit, ordinare studeat. Ipsi autem clerici cum de prima cantata ad mansiones vadunt, statim sibi parare festinent, ut quando signum audierint ad capitulum parati cum celeritate veniant; & omnis clerus, qui foris claustra esse videtur, & in ipsa civitate consistunt, omnibus diebus dominicis ad capitulum veniant parati cum planetis, vel vestimentis of-
B ficialibus, sicut habet ordo Romanus. Et in ipsis diebus dominicis, vel festivitatibus sanctorum præclaris omnis ipse clerus, ut diximus, qui foras claustra est, ad nocturnas, & ad matutinas veniant, & ipsis diebus, stationibus suis parati custodiant, ut unusquisque in officio suo stet, donec missa peragitur; & si aliter fecerint ab archidiacono, vel primicerio excommunicentur, aut etiam si necesse fuerit corporali disciplinæ subjaceant. Et in ipsis diebus dominicis, ut diximus, & festivitatibus sanctorum præclaris, omnes in refectorio cum alio clero reficiantur ad mensas, quæ eis ordinatæ fuerint.

Cap. ix *De" opera manuum quotidiana.* "opere quotidiana

C OTIOSITAS" inimica est animæ, propter ea decernimus, ut ad jussionem episcopi, vel archidiaconi, seu primicerii, vel qui ab ipsis ordinantur, clerus de capitulo ad opera, ubi eis injungitur, exeant, & cum bono animo absque murmuratione obedientiam suam expleant; & quando communem operam non est necesse facere, postea unusquisque quod opus habet faciat. "usque deque vertit omnia interpolator

Cap. x. *De proficiscentibus in itinere.*

D QUICUMQUE ex clero in itinere cum episcopo, vel alicubi proficiscuntur, ordinem suum, inquantum iter vel ratio permiserit, non negligant. Et non eos debent præterire horæ constitutæ, tam de officiis divinis, quam aliunde.

Cap. xi. *De zelo bono, quem debent servi Dei habere."* "invicem.

SICUT est zelus amaritudinis malus, qui separat a Deo, & ducit ad infernum, ita est zelus bonus, qui separat a vitio, & ducit ad dominum & vitam æternam. Hunc ergo zelum ferventissimo amore exerceant servi Dei, idest,
E ut honore se invicem præveniant, & infirmitates suas sive corporum, sive morum patientissime tolerent; & si qua vitia "reprimenda sunt, vel castigatio adhibenda, cum his quibus hoc commissum est videre in bonitate consentiant, & ' *adjutores Dei*, ut ait apostolus, existant; qualiter vitia, si orta fuerint, possint destruere, ad meliorem statum unumquemque provocare: quia scriptum est: *Qui diligitis dominum odite malum:* Psal. 95. Nam, *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Nam ille animam suam bene diligit, qui se custodit, & alios ad exemplum bonæ conversationis & verbis & operibus" trahit.

"reperta fuerint

"Hinc supplenda editio vulgata

"mendose in editis tradit.

Cap. XII. *Ut non præsumat alter alterum cadere, aut excommunicare.*

VETETUR in hoc canonico ordine omnis præsumptionis occasio; jubemus atque instituimus, ut nulli liceat quemquam parem suum excommunicare aut cædere: quamvis aliquis sua præsumptione ipsum adhoc " irritet; aut in verbis, aut in factis non est suum " adjudicare, sed ad priorem veniat: ille secundum ordinem ipsam causam definiat; & qui hoc facere præsumpserit, ab episcopo, vel ab eo qui sub ipso est, judicetur.

" incitet
" advindicare

Cap. XIII. *Ut in congregatione" clericorum non liceat alteri alterum defendere.*

" canonicorum

OMNIMODIS cavendum est, ut pro nulla occasione præsumat alter alium defendere, nec quasi parentelæ obtentu, aut aliqua amicitia, aut familiaritate, id a canonicis præsumatur: quia gravis occasio scandalorum in congregatione ex hac causa oriri solet. Quod si quis hæc trangressus fuerit, acrius coerceatur, ut ceteri timorem habeant.

Cap. XIV. *De confessionibus.*

Psal. 36. HORTATUR nos scriptura dicens; *Revela domino viam tuam & spera in eum.*
Psal. 105. Et iterum dicit: *Confitemini domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.*
Psal. 31. Et iterum propheta ait; *delictum meum cognitum tibi feci, & injustitias meas non abscondi:*
Ibidem Et iterum; *dixi pronuntiabo adversum me injustitias meas domino; & tu remisisti impietatem peccati mei:* Et item.
Jac. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra, ut deleantur.* Et alibi;
Prov. 28. *qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem ea confessus fuerit, salvavit animam suam a morte.*
Matt. 3. Et dominus in euangelio dicit; *Agite pœnitentiam, adpropinquat enim regnum cœlorum.* Ergo necesse est, ut dummodo suadente diabolo multa contra voluntatem Dei, vel contra Dei præceptum commisimus, ut per veram confessionem, & veram " emendationem, sicut scriptura docet, emendare debeamus. Sancti Patres, qui perfecti fuerunt, ita constituerunt, ut " de præsente, cum aliqua cogitatio mala in corde servorum Dei, suadente diabolo, evenerit, statim per humilem confessionem " suo priori confiteri deberent.

" humilitatem
" deinceps
" cito episcopo vel priori

" Nos modo desidiosi & fragiles, quamvis per totum eorum vestigia non sequamur, necesse est ut vel ex aliqua parte, juxta quod Deus possibilitatem nobis dederit, eorum vestigia imitemur; ut per veram confessionem, regnum Dei habere mereamur. Ita constituimus ut in anno, vel binas vices clerus noster confessiones suas ad suum episcopum pure faciat; eis temporibus, una vice in initio quadragesimę ante pascha, illa alia vice a medio mense Augusto usque Kalend. Novembris; inter " his diebus cum episcopus licentiam habuerit, & cui necesse fuerit, alio tempore suā confessionem ad episcopum, vel ad alium sacerdotem cui episcopus decreverit facere, quandocumque voluerit & opus habet, faciat. Et cui peccata non impediunt de clero omnibus diebus dominicis & festivitatibus præclaris debent corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi accipere: quia dominus in euangelio dicit; *qui*

" Quę sequuntur in editis desiderantur.
" hos dies

A *manducat carnem meam & bibit sanguinem meum in me manet & ego in eo:* Nam si indigne quis sacrosancte mysteria sumpserit, hic *judicium sibi manducat & bibit.* Et si ullus de clero, quod absit, quando suam confessionem suo episcopo facit, ut sic repletus sit spiritu diabolico quod ausus sit de suis peccatis aliqua suum episcopum cælare: & vadit quasi per alios sacerdotes suas confessiones donando, & vult suum episcopum abscondere scelera sua; quia timet ut removeat eum episcopus de gradu: & si adhuc in gradu non est, non accedat ad gradum, vel " ad corpus domini promoveat eum, aut illa vitia debeat persequi. Si episcopus hoc per quodlibet ingenium investiga-
B re potuerit, & adprobatum ei fuerit, corporalem disciplinam, vel carcerem patiatur, vel aliud quod episcopo visum fuerit, juxta modum culpæ, ut ceteri metum habeant, & in tale scelus non cadant: quia, " Nimis improbus est, qui ante Dei oculos peccat, & homini confiteri erubescit, ubi Deo miserante de ipso peccato debet accipere consilium sanitatis.

Ioan. 6.
1. Cor.
" f. a corpore domini removeat eum
" Hoc apophthegma non omisit subjunger. interpolator sed altera parte mutilum.

Cap. XV. *De gravioribus culpis.*

SI quis clericus de ordine canonico " graviores culpas commiserit; id est homicidium, fornicationem, adulterium, furtum, vel his simile
C unum ex principalibus vitiis commiserit, corporali castigationi primitus subjaceat: deinde quanto tempore vult episcopus, vel qui sub eo sunt, carcerem vel exilium patiatur; sciens illam terribilem sententiam apostoli dicentis; *Tradere hujusmodi hominem in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die domini.* Et dum in ipso carcere est, nullus ex clero in nullo ei jungatur consortio, neque in colloquio, nisi cui prior jusserit: solus persistens in " pœnitentiæ luctu quandiu priori visum est.

" graviori culpę crim.
1. Cor 5.
" pœnitentia luctum.

Egressus de carcere, si episcopo, vel qui sub eo sunt, visum fuerit, agat adhuc publicam pœnitentiam; idest, suspendatur ab oratorio simul &
D a " missa, & omnibus canonicis horis veniat ante ostium ecclesiæ, ubi prior jusserit jacens prostratus omni corpore ante ipsum " limen ecclesiæ, usque dum ingrediuntur omnes, & postea erigat se, stet foras ecclesiam ante ipsum ostium, impleat ibi officium suum in quantum potest. Egredientibus de ecclesia similiter prostratus jaceat, usque dum omnes egrediuntur foras: & jacens, vel stans ante ipsum limen cum nullo homine loquatur.

" mensa
" limitem in edit. minus recte

De abstinentia vero, quandiu, vel qualiter episcopo visum fuerit, vel qui sub eo sunt, mensura, vel hora, qua ei viderit competere: neque ia quoquam benedicatur, usque dum reconcilietur. "
E Qui dum vocatus venerit ad reconciliandum ante episcopum vel clerum cum omni humilitate prostratus omni corpore in terra petat ab omnibus in veniam; & episcopus secundum ordinem canonicum eum reconciliet.

" Sequentia cum cap. 16. præmisit interpolator

Cap. XVI. *De his, qui sine jussione junguntur excommunicatis.*

SI quis frater aliquid præsumperit sine jussione episcopi, vel qui sub eo sunt, clerico excommunicato quolibet modo se jungere, aut loqui cum eo, aut mandatum ei dirigere, aut litteras, subcjiciatur excommunicationis vindictæ.

Cap. XVII. *De excommunicatione culparum.*

SI quis clericus contumax, aut inobediens, aut superbus, aut ebriosus, aut detractor, aut contradictor, aut rebellis, aut contentiosus, aut murmurans, aut indictum jejunium transgressus fuerit, aut ad crucem stare jussus contempserit, aut increpatus veniam non petierit, aut in aliquo contrario consistens huic parvulæ institutiunculæ & præceptis episcopi, vel qui sub eo sunt, contemptor repertus fuerit; hic secundum domini nostri præceptum admoneatur semel & " secundo secreto a senioribus suis. si non emendaverit, objurgetur publice coram omnibus. si vero neque sic se correxerit; si intelligit qualis pœna sit, excommunicatione subjaceat, sin autem improbus est, aut minus intelligens, vel incorrigibilis, vindictæ corporali subdatur.

Cap. XVIII. *De his, qui in quibusdam levioribus" delinquunt.*

SI quis in clero ad opus Dei, vel ad mensam tarde occurrerit, aut pro aliqua causa senior suus psalmodiam vel missas cantare ordinaverit, & hoc minime impleverit, & si fregerit quidpiam aut perdiderit, vel aliud quid excesserit:& non veniens continuo ante episcopum, aut qui sub ipso sunt, ipse ultro satisfecerit, & " prodiderit delictum suum, dum per alium cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi, secundum modum culpæ, sicut episcopo, vel qui sub eo sunt, visum fuerit: Nam si ipse sponte confessus fuerit, leviori subjaceat emendationi, ut diximus, secundum modum culpæ."

Cap. XIX. *Qualis debeat esse modus excommunicationis.*

SECUNDUM modum culpæ excommunicationis vel disciplinæ debet extendi mensura: qui culparum modus in episcopi pendet judicio, vel qui sub eo sunt. Neque enim ii qui in gravibus peccatis incedunt, vel hi qui in levibus quibusdam delinquunt, æqualiter judicandi sunt; sed secundum morbum adhibenda est medicina: quia, nec pius medicus sanat vulnera, nec qui accipere spirituale medicamentum renuerit, sanitatem spiritualis medicamenti consequi potest.

Cap. XX. *De quadragesima observationibus.*

LICET omni tempore vita Christianorum simplex debet esse & sobria, maxime tamen religiosis mentibus convenit, ut his diebus continentius vivant, & sedula servitute Deo adhærere contendant. Ideoque decernimus, in illis quadraginta diebus ante pascha cum omni puritate mentis & corporis noster clerus, Deo jubente, in quantum potuerit se custodiat. De cibi autem & potus perceptione, inquantum Deus auxilium dederit, parcitatem habeant; Id est, ut quotidie, exceptis dominicis diebus a capite quadragesimæ usque ad sanctum pascha post dictam vesperam in refectione semper reficiant; & ab illis cibis se abstineant, vel potu, sicut episcopus cum ratione constituerit. Et alicubi, neque in ipsa civitate, neque in monasteriis, vel quibuslibet locis vel domibus propriis his quadraginta diebus reficiant: nisi forte, si " longe fuerit, ut hora competente ad cibum suum accipiendum cum fratri-

A bus adesse non potuerit; tunc propter illam necessitatem licentiam habeat talem cibum sumere, sicut reliquus clerus; & hoc provideat ut horas competentes non antecedat.

Lectioni vero fratres in hac quadragesima " a prima dicta usque ad tertiam plenam vacent; & foras claustra, nisi tantum per illas ecclesias, quæ infra domum sunt, non egrediantur: nisi si necesse fuerit, & episcopus, aut qui sub ipso est, judicaverit, ut fiat quod fiendum est. Et post tertiam tunc temporis capitulum habeant.

A pascha autem usque ad Pentecosten bis in die reficiant, & carnem manducandi licentiam habeant, nisi pœnitentes, præter tantum " sexta feria. A Pentecoste vero usque ad nativitatem sancti Ioannis Baptistæ similiter bis in die reficiant, B & a carne abstineant usque ad ipsam missam. A nativitate vero sancti Ioannis usque ad transitum sancti Martini, ita sicut antea bis in die reficiant, quarta, & sexta feria a carne abstineant. Ab ipso vero transitu sancti Martini usque ad natalem domini a carne omnes abstineant & usque ad nonam jejunent omnibus his diebus, & in refectorio reficiant. Post natalem domini usque in caput quadragesimæ, secunda, & quarta, sextaque feria in refectorio ad nonam reficiant, reliquis his diebus duabus vicibus in eodem refectorio reficiant. A carne vero quarta & sexta feria his temporibus abstineant. Et si dies festus in his duabus feriis talis venerit, si permiserit prior, carnem man- C ducent.

Pro infirmitate vero cleri nostri consideravimus, ut si in quarta vel sexta feria, seu in reliquis aliis temporibus; quales constituimus ut a carne abstineant, necesse est, licentiam habeat episcopus, aut qui sub ipso sunt, pro eorum infirmitatibus, vel necessitatibus, aut festivitatibus considerationem mittere, sicut ille præviderit quod bene sit.

Mihi autem Anghilramno archiepiscopo, atque cappellano excellentissimi regis Caroli addi placuit, quia dum nos & clerus noster a pentecoste usque ad octavas ipsius pascha secundum, vel adventum Spiritus sancti devota mente celebrare videmur, ut his sacratissimis octo diebus D clerus sancti Stephani protomartyris, vel noster, licentiam habeat carnem edendi; exceptis illis, qui pro compendio animarum suarum & pœnitentia indicta se abstinere voluerint.

Cap. XXI. *De mensis ordinandis.*

PRIMA mensa episcopi cum hospitibus & cum peregrinis sit, & ibidem archidiaconus, vel quibus episcopus jusserit, sedeant. Secunda mensa cum presbyteris. Tertia cum diaconibus. Quarta cum subdiaconibus. Quinta cum reliquis gradi- E bus. Sexta cum abbatibus, vel quos jusserit prior. In septima reficiant clerici canonici, qui extra claustra in civitate commanent, in diebus dominicis, vel festivitatibus præclaris. Cum autem hora reficiendi venerit, & signum ad refectorium sonuerit, tunc fratres cum festinatione illuc adveniant, & simul in refectorium introeant, simulque orent, & versum dicant; & cum episcopus, vel alius sacerdos benedictionem super mensas tradiderit, omnes, *Amen*, respondeant: & ut dispositus ordo est, unusquisque ad suam mensam accedat.

Clerus vero in refectorio omnino silentium teneat interim quod exinde foras egrediuntur; qualiter illam lectionem divinam possit audire & in corde

Marginal notes (left): ... sisad- ... guis, ... icator, ... or, fur, ... pator, | ... & ter | ... ipis | ... celaverit | ... a quæ- ... texuit ... rpola- | ... utilitatis causa

Marginal notes (right): " exceptis diebus dominicis suis | " & postea faciat quod congruum fuerit, sive in legendo, sive in operando *In editis cap. 35. hic additur titulus*: De temporibus, in quibus semel aut bis in die clericis reficiendum est " vulg. addit quartam | " Prætermisit interpolator, & quæ videntur a successore Chrodegangi Angelramno postaddita, quæ specialem Metensium regulam, etsi alia omnia deessent, plane arguunt. | Totum hoc caput in editis deest.

corde meditari. Quia sic est necesse, ut quando A cibum corporalem recipit, & tunc anima cibo spirituali reficiatur. Et lector, & cellerarius, & portarius, vel septimanarius, vel qui ministrant quando episcopus cum clero in refectorio reficit, antequam fratres in refectorium veniant, mixtum de pane & potu accipiant, ut grave eis non sit jejunium substinere interim quod clerus reficit. Nam Lector legat, usque dum jusserit prior, ut expleat lectionem.

Illud omnino cavendum est, ut neque sacerdotes, neque diaconi, neque subdiaconi, vel quilibet de clero cibum, nec aliud quod ad manducandum vel bibendum pertinet, sine jussione episcopi de refectorio portet. B

Et hoc cavendum est, ut ante legitimam horam, nisi illi qui hoc providere debent, neque ad manducandum, neque ad bibendum in refectorium intrare non debent sine jussione episcopi, aut qui tunc tempore præest: neque cellerarium contra rationem inquietare; sed horis competentibus petant quæ petenda sunt, & dentur quę danda sunt.

In ipso autem refectorio, neque laicus, neque clericus, nisi qui in ipsa congregatione sunt, manducent, aut bibant, sine jussione episcopi, aut qui sub eo sunt. Et in claustro ubi clerus ad capitulum venit, vel in refectorio nullus de clericis servitoribus, qui suo seniori ibi subjecti sunt, ingrediatur, nisi si necesse fuerit, aut episcopus, vel qui sub eo sunt, jusserit. C

Cap. XXII. *De mensura cibi.*

QUANDO clerus noster " bis in die reficit per tempora constituta, sicut superius scriptum est, panem quod sufficiet, accipiat. Pulmentum vero ad sextam. Carnem inter duos ministrationem unam, & cibaria una accipiát: &, si cibaria non habent, tunc dua s ministrationes de carne, aut de lardo habeant. Ad cœnam autem, aut unam ministrationem de carne inter duos, aut una cibaria habeant.

" una aut bina vice & quadá alia inseruit interpolator.

Illo tempore quando quadragesimalem vitam D debent ducere, tunc ad sextam inter duos fratres portionem de formatico, & cibaria accipiant; & si pisces habuerint, aut legumen, vel aliudquid, addatur & tertium. Et ad cœnam inter duos cibaria una, aut portionem de formatico accipiant; & si Deus amplius dederit, cum gratiarum actione percipiant. Quando autem in die una refectio fuerit, tunc cibaria una inter duos, & portionem de formatico, & ministrationem unam de legumine, aut aliud pulmentum accipiant: & si contigerit, quod illo anno glandis, vel fagina non est, & non habent unde liceat mensuram de carne implere postea, prævideat episcopus juxta quam Deus possibilitatem dederit, aut de quadragesimali " , aut aliunde; unde consolationem habeant. E

" alimento aut alio

Cap. XXIII. *De mensura potus.*

QUANDO bis in die edendum fuerit, presbyteri ad sextam tres calices accipiant, ad cœnam duos; diaconi, qui in gradu sunt ad sextam tres, ad cœnam duos; subdiaconi ad sextam duos, ad cœnam duos: reliqui gradus ad sextam duos, ad cœnam unum. Quando autem in die una refectio fuerit; sicut antea in hora sexta, quando bis manducabant, " tantos calices accipiant; & quod ad cœnam accipiebant de potu, hoc cellerario remaneat: & omnino caveant ebrietatem.

Alia omnia in vulgatis occurrunt cap. 8.

" accipiebát

Si vero contigerit, quod vinum minus fuerit, & istam mensuram episcopus implere non potest, juxta quod prævalet impleat; illi autem fratres non murmurent, sed Deo gratias agant, & æquanimiter tolerent. Nam si esse potest, ut tantum habeant, tunc pro nullo modo non remaneat. Et illis, qui se a vino abstinent prævideat episcopus, vel qui sub eo est, ut tantum habeant de cervisia, quantum de vino habere debuerant: Et si episcopus voluerit ad suprascriptam mensuram aliquid potus addere, in ejus potestate consistat, & de cervisia eis consolationem faciat. Nam quando aliqua refectio causis exigentibus venerit, non amplius consentimus ad unam refectionem, quam ut suprascriptam mensuram tres calices accipiant, & hoc superfluum nobis videtur; quia *vinum apostatare facit etiam sapientes*; quia ubi ebrietas est, ibi flagitium atque peccatum est. Et hoc admonemus, ut clerus noster sobriam omnino ducat vitam; & quia persuadere non possumus ut vinum non bibant, vel hoc consentiamus, ut saltem in illis ebrietas non dominetur: quia omnes ebriosos apostolus a regno Dei extraneos esse denunciat, nisi per dignam pœnitentiam emendaverint. "

Eccli. [...]

Cap. XXIV. *De septimanariis coquinæ.*

CLERICI canonici sic sibi invicem serviant, ut nullus excusetur a coquinæ officio, nisi " ægritudo, aut in causis gravis utilitatis præoccupatus fuerit: quia exinde major merces & caritas adquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia ut non cum tristitia hoc faciant, sed habeant omnes solatia secundum modum congregationis, aut positionem loci.

" Habeant canonici hortos ol[...] rum, und[...] cum cete[...] additamentis a[...] quod pul[...] mentum quotidie sibi vicis[...] sim mini[...] strent: [...] *vulg. ex conc. Aqu[...] granensi.* " egritud[...] ne aut ca[...] sa 9.11. [...]

Archidiaconus vero, & Primicerius, vel cellerarius, seu illi " tres custodes ecclesiarum, unus de sancto Stephano, alius de sancto Petro, tertius de sancta Maria, qui in majoribus utilitatibus occupati sunt, isti excusentur a coquina; cæteri autem sibi sub caritate invicem serviant.

" Hos ex[...] punxit in[...] terpolato[...] ut minus[...] instituto[...] suo neces[...] sarios.

Egressurus de septimana sabbato munditias faciat; vasa ministerii sui, quæ ad ministrandum accepit sana & munda cellerario reconsignet; & si aliquid ex illis minuatum fuerit, ad capitulum die sabbati veniam petat, & vasa, vel quod minuatum est, in loco restituat, & juxta quam episcopus, vel qui sub ipso est, iudicaverit, pœnitentiam agat.

Cap. XXV. *De Archidiacono, vel " Primicerio.*

" Prępositi[...]

OPORTET eos esse *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbas*: id est, ut sint sapientes in bonum, & simplices in malum; & docti " euangelia & sanctorum Patrum instituta canonum, ut possint docere clerum in lege divina, & hujus parvæ institutionis. Et sic se conforment clero, ut non tantum verbis, capacibus; sed etiam exemplo, simplicioribus divina præcepta demonstrent: qui apostoli debent semper servare formam in qua dicit; *Argue, obsecra, increpa*; id est miscés tẽporibus tempora, terroribus blandimenta; id est indisciplinatos, & inquietos debét durius arguere: obedientes autem & mites & patientes, ut in melius proficiant obsecrare: negligentes & contemnentes & superbos ut increpent & corripiant, neque dissimulent peccata delinquentium, sed mox ut cœperint oriri, radicitus ut prævalent amputent, memores periculi Heli sacerdotis " de Silo, & honestiores quidem, atque intelligibiles prima & secunda admonitione verbis corripiant; improbos autem ac duros corde ac superbos vel inobedientes

" euangel[...] ca præcep[...]

1. *Tim.* 4.

" de filiis suis.

inobedientes verbere & corporis castigatione in ipso initio peccati coerceant, scientes scriptum: *Stultus verbis non corrigitur*; & iterum: *Percute filium tuum virga, & liberabis animam ejus à morte.*

Et quidquid per se juste & rationabiliter secundum canonicam institutionem, vel hujus parvæ institutionis non potuerint definire, omnino episcopo patefaciant; & ipse secundum Dei voluntatem, quod castigandum est castiget, & quod corrigendum est, corrigat. Qui archidiaconus, vel " primicerius in omnibus omnino actibus vel operibus suis sint Deo & episcopo fideles & obedientes, & non sint superbi, neque rebelles, vel contemptores; sed casti & sobrii, patientes, benigni, atque misericordes, *& semper superexaltet misericordia judicium*, ut ipsi idem consequantur. Diligant clerum, oderint vitia, in ipsa autem correptione prudenter agant, & ne quid nimis, ne dum cupiunt eradere æruginem frangatur vas; Meminerint *calamum quassatum non conterendum.* In quibus non dicimus, ut permittant nutrire vitia, sed prudenter & cum caritate ea amputare festinent. Caveant, ne dum aliis prædicaverint, ipsi reprobi efficiantur: intendentes illud dominicum præceptum; *& qui in oculo fratris tui festucam videbas, in tuo trabem non vidisti: Ejice primum trabem de oculo tuo; & tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.*

Qui archidiaconus, vel primicerius si reperti fuerint, quod absit, superbi, aut elati, aut contradictores, vel contemptores canonicæ & hujus parvæ institutionis, ii secundum dominicum præceptum admoneantur semel & iterum: si non emendaverint, ab episcopo secundum modum culpæ judicentur. Quod si neque sic correxerint, de ordinibus suis ejiciantur, & alii qui digni sunt & voluntatem Dei vel episcopi sui, secundum divinum præceptum impleverint, in locis illorum subrogentur.

Cap. XXVI. *De cellerario.*

CELLERARIUS vero debet esse timens Deum, sobrius, non vinolentus, non contentiosus, non iracundus, sed modestus, moribus cautus & fidelis, " & quidquid acceperit sub cura sua ad opus clericorum fideliter custodiat ", & sine jussione episcopi sui, aut qui sub ipso est, nihil faciat: & non sit prodigus nec extirpator substantiæ clericorum, quia si fuerit, sine dubio in die judicii redditurus erit Deo rationem: Nam, si bene ministraverit, gradum bonum sibi adquiret.

Cap. XXVIII. *De portario.*

PORTARIUS unus cum suo juniore annum, aut amplius, si episcopo placuerit " portas, claustra, vel ostia custodiat. Qui portarius sit " sobrius, patiens, qui sciat accipere responsum & reddere ", & fideliter custodiat portas, sive ostia claustri, & contra hunc tenorem facere non præsumat; quod si fecerit, excommunicetur. Claves vero portarum ad completorium archidiacono reddat: & si archidiaconus alicubi est, qui sub ipso est, ipsas claves recipiat.

Custodes vero ecclesiarum qui ibi dormiunt, vel in mansiones juxta positas, teneant silentium, sicut cæteri clerici, in quantum possunt: & post completorium non manducent nec bibant, & non permittant ingredi eos, qui foras claustra post completorium remanserint: nec eos qui intra claustra sunt egredi per ostia sibi commissa. Quod si fecerint, ab episcopo, vel qui sub eo sunt judicentur.

Cap. XXVIII. *De infirmis clericis canonicis, qui peculiarius ad istum ordinem junxerint, & non habent unde in infirmitate necessitatibus suis possint implere.*

SI aliquis ex clero infirmatur, qui ad hunc ordinem se peculiarius junxerint, & non habuerint unde in infirmitate necessitatibus suis possint implere; post episcopum habeat de illis maximam curam " archidiaconus & primicerius, & caveant ne negligantur infirmi, sed sicut revera Christo, ita eis serviatur. Quia ipse dixit; *Infirmus fui, & visitastis me; & quamdiu fecistis uni ex minimis istis mihi fecistis.* Ergo omnia necessaria quidquid ipsis infirmis expedierit & opus fuerit, eis omnino & absque ulla retardatione adimpleri curentur; quia in ipsis respicit quidquid ipsi minus habuerint aut neglecti fuerint. Et sine dubio in diem tremendum judicii, quando sederit rex vivorum & mortuorum in sede majestatis suæ de omnibus his rationem erunt reddituri, qualiter eis ministraverunt. Et si ipse archidiaconus vel primicerius ad plenum non habeant unde possint procurare necessitatibus eorum, hoc omnino episcopo innotescant, & ipse secundum Dei timorem & amorem provideat, ut hoc quod expedit ipsis infirmis ut habeant unde eis necessitatibus illorum procurent.

" Hæc nomina omissa in excusis cap. 40. & aliis plerisque locis.

Quibus infirmis sint mansiones deputatæ super se rationabiliter dispositæ condignæ & aptæ, ubi esse possint, dum de infirmitatibus suis convalescunt. Et sit unus ex clero deputatus, timens Deum, qui circa ipsos infirmos maximam curam gerat de omnibus necessitatibus eorum, & habeat solatium, si opus est, juxta quod constituerit prior, ut absque murmuratione & negligentia serviatur infirmis. Et sciat, si bene ministraverit, gradum bonum sibi " adquiret. "

Sed & ipsi infirmi considerent in honore Dei sibi serviri, & non superfluitate sua contristent servientes sibi. Qui tantum infirmi portandi sunt: at ubi meliorati fuerint, redeant ad ordines suos."

" a Deo acquiri:
" *Addit interpolator.* Et hoc indicendum est, quod infirmo licet omni hora cibum & potum sumere, quando desideraverit vel possit si oportune non poscit.

Cap. XXIX. *De vestimentis clericorum, vel calceamentis, vel ligna.*

ILLA media pars cleri qui seniores fuerint annis singulis accipiant cappas novas, & veteres quas præterito anno acceperunt semper reddant, dum accipiunt novas. Et illa alia " medietas cleri illas veteres cappas, quas illi seniores annis singulis reddunt, accipiant, & illi seniores illas cappas, quas reddere debent, non commutent ". sarciles accipiant illi presbyteri, qui ibidem in domo assidue deserviunt, & illi diaconi VII. qui in eorum gradu consistunt, aut lanam unde ipsos sarciles binos in anno habeant: & illę alius clerus unusquisque singulos. Camisiles autem accipiant illi presbyteri, & diaconi annis singulis binos: subdiaconi camisile & dimidio, & illi qui in reliquis gradibus sunt, singulos. Calciamenta vero omnis clerus annis singulis pelles " baccinas accipiant " solas paria quatuor ".

De ligna consideravimus, ut de quatuor libras de denarios possint comparare ligna sufficienter & annum. Ipsa ligna de illos tellones, quod eis in

" pars dimidia
" & unusquisque cleri senioris annis singulis tres camsiles accipiunt, & unusquisque cleri junioris annis singulis duas camsiles accipiunt
" carsiles dicuntur in Andegavensi ms.
" vaccinas
" soleas *Add. vulg.*

Et vestimenta in transitum sancti Martini & camisiles in pascha & calceamenta in Calendis Septembribus habeant. *Quæ vero ad ligna pertinent, omisit.*

in civitate, vel in villabus sunt, sint comparata, A hoc est quatuor libræ ad hoc mittantur. Et Kal. Maiis ipsum telloneum accipiant, & tunc ipsa ligna comparent. Et illas cappas, & illos sarciles, & illa calceamenta de illos telloneos superius nominatos quod exinde superat, & de illo calciatico, quod ille episcopus annis singulis ad illum clerum reddere consuevit, & de eorum eleemosyna quod ad ipsum clerum specialiter Deus dederit, sint comparata. Et si aliquid exinde fuerit aliud quod eis necesse est comparent, aut in eorum camera recondant. Et si ibidem ad hoc comparandum sufficienter non habuerint, ille episcopus hoc prævideat & mittat, unde hoc totum adimpletum sit ad eorum necessitatem, sicuti superius scriptum est.

Ipsa autem vestimenta, illas cappas, & sarciles, ad transitum sancti Martini accipiant: illos camisiles, viginti dies post pascha accipiant: illa calciamenta Kal. Septembris habeant. Et si aliquis ex ipso clero de ecclesia tale beneficium acceptum ab episcopo habet; ut exinde possit procurare necessaria sua, idest cappas & calceamenta.

Cap. XXX. *De festivitatibus sanctorum.*

ILLUD intimare complacuit, ut nos & clerus noster festivitatibus Domini, & sanctæ Mariæ, vel duodecim apostolorum, seu & reliquorum sanctorum, quas usus est in ista provincia annis singulis celebrare, in quantum Deus possibilitatem dederit, illud officium divinum die noctuque facere procuremus. Et episcopus" in nativitate domini", & pascha domini in domo ipsis clericis refectionem faciat, si ad præsens est; & si absens his diebus est, tunc in eorum refectorio habeant refectionem sufficienter, sicuti superius scriptum est. Et postquam de refectorio exierint, in" caminata bibant duas vices, aut tres, qualiter consolatio sit, & ebrietas non dominetur.

"vel qui sub eo est
" & epiphania & pascha & clausso paschæ, & ascensione domini & pentecoste & festivitatibus sanctorum provinciæ suæ
" caminada

Et epiphania domini, & media pascha & clausum paschæ, & ascensione domini, & pentecoste, & natalitiis episcopi, istos dies episcopus eis in refectorio ad sextam, refectionem faciat. Et de illis festivitatibus, unde abbatias in ista civitate, vel foras propinquas habemus, sicut consuetudinem habuerunt, refectionem ad clerum facere, hoc omnino non remaneat in quantum possibilitas fuerit.

Et ille" archidiaconus, vel qui tunc sub manu episcopi præesse videtur, hoc recipiat, & ille clero exinde in refectorio refectionem faciat: & quod superest ad eorum opus cellerario reservetur. Et ille archidiaconus de sua actione, quod ipse ad eorum opus prævidet, purificationem sanctæ Mariæ, & omnium apostolorum, & sancti Ioannis Baptistæ, & sancti Remedii eis refectionem faciat ad sextam in refectorio.

"Alia in eorum locum subrogavit interpolator.

Cap. XXXI. *De eo quod, qui ad hunc canonicum specialem ordinem hujus congregationis se sociare vult, de rebus quas possidet ad ecclesiam " B. Pauli apostoli solemnem donationem per præsentem faciat; reservato tamen tempore vitæ suæ usufructuario ordine.*

' Integrum caput prætermisit interpolator cum quibusdam aliis

LICET legamus antiquam ecclesiam sub tempore apostolorum ita unanimem concordemque extitisse, & ita omnia reliquisse, ut singuli prædia sua vendentes ad pedes apostolorum pretia ponerent; ut nullus eorum sibi aliquid proprium dicere auderet, *sed erant illis omnia communia*; Unde & habere dicebantur *cor unum & animam unam*: quotidie enim circa domus panem frangentes, quod in commune accipiebant tam viri quam feminæ, seu parvuli, omnisque vulgus ardore fidei accensi, atque in amore religionis provocati cunctis cum gratiarum actione sufficientiam præbebant; sed quia nostris temporibus persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, ut ad aliquantulamcumque similitudinem conversationis eorum nostros animos contrahamus: quia nimis inertet, tepidæque, ac remissæ devotionis est, ut quod, sicut diximus, B omne vulgus pro Dei nomine consensit, nos qui peculiarius canonicis ordinibus inservire debemus, quantulamcumque in partem in hanc perfectionem non consentiamus. Et si omnia relinquere non possumus, sic ad usum tantum nostra teneamus, ut dimissa volumus nolumus fuerint, non ad hæredum nostrorum carnalium atque parentum, sed ad ecclesiam, cui Deo auctore in commune deservimus, de cujus rebus stipendia habemus, loco hæreditario relinquamus. Ut si cum illis perfectis pro perfecta abrenuntiatione, seculique hujus contemptu corona non tribuitur; vel peccatorum venia, sicut minimis misericordia divina concedatur. Quia sanctus Prosper", vel alii sancti patres, secundum divinam auctoritatem sanxerunt, ut illi clerici, qui de rebus ecclesiæ vivere cupiunt, res proprias quas habent, C per instrumenta chartarum, Deo & ecclesiæ, cui deserviunt condonent: & sic rebus ecclesiæ licentius absque maxima culpa utantur; Ut sicut de rebus ecclesiæ ipsi clerici gaudent; ita & ecclesia de rebus ipsorum clericorum cum pauperibus suis sic aucta atque meliorata gratuletur. Ita tamen ut ipsi clerici dum advivent, si ita placuerit, res suas usufructuario ordine per beneficium ecclesiæ habeant, ut omnia sint communia, & propter obitum eorum ad ecclesiam, vel ad canonicum ordinem, cui ante datæ fuerant, revertantur. Similiter indicantes ut illi clerici, qui D de facultatibus suis sufficientiam habent, de ipsis rebus propriis vivere debeant, si tamen infirmi fuerint, ut in omnibus ad integrum ecclesiæ Dei, cui deserviunt, dare noluerint & sic ipsius ecclesiæ in amore Christi gratuita servitute, sedulaque modulatione impendant; & sciant se pro hac re, quia rebus ecclesiæ sicuti cæteri canonici utuntur, specialem misericordiam a Deo recepturos, cui de propriis rebus inserviunt: quia, si ea quæ accepturi erant pro eorum ordinibus de eleemosyna dispensatori reliquerint, nihil habentibus conferenda sine peccato possident sua: quia & ipsi quodammodo relinquunt sua, quando propriis contenti rebus, nihilque se jure debere arbitrantur recipi." Quod si putant ideo E accipi debere eorum quæ conferuntur ecclesiæ, portionem; nec eam videantur abjicere, quia non possint sua relinquere, quod eis deforme sit, inter suos, pauperes reddi: noverint esse deformius, possessuros de eleemosynis pauperum pasci. Hoc enim providendum est, ut non gravetur mater ecclesia, quam constat quotidie subventioni pauperum, viduarumque, atque orphanorum, simulque egentium, canonum jussione constrictam, debere esse semper intentam.

Act. 4.

" seu potius Iulianus Pomerius de vita contemplativa

" Hæc valde intricata

Igitur quicumque se ad hunc ordinem canonicum, quem modo utcumque recuperare cupimus, sicut in parvulo decretulo, quod digessimus, intimavimus, se sociare voluerit, & de rebus quas habet

habet solemniter donatione per præsentem donet ad ecclesiam B. Pauli ad opus Dei, vel clericis ibidem deservientibus, faciat & precariam, si ita ei placuerit, exinde ab episcopo accipiat, in ea ratione ut dum advivet, ipsas res usufructuario ordine habeat, & post objectum ejus cum omni integritate, omnique superposito ad ecclesiam cui datæ fuerint, vel ipsius congregationis ipsas res absque ullius consignatione, vel expectata traditione revertantur. Et liceat ei de omni mobili ex ipsis rebus quamdiu vivit, & in ipso ordine consistit, eleemosynas tam in pauperes, quam ad ipsam congregationem, quam etiam ubicumque voluerit facere, & necessitates suas explere. Et, si aliquod de ipso mobili post obitum ejus superfuerit, media pars in eleemosyna eis in pauperes, vel promissas ejus, aut ubi voluerit ambulet, archidiacono, aut primicerio, vel cui ipse vivens rogaverit dispensante: & illa media pars in ipsius eleemosyna ad clerum, vel ad ipsam congregationem revertatur. Et ipsi clerici de ipsis rebus, quas in precarias habent, neque de terris, neque de vineis, aut silvis, pratis, domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, vel quibuslibet rebus immobilibus minuendi, aut vendendi, aut communicandi potestatem non habeant; excepto ut diximus de illa fructa, vel quod ibidem laborare potuerint, viventes faciant quod voluerint.

Quod si contigerit suadente diabolo, ut aliquis ex his fratribus, qui ipsas res per precarias habuerint, in aliquo crimine grave, aut leve incidat, pœnitentiam juxta quod episcopus ei judicaverit, agat; tamen de rebus quas per precariam possidet, expoliatus pro hac re esse non debeat. Si quis autem eodem modo, quo supra instituimus, ad hanc congregationem, tam unus ex abbatibus nostris, quam quilibet extraneis clericis se sociare desideraverit, eo tenore, ut alii fratres fecerunt, faciat. Quod si alter fuerit, qui se eis voluerit sociare; & omnia ad integrum perfectionis gratia derelinquere: episcopus provideat eis necessaria; qualiter opus bonum quod Deo inspirante cœpit, adimplere valeat.

Cap. XXXII. *De eleemosynis.*

De eleemosynis accipiendis ita constituimus, ut si aliquis uni sacerdoti pro missa sua, vel pro confessione, " aut infirmitate, seu pro quolibet caro suo aut vivente aut mortuo aliquid in eleemosyna dare voluerit, hoc sacerdos " a tribuente accipiat, & exinde quod voluerit faciat. Si autem ad omnes sacerdotes sub tali conditione, seu pro quolibet modo aliquid in eleemosyna dare voluerit, hoc omnino tam ad omnes sacerdotes, quam ad omnes canonicos veniat, & omnes hanc eleemosynam communem habeant". Similiter & illæ eleemosynæ, quæ in commune ad omnem clerum veniunt omnes in commune habeant, & psalmodiam, vel missas " pro ipsis eleemosynis, ut episcopus instituerit, faciant.

Ideo autem mensuram sacerdotibus de eleemosynis recipiendis ad opus proprium fecimus: quia animis grave pondus existimavimus eis esse, si tam ingentia onera " peccantium solis illis sacerdotibus contingeret portare; Quia facilius Dei misericordiam plures impetrant pro peccatoribus quam unus, quamvis studiosus; & unusquisque de propria conscientia debet metuere, quanto magis de alienis peccatis non debet sibi supra vires sarcinam peccatorum cumulare.

clerico psalmis ymnis, pro se- l cleri- o illo tricor- iciant. :ca- um

A Has eleemosynas archidiaconus, aut primicerius recipiant; & in necessitatibus fratrum, ut eis opus fuerit; & episcopus judicaverit; ipsas expendant: & si aliquid exinde superfuerit, in vestiariis fratrum recondant.

Cap. XXXIII. *Diebus Dominicis, vel festivitatibus sanctorum qualiter ad capitulum, seu ad missam occurrant.*

In diebus Dominicis, vel festivitatibus sanctorum, aut quando jusserit pontifex, vel qui sub eo sunt, mane post primam cantatam omnes induantur vestimenta, officiales cum planetis, B sicut ordo ecclesiasticus habet; & sint parati, & absque mora ad officium cum festinatione occurrant. Ut autem auditum fuerit primum signum omnes ad capitulum veniant, & audita lectione, sub uno accedant ad ecclesiam; & facto secundo signo cantent tertiam, & residentes in ordinibus suis expectent pontificem, sicut mos est Romanæ ecclesiæ: & nullus postea exinde de ordine suo exeat, usque dum omnia expleverit; nisi qui cum pontifice comitantur in obsequio, aut illi qui in aliqua utilitate occupati fuerint, si talis est quod omnino non possit dimitti; & hoc innotescant episcopo, vel qui sub eo sunt. Si quis de clero de quolibet ordine, C tam sacerdotum, quam diaconorum, aut subdiaconorum, vel acolytorum tunc præsens non fuerit paratus ut officium suum impleat, & aliqua negligentia; vel retardatio per ipsum acciderit, nisi ob causam gravis infirmitatis, in crastino a vino, vel potu privetur; si autem per desidiam, aut contemptum iteraverit, ab episcopo, vel qui sub eo sunt, acrius coerceatur; itaut cæteri timorem habeant. Nam reliquis diebus ad capitulum, ut supra in isto tenore præfiximus, ita veniant.

Si autem statio publica fuerit per illas ecclesias forenses, & fratres ibidem vigiliam celebraverint, peracta vigilia cum omni decore mane D revertant in claustra, ut omnino ad capitulum veniant: si autem negligens retardaverit, & ad capitulum non fuerit, prima, & secunda vice pro hoc castigetur: si autem non emendaverit, illa die quando ad capitulum non venerit, a vino abstineat usque in crastinum.

Cap. XXXIV. " *De matricolariis, ut ad lectionem divinam audiendam veniant in statuta ecclesia in domo.* " Hoc & præcedens capitulum absunt a vulgatis.

Dum de corrigenda vita clericorum canonicorum rebus pernecessariis, ut nobis juxta mediocritatem nostram & capacitatem E sensus per Dei adjutorium visum fuit, descripsimus, venimus ad matricolarios tam domi, quam & in suburbanis; quia non, secundum institutionem antiquæ ecclesiæ, eorum esset conversatio; sed sub magno quodam periculo, & negligentia, & ut ita dixerim absque prædicatione, & confessione erant in quadam securitate positi, neque ad domum ad stationem publicam ad audiendum verbum Dei veniebant, neque in reliquis stationibus, sed erant omnes sedentes unusquisque in loco suo. Propterea una cum consensu fratrum spiritualium constituimus, ut bis in mense per totum annum de quatuordecim in quatuordecim dies in sabbato omnes matricularii tam qui in domo sunt; quam

A quam illi, qui per cæteras ecclesias infra civitatem, vel vicis matriculas habent, ad conventum statutum omnes in ecclesia in domo veniant, mane primo expectantes in ordinibus suis, usque dum signum pulsaverit horæ tertiæ: tunc veniens episcopus, si in aliis utilitatibus occupatus non fuerit, & jubeat legere lectionem de tractatibus, vel homilias sanctorum patrum congruas, quæ ædificent audientes, & doceat eos viam salutis, qualiter ad vitam æternam Deo auxiliante perveniant.

Dicta tertia, si episcopus non venerit, tunc presbyter custos ecclesiæ sancti Stephani in vices illius juxta capacitatem suam & legat & doceat eos viam salutis, & videat omnino presbyter, ut hora constituta, si episcopus ibidem non venerit, B non prætereat ut hoc adimpleat, quod hic scriptum est; & ipsi presbytero confessiones suas bis in anno faciant ipsi matricularii; una vice in quadragesima; alia in missa sancti Remedii usque in transitum sancti Martini. Et si suadente diabolo aliqua vitia, scandala inter eos orta fuerint, ut necesse sit confessionem suam dare qui hoc perpetraverit in proximo conventu, ubi lectionem audiunt: finita lectione faciat confessionem suam puriter ipsi presbytero; & si ipse non vult confiteri peccatum suum, & hoc celaverit: & si per alium inventum fuerit, ille qui delictum abscondit, a presbytero qui eis verbum Dei annunciat secundum modum culpæ aut excommunicetur, aut corporali vindictæ subdatur. Et per singulas matriculas sit primicerius matricularum de ipsis, qui super eos curiose agat: & si aliquis ex ipsis celare voluerit scelera sua, & primicerius ipsorum C hoc investigare potuerit, nullatenus abscondat presbytero, qui eis lectionem legit: & si fecerit similiter ille qui hoc commiserit ab ipso presbytero judicandus est; & si hoc ipse presbyter per se emendare non potuerit, innotescat archidiacono, vel primicerio, ut ipsi hoc corrigant rationabiliter secundum modum culpæ: & si opus fuerit in notitiam episcopi veniat, ut ipse hoc emendet.

Vt diximus, omnes omnino matricularii statutis diebus ad lectionem veniant, & necessitates suas tam animæ, quam corporis ipsi presbytero patefaciant: & ipse hoc aut per se emendet, aut priores suos innotescat.......... Et si aliquis de ipsis matriculariis remanserit, qui non venerit ad D lectionem, nisi infirmitate cogente, corripiatur semel & secundo, & si non emendaverit, excommunicetur: & si amplius hoc ex contemptu fecerit, ejiciatur de matricula, & alius, qui verbum Dei vult audire, mittatur in loco ipsius. Et constituimus eis, ut in eleemosyna nostra, vel successorum nostrorum de domo accipiant omni tempore, quando ad illam lectionem audiendam venerint, singuli singulos panes, & portionem de lardo illa una vice: illa alia vice portionem de E formatico, per totum annum sic faciant, ut diximus, qui ibidem de ipsis matriculariis venerint; Et in quadragesima duas vices accipiant vinum cum pane inter quatuor sextarium unum. In cœna domini accipiant vinum cum pane supradicta mensura, & portionem de lardo, & formatico. Et consideravimus quod octo modia de pane cocto ad unam quamque vicem ad hoc habeat; & illa vice quando lardum debent accipere, accipiant baccones sex; & quando formaticum accipiunt in unaquaque vice pensa una. Hoc colligit de frumento per annum modia cc. de illo frumento sit, qui de Vvarmacinse venit, & accipiat illud quando exinde venit. De lardo baccones LX. accipiat ipsis Kal. Ianuar. de formatico pensas XII. accipiat ipsas missa sancti Martini. De vino modia XXIIII. accipiat ipsa missa sancti Martini. Et hoc totum accipiat archidiaconus, vel primicerius: & videant quod hoc sic dispensent, qualiter Deo placeat, & constitutum habemus, Et merces nostra vel successorum nostrorum, vel qui hoc faciunt exinde decrescat, & ad ligna comparandum, unde ipsum panem faciant, donet episcopus de denariis uncias duas & dimidiam Kal. Maias. Et si aliquid superaverit de hoc, quod superius diximus, aliis pauperibus, cui necesse est, archiepiscopus, vel primicerius, aut cui jusserint, tribuat.

Explicit.

CANONICORVM REGVLA AB ANONYMO QVOPIAM INTERPOLATORE

Ex Grodegangi norma, concilii Aquisgranensis capitulis, atque aliunde consarcinata.

TEMPORIBUS *pijssimi Pippini Chrodogangus servus servorum Dei, Metensis urbis episcopus*. Si trecentorum, &c. *pag*. 1444. D. *ne frustra non necessariis repetitionibus chartas disperdere videamur.*

Cap. I. *De humilitate.*

Clamat nobis divina scriptura, &c. *supra pag*. 1446. D.

Cap. II. *De ordine congregationis canonicorum.*

Ordines suos ita conservent, &c. *sup. p*. 1447.

Cap. III. *De eo quod in congregandis canonicis modus discretionis tenendus sit.*

Cavendum summopere præpositis, &c. *Videsis capitulum* 118. *Aquisgranensis concilii celebrati an*. 816. *sub Ludovico Pio imp. supra pag*. 1390. C.

Cap. IV. *De eo quod non debent clerici in congregatione canonica constituti stipendia superflua accipere aut exigere, sed necessaria.*

Sanctorum patrum sententiæ docent, &c. *cap*. 120. *conc. Aquisgranensis. p. ead*. E.

Cap. V. *De his qui in congregatione sibi commissa solummodo ex familia ecclesiæ clericos adgregant.*

Sunt nonnulli qui tantum ex familia ecclesiastica clericos, &c. *Vide cap*. 110. *Aquisgr. p. ead.*

Cap. VI. *Qui clerici in congregatione canonica constituti ecclesiastica accipere debeant stipendia.*

Quia sanctorum patrum, &c. *cap*. 120. *Aquisgr.*

Cap. VII. *De eo quod in congregatione canonica æqualiter cibus & potus* * *accipiatur.* * dividatur

Solet in plerisque canonicorum congregationibus irrationabiliter, &c. *cap*. 121. *Aquisg. ejusdem.*

VIII. *De mensura cibi & potus.*

Quando clerus una aut bina vice in die reficit, accipiant a minore usque ad maximum quatuor libras panis; & quando bis in die reficit, pulmentum ad sextam, unam ministrationem de carne inter duos, &c. *sup. p*. 1454. & 1445. & *cap*. 122. *concilii Aquisgranensis.*

Cap. IX.

Cap. IX. *De septimanariis coquinæ.*

Clerici canonici sic sibi invicem servient, &c. *supra cap.* 24. *reg. Grodeg.*

X. *De archidiacono vel præposito.*

Oportet enim eos esse prudentes, &c. *supra cap.* 25. *Grodeg.*

XI. *De cellerario.*

Cellerarius debet esse timens Deum, &c. *supra cap.* 26. *Grodeg. & cap.* 140. *Aquisgr.*

XII. *De portario.*

Portarius unus cum suo juniore, &c. *supra cap.* 27. *Grodeg. & cap.* 143. *conc. Aquisgr.*

XIII. *De eo quod diligenter munienda sunt claustra canonicorum, in quibus dormiunt canonici.*

Præpositorum cura sit ut subditorum mentes, &c. *cap.* 117. *conc. Aquisgr. pag.* 1390. A. *ex regulæ Grodegandi cap.* 3.

XIV. *De his quæ a clero in nocte de lecto surgente primum dicenda atque operanda sunt.*

Nocturnis horis" cum ad opus divinum de lecto surrexerit clericus, primum signum sibi sanctæ crucis imprimat per invocationem sanctæ Trinitatis. Deinde dicat versum, *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Deinde psalmum, *Deus in adjutorium meum intende*, totum cum *Gloria.* Et tunc provideat sibi corpoream necessitatem naturæ, & sic ad oratorium festinet, psallendo psalmum. *Ad te levavi animam meam*, cum summa reverentia & cautela intrans, ut aliis orantibus non impediat. Et tunc prostratus in loco congruo effundat preces in conspectu domini magis corde quam ore, ita ut illius vox vicinior sit Deo, quam sibi. Ita dicendo Gratias tibi ago, omnipotens pater, qui me dignatus es in hac nocte custodire, & deprecor clementiam tuam, misericors domine, ut concedas mihi diem venturum sic peragere in tuo sancto servitio cum humilitate & discretione, qualiter tibi complaceat servitus nostra. Et tunc omnes sint præparati stantes in loco suo in choro per ordinem, ut novissimum signum cessaverit cum summa humilitate & honestate referant laudes Deo in conspectu angelorum ejus. Et si alicui frequens tussis aut phlegma a pectore aut naribus excrescit post dorsum projiciat, aut juxta latus, caute tamen & curiose, ut infirmis mentibus non vertatur in nauseam, & semper quod projicitur pede conculcetur, ut cum ad orationem curvantur vestimenta eorum non sordidentur. Et infra ecclesiam, & in omni conventu, seu & in porticu hoc observandum est, ut quod spuitur semper pedibus conculcetur.

[Margin: ...e unde ...uatus ...nen- ... didi- ...as.]

XV. *De officiis divinis in noctibus.*

Hyemis vero temporibus, id est a Kalendis Novembris usque in pascha, juxta considerationem rationis octava hora noctis surgendum est, ut modice amplius de media nocte pausetur, & jam digesti ad vigilias surgant. Post finitas nocturnas dicant versum; *Exultabunt justi in conspectu Dei.* Deinde Kyrie eleison, & orationem dominicam, & faciant intervallum, exceptis diebus dominicis & festivitatibus sanctorum, juxta considerationem episcopi, vel qui sub eo est, id est ut XL. aut L. psalmos possint cantare, secundum quod visum fuerit, & hora permiserit: & qui psalterii vel lectionum aliquid indigent, meditationi inserviant & non præsu-

mat aliquis in ipso intervallo dormire, nisi quem infirmitas cogit, & hoc per commeatum fiat" & qui aliter fecerit excommunicetur. Reliqui omnes ordinem vigiliarum teneant usque ad matutinas dictas, & in ipso intervallo summum silentium fiat tam in voce, quam & in actu vel incessu, seu sono alicujus rei, ut liceat unicuique absque alterius inquietudine peccata sua cum gemitu, suspirio & lacrymis domino confiteri, & veniam vel remissionem pro ipsis ab omnipotente Deo orando & petendo postulare.

[Margin: * per licentiam]

XVI. *De vigiliarum antiquitate.*

Antiqua est vigiliarum devotio; *ex cap. Aqu.* 129. *& Isidori lib.* 1. *offic. cap.* 22.

XVII. *De matutinis.*

De matutinorum antiquitate, &c. *cap.* 130. *Aq. & Isidori lib.* 1. *offic. cap.* 23.

XVIII. *De hora prima.*

Convenientes clerici ad primam canendam in ecclesiam completo officio ipso ante psalmum quinquagesimum donent confessiones suas vicissim dicentes, Confiteor domino, & tibi, frater, quod peccavi in cogitatione, & in locutione, & in opere; propterea precor te ora pro me, & ille respondet, Misereatur tui omnipotens Deus, indulgeat tibi peccata tua, liberet te ab omni malo, conservet te in omni bono, & perducat te ad vitam æternam: & ille dicit, Amen. Supplici corde pro se certatim orantes hoc sibi faciant. Hoc expleto conveniunt ad capitulum quotidie, & ex ista institutione, quam propter illorum utilitatem Deo auxiliante fecimus, in uno quoque die aliquod capitulum relegant præter diem Dominicam, & quartam & sextam feriam, & solennitates sanctorum, in quibus relegant tractatus & alias Homilias vel quod ædificet audientes." Ideo quotidie ad capitulum omnes clericos convenire constituimus, ut anima verbum Dei audiat; & episcopus, vel archidiaconus, vel qui in loco eorum præesse videtur, ibidem quod jubere habet jubeat, & quod faciendum sit ordinare studeat. Post lectionem recitetur ætas mensis & lunæ, & nomina sanctorum quorum festa crastinus excipiet dies. Et postea pariter dicant versum, *Pretiosa in conspectu domini mors sanctorum ejus.* Quem sequatur oratio a priore ita, *Ipsi & omnes sancti Dei intercedant pro nobis peccatoribus ad dominum, ut mereamur possidere vitam æternam, amen.* Deinde dicatur versus, *Deus in adjutorium meum intende*, tribus vicibus, priore incipiente, & ceteris respondentibus, subjungentes *Gloria patri*, & postea *Kyrie eleison* & orationem dominicam. deinde, *Et ne nos inducas in tentationem: & veniat super nos, respice in servos tuos*, pariter usque in finem psalmi subjungentes *Gloria.* Deinde prior dicit, *Dirigere & sanctificare & custodire digneris, domine Iesu Christe fili Dei vivi, hodie corda & corpora nostra, & sensus nostros, in via & lege tua, & in operibus mandatorum tuorum, & pedes nostros dirige in viam salutis, in viam justitiæ tuæ, ut hic & in perpetuum te adjuvante salvi esse mereamur, qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas Deus per infinita sæcula sæculorum*, deinde, *Adjutorium nostrum*, respondent alii, *In nomine domini qui fecit cœlum & terram.*

[Margin: " Vide supra p. 1449. cap. 8 reg. Grodeg.]

[Margin: Psal. 115.]

[Margin: Psal. 89.]

Posthæc qui culpabilis est postulet veniam, & secundum modum culpæ judicium recipiat. Quisquis vero veniam postulat pro culpa, quantum plus se humiliat & se culpabilem asserit, tantum

tum misericorditer ac levius a priore judicetur. A Necesse est enim, ut omnes nostræ negligentiæ, id est, cogitationum, linguæ vel operis, in præsenti vita per veram confessionem & humilitatem semper judicentur, & non post mortem reos nos faciant.

Cap. XIX. *De opere manuum quotidiano.*

Surgentes à capitulo vadant aut simul aut separatim ad opus sibi injunctum, ut ratio præstat custodientes silentium & decantent psalmos B suos aut bini aut singuli, juxta quod congruum est. Nihil aliud loquentes, nisi forte de ipsa arte necesse fuerit dicere caute & quando inceperint opus suum dicant, *Benedictus es domine Deus, qui adjuvisti me, & consolatus es me, Amen. Misereatur nostri omnipotens Deus, Amen.* Et quando communia opera " non est necesse facere, unusquisque quod opus habet faciat; quia otiositas inimica est animæ.

" Vide c. 9. reguiç Grodegãdi

Cap. XX. *De tribus horis diei.*

Horam tertiam & sextam & nonam Daniel &c. *Vide caput 126. Aquisgr. & cap. 19. lib. 1. officiorum S. Isidori.*

Cap. XXI. *De hora vespertina.*

Vespertinum diurni finis officium, &c. *ex cap. 127. Aquisgr. & Isidori lib. 1. c. 20.*

Cap. XXII. *De completis.*

De comp letis autem celebrandis, &c. *cap. 128. Aquisgr. & 21. I. off. Isidori.*

Cap. XXIII. *De recepto silentio post completum.*

Expleto completo summum silentium fiat, & orationes secretæ fiant, cum recordatione peccatorum, & postea gratias agant Deo dicendo, *Gratias ago tibi domine sancte pater omnipotens æterne Deus, qui me dignatus es in hac die custodire per tuam sanctam misericordiam. concede mihi hanc noctem mundo corde & corpore sic pertransire. Qualiter mane surgens gratum tibi servitium persolvere possim, Per Christum, &c.* Et cum magna cautela ambulent in ecclesia & in dormitorio, & cum ad proprium stratum venerint, dum se collocaverit clericus, dicat psalmum, *Deus in adjutorium meum intende* totum cum *Gloria*, & postea dicat versum, *Pone domine custodiam ori meo & ostium circumstantiæ labiis meis.* Sicut mane surgens postulauit sibi labia a domino aperiri, sic requiescens roget poni ori suo a domino custodiam.

Psall 140.

Caput XXIV. *De eo quod horas canonicas canonici religiose observare debent.*

Studeant summopere canonici, &c. *cap. 131. Aquisgra. supra pag. 1397. C.*

Cap. XXV. *De diligentia psallendi.*

Vbique credimus divinam esse præsentiam, &c. *supra cap. 7. Grod.*

Cap. XXVI. *De eo quod non pompatice standum est in ecclesia.*

Mox autem audito signo omnes canonici festinent ad ecclesiam & non pompatice aut inhoneste vel incomposite, sed cum Dei timore ingrediantur eam: nec cum baculis aut cambutis aut fststibus in choro, &c. *cap. 134. Aquisgr.*

Caput XXVII. *De proficiscentibus in itinere.*

Quicumque ex clero, &c. *supra cap. 10.*

Caput XXVIII. *De his qui in quibusdam levioribus culpis delinquunt.*

Si quis ex clero, &c. *supra pag. 1453. B.*

Cap. XXIX. *De gravioribus culpis.*

Si quis clericus de ordine canonico, &c. *supra cap. 15. reg. Grod.*

Cap. XXX. *De reconciliatione pœnitentis capitale crimen.*

Ordo pœnitentiam agentis publicam sic est. Suscipies eum quarta feria mane in capite quadragesimæ, id est, in capite jejuniorum, & cooperies eum cilicio, & orabis pro eo, & includes eum usque in cœnam domini, qui eo die præsentatur in gremio ecclesiæ. Qui dum vocatus venerit ad reconciliandum, ante episcopum, vel clerum cum omni humilitate prostrato omni corpore super terram ante apsidam petat ab omnibus veniam, & episcopus, vel qui sub eo est, det orationes super eum ad reconciliandum in quinta feria cœnæ domini.

Cap. XXXI. *De confessione.*

Hortatur nos scriptura, &c. *supra c. 14. Grod.*

Cap. XXXII. *Ordo ad pœnitentiam accipiendam & confessionem faciendam.*

Hæc est ratio pœnitentiæ & confessionis nostræ C quæ coram Deo & sacerdotibus ejus a nobis pariter agendæ sunt. Id est in uno quoque anno tribus vicibus, id est in tribus quadragesimis populus fidelis suam confessionem suo sacerdoti faciat, & qui plus fecerit, melius facit; & monachi in unoquoque sabbato confessionem faciant cum bona voluntate episcopo aut priori suo." Quando volueris confessionem facere peccatum tuorum viriliter age, & noli erubescere, quia inde venit indulgentia unde fit confessio, & sine confessione non est indulgentia. In primis prosterne te humiliter in conspectu Dei in terra ad orationem, & roga beatam Mariam cum sanctis apostolis, & martyribus, & confessoribus, ut ipsi intercedant D pro te ad dominum, ut Deus omnipotens dignetur tibi dare sapientiam perfectam & scientiam, & intelligentiam veram, ad confitenda peccata tua, & postea surge cum fiducia & vera credulitate, & dic illi, Serve Dei credis in Deum patrem omnipotentem creatorẽ cæli & terræ? *Resp.* Credo. *Interr.* Credis in patrem, & filium, & spiritum sanctum? *Resp.* Credo. *Interr.* Credis quod istæ tres personæ, quas modo diximus, pater & filius & spiritus sanctus, tres personæ sunt & unus Deus? *Resp.* Credo. *Interr.* Credis quod in ipsa carne in qua nunc es, recipere habes quod egisti, & quod egeris sive bonum sive malum? E. *Resp.* Credo. *Interr.* Credis resurrectionem & vitam esse tibi post mortem? *Resp.* Credo. *Interr.* Vis dimittere omnia mala illis omnibus qui in te peccaverunt, ut Deus dimittat tibi omnia peccata tua, dicente eodem domino in euangelio. *Si remiseritis hominibus peccata eorum remittentur vobis peccata vestra.* Resp. Volo. Postea require eum diligenter, si sunt secum opera mala, quæ separant hominem, ut ait apostolus, a regno Dei, & hæc sunt mala cogitatio, malus sermo & otiosus, odium, invidia, detractio, maledictio, convitium, turpiloquium, scurrilitas, dissimulatio, adulatio, murmuratio, cupiditas carnalis, elatio, desidia, pigritia, inhonoratio bonorum, inhonoratio cognatorum, inhonoratio dierum dominicorum & sanctarum solemnitatum, ignorantia, negligentia, vana gloria, iracundia,

" & clerici canonici in tertio sabbato. *ex cod. Andeg.*

Matth. lib.

iracundia, avaritia, falsa testificatio, somnolentia, intemperantia in cibis, rapina, gula, ebrietas, comessatio, fornicatio, adulterium, sacrilegium, superbia, perjurium, furtum, homicidium, & his similia. Et postquam confessus fuerit sua peccata, si vult dimittere ea, da ei pœnitentiam: & si non vult, non des ei pœnitentiam, quia non potes. Et si vult dimittere ipsa peccata, fac ei confiteri ea, & ad ultimum dicere, Multa sunt peccata mea in factis, in verbis, in cogitationibus. Tunc da ei pœnitentiam canonice mensuratam. Et post ea effunde super eum orationes & preces. Cavendum est utique, ne hi qui in gravibus peccatis incidunt, & hi qui in levioribus quibusdam delinquunt æqualiter judicentur, sed secundum morbum adhibenda medicina.

Cap. XXXIII. *De excommunicatione culparum.*

Si quis clericus contumax, &c. *supra cap.* 17.

Cap. XXXIV. *De quadragesimæ observationibus.*

Licet omni tempore vita Christianorum, &c. *supra cap.* 20.

Cap. XXXV. *De temporibus in quibus semel aut bis in die clericis reficiendum.*

A pascha autem usque ad pentecostem, &c. *supra ibidem.*

Cap. XXXVI. *De festivitatibus sanctorum.*

Illud intimare complacuit, &c. *supra cap.* 30.

Aliis vero diebus festis sicut moris est ecclesiæ, juxta quod melius prælati possunt, clericis suis cibum potumque ministrent. & illud interea caveant prælati, ne id quod dare debent aut possunt qualibet dissimulatione aut tenacitate subtrahant, ne paupertatis occasione compulsi per diversa vagari ac se turpibus implicare negotiis cogantur. relictoque ecclesiastico officio incipiant indisciplinate vivere, & propriis voluptatibus deservire. & prælati qui eis necessaria largiendo a domino remunerari poterant districte & sincere iudicentur.

Cap. XXXVII. *Ut non præsumat aliquis alterum cædere aut excommunicare.*

Vetetur in hoc ordine canonico, &c. *sup. c.* 12.

Cap. XXXVIII. *In congregatione canonicorum nulli liceat alterum defendere.*

Omnibus modis cavendum est, &c. *cap.* 13.

Cap. XXXIX. *De zelo bono quem debent servi Dei habere invicem.*

Sicut est zelus amaritudinis, &c. *cap.* 11.

Cap. XL. *De infirmis canonicis.*

Si aliquis ex clero infirmatur, &c. *cap.* 28.

Cap. XLI. *De vestimentis & calciamentis clericorum.*

Illa dimidia pars cleri qui seniores fuerunt. &c. *supra cap.* 29.

Cap. XLII. *De eleemosynis accipiendis.*

Si aliquis uni sacerdoti, &c. *supra cap.* 42.

Cap. XLIII. *De mensura sacerdotibus de eleemosyna accipienda & facienda.*

Nimis grave eis esse, &c. *supra ibidem.*

A Cap. XLIV. *De cura quam in populo sibi commisso habere debent clerici.*

Cavendum nobis est ne in periculum per nostram negligentiam ut ita dixerim absque baptismo, & confirmatione, & confessione, & prædicatione, in quadam securitate positus incurrat noster populus. unde constituimus ut bis in mense per totum annum de quinto decimo in quinto decimo die verbum salutis ei prædicetur. qualiter ad vitam æternam Deo auxiliante perveniat. ut si omnibus festis & dominicis diebus assiduata fuerit prædicatio, utilior est, & juxta quod intelligere vulgus possit ita prædicandum est.

B Cap. XLV. *Cui committi debeant stipendia pauperum.*

Euangelicis atque apostolicis instruimur documentis, &c. *cap.* 141. *Aquisgr. pag.* 1403. A.

Cap. XLVI. *De præpositis.*

Quamvis omnes qui præsunt, &c. *cap.* 139. *Aquisgr. pag.* 1401. C.

Debent igitur cunctæ congregationi utiles esse, & de ministerio sibi commisso fideliter prodesse ea vero quæ fratribus dare debent cum caritate tempore oportuno incunctanter præbeant. quatenus a domino de fideli administratione gradum bonum sibi adquirant.

C Cap. XLVII. *Quales vice prælatorum in congregatione fungi debeant.*

Oportet ecclesiæ prælatos, &c. *cap.* 138. *Aquisgr. Ibidem.* B.

Cap. XLVIII. *De pueris nutriendis custodiendisque.*

Solerter rectores ecclesiarum, &c. *cap.* 135. *Aquisgr.*

Cap. XLIX. *Ut omnes canonici ad completorium conveniant.*

Expletis religiosissimo obsequio, &c. *c.* 136. *Aquisgr.*

Cap. L. *De cantoribus.*

D Studendum summopere, &c. *cap.* 137. *Aquisgr.*

Cap. LI. *Quales ad legendum & cantandum in ecclesia constituendi sunt.*

Tales ad legendum, &c. *cap.* 133. *Aquisgranens.*

Cap. LII. *Modus correptionis.*

Quamquam contemptores, &c. *cap.* 134. *Aquisgr.*

Cap. LIII. *Ut canonici cucullas monachorum non induant.*

E Reprehensibilem, &c. *c.* 125. *Aquisgr.*

Cap. LIV. *Ut in cultu vestium discretionem teneant canonici.*

Quærere nos potius Deum cultu cordis quam corporis, &c. *c.* 124. *Aquisgr.*

Cap. LV. *Quod a prælatis gemina pastio sit subditis impendenda.*

Solerter prælatis satagendum est, &c. *c.* 123. *Aquisgr.*

Cap. LVI. *De familiaritate a clericis mulierum extranearum devitanda.*

Prima quidem temptamenta, &c. *c.* 98. *Aquisgr. ex ep. s. Hier. ad Oceanum. pag.* 1367. C.

Inde mando atque remando ut hospitiolum canonicorum [a] aut raro aut nunquam mulierum pedes terant. Vir autem sive mulier, cum ad dominum conversi fuerint post peccatum suum quod ad invicem commiserunt, nec in una villa unquam pœniteant, nec sit inter eos salutatio, aut beneficium, nec visus, nec colloquium, si non casus intervenerit; nec de uno fonte, ut vulgo dicitur, potum bibant, nec alumnus inter utrumque concurrat, nec munusculum quidem nec conloquium, ut diximus, nec recordatio alterius in mente sua requiescat: sed cum adfuerit, cito venia a Deo petatur. meminisse debent canonici, quod nec Davide sanctiores, nec Salomone sapientiores possunt esse. Meminisse debent, quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecit.

[a] *ex S. Hier. in ep. ad Nepotianum con. Aquisgr. c. 94. ante medium.*

Cap. LVII. *De clericis non manentibus in suo proposito.*

Qui semel in clero deputati sunt, aut monachorum vitam expetierunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam, & hoc temptantes, & non agentes pœnitentiam, quo minus redeant ad hoc quod propter Deum primitus [b] inegerunt anathematizari.

[b] elegerunt *ex cod. Andeg.*

Cap. LVIII. *De humiliatione facienda propter Deum carne.*

Multitudines & officia, &c. *c. 95. Aquisgr. ex ep. S. Hier. ad Paulinum.*

Cap. LIX. *De iracundis doctoribus.*

Iracundi doctores, &c. *c. 33. Aquisgr. ex c. 40. libri* III. *sententiarum S. Isidori.*

Cap. LX. *De doctrina & exemplis doctorum.*

Tam doctrina. &c. *c. 20. Aquisgr. ex c. 36. lib.* III. *sent. ejusdem sancti.*

Cap. LXI. *De taciturnitate.*

Omni tempore in ecclesia tam a populo quam a clero summum silentium fiat, excepto hoc quod ad laudes Dei pertineat. Videamus quod ait propheta, *Dixi custodiam vias meas ut non delinquam in lingua mea.* Item *Posui ori meo custodiam, obmutui & humiliatus sum a bonis.* Hic ostendit propheta, si a bonis eloquiis propter taciturnitatem debet interdum taceri, quanto magis a malis verbis propter pœnam peccati debet cessari? Inde sancta scriptura dicit, qui in ecclesia verbosari fecerit, & pro se & pro aliis malam redditurus est rationem in die judicii. Ergo quamvis de bonis & sanctis eloquiis propter taciturnitatem rara loquendi in ecclesia concedatur licentia, quia scriptum est, *In multiloquio non deerit peccatum.* Et alibi. *Mors & vita in manibus linguæ.* Nam loqui & docere magistro conceditur, tacere & audire discipulo convenit. Qui hanc taciturnitatem in ecclesia minime custodierit, sed fregerit, sit in ipso die pænitens in aqua & pane: & si iterum, tribus diebus pœniteat in pane & aqua. Et si tertia vice iteraverit, septem diebus ut supra pœniteat. Et si amplius hoc facere præsumpserit, corporali disciplinæ subjiciatur ut ceteri timeant.

Psal. 38. Prov. 10. Ibid. 14.

Cap. LXII. *De ebrietate a clero vitanda atque detestanda.*

Dominus in euangelio dicit. *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra crapula.* Et apostolus dicit, *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* Salomon viro dicit, *Luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas. quicumque in his delectatur, non erit sapiens. Nullum secretum est ubi regnat ebrietas.* Alibi dicitur, *Operarius ebriosus non locupletabitur. vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* Et alibi, *Diligentes semper se inebriari vino noli provocare in congregationem tuam.* Vinolentos sacerdotes, & apostolus damnat, & vetus lex prohibet, qui altari serviunt vinum & siceram non bibent. Sicera Hebræo sermone omnis potio nuncupatur quæ inebriare potest. quidcquid inebriat & statum mentis mutat, fuge similiter ut vinum.

Luc. 21. Ephes. 5. Prov. 20. Eccli. 19. Ibidem 31. Levit. 10.

Qui cupis esse bonus, & vis dignoscere verum,
Vt mortis socium sic mordax effuge vinum.
Nulla febris hominũ major quam viteus humor.
Surdescunt aures, balbutit denique lingua.
Dic mihi dic, ebrie an vivis, an morte gravaris?
Pallidus ecce jaces, corpus sine mente quiescit.
Non bona, non mala, non dura, & non mollia sentis.

Cavete, fratres, in omnibus ebrietatem, quia magna subversio animi est. Nam sicut ignis facile incendit stupas & leviores paleas; ita ebrietas corrumpit animam, & dejicit eam in grande peccatum. Dominus per prophetam ait, *Væ illis qui mane surgunt ad ebrietatem sectandam, & ad potandum vinum usque ad vesperam.* Et in alio loco dicitur. *Væ his qui potentes sunt ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Basilius dicit, plurimi namque homines per vinum maximam debilitatem corporis contraxerunt, nec potuerunt consequi pristinam firmitatem. Ebriosus putat se aliquid optimum agere, cum fuerit præcipitio devolutus. Fratres carissimi, nolite inebriari, nolite bibendo immoderate nomina vestra de cælo delere. Sunt multi, quod pejus est, qui non solum se inebriant, sed etiam alios adjurant, ut amplius quam expedit bibant. o infelix qui hoc facis, non tibi sufficit quod ipse peris, nisi adhuc insuper & alios perdas? Non tibi sufficit quod in illam ebrietatem incurris, adhuc & alios tecum trahis. Non sufficit misero ebrioso in ebrietate seipsum mergere, nisi & alios secum conetur involuere. Nolite fratres, nolite hoc malum facere. Audite apostolum dicentem, *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* Ebrius enim nec patrem, nec matrem, nec amicum, nec inimicum agnoscit, neque bona & mala discernit, nec ignem, nec gladium timet. Sic falsi fratres & persecutores sunt, qui Deum & ecclesiam contemnunt, nec bona nec mala discernunt, nec gladium præsentis vitæ, nec ignem gehennæ futuræ metuunt. Quando homo [a] ebrius fuerit, cor suum & membra deliberare non potest.

Isai 5. & 22. 1. Cor. 6.

[a] ebriosus

Cap. LXIII. *De clericis.*

Itaque omnes, &c. *cap. 99. Aquisgr. ex c. 1. lib.* II. *officiorum S. Isidori.*

Cap. LXIV. *De regulis clericorum.*

His igitur lege patrum cavetur, &c. *c. 100. Aquisgr. ex c. 2. l.* II. *off. S. Isidori.*

Cap. LXV. *De generibus clericorum.*

Duo sunt genera clericorum, &c. *c. 101. Aquisgr. ex c. 3. l.* II. *off. S. Isidori.*

Cap. LXVI. *De sacerdotibus peccantibus.*

Presbyter aut diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto, aut homicidio captus est, deponatur, non tamen cõmunione privetur: dicit enim scriptura: *Non judicabit dominus bis in idipsum.*

Neocæsa riense c. [illegible]

Cap. LXVII. *Vt presbyter habeat unam ecclesiam.*

Presbyter non amplius quam unam ecclesiam habeat, sicut & vir unam uxorem.

Cap. LXVIII. *Vt clerici nuptialia convivia vitent.*

Presbyteri, diacones, subdiacones, vel deinceps, quibus

...ticum ...d. xi. ...h. 39. quibus ducendi uxores licentia non est alienarum nuptiarum convivia evitent, neque his ceteris admisceantur, ubi amatoria cantica cantantur, aut ubi obsceni motus corporum choris & saltationibus efferuntur. Ne auditus & obtutus sacris mysteriis deputatus turpium spectaculorum atque verborum contagione polluatur.

Cap. LXIX. *De eo quod non per ambitionem sacerdotium appetendum.*

...eg. ep. ...lib. 6. Sicut qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus: sic qui ultro ambit, vel importunus se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam qui nititur ad altiora conscendere, quid agit nisi ut crescendo decrescat? cur non perpendit, quia benedictio illi in maledictum convertitur?

Cap. LXX. *De eo quod removentur presbyteri de officio suo.*

...æs. 1. Hi presbyteri qui in presbyterio suo filios genuerant, removeri ab officio suo debent.

Cap. LXXI. *Pro infirmis orare & unguere eos oleo præcipitur.*

Iacobus Apostolus scripsit, *Infirmatur quis in vobis?* &c. Quod non est dubiū de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo perungui possunt, quo ab episcopo confecto, non solū sacerdotibus, sed omnibus uti christianis licet in sua aut in suorum necessitate unguendis. Nam idcirco de presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si episcopus potest, aut dignum ducit a se visitatum & benedicere & tangere chrismate, sine cunctatione potest, cujus est chrisma conficere. Pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus posse putatur concedi?

Cap. LXXII. *Oblationes in domib. offerri nō oportet.*

...ic. 58. Non oportet in domibus oblationes celebrari ab episcopis, vel a presbyteris.

Cap. LXXIII. *Quomodo benedicendi sunt sponsus & sponsa.*

Sponsus & sponsa cum precibus, &c.

Cap. LXXIV. *De solemnitatibus præcipuis colendis.*

In sollennitatibus præcipuis, id est, in natali, & in octavis, & in epiphan. domini, & in pascha, & in ascensione domini, & in pentecoste, & in sanctorū festivitatibus, id est sancti Stephani, beati Ioannis euangel. & in festivitate infantiū, & in purificatione, & in asūptione sanctæ Mariæ. Similiter in beatorū apostolorum festis & S. Ioan. Bapt. & S. Laurentii, & S. Martini, sive & in natale cujuslibet sācti, cujus honor in qualicumq; parœcia specialis celebratur, plenariū officiū celebretur, & bis reficiatur.

Cap. LXXV. *De decimis dividendis.*

Sacerdotes populi suscipient decimas, &c.

Cap. LXXVI. *Vt presbyteri per diversa ab episcopis, aut a laicis indiscrete non mittantur.*

Statutum est ut presbyteri, sicut hactenus factum est, indiscrete per diversa non mittātur, nec ab episcopis, nec ab aliis prælatis, nec etiā a laicis, ne forte propter eorum absentiam fiant animarū pericula, & ecclesiarū in quib. cōstituti sunt negligātur officia.

Cap. LXXVII. *De illis qui soli missas contra canonicam auctoritatem canere præsumunt.*

Statutum est, ut nullus presbyterorum solus missā celebrare præsumat, quia nec verba domini salvatoris, quibus mysteria corporis & sanguinis sui discipulis celebranda tradidit, nec apostoli Pauli documenta declarant, nec in ipsis actibus apostolorum si enucleatim legantur, ita fieri debere ullomodo invenitur. Nā etsi interrogatus hujusmodi corporis & sanguinis domini solitarius consecrator fuerit, quid respondere poterit? Quibus enim dicit Dominus vobiscū, aut a quo illi respondetur, Et cum spiritu tuo: vel pro quibus supplicat Deum dum dicit, Memento domine, famulorū famularumq; tuarum, & omnium circumstantium, cum nullus circumstet? quæ consuetudo apostolicæ & ecclesiasticæ auctoritati contraria eradicanda, & funditus extirpanda est a domini sacerdotibus, & si quis hoc deinceps facere præsūpserit, gradus sui periculo subjacebit. Theodulfus cap. 7. epist. ad presbyt.

Cap. LXXVIII. *Vt presbyteri inconsulto episcopo non constituantur in ecclesiis, vel de ecclesiis expellantur.*

Statutū est ut sine auctoritate, vel consensu episcoporū presbyteri in quibuslibet ecclesiis non constituantur, nec inde expellantur, & si quis deinceps hoc facere temptaverit, synodali sententia districte feriatur. Cabilon. 2. c. 42.

Cap. LXXIX. *De libris quos unusquisque secum in ecclesia habere debet.*

Hi sunt libri quos habere debet unusquisq; sacerdos in sua ecclesia, per quos scilicet missas & epistolas, seu etiam euangelium, vel baptisterium, seu pœnitentiam, aut circulos annorum, sive lectiones nocturnales legere potest. Si quis tales non habuerit ab ecclesia degradetur, quia in illo complectur quod in libris legitur, *Canes muti non possunt latrare*: isti sunt mali presbyteri, qui concupiscunt accipere pastorale ministerium ecclesiæ, nec tamen possunt ad populum prædicare.

Cap. LXXX. *De non suscipiendis alterius ecclesiæ clericis, & de susceptoribus eorum absque literis commendatitiis, vel testibus clericis in eadem ecclesia militantibus.*

Iam constitutum est quod non liceret in alterius civitatis ecclesia, vel in potestate laicorum clericos militare; sed ibidem permanere, in qua principio meruerunt ministrare, extra eos qui missi a patria ad aliquam ecclesiam pro necessitate venerint. Qui vero episcoporum, aut laicorum, post hoc constitutum alterius ecclesiæ clericum susceperit, nisi ad excusandum rationabiliter, placuit a communione suspendi, & eum qui suscipit, & qui susceptus est, quousque clericum ad suam fecerit reverti ecclesiam. Antioch. 3. Isai. 56.

Cap. LXXXI. *Epistola cujusdam deicolæ in Christi nomine missa ad sacerdotes & clericos prædicationis atque instructionis causa ipsis directa.*

Dilectissimis sacerdotibus ecclesiarum Christi præsulibus, & cunctis clericis in eisdem ubique ei famulantibus, & deicolis omnibus in totum mundum degentibus æternam in domino salvatore nostro salutem.

Noverit igitur dilectio vestra, quod semper sollicitus sum, & valde nosse desidero de salute & sanitate ac vita vestra. Deus autem omnium nostrum vestrumque pium adimpleat desiderium in gloriam, & vitæ sanctæ disciplinam. Ergo cum simus dominicæ plebis superna miseratione rectores, studiosius nos convenit Dei præsidium pro eorum sæpe cogitare salute, qui nobis commissi esse videntur: ne de creditis frustratisque quod absit animabus insidiis antiqui hostis ante omnium pastorem, nisi succedat præveniendo de offensis correctio, districtam cogamur solvere rationem. Vnde rogamus vos, ut juste & pie sancteque viventes ceteris fidelibus in exemplum sitis, & casto corde & corpore sub regula canonica vivatis. Et prætera peto ut consideretis, & ante mentis & corporis oculos sēper habeatis quid sumus nos & vos.

A Nonne homines sumus? & unde homines nisi de humo? Et quid est humus nisi pulvis & cinis: & quid erimus nisi quod dictum est, *Christus cum apparuerit*, si bene egerimus, *similes ei erimus*, hoc est in immortalitate & æternitate. Abnegemus cariſſimi fratres quod ſumus, ut incipiamus eſſe quod non ſumus. Ergo omne bonum a ſummo Deo ſperandum eſt, quia *niſi dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam*: & *niſi dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilant qui cuſtodiunt eam.* Nos ergo petamus, quæramus, pulſemus, *qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* cogitemus ſemper ultimum noſtri exitus diem. ornemus finem noſtrum, & componamus diligenter vitam noſtram, & quantum incerti ſimus de obitus noſtri die, tantum parati ſimus in actione noſtra bona, ut quandocumque venerit, nos ſemper paratos inveniat.

Coloſſ. 3.

Pſal. 126.

Luc. 11.

B Conſideremus & penſemus quia diſtrictus venturus eſt judex, qui non ſolum operum ſed cogitationum exactor apparebit. Laboremus in opere Dei quantum poſſumus, quantum debemus, quoniam ut ait Apoſtolus, *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Qua de re ſatagendum eſt nobis, & omnibus fidelibus, ut ad ipſam gloriam fideliter curramus. Veſtram quoque, o ſacerdotes fratreſque dulciſſimi, moneo ſolertiam, ut reminiſcamini quam magna ſuſcepta habeatis onera animarum. Namque curam ſuſcepiſtis. Ideo ſecuritatem vitæ deponite, quæ inutilis eſt animæ & corpori.

C Quoniam qui animas ſuſceperunt ad regendum parare ſe debent ad rationem reddendam in conſpectu Dei. Idcirco in quantum prævaletis tam verbo quam exemplo, ut prædiximus, admonere non ceſſetis vobis commiſſas oves, ut in judicio cum propheta abſoluti dicere poſſitis, *Domine juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam & ſalutare tuum dixi.* Diem ultimum cogitate & regulam veſtram conſervate, villicationem veſtram penſate, quia de omnibus qui veſtra negligentia perierint, rationem eritis reddituri in diem judicii. Et ut de negotio lucrum reportetis & præmium, oportet vos magis prodeſſe quam præeſſe. o ſpiritales ſacerdotes, diligite clerum & populum

Pſal. 39.

D veſtrum, & nullos vobis æſtimetis propinquiores eſſe parentes, quam qui vobiſcum in domo & in opere Dei morantur, quia ubi amor & dilectio eſt ſpiritalis, ibi Deus mediator inhabitat; qui dixit, *In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* veſtram quoque fragilitatem humiliter conſiderate, & infirmorum curam patienter portate. In imperio veſtro moderati ſitis, ut regula docet. Similiter moneo, ut opera quæ injungitis diſcernatis & temperetis. diſcretionem ſemper cogitate ut quod fecerint ſubjecti veſtri abſque murmure faciant, ut & animæ ſalventur, & corpora ſupra modum non graventur.

Ioan. 13.

E Moneo & omnes clericos vobis ſubjectos, ut vobis humiliter obediant, & regulam canonicam pro viribus adimplere ſatagant, & abſque murmuratione imperio veſtro ſubjaceant, dominoque dulciter ſerviant. *omnis homo poteſtatibus ſublimioribus* ſuiſque præpoſitis ſubditus eſſe debet, quanto magis ſervi Dei obedire humiliter præpoſitis ſuis debent? Moneo etiam & regulæ canonicæ memores ſint, ejuſque præcepta ante oculos ſemper habeant. Nam quis ſcit quid contingat ſibi vel aliis in hac vita? aut quis unquam inobediens ad bonum finem pervenit? Nobis vero pavor incutitur non modicus, dum legimus multorum ſanctorum in fine fuiſſe periculum, & poſt tantos labores conquiſitos etiam de ſummis ad ima fuiſſe præcipitatos; quorum caſus noſter debet eſſe profectus. Siquidem & primum hominem per inobedientiam cecidiſſe legimus. Multa ſiquidem atque innumerabilia de his colligi poſſunt, ſed nobis iſta modo ſufficiunt, ut in his caveatis ne inobedientiam in aliquo incurratis. Non vos delectent delitiæ ſuperfluæ, niſi quantum corpus ſuſtentari videtur, & non quantum voluntas humana appetere temptat. Nolite eſſe cultis veſtibus adornati, ſed ſimplici modo neceſſitatibus corporis contenti, ſic habeatis diſciplinam, ut non amittatis animam. Nolite eſſe oblivioni dediti, nec ulla ſecuritate hebetati, ſed tam corporis quam animæ alimenta præparate vobis & clericis ſubjectis veſtris ut læti vobiſcum Chriſto ſerviant, ſub cujus ſervitio ſe tradiderunt, ut in futuro mercedem recipiatis, & vocem domini audiatis ubi dicitur, *Quia ſuper pauca fidelis fuiſti, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui.* Ad quod gaudium me peccatorem, & vos omnes una cum omnibus nobis commiſſis, dominus & ſalvator noſter, precibus omnium ſanctorum ſuorum perducere inlæſos in vita æterna dignetur qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Rom. 13. Tit. 3.

Matth. 2[5].

Cap. LXXXII. *Alia epiſtola ad epiſcopum.*[*] *Dulciſſimo domno meo epiſcopo in Chriſti nomine ſalutem perpetuam.*

[*] In Ang[…]gavenſi codice […]men illi[…] epiſcopi exprimi[…] *Balden[…] epiſcopus*

Pater dulciſſime, bene valeas in Chriſto, & illi ſemper placeas. Saluto te, & per te omnes clericos tuos. Conſolare & conforta eos in ſervitio domini noſtri Ieſu Chriſti in quantum prævales. Moneo prudentiam tuam ut peccantes arguas coram omnibus, ut timorem ceteri habeant. Qui enim proximorum mala reſpicit, & tamen ſilentio linguam premit, eo mortis auctor fit, quo eos quos potuerat curare noluit. Nos ergo qui in periculoſo ordine conſtituti ſumus, adtendamus ne ſimus inutiles ſervi, illius ſemper memores ſimus mandati quod dixit, *Hoc eſt mandatum meum ut diligatis invicem.* In hoc enim mandato omnium ſalus conſiſtit. Hoc cunctis perneceſſarium eſſe conſtat, & maxime his qui gregem Chriſti regendum accipiunt. Quapropter paſtor cariſſime gregem quem accepiſti ad regendum diligenter erudire ſtudeto, & ſanctis admonitionibus per paſcua vitæ deducere ſatage. Habes in omni opere bono Chriſtum adjutorem: ſanctum quoque cui militas interceſſorem. ſicut gubernationem & diſpenſationem in domo domini habere videris, ita tibi ſubjectos bonis moribus ornare contende, & eos in divina laude devotiſſime fac conſiſtere, & quod angeli ſemper agunt in cælis, hoc tui cleri jugiter faciant in eccleſiis. Tuum eſt præcipere, illorum obedire; tuum eſt præire, illorum ſubſequi. Omnium itaque in ſervitio Dei una debet eſſe voluntas, ut una fiat in regno Dei remuneratio. Nullus horis canonicis ſe divinis ſubtrahat laudibus, ne propter aliquam negligentiam alicujus locus in conſpectu Dei vacuus inveniatur, & verba Dei in eccleſiis intimo cordis affectu proferantur, & cum magna reverētia Dei omnipotētis officia celebrētur. omne vero miniſteriū Chriſti humiliter & devote impleatur. Omnis quoque inobedientia in ſæculi neceſſitatibus fideliter & ſtrenue peragatur. Fiat quidem inter omnes concordiſſima pax & ſanctiſſima caritas & devotio vitæ regularis. ſeniores bonis exēplis & ſedula admonitione erudiant juniores, illoſque diligant ut filios, & illi quaſi patres eos honorificent illorūque omni alacritate obediant præceptis.

Tua

Tua vero venerande pastor cōversatio omnibus sit exemplum salutis. Cave ut nec minimus quis in tua scandalizetur vita, sed ædificetur & roboretur in via veritatis, quia tibi ex illorum salute merces judicabitur æterna. Cani capilli extremum denuntiant properare diem. Quapropter paratus esto omni hora, in occursum domini Dei tui. Dilectio fraterna & eleemosynæ miserorum & vitæ castitas præ parent tibi gradum in cælo. Festivis diebus veniente ad ecclesiā populo, fac eis prædicare verba Dei, & quocumque vadis, clerici qui servitium Dei plenit er pe ragant, tecumeant, sobrietate ornati, non ebrietati adstricti. Quorum honestas vitæ aliis sit doctrina salutis, curamque omnium ubiq; habeas, & maxime pauperum, viduarū, & orphanorū, & audias in die tremēdo a domino cum aliis eleemosynā facientibus. *Quamdiu fecistis uni ex his minimis mihi fecistis.* Esto miseris ut pater, & causā ad te clamantium diligenter discute, & parce in te peccantibus, ut Deus tuis parcat peccatis. Esto justus in judiciis & misericors in debitis: magister virtutum, moribus honestus, verbis jocundus, vita laudabilis, in omni opere Dei devotus: cleros quoq; cohortare, ut sanctas scripturas diligentissime legant. Non confidant in linguæ notitia, sed in veritatis intelligentia, ut possint contradicentibus veritati resistere. Sunt enim tempora periculosa, ut apostolus prædixit. Quia multi pseudodoctores surgent introducētes sectas; qui Catholicam fidem impiis adsertionibus maculare nitatur. Ideo necesse est ecclesiam plures habere defensores, qui non solum vitæ sanctitate, sed etiam doctrina veritatis castra Dei viriliter defendere valeant. Has vero piæ admonitionis literulas non quasi nescienti direxi, sed ut veræ caritatis, quæ est in meo pectore fidem ostenderem. Omnipotens Deus te tuosque carissimos cleros in omni bono proficere faciat, & ad beatitudinem æternæ gloriæ venire concedat, qui regnat in sæcula sæculorum: Amen.

Matth. 25.

Cap. LXXXIII. *De doctrinæ discretione.*

Non omnibus una eademque doctrina &c. c. 23. *Aquisgr. ex c. 43. lib. III. sententiarum S. Isidori & ex prologo libri III. pastoralis S. Greg. papæ, &c.*

Cap. LXXXIV. *De clerico derelinquente clericatum suum.*

. II. 3.

Siquis vero clericus relicto officii sui ordine, laicam voluerit agere vitam, vel se militiæ sæculari tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.

Cap. LXXXV. *De eo quod non facile ejiciatur unus de ordine canonico.*

Silvester dicit, Non acolytus adversus subdiaconum, non exorcista adversus acolytum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius aduersus lectorem det accusationem aliquam. Et non subdiaconus, acolytus, exorcista, ostiarius, lector filios habentes & uxorem, & omnino Christum prædicantes, nisi in testimoniis septem, Et non damnabitur diaconus nisi in XXXVI. & non damnabitur presbyter nisi in XLIV.

...anum . 2. . Sil... o c. 3.

Cap. LXXXVI. *De eo quod canonici debent se præcavere ante transformationes dæmonum.*

Admonendi sunt clerici canonici, ut sint cauti, ne a dæmonibus in cogitationum subtilitate seducantur. propterea & forma diaboli inter clericos observetur, ut si quis ad eos veniat, sive vir, sive mulier sit, sive senex, sive juvenis, etiamsi notus, sive ignotus sit, ante omnia oratio fiat, ut nomen domini primū invocetur, quia si fuerit aliqua transformatio dæmonis continuo oratione facta defugiet. Si vero in cogitatione eorum suggesserint dæmones, aliquo modo laudari aut extolli debeant, non adquiescant eis. Sed tunc magis semetipsos humilient in conspectu domini, & pro nihilo ducant, cum sibi aliquid inlicitum suggesserint. Venerunt dæmones ad quemdā monachū nomine Or, in specie cælestis militię & habitu Angelorū, currus igneos agentes plurimo apparatu, tanquam magnum aliquem regem deducentes: isque qui a ceteris ut rex haberi videbatur dicebat ad eum, Implesti omnia, o homo, tantum superest tibi ut adores me. Sed si adoraveris me transferam te sicut Heliam: & Monachus Or hæc audiens dicebat in corde suo. Quid est hoc? Quotidie ego salvatorem meum qui est rex meus adoro. Hic si esset ille quem adoro, quomodo hoc a me posceret, quod indesinenter me facere sciret? Post hæc respondit ad ipsum, Ego habeo meum regem, quem quotidie sine intermissiōne adoro, tu autem non es rex meus: & continuo ille inimicus ad hæc verba nusquam comparuit. Item Fortunatus episcopus ex quodam homine immundum spiritum excussit. Qui malignus spiritus cum vesperascente jam die secretam ab hominibus horam cerneret, peregrinum quempiam esse se simulans circuire cœpit civitatis plateas & clamare, O virum sanctum Fortunatum episcopū, Ecce quid fecit. Peregrinum hominem de hospitio expulit. Quæro ubi requiescere debeam, & in civitate ejus non invenio. Tunc quidam in hospitio cum uxore sua & parvulo filio ad prunas sedebat. Qui vocem audiens, & quid ei episcopus fecerit requirens, hunc inuitavit hospitio, & sedere eum secum juxta prunas fecit. Cumque vicissim aliqua confabularentur, isdem malignus spiritus parvulum filiū invasit, atq; in easdem prunas projicit, ibiq; mox ejus animam excussit. Qui orbatus miser vel quem ipse susceperit, vel quem episcopus expulisset, agnovit.

" ** Hic desinit Andegavensis codex teste Sirmondo, qui vidit exscripsitq;. At vero in Fiscanensi codice spatio aliquo vacuo interjecto adjectum fuisse, & alterum longiusculum caput quod est 122. concilii Aquisgranensis de mensura cibi & potus: Illud quoque &c.

" ** *In eodem codice Fiscanensi ms. reperta sunt quæ sequuntur ad libellos pœnitentiales spectantia, neque alibi, quod sciam, edita.*

Bonifacius archiepiscopus edidit.

Quomodo possumus pœnitentiam VII. annorum in uno anno pœnitere. Triduanam pro XXX. diebus & noctibus cantatio psalmorum.. c. XX. Psalterio pro XII. mensibus. Pro uno die L. psalmos. & V. vicibus *Pater noster*. Item. Pro uno die IV. vicibus, *Beati immaculati.* & VI. vicibus, *Miserere mei Deus.* & V. vicibus, *Pater noster.* & LXX. vicibus prosternens se in terra cum *Pater noster* dicat injectione. Faciat sic pro vno die. Si vult minus psallere, tamen vult patere, prosternat se frequēter in oratione c. vicibus, & dicat, *Miserere mei Deus, &, dimitte delicta mea.* Faciat hoc pro uno die. Qui vult confiteri peccata sua cum lacrymis confiteri debet. Quia lacrymæ veniam non postulant, sed merētur. Roget presbyterum ut missas cantet pro eo, nisi sint crimina capitalia, quæ debet ante lavare cum lacrymis. Cantatio unius missæ potest XII. dies redimere. Decem missæ IV. menses; viginti missæ VIII. menses. Triginta missæ XII. menses possunt redimere, Si vult confessor esse cum lacrymis. *Deo gratias.*

LUDOVICI PII IMPERATORIS
CAPITULARE I.

anno imperii ejus tertio in Aquisgrani palatio editum post synodum Aquisgranensem.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De rebus ecclesiæ non dividendis.*
II. *De episcopis eligendis.*

CAPITULA.

I

Capitulare. lib. 1. c. 83. QUia juxta sanctorum patrum traditionem novimus res ecclesiæ vota esse fidelium, precia peccatorum, & patrimonia pauperum, cuique non solum habita conservare, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus. Tamen ut ab ecclesiasticis de non dividendis rebus illius suspicionem dudum conceptam penitus amoveremus, statuimus ut neque nostris, neque filiorum, &, Deo dispensante, successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint, ullam penitus divisionem aut jacturam patiatur.

II.

Lib. 1. c. 84. Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta ecclesia suo liberius potiretur honore, assensum ordini ecclesiastico præbuimus, ut scilicet episcopi per electionem cleri & populi secundum statuta canonum, de propria diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant.

III

Lib. 1. c. 85. Quia vero canonica professio a multis, partim ignorantia, partim desidia dehonestabatur, operæ precium duximus, Deo annuente, apud sacrum conventum, ex dictis sanctorum patrum, velut ex diversis pratis quosdam vernantes flosculos carpendo, in unam regulam canonicorum & canonicarum congerere, & canonicis vel sanctimonialibus servandam contradere: ut per eam canonicus ordo absque ambiguitate possit servari. Et quoniam illam sacer conventus ita etiam laudibus extulit, ut usque ad unum iota observandam percenseret, statuimus ut ab omnibus in eadem professione degentibus indubitanter teneatur, & modis omnibus sive a canonicis, sive a sanctimonialibus canonice degentibus, deinceps observetur.

IV.

Monachorum siquidem causam qualiter, Deo opitulante, ex parte disposuerimus, & quomodo ex seipsis sibi eligendi abbates licentiam dederimus, & qualiter, Deo opitulante, quieti vivere, propositumque indefessi custodire valerent ordinaverimus, in alia schedula diligenter annotare fecimus, & ut apud successores nostros ratum foret, & inviolabiliter conservaretur, confirmavimus. Lib. 1. c. 86

V.

Statutum est, quidquid tempore imperii nostri a fidelibus ecclesiæ sponte collatum fuerit, in ditioribus locis duas partes in usus pauperum, tertiam in stipendia cedere clericorum, aut monachorum: in minoribus vero locis æque inter clerum & pauperes fore dividendum: nisi forte a datoribus, ubi specialiter dandæ sint, constitutum fuerit. Lib. 1. c. 8

VI.

De servorum vero ordinatione, qui passim ad gradus ecclesiasticos indiscrete promovebantur, placuit omnibus cum sacris canonibus concordari debere: & statutum est, ut nullus episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promovere præsumat, nisi prius a dominis propriis libertatem consecuti fuerint. Et si quilibet servus dominum suum fugiens, aut latitans, aut adhibitis testibus munere conductis vel corruptis, aut qualibet calliditate vel fraude ad gradus ecclesiasticos pervenerit, decretum est, ut deponatur, & dominus ejus eum recipiat. Si vero avus vel pater ab alia patria in aliam migrans, in eadem provincia filium genuerit, & ipse filius ibidē educatus, & ad gradus ecclesiasticos promotus fuerit, & utrum servus sit ignoratum fuerit, & postea veniens dominus illius legibus eum acquisiverit, sancitum est, ut si dominus ejus illi libertatem dare voluerit, in gradu suo permaneat: si vero catena eum servitutis a castris dominicis extrahere voluerit, gradum amittat, quia juxta sacros ordines vilis persona manens sacerdotii dignitate fungi non potest. De rebus vero illorum, vel peculiari, qui a propriis dominis libertate donantur, ut ad gradus ecclesiasticos jure promoveantur, statutum est, ut in potestate dominorum consistat, utrum illis concedere, an sibi vindicare voluerint. Ceterum si post ordinationem aliquid acquisierint, illud observetur quod in canonibus de consecratis nihil habentibus constitutum est. De ecclesiarum vero servis communi sententia decretum est, ut archiepiscopi per singulas provincias constituti nostram auctoritatem, suffraganei vero illorum exemplar illius penes se habeant. Et quandocumque de familia ecclesiæ utilis inventus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, & coram sacerdotibus vel coram fidelibus laicis ante cornu altaris, sicut in nostra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate libertatem consequatur, & tunc demum ad gradus ecclesiasticos promoveatur. Similiter quoque de his agendum est, quos laici de familia ecclesiarum ad sacros ordines promovere voluerint: sed & de his quos præpositi canonicorum, aut monachorum, ordinandos expetiverint, eadem forma servanda est. Lib. 1. c. 88

VIII.

Statutum est, ut nullus quilibet ecclesiasticus ab his personis res deinceps accipere præsumat, quarum

quarum liberi aut propinqui hac inconsulta A oblatione possint rerum propriarum exheredari. Quod si aliquis deinceps hoc facere tentaverit, ut acceptor synodali vel imperiali sententia districte feriatur, & res ad exheredatos redeant.

VIII.

Statutum est etiam, ut nullus in canonica aut regulari professione constitutus aliquem tonsurare propter res adipiscendas deinceps persuadeat: & qui hoc facere tentaverit, synodali vel imperiali sententia modis omnibus feriatur.

IX.

.1.c.90. Statutum est, ut sine auctoritate vel consensu episcoporum presbyteri in quibuslibet ecclesiis B nec constituantur, nec expellantur. Et si laici clericos probabilis vitæ & doctrinæ episcopis consecrandos, suisque in ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos rejiciant.

X.

.1.c.91. Statutum est, ut unicuique ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servitio attribuatur, & presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque atriis vel hortis juxta ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod servitium faciant præter ecclesiasticum. Et si aliquid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant. C

XI.

.1.c.92. Statutum est, postquam hoc impletum fuerit, ut unaquæque ecclesia suum presbyterum habeat, ubi id fieri facultas providente episcopo permiserit.

XII.

c.93. Sancitum est de villis novis, & ecclesiis in eis noviter constitutis, ut decimæ de ipsis villis ad easdem ecclesias conferantur.

XIII.

.1.c.94. De sacris vasis ecclesiæ, quæ in pignus a nonnullis in quibusdam locis dari comperimus, inhibitum est ne deinceps a quoquam fieri præsumatur, nisi solummodo necessitate redimen- D dorum captivorum compellente.

XIV.

.1.c.95. De ecclesiis sane destructis, vel de nonis & decimis, sive de claustris canonicorum, qualiter constitui & ordinari nobis placuerit, aliis capitulis subter annotavimus.

XV.

.1.c.96. Sed & de ecclesiarum honore, quomodo Deo adjuvante, quantum in nobis est, vigeat, similiter in subter annotatis capitulis insertum esse dignoscitur.

XVI.

.1.c.97. De episcopis vero in Longobardia constitutis, qui ab his quos ordinabant sacramenta & munera E contra divinam & canonicam auctoritatem accipere vel exigere soliti erant, modis omnibus inhibitum est ne ulterius fiat: quia juxta sacros canones uterque a gradu proprio talia facientes decidere debent.

XVII.

.1.c.98. Statutum est ab episcopis de presbyteris qui feminas secum indiscrete habitare permittunt, & propter hoc malæ opinionis suspicione denotantur, ut si deinceps admoniti non se correxerint, velut contemptores sacrorum canonum canonica invectione feriantur.

XVIII.

De presbyteris, qui accipiendi chrismatis gratia Lib.1.c.99. ad civitates in cœna domini venire soliti erant sancitum est, ut de his qui longe positi sunt, de octo vel decem unus ab episcopo eligatur, qui acceptum chrisma sibi & sociis diligenter perferat. Hi vero qui non longius a civitate quam quatuor aut quinque millibus habitant, more solito ad accipiendum chrisma per sese veniant. Discendi vero gratia alio non quadragesimæ tempore ad civitates convocentur.

XIX.

Ne vero episcopi occasione prædicandi, aut Lib.1.c.100 confirmandi, oneri essent populis, a nobis admoniti, polliciti sunt se deinceps hoc cavere velle, & eo tempore suum ministerium in quantum facultas dabitur exequi, quo eorum profectio, quantum in illis erit, his quibus prodesse possunt & debent, non sit importuna vel onerosa.

XX.

Ne pueri vero sine voluntate parentum ton- Lib.1.c.101. surentur, vel puellæ velentur, modis omnibus inhibitum est; & qui hoc facere tentaverit, multam, quæ in capitulis legis mundanæ a nobis constitutis continetur, persolvere cogatur.

XXI.

De feminis quæ viros amittunt placet, ne se Lib.1.c.102. sicut hactenus indiscrete velent, sed ut XXX. dies post decessum viri sui expectent, & post tricesimum diem per consilium episcopi sui, vel si episcopus absens fuerit, consilio aliorum religiosorum sacerdotum, suorumque parentum atque amicorum, id quod eligere debent eligant. Et quia a sacro conventu rogati, ut qui publicam gerebant pœnitentiam, & feminæ, quæ viros amittebant, nostra auctoritate, donec deliberent quid agant, tuerentur, specialiter pro his capitula fieri, & legis mundanæ capitulis inserenda decrevimus.

XXII.

De raptis vero & de raptoribus quamquam Lib.1.c.103. specialiter decrevissemus, quid pati debeant qui hoc nefas deinceps facere tentaverint, quid tamen super his sacri canones præcipiant, hic inserendum necessarium duximus: quatenus omnibus pateat quantum malum sit, & non solum humana, sed etiam divina auctoritate constricti, abhinc hoc malum caveatur.

XXIII.

De puellis raptis necdum desponsatis ita in Lib.1.c.104 concilio Calchedonensi, ubi DCXXX. patres affuerunt, capitulo XXVII. habetur: Eos qui rapiunt puellas sub nomine simul habitandi, cooperantes & conniventes raptoribus, decrevit sancta synodus, siquidem clerici sunt, decidant gradu proprio; si vero laici, anathematizentur. Quibus verbis aperte datur intelligi, qualiter hujus mali auctores damnandi sunt, quando participes & conniventes tanto anathemate feriantur: & quod juxta canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenus possunt.

XXIV.

De desponsatis puellis & ab aliis raptis, Lib.1.c.105 ita in concilio Ancyrano capitulo X. legitur: Desponsatas puellas, & post ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi quibus ante fuerant desponsatæ, etiam si eis a raptoribus vis illata constiterit. Proinde statutum est a sacro conventu, ut 27.q.2. Statutum. raptor publica pœnitentia multetur: raptæ vero,

ſi ſponſus eam recipere noluerit, & ipſa eidem crimini conſentiens non fuit, licentia nubendi alii non negetur. Quod ſi & ipſa conſenſit, ſimili ſententiæ ſubjaceat. Quod ſi ipſi poſt hæc ſe conjungere præſumpſerint, utrique anathematizentur.

XXV.

Lib.1.c.106. De his vero qui ſacris virginibus ſe ſociant, ita in decretis papæ Gelaſii capitulo xx. continetur: Virginibus ſacris temere ſe quoſdam ſociare cognovimus, & poſt dicatum Deo propoſitum, inceſta fœdera ſacrilegaque miſcere: quos protinus æquum eſt a ſacra communione detrudi, & niſi per publicam probatamque pœnitentiam, omnino non recipi: at his certe viaticum de ſæculo tranſeuntibus, ſi tamen pœnituerint; non negetur. Si vero de copulatione ſacrarum virginum tam ſevere feriuntur; quanto ſeverius feriendi ſunt qui eas rapiunt? Ideo ſicut præmiſſum eſt, neceſſe eſt ut ab omnibus in Chriſtiana religione conſiſtentibus, rigore auctoritatis divinæ, vel humanæ, hoc malum radicitus amputetur.

XXVI.

Lib.1.c.107. Ne vero puellæ indiſcrete velentur, placuit nobis etiam de ſacris canonibus qualiter obſervandum ſit hic inferre. De tempore velandarum puellarum in Africano concilio capitulo xvi. continetur, ut non ante xxv. annos conſecrentur. Item in eodem concilio capitulo xciii. de virginibus velandis ita continetur: Item placuit, ut quicumque epiſcoporum, neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur; vel ſi etiam aliquo mortis periculoſo ſcrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velaverit virginem, ſeu velavit ante xxv. annos ætatis, non ei obſit concilium, quod de iſto annorum numero conſtitutum eſt. Vnde colligitur, quia juxta priorem ſanctionem virgines xxv. ætatis ſuæ anno rite conſecrandæ ſint. Quod ſi præmiſſæ neceſſitates ante id fieri compellant; nullum poſſit epiſcopo afferre præjudicium conſecratio.

XXVII.

Lib.1.c.108. Sancitum eſt, ut nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere præſumat; ne Chriſti paſſio, quæ eſt glorificatio, cujuſlibet temeritate contemptui habeatur.

XXVIII.

Lib.1.c.109. Epiſcopos monemus, ut ſive per ſe, ſive per vicarios, pabulum verbi divini ſedulo populis annuntient: quia ut ait beatus Gregorius, iram contra ſe occulti judicis excitat ſacerdos, ſi ſine prædicationis ſonitu incedit. Et ut ipſi clerum ſibi commiſſum in ſobrietate & caſtitate nutriant, divinisque officiis imbuant, quo rite ad ſacroſanctos eccleſiaſticos ordines promoveri poſſint. & ut operam dent, quatinus preſbyteri miſſarium & lectionarium, ſive ceteros libellos ſibi neceſſarios bene correctos habeant: & qualiter eccleſias deſtructas ad ſe pertinentes juxta vires emendent, qualiter etiam viduas diligenter inſtruant, quomodo etiam ſecundum apoſtolicam auctoritatem converſari debeant, edoceant: & ut ſuperſtitiones, quas quibuſdam in locis in exequiis mortuorum nonnulli faciunt, eradicent. Et ut exemplo ſuæ innocentiæ alios ad bene vivendum provocent, & cunctis eccleſiaſticis negotiis, inquantum dominus juverit, totis viribus conſulere ſatagant, diligenter admonemus: & ut liberius exequi valeant nos inquantum dominus poſſe dederit, opem ferre modis omnibus optamus.

XXIX.

Nonnulla vero capitula, ſicut de inceſtis nuptiis, nec non & de eccleſiis quæ inter coheredes dividuntur, & tali occaſione proprio honore carent, ſive de his eccleſiis quæ nimium rebus propriis ſunt attenuatæ; vel certe de his rebus, quæ nuper neceſſitate compellente a nonnullis eccleſiis ſunt ablatę, & ſi qua ſunt alia, ſive in eccleſiaſticis, ſive in publicis rebus emendatione digna, quæ pro temporis brevitate efficere nequivimus, intantum differendum illud dignum judicavimus, donec domino favente conſultu fidelium facultas nobis id definiendi ab eo tribuatur. Inventa vero, ut Deo opitulante effectum obtineant per tempora, jam emendata atque correcta ac reſtituta ſcriptis confirmare optamus. Lib.1.c.110.

NOTA IACOBI SIRMONDI, S.I.

1. *Capitulare Ludovici Pii.*] Totum extat in libro primo capitularium cap 83. & ſequentibus, id eſt, poſt caput ultimum capitularis Aquiſgranenſis Caroli magni regis. Immemor enim propoſiti & inſtituti ſui Anſegiſus, cum librum illum ſolius Caroli eccleſiaſticis legibus deſtinaſſet, has etiam Ludovici filii conſtitutiones injecit: quas quidem hoc anno poſt ſynodum Aquiſgranenſem editas fuiſſe, ut monui, confirmant ea quæ in capite tertio leguntur de ſynodo illa, & regulis canonicorum ac ſanctimonialium in ea conſtitutis.

SYNODVS APVD CELICHYTH

DIE VI. KALENDAS AVGVSTI ANNO DOMINI DCCCXVI. indictione IX. Kenulphi regis Merciorum qui ibidem interfuit xx. præſidente vero Vulfredo archiepiſcopo Cantuariæ, qui ſedis ſuę annum jam decimum tertium agebat: in quo retinentur fides orthodoxa & præcepta canonica, eduntur que novi aliquot canones ad mores eccleſiaſticorum gubernandum, ut habetur in hac ſynopſi. ANNO CHRISTI 816.

TITVLI CANONVM.

I. *De fide & canonibus retinendis.*
II. *De modo conſecrandi eccleſias.*
III. *Vt concordes omnes invicem diligant.*
IV. *Vt abbates & abbatiſſæ probi eligantur per epiſcopum & conventum.*
V. *Vt Scoti non admittantur ſacra miniſtrare.*
VI. *Vt judicia epiſcoporum & quæ ſignantur vexillo crucis firma ſint. Et de vocato ad ſynodum.*
VII. *Vt prædia & telligraphia monaſteriorum non alienentur, niſi, &c.*
VIII. *Vt Deo dedicata ſic perpetuo maneant, niſi, &c.*
IX. *Vt deſcribenda ſunt judicia ſynodorum.*
X. *Vt epiſcoporum fient exequiæ.*
XI. *Vt nec epiſcopi, nec preſbyteri alterius parochiam aut munus invadant.*

PRÆFATIO.

REGNANTE ac gubernante Deo & domino noſtro Ieſu Chriſto, qui diſpenſat orbem terrarum in æquitate, quique cælum & omnem creaturam ſua virtute penetravit; nec non cuncta Patris imperio ac pariter ſancti Spiritus gratia ſurſum atque deorſum mirabilem in modum perficit atque diſcernit: Et eodem domino donante anno dominicæ incarnationis DCCCXVI. indictione IX. hæc

ANNO CHRISTI 816.

hæc synodus congregata fuerat die VI. Kalendas Augusti, in loco famoso qui dicitur *Celichyth*, præsidente vero *Vulfredo* archiepiscopo, ceterisque assidentibus australibus Anglorum episcopis; id est, *Beornmodo* Hrouensis ecclesiæ, *Æthelvulfo Selesegæ* episcopo; nec non *Vuigthign* & *Vigberhto* occidentalium *Saxonum* episcopo. *Deneberto Huicciorum* episcopo. *Vulfheard* quoque *Herefordensi* antistite: simul etiam reverentissimis *Merciorum* episcopis, *Heremmio* & *Rathuno*. Insuper *Eadvulfo Lindisfarorum* episcopo. Honorabilibusque orientalium Anglorum episcopis *Sibbano* & *Tidfritho*, seu *Æthelnotho Londoniæ* civitatis episcopo. Porro *Kenulfi* regis *Merciorum* anno XX. qui tunc temporis præsens adfuit cum suis principibus, ducibus, & optimatibus, tum undique sacri ordines, præsides, cum abbatibus, presbyteris, diaconibus pariter tractantes de necessariis, & utilitatibus ecclesiarum.

CANONES.

I.

Primo in loco exposuimus fidem catholicam, & orthodoxam quoque Christianam legem, atque præcepta canonica, quæ a sanctis patribus fuisse constituta didicimus, nos velle cum omni diligentia illa illibata & incorrupta custodire fatemur, & alios hoc idem docere, instruere atque firmare. Ut per hoc mereamur nostrorum percipere indulgentiam peccatorum.

II.

Secundo: Ubi ecclesia ædificatur, a propriæ diœcesis episcopo sanctificetur: aqua per semetipsum benedicatur, spargatur, & ita per ordinem compleat sicut in libro ministeriali habetur. Postea *eucharistia* quæ ab episcopo per idem ministerium consecratur, cum aliis reliquiis condatur in capsula, ac servetur in eadem *basilica*. Et si alias reliquias intimare non potest, tamen hoc maxime proficere potest, quia corpus & sanguis est domini nostri *Iesu Christi*. Seu etiam præcipimus unicuique episcopo, ut habeat depictum in pariete oratorii, aut in tabula, vel etiam in altaribus, quibus sanctis sint utraque dedicata.

III.

Tertio confirmavimus: ut undique inter nos stabilis permaneat concordia, & intimæ pacis caritatisque devotio. Ut sit omnium una voluntas in opere & sermone, vel in judicio sine cujusquam *adulatione & disceptatione, quia unius ministerii sumus conservi, unius fabricationis cooperatores, unius corporis membra, cujus caput est *Christus*. Ideo sicut conjuncti sumus in uno spiritu per fidem & dilectionem, ita condecet actus nostros atque verba sine simulatione servare in timore & amore Dei omnipotentis, atque

*[al.] te ... atione.

A diligenter pro invicem orare; ut per illud mereamur accipere coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

IV.

Quarto consideravimus decreto: Ut habeat unusquisque episcoporum potestatem in sua propria diœcesi abbatem vel abbatissam eligere, & hoc cum consensu & consultu familiæ, & ab omnibus diligenter inquiratur & investigetur castitas hujusmodi ab omnibus capitalibus delictis immunis habetur. Id est, ut nec in B occisione hominis, aut procreandis filiis, vel etiam in graviore & publico furto sit coinquinatus, sed intra claustra monasterii regulariter suam vitam duxerit. Prudens & acutus in sermone, ne per ejus instantiam & taciturnitatem grex ei commissus, * & iterum aspiciat episcopus, * ut pro illius amore vel competenti pecunia, aut ex propinquitate quis plus eligatur quam decet. Hæc ullatenus sine consensu familiæ, nec familia sine concordia episcopi, sed in unum conjunctis, & C secundum ordinem per omnia increpare permittatur & habeatur.

V.

Quinto interdictum est: ut nullus permittatur de genere Scotorum in alicujus diœcesi sacrum sibi ministerium usurpare, neque ei consentire liceat ex sacro ordine aliquod attingere, vel ab eis accipere in baptismo, aut in celebratione missarum, vel etiam eucharistiam populo præbere, quia incertum est nobis, unde, & an ab aliquo ordinentur. Scimus quo- D modo in canonibus præcipitur, ut nullus episcoporum [*vel*] presbyterorum invadere tentaverit alius parochiam, nisi cum consensu proprii episcopi. Tanto magis respuendum est ab alienis nationibus sacra ministeria percipere, cum quibus nullus ordo metropolitanis, nec honor aliis habeatur.

VI.

Sexto sancitum: Ut non frangantur judicia episcoporum quæ a nobis nostrisque prædecessoribus synodali decreto constituta sunt, sed firma & irrefragabilia ita permaneant: seu etiam de omni re E quæcumque cum vexillo sanctæ crucis Christi roborata est, sic stare servareque præcipimus, nisi forsan rex vel princeps antecessorum suorum manuum impositiones pro nihilo ducant, & illud non emendare neque cessare pertimescant, idipsum in se suisque heredibus sustineant, sicut scriptum est: *In quocumque judicio judicaveritis, judicabimini.* Et iterum, si quis ab accusatoribus suis invitatur ad synodum, & ei obvianti non tardaverit, semel, secundo, tertia vice Matt. 7.

paratus

ANNO CHRISTI 816.

paratus rationem ponere, & accusator renuit, & suam causam movere differat, postea judicabimus nihil ab eo plus exigatur, sed suo proprio sit contentus.

VII.

Septimo constitutum est: Ut nec episcopi, neque abbates, abbatissæve quæ regimina vel territoria monasteriorum percipiunt ad servandum, ut nulli eorum licitum sit aliquid de possessione agrorum ecclesiarum minuere, vel alicui in hereditatem deputare, nisi in dies & spatium unius hominis, & hoc cum consensu & licentia familiæ, & iterum reddatur ecclesiæ. Tamen serventur libri primordiales cum aliis telligraphis, ne in posterum aliquod scrupulum contradictionis immittere conentur, quia valde periculosum est illis qui deputantur custodes cœnobiorum, & defensores constituti sunt, illud distribuere ac auferre, quod ab aliis pro suarum animarum salute Deo omnipotenti & sanctorum *reliquis in propriam hereditatem conceditur: nisi rationabilis causa poposcit adjuvari contra invasionem famis, & deprædationem exercitus, & ad libertatem obtinendam. Alioquin indisrupta & integre serventur, ne inopia despoliati periclitentur, sed magis unusquisque sit suo proprio contentus, & illud distribuat propinquis vel alienis, secundum meritum qualitatis.

* for. reliquiis.

VIII.

Canō valde corruptus.

Octavo statutum est: monasteria quæ semel dedicata sunt cum consilio episcoporum, & in quibus statuitur regularis vita, seu etiam abbas vel abbatissa ab episcopo benedicatur, sic in perpetuo permaneant monasteria & res quæ ad ea pertinent; nisi causa penuriæ pro rapacitate secularium ita inviolabiles stare non possunt, indicabimus episcopo cum sua auctoritate magis licuisse ovile Christi defendere, quam luporum faucibus in prædam dimittere. Et hoc fieri præcipimus pro magna necessitate familiæ, ne ex cupiditate avaritiæ causa intelligatur. Ac etiam ubi investigatur primitus constituta, & in ea electione abbatum vel abbatissarum, & eorum consecratio a suorum episcoporum, nec ultra ullatenus fieri dominium, nec habitatio sæcularium. Quia hoc capitulum nullus æstimet noviter a nobis constitutum. Sed si quis desiderat in synodo * Calcidanesse reperire non pigeat. Ideo ex nostra auctoritate id ipsum confirmamus, & in nomine omnipotentis Dei ita servare præcipimus, sicut in antiquis canonicis capitulis constitutum reperimus, & ab apostolicis viris initio primitivæ ecclesiæ mandatum esse didicimus. Sic ea regula & observantia, monastica sua disciplina & ecclesiastica jura sine macula observare præcipimus. Sin autem aliquis, quod non optamus, presbyter, aut diaconus, vel aliquis ex numero clericorum seu ancillarum Dei, ausi fuerint hoc nostrum mandatum & apostolicorum virorum institutiones spernere, & pro nihilo ducere, sciant se suo gradu privari, & a sanctæ Dei ecclesiæ participatione sequestratos, & a communione electorum omnium eos esse anathematizatos, vel etiam in tremendo judicio ante tribunal domini nostri Iesu Christi rationem esse reddituros, nisi ante humili satisfactione voluerint emendare.

* Calchedonensi. Vide conc. Calchedon. consess. 15. can. 16. 23. & al.

IX.

Nono sanximus in illa præfata synodo, ut unusquisque episcoporum debeat describere judicium illud quod in qualicumque synodo constitutum est, vel ad illius parochiam pertineat. Seu etiam constituimus, ut cum ratione & ordine describat qualis annus domini computatur, aut a quali archiepiscopo, & aliis assidentibus episcopis investigatum & confirmatum sit illud judicium, ne forte aliquis homo in sua parochia, cui rectum sit judicium constitutum, per falsam machinationem & malam versutiam a recto judicio declinet. Sed semper maneat firma atque immobilis in conscientia illius archiepiscopi, & istius episcopi cujus sit diœcesium, & ille habeat aliam chartam ad suam sedem episcopalem, aliam ille ad quem judicium illud pertineat, ne in posterum aliquod scrupulum iniquitatis applicetur.

X.

Decimo jubetur, & hoc firmiter statuimus asservandum, tam in nostris diebus, quamque etiam futuris temporibus, omnibus successoribus nostris qui post nos illis sedibus ordinentur quibus nos ordinati sumus: Ut quandocumque aliquis ex numero episcoporum migraverit de sæculo, tunc pro anima illius præcipimus, ex substantia uniuscujusque rei decimam partem dividere, ac distribuere pauperibus in eleemosynam, sive in pecoribus, & armentis, seu de ovibus & porcis, vel etiam in cellariis, nec non omnem hominem Anglicum liberare, qui in diebus suis sit servituti subjectus, ut per illud sui proprii laboris fructum retributionis percipere mereatur, & indulgentiam peccatorum. Nec ullatenus ab aliqua persona huic capitulo contradicatur, sed magis, * prout condecet, a successoribus augeatur, & ejus memoria semper in posterum

Decima parscujusq; rei suę pauperibus danda.

* quasi

rum

rum per universas ecclesias nostræ ditioni * subjectas cum Dei laudibus habeatur & honoretur. Prorsus orationes & eleemosinas * quæ inter nos specialiter condictam habemus, id est, ut statim per singulas parochias in singulis quibusque ecclesiis, pulsato signo, omnis famulorum Dei cœtus ad basilicam conveniat, ibique pariter xxx. psalmos pro defuncti anima decantent. Et postea unusquisque antistes & abbas sexcentos * psalmos, & centum viginti missas celebrare faciat, & tres homines liberet, & eorum cuilibet tres solidos distribuat, & singuli servorum Dei diem jejunent, & triginta diebus canonicis horis expleto synaxeos, & septem, beltidum Pater noster pro eo cantetur, & hoc expleto, tricesima item die obitus sui tam bene reficiantur, sicut in cujuslibet apostolorum natali die refici soleant, & per omnes ecclesias tam fideliter pro eo agant, sicut moris habeant pro eorum domesticæ fidei exorando facere. Vt communi intercessionis gratia, commune cum sanctis omnibus regnum percipere mereantur æternum.

ANNO CHRISTI 816.

* subactas.
* fort. alias i. n.
* condi- alias h.
* psalte- rios.

XI.

Vndecimo præcipimus, sicut priscis temporibus a sanctis patribus traditum esse reperitur: Vt nulli episcoporum liceat alterius parochiam invadere, vel etiam aliquid alterius ministerii ad se pertrahere in aliqua consecratione ecclesiarum, vel presbyterorum, diaconorumque, nisi solus archiepiscopus, quia caput est suorum episcoporum. Sed & alii suo proprio sint contenti, aut cum licentia & consensu illius episcopi, in cujus diœcesi est, & ministrat. Si quis ultra fecerit, emendet judicio archiepiscopi, nisi ante propriæ diœcesis episcopo reconciliari voluerit.

Et id ipsum presbyteris præcipimus, ut nullus majora negotia ad se desideret, quam a proprio episcopo concedatur, nisi in solo baptismo & ægritudine infirmorum tantum. Sed tamen omnibus presbyteris præcipimus, ut * ulli denegetur ubique baptismi ministerium præstare, & si quis per suam negligentiam renuerit, cesset a ministerio usque ad tempus correctionis, & cum humili satisfactione reconciliatus fuerit proprio episcopo. Sciant etiam presbyteri quando sacrum baptismum ministrant, ut non effundant aquam sanctam super capita infantium, sed semper mergantur in lavacro, sicut exemplum præbuit per semetipsum Dei Filius omni credenti, quando esset ter mersus in undis Iordanis. Ita necesse est secundum ordinem servari & haberi.

...izare ...grotos ...are li... ...i alic... ...iro... ...lli.

VITA, EPISTOLÆ ET DECRETA PASCHALIS PAPÆ I.

PASCHALIS, [a] natione Romanus, ex patre Bonoso, sedit annos septem, menses * quinque, dies * sexdecim. Qui a primævo ætatis suæ divino cultui mancipatus, atque in sacrosanctæ ecclesiæ patriarchio studiis divinæ salutiferæque scripturæ imbutus, tam in psalterio, quamque in sacris paginis novi, ac veteris testamenti specialiter eruditus. Elegans, atque in omni bonitate perfectus, subdiaconus quidem factus, & postmodum diaconus atque presbyter honorifice consecratus est.

ANNO CHRISTI 817.
* tres.
* 17.

Erat autem vir sanctus, castus, pius, innocens, magnanimus, loquela devotus, pudicitia plenus, & nimis hilariter jocundeque in eleemosynis pauperum cuncta quæ habebat opportune distribuens. In colloquiis ergo divinis frequentius cum religiosis ac sanctis monachis sedula observatione die noctuque insistebat, & in orationibus ac vigiliis quotidianisque jejuniis humiliter atque honeste vigebat. Quem dum prædecessor ejus domnus Leo ter beatissimus papa tantis studiis pervigilem & religionis devotum conspexisset, tunc ei monasterium B. Stephani primi martyris, juxta basilicam beati Petri principis apostolorum, ad regendum commisit; quia scriptum est: *Nemo lucernam accendit, & in absconditum ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant.* Vnum qui fuimet vitæ hujus temporalis lucra pro æterna sobrie atque utiliter moderando correxit, & exemplum bene vivendi in subditis, & correctionem pietatis religiosius exornavit. Qui etiam gratiam hospitalitatis in peregrinis & claudis, qui ob amorem B. Petri apostoli de longinquis regionibus ad ejus limina occurrebant, utiliter præparans necessaria subministrabat, & occulte quibus egebant hilariter erogabat. Et semper quotidie in Dei operatione crescebat, usquequo prædecessor ejus domnus Stephanus papa de hac luce ad æternam beatitudinem migrasset. Dum ergo per tanta bonæ operationis exempla præcipue longe lateque fama discurreret, & omnipotens Deus regimen ecclesiæ suæ sub piæ gubernationis cura annueret, apte moderateque disponere; una concordia, una eademque voluntate divino interveniente consultu a cunctis sacerdotibus, seu proceribus, atque omni clero, nec non & optimatibus, vel cuncto populo Romano ad laudem & gloriam omnipotentis Dei in sedem apostolicam pontifex elevatus est. Erat enim patrum præceptorum, seu institutorum pontificum, atque canonum, nec non legum sanctionumque decentissimus observator, & cuique justitiæ normæ a tempore ordinationis suæ nobilissimus promulgator; tardus ad irascendum, & velox ad miserandum. Nullum malum pro malo reddens, neque vindictam secundum cujusquam commissum tribuens; sed semper misericors pia dilectione omnibus civibus, & a Deo commisso populo Romano amator & gubernator existebat. Omnium etenim ecclesiarum Dei cum summo studio atque summa providentia pro solita religionis cura cultor, restaurator, atq; in omnibus devotissimus exornator fuit. Hic beatissimus præsul multa corpora sanctorum

Paschalis virtutes.
Matth. 5.
Hospitalitas ejus.
Electio ejus.

Corpora sanctorum invenit.

rum requirens, invenit: quæ & diligentius intra civitatem ad honorem & gloriam Dei honeste recondidit. Rogam etiam omni clero suo in presbyterio profecto multipliciter ampliavit, & omnem thesaurum in sacrario cælesti recondidit, maxime propter captivos, & exules eos non tantum a transmarinis regionibus viros ac mulieres auro, seu argento redimens, verum etiam per longinqua viarum itinera passim perquirendo, tam in Hispaniæ partibus, quamque per singula loca inveniens, sicut bonus & verus pastor, ad propria perduxit.

Dona in ecclesiam S. Petri.

Fecit autem in sacro altari beati Petri principis apostolorum vestem miræ magnitudinis pulcram, & decoratam nimis, ex auro gemmisque contextam, præfigurantem historiam, qualiter idem apostolus a vinculis per angelum ereptus est. In ejusdem venerabili basilica ante aditum quæ ducit ad corpus in loco Ferrata, altare constituit, in quo & venerandum beati Sixti martyris atque pontificis corpus honestissime collocavit. Ubi & desuper arcum musivo exornatum decenter instruxit. Simili modo in eadem sacratissima beati Petri apostoli ecclesia juxta ingressum, qui ducit ad beatam Petronillam, oratorium summæ magnitudinis atque pulcritudinis decoranter construxit. Et super columnas in quadrificio camerantes musivo, pulcrisque metallis decoravit. In quo & corpora beatissimorum martyrum Processi & Martiniani, ad honorem & gloriam omnipotentis Dei, memorialiter honorificeque recondidit. In cujus absidam imaginem pulcerrimam de argento exauratam cum diversis historiis inter marmorum * constructiones ordinatas infixit, quæ pensant libras 62. & semis, simulque & lilia de argento pensantia libras 17. & uncias duas. Nec non & gabatas ex argento purissimo numero septem, pensantes simul libras 13. semis, & uncias duas. Imagines etiam de argento exauratas fecit in eodem venerabili loco numero tres. Unam salvatoris domini nostri Iesu Christi, & duas aliorum beatorum martyrum Processi & Martiniani pensantes insimul libras triginta sex. Necnon & aliam imaginem ex auro purissimo obtulit ad ornatum jam præfati oratorii, pensantem libras 13. & uncias tres. Simili modo canistra ex mundissimo argento numero octo, pensantia omnia libras tres & quadraginta. Pariterque & concham ad spongiam pro nocturnis diligentiis ibidem ex argento constituit, pensantem libras 7. & uncias 9. Imo & claves in modum crucis ex auro purissimo, seu gemmis miræ decorationis exornatas in eodem venerabili loco merito decoravit, quæ pensant libras..... Ubi etiam regularem ordinavit, quem laminis argenteis superinduxit, pensantem libras 20. Super quem constituit arcus duos de argento, & gammadias quatuor, quæ simul pensant libras 60. Propitiatorium etiam altaris ex laminis argenteis exornatum circumduxit, atque sacram confessionem ejus interius exteriusque cum regulis suis nobilissime circumstruxit, quæ simul pensant libras.... Et super altare eorumdem beatissimorum martyrum vestes duas instituit, ex quibus unam de fundato cum cruce de chrysoclavo, & alteram de quadruplo mirifice exornavit. Vela quoque majora de fundato numero septem cum periclysi de blattin circumsuta similiter decoravit.

* conerustationes.

Anglorum domus exuruntur.

b Sed neque hoc silentio prætereundum esse arbitramur, quod eodem tempore diabolica operante versutia per quorumdam gentis Anglorum desidiam ita est omnis illorum habitatio, quæ in eorum lingua * burgus dicitur, flamma ignis exundante combusta, ut etiam nec vestigia pristinæ habitationis in eodem loco inveniri potuissent. Cujus exuberantis incendio pene totam porticum, quæ ducit ad basilicam principis apostolorum, ignis fomes devastavit.

* baxus.

Papa nudis pedibus ad incendium accurrit.

Et dum hæc ter beatissimus pontifex quasi hora noctis conticinio persensisset, subito propter amorem ecclesiæ beati Petri apostoli, atque tantam peregrinorum illorum devastationem, nudis pedibus discalceatus pedester cucurrit. Cui tanta omnipotentis Dei in ejus adventu misericordia adfuit, ut locum in quo prius idem coangelicus pontifex constitit, nequaquam ulterius impetus ignis transgredi permisit. Sed ipse Dei clementiam exorando & multitudo fidelium, qui aderant decertando acies ignis Deo miserante extincta est. Sicque peractum est, ut totius noctis spatium usque ad auroram perseverans in eodem loco perstiterit. Unde postmodum ter beatissimus pastor considerans illorum peregrinorum inopiam, quæ ob insidias diabolicæ fraudis irrepsit, tanta dona, tantaque beneficia, sicut semper solitus erat, in eorum necessitatibus impertivit, tam in auro, & argento, vel corporum indumenta, quam reliqua necessaria alimenta omnia uberius subministrabat. Sed & silvarum copiam pro lignorum utilitate, quatenus domicilia, sicut ante in eodem loco fuerant, utiliter restaurarent. Porticum etiam quæ ab eadem clade vastata est decentius quam fuerat in melius firmissime restauravit.

Reparat exusta.

Dona in ecclesia S. Petri.

Hic præclarus & venerabilis pontifex fecit in ecclesia beati Petri apostolorum principis nutritoris sui vela de chrysoclavo per arcus presbyterii, habentia historiam de mirabilibus apostolorum quæ per eos dominus operari dignatus est, numero 46. Ecclesiam etiam beatissimæ Christi martyris Praxedis, quæ quondam priscis ædificata temporibus nimio jam lassata senio, ita ut a fundamentis casura ruinam sui minaretur, idem venerabilis pontifex (illius ruinam ante prævidens, eidemque ecclesiæ curam adhibens, illic pervigil sæpius existens) in alium non longe demutans locum, in meliorem eam, quam dudum fuerat, erexit statum. c Absidam vero ejusdem ecclesiæ musivo opere exornatam variis decenter coloribus decoravit. Simili modo & arcum triumphalem eisdem metallis mirum in modum perficiens compsit.

S. Praxedis.

Hic beatissimus & præclarus pontifex multa corpora sanctorum diutius in cœmeteriis jacentia pia solicitudine, ne remanerent neglectui, quærens, atque inventa colligens, magno venerationis affectu in jam dictæ sanctæ Christi martyris Praxedis ecclesiam, quam mirabiliter renovans construxerat, cum omnium advocatione Romanorum, episcopis, presbyteris, diaconibus, & clericis laudem Deo psallentibus, deportans recondidit. Quæ dum sanctissimi atque coangelici præsulis intima cordis vigilantia gererentur, ut reconditorum ibidem sanctorum corporum Deo indesinenter super astra placentium precibus apud omnipotentem dominum juvaretur. Construxit in eodem loco a fundamentis cœnobium, quod & nomine sanctæ Praxedis virginis titulavit. In qua & sanctam Græcorum congregationem aggregans, quæ die noctuque Græcæ modulationis psalmodiæ laudes omnipotenti

Cœnobium construit Græcis.

omnipotenti Deo, sanctisque illius ibidem quiescentibus sedulo persolveret, introduxit. Si quidem in eodem venerabili monasterio plurima conferens prædia, & possessionum loca urbana, vel rustica superflue atque abundanter ditavit. Quinimo & in eadem ecclesia fecit oratorium beati Zenonis Christi martyris, ubi & sacratissimum ejus corpus ponens musivo ampliantér ornavit.

Fecit autem in eadem ecclesia ciborium ex argento pensans libras octingentas & decem, imo & propitiatorium sacri altaris ex argenteis laminis mirifice exornavit. Confessionem denique ejus cum rugulis suis interius exteriusque vallantem pulcerrime compsit atque decoravit, quæ simul pensant libras trecentas. Super ejusdem venerabilis altare fecit regnum spanoclystum ex auro fulvo, seu diversis lapidibus exornatum, pensans libras 5. & uncias duas & semis. Et in eodem sacro altari fecit vestem de chrysoclavo cum diversis historiis miræ magnitudinis atque pulcritudinis exornatam. Item, ubi supra, obtulit aliam vestem chrysoclavam ex auro gemmisque confectam, habentem historiam virginum, cum facibus accensis mirifice comptam atque decoratam. Ad sacrum denique ejusdem virginis corpus obtulit imaginem ex laminis argenteis præfiguratis, pensantem libras nonaginta & novem. Hic benignissimus præsul fecit in jam dicto monasterio oratorium beatæ Agnetis Christi virginis miræ pulcritudinis exornatum. Ecclesiam denique sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ dominæ nostræ, quæ appellatur Dominica, olim constructam, & jam ruinæ proximam solerti vigilantia præfatus pontifex ampliorem melioremque, quam ante fuerat, a fundamentis ædificans renovavit. Absidamque ejusdem ecclesiæ musivo decoravit. Vbi etiam & plurima obtulit dona; scilicet ciborium ex argento pensans libras trecentas triginta & duas. Propitiatorium sacri altaris ex laminis argenteis compte decoravit. Confessionem quoque ejus cum rugulis intus & foris mirum in modum perficiens adornavit, pensantem libras centum & quindecim, & uncias tres. Item, ubi supra, fecit gabatam ex auro purissimo, pensantem libras duas, & uncias octo. Verum etiam & arcum ex argento, & columnas duas cum gammadiis duabus pensantes libras......

Imo & in sacro altari fecit vestem de chrysoclavo, habentem historiam dominicæ nativitatis domini nostri Iesu Christi miræ pulcritudinis exornatam. Iterum, ubi supra, fecit vestem de staurace pulcerrimam cum periclysi de blattin. Item aliam vestem de blattin Byzantea habentem tabulam de chrysoclavo cum vultu sanctæ Dei genitricis, & angeli obsequio stantes cum periclysi de staurace. Pariterque aliam vestem de staurace habentem pavones, & in medio crucem de blattin. Porro & vestes duas de quadrapulo habentes in medio crucem de blattin. Item, ubi supra, fecit vestem ex auro textam cum periclysi de blattin. Coopertorium rubeum de serico unum. Fecit etiam in circuitu altaris vela rubea serica quatuor cum gammadiis, & cruces de quadrapulo. Hic venerabilis præsul obtulit in trabe ante vestibulum altaris vela Tyria tria, & de quadrapulo quinque. In arcus majores ejusdem ecclesiæ fecit vela de quadrapulo viginti, & per arcus presbyterii vela parva de staurace quatuor, simulque in ingressu presbyterii vela Tyria duo. Hic benignissimus pontifex fecit in ingressu jam dictæ ecclesiæ cortinas majores de quadrapulo cum periclysi de fundato mirifice valde.

Christi namque omnipotentis domini famulus, & prænominatus pontifex maximam Dei ecclesiarum curam, & solicitudinem prævidendo indesinenter gerens, cum quadam die orationis studio ad sanctæ Dei virginis Christique martyris Cæciliæ ecclesiam adveniret, nimio jam quassata senio ecclesiæ ejusdem mœnia etiam a fundamentis ruitura: videns quæ per olitana tempora defectu vetustatis marcuerant, & pene ruinis confracta diu antiquitus lacerata manebant, datostudio operis eodem in loco magnifico opere novam construere ecclesiam cœpit, & perficere satis meliorem quam fuerat studuit. *S. Cæciliæ.*

Sed neque illud prætereundum esse existimamus, dum quadam die ad beati Petri principis apostolorum ecclesiam pergeret, quatenus apud eumdem beatum Petrum apostolum solito more vigilias celebraret, & ante ejusdem confessionem matutinales lucescente dominica laudes residens decantaret, subito depressus sopore vidit assistentem sibi virginali aspectu puellam angelicis vestibus decoratam, talia locutionis affamina protulisse dicens: Multas tibi gratias referimus, * quia certamen, quod de me diu posueras frustratorias relationibus pervulgatis aures accommodans reliquisti. Quippe qui tanto penes me fuisti, ut proprio loqui invicem ore valeremus. Hæc jam sæpe præfatus pontifex diligenter audiens studiose requirere cœpit, quæ esset ipsa, quæ talia illi verba diceret, vel quo nomine vocaretur. Cui illa respondit: Si nomen inquiris, Cæcilia famula Christi vocor. Ad quam summus inquiens præsul: Quomodo hoc credere possum, eo quod olim fama relata sit, quatenus ejusdem venerabilis Christi martyris Cæciliæ corpus ab Aistulpho Longobardorum rege hostiliter Romæ residente furtim, & ab illius hominibus fuisset ablatum. Cui talia venerabili pontifici intimanti, omnipotentis Dei famula dixit: Quia me desideranter, ut invenirent Longobardi, quæsiverunt, omnino verum est: sed domini mei Iesu Christi opitulatione, & dominæ meæ sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ auxilio, neque me invenire, neque deportare, sicut voluerant, hinc longius potuerunt. Et ideo, sicut me quærere cœpisti, qualiter me invenias, assiduo labori non desistas incumbere, quia domino Deo, pro cujus amore & honore passa sum, placuit ut tu me invenias, & in ecclesia, quam noviter construxisti, recondas. Et hæc dicens ab oculis aspicientis ablata est. Tunc isdem venerandus pontifex matutinalibus laudibus persolutis, pro tam certæ & indubitabilis revelationis "judicio, cœpit hac illacque operosius quærere, ubi sacratissimum ejus corpus jaceret humatum. Quod, tribuente Deo, dum solicite quæreret, reperit in cœmeterio Prætextati, sito foris portam Appiam, aureis illud vestitum indumentis, cum corpore venerabilis sponsi sui Valeriani, pariterque & linteamina martyris ipsius sanguine plena, quando ab impio percussa carnifice Christi domini martyr est regnantis in sæcula consecrata. Quibus & linteaminibus sanguis sanctæ martyris extersus, involuta ad pedes illius corporis sacratissimo cruore plena de trina carnificis percussione reperta sunt. Quæ cuncta suis pertractans manibus collegit, & cum magno honore

Visio papæ facta in æde S. Petri.

** quod ad incertam famam, quā de me sparsam diu frustr. r. p. a. accōmodare rel.*

" indicio

Papa ex S. Cæciliæ revelatione invenit ejus corpus.

honore infra muros hujus Romanæ urbis in ecclesia nomine ipsius sanctæ martyris dedicata ad laudem & gloriam omnipotentis Dei ejusdem virginis corpus, cum carissimo Valeriano sponso, atque Tiburtio & Maximo martyribus, nec non Vrbano & Lucio pontificibus, sub sacrosancto altari collocavit. Pro quorum sanctorum honore videlicet, & opitulatione, construxit monasterium in honorem virginum seu martyrum Agathæ & Cæciliæ juxta ipsius ecclesiam, in loco qui dicitur Colles jacentes. In quo & monachorum Deo seruientium congregationé pro quotidianis laudibus in præfato titulo sanctæ Ceciliæ, die noctuque omnipotenti domino decantandis constituit. Et pro subsidio, & luminariorum concinnatione, seu utilitate atque stipendiis monachorum, nec non & pro amore atque dilectione, qua erga prædecessorem suum piæ recordationis domnum Leonem tertium papam habere videbatur, hospitale sancti Peregrini positum ad beatum Petrum apostolum in loco qui vocatur Naumachia, quod idem prædecessor suus construxerat, & ob neglectum atque destitutionem præpositorum paupertatis inopia consumi videbatur, idcirco pio juvamine consulens præfatum hospitale cum fundis & casalibus, atque massis, seu etiam colonis, sive domibus, nec non familiis, & uniuersis quæ juste & rationabiliter secundum legum statuta, eique a prædecessore suo in jam præfato hospitali donata sunt. Quæque ab ipso pia devotione ad augmentum jam dicti monasterii adjuncta sunt, sive agris, vel vineis, etiam domibus, nec non rustica familia, suæ auctoritatis pagina pro jam nominata monachorum congregatione in eodem monasterio confirmavit. Qui sanctissimus præsul amore venerandorum sanctorum fecit in ornamentis ipsius ecclesiæ absidam musivo opere decoratam, & ciborium miræ magnitudinis ex argento, pensans libras quingentas & semis, & uncias octo. Propitiatorium denique sacri altaris, seu confessionem interius exteriusque cum rugulis suis ex laminis argenteis mirum in modum perficiens compsit, quæ simul pensant libras sexaginta quatuor, & uncias quinque. Ad sacrum vero ejusdem virginis corpus obtulit imaginem ex argenteis laminis pensantem libras nonaginta quinque. Fecit etiam ante vestibulum altaris regularem investitum ex laminis argenteis, & columnis duabus, ubi & posuit arcum unum, & gammadias duas, pensantia insimul libras centum, & semis. Obtulit ibi ipse imagines argenteas deauratas tres, pensantes insimul libras quadraginta octo, & semis. Sæpefatus quoque præsul fecit per arcus ejusdem ecclesiæ calices majores ex argento viginti & sex, pensantes insimul libras centum novem, & semis. Item ubi supra obtulit canistra ex argento duo pensantia libras duas & uncias octo. Gabatam ex auro purissimo pensantem libras tres. Fecit jam prædictus pontifex canistra Enafoti ex argento duo pensantia libras decem: gabatas ex argento tres pensantes libras quinque: thuribulum ex argento deauratum pensans libram unam. Hic benignissimus præsul obtulit in sacro altari vestem de blattin Byzantea, habentem in medio tabulam de chrysoclavo cum historia qualiter angelus beatam Cæciliam seu Valerianum & Tiburtium coronauit cum periclysi de chrysoclavo miræ pulchritudinis exornatam. Item ibi fecit vestem de fundato alythino, habentem in circuitu periclysin de olovero.

Construit cœnobium

Et hospitale restituit, & auget.

Dona sanctæ Cæciliæ oblata.

Ob amorem ejusdem virginis fecit aliam vestem de fundato porphyretico, habentem in medio crucem ex auro texto compte decoratam. Enimvero in jam dicto altari obtulit vestem albam sigillatam cum rosulis, habentem in medio crucem de blattin cum psilliis, & periclysin de blattin Byzantea pulcerrime exornatam. Obtulit & in prænominato altari vestem de quadrapulo.

Venerabilis pontifex fecit vela alythina pendentia in circuitu altaris quatuor, habentes cruces & gammadias de fundato & quadrapulo. In arcellam vero, ubi venerabile caput ejusdem virginis condidit, fecit vestem parvam de Tyrio cum periclysi de blattin. Obtulit ubi supra vestem de fundato prasino: imo & aliam vestem de staurace cum periclysi de olovero, & vestem de blattin cum periclysi de fundato. Fecit etiam in arcella ad corpus jam dictæ virginis vestem de quadrapulo cum periclysi.

Porro & aliam vestem de staurace cum periclysi de olovero. In iam dicta ecclesia fecit vela Tyria cum periclysi de blattin Byzantea numero viginti quinque. Item vela prasina cum periclysi de olovero numero quatuor. Obtulit ubi supra vela alythina cum periclysi de blattin numero tria. Simulque vela de fundato parva cum periclysi de blattin numero duo. Pariter vela Tyria cum periclysi de fundato duo.

Hic venerabilis & præclarus pontifex fecit per arcus iam dictæ ecclesiæ vela de fundato numero duodecim, & de quadrapulo quatuordecim. Fecit & in arcu presbyterii vela parva cum periclysi de blattin Byzantea numero duodecim. Hic a Déo protectus venerabilis præsul fecit in ingressu ejusdem ecclesiæ cortinam majorem de quadrapulo, & staurace pulcerrime exornatam.

Ipse etiam sæpe dictus pontifex monasteriis circumquaque constructis vigilanti cura satis animo gerens, quidque haberent inquirens, reperit ipse pius pontifex monasterium sancti Sergii & Bacchi, post formam aquæ ductus patriarchii Lateranensis positum, rebus omnibus desolatum, ita ut ancillarum Dei congregatio, quæ ibidem inerat, paupertatis inopia nullas omnipotenti domino sanctisque illius laudes decantare valerent. Qua venerabilis pastor inquisitione ad pietatem commotus, famulas Dei qualiter bene religioseque esse possint perfecit. Et in eo monachorum aggregans statuit conventionem, multis idem monasterium ditans facultatibus, & in familiis, massis, vineis, domibus, urbanis, & rusticis locis amplianter sufficienterque multiplicavit, quatenus ipsa congregatio residens, omni necessitate postposita, soli Deo sanctisque illius laudes & hymnos nocte dieque modulanter in venerabili ecclesia salvatoris domini nostri Iesu Christi sita juxta Lateranas decantaret.

Restituit monasterium Sergii & Bacchi.

Præterea in oratorio beatissimorum martyrum Processi & Martiniani sito infra ecclesiam beati Petri principis apostolorum, quod & idem ipse construxit, obtulit imaginem ex auro purissimo, habentem vultum sanctæ Dei genitricis, pensantem libras decem, & uncias quatuor. Ibi & ipse fecit vestem de blattin Byzantea, habentem tabulas de chrysoclavo duas cum vultu beati Petri & sanctorum martyrũ Processi & Martiniani, & periclysin de chrysoclavo mira pulchritudine decoratam. Illic etiam obtulit vestem holosericam habentem in medio tabulam de chrysoclavo cum vultu dominicæ resurrectionis domini nostri Iesu

Dona in oratorio sancti Processi.

Iesu Christi, & periclysin de blattin Byzantea A pulcerrime comptam.

Verum enimvero sanctis eisdem vela holoserica cum periclysi de quadrapulo, & blattin Byzantea obtulit numero novem. Ubi & supra fecit vela parva de Tyrio cum periclysi de fundato numero sex. Thuribulum de argento exaurato mirifice pensans libram unam. In oratorio autem beatissimorum martyrum Sixti & Fabiani jam nominatus pontifex fecit gabatas ex argento tres, pensantes libras quinque, & uncias sex. Ante imaginem quoque ipsius oratorii fecit velum de chrysoclavo mirifice decoratum. Supra eorum venerabile altare fecit vestem de alythino habentem in medio crucem de blattin Byzantea, & periclysin similiter de blattin. Simili modo in jam B dicto oratorio obtulit sæpedictus pontifex vestem holosericam, habentem in medio cruces de chrysoclavo duas, & periclysin de staurace diversis margaritis ornatam. Ibidem ipse fecit aliam vestem de fundato habentem in medio crucem de blattin. Fecit etiam ad ornatum prædicti oratorii vela de alythino cum periclysi de blattin Byzantea numero quatuor. Simulque vela holoserica cum periclysi de quadrapulo, & de olovero numero quatuor.

Cosmæ Damia- Hic benignissimus præsul fecit in ecclesia beatorum martyrum Cosmæ & Damiani in Via sacra vestem de Tyrio, habentem in medio tabulam de chrysoclavo cum vultu domini nostri Iesu Christi, atque beatorum martyrum Cosmæ & Damiani, cum aliis tribus fratribus, cum cruce de auro texto, & periclysin de olovero pulcerrime comptam atque decoratam. Super eorum denique C sancto altari obtulit coopertorium de Tyrio mirifice decoratum. Imo vero ante vestibulum ipsius altaris fecit vela Tyria cum periclysi de blattin Byzantea numero tria.

Monaste- Salva- Reate. Venerabilis etiam pontifex fecit in monasterio salvatoris domini nostri Iesu Christi sito in territorio Reatino vestem de chrysoclavo cum historia, qualiter idem dominus noster Iesus Christus cum archangelis & apostolis in cælo coruscat, mira pulcritudine diversis ornatam margaritis. Item in jam dicto monasterio ad ornatum sacri altaris aliam obtulit vestem de fundato, habentem cruces de blattin Byzantea, & periclysin de chrysoclavo mirifice exornatam. Pari modo in ecclesia beati Mennæ martyris fecit vestem de quadrapu- D lo cum periclysi de blattin Byzantea.

Hic sanctissimus & coangelicus præsul obtulit in ecclesia beati Petri apostoli in Centumcellis calicem & patenam ex argento deauratas, pensantes libras quatuor, & uncias tres.

Enimvero & in ecclesia beati Petri apostoli fautoris sui fecit euangelium cum blattin ex argento pensans libras octo, & uncias octo. Benignissimus quoque præsul fecit in monasterio beati Stephani protomartyris ad sanctum Petrum vestes albas holosericas quatuor, habentes in medio E crucem de auro texto cum diversis margaritis, & periclysi de blattin mirifice decoratas. Item, ubi supra, obtulit prænominatus pontifex vestem de fundato, habentem in medio crucem ex auro textam, & periclysin de chrysoclavo. Sæpedictus denique præsul fecit in jam dicto monasterio vestem de fundato, habentem in medio tabulam de chrysoclavo cum vultu sanctæ Dei genitricis, & sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & periclysin de blattin.

Obtulit ibidem ipse vestes de staurace duas habentes in medio cruces de chrysoclavo, & periclysin de blattin. Fecit etiam ad ornatum ipsius oratorii velum majus de quadrapulo, habens in medio cruces de auro textas tres, & periclysin de blattin. In diaconia beati Archangeli obtulit jam dictus pontifex vestem de blattin Byzantea, habentem in medio crucem de chrysoclavo, & periclysin de chrysoclavo pulcerrime comptam.

Enimvero & in ecclesia beatæ Cæciliæ marty- S. Cæciliæ. ris fecit concham ex argento, ubi & preciosum ejusdem virginis caput condidit, pensantem libras octo & semis. Simili modo & in ecclesia beati Quiriaci martyris in Thermis obtulit præ- S. Quiriaci. dictus præsul vela de fundato numero octo. Hic a Deo fultus jam nominatus pontifex fecit in oratorio sancti Archangeli, quod quondam prædecessor ejus domnus Leo papa constituit atque construxit, vestem albam holosericam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo cum historia dominicæ resurrectionis domini nostri Iesu Christi, & periclysin de chrysoclavo mirifice decoratam. Item ibi obtulit aliam vestem de fundato cum periclysi de blattin Byzantea.

Fecit etiam jam dictus pontifex in supradicto oratorio vestem aliam de quadrapulo circumsutam cum historia Dei genitricis pulcerrime comptam atque decoratam.

Præterea idem summus pontifex & orthodoxus divina inspiratione pulsatus ecclesiam sanctæ & intemeratæ virginis Mariæ dominæ nostræ B. Mariæ. Ad præsepe, cernens quondam tali more constructam, ut post sedem pontificis mulieres ad sacra missarum solennia stantes, prope assistere juxta pontificem viderentur, ita ut si aliquid colloqui pontifex cum sibi assistentibus voluisset, ex propinqua valde mulierum frequentatione nequaquam ei sine illarum interventione liceret; largum ibidem locum inesse, qualiter inde sedem mutare valeret, concerneret, dato operis studio cœpit indesinenter agere sedem inferius positam sursum ponere, ut eo familiarius domino preces fundere posset, quo consortia populorum modeste declinare potuisset. Denique sedem optime quam dudum fuerat pulcerrimis marmoribus decoratam condidit, & undique ascensus, quibus ad eam gradiatur, construxit, pavimentumque altaris erigens preciosissimis marmoribus stravit. Erexit sane sex inibi ante confessionem sacri altaris purpureo colore columnas, quas super & candidi marmoris trabem posuit, purpureis dextra lævaque marmoribus nectens illas scilicet, cælaturisque exornans satis commode decoravit. Presbyterium quoque ipsius ecclesiæ diversis marmoribus quam pridem fuerat in melius reparavit. Propitiatorium vero sacri altaris, seu confessionem interius exteriusque cum rugulis suis ex auro purissimo mirifice decoravit, pensans libras centum septuaginta quatuor, & uncias sex. Similiter & altare ipsius basilicæ ex argenteis laminis cum historiis diversis pulcerrime compsit atque deauravit, pensantibus libras trecentas octoginta & quinque. Benignissimus etiam præclarusque præsul obtulit ibi gabatas ex auro purissimo cum diversis gemmis numero sex, pensantes libras viginti, & uncias sex. Et hoc constituit ut semper diebus ac noctibus ante sacrosanctū altare lucernæ ardere debeant. Hic divina inspiratione fultus obtulit in jam dicta basilica arcus ex argento numero octo, cum columnis sexdecim, pensantes insimul libras ducentas decem & octo, & uncias octo. Fecit etiam & ante vestibulum altaris rugas majores

majores ex argento, pensantes libras septuaginta & octo. Obtulit etiam & canthara ubi supra ex argento numero sex, pensantia insimul libras sexaginta & semis. Pari modo & per arcus majores sæpedictæ ecclesiæ fecit calices majores ex argento pendentes numero quadraginta & duos, qui omnes insimul pensant libras ducentas octaginta & unam. Venerabilis etenim præsul ob amorem ejusdem virginis dominæ nostræ obtulit ibidem coronas ex argento numero quatuor, pensantes libras sexaginta & duas & semis, & uncias tres. Item, ubi supra, canistra ex argento numero duo, pensantia libras tredecim. Fecit etiam ibidem imaginem ex argento deauratam cum vultu beatæ Dei genitricis Mariæ, pensantem libras decem & septem, & uncias tres. Christi quoque omnipotentis domini famulus obtulit in sacrosancto altari sæpedictæ basilicæ vestes de chrysoclavo duas, habentes historiam dominicæ nativitatis domini nostri Iesu Christi, cum periclysi diversis ornatas gemmis, atque margaritis mirifice decoratas.

Obtulit etiam ibi ipse aliam vestem de chrysoclavo, habentem historiam qualiter dominus noster Iesus Christus a Ioanne in Iordane baptizatus est, cum periclysi de chrysoclavo mirifice exornatam. Item ubi supra compsit vestem de chrysoclavo, habentem historiam dominicæ resurrectionis domini nostri Iesu Christi cum periclysi de chrysoclavo, diversis ornatam margaritis.

Beatissimus & venerabilis prænominatus pontifex divino amore ductus, fecit ibidem in jam præfato altari vestem similiter de chrysoclavo, habentem historiam qualiter beata Dei genitrix Maria corpore est assumpta, cum periclysi de chrysoclavo, seu diversis margaritis comptam atque decoratam. Fecit enim benignissimus præsul ibi ipse aliam vestem de chrysoclavo habentem historiam dominicæ ascensionis Christi domini nostri rite decoratam. Item ubi supra ob amorem ejusdem virginis construxit aliam vestem de chrysoclavo, habentem historiam qualiter Spiritus sanctus venit super apostolos, diversis ornatam margaritis & decoratam. Imo ibidem aliam munivit vestem de chrysoclavo cum historia palmarum modeste comptam atque decoratam.

Nec non & ubi supra aliam compsit jam nominatus pontifex vestem de olovero cum periclysi de fundato. Pariter quoque & pro quotidianis diebus obtulit vestes de fundato duas cum periclysi de quadrapulo pulcerrime exornatas. Hic divina inspiratione pulsatus fecit ipse sanctissimus præsul per arcus majores jam præfatæ basilicæ vela de fundato quatuordecim, & de quadrapulo quatuordecim, similiter & de imizilo quatuordecim. Domini nostri Iesu Christi famulus ob amorem eidem dominæ nostræ per arcus presbyterii jam dictæ ecclesiæ fecit vela de chrysoclavo, habentia historiam domini nostri Iesu Christi, atque nativitatem seu assumptionem ejusdem intemeratæ virginis numero viginti & sex. Pariter & per ipsos arcus obtulit vela de quadrapulo diversis historiis circumsuta numero viginti quatuor. Christi namque omnipotentis famulus obtulit sursum in aspectu absidæ pannum Alexandrinum mirifice decoratum.

Obtulit etiam in trabem majorem ipsius basilicæ velum majus de fundato, habens trabes de chrysoclavo septem, & periclysin de blattin By-

A zantea. Fecit etiam ad ornatum ipsius basilicæ in ipsam trabem vela de quadrapulo numero sex, & de imizilo vela numero quatuor. Ipse quoque pontifex fecit juxta vestibulum altaris in absidam vela de quadrapulo numero duodecim. Ibidem de blattin vela numero sex. Venerabilis quoque præsul fecit in ingressu jam dictæ basilicæ cortinam majorem Alexandrinam cum diversis historiis compte decoratam. Simili modo, & pro quotidianis diebus aliam ibidem obtulit cortinam Alexandrinam mirifice exornatam. Benignissimus & præclarus pontifex obtulit in prænominata basilica vela alba holoserica in trabem majorem cum periclysi de fundato numero sex. B Vela alia quatuor de blattin Byzantea alba ibidem constituit mirifice. Item in al ida ipsius basilicæ posuit vela alba cum periclysi de fundato numero sex.

Et quia ibidem ter beatissimus pastor tantam curam tantamque vigilantiam, quam erga status sanctarum Dei ecclesiarum frequenter impendebat, etiam altare præsepii jam dictæ basilicæ, seu venerabilem confessionem, ultro citroque ex auro purissimo cum diversis historiis mirifice compsit atque decoravit, pensans libras centum triginta quatuor, & uncias quatuor. Similiter ex argento deaurato cum variis historiis ibidem * uncias decem pensantes libras ducentas quinquaginta quatuor, & uncias quatuor. C

Item ibidem obtulit præfatus pontifex gabatas ex auro purissimo cum gemmis diversis numero tres, pensantes libras octo, & uncias decem. Porro & vela de alythino cum periclysi de blattin Byzantea ibidem posuit. Hic sacer antistes ob nimium cordis amorem fecit in ecclesia beatæ Cæciliæ vestem de chrysoclavo, habentem historiam dominicæ resurrectionis domini nostri Iesu Christi mirifice depictam atque exornatam.

Ipse vero a Deo protectus venerabilis & præclarus pontifex fecit propitiatorium sacri altaris beati Petri apostolorum principis, ubi sanctissimum corpus ejus quiescit, spanoclistum ex D auro fulvo cum diversis historiis depictum, atque mirifice decoratum pensans libras ducentas. Item in jam dicta ecclesia ob amorem ejusdem Dei apostoli fautoris sui obtulit vela chrysoclava per arcus presbyterii, habentia historiam dominicæ passionis ac resurrectionis domini nostri Iesu Christi numero quadraginta sex. Pariter & in ecclesia beatorum martyrum Cosmæ & Damiani in via sacra fecit vestem holosericam pulcerrime comptam atque decoratam. Benignissimus etenim præsul fecit in basilica beatæ Dei genitricis virginis semper Mariæ dominæ nostræ ad præsepe gabatas ex auro diversis gemmis ornatas numero duas pensantes libras sex. Item ibi ipse E obtulit gabatam apostolicam ex auro purissimo pensantem libras quinque. Item ubi supra fecit phara canthara ex argento numero octo, pensantia insimul libras octuaginta duas. Ob amorem quoque ejusdem dominæ nostræ obtulit in jam dicta basilica columnas quatuor, & arcum unum pensantia insimul libras sexaginta. Sæpe nominatus etenim pontifex fecit in venerabili altari ipsius ecclesiæ vestem albam, habentem in medio crucem de chrysoclavo diversis gemmis circumsutam, & pulcritudine exornatam, aliam quoque ibidem annectens vestem de blattin Byzantea, simili modo cum cruce de chrysoclavo diversis lapidibus honestissime decoratam. Fecit etiam ad ornatum præfatæ ecclesiæ vela de chrysoclavo per

SS. Cosmæ & Damiani.

B. Mariæ.

per arcus presbyterii habentia historiam dominicæ passionis, atque resurrectionis domini nostri Iesu Christi.

Nec non & in trabem majorem sæpius dictæ ecclesiæ obtulit vela alia cum periclysi de quadrapulo numero sex. Item in trabes ipsius basilicæ fecit vela de fundato numero septem. Obtulit etiam vela holoserica in circuitu altaris jam dictæ ecclesiæ, habentia periclysin de quadrapulo numero quatuor. Venerabilis quoque præsul fecit in ecclesia beatæ Dei genitricis, quam vocant dominicam, rugas ex argento pensantes libras sexaginta sex.

Fecit etiam in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ dominæ nostræ sita Savinis in episcopio vestem de fundato cum periclysi de blattin Byzantea.

Hic denique divina vocatione defunctus est. Sepultus vero in ecclesia beati Petri apostoli. Fecit autem ordinationes duas, unam quidem per mensem Decembris, & aliam per mensem Martium. Presbyteros.......diaconos sex, episcopos per diversa loca numero.....Et cessavit episcopatus ejus dies quatuor in mense Ianuario, indictione prima.

Notæ Severini Binii.

a *Paschalis.*] Anno 817. quinto Kalendas Februarii Paschalis miraculo incendii extincti clarissimus, miro totius populi ac cleri consensu ex monasterio invitus ad pontificatum assumptus, statim de sui reluctantis electione Ludovicum certiorem reddidit. Paulo post missa ad Ludovicum secunda legatione petebat, inquit Theganus in rebus a Ludovico gestis, controversiam de finibus Dalmatiarum, Romanorum & Sclavorum dirimi: quid vero ea legatione impetraverit non constat. Iconoclastæ orthodoxos gravissime persequuntur, & quibus martyrii gloriam invidebant, gravissimis carcerum & exiliorum pœnis & ærumnis affligebant. Hanc rem Theodorus Studita clarissimus confessor, scriptis ad Paschalem literis, missisque ad eumdem binis legationibus, qua injuria orthodoxum confessorem persecuti fuerint commemorat, & simul auxilium ac defensionem adversus eosdem implorat. Quas cum ille una cum legatis benevole accepisset, ad Theodorum aliosque orientales epistolas consolationis plenissimas reddidit. Addidit legationem, quam describit Anastasius supra, & de qua ego plura dicam infra. Theodotus pseudopatriarcha Constantinopolitanus miserat apocrisiarios, ut hac via furtim communionem ecclesiasticam surriperet: verum pontifex de eorum adventu certior redditus, eosdem ne quidem accessu in urbem dignos esse voluit. *Hæc ex Michaele & Theodoro Studita Baronius anno 817.*

Ludovicus imperator post obitum Irmingardis imperatricis de nobilissima stirpe Bavarorum, duxit uxorem Iudith, filiam Huelphi comitis, eamque Augustæ titulo condecoravit. *Annales Francorum.* Leoni Armeno in oriente occiso subrogatus est Michael Balbus, qui cum edicto omnes exules orthodoxos revocasset, septennali persecutione sublata pacem ecclesiæ reddidit optatissimam: hac de causa Theodorus exilio liberatus literas scribit imperatori, eumque velut orthodoxæ fidei professorem per errorem valde commendat. Cumque Michael imperator mandasset catholicos cum hæreticis Iconomachis convenire, atque una simul de fidei dogmatibus agere, catholici privatim coeuntes, unanimi consensu responderunt illicitum esse & canonibus ecclesiasticis contrarium, ut catholici cum hæreticis conveniant. Quare enixe rogarunt & impetrarunt, ne quid contra canones agere juberentur.

Ab hoc pontifice Lotharius Romam veniens coronatus est imperator. Quod dum factum esset, orta seditione Romæ occisi sunt duo primarii Romanæ ecclesiæ viri, de quorum nece cum Paschalis in odium Lotharii suspectus haberetur, præstito juramento se legitime ab adversariorum calumnia expurgavit. *Auctor vitæ Ludovici, in Francorum annalibus.*

b *Sed neque hoc silentio prætereundum*] Describit incendium quod a Paschali papa miraculose extinctum fuit. Quæ si vera sint, probabile est, quod ne quidem ullam suspicionem commissi criminis & homicidii incurrerit, A quamquam auctor vitæ Ludovici contrarium apertis verbis describat.

c *Absidem vero ejusdem ecclesiæ musivo opere, &c.*] Ipsa absis sacris imaginibus ex musivo laboratis decora & integra adhuc extat. Vide Baronium anno 818. numero 15. *Translatio corporis sanctæ Cæciliæ.*

d *Cæciliæ ecclesiam.*] Describit hoc loco quomodo corpus sanctæ Cæciliæ aureis indumentis sanguine adhuc infusis velatum, eadem Cæcilia revelante repertum fuerit. Codex Vaticanus, ex quo historiam recitat Baronius anno 821. numero 2 & 3. multa alia habet quæ apud Anastasium hoc loco desiderantur. Quid in secunda inventione corporis sanctæ Cæciliæ sub Clemente papa VIII acciderit, dicam infra in notis ad vitam ejusdem Clementis.

EPISTOLA I. PASCHALIS PAPÆ I.

B DE CONFIRMATIONE PRIVILEGIORVM Rauennatis ecclesiæ.

Paschalis episcopus servus servorum Dei, reverend. sanctissimo fratri Petronacio archiepiscopo sanctæ Ravennatis ecclesiæ, & per te in eadem ecclesia in perpetuum.

Cum piæ desiderii voluntates, & laudandæ devotionis intentio, apostolicis sit semper studiis adjuvanda, cura est solicitudinis adhibenda, ut ea quæ legaliter geruntur, & æquitati C personæ conveniunt, nulla valeant refragatione perturbari, " sed irrefragabile jure de eo.....at permanere, & ob hoc apostolicis promulgatis sanctionibus propria quæ rationis......suppetunt, fas exigit possidenda confirmari. (*" Hæc omnia valde corrupta.*) Igitur quoniam quidem fraterna sanctitas tua direxit nobis per Sergium religiosum diaconem sanctæ tuæ Rauennatis ecclesiæ.........eumdem Hadriani quod papæ, prædecessoris nostri, in quo confirmabit privilegia Leonis, quod imper. facta ab Epiphanio, quod religioso notario, & scriniario, & apocrisiario Ravennatis ecclesiæ, qui disertus ab bo. memoriæ Damiano archiepiscopo.....tus confirmatæ sacræ essent præcedentes formulas ab pio Leone imperatore tam divæ memoriæ prisci Iusti- D niani, quamque ceteris pissimis imperatoribus privilegia sanctæ vestræ ecclesiæ prælargita, in quibus, & aliis piis capitulis: & ut sine sacrilegio.......vel feretis, rapinæ ejus fines prælargitæ sunt, & promulgationes postulabit quoque tua almitas eadem, præpas nostros apostolicos apices firmitatem accipere; unde annuentes præparacius sancimus, & confirmamus omnia quæcumque sunt privilegia edita in sancta vestra Ravennati ecclesia, tam prædecessorum nostrorum pontificum, scilicet sanctæ recordationis Hadriani & Leonis sui prædecessorum, quamque imperatorum vel dona regum, aut a Christianis homi- E nibus perdonationibus, vel venditionibus, seu testamentis oblata, juxta ordinem generaliter & specialiter omnium sanctæ tuæ ecclesiæ largitatum corroborationis firmitatem in perpetuum habere præcipimus & confirmamus, ut nullum locum, aut jus subjacentem sub ditione sanctæ tuæ ecclesiæ, pro quolibet adinventionis argumento potentia quoquomodo judicari suffultum civili, aut militari præcinat usurpari vel subtrahere, aut violare v.....innovatione ædificationis inducere. Sed si quis.....aut cadentem templum renovare, & aut ædificare tentaverit, non habere licentiam ante hoc agere, nisi prius per solitam benedictionem paternæ sanctitati vestræ sanctæ & venerabilis coram ibi figatur, ne q..... que ex alio episcopatu, ditione, aut civitatis ibidem venientes, & commorantes Deo amabiles

biles clericos præsumere in subjacentibus nobis A ecclesiis sine præceptionem nostram sacerdotalem agere ministerium magis autem, & omnes advenarum religiosissimos clericos mites, uti ne actiones vestram sanctitatem obaudire ac definire, & nec secundum divinarum legum, & sacratissimarum regularum tenore effectum in eis inferre. Monasterio vero sancti primi martyris Stephani, qui sic nominatis fundamenta, & se jacet juxta palatium, & omnibus idem pertinentibus religiosis monachis omnia veneranda oracula, vel monasteria & ceteros venerandos locos sub parochia existentes sanctitati vestræ sub ditione, & potestate sanctitati vestræ subjaceant, & per te sanctæ tuæ ecclesiæ. Et quæcumque sunt eis privilegiis in integro observandis super B his, nec nullum molestia, aut angarias, aut gravamina, aut excubias quilibet inferre parti sanctæ tuæ ecclesiæ, nec non colonas, aut pa......tres vos subjacentes parti sanctæ vestræ ecclesiæ, a quolibet omnium ad militandum subtrahere, sed si militati fuerint, eos discingi, & dismilitari jubemus nostræ venerandæ reddituros parti, ut si quis talia temerantes prævertere tentaverit, de his quæ a nobis pie sancita sunt, & juste a nobis petistis, ut per præsentem nostrarum apostolicam continetur formula, non solum nihil prævaleat, sed etiam pro tale matricem audaciam, & omnia suarum facultatum amissione faciantur, nec non, & animarum adversiones periculo minime declinare poterint sufficientibus omnibus in concessione sola hujus apostolicæ nostræ exarationis. Si quis vero contra hoc nostrum apostolicum præceptum..........egerit, componat" au- C ribrici libras quinque, insuper & anathematis vinculis sit innodatus, & perpetuæ condemnationi summissus. Quod præceptum confirmationis a nobis factum rescribendum præcepimus Timotheo notario & scriniario, sedis nostræ in mense Iulio, indictione XII. Benevalete. Guidus Iulius per manum regi.......... Biblio....... sedis apostolicæ imperat. Augustinus Hludouvici.......bondo.

" auri obryzi.

EPISTOLA II. PASCHALIS PAPÆ I.

De inventione reliquiarum sanctæ Cæciliæ.

CVM summæ apostolicæ dignitatis apex in D hoc divino perspectus nitore dignoscitur perfulgere, cum in exercendis Dei laudibus impensius * studebit exhibere certamen: ad hoc & injuncta nobis ejusdem apostolicæ pastoralis compulsit solicitudinis cura, quæ ad stabilitatem piorum pertinere dignoscitur locorum, ubertim promulgare, & apostolicæ institutionis censura confirmare. Et quia convenit nostro apostolico moderamini, ut diversa corpora sanctorum, quæ diu inculta jacuerunt, cum summa vigilantia ob honorem omnipotentis Dei intra hujus almæ urbis claustra honeste congregare, inter quos & corpus beatæ Cæciliæ martyris, pervigiles omnino inquirere deberemus: & quia jamdudum fama inter quosdam vulgaverat, quod ejusdem beatæ Cæciliæ corpus ab Aistulpho Longobardorum rege furtim fuisset ablatum, idcirco pene oblivionis obtentu postponere credebamus. Vnde tamen, domini annuente clementia, quadam die, dum ante confessionem B. Petri apostoli psallentium, matutinali lucescente dominica, residentes observaremus

* conamur.

harmoniam, sopore in aliquo corporis fragilitatem aggravante, astitit nobis puella pulcerrima, & virginali aspectu & habitu decora. Et talia nobis intuens ait: Multas tibi gratias referimus quod * cunctamen, quod in medium apposueras, frustratoriis relationibus pervulgatus sine causa, reliquisti: quia tanto penes me appropinquasti, quod ore proprio loqui communiter valeremus.

*certamen

Et dum a nobis diligenter interrogata fuisset, tu quis es, & quod est nomen tuum, quæ talia me * præmonendo, conaris? Si de nomine quæris, Cæcilia, inquit, famula Christi vocor. Cui subjungens dixi: Quomodo hoc credere possumus, cum olim fama relatum sit, quod idem sacratissimæ martyris corpus a Longobardis inde fuisset ablatum? Quæ ita respondens dixit: Veritas est quod me multum desideraverunt, & quæsierunt, sed gratia dominæ meæ semperque Virginis Dei genitricis Mariæ adfuit, quod nec me invenire, nec me deportare, sicut voluerant, hinc longius potuerunt. Sed sicut cœpisti * perge, & sicut operaris indesinenter operare, quia omnipotenti Deo me tibi placuit revelare. Et corpus meum cum aliis corporibus sanctis quæ sunt juxta me recondere stude intra muros urbis. Et hæc dicens abscessit.

* præsumendo, Se prodit Cæcilia Paschali.

*perage

Tunc etenim pro hujus revelationis manifestatione, omni postposita difficultate, incunctanter & absque ambiguitate ipsius venerabilis virginis corpus inquirendum decrevimus. Qui & annuente Deo, ejusque solito adjuvamine properantes in cœmeterium S. Sixti seu Prætextati situm foris portam Appiam (sicut in sacratissima illius passione manifeste narratur) inter collegas episcopos in aureis indumentis cum venerabili sponso reperimus. Vbi & linteamina, cum quibus sacratissimus sanguis abstersus est de plagis, in quibus spiculator trina percussione crudeliter se * gesserat, ad pedes beatissimæ virginis in unum revoluta, plenaque cruore invenimus. Quæ omnia nostris manibus * attrectantes, cum venerabili corpore honeste intra muros hujus Romanæ urbis induximus.

Corpus S. Cæciliæ inventum.

*incesserat

* pertractantes,

Pro cujus desiderabili * dilectione titulum, quem piæ devotionis affectu sanctus papa I. Gregorius doctor eximius dicaverat, laxatum existentem, Dei annuente clementia, in meliorem statum a novis fundamentis Dei ejusdem virginis corpus cum carissimo sponso, atque Tiburtio & Maximo martyribus, necnon Vrbano & Lucio, utrisque pontificibus, * sub sacro altari beatorum Andreæ apostoli dedicantes collocavimus.

*devotione titulus restauratus. *Sub altare supradicti apostoli corpus prædictæ sanctæ virginis Cæciliæ cum prædictis martyribus, & Romanis pontificibus almis constituentes condidimus.

Ibique ad laudem Creatoris instaurato monasterio beatorum Andreæ apostoli & Gregorii confessoris, nec non in honorem sanctarum virginum & martyrum Agathæ & Cæciliæ infra ecclesiam in loco qui dicitur Collis * jacentis. E In quo monachorum Deo servientium congregationi unanimi consuluimus pro quotidianis laudibus & pro subsidio, & luminarium continuatione, seu utilitate & stipendio monachorum diu noctuque domino Deo nostro devotione debita persolvendis, &c.

* Proti & Iacinthi locus titulo proxi mis, ubi erant corpora dictorum martyrum.

ANNO CHRISTI 817.

CONVENTUS AQUISGRANENSIS ABBATUM FRANCIÆ CUM MONACHIS SUIS,

In quo ad regularium institutionem communi consensu edita sunt capitula LXXX.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De abbatibus, mox ut ad monasteria sua remeaverint, ut regulam discutiant, & efficaciter legant, & quod legerint & intellexerint, cum suis observent monachis.*

II. *De monachis, ut regulam sancti Benedicti qui valuerint memoriter discant.*

III. *De regulari officio, ut juxta præceptum sancti Benedicti celebretur inter alia.*

IV. *Ut tam in coquina, quamque & in cunctis monasterii officinis, monachi operentur, & ut ipsi vestimenta sua lavent.*

V. *De monachis, ut post matutinalem expletionem, nisi ante constitutam surrexerint horam, denuo ad lectos suos non præsumant causa dormiendi redire.*

VI. *Ut monachi, nisi in sabbato sancto pascha, per totam quadragesimam non radantur: alio tempore post finitos XV. dies licito radantur, tam in sabbatis, quam & in octavis pascha.*

VII. *De balnearum usu.*

VIII. *De non edendis volatilibus a monachis intus foris ve, nisi infirmitatis causa.*

IX. *Ne episcopi monachis volatilia comedere præcipiant.*

X. *Ne a monachis poma & lactucæ, nisi quando alius cibus sumitur, manducentur.*

XI. *De certo tempore phlebotomandi non observando: & ut monachis tunc ibi cibus potusque magis in supplementum largiatur.*

XII. *Ut si necessitas postulaverit, monachis post vespertinum cibum, ante lectionem completorum potus tribuatur: similiter quadragesimali tempore, vel quando mortuorum officium egerint.*

XIII. *De monacho a priore suo increpato.*

XIV. *Ne nudi coram aliis vapulent monachi.*

XV. *Ne soli in itinere dirigantur monachi.*

XVI. *Ne sibi compatres vel commatres monachi faciant.*

XVII. *Ne murmurent monachi tempore legendi & meridiano occupati ad colligendas fruges.*

XVIII. *De monachis quarta & sexta feria jejunantibus.*

XIX. *Ut in quadragesimali tempore monachi libros accipiant.*

XX. *De vestimento monachis nec satis pretioso nec satis vili dando.*

XXI. *De cucullæ mensura.*

XXII. *De potestate abbatis, si extra mensuram infra positam aliquid addendum decreverit.*

XXIII. *De pedibus fratrum vicissim lavandis.*

XXIV. *De mandato post cœnam faciendo.*

XXV. *De mensura monachorum, ut ea abbates illorum sint contenti.*

XXVI. *De villis fratrum, ut eas non circumeant monachi.*

XXVII. *De abbate vel quolibet monacho, ne ad portam monasterii cum quocumque hospite manducare præsumat.*

XXVIII. *Ne servitores fratrum post refectionem eorum ad unam mensam, sed in propriis sedeant locis.*

A XXIX. *De lectore, ut nihil nisi quod regula decernit accipiat.*

XXX. *De alleluia in septuagesima dimittendo.*

XXXI. *De præposito, ut majorem quam ceteri habeat potestatem.*

XXXII. *De præposito monachis non constituendo, nisi & ipse monachus sit.*

XXXIII. *De senioribus fratribus monasterium circumeuntibus.*

XXXIV. *De novitio fratre, ut non facilis ei in monasterium tribuatur ingressus.*

XXXV. *De monacho, quam professionem faciat.*

XXXVI. *De puero, ut pater & mater eum ad altare offerant.*

B XXXVII. *De infantibus oblatis, ut carnem non comedant.*

XXXVIII. *De fratribus post sextam dormientibus.*

XXXIX. *De fratribus, ut usque nonam in quadragesima operentur.*

XL. *De his fratribus, qui quolibet modo, tamen graviter delinquunt.*

XLI. *De eo qui in refectorio negligenter coram fratribus aliquid excesserit.*

XLII. *De plebeio non recipiendo in monasterio, nisi prius monachus fieri voluerit.*

XLIII. *Ne monachus jurando sermonem proferat, nisi sicut sancti partes constituerunt loqui.*

C XLIV. *De abbatibus cellulas monachorum vel canonicorum habentibus.*

XLV. *De schola in monasterio non habenda, nisi de his qui oblati fuerint.*

XLVI. *De præcipuis solennitatibus sanctorum, ut plenarium in eis officium fiat, & bis monachi edant.*

XLVII. *De jejunio parasceves.*

XLVIII. *De benedictione post completorium dicenda.*

XLIX. *De decimis dandis tam ecclesiæ quam pauperibus.*

D L. *De specialibus psalmis pro elemosynariis & defunctis cantandis.*

LI. *De pentecoste, ut per hebdomadam non flectantur genua, neque jejunetur, nisi dies jejunii exstiterint.*

LII. *De laicis in refectorium monachorum manducandi vel bibendi causa non ducendis.*

LIII. *De vestimentis & calciamentis, ut fratribus quoties expedit dentur.*

LIV. *De his qui præponuntur, ut Nonni vocentur.*

LV. *De seniore decano.*

LVI. *De præposito, decano, & cellarario.*

LVII. *De libra panis, ut triginta solidos penset, antequam coquatur.*

LVIII. *De dormitorio hospitum.*

E LIX. *De abbatibus, ut secum monachos in itinere, non nisi ad synodum ducant.*

LX. *De duobus signis ad tertiam, sextam, & nonam pulsandis.*

LXI. *De monachis, ut disconsutas cappas non habeant nisi tantum villosas.*

LXII. *De abbatibus & præpositis atque decanis, ut benedictionem lectoribus tribuant, licet presbyteri non sint.*

LXIII. *Ut e fratribus docti eligantur, qui supervenientibus monachis loquantur.*

LXIV. *De incerto furto, ut oratio & excommunicatio fiat, quousque qui culpabilis existit manifestetur.*

ANNO CHRISTI 817.

LXV. *De monacho qui adversus alium monachum testimonium protulerit.* A

LXVI. *De psalmo invitatorio, & Gloria pro defunctis non cantandis.*

LXVII. *De lectore, ut stans benedictionem petat.*

LXVIII. *De eulogiis in refectorio fratribus a presbyteris dandis.*

LXIX. *Quod ad capitulum primo martyrologium legendum sit & versus postea dicendus, inde regula.*

LXX. *De lectione in capitulo exponenda.*

LXXI. *De jejunio fratrum æstivo tempore.*

LXXII. *De eo qui culpæ noxa tenetur, ut die dominico remissius habeat.*

LXIII. *De anniversaria die pro defuncto abbate celebranda.* B

LXXIV. *De eo ut ad missam inclinati Sanctus dicant, & ad Pater noster genu flectant.*

LXXV. *Non debet aliquis pro munere in monasterio recipi.*

LXXVI. *De mensura cibi ac potus, quæ monachis separatim debet tribui.*

LXXVII. *De fratrum pinguedine, quam accipere debeant in victu quotidiano.*

LXXVIII. *In domini natali, & festivitate paschæ, monachis volatilia sumere quatuor diebus concessum est.*

LXXIX. *De muffulis monachis dandis.*

XXC. *De disciplina modo.*

PRÆFATIO.

ANNO incarnationis domini nostri Iesu Christi DCCCXVII. imperii vero gloriosissimi principis Ludovici IV. VI. Idus Iulias, cum in domo Aquisgrani palatii, quæ Lateranis dicitur, abbates complures una cum suis resedissent monachis, quæ subsequuntur capitula communi consilio ac pari voluntate inviolabiliter a regularibus conservari decreverunt.

CAPITVLA.

I.

Vt abbates, mox ut ad monasteria sua remeaverint, regulam per singula verba discutientes pleniter legant, & intelligentes domino opitulante efficaciter cum monachis suis implere studeant.

I.

Vt monachi omnes qui possunt regulam memoriter discant.

III.

Vt officium juxta quod in regula sancti Benedicti continetur celebrent monachi.

IV. E

Vt in coquina, in pistrino, & in ceteris officinis, propriis operentur manibus, & vestimenta sua opportuno tempore lavent.

V.

Vt nullo unquam tempore post vigilias causa dormiendi, nisi contigerit eos ante horam constitutam surgere, ad lectos redeant suos.

VI.

Vt in quadragesima, nisi in sabbato sancto, non radantur: in alio autem tempore, semel per XV. dies radantur, & in octavis paschæ.

VII.

Vt balnearum usus in arbitrio prioris consistat.

VIII.

Vt volatilia intus forisve, nisi pro infirmitate, nullo tempore comedant.

IX.

Vt nullus episcoporum monachis volatilia comedere præcipiat.

X.

Vt poma & lactucæ, nisi quando alius sumitur cibus, non comedantur.

XI.

Vt certum phlebotomiæ tempus non observent, sed unicuique secundum quod necessitas expostulat concedatur; & specialis in cibo & in potu tunc consolatio præbeatur.

XII.

Vt si necessitas poposcerit ob operis laborem, post refectionem vespertinam, etiam & in quadragesima pari modo, & quando officium mortuorum celebratur, priusquam lectio completorii legatur, bibant.

XIII.

Vt cum a quocumque priore suo increpatus quis eorum fuerit, mea culpa primo dicat, dehinc prosternens se illius pedibus cum cappa, si habuerit, veniam petat, & tunc jubente priore surgat, & unde interrogatus fuerit rationem humiliter reddat.

XIV.

C Vt nudi pro qualibet culpa coram fratrum obtutibus non flagellentur.

XV.

Vt soli sine alio fratre in via non dirigantur.

XVI.

Vt sibi compatres commatresve non faciant, neque osculentur feminas.

XVII.

Vt si necessitas fuerit eos occupari in fruges colligendo, constitutum legendi & meridie pausandi tempus præmittatur, & operantes non murrent.

XVIII.

D Vt quarta & sexta feria jejunantes ante nonam, aut post nonam, si necessitas fuerit, juxta prioris arbitrium, levia opera exerceant.

XIX.

Vt in quadragesima libris de bibliotheca secundum prioris dispositionem acceptis, alias nisi prior decreverit expedire non accipiant.

XX.

Vt eis vestimenta nec multum vilia nec multum preciosa, sed mediocria dentur.

XXI.

Vt mensura cucullæ duobus consistat cubitis.

XXII.

Vt si infra positæ mensuræ quantitatem decreverit abbas causa necessitatis quidpiam augeri, in illius maneat potestate. Alioquin hoc omnino provideat, ut camisas duas, & tunicas duas, & cucullas duas, & cappas duas unusquisque monachorum habeat, quibus vero necesse est addatur & tertia, & pedules quatuor paria, & femoralia duo paria, rocum unum, pellicia usque ad talos II. fasciolas II. quibus autem necesse est itineris causa, alias duas, vvantos in æstate, muffulas in hieme vervecinas, calciamenta diurna paria II. subtulares per noctem in æstate II. in hieme vero soccos, sapouem & uncturam sufficienter, pingue-

pinguedinem ad esum excepto sexta feria, & xx. diebus ante nativitatem domini, & septimana illa quæ ante quadragesimam vocatur quinquagesima. Vbi autem vinum non est unde emina detur, duplicem mensuram de cervisia bona. Et quæcumque præter hæc regula jubet, singuli, cum necessitas postulaverit, absque dilatione accipiant.

XXIII.

Vt in quadragesima, sicut & in alio tempore, viciſſim sibi pedes lavent, & antiphonas huic officio congruentes decantent. In cœna vero domini pedes fratrum, si valet, abbas lavet & osculetur, & demum propria manu poculum eis porrigat.

XXIV.

Vt mandatum, si tempus cœnæ est, tam fratrum quam etiam peregrinorum post cœnam fiat.

XXV.

Vt ea quam monachi sui habent mensura sint abbates contenti in manducando, in bibendo, in dormiendo, in vestiendo, in operando, si in aliis utilitatibus non fuerint occupati.

XXVI.

Vt villas frequenter, & nisi necessitas coegerit, non circumeant, neque suis illas monachis custodiendas committant. & si eos ire ad eas necessitas fuerit, expleto necessitatis negotio ad sua mox monasteria redeant.

XXVII.

Vt abbas vel quispiam fratrum ad portam monasterii cum hospitibus non reficiantur. In refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi ac bibendi exhibeat. Ipse tamen ea cibi potusque mensura contentus sit, quam reliqui fratres accipiunt. Si vero propter hospitem voluerit ad solitam mensuram fratribus sibique augere aliquid, in sua maneat potestate.

XXVIII.

Vt servitores non ad unam mensam, sed in propriis locis post refectionem fratrum reficiantur, quibus eadem lectio quæ fratribus recitetur.

XXIX.

Vt lectori nihil nisi quod regula jubet detur.

XXX.

Vt alleluia in septuagesima dimittatur.

XXXI.

Vt præpositus intra & extra monasterium post abbatem majorem reliquis abbati subditis habeat potestatem.

XXXII.

Vt monachis non nisi monachus constituatur præpositus.

XXXIII.

Vt de senioribus monasterium circumeuntibus quidam cum fratribus in obedientiam exeant, quidam in monasterio propter custodiam remaneant.

XXXIV.

Vt novitio non facilis in monasterium tribuatur ingressus, & ut in cella hospitum probationis causa hospitibus serviat paucis diebus: res vero quas habet parentibus suis commendet. expleto autem probationis suæ anno, secundum quod regula præcipit inde faciet. Ipse vero nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat.

XXXV.

Vt monachus professione facta tribus diebus cuculla coopertum habeat caput.

XXXVI.

Vt puerum pater aut mater tempore oblationis offerant altari, & petitionem pro eo coram laicis testibus faciant, quam tempore intelligibili ipse puer confirmet.

XXXVII.

Vt infantes oblati carnem non nisi causa infirmitatis manducent.

XXXVIII.

Vt quando fratres post sextam dormiunt, si quis eorum voluerit legere, in ecclesia aut in lecto suo legat.

XXXIX.

Vt in quadragesima usque ad nonam operentur fratres, quatenus missa celebrata congruo tempore reficiantur.

XL.

Vt domus semota his qui fugere, aut pugnis baculisve inter se voluerint confligere, aut quibus ex integro factæ sunt regulares disciplinæ, habeatur hujusmodi, qua in hieme ignis possit accendi, & atrium juxta sit, in quo valeant quod eis injungitur operari.

XLI.

Vt si quis negligenter sonitum fecerit, aut aliud quid excesserit in refectorio, mox a priore veniam petat.

XLII.

Vt nullus plebeius, seu clericus sæcularis, in monasterio ad habitandum recipiatur, nisi voluerit fieri monachus.

XLIII.

Vt nemini liceat sermonem juramenti aut affirmationis proferre, nisi sicut sancti patres soliti fuerunt loqui.

XLIV.

Vt abbatibus liceat habere cellas, in quibus aut monachi sint, aut canonici, & abbas provideat, ne minus de monachis ibi habitare permittat quam sex.

XLV.

Vt schola in monasterio non habeatur, nisi eorum, qui oblati sunt.

XLVI.

Vt in præcipuis solennitatibus, id est in natale, & in octavis domini, in epiphania, in pascha quoque, & ascensione domini, in pentecoste, & in sanctorum festivitatibus, id est sancti Stephani, & beati Ioannis euangelistæ, & in natale infantium, in purificatione & assumptione sanctæ Mariæ, similiter & in beatorum apostolorum festis, & in sancti Ioannis Baptistæ nativitate, sancti quoque Laurentii, atque Martini, seu in natalitiis cujuslibet sancti, cujus honor in qualicumque parochia specialiter celebratur, plenarium officium agatur, & bis reficiatur.

XLVII.

Vt in parasceve non aliud nisi panis & aqua sumatur.

XLVIII.

Vt benedictio post completorium a sacerdote dicatur.

XLIX.

Vt de omnibus in eleemosynam datis, tam ecclesiæ quam fratribus, decimæ pauperibus dentur.

L.

Vt prætermissis partitionibus psalterii, psalmi specia-

ANNO CHRISTI 817.

speciales pro eleemosynariis & defunctis cantentur.

LI.

Vt in hebdomada pentecostes non flectantur genua, & non jejunetur, nisi statuti fuerint dies jejunii.

LII.

Vt laicus causa manducandi ac bibendi in refectorium non ducatur.

LIII.

Vt quoties exposcit necessitas, vestimenta, & calciamenta, & omnia necessaria fratribus dentur.

LIV.

Vt qui præponuntur nonni vocentur.

LV.

Vt senior decanus reliquis decanis præponatur, & abbate vel præposito præsente locum proprium teneat.

LVI.

Vt præpositus, decanus, cellararius, de eorum ministerio, nisi causa utilitatis aut necessitatis, non removeantur.

LVII.

Vt libra panis triginta solidis per duodecim denarios metiatur.

LVIII.

Vt dormitorium juxta oratorium constituatur, ubi supervenientes monachi dormiant.

LIX.

Vt abbates monachos secum in itinere, nisi ad generalem synodum, non ducant.

LX.

Vt duo tantum signa ad tertiam, sextam, nonamque pulsentur.

LXI.

Vt monachi cappas disconsutas præter villosas non habeant.

LXII.

Vt abbas, præpositus, vel decanus, quamvis presbyteri non sint, lectoribus benedictionem tribuant.

LXIII.

Vt docti fratres eligantur, qui cum supervenientibus monachis loquantur.

LXIV.

Vt de furto incerto oratio & excommunicatio a corpore & sanguine Christi fiat, quousque culpabilis confiteatur.

LXV.

Vt si frater adversus fratrem pro qualibet culpa testimonium protulerit, fratri perfectiori credatur.

LXVI.

Vt psalmus invitatorius, & gloria pro defunctis non cantetur.

LXVII.

Vt lector stando benedictionem postulet.

LXVIII.

Vt eulogiæ fratribus a presbyteris in refectorio dentur.

LXIX.

Vt ad capitulum primitus martyrologium legatur, & dicatur versus, deinde regula, aut homilia quælibet legatur, deinde, Tu autem domine dicatur.

LXX.

Vt ad capitulum lectio tradatur, similiter ad conlationem, si tempus fuerit opportunum

LXXI.

Vt quando fratres æstivo tempore jejunant, post sextam dormiant.

LXXII.

Vt is qui noxæ culpa tenetur, die dominico remissius habeat, & veniam non petat.

LXXIII.

Vt pro abbate defuncto anniversarium fiat officium.

LXXIV.

Vt ad missam Sanctus stantes, & Pater noster genu flectentes dicant.

LXXV.

Vt nullus pro munere recipiatur in monasterio, nisi quem bona voluntas & merita commendant.

LXXVI.

Vt unicuique fratri in cibo & in potu sua mensura separatim detur, & de ipsa mensura sibi data alicui nihil tribuat.

LXXVII.

Vt fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, excepto sexta feria, & diebus octo ante natale domini; & a quinquagesima usque ad pascha.

LXXVIII.

Vt volatilia in natali domini, & in pascha, tantum quatuor diebus, si est unde, comedant: si vero non fuerit unde, non requiratur per debitum. Si autem abbas aut monachi abstinere se voluerint, in eorum sit arbitrio.

LXXIX.

Vt muffulæ vervecinæ monachis dentur.

XXC.

In doctrina sua abbas apostolicam debet illam semper formulam servare, in qua dicit: *Argue, obsecra, increpa.* Id est, indisciplinatos & inquietos debet durius arguere, obedientes autem & mites & patientes ut in melius proficiant obsecrare. Negligentes & contemnentes ut increpet & corripiat admonemus, neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox ut cœperint oriri, radicitus ea ut prævalet amputet, memor periculi Eli sacerdotis de Silo. Improbos autem, & duros, ac superbos, vel inobedientes, verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum: *Stultus verbis non corrigitur.* & iterum: *Percute filium tuum virga, & liberabis animam ejus a morte.* In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam, neque ab ea temere declinetur a quoquam. Nullus in monasterio proprii cordis sequatur voluntatem, neque præsumat quisquam cum abbate suo proterve intra monasterium aut foris contendere. Quod si præsumpserit, regulari disciplinæ subjaceat. Si quis frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correctio, id est, verberum vindictæ in eum procedant. Similiter & qui præsumpserit claustra monasterii egredi, vel quocumque ire, vel quidpiam, quamvis parum, sine jussione abbatis facere, vindictæ regulari subjaceat. Peccantes autem coram omnibus arguantur, ut ceteri metum habeant.

2. Tim. 4.

Prov. 23.

Ibidem.

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Conventus Aquisgranensis abbatum.*] Quemadmodum in Aquisgranensi episcoporum concilio tradita superiore anno fuerat regula canonicis & sanctimonialibus, ita & in hoc abbatum conventu monachis quæ sequuntur præscripta sunt capitula. Quanto autem studio alla-

NO ISTI 7.

ANNO CHRISTI 817.

allaborarit Ludovicus ut ab omnibus observarentur, declarat ejus vitæ auctor his verbis: *Constituit idem deo amabilis imperator Benedictum abbatem, & cum eo monachos strenuæ vitæ, qui per omnia monasteria monachorum euntes redeuntesque uniformem traderent cunctis monasteriis, tam viris, quam sanctimonialibus feminis, vivendi secundum regulam sancti Benedicti incommutabilem morem.* Declarat & Ludovicus ipse in diplomate de ordine restituto in monasterio sancti Dionysii, quod infra producetur anno DCCCXXXII. Ad hunc ipsum præterea conventum pertinere videtur Ludovici ejusdem constitutum de monasteriis regni Francorum, quæ regi militiam, dona, vel solas orationes debebant, juxta notitiam infrascriptam, quam ex monasterio sancti Ægidii apud Septimanos olim depromptam, vel cum his quibus scatet mendis, donec emendatius exemplar se offerat, non indignam luce arbitrati sumus.

NOTITIA DE MONASTERIIS

quæ regi militiam, dona, vel solas orationes debent.

ANNO incarnationis domini nostri Iesu Christi DCCCXVII. Ludovicus serenissimus Augustus, divina ordinante providentia, conventum fecit apud Aquis sedem regiam, episcoporum, abbatum, seu totius senatus Francorum: ubi inter ceteras dispositiones imperii statuit, atque constitutum scribere fecit, quæ monasteria in regno vel imperio suo dona & militiam facere possunt, quæ sola dona sine militia, quæ vero nec dona nec militiam, sed solas orationes pro salute imperatoris, vel filiorum ejus, & stabilitate imperii.

HÆC SUNT QUÆ DONA ET militiam facere debent numero XIV.

Monasterium sancti Benedicti.
Monasterium Ferrarias.
Monasterium Nigelli.
Monasterium sanctæ Crucis.
Monasterium Corbeia.
Monasterium sanctæ Mariæ Suessionis.
Monasterium Stabulaus.
Monasterium Flaviniacum.
Monasterium sancti Eugendi.
Monasterium Novalicium.

Ultra Rhenum.

Monasterium sancti Nazarii.
Monasterium Offunvuilarii.

In Bavaria.

Monasterium Manauser.
Monasterium Tegnauser.

Hæc sunt quæ tantum dona dare debent sine militia numero XVI.

Monasterium S. Michaelis Marescii primi.
Monasterium Balma.
Monasterium sancti Sequani.
Monasterium[a] Natradis. ...tnadis

Ultra Rhenum.

Monasterium Suarizaha.
Monasterium sancti Bonifacii.
Monasterium sancti Vvigberti.

In Alemannia.

Monasterium Clehenvvanc.
Monasterium Fruhelinvvanc.
Monasterium Nazaruda.
Monasterium Campita.

In Bavaria.

Monasterium Altemburc.
Monasterium Alcabe.
Monasterium Creausa.
Monasterium Mathasco.
Monasterium Buria.

Hæc sunt quæ nec dona nec militiam dare debent, sed solas orationes pro salute imperatoris, vel filiorum ejus, & stabilitate imperii, numero XVIII.

Monasterium Melaredum.
Monasterium Fossatus.
Monasterium Luda.
Monasterium sancti Gregorii.
Monasterium sancti Mauri.
Monasterium Eborreheim.
Monasterium Clinga.
Monasterium Saviniaco.
Monasterium Crudatis.
Monasterium Dusera.
Monasterium Lorvuim.

Ultra Rhenum.

Monasterium Scevvanc.
Monasterium Sculturbura.

In Bavaria.

Monasterium Berch.
Monasterium Mechema.
Monasterium Scovenauva.
Monasterium Aloseburch.
Monasterium Vveizzenbrunico.

In Aquitania.

Monasterium sancti Philiberti.
Monasterium sancti Maxentii.
Monasterium Carroffinii.
Monasterium Brantosmurii.
Monasterium sancti Savini.
Monasterium sanctæ Crucis puellarum.
Monasterium sanctæ Mariæ in Lemovicas.
Monasterium Mastracurii.
Monasterium Menadinii.
Monasterium Magnilocum.
Monasterium Conquas.
Monasterium sancti[a] Antonii. [a] Antonini.
Monasterium Musciacum.

In Septimania.

Monasterium sancti Ægidii in valle Flaviana.
Monasterium Psalmodium.
Monasterium Anianum.
Monasterium sancti Tiberii.
Monasterium Villa magna.
Monasterium S. Petri Lunate.
Monasterium Caunas.
Monasterium Castrelli Malasci.
Monasterium sanctæ Mariæ Capariensis.
Monasterium sanctæ Mariæ ad Orubionem.
Monasterium sancti Laurentii.
Monasterium sanctæ Eugeniæ.
Monasterium sancti Hilarii.
Monasterium Valle Asperii.

In Tolosano.

Monasterium sancti Papuli.
Monasterium Suricinium.
Monasterium[a] Asilo. [a] Mansi-Asili.
Monasterium Venercha.

In Vvasconia.

Monasterium Cella Fraxilii.
Monasterium Cimorra.
Monasterium Piciano
Monasterium Altum fagitum.
Monasterium sancti Savini.

Hic prædictis monasteriis præfatus imperator, sicut supra dictum est, statutum scribi fecit, atque manu sua firmavit, & annulo suo imperiali sigillare fecit.

NOTA SEVERINI BINII.

a *Conventus*] *De rebus in hoc conventu gestis auctor innominatus in vita Ludovici*: Imperator generalem habuit

ANNO CHRISTI 817.

conventum Aquisgrani, in quo quantum fervoris circa divinum cultum in arca pectoris gestaret tanto annisu declaravit. Congregatis enim episcopis, nobilissimoque sanctæ ecclesiæ clero, fecit componi ordinarique librum canonicæ vitæ normam gestantem, in quo totius illius ordinis perfectio continetur, sicut reclusus ipse fatetur. In quo etiam inseri jussit cibi potusque atque omnium necessariorum summam, ut omnes tam viri, quam sanctimoniales, sub hoc ordine Christo servientes nullis præpediti necessitatibus libera servitute domino omnium militare meminissent. Quem librum per omnes civitates & monasteria canonici ordinis sui imperii misit per manus missorum prudentium, qui illum in omnibus supradictis locis transcribi facerent, debitaq; atque conscripta exigerent stipendia ministrari. Quæ res magnum ecclesiæ contribuit exultationis tripudium, & piissimo imperatori debita cum laude immortale monimentum. Itidemque constituit idem Deo amabilis imperator Benedictum abbatem, & cum eo monachos strenuæ vitæ per omnia, qui per omnia monasteria monachorum euntes redeuntesque uniformem traderent cunctis monasteriis, tam viris, quam sanctimonialibus feminis, vivendi secundum regulam sancti Benedicti incommutabilem morem. *Et paulo post*: Considerans etiam idem piissimus imperator non debere Christi ministros obnoxios esse humanæ servituti, sed multorum avaritiam abuti ministerio ecclesiastico ad proprium quæstum, statuit ut quicumq; ex servili conditione conciliante scientia & morũ probitate, ad ministerium altaris adsciscceretur, primũ manumitteretur a propriis dominis, vel privatis, vel ecclesiasticis, & tunc demum gradibus altaris induatur. Volens etiam unamquamque ecclesiam habere proprios sumptus, ne per ejuscemodi inopiam divini cultus negligerentur, inseruit prædicto edicto, ut per singulas ecclesias mansus tribueretur unus cum pensatione legitima & servo & ancilla. Hæc erat sancti imperatoris exercitatio, hic quotidianus ludus, hæc palæstrica agonia, spectante Deo, quo ejus vita in sancta doctrina & operatione clarius eniteret, qui in pomparum sublimitate constitutus, imitando Christum humilitate altius eminebat. Denique tunc cœperunt deponi ab episcopis & clericis cingula balteis aureis, & gemmeis cultris onerata, exquisitæque vestes, sed & calcaria talos onerantia relinqui. Monstro enim simile ducebatur, si ecclesiasticæ familiæ deputatus conaretur aspirare ad sæcularis gloriæ ornamenta

De Ludovici rebus gestis in conventu Aquisgranensi.

Leo Ostiẽsis lib. 1. cap. 18.

In hoc eodem conventu Aquisgranensi (ne prætereamus rem magni momenti) quod apostolicæ sedis legatione petebatur: Ludovicus imperator confirmavit quæcumque a prædecessoribus suis donata vel restituta fuissent Romanæ ecclesiæ, de his scribens publicam constitutionem, quam tum sua, tum suorum subscriptione firmavit, atque sigillo munivit. *Meminit hujus Leo Ostiensis in chronico Cassinate cum ait*: Vltimo huius abbatis, *Theodomari scilicet*, anno, Ludovicus imperator, qui cognominatus est Almus, vel sanctus, huius Caroli " filius, quarto imperii sui anno Aquisgranis in palatio cum pluribus totius Franciæ * abbatibus religiosisque monachis concilium faciens, utilissima " nostri ordinis observationi * LXXX. generalia capitula constituit, quæ omnia apud nos, perinde fere ac si regula sancti Benedicti observantur. Hic pactum constitutionis & confirmationis fecit beato Petro apostolo, ejusque vicario domino Paschali, parentes suos Pippinum & Carolum imitatus, manusque suæ ac filiorum subscriptione corroborans, decem episcopos, octo abbates, & comites quindecim, bibliothecarium, mansionarium & ostiarium unum subscribere fecit, & per legatum sanctæ Romanæ ecclesiæ Theodorum nomenclatorem domno Paschali papæ transmisit.

" magni * Benedictini " episcopis * LXII.

Eiusdem constitutionis fragmentum extat in decreto Gratiani dist. 63. Lectori pergratum fore putavi, si ex monumentis Vaticanis integram hic exhibeamus hisce verbis.

In Nomine domini Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

D st. 63. Ego Ludovicus. " per te, *in chronico Reicherspergensi ad an. 817.* " nostris *ibidem*

EGO Ludovicus imperator Augustus statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ, tibi beato Petro principi apostolorum, & " pro te vicario tuo domno Paschali summo pontifici & universali papæ, & successoribus ejus in perpetuum, sicut a prædecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate & ditione tenuistis & disposuistis, civitatem Romanam cum ducatu suo, & suburbanis, atque viculis omnibus, & territoriis ejus montanis, & maritimis litoribus, & portubus, seu cunctis civitatibus, castellis, opidis, ac viculis in Tusciæ partibus," id est Portum, Centumcellas, Cære, Bledam, Marturanum, Sutrium, Nepe, Castellum Gallesii, Hortam, Polimartium, Ameriam, Tudertum, Perusium, cum aliis tribus insulis suis, id est Majorem & Minorem, Pulvensem, & Lacum, Narniam, Otriculum, cum omnibus finibus ac territoriis ad supradictas civitates pertinentibus. Simili modo & in partibus Campaniæ, Signiam, Anagniam, Ferentinum, Alatrum, Patricum, Frusinonem, cum aliis partibus Campaniæ: nec non & Tibur cum omnibus finibus & territoriis ad easdem civitates pertinentibus. Nec non & exarchatum Ravennatensem sub integritate, cum urbibus, civitatibus, oppidis, & castellis, quæ piæ recordationis dominus Pippinus rex, ac bonæ memoriæ genitor noster Carolus imperator, beato Petro apostolo, & prædecessoribus vestris jam dudum per donationis paginam restituerunt, hoc est, civitatem Ravennam & Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forum Pompilii, Forum Livii, Faventiam, Imolam, Bononiam, Ferrarium, Comaclum, & Adrianı, & Gabelum, cum omnibus finibus, territoriis atque insulis in terra marique ad prædictas civitates pertinentibus. Simulque & Pentapolim, videlicet Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Humanam, Æsium, Forum Sempronii, Montem Feretri, Vrbinum, & territorium Valvense, Calles, Luceolos: Eugubium, cum omnibus finibus ac terris ad easdem civitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinense, sicut a genitore nostro Carolo imperatore beato Petro apostolo per donationis scriptum concessum est sub integritate, quemadmodum ab Itherio & Macenario abbatibus, missis illius, inter idem territorium Sabinense & Reatinum definitum est. Item in partibus Tusciæ Longobardorum, Castellum Felicitatis, Vrbevetum, Balneum regis, Ferenti castrum, Viterbium, Martam, Tuscaniam, Populoniam, Soanam, Rosellas. Et insulas Corsicam & Sardiniam & Siciliam sub integritate, cum omnibus adjacentibus & territoriis maritimis, litoribus, portubus ad supradictas civitates & insulas pertinentibus. Item in partibus Campaniæ, Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, Capuam, & patrimonia ad potestatem & ditionem nostram pertinentia, sicut est patrimonium Beneventanum, & Salernitanum, & patrimonium Calabriæ inferioris & superioris, & patrimonium Neapolitanum, & ubicumque in partibus regni atque imperii a Deo nobis commissi patrimonia " nostra esse noscuntur. Has omnes supradictas provincias, urbes, civitates, oppida & castella, viculos & territoria, simulque & patrimonia jam dictæ ecclesiæ tuæ, beate Petre apostole, & pro te vicario tuo spirituali patri nostro Paschali summo pontifici & universali papæ, ejusque successoribus usque ad finem sæculi, eo modo confirmamus, ut in suo detineant jure, principatu ac ditione. Simili modo per hoc nostrum confirmationis decretum firmamus donationes, quas piæ recordationis domnus Pippinus rex avus noster, & postea domnus & genitor noster Carolus imperator, beato Petro apostolo spontanea voluntate contulerunt. Nec non & censum, & pensiones, seu ceteras donationes, quæ annuatim in palatium regis Longobardorum inferri solebant, sive de Tuscia Longobardorum

ANNO CHRISTI 817.

" constitutis ceteris desunt apud Grati[anum] & in citato chronico usque ad: quando;] &c.

" legendum haud dubie vestra

…nno …isti 17. dorum, ſive de ducatu Spoletano, ſicut in ſupraſcriptis donationibus continetur, & inter ſanctæ memoriæ Hadrianum papam, & domnum & genitorem noſtrum Carolum imperatorem convenit, quando eidem pontifici idem de ſupradictis ducatibus, id eſt, Tuſcano & Spoletano, ſuę auctoritatis præceptum confirmavit. Eo ſcilicet modo, ut annis ſingulis ſupradictus cenſus eccleſiæ beati Petri apoſtoli perſolvatur, ſalva ſuper eoſdem ducatus noſtra in omnibus dominatione, & illorum ad noſtram partem ſubjectione. Ceterum ſicut diximus, omnia ſuperius nominata ita ad noſtram partem per hoc noſtræ confirmationis decretum roboramus, ut in veſtro veſtrorumque ſucceſſorum permaneant jure, principatu, atque ditione, ut neque a nobis, neque a filiis & ſucceſſoribus noſtris, per quodlibet argumentum ſive machinationem in quacumque parte minuatur veſtra poteſtas, aut vobis de ſupradictis omnibus, vel ſucceſſoribus veſtris, inde aliquid ſubtrahatur. De ſupraſcriptis videlicet urbibus, provinciis, civitatibus, opidis, caſtris, viculis, inſulis, territoriis, atque patrimoniis, necnon & penſionibus atque cenſibus. Ita ut neque nos ea ſubtrahamus, neque quibuſlibet ſubtrahere volentibus conſentiamus. Sed potius omnia quæ ſuperius leguntur, id eſt provincias, civitates, urbes, opida, caſtella, territoria, patrimonia, atque inſulas, cenſus ac penſiones, eccleſiæ beati Petri apoſtoli, & pontificibus in ſacratiſſima illius ſede in perpetuum reſidentibus, in quantum poſſumus, defendere nos promittimus, ad hoc ut omnia in illius ditione ad utendum & fruendum, atque diſponendum firmiter valeat obtinere, nullamque in eis nobis partem aut poteſtatem diſponendi aut judicandi, ſubtrahendive aut minorandi vendicamus, niſi quando ab eo qui illo tempore hujus ſanctæ eccleſiæ regimen tenuerit, rogati fuerimus. Et ſi quilibet homo de ſupradictis civitatibus ad veſtram eccleſiam pertinentibus ad nos venerit, ſubtrahere ſe volens de veſtra juriſdictione vel poteſtate, vel quamlibet aliam iniquam machinationem metuens aut culpam commiſſam fugiens, nullo modo eum aliter recipiemus, niſi ad juſtam pro eo faciendam interceſſionem: ita dumtaxat, ſi culpa quam commiſit venialis fuerit inventa; ſin aliter, comprehenſum veſtræ poteſtati eum trademus, exceptis his qui violentiam vel oppreſſionem potentium paſſi, ideo ad nos veniant, ut per noſtram interceſſionē juſtitiam accipere mereantur: quorū altera conditio eſt, & a ſuperiorib. valde disjūcta. Et quando divina vocatione hujus ſacratiſſimæ ſedis pontifex de hoc mundo migraverit, nullus ex regno noſtro, aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente homo ſub noſtra poteſtate conſtitutus, licentiam habeat contra Romanos, aut publice, aut privatim veniendi, aut electionem faciendi: nulluſque in civitatibus, vel territoriis ad eccleſiam beati Petri pertinentibus, aliquod malum propter hoc facere præſumat. Sed liceat Romanis cum omni veneratione, & ſine aliqua perturbatione, honorificam ſuo pontifici exhibere ſepulturam, & eum, quem divina inſpiratione, & beati Petri interceſſione, omnes Romani uno conſilio atque concordia, ſine aliqua promiſſione, ad pontificatus ordinem elegerint, ſine aliqua ambiguitate, & contradictione more canonico conſecrari: & cum conſecratus fuerit legati ad nos, vel ad ſucceſſores noſtros reges Francorum dirigantur, qui inter nos & illum amicitiam & caritatem ac pacem ſocient, ſicut temporibus piæ recordationis domni Caroli atavi noſtri, ſive domni Pippini avi noſtri, vel & Caroli imperatoris genitoris, conſuetudo erat faciendi. Hoc autem, ut omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ & noſtris firmum eſſe credatur, firmiuſque per futuras generationes & ſæcula ventura cuſtodiatur, propriæ manus ſignaculo, & venerabilium epiſcoporum, atque abbatum, vel optimatum noſtrorum, ſub jurejurando & ſubſcriptionibus pactum iſtud noſtræ confirmationis roboravimus, & per legatum ſanctæ Romanæ eccleſiæ Theodorum nomenclatorem domno Paſchali papæ direximus.

Margin notes: XIII. Lude- / s / Quando / … citato / …nico

Anno Christi 817.

Ego Ludovicus miſericordia Dei imperator ſubſcripſi.

Et ſubſcripſerunt tres filii ejus, & epiſcopi decem, & abbates octo, & comites quindecim, & bibliothecarius unus, & manſionarius unus, & oſtiarius unus.

NOTA SEVERINI BINII.

De tempore & rebus in hoc conventu conſtitutis annales Francorum iſta habent: Anno Redemptoris 819. Ludovicus imperator hieme conventum habuit Aquiſgrani, in quo multa de ſtatu eccleſiarum & monaſteriorum tractata atque ordinata ſunt, legibus etiam capitula quædam per neceſſaria, quia deerant, addita ſunt.

De hoc ſic Sigebertus: Anno, inquit, domini 820. Aquiſgrani generali conventu habito per diſpoſitionem imperatoris Ludovici, epiſcoporumque & abbatum, aliqua capitula ad uſus regularum monachorum edita ſunt, & multa ſacrarum ſcripturarum compilatione facta clericorum & clericarum ſanctimonialium regulæ conſtitutæ ſunt. Eadem iiſdem prope verbis refert Anſelmus in vita Vvalcandi epiſcopi Leodienſis, tomi 1. cap. 34. diſcrepans a præcedenti in hoc quod hanc ſynodum anno 816. habitam fuiſſe ſcribit. *Anno domini, ait, octingenteſimo decimo ſexto collecta epiſcoporum ſynodo provinciali apud Aquiſgranum, Ludovicus Pius imperator intereſſe voluit, eccleſiaſticis utilitatibus ibidem diſponendis, per cujus diſpoſitionem epiſcoporumque & ablatum, aliqua capitula*, &c. ut ſnpra.

Poſt hæc ſubjungit: Vbi cum Vvalcandus referret conſilium de transferendo corpore beati Huberti ad locum Andainum divina diſpoſitione prædicti principis & totius ſynodi, voluntarium præbuit aſſenſum, indicta ei conditione, ut tanto pontifici convenientem ampliaret honorem. Ita ſcriptores actorum ſynodalium in re convenientes, in tempore diſcrepant. *Auctor vitæ Ludovici addit hunc conventum Aquiſgrani habitum fuiſſe ea occaſione*, ut renuntiantes ſibi miſſos de omni regno ſuo, quos pro ſtatu ſanctæ eccleſiæ reſtaurando de, ecto vel confirmando miſerat, audiret. *Quos hic auctor vitæ Ludovici miſſos nominat, iidem lib. 2. capitular. cap. 24. & 25 legati dominici vocantur. Imperator per ſingulas provincias epiſcopum atque unum comitem ablegaverat, qui capita legum eccleſiaſticarum ſingulis eccleſiis deſcribenda offerrent, eaque pro honore Dei & augmento eccleſiæ ubique in Galliis obſervari curarent. Auctoritate ſedis apoſtolicæ Carolum & Ludovicum imperatores hos conventus frequentiores pro reformatione Gallicanarum eccleſiarum indixiſſe, legeſque eccleſiaſticas ſanciri, vel potius olim ſancitas promulgari procuraſſe, ipſis pluribus, capitulis libri ſexti & ſeptimi, quæ recenſet Baron. anno 819. palam profitentur. Collector capitulorum Benedictus Levita in fine libri 7. aperte teſtatur, nullum capitulorum unquam ab iis publicatum, quod non prius auctoritate apoſtolica confirmatum fuiſſet. Videant ergo novatores hæretici, quantam injuriam inferant piiſſimis imperatoribus Carolo & Ludovico piiſſime defunctis, dum eorum exemplo abuſi, poteſtatem condendarum legum eccleſiaſticarum, regibus aliiſve principibus ſæcularibus competere docent.*

Vtrum imparator Carolus & Ludovicus leges eccleſiaſticas cōdiderint.

Concilium

Anno Christi 820.

CONCILIVM SVB VVVLFREDO ARCHIEPISCOPO CANTVARIÆ.

Anno Christi DCCCXX. Beornulfi regis Merciorum, qui eidem aderat, primo, in quo Cenedritha abbatissa filia & heres Cœnulfi regis Merciorum reconciliationem facit cum præfato archiepiscopo pro terris, quas pater ejusdem Cenedrithæ injuste abstulerat ab ecclesia Christi Cantuariensi. Vide concilium Cloveshoæ mox secuturum, numero 4.

Anno Christi 821.

aCONCILIVM APVD THEODONIS VILLAM, ADVERSVS PERCVSSORES clericorum, anno Christi, ut conjectura est, DCCCXXI. mense Octobri celebratum, Paschalis papæ I. anno V. imperatorum Ludovici Pii regis VIII. Lotharii ejus filii V.

Ex Burchardo lib. VI. cap. V. & Ivone parte X. cap. 134.

IN concilio apud Theodonis villam, ubi interfuerunt XXXII. episcopi. Aistolfus Moguntiensis archiepiscopus cum suis suffraganeis, Hadabaldus Coloniensis archiepiscopus cum suis suffraganeis, Hetto Trevirensis archiepiscopus cum suis suffraganeis, Ebbo Rhemensis archiepiscopus cum suis suffraganeis, cum nuntiis reliquorum episcoporum Galliæ & Germaniæ, ob nimiam præsumptionem quorumdam tyrannorum in sacerdotes domini debacchantium, & propter factum, quod in Vvasconia noviter acciderat de episcopo Ioanne inhoneste & inaudite mordridato, decretum est, ut communi consensu & humili devotione supplicarent auribus principis, si suæ pietati complaceret ut calumnia in Christi sacerdotes peracta juxta synodica determinaretur pleniter statuta, hoc idem episcoporum judicio placeret. si ex toto secundum potestatem ipsorum posset definiri, id est, ut canonica feriantur sententia, hi videlicet, qui timorem domini postponentes, in ministros suos grassari præsumerent. Quod si vero pietati illius complaceret, juxta capitula regum præcedentium, ubi eorum provisio misericorditer in offensis pecuniæ quantitatem interposuit pro consolatione sanctæ ecclesiæ, ut præfatæ res per pecuniam ab imperatoribus sacerdotibus ad defensionem concessam, & per pœnitentiam determinarentur episcoporum judicio, si pietas illius collaudare voluerit, sic definiri eis complaceret.

I.

Si quis subdiaconum calumniatus fuerit, vulneraverit, vel debilitaverit, & E convaluerit, quinque quadragesimas sine subditis annis pœniteat, & CCC solidos cum sua compositione, & episcopalibus bannis episcopo componat. Si autem mortuus fuerit, singulas supradictas quadragesimas, cum sequentibus annis pœniteat, & CCCC. solidos cum tripla sua compositione, & episcopalibus bannis triplicibus episcopo componat.

II.

Si diaconum calumniatus fuerit, & A convaluerit, sex quadragesimas sine subditis annis pœniteat, & CCCC. solidos cum compositione sua, & episcopalibus bãnis componat. Si autem mortuus fuerit, singulas supradictas sex quadragesimas cum sequentibus annis pœniteat, & DC. solidos cum tripla sua compositione, & episcopalibus bannis triplicibus episcopo componat.

III.

Si quis presbyterum calumniatus vulB neravit, vel debilitaverit, & convaluerit, duodecim quadragesimas sine subditis annis pœniteat, & DC. solidos cum triplici sua compositione episcopalibus bannis triplicibus episcopo componat. Si autem mortuus fuerit, duodecim annorum pœnitentia secundum canones ei imponatur, & DCCCC. solidos cum triplici compositione sua, & episcopalibus bannis triplicibus episcopo componat.

IV.

C Si quis episcopo insidias posuerit, comprehenderit, vel in aliquo dehonestaverit, decem quadragesimas cum subditis annis pœniteat, & presbyteri non occisi triplicem compositionem componat. Si autem casu & non sponte occiditur, cum comprovincialium episcoporum consilio homicida pœniteat. Si quis autem sponte eum occiderit, carnem non comedat, vinum non bibat cunctis diebus vitæ suæ, cingulum militare deponat, absque spe conjugii in perpetuum maneat.

D Aistolphus Moguntiensis archiepiscopus dixit: Si principibus placuerit, aliisque suis fidelibus, rogemus ut collaudetur & subscribatur. Et collaudatum est, & subscriptum est, tam a principe, quam a ceteris omnibus.

bDECRETVM LVDOVICI PII IMPERATORIS.

Adversus clericorum percussores, Triburiæ in alio conventu post synodum, apud Theodonis villam editum.

PLacuit nobis & fidelibus nostris, ut sicut ab episcopis, & reliquis sacerdotibus ac Dei servis alio anno apud Theodonis villam admoniti fuimus & rogati, ut episcopi & eorum ministri, quos Deus suo non humano judicio reservavit, juxta sanctorum canonum, sanctorumque patrum, ac capitularium præcedentium regum coram positorum statuta, & Dei sacerdotes, eorumque cooperatores, quorum intercessionibus & supplicationibus sancta Dei ecclesia constare videtur, intacti permaneant.

I.

Constituimus ut si quis subdiaconum calumniatus fuerit, & convaluerit, pœnitentia canonica pœniteat

pœniteat, & ccc. solidos episcopo componat. Et si mortuus fuerit, juxta id quod canones præcipiunt pœniteat, & cccc. solidos episcopo componat.

II.

Si diaconum quis calumniatus fuerit, & convaluerit, pœniteat secundum canones, & cccc. solidos componat. Si non convaluerit, juxta præcepta synodalia pœniteat, & DC. solidos episcopo componat.

III.

Si presbyterum quis male tractaverit & spassaverit, secundum ejus episcopi sententiam pœniteat, & DCCCC. solidos episcopo componat. Si autem mortuus fuerit, ut synodus dijudicaverit pœniteat, & MCC. solidos episcopo componat.

IV.

Si quis episcopo insidias posuerit, comprehenderit, vel in aliquo dehonestaverit, pœniteat secundum canonum statuta, & presbyteri non occisi triplicem compositionem, cum justitiis, quæ in superiore capitulo scriptæ & confirmatæ esse videntur, componat.

V.

Si quis per industriam episcopum occiderit, juxta id quod apud Theodonis villam a XXXII. episcopis decretum est, & quod ibi a nobis, & a primatibus totius Germaniæ & Galliæ, benigna collaudatione collaudatum & subscriptum est, pœniteat, & pecuniam a nobis concessam ecclesiæ viduatæ persolvat.

Et hoc de nostro adjecimus, ut si quis in his supradictis sanctorum canonum, nostrique decreti sanctionibus, episcopis inobediens & contumax extiterit, primum canonica sententia feriatur, deinde in nostro regno beneficium non habeat, & alodis ejus in bannum mittatur. Et si annum unum, & diem in nostro banno permanserit, ad fiscum nostrum redigatur, & captus in exilium relegetur, & ibi tamdiu custodiatur & constringatur, donec coactus Deo & sanctæ ecclesiæ satisfaciat, quod prius gratis facere noluerat. Et si omnibus vobis ista complacuerint, dicite. Et tertio ab omnibus conclamatum est: Placet. Et imperator, & pene omnes Galliæ & Germaniæ principes subscripserunt, singuli singulas facientes cruces: & ecclesiasticus ordo, Deo & principibus laudes referentes, hymnum, Te Deum laudamus, decantabant. Et sic soluta est synodus.

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Anno Christi* DCCCXXI.] De hoc enim conventu interpretor quod est apud Eginhartum in chronico DCCCXXI. *Medio*, inquit, *mense Octobri conventus generalis apud Theodonis villam magna populi Francorum frequentia celebratur, in quo Lotharius primogenitus imperatoris Ludovici Irmingardam, Hugonis comitis filiam, solenni more duxit uxorem.* Huic conventui alio post anno successit alter apud Triburiam, in quo Ludovicus, quod in priore synodo rogatus fuerat ab episcopis, decretum edidit adversus percussores clericorum, quem conventum Triburiensem incaute nonnulli cum eo confundunt, qui plurimis post annis habitus est sub Arnulfo.

NOTA SEVERINI BINII, S. I.

a *Concilium.*] Hanc synodum anno domini 812. celebratam esse senserat Laurentius Surius in margine actorum synodalium. Reverendissimus & illustrissimus cardinalis Baronius in appendice tomi undecimi anno 813. corrigens & emendans ea quæ de tempore hujus concilii scripserat anno 806. & 812. recte fatetur illud post Moguntinum & Rhemense celebratum esse. Nam circa annum Christi 811. quo conditum est testamentum Caroli Magni, & annum 813. quo Moguntinum & Rhemense concilia celebrata fuerunt, Ricolphus Moguntinæ & Vulfarius Rhemensis ecclesiarum archiepiscopi adhuc superstites fuerunt: illius enim nomen in actis Moguntini, hujus in Rhemensis concilii actis adscriptum invenitur. In fine testamenti Carolini post nomen Hadaboldi Coloniensis archiepiscopi, Ricolphi simul & Vulfarii nomina subscripta sunt. His igitur temporibus nondum Ricolphi successor Heistulfus Moguntinæ, neque Ebbo, qui subrogatus est Vulfario Rhemensi, neque etiam Hadaboldus successor Hildoboldi Coloniensi ecclesiæ præsederunt, sed potius tempore Ludovici imperatoris. Siquidem lib. 2. capitularium constitutionum a Ludovico editarum, cap. 25. prædictorum episcoporum trium successores nominatim recensentur his verbis: *In Moguntia, quæ est diœcesis Heistulfi archiepiscopi, idem Heistulfus episcopus, & Ruotbertus comes. In Treveris Hetti archiepiscopus, & Adalbertus comes. In Colonia Hadaboldus archiepiscopus, quando potuerit, & quando ei non licuerit, Ruotadus episcopus ejus vice, & Ruotfridus comes,* &c. Tempore Ludovici imperatoris igitur Heistulfus Moguntinæ, Hadaboldus Coloniensi, Hatto[a] Treverensi, & Ebbo Rhemensi ecclesiæ præsidebant. Quare cum horum nomina in principio actorum hujus concilii recenseantur, nequaquam credere possum, hanc synodum ante Moguntiacam & Rhemensem primam celebratam fuisse tempore Caroli Magni, cum Moguntiaco Ricolphus, non Heistulfus, Rhemensi Vulfarius, non Ebbo præsedisse apud acta utriusque concilii expresse inveniatur. Heistulfum autem Ricolpho, Ebbonem Vulfario in episcopatu administrando successisse, confirmant ea quæ habet Serarius in historia Moguntinensi libro 4. quæque de Ebbone episcopo Rhemensi & Danorum apostolo pluribus locis infra annotabo.

ANNO CHRISTI 821.

[a] sive Hetti

b *Ludovici pii imperatoris decretum.*] Hæc constitutio neque Caroli, neque Ludovici imperatoris esse potest: habetur enim in camentio Triburiensis synodi, quæ celebrata est anno domini octingentesimo nonagesimo sub Arnulpho imperatore, quando jam Carolus & Ludovicus multis annis e vivis excessissent. Baronius anno 822. numero 13.

Acta synodalia emendantur.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. I.

Non ultra annum 822. differri potest capitulare Haytonis, episcopi Basiliensis & Augiæ divitis prope Constantiam abbatis, quod ex codicibus Bibliothecarum Vaticanæ ac Barberinæ a v. c. Emerico Bigotio subministratum edidit in lucem domnus Lucas Dacherius ad calcem sexti spicilegii. Hermannus certe Contractus in chronico atque anonymus scriptor chronici abbatiæ S. Galli testantur Heitone privatam & quietam vitam adoptante Erlebaldum sive Erlaboldum abbatem XIII. illi successisse, anno vero 836. obiisse, cum missus a Carolo Magno Constantinopolim anno 811. Hodœporicon suum & anno 824 Vvetini monachi e corpore ducti reductique visiones prosa oratione scripsisset.

[a]** AHYTONIS EPISCOPI BASILIENSIS CAPITULARE.

HÆC CAPITULA QUÆ SEQUUNTUR AHYTO BASILIENSIS ECCLESIÆ ANTISTES, & abbas cœnobii, quod Augia* dicitur,

*Ord. S. Benedicti ad Rhenum prope Constantiam.

Presbyteris suæ diœcesis ordinavit, quibus moneantur qualiter seipsos ac plebem sibi commissam caste & juste regere, atque in religione divina confirmare debeant.

I.

PRIMO omnium discutienda est fides sacerdotum, qualiter credant, & alios credere doceant: ubi & exempla proponenda sunt, quatenus a creatura creator quantulumcumque possit intelligi.

II.

Secundo jubendum, ut oratio Dominica, in qua omnia necessaria humanæ vitæ comprehenduntur, & symbolum apostolorum, in quo fides Catholica ex integro comprehenditur, ab omnibus discatur tam latine quam barbarice[a], ut quod ore profitentur, corde credatur & intelligatur.

[a] Germanice, seu Francice.

III.

Tertio, intimandum est, ut ad salutationes sacerdotales congruæ responsiones discantur, ubi [b] non solum clerici, & Deo dicatæ sacerdoti responsionem offerant, sed omnis plebs devota consona voce respondere debet.

f. ut.

IV.

Quarto, ut [c] fides sancti Athanasii in sacerdotibus discatur & [d] ex corde die dominico ad horam primam recitetur.

[c] symbolum.
[d] memoriter, *Gal.* par cœur.

V.

Quinto, ut sciant quid sit sacramentum baptismatis, & confirmationis; & quale sit mysterium corporis & sanguinis domini, quomodo in eisdem mysteriis visibilis creatura videtur, & tamen invisibilis salus ad æternitatem animæ subministratur, quæ in sola fide continetur.

VI.

Sexto, quæ ipsis sacerdotibus necessaria sunt ad discendum; id est, Sacramentarium, Lectionarium, Antiphonarium, baptisterium, computus, canon pœnitentialis, Psalterium, Homiliæ per circulum anni dominicis diebus & singulis festivitatibus aptæ. Ex quibus omnibus si unum defuerit, sacerdotis nomen vix in eo constabit: quia valde periculosæ sunt euangelicæ minæ, quibus dicitur: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

Matt. 15.

VII.

Septimo, ut sciant tempora legitima ad baptisandum in anno; id est, sabbato sancto Paschæ, ut illa trina mersio in baptismate imitetur triduanam mortem domini clarificatam resurrectione. Et idcirco usque ad octavum diem ipsa regeneratio sacra ab omni populo Christiano celebrabitur. Aliud vero tempus baptismatis sabbato sancto Pentecostes celebrandum est. Si vero necessitas contigerit, omni tempore subveniendum est, quia necessitas vix habet legem; & ut vas ad fontem baptismatis habeant quod ad reliquos usus nullatenus adsumatur.

VIII.

Octavo, pronuntiandum est, ut sciant tempora feriandi per annum; id est, omnem dominicam a mane usque ad vesperam, ne Iudaismo capiantur. Feriandi vero per annum isti sunt dies, ut supra orsi sumus, Natalis domini, sancti Stephani, sancti Ioannis euangelistæ, Innocentium, octava domini, Theophania, Purificatio sanctæ Mariæ, sanctum Pascha, sicut superiori capitulo comprehensum est: Rogationes tribus diebus, Ascensio domini, sabbatum sanctum, Pentecostes: sancti Ioannis Baptistæ, duodecim apostolorum, maxime tamen sancti Petri & Pauli, qui Europam sua prædicatione illuminaverunt: Assumptio sanctæ Mariæ, dedicatio basilicæ sancti Michaelis archangeli, dedicatio cujusque oratorii, seu cujuslibet sancti, in cujus honore eadem ecclesia fundata est; quod vicinis tantum circummorantibus indicendum est, non generaliter omnibus. Indictum vero jejunium quando a palatio vel a [e] domo fuerit denuntiatum, ab omnibus generaliter observetur. Reliquæ vero festivitates per annum, sancti [f] Remedii, sancti Mauricii, sancti Martini, non sunt cogendæ ad feriandum, nec tamen prohibendum, si plebes hoc caste & zelo Dei cupiunt exercere.

De jejuniis a regibus nostris indictis Greg. Tur. lib. 19. cap. 21. Carolus Magnus in epist. ad

IX.

Nono, jubendum est eisdem sacerdotibus, ut non permittant secum mulieres habitare extraneas juxta Nicænum concilium, nisi eas tantum in quibus suspicio nulla malæ famæ oboriri potest.

Fastrad. Reg.
[e] a Deo apostolico, *sive* papa.
[f] Remi...
Can. 3.

X.

Decimo, ut tabernas non ingrediantur, nec sedendo domi, nec in itinere occupati. Si vero necesse habent ibidem aliquid emendi, missos suos dirigant; & oblata in aliam domum conferant, & cum gratiarum actione fideliter percipiant.

XI.

Undecimo, ut placita sæcularia non observent, nec fidejussores existant, nec canes ad venandum, nec accipitres, vel falcones, nec sparvarios, nec ullius ludi aut spectaculi licentiam habeant. Sufficit enim eis quod in primo psalmo legitur: *In lege domini esse eorum voluntatem & in lege ejus meditari die ac nocte.* Et quod in apostolo præcipitur: *Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit.*

' non adeant.
Psal. 1.
2. Tim. 2.

XII.

Duodecimo, ut sciant quia nemo per pecunias ordinandus est, nec per munera ecclesiam debet occupare, quia si factum fuerit, & ipse, & ordinator ejus deponendi sunt: quia manifestum est, eos qui talia agunt simoniaca hærese ægrotare; & talem non per ostium in ovile ovium juxta euangelii verba, sed ascendentem aliunde, furem esse & latronem. Et non solum ipsi qui hoc faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, excommunicandi sunt.

XIII.

Tertio-decimo, ut nullus vagantem ex aliena parochia audeat recipere, aut secum commorandi, aut missam celebrandi, nisi permissione nostra: nec ullius ecclesiæ aut plebis gubernacula suscipiendi, nisi præveniente conscientia nostra, * qui secus fecerit, excommunicabitur.

Desunt verba, nempe det facultatem *aut*, faciat potestatem.

XIV.

Quarto-decimo, ut in tuguriis, vel in ecclesiis non consecratis, vel in domibus, nisi forte visitandi gratia in infirmitate, detentis, missarum mysteria non celebrent. Quod si fecerint, propter inobedientiam degradandos se sciant.

XV.

Quinto-decimo, quod decima, quæ a fidelibus datur, Dei censo * nuncupanda est, & Deo ex integro reddenda. Cujus tertia pars secundum canonem Toletanum, episcoporum debet esse. Nos vero hac potestate uti nolumus, sed tantum quartam partem juxta constituta Romanorum pontificum, & observantiam sanctæ Romanæ ecclesiæ, de eadem habere volumus. Quod si quis contentiosus inde repertus fuerit, sive ille clericus, sive diaconus sit, communione privabitur, & synodali censura judicabitur.

* *lege* censûs.
Concilium Tolet. 9.

XVI.

Sexto-decimo, ut unus quisque hoc provideat, ut mulieres ad altare non accedant, nec ipsæ Deo dicatæ in nullo ministerio altaris intermisceantur. Quod si pallæ altaris lavandæ sunt, a clericis abstrahantur * & ad cancellos feminis tradantur, & ibidem repetantur. Similiter & presbyteri, cum oblata ab eisdem mulieribus

supple * ab altari.
lege * a presbyteris.

mulieribus offeruntur, ibidem accipiantur & ad altare deferantur.

XVII.

Septimo-decimo, ut ipsi sacerdotes verbo & exemplo prædicent, ut nullus usuras accipiat, nec sescupla, nec speciem pro specie. Quia valde infidelis, & rebellis Dei jussionibus est qui hoc agit: quod omnibus Christianis æque interdictum esse dignoscitur, maxime tamen sacerdotibus, qui forma & exemplum fidei omnibus esse debent.

XVIII.

Decimo-octavo, ut nullus ordinatus sive ordinandus migret de sua parochia ad aliam; nec ad limina apostolorum causa orationis, ecclesiæ suæ cura delicta; nec ad palatium causa interpellandi; nec a communione suspensus ab alio communionem recipiendi, sine permissione, & præscientia episcopi sui: quod si fecerit, nihil valet hujusmodi communio, aut ordinatio, aut demigratio. Et hoc omnibus fidelibus denunciandum, ut qui causa orationis ad limina beatorum apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua, & sic proficiscantur: quia a proprio episcopo suo aut sacerdote ligandi aut exsolvendi sunt, non ab extraneo.

XIX.

Nono-decimo, ut aliud in ecclesia non legatur aut cantetur, nisi ea quæ auctoritatis divinæ sunt, & patrum orthodoxorum sanxit auctoritas. Nec falsa angelorum nomina colant, * sed ea tantum quæ prophetica, & euangelica docet scriptura: idest, Michael, Gabriel, Raphael.

Nec diversa sentiant in judiciis pœnitentium; cum unus minus, alrer vero majus * alteri adulando, alteri detrahendo placere velit: sed considerata qualitate personæ juxta modum culpæ agatur censura vindictæ.

XX.

Vigesimo, admonendi sunt, ut perpendant, quia quidquid a fidelibus datur, redemptio peccatorum est: ideo non glorientur talibus sumptibus uti, sed magis timeant quod in veteri testamento sacerdotibus dictum est; *Iniquitatem populi eos debere portare.* Et ideo cum magno timore solliciti sint, quorum donis participantur, quia magnum periculum est judicem fieri vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ.

XXI.

Vigesimo-primo, ut sciant & intelligant, quid sit incesti crimen, & hoc unusquisque in sua parochia provideat ne fiat, & si factum fuerit, quantum celerrime potuerit emendetur; idest, nullus sibi accipiat de propinquitate usque in quinto genu *. Quod si ignoranter factum fuerit, non facile credatur, sed judicio Dei examinetur: & non separentur in quarto genu, sed in pœnitentia cunctis diebus conjunctionis suæ perseverent. Similiter & vir duas uxores inter se simili ratione conjunctas, aut uxor duos viros inter se eodem modo conjunctos, aut compater aut commater, filiolus aut filiola spiritualis de fonte, aut de confirmatione, aut Deo dicata, aut alterius uxor vivente marito, aut alterius maritus vivente uxore. His talibus nulla ratione in matrimonium licitum est conjungi. In primo vero genu vel secundo si inventi fuerint scelus perpetrasse fornicationis, matrimonii jura ulterius sciant se funditus perdidisse. In tertio vero genu si inventi fuerint tali crimine pollutos esse, digna pœnitentia eos subsequatur, & tamen matrimonii jura eis, non vicissim *, sed ad alios non negentur. Ubi vero mancipia non unius, sed diversæ potestatis juncta fuerint, nisi consentientibus utrisque dominis, hujusmodi copulatio rata non erit. Quidquid vero negligendo sentitur, & virtute qua potuerit non emendetur; nam hujus copulæ auctor erit, qui huic negligendo consentit. Plura sunt quæ ad incesti crimen scribi poterant, sicut in matre, & filia, & noverca, & pene innumera quæ menti adscribendum non occurrunt: hujusmodi tamen, & his similibus personis copula maritalis in sempiternum substrahitur.

XXII.

Vigesimo-secundo, ammonendi sunt, ut sciant populis denuntiare quæ sint opera misericordiæ cum fructibus suis, quæ euangelica & apostolica pagina complectitur, quibus pervenitur ad vitam: quæve opera iniquitatis cum fructibus suis multiplicibus, quibus calle sinistro ad æternum tenditur interitum. Et ut perjurii crimen omnimodo devitent: quia non solum in euangelio vel reliquiis sanctorum crimen perjurii, sed in veritate quæ Deus est (si mentitur) perpetrare dignoscitur.

XXIII.

Vigesimo-tertio, ammomendi sunt, ut sciant quia in ecclesiis quibus præsunt sponsi facti sunt: & ideo omni vigilantia qualiter eas decorent, & eis incessanter deserviant, totius vitæ suæ vigilantiam impendant.

XXIV.

Vigesimo-quarto, ut horas canonicas tam nocturnas, quam diurnas nullatenus prætermittant. Quia sicut Romana ecclesia psallit, ita omnibus ejusdem propositi viam tendentibus * faciendum est. Et non solum novi testamenti documenta sunt eamdem formulam observandi, sed etiam veteris testamenti, patet ratio: quia propheta Spiritu sancto instinctus profert: *Septies in die laudem dixi tibi.* Et, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.*

XXV.

Vigesimo-quinto, ut plebibus denuntient, qui filios, & filias spirituales, quos in baptismate suscipiunt, & eis fidejussores & sponsores fidei existunt, & pro eis diabolo, cui antea mancipati fuerant, abrenunciant; & ideo usque * cum adulti fuerint, & eis fidei suæ sponsionem & abrenuntiationis exposuerint, & reddiderint, in sua providentia habeant. Et quod illi qui pro eis sposponderant, ab eis eadem responsa ex integro exigant.

Finiunt canones Ahytonis sive Heytonisd Basileensis episcopi.

Margin notes: nuculum pro generatione usurpatur. — * non invicem, sed inter ipsos 3. genu (gradu) conjunctos — * sic legendum puto, Quidquid vero negligendo (consensum fuerit per negligentiam) consentitur, ea virtute qua potuerit emendetur. — vel * tenentibus. — Psal. 118. 164. & 62. — * dum — ...hard. ...c.198. ...dal... ...s epi... ...s an. ...in con... Suess. ...natus ...areti... ...rationi ...am sua ...m an... ...um no... ...ignota ...nerat. — ...gradu ...gene... ...one, ...oncil. ...mer. 752. ce... ...can. 1. ...eges Ri... ...r. tit. 5. ..., Lon... ...bar. 22. 14. ... in ...bus ge...

ANNO CHRISTI 821.

CONCILIUM APUD OSLAVESHLEN SUB VVULFREDO ARCHIEPISCOPO

Cantuariæ, anno DCCCXXI. Beornulfi ſcilicet regis Merciorum ſecundo, in quo prædicta Cenedrytha abbatiſſa priorem ſuam cum VVulfredo archiepiſcopo reconciliationem redintegrat, addito etiam corollario. Vide concilium Cloveshovæ jam proxime ſequens, ſectione ſeptima.

ANNO CHRISTI 822.

CONCILIUM IN CLOVESHO,

CIRCA ANNUM CHRISTI DCCCXXII. *Beornulfi regis Merciorum III. præſidentibus VVulfredo archiepiſcopo Dorobernia, cum ceteris epiſcopis, abbatibus, omniumque dignitatum optimatibus: in quo poſt aliquot ad eccleſiarum utilitatem, vitæ monaſterialis regulam, & regni ſtabilitatem pertinentia, de injuriis agitur Dorobernenſi eccleſiæ, per Cenulfum regem Merciorum (jam inde mortuum) illatis.*

E codice manuſcripto.

ANNO dominicæ incarnationis 822. indictione 3. de diverſis Saxoniæ partibus congregatum eſt ſynodale concilium in loco præclaro qui nominatur Clovesho, præſidente huic venerabili concilio Beornolfo rege Merciorum, & VVulfredo archiepiſcopo, ceteriſque epiſcopis & abbatibus, omniumque dignitatum optimatibus, eccleſiaſticarum ſcilicet & ſæcularium perſonarum, utilitatem & neceſſitatem eccleſiarum, monaſterialiſque vitæ regulam, & obſervantiam: * ſtabilitatem quoque regni pertractantes.

Quæ aguntur in hoc concilio. *ſtabilitate

Interea ab omnibus in eadem ſynodo reſidentibus quæſitum eſt, quomodo quis cum juſtitia ſit tractatus, ſeu quis injuſte ſit ſpoliatus. Inter multa itaque quæ ibi acta & dicta ſunt, monſtratum eſt, quia præfatus archiepiſcopus VVulfredus per delationem, & inimicitiam, & violentiam, avaritiamque Ceonulfi regis multas injurias perpeſſus eſt, & de ſua juſta dominatione injuſtiſſime privatus, tam per ea quæ hic inter nos ſcilicet in Anglia * illa ſunt illata, quam per illa quæ per " viſionem prænominati Ceonulfi regis ad apoſtolicam ſedem perlata ſunt, nec ille ſolummodo ſæpe nominatus archiepiſcopus, ſed per eaſdem accuſationes & diſcordias tota gens Anglorum per ſex annorum ferme curricula, ſua primordiali auctoritate, ſacrique baptiſmatis miniſterio privata ſit. Super hæc omnia quadam vice idem rex Ceonulfus cum ſuis conſiliariis veniens ad villam regalem Lundoniam, conſtituit diem (cum magna indignatione) quo idem archiepiſcopus veniret ad eum. Quo cum veniſſet, præcepit rex, ut relictis omnibus rebus ſuis citiſſime de Anglia decederet, nec aliquam ſpem haberet redeundi amplius, nec per præceptum domini papæ, nec pro precibus imperatoris, nec alicujus alterius perſonæ, niſi conſentiret voluntati ejus, dimittendo ei villam tricentorum manentium nomine Leogeneſham: inſuper daret ſibi, videlicet regi, centum viginti libras denariorum.

Archiepiſcopus queritur de Ceonulfo rege jam mortuo.

*illi

" f. juſſione.

Baptiſmum non celebrari per ſex annos.

Poſtulabat rex 300. manſuras terræ, & 120. libras denariorum.

Hanc autem reconciliationem prædictus vir VVulfredus diu recuſans contradixit. Cumque amici viri Dei & optimates regis, qui illum plurimum dilexerunt, viderent rapacitatem & violentiam regis, inſtigabant archiepiſcopum, ut regiæ voluntati eo tenore pareret, quatenus idem rex diſcordiam, quam per nuntios ſuos inter apoſtolicum & archiepiſcopum compoſuerat, diſſiparet, omnem quoque poteſtatem & dignitatem, quæ ad primatem ſedem pertinebat, eidem patri, juxta auctoritatem quam anteceſſores ejus priſcis temporibus excellentius habuerunt, * & reſtitueret. Quod ſi hoc rex facere nequiviſſet; pecuniam & terram, quam ab archiepiſcopo exigebat, iterum ei redderet. Hac igitur conditione aſſenſum pater reverendus præbuit. Sed nihil hujus prædictæ conditionis impletum eſt. Nam tribus integris annis poſt eamdem reconciliationem, poteſtate quam anteceſſores ejus & ipſemet ante illam diſcordiam habuerant ſuper Suthmenſtre, tam in paſtu, pecunia, veſtimentis, quam obedientia, quæ ad ſedem metropolitanam pertinebant, privatus remanſit.

Cedit archiepiſcopus, modo habeat primatis jura. *forte ei

Rex pacta negligit, & moritur.

Poſt mortem autem Ceonulfi regis, cum Beornulfus rex regnaret, idem pater archiepiſcopus * Vulthrethus invitabat Cenedrytham abbatiſſam heredem filiamque Ceonulfi regis ad prædictum concilium. Quo cum perveniſſet, omnibus in concilio audientibus, conqueritur archiepiſcopus de injuriis & moleſtiis ſibi & Chriſti eccleſiæ a patre ſuo illatis, emendationemque ab ea (ſi juſtum eſt) poſtulat. Tunc omne concilium pro juſtitia invenit, & hoc unanimo conſenſu decrevit, ut illa omnia quæ pater ejus archiepiſcopo injuſte abſtulerat, juſte eidem in illo ſpatio † præfatus pater perdiderat. Quod ipſa humiliter ſpopondit.

Archiepiſcopus heredem vocat in ſynodum coram Beornulfo rege. *leg. VVulfredus

Decernitur plena reſtitutio.

† Locus corruptus.

Placuit itaque Beornulfo * regi cum ſuis ſapientibus, pro amicitia Ceonulfi regis & heredum illius, prænominato archiepiſcopo ſupradictarum rerum diligentiſſime reconciliationem & emendationem facere. Quia autem hoc prænominato regi Beornulfo placuit, & humili prece id depoſcebat, pro amore & amicitia illius conſenſit. Heres enim ſæpe nominati regis Ceonulfi, experiverat eumdem patrem patronum & interceſſorem habere, * deprecabatque eum humili devotione, ut pro plena reconciliatione, ſuſciperet in quatuor locis terram centum manentium, id eſt, Hareghes, Herefordingland, Vvambelea, Gedding. Tunc archiepiſcopus pro amore Dei, & amicabili amicitia regis Beornulfi huic reconciliationi conſenſit, ea conditione ut præfata abbatiſſa prænominatam terram eidem archiepiſcopo, illam terram ſcilicet centum manentium, cum libris quos Angli dicunt *Landboc*, & cum eadem libertate quam ante habuerat, in perpetuam hereditatem traderet. Beornulfus autem rex, cum teſtimonio totius ſynodi liberam omnino proclamavit.

*rege

Archiepiſcopus convenit 100. manſuras pro 300. ſuſcipere. *deprecabantque.

Iſta quoque reconciliatio nec hac vice rata fuit, quia poſt hæc iſta promiſſio XII. menſibus imperfecta remanſit. Retenti ſunt enim tres manentes de prædicta conditione, & libri quadraginta ſeptem manentium, ſcilicet liber de Bockland, liber de Vvambelea, liber etiam de Herferdingland.

Heres illa tarde exequitur.

Sequenti vero anno hæc eadem abbatiſſa flagitabat colloquium cum ſæpe nominato viro, qui tunc temporis erat in regione in loco qui dicitur Oſlaveshlen, ibi enim tenebat concilium; ubi cum virum Dei inveniſſet, confeſſa eſt inſipientiam tardatæ reconciliationis. Archiepiſcopus vero cum magna dulcedine oſtendebat ſe eſſe omnino

Venitur ad aliud concilium.

nino

nino liberum de sæpe nominata reconciliatione; de sua autem parte (id est abbatissæ) plura deesse quæ reddere debuisset. At illa coram posita concilio suffusa leni pudore omnia quæ deerant humiliter promisit se reddituram. Libros etiam quarumdam terrarum, quos ante non promiserat, cum terris in eodem concilio archiepiscopo,* libenti animo reddebat. Agellum quoque quatuor manentium, pro eius amicitia, adjecit apud Hergam. Terram quoque triginta manentium, ubi dicitur Cumbe, cum libello ejusdem terræ, pro emendatione archiepiscopo dedit, ut firma amicitia inter omnes heredes Ceonulfi regis & archiepiscopum" stabilem permaneret. Archiepiscopus autem his omnibus assensum præbuit hac conditione, ut nomina prædictorum agellorum sint abrasa de antiquis privilegiis quæ pertinent ad Vvincelcumbe, ne in posterum aliqua controversia excitetur, de hoc quod synodali auctoritate finitum est, & signo crucis firmatum.

[Margin: Heres pa... reddit ...um corol-...rio. — * forte, judicatis, desi-ratur. — " stabilis — ...sura pri...egiorũ.]

12 CONCILIVM ATTINIACENSE, IN QVO LVDOVICVS PIVS IMPERATOR publicam pœnitentiam sua sponte suscepit, in Attiniaco palatio celebratum, anno Christi DCCCXXII. Paschalis papæ VI. Ludovici ejusdem Augusti IX.

Dvo in hac Synodo gesta memorantur, quorum alterum ad publicam Ludovici Augusti pœnitentiam spectat, alterum ad capitula, quæ de variis rebus ibidem statuta sunt. Vtrumque paucis perstringunt annales incerti auctoris in hunc modum. An. DCCCXXII. Hludovicus imperator, sacerdotum usus consilio, de omnibus quæ publice perperam gessit publicam pœnitentiam agit: & post hæc cuncta quæ in regno suo corrigendo invenire potuit, corrigere atque emendare curavit. *Sed de pœnitentia Ludovici, qui ejus vitam scripsit pluribus enarrat.* Anno, *inquit*, hunc sequenti domnus imperator conventum generalem coire jussit in loco cujus vocabulum est Attiniacus: in quo convocatis ad concilium episcopis, abbatibus, spiritualibusque viris, nec non & regni sui proceribus, primo quidem fratribus reconciliari studuit, quos invitos attonderi fecerat, deinde omnibus quibus aliquid læsuræ intulisse videbatur. Post hæc autem palam se errasse confessus, & imitatus Theodosii imperatoris exemplum, pœnitentiam spontaneam suscepit, tam de his, quam quæ in Bernardum nepotem proprium gesserat, & corrigens, si quid talium vel a se, vel a patre suo gestum reperire alicubi potuit, etiam plurimarum eleemosynarum elargitione, sed & servorum Christi orationum instantia, nec non propria satisfactione, adeo divinitatem sibi placare curabat, quasi hæc, quæ legaliter super unumquemque decurrerant, sua gesta fuerint crudelitate. *De aliis vero rebus in hac synodo tractatis, & de capitulis exinde promulgatis, Agobardus episcopus Lugdunensis, qui conventui cum ceteris interfuit, in libro de dispensatione rei ecclesiasticæ copiose disserit his verbis:* In illis diebus, quando sacer & religiosus dominus noster imperator evocato conventu in Attiniaco agebat, strenue providens de omnibus utilitatibus commissorum sibi populorum, pervenit ad sublimiorem inquisitionem pernecessarii consilii: cupiens scilicet invenire, qualiter congruentissimæ profectum doctrinæ, & abolitio-

A nem negligentiarum, sacerdotibus & cunctis honoratis suis commendare potuisset: quod utique laudabiliter, inspirante Dei gratia, quæsivit, eleganter invenit, fideliter ore suo annuntiavit. Quæ cuncta nunc replicare nimis prolixum est, quia & tunc distinctis capitulis comprehensa sunt, & omnibus nota esse debent. Hanc igitur rem cum miris tunc laudibus adhuc inchoatam magistri nostri efferrent, & præcipue venerandus senex Adalardus, qui etiam dicebat se nunquam sublimius vel gloriosius causam profectus publici moveri & cogitari vidisse a tempore regis Pippini usque ad diem illum: tantum ne respondentium, & obedientium negligentia humiliaretur. Addidit ipse, & ceteri primores, dicentes omni concilio, quidquid utile potuerit

B reperire sagacitas vestra, ad cavenda peccata, ad vitanda pericula, ad erigendam religionem, ad illustrandam doctrinam, ad corroborandam fidem, ad excolendum studium sanctitatis, confidenter edicite, & ad explenda pariturum Deo domnum imperatorem minime dubitate. Qui, quoniam (ut scripturæ sacræ docent) peccata contrahunt infelicitates, perturbationes, clades & sterilitates in populos, tota solicitudine curat, ut bona quidem statuendo, mala vero destruendo, obtineat una nobiscum apud dominum, ut remotis adversis casibus, regnum sibi commissum prospere Deo favente valeat gubernare.

C Hæc & his similia cum priores nostri jucundissime loquerentur, ego, ut scilicet humillimus omnium & extremus, cœpi quodammodo pedetentim, ut pote magnis viris, ita suggerere. Ecce omnipotens Deus præparavit animos domni imperatoris, ut solicite velit agnoscere temporis vires consonas vel dissonas æquitati. Expedit vero ut ea quæ dissona sunt, si possibilitas suppetit, emendentur: inquantum autem possibilitas non suffragatur, cum timore Dei tolerentur, quatinus dum illicitum quidpiam ex necessitate agitur quod declinari non potest, timor saltem faciat excusabilem, quem executio non constituit absolutum. Necesse est ergo, ut vestra industria magnanimitati ejus suggerat pericula de rebus

D ecclesiasticis, quas contra vetitum, & contra canones tractant, & in usus proprios expendunt homines laici. Postquam enim diffusa est ecclesia Dei toto orbe terrarum, & cœpit exaltari & magnificari per omnes regiones & nationes, cœperuntque templa erigi a fidelibus imperatoribus ac regibus, atque episcopis, vel ceteris potentibus, ditarique rebus, & thesauris ornari: fuit etiam consequens, ut principum providentia leges promulgarentur, & episcoporum solicitudine canones statuerentur de rebus sanctificatis, id est, sacris locis deputatis, qualiter tuerentur ab improbis, tuerentur a gubernatoribus vel ex-

E pedirentur. Convenerunt episcopi viri sancti, quibus tunc abundabat ecclesia; statuerunt illibatos conservari debere sacros canones, qui firmati sunt Spiritu Dei, consensu totius mundi, obedientia principum, consonantia scripturarum. Ex quo tempore acceptum & receptum est, non aliud esse agere cuiquam adversus canones, quam adversus Deum, & adversus ejus universalem ecclesiam; neque sensum est unquam a quibusque fidelibus, ut statuta absque periculo religionis violarentur. Quod ergo Deo auctore statutum est, noua necessitas, quæ tunc temporis non accidit, excusabilem facere non potest violatorem: quia omnipotenti Deo omnia tempora, omniaque

Anno Christi 822.

omniaque volumina sæculorum præsentia sunt & stantia: neque aliquid præteriti potest recordari, nec futurum aliquid expectare. Quamobrem istæ, quas nunc homines prætendunt necessitates, & quarum causa se impune putant res sacras in usus communes vertere, licet tunc hominibus futuræ essent, Deo tamen præsentes erant; quodque spiritu suo statuit ecclesia tenendum, cunctis diebus usque ad finem sæculi voluit custodiri. Sed quoniam quod de sacris rebus in laicales usus illicite translatis dicimus, non fecit iste domnus imperator, sed præcessores ejus, & propterea isti impossibile est omnia emendare, quæ antecedentes male usurpata dimiserunt: saltem admonentibus vobis recogitare dignetur periculum; quod licet vitare nequeat, tamen, dum pensat, timet, ac dolet, apud misericordem dominum fiat per hoc excusabilis. Et vos communicate pondus periculi, sublevateque portantem inquantum fieri potest: ut dum vos illi communicantes in periculis, & ille vobis compatiens extiterit in tristibus, ac defensor in pervasionibus, dumque unum sapitis, tantumque periculum communiter toleratis, avertatur ab illo, nec non & a vobis, hujuscemodi prævaricationis vindicta. Cum hæc igitur a me dicerentur, responderunt pie reverentissimi viri Adalardus & Helisachar abbates; utrum vero audita retulerint domno imperatori, nescio.

NOTA IACOBI SIRMONDI, S.I.

1 *Concilium Attiniacense.*] Eginhartus idem mense Augusto celebratum tradit in chronico anni DCCCXXII. *Dominus imperator*, inquit, *Concilio cum episcopis & optimatibus suis habito, fratribus suis, quos invitos tonderi jussit, reconciliatus est; & tam de hoc facto, quam & de iis quæ erga Bernardum filium fratris sui Pippini, nec non & iis quæ erga Adelardum abbatem & fratem ejus Vualachum gesta sunt, publicam confessionem & pænitentiam egit. Quod tamen in eo conventu, quem eodem anno mense Augusto Attiniaci habuit, in præsentia totius populi sui peregit: in quo quidquid similium rerum, vel a se, vel a patre factum invenire potuit, summa devotione emendare curavit.* Vniversalem synodum totius imperii appellat Hincmarus Rhemensis, & sedis Romanæ legatos adfuisse scribit in libro de divortio Lotharii & Teibergæ.

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Concilium.*] Bernhardus nepos Caroli Magni ex filio Pippino post obitum patris rex Italiæ creatus, Ludovico patruo suo struxerat insidias: quas cum ille ulturus armata manu Italiam ingressus esset, Bernhardus se viribus imparem sentiens, abjectis armis illi occurrit, veniamque initæ conjurationis deprecans, in terram se supplicem dimisit, & tamen non est exauditus, sed potius post aliquot menses oculis orbatus, vel ipse sibi tædio longioris vitæ mortem conscivit, vel saltem ex dolore excæcationis inflictæ post triduũ interiit. Addit auctor vitæ Ludovici, quod Caroli Magni patris sui naturales filios hos, [a] Diogenem, Theodoricum & Hugonem in ejusdẽ criminis suspicionem adductos in monasterium detruserit. Quibus peractis, vulnus conscientiæ inflictum cœpit dolorem urgere, & lacrymas frequentiores excutere, eo quod neci causam dedisse sibi videretur, dum sponte venienti atque suppliciter veniam deprecanti non indulsisset. Cum multis gemitibus & lacrymis vulnus conscientiæ sanare non posset, frequentissimo episcoporum cœtu convocato, publicam peregit pænitentiam, cum illis ritibus, haud dubie, quos libro 5. capitularium suorum, capp. 58. 59. 62. 63. & 71. ipse ab aliis publicam pœnitentiam agentibus juxta canones ecclesiasticos requirebat. Tempus & acta & locum hujus concilii auctor vitæ Ludovici breviter describit his verbis: *Anno hunc sequenti* (nimirum 822) *imperator conventum generalem coire jussit, in loco cujus vocabulum est Attiniacus. In quo convocatis ad concilium episcopis, abbatibus, spiritualibusque viris, nec non regni sui proceribus, primo quidem fratribus reconciliari studuit, quos invitos attonderi fecerat: deinde omnibus, quibus aliquid læsura intulisse videbatur. Post hac palam se errasse confessus, & imitatus Theodosii imperatoris exemplum, pænitentiam spontaneam suscepit, tam de his, quam quæ in Bernardum nepotem proprium gesserat. Et corrigens si quid talium vel a se, vel a patre suo gestum reperiri alicubi potuit, etiam plurimarum eleemosynarum largitione, sed & servorum Christi orationum instantia, nec non propria satisfactione, adeo divinitatem sibi placare curabat, quasi hæc quæ legaliter super unumquemque decurrerant, sua gesta fuerint crudelitate.* Hæc veteres annales. Hoc eodem conventu Attiniacensi contigisse videtur, quod capitularium libro 2. capite 5. continetur his verbis: *Scholæ sane ad filios & ministros ecclesiæ instruendos vel edocendos, sicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promisistis & vobis injunximus, in congruis locis, necdum perfectum est, ad multorum utilitatem & profectum a vobis ordinari non negligantur.* Paschasius Ratbertus scriptor hujus temporis celeberrimus apud Surium 2. Ianuarii refert Ludovicum a sancto Adelhardo Corbeiæ in Gallia abbate, quem ipse a quibusdam calumniis circumventus, ante septennium relegaverat, inductum esse, non tantum ut prædictam pœnitentiam ageret, verum etiam pro expiatione delictorum commissorum Corbeiam in Saxonia monasterium erigeret. Cui in eo ipso adstipulatur Lambertus Schaffnaburg. dum ait, anno 822. fundamenta Corbeiæ Saxoniæ jacta fuisse. Vide Baronium prædicto anno num. 1. & sequentibus.

[a] Drogonẽ.

Ludovicus de nece Bernardi & in fratres injuria publicam agit pœnitentiam. Tempus, locus & acta concilii.

1 LVDOVICI PII IMPERATORIS CAPITVLARE II.

Admonitionem generalem continens ad utriusque ordinis homines, cum instructione missorum dominicorum, quos in diversas regni provincias destinabat.

TITVLI CAPITVLORVM.

PRÆFATIO.

I.

OMNIBUS vobis aut visu aut auditu notum esse non dubitamus, quia genitor noster & progenitores, postquam a Deo ad hoc electi sunt, in hoc præcipue studuerunt, ut honor sanctæ Dei ecclesiæ, & status regni decens maneret. Nos etiam juxta modum nostrum eorum sequentes exemplum, sæpe vestram devotionem de his admonere curavimus, & Deo miserante multa jam emendata & correcta videmus. Unde & Deo justas laudes persolvere, & vestræ bonæ intentioni multimodas debemus gratias referre.

II.

Sed quoniam complacuit divinæ providentiæ nostram mediocritatem ad hoc constituere, ut sanctæ suæ ecclesiæ & regni hujus curam gereremus, ad hoc certare & nos & filios ac socios nostros diebus vitæ nostræ optamus, ut tria specialiter capitula & a nobis & a vobis, Deo opem ferente, in hujus regni administratione specialiter conserventur: id est, ut defensio & exaltatio vel honor sanctæ Dei ecclesiæ, & servorum illius congruus maneat, & pax & justitia in omni generalitate populi nostri conservetur. In his quippe maxime studere, & de his in omnibus placitis, quæ vobiscum Deo auxiliante habituri sumus, vos admonere optamus, sicut debitores sumus.

III.

Sed quanquam summa hujus ministerii in nostra persona consistere videatur, tamen & divina auctoritate, & humana ordinatione, ita per partes divisum esse cognoscitur, ut unusquisque vestrum in suo loco & ordine partem nostri ministerii habere cognoscatur. Unde apparet quod ego omnium vestrum admonitor esse debeo, & omnes vos nostri adjutores esse debetis. Nec enim ignoramus quid unicuique vestrum in sibi commissa portione conveniat: & ideo prætermittere non possumus, quin unumquemque juxta suum ordinem admoneamus.

IV.

Sed quoniam scimus, quod specialiter pertineat ad episcopos; ut primum ad sacrum ministerium suscipiendum juste accedant, & in eodem ministerio religiose vivant, & tam bene vivendo, quam recte prædicando; populis sibi commissis iter vitæ præbeant, & ut in monasteriis in suis parochiis constitutis sancta religio observata fiat, & unusquisque juxta suam professionem veraciter vivat, curam impendant. Omnes vos in hoc sacro ordine constitutos, & officio pastorali functos, monemus atque rogamus, ut in hoc maxime elaborare studeatis, & per vosmetipsos, & per vobis subjectos, quantum ad vestrum ministerium pertinet, nobis veri adjutores in administratione ministerii nobis commissi existatis; ut in judicio non condemnari pro nostra & vestra negligentia; sed potius pro utrorumque bono studio remunerari mereamur. Et ubicumque per negligentiam abbatis, aut abbatissæ, vel comitis, sive vassi nostri, aut alicujus cujuslibet personæ, aliquod vobis difficultatis in hoc apparueruit obstaculum, nostræ dignoscétiæ id ad tempus insinuare non" deferatis, ut nostro auxilio suffulti, quod vestra auctoritas exposcit, famulante, ut decet, potestate nostra perficere valeatis.

" deseratis

V.

De sacerdotibus vero ad vestram curam pertinentibus magnum adhibete studium, ut qualiter vivere debeat, & quomodo populis ad suam portionis curam pertinétibus exemplo & verbo prosint, a vobis cum magna cura edoceantur & admoneantur, & id ut facere studeant vestra pontificali auctoritate constringantur. Quidquid autem in illis a populis juste reprehenditur in exemplo propriæ conversationis, vestra providentia corrigere non negligat. Ne vero ecclesiæ illis commissæ in restauratione, aut in luminaribus, juxta possibilitatem rerum ab illis negligantur, vestra nihilo minus invigilare debet solertia. Et sicut alios prohibetis, ne de mansis ad ecclesiæ luminaria datis aliquid accipiant, sic & vos, & vestri archidiaconi, de eisdem mansis nihil accipiendo aliis exemplū præbeatis, sed potius ad id ad quod data sunt servire concedantur, ut totum, sicut dictum est, in restauratione ecclesiarum, & luminaribus vestra auctoritate & studio cedere possit. Scholæ sane ad filios & ministros ecclesiæ instruendos vel edocendos, sicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promisistis, & vobis injunximus, in congruis locis; ubi nec dum perfectum est, ad multorum utilitatem & profectum a vobis ordinari non negligantur.

VI.

Vobis vero comitibus dicimus, vosque commonemus, quia ad vestrum ministerium maxime pertinet, ut reverentiam & honorem sanctæ Dei ecclesiæ exhibeatis, & cum episcopis vestris concorditer vivatis, & eis adjutorium ad suum ministerium peragendum præbeatis, & ut vos ipsi in ministeriis vestris pacem & justitiam faciatis, & quæ nostra auctoritas publice fieri decernit, in vestris ministeriis studiose perficere studeatis. Proinde monemus vestram fidelitatem, ut memores sitis fidei nobis promissæ, & in parte ministerii nostri vobis commissi, in pace scilicet & justitia facienda, vosmetipsos coram Deo & coram hominibus tales exhibeatis, ut & nostri veri adjutores, & populi conservatores juste dici & vocari possitis: & nulla quælibet causa, aut munerum acceptio, aut amicitia cujuslibet, vel odium aut timor, vel gratia, ab statu rectitudinis vos deviare compellat; quin inter proximum & proximum semper juste judicetis. Pupillorum vero & viduarum, & ceterorum pauperum adjutores & defensores, & sanctæ ecclesiæ vel servorum illius honoratores, juxta vestrā possibilitatē sitis. Illos quoque qui temeritate & violentia in furtis & latrociniis, sive rapinis, communem pacem populi perturbare moliuntur, vestro studio & correctione, sicut decet, compescite; & si aliqua persona in aliquo vobis impedimento fuerit, quin ea quæ dicimus facere non valeatis, nobis ad tempus illud notum fiat; ut nostra auctoritate,

auctoritate adjuti ministerium vestrum digne adimplere possitis. A

VII.

Lib. 2. c. 7. Omnes vero laicos monemus, ut honorem ecclesiasticum conservent, & dignam venerationem episcopis & Dei sacerdotibus exhibeant, & ad eorum prædicationem cum suis devote occurrant, & jejunia ab illis communiter indicta reverenter observent, & suos observare doceant & compellant, & ut etiam dies dominicus, sicut decet, & honoretur & colatur, omnes studeant; & ut liberius fieri possit, mercata & placita a comitibus, sicut sæpe admonitum fuit, illo die prohibeantur.

VIII.

Lib. 2. c. 8. Abbatibus quoque & laicis specialiter jubemus, ut in monasteriis, quæ ex nostra largitate habent, episcoporum consilio & documento ea quæ ad religionem canonicorum, monachorum, sanctimonialium pertinent, peragant; & eorum salubrem admonitionem in hoc libenter audiant, & obediant.

IX.

Lib. 2. c. 9. Episcopis iterum, abbatibus, & vassis nostris, & omnibus fidelibus laicis dicimus, ut comitibus ad justitias faciendas adjutores sitis.

X.

Lib. 2. c. 10. Episcopi vero, vel comites, & adinvicem, & cum ceteris fidelibus concorditer vivant, & ad sua ministeria peragenda vicissim sibi adjutorium ferant.

XI.

Lib. 2. c. 11. Omnibus etiam generaliter dicimus, ut caritatem & pacem ad invicem habeatis, & generalem jussionem nostram generaliter observare decertetis, & missis nostris pro qualicumque scilicet, aut ecclesiastica, aut publica utilitate vel opportunitate a nobis directis, nostri honoris causa honorem exhibeatis, & nostræ propter auctoritatis venerationem ea quæ per illos injungimus agere non negligatis.

XII.

Lib. 2. c. 12. Et quoniam, sicut diximus, unusquisque vestrum partem ministerii nostri per partes habere dignoscitur, volumus studere & per clamatores, & per alia quælibet certa indicia, & per missos nostros, quos ad hoc ordinaverimus, qualiter unusquisque ad hoc certare studuerit, & per commune testimonium, id est episcoporum de comitibus, comitum de episcopis comperire, qualiter scilicet comites justitiam diligant & faciant, & quam religiose episcopi conversentur & prædicent: & ambo-rum relatu de aliorum fidelium in suis ministeriis consistentium æquitate & pace atque concordia cognoscere. Similiter etiam volumus, ut omnes illis, & illi omnibus, de communi societate & statu a nobis interrogati verum testimoniũ sibi mutuo perhibere possint. D E

XIII.

Lib. 2. c. 13. Et si talis causa in qualibet provincia, aut in aliquo comitatu orta fuerit, quæ aut ad inhonorationem regni, aut ad commune damnum pertineat, quæ etiam sine nostra potestate corrigi non possit, nos diu latere non permittatis, qui omnia Deo auxiliante corrigere debemus: quia quidquid hactenus in his quæ ad pacem & justitiam totius populi pertinent, & ad honorem regni, & communem utilitatem, aut a nobis, aut a vobis neglectum est, debemus Deo auxiliante certare, qualiter abhinc nostro & vestro studio emendatum fiat.

XIV.

De pace vero in exercitali itinere servanda usque ad marcham hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicumque auctorem damni sibi præterito anno illati nominatim cognoscit, ut justitiam de illo quærat & accipiat. Lib. 2. c. 14.

XV.

Deinceps tamen omnibus denuntiare volumus, ut cognoscat unusquisque omnes qui in suo obsequio in tali itinere pergunt, sive sui sint, sive alieni, ut ille de eorum factis rationem se sciat redditurum: & quidquid ipsi in pace violanda deliquerint, ad ipsius debet periculum pertinere: ea scilicet conditione, ut pacis violator primum juxta facinoris qualitatem, sive coram nobis, sive coram misso nostro, dignas pœnas persolvat: & senior qui secum talem duxerit, quem aut constringere noluit, aut non potuit, ut nostram jussionem servaret, & insuper in regno nostro prædas facere non timeret pro illius negligentia, si ante eum de his non admonuerit, & postquam negligentia contemptoris ad ejus notitiam pervenerit, eum corrigere sicut decet neglexerit, honore suo privetur, at scilicet neuter illorum sine justa vindicta remaneat. Lib. 2. c. 15 B plevium seu plivium vel pluvium.

XVI.

De inhonoratione quoque regis & regni, & mala fama in exteras nationes dispersa, propter negligentiam eorum qui legationes ad nos directas in suis mansionibus, aut male recipiunt, aut constitutam a nobis expensam non tribuunt, aut paravereda dare nolunt, aut furto aliquid eis subripiunt, aut, quod perpessimum est, apertas violentias, eos cædendo, & res eorum diripiendo, in ipsis exercere non pertimescunt; hoc omnibus notum esse volumus, quod quicumque ex his qui honores nostros habent abhinc negligentiam hanc emendare non certaverit, & suos homines, qui ejus vice hoc agere debent, ut id bene perficiant non instruxerit, aut constrinxerit, ut ulterius illud negligere non præsumant, & honorem nostrum, & regnum nobis commissum custodire contempserit, nec nostrum, nec regni nostri honorem ulterius volumus ut habeat; sed volumus ut unusquisque fidelium nostrorum procuratores rerum suarum de his specialiter instruat, ut quandocumque & undecumque legatio advenerit, & aut literas, aut missum viderint, honorifice illam in omni loco imperii nostri, propter nostrum & totius regni honorem suscipere valeant. C Lib. 2. c. 16.

XVII.

In illis vero locis, ubi modo via & mansionatici a genitore nostro & a nobis per capitulare ordinati sunt, missos ad hoc specialiter constitutos, qui hoc jugiter prævideant, habeant, ut omnia, quæ ad easdem legationes suscipiendas pertinent, fideles nostri ad hoc constituti ad tempus præparare studeant, ut non tunc sit necesse de longe quærere, vel adducere, quando tempus est illa dare vel persolvere. In ceteris vero locis per totum imperium nostrum unusquisque fidelium nostrorum & per se, & per ministros suos, sicut diximus, sedulam vigilantiam adhibeat. Lib. 2. c. 17.

XVIII.

De moneta vero, unde jam per tres annos & admonitionem fecimus, & tempus quando una teneretur, & aliæ omnes cessarent, constituimus, hoc omnibus notum esse volumus, quoniam, ut absque ulla excusatione cito possit emendari, Lib. 2. c. 18.

emendari spatium usque ad missam sancti Martini dare decrevimus; ut unusquisque comitum in suis ministeriis de hoc jussionem nostram tunc possit habere adimpletam: quatinus ab illa die non alia, sed illa sola per totum regnum nostrum ab omnibus habeatur juxta illam constitutionem, sicut in capitulis, quæ de hac re illis comitibus dedimus, in quorum ministeriis moneta percutitur, constitutum est. Quia tunc volumus missos nostros hujus rei gratia dirigere per singulos comitatus, qui diligenter inquirant, qualiter comites in hoc nostram jussionem adimplere certaverint: & quicumque negligens inde inventus fuerit, volumus ut ante nostram præsentiam quantocius venire jubeatur, & rationem reddat, utrum hoc quod jussimus facere noluerit, aut non potuerit, aut si aliqua re præpediente id facere non potuit, cur nobis ipsam impossibilitatem ad tempus non annuntiavit. Quia si ipse aut non voluit, aut suæ negligentiæ causa non potuit, nos talem invenire volumus, qui hoc quod jubemus servare velit & possit. Vt autem jussio nostra in hac re citius impleatur, volumus ut quicumque ab illa die alium denarium negotiandi causa protulerit, a comite & ministris ejus auferatur ab eo.

XIX.

Lib. 2. c. 19. Similiter quoque de injustis teloneis, de quibus qualiter ab omnibus observandum esset, & capitulis constituimus, & creberrimas admonitiones fecimus, prædicti missi nostri volumus ut inquisitionem faciant, a quibus nostra jussio in hoc adimpleta, a quibus quoque sit neglecta: & eum, qui implere neglexit aut distulit, ad nostram volumus ut veniat jussus præsentiam, ut cito rationem de his, sicut superius diximus, reddat: & si culpabilis inventus fuerit, dignam correctionem accipiat, ut ceteris negligentibus exemplum terroris præbeat.

XX.

Lib. 2. c. 20. Vt ubi pontes antiquitus fuerunt, & in his locis ubi tempore genitoris nostri ipso jubente diversarum necessitatum causa facti sunt, omnino absque ulla dilatione ab his, qui eos tunc fecerunt, restituantur & renoventur, ita ut ad missam sancti Andreæ restaurati fiant, nisi forte aut ipsa operis magnitudo, aut aquarum in quolibet inundadatio hoc prohibeat. Aliter vero nullus qualibet occasione hoc negligere aut differre præsumat, quin ad prædictum tempus completum fiat: & missi nostri, quorum superius mentionem fecimus, volumus ut renuntient in quibus locis nostra jussio impleta, in quibus neglecta est, aut aliqua impossibilitate vel certa ratione dilata.

XXI.

Lib. 2. c. 21. De nonis quidem & decimis, unde & genitor noster, & nos frequenter, & in diversis placitis admonitionem fecimus, & per capitularia nostra qualiter hæc observentur ordinavimus, volumus atque jubemus, ut de omni collaborato, & de vino & de feno, fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima persolvatur. De nutrimine vero pro decima, sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus observetur. Si quis tamen episcoporum fuerit, qui argentum pro hoc accipere velit, in sua maneat potestate, juxta quod ei & illi qui hoc persolvere debet convenerit.

XXII.

Lib. 2. c. 22. Similiter quidem de operibus in restaurationem ecclesiarum, sive in faciendo, sive in redimendo, episcopalis potius sequatur voluntas. Nullatenus tamen remaneat, quin, sicut a nobis sæpe jussum est, hoc aut illud partibus ecclesiarum persolvatur. Et hoc omnibus notum sit, quia quicumque negligenter exinde egerit, & coram nobis exinde negligens repertus fuerit, illud volumus omnino ut subeat, quod in nostro capitulari de hac re communi consultu fidelium nostrorum ordinavimus.

XXIII.

Lib. 2. c. 23. Comites vero ministris ecclesiæ in eorum ministeriis, ut hoc plenius & de nostris, & de se, & de suis hominibus obtinere possint, adjutores in omnibus fiant: & quicumq; prima & secunda vice de his a comite admonitus non se correxerit, volumus ut per eumdem comitem ejus negligentia ad nostram notitiam perferatur, ut nostra auctoritate quod in nostro capitulari continetur subire cogatur.

XXIV.

Lib. 2. c. 24. Volumus etiam ut capitula, quæ nunc & alio tempore consultu fidelium nostrorum a nobis constituta sunt, a cancellario nostro archiepiscopi & comites eorum de propriis civitatibus, modo aut per se, aut per suos missos accipiant: & unusquisque per suam diœcesim ceteris episcopis, abbatibus, comitibus, & aliis fidelibus nostris ea transcribi faciant, & in suis comitatibus coram omnibus relegant, ut cunctis nostra ordinatio & voluntas nota fieri possit. Cancellarius tamen noster nomina episcoporum & comitum, qui ea accipere curaverint, notet, & ea ad nostram notitiam perferat, ut nullus hoc prætermittere præsumat. Vassi quoque & vassalli nostri nobis famulantes, volumus ut condignum apud omnes habeant honorem, sicut a genitore nostro & a nobis sæpe admonitum est.

XXV.

Lib. 2. c. 25. In Vesontio, quæ est diœcesis Bernoini archiepiscopi, Heiminus episcopus, & Monogoldus comes. In Mogontia, quæ est diœcesis Heistulfi archiepiscopi, idem Heistulfus episcopus, & Ruotbertus comes. In Treveris Hetti archiepiscopus, & Adalbertus comes. In Colonia Hadaboldus archiepiscopus, & Ecmundus comes. In Rhemis Ebbo archiepiscopus, quando potuerit, & quando ei non licuerit, Ruotadus episcopus ejus vice, & Ruotfridus comes sint super sex videlicet comitatus, id est Rhemos, Catalaunem, Suessionem, Silvanectem, Belvacum, & Laudunum. Super quatuor vero episcopatus, qui ad eamdem diœcesim pertinent, id est Noviomacensem, Ambianensem, Tarvanensem, & Camaracensem Ragenarius episcopus, & Berengarius comes. Senones Ieremias archiepiscopus, & Donatus comes. Rothomagum Vuillebertus archiepiscopus, & Ingobertus comes. Turonem Landrannus archiepiscopus, & Ruotbertus comes. Lugdunum Târentasia & Vienna, Albericus episcopus, & Richardus comes.

XXVI.

Lib. 2. c. 26. Commemoratio quid ad prædictorum missorum legationem pertineat. Primo ut conventum in duobus aut tribus locis congregent, ubi omnes ad eorum legationem pertinentes convenire possint: & omnibus generaliter notum faciant, qualis sit eorum legatio. Scilicet ad hoc se esse a nobis missos constitutos, ut si quilibet episcopus, aut comes, ministerium suum propter quodlibet impedimentum implere non possit, ad eos recurrat, & cum eorum adjutorio ministerium suum adimpleat. Et si talis causa fuerit, quæ per eorum admonitionem emendari non possit, per eos ad nostram notitiam deferatur. Et si forte episcopus, aut comes, aliquid negligentius in suo ministerio

ministerio egerit, per istorum admonitionem corrigatur. Et omnis populus sciat ad hoc eos esse constitutos, ut quicumque per negligentiam, aut incuriam, vel impossibilitatem comitis, justitiam suam acquirere non potuerit, ad eos primum querelam suam possit deferre, & per eorum auxilium justitiam acquirere: & quando aliquis ad nos necessitatis causa reclamaverit, ad eos possimus relatorum querelas ad definiendum remittere. Ipsi vero missi non sine certissima causa, vel necessitate huc illucque discurrant, nisi forte quando tale aliquid in cujuslibet ministerio ad legationem suam pertinente ortum esse cognoverint, quod eorum præsentia indigeat, & sine illorum consilio vel adjutorio emendari non possit. Inde tamen debent esse soliciti, ut propter illorum negligentiam nihil in sua legatione incorrectum remaneat: sed ubi certam & veram necessitatem cognoverint, nostram jussionem adimplere non negligant.

XXVII.

Lib.2.c.27. Volumus etiam, ut omnibus notum sit qui ad hoc constituti sunt, ut ea quæ per capitula nostra generaliter de quibuscumque causis statuimus, per missos nota fiant omnibus, & in eorum procuratione consistant, ut ab omnibus adimpleantur. Et ubi forte aliquo tali impedimento, quod per eos emendari non possit, aliquid de his quæ constituimus ac jussimus remanserit imperfectum, eorum relatu nobis ad tempus indicetur, ut per nos corrigatur quod per eos corrigi non potuit.

XXVIII.

Lib.2.c.28. Nosse vos credimus quanti sit ponderis legatio quam vobis commisimus, & quam sit periculosum tantæ rei curam negligere, quantam vos pro nostra omnium communi salute, ex nostra obligatione suscepisse non ignoratis. De qua re cum vos interrogassemus, non sic nobis responsum est ut in eo responso sufficere potuisset ad eam dispositionem, quam rerum necessitas ad communem utilitatem pertinentium poscere videbatur; vel quæ nobis aliquod securitas solatium afferre potuisset. Et hoc ideo evenisse perspeximus, quia anno præterito, quando capitula legationis vestræ vobis dedimus, caute vos observare jussimus, ne sine causa his quos honoratos esse volumus aliqua fieret injuria. Quapropter volumus vobis notum facere, qualiter nunc domino adjuvante eamdem jussionem nostram debeatis adimplere. Volumus ut missi nostri, quos ad hoc constitutos habemus, ut curam & solicitudinem habeant, quatinus unusquisque, qui rector a nobis populi nostri constitutus est, in suo ordine officium sibi commissum juste ac Deo placite ad honorem nostrum ac populi nostri utilitatem administret, & hunc modum cognoscendi diligentiam adhibeant, si ea quæ in capitulari nostro, quod eis anno præterito dedimus, continentur secundum voluntatem Dei ac jussionem nostram fiant adimpleta. Itaque volumus ut medio mense Maio conveniant iidem missi, unusquisque in sua legatione, cum omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, ac vassis nostris, advocatis nostris, ac vicedominis abbatissarum, nec non & eorum qui propter aliquam inevitabilem necessitatem ipsi venire non possunt, ad locum unum. Et si necesse fuerit, propter opportunitatem conveniendi, in duobus vel tribus locis, vel maxime propter pauperes populi, idem conventus habeatur, qui omnibus congruat. Et habeat unusquisque comes vicarios & centenarios suos nec non & de primis scabineis suis tres aut quatuor. Et in eo conventu primum Christianæ religionis & ecclesiastici ordinis collatio fiat: deinde inquirant missi nostri ab universis, qualiter unusquisque illorum, qui ad hoc a nobis constituti sunt, officium sibi commissum secundum Dei voluntatem ac jussionem nostram administret in populo: & quam concordes atque unanimes ad hoc sint, vel qualiter vicissim sibi auxilium ferant ad ministeria sua peragenda. Et tam diligenter ac studiose hanc investigationem faciant, ut omnem rei veritatem per eos cognoscere valeamus. Et si aliqua talis causa ad eorum notitiam perlata fuerit, quæ illorum auxilio indigeat, secundum qualitates causarum, quæ in nostro capitulari continentur, tunc volumus ut illuc pergant, & ex nostra auctoritate illud corrigere studeant.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Ludovici Pii capitulare II.*] Hæc illa, opinor, sunt capitula, quæ Agobardus libro de dispensatione rei ecclesiasticæ in conventu Attiniacensi edita fuisse narrat: ut minime aberraturus videatur, si cui capitulare Attiniacense appellare libeat. Totum autem ab Ansegiso abbate relatum est in priorem partem libri II. capitularium. Cap. 15. Cap. 25.

2 *Ad ipsius periculum*] Variant hoc loco vetera exemplaria. Quædam enim, sicut in capitularibus editum est, *pluuium* leguut: alia *plevium*, aut *plivium*: alia quæ secuti sumus, *periculum*, quæ vox veterem alteram Gallicanam interpretatur.

3 *Ragenarius episcopus*] Ita codex sancti Remigii & Tilianus. In aliis *Ragnarius*, *Regenarius*, *Ragnarius*, aut, ut in editis, *Rangarius*, quomodo etiam vocatus in concilio Parisiensi lib. 3. cap. 6. & in vetere catalogo episcoporum Noviomagensium.



ANNO CHRISTI 824.

VITA ET DECRETA EVGENII PAPÆ II.

Papæ Eugenii virtutes.

EVGENIUS a natione Romanus, ex patre Boemundo, b sedit annos * quatuor, menses duos dies viginti & tres. Hic etenim venerabilis & præclarus vir magnæ simplicitatis atque humilitatis fuit. Doctus scientia, sermone præcipuus, forma pulchrior, largus petentibus, mundum respuens. Sola quæ Christo erant placita, omnibus diebus ac noctibus cogitabat. Hujus præfati pontificis tempore ubertas non modica totam non solum Romam, sed etiam pene totum invaserat orbem. Quia quidquid justo percipiebat a subditis pondere, non solum pusillis ac viduis, sed etiam divitibus incessanter omnibus distribuebat. Maxima autem pax & requies ejus diebus universo fuit in orbe Romano. Quippe nam ipse cum totius esset pacis amicus, quid aliud pertinentes, nisi quod ipse suis honestis gerebat moribus, & ipsi pariter gerebant? Archipresbyter enim hujus sacratissimæ atque universalis ecclesiæ fuit. In qua non per modica tempora suum mirifice propositum rexit. Postea a Romanis cunctis pro meritorum pia relatione electus post transitum sanctissimi domini Paschalis papæ pontifex factus est. Tenuit autem presbyteratus sui tempore ecclesiam beatæ Sabinæ martyris positam in Aventino monte, quam Deo dispensante, post pontificalem sibi attributam gratiam ad meliorem cultum perduxit, & picturis undique decoravit. Hujus diebus Romani judices, qui in Francia tenebantur captivi, reversi

Ejusdem electio.

* tres,

verſi ſunt quos in parentum propria ingredi permiſit, & eis non modicas res de patriarchio Lateranenſi præbuit, quia erant pene omnibus facultatibus deſtituti. Fecit autem in eccleſia beatæ Sabinæ martyris ſupradictæ ciborium ex argento puriſſimo penſans libras.... Iſdem venerabilis præſul, ubi ſupra obtulit.

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Eugenius.*] Decimo quarto Kalendas Iunias, anno 824. ſucceſſor Paſchalis, Eugenius II. creatus eſt in ſchiſmate tali, ad quod componendum Ludovicus imperator miſit in urbem filium ſuum Lotharium; qui dum in urbem veniſſet, & ab Eugenio honorifice ſuſceptus fuiſſet, *ſtatum populi Romani*, inquit auctor vitæ Ludovici, *jamdudum quorumdam præſulum perverſitate depravatum, memorata pontificis benevola aſſenſione ita correxit, ut omnes, qui rerum ſuarum direptione graviter fuerant deſolati, de reſtitutione bonorum ſuorum, quæ per illius adventum Deo donante provenerant, magnifice eſſent conſolati.* In urbe exiſtens, accedente conſenſu pontificis politicum urbis imperium primarium habentis, de electione pontificia ablatiſque reſtituendis edidit conſtitutionem, quæ extat apud Sigonium de regno Italiæ, anno 825. in Ludovico, his verbis: *Volumus ut ad electionem pontificis nemo audeat venire, neque liber neque ſervus, qui aliquod impedimentum inferat, exceptis illis tantum Romanis, quibus antiqua fuit conſuetudo conceſſa per conſtitutionem ſanctorum patrum eligendi pontificem. Quod ſi quis contra noſtram juſſionem facere auſus fuerit, exilio afficiatur. Volumus ut cunctus populus Romanus interrogetur qua lege velit vivere, ut ea qua profeſſus ſit vivere velle, vivat, eique denuntietur ut hoc unuſquiſque ſciat, tam duces, quam judices, vel reliquus populus. Quod ſi in offenſionem ſuam contra eamdem legem fecerint, eidem legi, quam profitentur, ex conſtitutione pontificis & noſtra ſubjacebunt. De rebus eccleſiarum injuſte occupatis per occaſionem, quaſi licentia accepta a pontifice, & de iis quæ nec dum reddita ſunt, & tamen fuerunt abſque poteſtate pontificum occupata, volumus ut per legatos noſtros reſtituantur. Placet nobis, ut cuncti judices, ſive ii qui cunctis præeſſe debent, per quos judiciaria poteſtas in hac urbe Roma exercetur, aut in ceteris provinciis exerceri debet, in præſentiam noſtram veniant. Volumus numerum & nomina eorum ſcire, & ſingulos de munere ſibi credito admonere. Noviſſime admonemus, ut omnes homines ſicut Dei gratiam & noſtram habere deſiderant, ita præſtent in omnibus obedientiam ac reverentiam huic pontifici.* Initio pontificatus Eugenii a Michaele imperatore orientis miſſa eſt legatio ad Ludovicum. *Inter cetera autem*, inquiunt annales Francorum in vita Ludovici, *ad legationem ſuam pertinentia, quædam de imaginum veneratione protulerunt, propter quæ ſe Romam ire, atque apoſtolicæ ſedis præſulem conſulere debere dixerunt. Quos cum legatione eorum audita ac reſponſo reddito, ut ſe velle dicebant, Romam ducere juſſit.* Legati (ſi credendum eſt libello pſeudo ſynodi Pariſienſis) pervenerunt in Gallias menſe Octobri, cum Ludovicus imperator adverſus Britones in expeditione eſſet: auditis poſtea menſe Novembri, & a ſe dimiſſis, ſuos adjunxit Ludovicus imperator legatos ad Romanum pontificem, qui non ſynodi cogendæ, ſed tantum conventus alicujus inſtituendi licentiam peterent, in quo viri docti de cultu imaginum inter ſe exquirerent & diſputarent. Quid in pſeudoſynodo actum fuerit infra dicetur. Ex parte Ludovici functus eſt legationis munere Ionas Aurelianenſis, qui contra Claudium Iconomachum Felicis diſcipulum his temporibus tres libros ſcripſit, quorum primo impugnat fractionem ſacrarum imaginum. Secundo contra eumdem ſanctæ crucis adorationem defendit. Tertio ſanctorum cultum & peregrinationem Romam ad limina beatorum apoſtolorum ſuſceptam propugnat & tuetur. Michael imperator per obitum Theodori Studitæ, exemplo Ioannis Baptiſtæ peccantes impavide monentis, ſecurior redditus, Euphroſynam monialem duxit in uxorem, eoque facto ſe una cum toto orientali imperio in ſummam perniciem induxit. Dani prædicatione Ebbonis Rhemenſis archiepiſcopi ad fidem convertuntur. Crantzius in metrop., lib. 1. cap. 9.

b *Sedit annos quatuor*] Baronius affirmat Eugenium tribus tantum annis ſediſſe, & quod hic quatuor anni Eugenio attribuantur, mendoſum eſſe, idque Aimoini aliorumque ſcriptorum hujus temporis auctoritate confirmat.

A

** DIPLOMA EVGENII PP.

EX APPENDICE VARIORVM DIPLOMATVM S.R.E. PONTIFICVM post chronicon Reicherſpergenſe anno 1611. Monachii in Bavaria a a Gevvoado edita.

EVgenius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Rathfredo ſanctæ Favianenſis eccleſiæ, & Methodio eccleſiæ Speculi Iulienſ. quæ & Soriguturenſis nuncupatur, atque Alevvino ſanctæ Nitravienſis eccleſiæ, parique modo Annoni S. Vetuarenſis eccleſiæ epiſcopis; ſimul etiam Tuttundo, nec non Moymaro ducibus & optimatibus, exercitibuſque plebis Huniæ, quæ & Avaria dicitur, & Maraviæ. Pars hujus diplomatis recitatur ab Hundio in Metrop. in Vrolpho ſeu Irolfo archiep. Laureacenſi.

B

Deſiderio ſalutis animarum veſtrarum, filii in Chriſto chariſſimi, cum audivimus chriſtianiſſimam converſationem veſtram, & ſanctæ fidei bonorumque operum veſtrorum proceſſum, ſummo gaudio atque lætitia fuimus exhilarati, quia divina in vobis operante clementia, ut apoſtolus ait, ubi abundavit delictum, ibi ſuperabundat gratia, atque quomodo ſancta Dei eccleſia noſtris temporibus quotidianum in electione veſtra ſuſcipit incrementum. Cujus optabilis rumoris index fuit reverendiſſimus Yrolfus ſanctæ Lauriacenſis eccleſiæ archiepiſcopus, & ſanctiſſimus frater noſter, veſter autem ſpiritualis pater, qui per ſuam ſanctam prædicationem adoptivos Deo vos genuit filios. Is itaque ad apoſtolorum limina orationis cauſa veniens, novam eccleſiam noſtris apoſtolicis benedictionibus informandam ſubnixe commendavit, quia domino auxiliante, catholice gubernandam ſuſcepit. In quibus etiam quondam Romanorum quoque Gepidarumque ætate, ut lectione certum eſt, in ſeptem epiſcoporum parochias anteceſſores ſui jure metropolitano obtinuerant diœceſin. Qua ex juſtitia & lege præfatus Deo digniſſimus archiepiſcopus debito obligatur, ut illi terræ prius Chriſticolæ, atque ſuorum antiquitus anteceſſorum creditæ providentiæ, quam nunc vos Dei omnipotentis occulto mediante judicio velut hereditariam poſſidetis, ipſe euangelicus agricola diu negata cæleſtis ſpargat ſemina vitæ, atque in lucrandis domino Chriſto animabus redivivam de vobis nutriat ſegetem. Quem nos doctiſſimum divini oraculi miniſtrum ſaluti veſtræ cognoſcentes per omnia neceſſarium fide & exemplo probatum merito erga illum apoſtolicam ſervantes ſententiam qua dicitur, *Quomodo credent ſine prædicante, aut quomodo prædicabunt niſi mittantur*, ab ſancta Romana eccleſia matre vobiſcum rectorem tranſmiſimus, atque in præfatis regionibus Hunniæ, quæ & Avaria appellatur, ſed & Moraviæ provinciarum quoque Pannoniæ, ſive Mœſiæ apoſtolicam vicem noſtram & diœceſin, atque jus eccleſiaſticum exercendi, & uſum ac poteſtatem anteceſſorum ſuorum, videlicet ſanctæ Lauriacenſis eccleſiæ archiepiſcoporum ſibi ſucceſſoribuſque ſuis canonica auctoritate committimus, atque hujus conſtitutionis noſtræ decretum ſuſcriptionis privilegio roboramus. Pallium præterea iuxta conſuetudinem antiquam ſanctitati ſuæ dedimus, quod ita conceſſimus, ſicut prædeceſſores noſtri ſuis

Rom. 10.

C D E

prædecessoribus concessere, privilegiorum suorum scilicet integritate servata. Cujus dilectioni quamvis hoc debito permitteremus, propter vestras autem petitiones super hac re flagitantibus ad honorem suum nostram apostolicam vicem & auctoritatem insuper accumulavimus, quod nunquam suis permissum est prioribus. Quatenus & vos confratres & coepiscopi deinceps ei reverentiam ampliorem exhibere sciatis,& in sana doctrina cælestis eruditionis ad ædificationem vestram ut filii sapientes obediatis, atq; vos laici primates, & vulgus saluberrimis præceptis suis non velut homini, sed tanquam Deo humiliter obtemperetis, & in fide catholica, quam per dominum Iesum consecuti estis, fortes permaneatis. Nam totius doli artifex diabolus cujus dominio & pōpis in baptismate abrenunciatis, jacturam & damnum vestræ salutaris surreptionis moleste patitur, ac per varias occasiones zizania perfidiæ seminãdo velut multa injuria bacchatur,& ut vestrũ aliquis terga vertat sanctæ professioni incessanter molitur. Quapropter sæpe dicti archiepiscopi videlicet pastoris vestri a Deo destinati institutionibus benignas aures præbete,qui vos & versutiam sathanæ cavere atque ejus æternos cruciatus evadere instruit,ac ipse in die judicii de bonis operibus vestris seculorum domino perpetua remunerandos gloria præsentabit. Ad perfectam autem & necessariam eruditionis vestrę salutem,ut comperimus non sufficiant pauci,qui modo constituti sunt vobis episcopi, quia plures sunt adhuc gentilitatis errore ibidem detenti, ad quos propter inopiam præconum divini verbi nondum pervenit notitia Christi. Idcirco enim,ut accrescat turba fidelium,studeat solertia vestra pro mercede & remissione peccatorum vestrorum adminiculum atque juvamen præbere reverendissimo Yrolpho archiepiscopo, quatenus dudum illic constitutorũ episcoporũ numerus impleatur, qui congrue constituti,& vobis posterisq; vestris poterunt esse proficui, si ad restaurationem ecclesiarum propter nomen domini de possessionibus vestris, quas redditus dotesque earum fama divulgante quandam fuisse noveritis æternam sufficientiam vobis comparantes eisdem ecclesiis ipsi conferatis, idoneis viris ad hoc ministerium electis, maxime in illis locis, si oportunitas & utilitas commendaverit, ordinentur antistites,ubi indicia ecclesiarum & ædificiorum sedes pontificales olim fuisse demonstrant,sin autem illius arbitrio & deliberationi,qui vel ubi disponantur episcopi concedimus, cui vicem nostram apud vos ecclesiastici regiminis per omnia commisimus.

DECRETA EVGENII PAPÆ II.

Ex concilio Rhemensi.

I.

Hæc decreta ad Eugenium III. magna ex parte spectant.

Qui excommunicato, donec ab eo qui eum excommunicaverat,vel ab alio auctoritate sedis apostolicæ absolvatur, scienter communicare præsumpserit, excommunicationis sententia ipsum teneri censemus.

II.

Præcipimus observari, ut qui in ordine subdiaconatus, aut supra, uxorem duxerint, aut concubinas habuerint, officio ecclesiastico & beneficio careant.

III.

Statuimus, ut sanctimoniales & mulieres, quæ canonicæ nominantur, & irregulariter vivunt, juxta beatorum Benedicti & Augustini regulam vitam suam in melius corrigant & emendent, superfluitatemque vestium & inhonestatem deserant. Quod si non impleverint, si qua ipsarum mortua fuerit, Christianorum careat sepultura. Prohibemus etiam, ne in earumdem collegiis aliqua, nisi quæ regulariter fuerit victura, recipiatur.

IV.

Decrevimus, ut laici ecclesiastica negotia terminare non præsumant.

V.

Auctoritate apostolica prohibemus, ut nullus advocatus præter jus & beneficium antiquitus, aliquid sibi arripere vel usurpare pręsumat.Quod si quis contra hoc attentaverit, Christianorum careat sepultura.

VI

Nullus in decanum vel archidiaconum,nisi diaconus vel presbyter, ordinetur. Qui si ordinari contempserint,honore suscepto priventur.

VII.

Temerariam multorum audaciam, qui ad detestabiles nundinas ex condicto venire solent, ad ostentationem virium suarum, omnino & sub anathemate fieri prohibemus. Quod si quis ibidem mortuus fuerit, pœnitentia & viaticum ei non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura.

VIII.

Decrevimus, ut si quis in clericum vel in monachum violentas manus injecerit, anathemati subjaceat, & nullus episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico præsentetur aspectui.

IX.

Innovamus, ut si quis pro vindicta vel odio ignem apposuerit, vel apponi fecerit, non absolvatur, nisi damno, cui intulerit, secundum facultatem suam resarcito, juret se ulterius ignem non appositurum: & pœnitentia ei detur,ut Hierosolymis, aut in Hispania, in servitio Dei per annum pœniteat.

X.

Præcipimus, ut pro chrismatis & olei sacri & sepulturæ acceptione, nullum precium exigatur.

XI.

Præcipimus, ne conducticiis presbyteris ecclesiæ committantur.

Nota Severini Binii.

Epistola sub nomine Eugenii papæ II. a pseudoconventu Parisiensi ad Michaelem imperatorem de cultu imaginum rescripta, extat in illo pseudolibello synodi Parisiensis, qui anno 1596. sine ulla mentione auctoris, & loci unde acceptus esset, emissus est in lucem ex typographia Vvecheliana Francofurtensi: cujus illa fidei & auctoritatis sit, infra dicetur.

CONVENTVS PARISIENSIS DE IMAGINIBVS,

Apud Parisios in palatio Kalendis Novembris habitus anno Christi DCCCXXIV. *Eugenii papæ II. anno* 1. *Ludovici Pii Augusti* XI.

Anno Christi 824.

Notæ Severini Binii.

Acta pseudosynodi, quæ incerto & innominato auctore anno domini 1596 nulla facta mentione loci ubi inventa vel unde accepta fuerint, in lucem prodierunt, tamquã spuria & illegitima, vel saltem de fide suspecta, nequaquam huic editioni inserenda esse putavi. Refutationem eorum sex capitibus distinctam edidit reverendissimus & illustrissimus cardinalis Robertus Bellarminus in appendice ad tractatum de cultu imaginum. Quæ cum omni ex parte elaboratissima sit integram hic lectori exhibendam esse judicavi.

REFVTATIO

REFUTATIO LIBELLI QUI FALSO *synodus Parisiensis inscribitur.*

ANNO 1596. prodiit Francofurti libellus cum hoc titulo: *Synodus Parisiensis de imaginibus anno Christi DCCCXXIV, ex vetustissimo codice descripta, & nunc primum in lucem edita.* Hoc autem præsenti anno, cum mihi is libellus ab amico ostensus esset, animadverti continuo, nec vere synodum esse, nec scriptum luce dignum. Quare, ne forte inscriptio fallat incautos, operæ precium me facturum existimavi, si libellum brevissime confutarem.

CAPUT PRIMUM.

PRINCIPIO igitur non esse synodum ullam Parisiensem, quæ hoc libello contineatur, argumento esse potest, quod nulla in eo conspiciantur decreta, nulli canones, nulla extet episcoporum subscriptio, nulla synodi mentio. Sed & ipse libellus aperte redarguit sui tituli vanitatem. Sic enim legimus pag. 126. *Nos non synodum congregando, sed quemadmodum a vobis postulavimus, licentiamque agendi percepimus, una cum familiaribus nostris, filiis vestris, quantum pro multiplicibus regni diversis occupationibus impediti per intervalla potuimus, considerare studuimus, quid almitati vestræ de tanta necessitate significare potuissemus.*

Ac, ut verborum istorum sententia intelligatur, totius libelli argumentum exponemus. Scripsit Michael Balbus imperator Græcus ad Ludovicum Pium imperatorem Latinam epistolam bene longam, in qua post alia multa, significavit ecclesiam propter imagines Christi & sanctorum in duas partes esse divisam, cum alii adorandas, alii non adorandas esse contenderent, & simul petiit, ut Ludovicus in occidente operam daret, ut sublato superstitioso cultu imaginum, ecclesia pacem & unionem recuperaret.

Ludovicus his literis acceptis a summo pontifice facultatem obtinuit convocandi viros aliquot doctos, qui veterum patrum testimonia de cultu imaginum diligenter colligerent. Quo facto scribi jussit epistolam, quam nomine summi pontificis, ipso consentiente pontifice, cui primum ostendenda erat, ad Michaëlem imperatorem dirigere cogitabat. Deniq; tum epistolam prædictam, tum aliam a se ad ipsum pontificem, qui Eugenius dicebatur, proprio scriptam per duos episcopos misit.

Hæc igitur quinque in libello nuper edito continentur: primum, epistola Mihaelis Balbi ad Ludovicum Pium Caroli magni filium. Secundo, collecta testimonia ex veteribus patribus, quibus probatur imagines neque frangendas esse, ut volebant Iconomachi, neque colendas, ut synodus Nicæna II. statuerat. Tertio, epistola summi pontificis nomine scripta a Francis doctoribus ad Michaelem imperatorem, qua docetur imagines neque injuria afficiendas esse, neque etiam adorandas. Quarto, epistola Ludovici imperatoris ad Eugenium pontificem ejus nominis secundum, qua eum hortatur ad legationem in Græciam mittendam, & ecclesiam pacificandam. Quinto, epistola ejusdem Ludovici ad Ieremiam & Ionam episcopos, quos Romam ad summum pontificem mittit, eosque instruit, quemadmodum prudenter cum pontifice se gerere debeant, ut eum ad suam sententiam pertrahant.

Ex his promptum erit intelligere fucum facere voluisse eos, qui hunc libellum specioso nomine synodi Parisiensis ornare voluerunt; qui quidem causam Iconomachorũ juvare & catholicę fidei detrimentum aliquod afferre conati sunt; sed, Deo juvante, mox efficiemus, ut oleum & operam se perdidisse doleant.

CAPUT SECUNDUM.

NAM, ut ad epistolam Michaelis, quæ primam partem libelli occupat, veniamus, ea quidem plena videtur religiosi studii, ut si quis aliunde quis iste Michael fuerit ignoret, arbitretur eum unum ex optimis & Christianissimis principibus fuisse.

Sed extant annales publici Ioannis Zonaræ, Georgii Cedreni, & aliorum, qui res gestas Græcorum principum literis mandaverunt. Ex his cognoscere licet Michaelem nonsolum cognomine, sed etiam reipsa Balbum, virum fuisse impium & scelestissimum, quippe qui magis Hebraicæ superstitioni quam Christianæ religioni addictus esset: qui resurrectionem carnis pernegaret, & ob id prophetas & apostolos, qui eam prædicaverant, irrideret: qui fornicationem licitam esse diceret, & sacrum cælibatum adeo contemneret, ut e monasterio sanctimonialem jam Deo sacram sibi conjugem deligeret: qui septimam synodum œcumenicam, atque ab Hadriano pontifice maximo ap-

A probatam respueret, qui sacras imagines nullo honore dignas arbitraretur; qui Iconomachis impense faveret, & Constantinum Copronymum Iconomachorum principem sibi præter cæteros imitandum proponeret; qui sanctum Euthymium, sanctumque Methodium, aliosque pios veritatis defensores, vel exilio, vel carcere, vel morte mulctaret.

Hic igitur est ille Michael, qui ovinam pellem indutus, cum esset revera lupus rapax, quasi fidei zelo accensus, nihil aliud optare se fingit, nisi ecclesiæ reformationem & pacem. Sed quemadmodum in illa ipsa epistola deplorat necem Leonis imperatoris, cui proxime ipse successit, quē dicit ab improbis quibusdam conjuratione facta misere necatum, cum satis aperte constet ex auctoribus supra citatis ipsum eumdem Michaelem conspirationis principem fuisse, sic etiã pie queri videtur, ecclesiã ob dissensiones de cultu imaginũ esse divisam; cum ipse potissimũ dissensionis

B & divisionis auctor esset, qui synodum generalē, quę dissēsiones sustulerat, rejecisset, & Iconomachiam propagare studeret: & non contentus dissensionibus orientalibus, in occidente quoque dissensiones serere ac propagare satageret.

Quod vero in extrema epistola catholicos reprehendit, quod vivificam crucem despiciant, quod imagines ut deos quosdam adorent, quod eis sacrificia offerant, quod ab eis nescio quo artificio de sacro fonte suscipi, & sacram communionem percipere velint, deniq; quod alias id genus superstitiones vel ineptias in cultu sacrarũ imaginum ostendant, meræ calumniæ atq; imposturæ sunt, neque mirabitur ejusmodi mendacia Græcum imperatorem in sua epistola ad Latinos longe positos scribere potuisse, qui cogitare voluerit, quam crassa & quam incredibilia mendacia nostri temporis hæretici de catholicis in vicinis locis degentibus fingant.

Sed ex concilio Nicæno secundo verē legitimo & œcumenico, velit nolit Michael Balbus, illis ipsis temporibus

C celebrato, luce solis clarius effici potest, illa esse commenta fraudesque hæreticorum. Docuit enim concilium illud, cui catholici omnes assentiebantur, imaginibus sacris deberi quidem suam venerationem, sed non majorem quam vivificæ cruci, neq; illis ullomodo sacrificandum esse, neq; eas cultu latriæ, qui Deo est proprius, adorandas. Legatur synodus, & imposturæ subito evanescent.

Quę cum ita sint, vel Franci, qui Ludovico imperatori a consiliis erant, fidem habuerunt literis Michaelis, vel non habuerunt. Si fidem habuerunt circumventi sunt, atque decepti: si fidem non habuerunt, abusi sunt literis illis ad permovendum summum pontificem, ut majorum suorum acta rescinderet, & synodum Nicænam ab Hadriano approbatam improbaret ipse atque damnaret.

Sed sive decepti fuerint, sive decipere voluerint, nihil

D attinebat istum vel errorem vel istud scelus ipsorum orbi terrarum prodere, præsertim cum non sine causa majores nostri libellos ejusmodi, qui nihil utilitatis, detrimenti autem plurimum, afferre poterant, libenter delitescere passi sint.

CAPUT TERTIUM.

VENIO nunc ad ea testimonia quæ pauci illi viri a Ludovico imperatore vocati ex veterum monumentis collegisse se dicunt, multis enim nominibus viri illi peccasse videntur, ac primum quidem ante collectionem satis audacter judicium sibi de scriptis apostolicis desumpserunt, nec solum de pontifice, sed etiam de generali synodo a pontifice approbata temere judicarunt. In qua re longe superarunt peccatum auctoris illius, qui nomine Caroli Magni librum edidit adversus cultum sacrarum imaginum. Ille enim (quod etiam patres concilii Francofordiensis fecerunt) Nicænam synodum secundam impro-

E bavit, quoniam celebratam fuisse existimavit sine consensu apostolicæ sedis. At consiliarii isti Ludovici imperatoris, quorum scripta discutimus, fatentur synodum pro cultu imaginum, id est Nicænam secundam, ab Hadriano summo pontifice coactam, & probatam, & tamen tum ipsam synodum, tum epistolam eiusdem Hadriani ad Constantinum imperatorem pro cultu imaginum, & rursum defensionem eiusdem synodi ab Hadriano ad Carolum missam examinare, dijudicare, reprehendere non verentur.

Hæc enim sunt ipsorum verba pagina 19. *Primum epistolam domini Hadriani papæ, quam pridem pro imaginibus erigendis Constantino imperatori & Helenæ matri ejus ad eorum deprecationē in transmarinis partibus direxit, coram nobis legi fecimus, & quantum nostræ parvitati res patuit, sicut juste reprehendit illos qui imagines sanctorum temerario ausu in illis partibus confringere & penitus abolere præsumpserunt, sic indiscrete nescitur fecisse, in eo quod superstitiose eas adorari jussit, pro qua etiam causa synodum congregari præcepit.* Et

ANNO CHRISTI 824.

infra pagina 21. de defensione Nicænę synodi ab Hadriano edita sic loquuntur : *Per singula capita in illorum excusationem respondere qua voluit, non tamen qua docuit, conatus est*, &c.

Ita nimirum judicem suum & totius mundi judicare, pastorem omnium Christi ovium pascere, & doctorem universorum docere non erubuerunt ; qua temeritate nulla major cogitari potest.

CAPUT QUARTUM.

SED fortasse nova aliqua atque recondita testimonia rêpererunt, quibus freti resistere in faciē apostolico prę̄suli non reformidarunt. Imo vero notissima & vulgaria, & quæ nihil ad rem faciant, sine ulla ratione vel ordine collegerunt.

Ac, ut exempli gratia pauca discutiamus, primum testimonium sumunt ex libro sancti Augustini de hæresibus, ubi legimus Simonem magum jussisse imaginem suam, & B Helenæ meretriculæ suæ a discipulis adorari. Atque hanc esse dicunt primam originem adorandarum imaginum. Quasi vero, si de falso cultu agitur, non ante Simonis tempora vituli aurei ab Hebræis, & simulacra hominum mortuorum a Gentilibus adorata fuerint. Sed ecclesia catholica non discit cultum rerum sacrarum ab hostibus suis, & si ex eo testimonio liceret colligere non esse Christi & sanctorum imagines venerandas, licebit eadem ratione colligere, ne ipsum quidem Christum ullo honore dignū esse : propterea siquidem impium erat Simonis & Helenæ imagines colere, quod Simon & Helena indignissimi essent qui colerentur.

Sed ridicula plane sunt quæ ex epistola 56. ejusdem Augustini ad Dioscorum testimonia desumpserunt. Ridicula, inquam, si ad id de quo agimus referantur. Quæ namq; sanctus Augustinus disputat de imaginibus, quæ a corporibus defluentes in animum penetrant, ut per eas C aliquid cernamus, vel cogitemus, eo proferunt isti ad probandum non esse Christi & sanctorum imagines depictas vel sculptas ullo modo colendas. Quæ quam bene cohæreant cum præsenti disputatione, lectoris esto judicium.

Quid? quod plurima testimonia, quæ summus pontifex Hadrianus in epistola illa sua doctissima pro imaginibus posuit, isti rursum allegant, qui contra imagines pugnant.

Quod vero dicunt, & nonnullis etiam testimoniis probare nituntur, non esse consuetudinem, vel annorum numerum, aut quamlibet vetustatis auctoritatem præferendam veritati ; tunc recte diceretur, si probari posset cultum, quem ecclesia catholica imaginibus exhibet, ex manifesto errore, non ex certa veritate descendere. Sed cum de re aliqua litigatur, multum valere consuetudinem, D & venerandam esse antiquitatem, ne ipsi quidem negare possunt : quorsum enim tantopere laborarunt in evolvendis antiquitatis monumentis, si nullum probabile argumentum ex antiquitate peti potest? Nonne vident se hoc suo facto contra sua verba pugnare? & reipsa destruere quod verbis adstruere nitebantur? Certe si liberet testimonia sancti Augustini, sancti Basilii, aliorumq; veterum patrum in medium afferre, quibus ipsi ex antiquitate vel ecclesiæ consuetudine probant ecclesiastica dogmata, nullus finis esset.

Sed quod superat omnem admirationem, illud est, quod multa testimonia proferunt pro adoratione crucis, & cum rationem reddere volunt, cur signum, vel lignum crucis adorandum sit, & imagines Christi non sint adorandæ, dicunt eam esse causam, quia Christus in cruce suspensus fuit, non in imagine : & quia per crucem nos redemit, non per imaginem. Quod si refellere voluero, ne nimiæ tarditatis lectores existimare videar. Certe enim Christus non in signo crucis, quod in pariete, vel E in tabella, vel in ære pingimus, suspensus fuit, neque etiam in ligneis illis crucibus quæ passim cernuntur & adorantur in ecclesiis, sed in illa una cruce, cujus ista nostra signa, quæ pingimus, vel erigimus, imagines sunt. Cum ergo liceat per adversarios crucis imaginem colere, cur imaginem Crucifixi colere non licebit? & si jure crucis adoramus imaginem, quia per crucem redempti sumus a Christo, quæ causa fingi potest cur non jure coli possit imago Christi, qui proprie nos redemit?

At, inquiunt, nihil manu factum colere fas est. Quid igitur? Lignum vel signum crucis non est manufactum? Codex euangeliorum, & sacra vasa, quæ horum opinione veneranda sunt, quid sunt aliud nisi opera manuum humanarum? Et tamen verum est, nihil manufactum esse colendum eo genere cultus, quo Deus ipse, qui omnino non est factus, sed omnium rerum factor, colendus est.

Quare poterant collectores isti maximam partem te-A stimoniorum quæ attulerunt omittere ; quoniam iis nihil probatur aliud, nisi solum Deum esse colendum cultu latriæ sibi uni proprio, & non esse imagines ita adorandas, ut etiam sacrificia illis offerantur ; quæ neque nos negamus, neque sancta Nicæna synodus negavit.

ANNO CHRISTI 824.

Ac ut videas, Lector, quantas vires veritas habeat, ipsi quoq; qui eam oppugnant non raro vel inviti vel imprudentes eam tuentur. Id accidit collectoribus nostris : nam inter alia testimonia colligunt etiam nonnulla, ut probent imagines non esse frāgendas, vel injuria afficiendas. Sed in iisdem testimoniis non habetur solum quod ipsi volunt, imagines videlicet non esse afficiendas injuria, sed habetur etiam quod nolunt, afficiendas honore, quod quidem illi collectores aliquando viderunt, & textum audacter corruperunt ; aliquando viderunt, & testimonium contra se in ipso suo libello imprudentes reliquerunt.

Prioris rei exemplum habes actionē 6. septimæ sy-B nodi, ubi allegatur sanctus Gregorius, qui in epistola 5. lib. 7. ad Ianuarium reprehendit acriter nonnullos, qui beatæ Virginis imaginem, & crucem dominicam contumeliæ causa ad Iudæorum synagogam detulerunt : & mandat Ianuario episcopo, ut sublatam ex eo loco cum ea qua dignum est veneratione imaginem atq; crucem in ecclesiam referat. Hic boni collectores nomen imaginis simpliciter deleverunt vel omiserunt, ne viderentur contra eorum dogma non solum crux, sed etiam imago beatę virginis veneranda, nisi forte librariorum errore nomen imaginis sit omissum.

Iam vero ejusdem synodi actione sexta paulo post adscribunt hæc verba ex epistola synodica Gregorii papæ : *Nos non ob aliud nomen imagines facimus, & adoramus, sed pro nobis incarnato Verbo Dei*, &c. Audisne, collector, vocabulum, adoramus? & tamen a se hoc testimonium prolatum est. Sed habemus cla-C riora.

Paulo infra ponuntur hæc verba ex libro sancti Basilii ad Amphilochium de Spiritu sancto cap. 17. *Imaginis honor ad primam formam transit*, &c Ecce tibi rursus honorem imaginis. Sed ad clarissima veniamus.

Paulo post afferuntur hęc alia verba ex epistola ejusdem magni Basilii ad imperatorem Iulianum. *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum sanctum, unum Deum, hæc tria adoro & glorifico. Confiteor autem & Filii incarnati dispensationem, & Dei genitricem, qua secundum carnem eum genuit, sanctam Mariam ; suscipio vero & sanctos apostolos prophetas & martyres, & ad Deum deprecationem, qua per eos propitium mihi efficit misericordissimum Deum, pro quo & figuras imaginum eorum honoro & adoro, specialiter hoc traditum est a sanctis apostolis, & non prohibitum. sed in omnibus ecclesiis no-D stris eorum designari volo historias*, &c Quid audimus? Sanctus Basilius magnus ab adversario advocatur testis, & vere testis est omni exceptione major. Is vero palam affirmat se honorare & adorare apostolorum, prophetarum, & martyrum imagines. Idque affirmat, dum fidei suæ confessionem edit, ac de rebus non dubiis aut verisimilibus, sed certissimis & exploratis loquitur. Addit vero id ab apostolis traditum, & ab omni ecclesia susceptum, & observatum. Quid quęso responderi potest? Auctor gravissimus aperte loquitur, & ejus testimonium ab adversariis profertur. Neque desunt alia testimonia similia in eodem libello, Athanasii, Germani, Leontii, & aliorum, quæ imprudenter ab adversariis contra se, & pro nobis, hoc est pro cultu sacrarum imaginum proferuntur. Sed ego brevitati studeo, neq; libenter in his refellendis ineptiis tempus tero.

CAPUT QUINTUM.

E SEQUITUR pars tertia, id est epistola Eugenii papæ ad Michaelem & Theophilum ejus filium imperatores, quam epistolam iidem collectores scripsisse videntur : neque enim Eugenius ullam talem epistolam scripsit, sed (ut supra diximus) scripta fuit, ut nomine pontificis mitteretur, si ipse probaret. In qua re cogimur desiderare prudentiam collectorum : qua enim fronte Romano pontifici pręscribere ausi sunt, quid ipsum scribere oporteret? qua vero fiducia sperare potuerunt, Romanum pontificem scripturum ad Græcum imperatorem contraria iis quæ prædecessores ejus non semel scripserant?

Sed videamus, si placet, paulo diligentius, an epistola illa summum pontificem deceat. Omitto autem quod in hoc libello epistola illa caret principio, quod peccatū non primo auctori, sed ei qui nunc demum post tot sęcula libellum hunc in lucem edidit, tribuendum videtur. Nihil etiā quod epistola verbosa est admodū obscura, barbara, imperita: detur enim hoc tēpori. Taceo deniq; quod dū co-

natus

natur tollere repugnantiã quæ in verbis Gregorii esse videbatur, tanto se magis involvit, quanto magis conatur evolvere. Sed tria quædam tacitus prætcrire non possum. Primum enim facit hęc epistola pontificem summum, adulatorem imperatoris imprudentissimum, dum ita loquitur: *O venerandi mundi principes, cum universa sancta Dei quam domino disponente & committente gubernatis, ecclesiæ.* Et infra, *propter adunandam quam domino Deo ordinante regitis, ecclesiam.* Quæ fœdior adulatio? Michael Balbus interfecto legitimo imperatore, cum esset ipse pro sceleribus suis jam morti adjudicatus, tyrannice invasit imperium, & pontifex maximus affirmabit, Deo disponente, committente, & ordinante, hunc ipsum Balbum gubernacula suscepisse, non solum imperii, sed etiam ecclesiæ. Et si ecclesia Dei ab ipso Deo gubernanda imperatori tradita est, quid faciunt in ecclesia episcopi? quid ipse summus pontifex? *Imperator* (inquit sanctus Ambrosius) *in ecclesia est, non supra ecclesiam; filius ecclesiæ, non rector; ovis, non pastor.* Et sanctus Ioannes Chrysostomus diacono suo dixit: *Si is qui diademate coronatur indigne adeat ad sacra mysteria percipienda, cohibe, & coerce: majorem tu illo habes potestatem.*

Deinde in eadem epistola non semel repetitur hoc argumentum: *Si nulla unquam picta vel ficta fuisset imago, nihil periret de fide, spe, & caritate, quibus ad regnum pervenitur æternum.* Et tamen propter imagines orta est dissensio & divisio in ecclesia, turbata pax, caritas violata: & non animadvertunt, qui eam epistolam nomine summi pontificis scribunt, eo argumento non solum effici (si quid tamen efficitur quod mox videbimus) imagines omnino de medio esse tollendas, quod ipsi nolunt. Nec tamen argumentum illud aliquid valet.

Quamvis enim nihil periret de fide, spe, & caritate, si nulla picta vel ficta esset imago, tamen quando picta vel ficta est, peccat in fidem, qui eam negat esse venerandam, quoniam honor imaginis ad prototypum refertur, quod venerandum esse fides docet, & adversarius non negat. Et potest hoc ipsum similitudine illustrari. Si libellus aliquis divinæ scripturæ, ut epistola ad Philemonem, non extaret, nihil deperiret de fide, spe, & caritate: & tamen quia nunc extat, qui eam negaret esse cum veneratione suscipiendam peccaret in fidem, & si propterea dissensiones orirentur, non esset epistola abjicienda, sed imperitia diffidentium coarguenda, & instruenda.

Postremo in eadem illa epistola reprehenditur Constantinus, & mater ejus Irene, quod edicto suo jusserit sacras imagines juxta concilii generalis decretum, cum veneratione esse habendas. Quæ sane reprehensio a summo pontifice, nisi plane amente, scribi non potuit. Quid enim? Hadrianus papa Constantinum & Irenen summis laudibus effert, quod sacrarum imaginum religioso cultui faveant, & Hadriani successor Eugenius eosdem imperatores ob causam eandem reprehendet? & quę major stultitia fingi potest, quam ut summus pontifex moleste ferre se dicat, quod ab imperatore decreta conciliorum generalium a sede apostolica approbata serventur ac defendantur.

Sed si parum prudentes collectores fuerunt, non fuit inconstans apostolicæ sedis antistes: permansit enim in iis quæ prædecessores non sine magna deliberationis maturitate statuerant. Nam neque Eugenius eam epistolam misit: & paulo post Hadrianus II synodum œcumenicam octavam Constantinopoli celebrandam curavit, in qua synodus septima de cultu imaginum iterum approbata est. Denique Anastasius bibliothecarius Romanus in præfatione VII. synodi ad Ioannem VIII. pontificem, qui Hadriano II. proxime successerat, scribit in eadem sententia fuisse omnes Romanos pontifices. *Quæ*, inquit, *super venerabilium imaginum adoratione præsens synodus docet, hæc & apostolica vestra sedes, sicut nonnulla scripta innuunt, antiquitus tenuit, & universalis ecclesia semper venerata est, & hactenus veneratur, quibusdam duntaxat Gallorum exceptis, quibus utique nondum est horum veritas revelata.*

CAPUT SEXTUM.

RESTAT pars ultima, hoc est epistola Ludovici imperatoris ad Eugenium pontificem, & altera ejusdem Ludouici ad Ieremiam & Ionam episcopos: in quibus nihil observandum occurrit, nisi quod in eis quædam dicuntur, quæ redolere videntur fraudes recentium hæreticorum. Vnde venit in mentem suspicari, ne forte vel totus hic libellus sit confictus, vel, quod est credibilius, depravatus, & auctus ad invidiam Romanæ ecclesiæ conciliandam.

Sed sive sit verus liber, sive confictus, sive partim sincerus, partim adulterinus, illud unum constat non esse librum dignum in quo legendo tempus conteratur. Titulus falsus, dictio barbara, sententiæ insulsæ, ordo perversus, eorumdem testimoniorum crebra repetitio, facile potuissent persuadere typographo, si is commune commodum, & non proprium lucrum spectasset, ut sibi ab edendo ejusmodi opere temperaret. *De eadem pseudosynodo Parisiensi plura scribit Baronius annis 824. & 825.*

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

Cum ad Ludouicum Pium venissent hoc anno Michaelis & Theophili Græcorum imperatorum legati, atq; inter cetera discidium exposuissent, quod in ecclesia orientali propter imagines versabatur, quas alii adorandas, alii non adorandas esse contenderent, seq; hac de causa Romã etiam ac pontificem ituros significassent; Ludovicus pacis componendæ studio episcopos, pontificis permissu, Parisiis in palatio convenire, sanctorumq; patrum de imaginibus sententias colligere jussit, quæ pontifici ad rem definiendam adjumento, ut ajebat, futuræ viderentur. Hanc illorum collectionem, cum epistola, quam Eugenii papæ ad eosdem imperatores nomine concinnarant, cum accepisset Ludovicus, utramque mox Romam misit ad Eugenium, cum altera privata epistola sua, quam nos solam hoc loco cum subdito ad episcopos Romam missos commonitorio edendam censuimus, ceteris quæ in hujus conventus actis continentur prætermissis, quod Gallorũ ejus sæculi ab imaginum adoratione, ut alias dictum est, abhorrentium hęresim redoleant. Nam ut de aliis nihil dicatur, in quibus Hadriano papæ & synodo Nicenę iniquiores sunt, in ista sua collectione sanctorum patrum sententias eo detorquere conantur, ut imagines indebito, ut videri volebant, cultu adorandas non esse statuant: & Eugenium in epistola ita scribentem faciunt, ut de imaginibus, easne habere vel non habere, adorare vel non adorare placeat, liberum cuiq; in ecclesia permitti velit; quasi hæc in mentem summo pontifici venire, aut illi persuaderi a se posse confiderent. His igitur prætermissis, quæ absurda sunt, ideoque a Bellarmino & Baronio maximis cardinalibus accurate refutata, atque a Gallis postea ipsis, mutato consilio, receptaq; imaginum veneratione damnata, reliquum est ut Ludovici ad Eugenium epistolam audiamus.

EPIST. LUDOVICI PII IMPERATORIS AD EUGENIUM II. PAPAM,

Per Ieremiam Senonensem & Ionam Aurelianensem episcopos missa cum actis conventus Parisiensis.

Sanctissimo ac reverentissimo domno & in Christo patri Eugenio summo pontifici & universali papæ Hludovicus & Hlotarius divina ordinante providentia imperatores Augusti, spiritales filii vestri, sempiternam in domino nostro Iesu Christo salutem.

QVIA veraciter nos debitores esse cognovimus, ut his quibus regimen ecclesiarum, & ovium dominicarum cura commissa est, in omnibus causis ad divinum cultum pertinentibus, opem atque auxilium pro qualitate virium nostrarum, & intellectus nostri capacitate feramus; idcirco prætermittere nequivimus, quin tunc, quando legati Græcorum nobis manifestaverunt, qualem ad vos deberent perferre legationem, summa cura ac solicitudine tractaremus, quale vobis adjutorium in hoc negotio cum Dei auxilio exhibere potuissemus. Et ob hoc a vestra sanctitate petivimus, ut sacerdotibus nostris liceret de libris sanctorum patrum sententias quærere atque colligere, quæ ad eamdem rem pro qua iidem legati vos consulturi erant veraciter definiendam conuenire potuissent. Quas cum illi juxta concessam etiam a vobis licentiam solerter inquirerent, & divina opitulante gratia quidquid invenire tam brevi temporis spatio potuerunt collegissent, nobis ea perlegenda dire-

ANNO CHRISTI 824.

direxerunt. Quibus perlectis, ea vestræ sanctitati A legenda atque examinanda per hos legatos nostros, Ieremiam scilicet & Ionam venerabiles episcopos, mittere curavimus. Cum quibus, si vestra paternitas dignum duxerit, de eadem legatione quæ in Græciam a vobis mittenda est, non inutilem, sed potius proficuam collationem habere potestis; quia & in sacris sunt literis admodum eruditi, & in rationibus disputatoriis non minimum exercitati. Quos non ob hoc ad vestræ almitatis præsentiam, cum memoratis sententiarum collectionibus misimus, ut hic aliquo velut magisterii officio fungerentur, aut huc docendi gratia directi putarentur: quia sicut jam commemorati sumus nos debitores existere, B ut huic sacratissimæ sedi in quibuscumque negotiis auxilium ferre debeamus, ideo & hos missos, & quas deferunt literas, si quid vobis adjutorii conferre potuissent, mittere dignum duximus. Hos vestræ sanctitati commendamus, ut benignam apud vos receptionem, & familiariter vobiscum loqnendi locum inveniant. Novit quippe sanctitas vestra, qualiter populus Græcorũ in hac imaginum veneratione divisus sit. Ideo rogamus, ut almitas vestra curam & diligentiam adhibere dignetur, quomodo per vestram saluberrimam doctrinam, atq; admonitionem, magis ad concordiam & unitatem revocetur, quam propter hoc ad majorem discordiam & dissensionem C impellatur. Et ideo cautissime considerare debetis, ut legatio vestra, quam illuc dirigere disponitis, tanta prudentia, tantoq; moderamine suffulta sit, ut a nemine Græco neque Romano juste valeat reprehendi: sed talis sit, qualem semper decet in omnibus causis ab ista sacratissima sede proficisci. Et si vestræ sanctitati placet, ut pro hac ipsa legatione missi nostri simul cum vestris illas in partes dirigantur, & hoc nos tempore congruo scire permittite. Et non solum hoc, sed etiam si ituri sunt, ubi & quando cum vestris missis se jungere debeant. Non ideo tamen de nostris missis illuc dirigendis interrogamus, quasi necessarium nobis D videatur, aut nos vestros missos hanc legationem per se perficere dubitemus: sed potius propter hoc eos vobis offerimus, ut sciatis nos in omnibus esse paratos, quæ hujus sacratissimæ sedis necessitas aut voluntas postulaverit. Optamus sanctam & venerabilem ac piam paternitatem vestram semper in Christo bene valere, & nostri ac nostrorum omnium in sacrosanctis orationibus meminisse, sanctissime ac beatissime pater

LVDOVICI PII AVGVSTI COMMONITORIVM IEREMIÆ ET IONÆ episcopis, cum ab eo legati Romam irent ad Eugenium.

Ieremiæ & Ionæ venerabilibus episcopis in domino salutem.

VENERVNT ad præsentiam nostram Halitgarius & Amalarius episcopi, VIII. Idus Decembris, deferentes collectiones de libris sanctorum patrum, quas in conventu apud Parisios habito simul positi collegistis, quas etiam coram nobis perlegi fecimus. Et quia placuerunt, & ad id propter quod collectæ sunt necessariæ atq; utiles a nobis judicantur, sub omni celeritate censuimus dirigendas. Idcirco admonendo præcipimus solertiæ vestræ, ut priusquam de his aliquid domno apostolico indicetis, diligenti cura eadem vos recensere curetis, & ea quæ melius & aptius præsenti negotio convenire inveneritis, excerpere atq; describere, illiq; ad legendum offerre studeatis. Quia enim, ut nostis, nos ab eo petere voluimus licentiã, quatenus has collectiones a sacerdotibus nostris fieri permitteret; ideo nõ poterit prætermitti, quin ostendatur quod ex ipsius permissione collectum est. Illud tamen summopere prævidete, ut ea de his ostendatis, quæ rationi de imaginibus habẽdæ per omnia conveniant, & quod ipse vel sui rejicere minime valeant. Sed & vos ipsi tam patienter ac modeste cum eo de hac causa disputationem habeatis, ut summopere caveatis, ne nimis ei resistendo eum in aliquam irrevocabilem pertinaciam incidere compellatis: sed paulatim verbis ejus quasi obsequendo magis quam aperte resistendo ad mẽsuram, quæ in habendis imaginibus retinenda est, eum deducere valeatis. Et ideo potius efficere contendatis, ut negotium de quo agitur ad meliorem quam ad pejorem statum cum Dei adjutorio perducatur. Postquam vero hanc rationem de earumdem imaginum causa consummaveritis, si tamen hoc ad nihilum Romana pertinacia permiserit, ut ratio inter vos habita aliquo bono & convenienti fine claudatur, & ille vobis indicaverit quod legatos suos ob eamdem causam in Græciam mittere velit, volumus ut eum interrogetis, si ei placeat, ut nostri legati pariter cum suis in Græciam pergant. Et si hoc ei melius visum fuerit, seq; hoc omnino velle responderit, tunc volumus, ut sub omni festinatione literis vestris a vobis ad nos directis nos inde certos faciatis, simulque & de vestro adventu ad nos, ut eo tempore, quo vos ad nostram veneritis præsentiam, Halitgarium & Amalarium nobiscum inveniatis. Vos autem cum domno apostolico considerate, ubi ille vel quando velit, ut sui ac nostri legati ad naves conscendendas se jungere debeant, & hoc nobis per vosmetipsos, cum Deo volente veneritis, annuntiare potestis.

"** EX CONSTITVTIONIBVS HLOTARII IMPERATORIS SVB EVGENIO II. papa gestis in atrio beati Petri apostoli, anno Christi DCCCXXIV."

"Ex editione Romana Lucæ Holstenii pag. 208. tom. II

Ex collectione canonum Card. Deusdedit lib. I. cap. CCXLII. & seqq.

CAP. I. CONSTITVIMVS ut omnes qui sub speciali defensione domni apostolici seu nostra fuerint suscepti, impetrata inviolabiliter utantur defensione. Quod si quis in quocunque violare præsumpserit, sciat se periculum vitæ suæ incursurum. Nam & hoc decernimus E ut domno apostolico in omnibus justa servetur obedientia, seu ducibus & judicibus suis ad justitiam faciendam.

II. Vt deprædationes quæ hactenus fieri solebant, nullo modo fiant, neque vivente pontifice, neque defuncto. Si quis vero ulterius hoc fecerit, sciat se legali sententia condemnandum. Quæ vero retro factæ sunt, legaliter emendentur.

III. In electione autem Romani pontificis nullus sive liber, sive servus præsumat aliquod impedimentum facere. Sed illi solummodo Romani, quibus antiquitus concessum est constitutione sanctorum patrum, sibi eligant pontificem. Quod si quis contra hanc nostram constitutionem facere præsumpserit, exilio tradatur.

IV. Volumus etiam, ut missi constituantur a domno apostolico & a nobis, qui annuatim nobis renuncient, qualiter singuli duces & judices justitiam populo faciant, & quomodo nostra constitutio servetur. Decernimus itaque, ut primum omnes clamores, qui negligentia ducum aut judicum fuerint, ad notitiam domni apostolici referantur, ut statim aut ipse per suos nuntios eosdem emendari faciat, aut nobis notificet, ut legatione a nobis directa emendentur.

V. Volumus etiam, ut omnis senatus & populus Romanus interrogetur, quali vult lege vivere, ut sub ea vivat: eisque denuntietur, quod procul dubio si offenderint contra eandem, eidem legi, quam profitebuntur, dispositione domni pontificis, & nostra omnimodis subjacebunt.

VI. De rebus, autem ecclesiarum injuste retentis sub occasione quasi licentia accepta a pontifice, volumus ut a legatis nostris in potestatem pontificis & Romanæ ecclesiæ celerius redigantur.

VII. Præcipimus etiam, ut deprædationes in confinio nostro non fiant; quæ factæ sunt, & cæteræ injustitiæ, secundum legem ab utrisque partibus emendentur.

VIII. Placuit etiam nobis, ut cuncti duces, & judices, sive alii, qui cæteris præesse debent, in nostram præsentiam dum Romæ sumus conveniant: volumus enim & numerum, & nomina scire, & singulis de ministerio sibi credito admonitionem facere.

IX. Novissime præcipimus & monemus, ut omnis homo, sicut Dei gratiam & nostram habere desiderat, ita præstet in omnibus obedientiam atque reverentiam Romano pontifici.

"** 1. *Hæc sunt capitula quæ domnus Lotharius rex instituere jussit.*"

scripsit eteri ... e R P. ondos: annum edita nesci sidec. alis cimus

I. De ecclesiis emendandis volumus ut ita observetis sicut in capitulare nostro quod ad *dolonā fecimus, & ubi in uno loco plures sunt destruantur. Quod si forte in aliquo loco sit ecclesia cōstructa, quæ tamē necessaria sit, & nihil dotis habuerit, volumus ut secundū jussionem domni, & genitoris nostri unus mansus XII. bunnariis de terra arabili ibi detur, & mancipia duo aut liberis hominibus, qui ad eandem ecclesiā officium Dei audire, ut sacerdos ibi possit esse, divinus cultus fieri. Quod si hoc populus facere noluerit, destruatur.

II. Sanguinis effusio in ecclesia facta cum fuste, si presbyter fuerit triplo componatur, duas partes eidem presbytero, tertiam pro fredo ad ecclesiam, insuper bannus noster. Similiter de diacono juxta compositionem ei in triplo cum banno nostro comprobatur. De subdiaconis similiter triplo secundum suam compositionē triplo persolvatur, insuper banno nostro. Similiter & de ictibus sine sanguinis effusione de uniuscujusque ordinis clero secundum suam compositionem triplo persolvantur, insuper banno nostro. Et qui non habet unde ad ecclesiā persolvat, tradat se in servitio eidem ecclesiæ, usque dum totum debitū persolvat.

III. Statuimus de presbyteris & diaconibus ecclesiasticis honore privatis ut redigantur sub pœnitentia sicut canones præcipiunt. Et si habet episcopus in sua parochia suum ministeriū ibi mittitur. Quod si ministerium non habuerit, tunc præcipiat episcopus, ut illi tales habeant in illa plebe, unde sunt, eligant sibi patronum quod de ipsis rebus victum & vestimentum eis ministret. Ipsi tamen nullam habeant licentiam vagandi aut discurrendi, sive ad placita, sive ad palatium, sive ad ipsas res quas proprias ante fecerint sine licentia sui episcopi. Sed in eodem loco ubi sicut constitutum est

A suam pœnitentiam jugiter agant. Quod si hoc non observaverint, primum verberibus coerceantur. Quod si nec sic se castigaverint in tali loco retrudantur, ubi velut sub pœnitentia vivant.

IV. Ut nullus ebrius suam causam in mallo possit conquirere. Nam testimonium dicere nec placitum comes habeat nisi jejunus.

V. De reclamatoribus vel causæ dicimus, qui nec judicium scabinorum acquiescere, nec blasphemare volunt, antiqua consuetudo servetur. Itē ut in custodia recludatur donec unum ex duobus faciant: & si ad palatium pro hac re clamaverint, & literas detulerint, non quidem eis credatur, nec tamen in carcere ponantur: sed cum custodia, & B cum ipsis literis pariter ad palatium nostrum remittantur, ut ibi discutiantur sicut dignum est.

VI. De conspirationibus quicumque facere præsumpserint, & sacramento quamcumque conspirationem firmaverint, triplici ratione judicentur. Primo, ut ubicumque aliquod malum per hoc perpetratum fuerit, auctores facti interficiantur. Adjutores vero eorum alter ab altero flagellentur, & nares invicem sibi præcidant. Ubi vero nihil mali perpetratum est, simili quidem inter se flagellentur, & capillos sibi vicissim detondeant. Si vero per dextras aliqua conspiratio firmata fuerit, si liberi sunt, aut juret cum idoneis juratoribus hoc pro malo non fecisse, aut si facere non potuerunt, C suam legem comp. Si vero in regno nostro, nulla hujusmodi conspiratio fiat, nec per sacramentum, nec sine sacramento.

VII. De oppressione pauperum liberorū hominū, ut non fiat a potentioribus per aliquod malum ingeniū contra justitiā oppressit, ita ut quod actione eorū se vendant aut tradant. Idē de liberis hominibus diximus, ne forte parentes contra justitiam faciant exheredatis, & regale obsequium minuatur, & ipsi heredes propter indigentiam mendici, vel latrones, seu malefactores efficiantur.

VIII. Si quis literas nostras dispexerit, idest tractoriam, quæ propter missos recipiēdos dirigitur, Lib 4 c. 3 aut honores quos habent dimittant, aut in eo loco ubi prędictos missos suscipere debuit tādiu resideat, & de suis rebus legationes illuc veniāt quousq; animo nostro satisfactū habeāt. Qui vero epistolā nostrā quocumq; modo dispexerit, jussu nostro ad palatium veniat, & juxta voluntatē nostram congruam stultitiæ suæ castigationem accipiat. Et si homo liber vel minister comitis hoc fecerit, honorem qualemcumque habuerit, sive beneficium amittat. Et si servus fuerit, inclusus ad palatium vapulet, & caput ejus tondeatur.

IX. Decernimus ut quisquis aliter testes habere non potuerit, volumus ut per comitis jussionem quos in suo testimonio necessarios quisque habuerit veritatem probaturi publico conventu adducātur. Ut ipsa rei veritas cū juramento valeat inquiri. Quod si de duabus partibus fuerit inquisitio facta, idcirco quod nullus eorū possit habere testes antequā jurent fuit inquisitio facta. Quod si omnes ad unam partē dixerint testimoniū, jurent verum dixisse testimonium. Quod si dissenserint, & quædam pars testium uni præbuerit testimonium, & alia alteri. Tunc interrogetur si audierit per pugnā illorū testimoniū approbare. Quod si nulla pars alteri cesserit, jurent & pugna probetur illorum testimonium. Quod si una pars se subtraxerit, tunc illa quę ausa fuerit contendere, recipiatur ad testimonium.

X. Quod per XXX. annos servus liber fieri non possit, si pater illius servus, aut mater ancilla fuit. Similiter de aldionibus præcipimus.

XI. Quod nullus cancellarius pro ullo judicato aut

aut scripto aliquid amplius accipere audeat, nisi dimidiam libram argenti de majoribus scriptis. De minoribus autem infra ipsam dimidiam libram quantum rex exposuit & judicibus rectum videtur accipiat. De orphanis autē & ceteris pauperibus qui exolvere hoc non possunt, in providentia comitis sit, ut nequaquā inde aliquid accipiat. Notarii autem hoc jurare debent, quod nullum scriptum falsum faciant, nec in occulto, nec scriptum aliquis faciat de uno comitatu in alio, nisi per licentiā illius comitis in cuius comitatu stare debet. Quod si aliter fecerit, inanis & vacuus appareat. Si vero necessitas evenerit itineris, aliquem capulaverit aut infirmitas gravis, secundum capitularem faciat domni nostri.

XII. Placuit nobis ut hæc capitula quæ excerpsimus de capitulis sanctæ memoriæ avi nostri Karoli, ac domini genitoris Ludovici imperatoris: ab omnibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris fidelibus in regno Italiæ consistentibus pro lege teneantur & conserventur. Et quicumque eorum capitulorum contemptor extiterit, LX solidorum multa comp. sicut in capitulis prædicti domni avi nostri Karoli continetur.

XIII. Placuit nobis de liberis feminis, quæ sibi servos copulant, sicut ad nostram regiam potestatem pertineant, ita volumus ut deinceps ad ipsos Lōgobardos pertineant ipsæ, & filiis suis & filiabus eorū.

XIV. Statutum est, ut si qua femina libera cum servo alterius se copulaverit, & parētes eius eā anni spatio ad vindictam non dederit, volumus ut curtis regia adquirat seipsa femina cum ipso servo annū & diem steterit, habeat eam cujus serva est, & filii qui ex ea nati fuerint sic servi sicut pater eorū.

XV. Statutum est, ut si quis liber homo uxorem habens liberam propter aliquod crimen aut debitum servitium alteri se subdidit, eademque conjux cum ipso manere noluerit, ipsorum procreatio, quæ tali conjugio fit, libertatis statum non amittat. Si vero ea defuncta secunda uxor, & tamen libera talis & sciens tulerit, iunxerit conjugio liberi eorum subdantur.

XVI. Si quis percusserit presbyter, id est sacerdos, comp. aurum optime libr. 10.

a DCCCXXVI *** In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis anno Incarnationis domini nostri Iesu-Christi*^a^..... *imperii nostri IV. indictione IV.*

PRÆFATIO.

DUM conventum fidelium nostrorum palatio nostro Ticinæ civitati convocaremus, & simul episcoporum & nobilium nostrorum consulta non solum ecclesiasticam utilitatem, & populi pacem vel salvationem, sed etiam totius regni statum perquirere studeremus, inter reliquos populus noster nobis quasdam petitiones obtulit, quas nos Dei amore, & eorum fidelitate ducti libenter suscepimus, atque ideo subter annotata capitula ad eorum utilitatem conscribi fecimus, quas in futurum pro lege tenenda firmamus.

I. De feminis quæ defunctis viris lex Longobardorum prohibet ante anni spatium vestem religionis mutare, velumque suscipere, petierunt nostra licentia eis mox divina pietas inspiraverat eas indemnes licere suscipere. Nos autem considerantes, quia præterita pro ipsa dilatione, multæ etiam raptu intra eodem spatio ad aliam partem distractæ fuerunt. Ideo & eorum petitionem, quam justam censuimus, suscepimus & eis ita fieri concedimus.

II. Nostræ majestatis reclamaverunt vel patris nostri super eos superfluas factas fuisse inquisitiones. Ideo eis concedimus abhinc in futurum nullas alias super eos fieri inquisitiones, nisi inde Karoli avi nostri tempore factæ fuerunt.

III. De liberis hominibus qui super alterius res resident, & usq; nunc administri rei publicę contra legem ad placita protrahebantur, & ideo pignerabantur; constituimus secundum legē patronos eorum ad placitum eos adducant. & si quis contra hanc nostram auctoritatem & eorum legem eos pignerare aut distringere præsumpserit, patroni omnia cum lege emendent, & insuper pro incauta præsumptione bannum nostrum componant.

IV. De homicidio inde lex pro simplicitate probationē trium testium quærit & testes habere non potuerit, concedimus, ut cum duodecim juratoribus juret & ab eadem simplicitate absolutus proprium non amittat.

V. Concessas deniq; petitiones vestras consideravimus, etiam ea quæ ad nos jam pridem pervenerunt, & ad resecandas malorū insidiationes hisdem adjungere capitulis id est: Si quis aliquem de aliquo mallaverit negotio, & ille qui mallatus fuerit dicat, ideo ei respondere nolle, quia servus est alterius. aut si testimonia produxerit, & similiter dixerit quod eū recipere nō debet quia aliq; eorū servus sit, nominet dominū ejus, & sic det vuadia de eo adducendo, & posito placito in quantū ire ubi eū invenire credit & reverti posse judices dixerint: Si in placito constituto dominum non adduxerit, nisi pro certo ita verum esse credat quod si jurare ausus non fuerit, quia pro occasione prolongandi justitiam hoc dixerit, componat ille bannum nostrum, & justitiam plenissimam faciat. Si vero aliquē adduxerit, qui se dominū ejus dicat, & illum quem de servitio appellavit applicare ad servitiū non valuerit. tunc ipse qui se dominum dixerit bannum nostrum illi componat. Eo quod conculcandam justitiam in jejunium tale ausus fuerit facere. Crimina vero si super eum pro dilatanda justitia imponere voluerit probare cogatur. & si probare non potuerit & justitiā faciat, & insuper bannum nostrum pro tanta calliditate componere cōgatur.

VI. Si forte quispiā aliquem mallaverit, & ille qui mallatus fuerit dixerit eum suum servum esse, vel aliud in ipsa altercatione veniens ad servitium mallaverit, jubemus ut præsentaliter inter se vuadient ut ad primum & secundum vel tertiū placitum causam ipsam definiat. Inter placitum vero & placitum finit dies XV. Tertium autem quando comes placitum habuerit, si infra unum comitatum est. Si autem in alio sint XX. ne pro tali occasione ei justitia prolongetur. Quod si in his tribus placitis ille qui quærit neglexerit, excepto servitio regis aut inevitabili necessitate, & comes placitū habuerit, ille quoq; alias ad suam probandam libertatē paratus fuerit. Tunc comes causam prodefiniat veluti si ipse qui quærit præsens fuisset, & ultra ille qui quæsierit facundiā de servitio illius dicendi non habeat. & insuper ut bannum nostrum illi componat, & justitiam pleniter faciat.

VII. Et sunt aliqui dum alii in servitium mallant, & ipsi de sua libertate ad probare vuadia dāt in tantum eos mutandi placitum^a^ laterant ut jus pro sua paupertate evadere possint. Unde tertium addere capitulū placuit. Si vero aliquis aliū ad servitiū mallaverit & ille qui mallatus fuerit vuadia de sua probanda libertate dederit, jubemus ut supra ad primū aut secundum vel tertium placitum causam deliberent. Inter placitū & placitū dies XV.

a utando placitum macerant.

ANNO CHRISTI 817.

Tertium vero quando comes placitum habuerit, si infra unum comitatum est. Si autem in alium fiat dies xx. & si in his tribus placitis, ipse qui quærit venire contempserit, anteposito quæ superius anteposuimus, & comes placitum habuerit, ille namq; alius cum suis testibus paratus fuerit, tunc comes ipsos testes recipiant & causas definiant, veluti si ipse qui quærit præsens fuisset, & ultra ille qui quæsierit tacito illius de servitio permaneat.

** ALIO TEMPORE DICTVS SERENIS. AVGVSTVS INSTITVERE PRÆVIDIT CAPITVLA:

VIII. Si quislibet episcopus, abba, vel comes in propria sede vel domo aut villa residet, homines ipsius deprædationes fecerint, messes vel prata, defensionis tempore devastaverint, & hoc cognitum absq; injusta dilatione non emendaverint, & factori condignam castigationem non imposuerit, ipsum malum ut lex est emendare cogatur, & insuper XL. dies & noctes vino & carne abstineat.

IX. Per viam quoque ad palatium veniens aut rediens cuicumque homines rapinam fecerint, & cognito statim non emendaverit, & factori condignam castigationem non imposuerit, omnia quæ rapta sunt, ut lex est emendare cogatur, & insuper xxx. dies a carne & a vino abstineat. *Nec plura reperimus in schedis Sirmondianis.*

ANNO CHRISTI 824.

CONCILIABVLVM CLOVESHOÆ

CELEBRATVM III. KALENDAS NOVEMBRIS *anno domini* DCCCXXIV. *sub Beornvulfo rege Merciorum, Vvulfredo archiepiscopo Dorobernia, assidentibus episcopis, abbatibus, & principibus Merciorum universis, in quo contentiones & colloquia plura dirimuntur.*

REGNANTE in perpetuum domino nostro Iesu Christo, qui mundi monarchiam sua semper virtute gubernat in æternum, anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi 824. indictione autem 2. regnante Beornvulfo rege Merciorum, factum est pontificale & synodale conciliabulum in loco qui dicitur Clofeshoas, præsidente ibi rege præfato, ac venerando viro VVulfredo archiepiscopo illo conventu regente ac moderante.

Illic cum omnes episcopi nostri, & abbates universi Mercensium principes, & multi sapientissimi viri congregati adessent, ubi inter alia plura colloquia aliqua contentio illata est inter Heaberthum episcopum, & illam familiam Bercleensem de hereditate Æthelrici filii Æthelmundi, hoc est monasterium quod nominatur *VVestburhg.* Habuit autem episcopus ante nominatus terram illam cum libris, sicut Æthelricus ante præcepit, ut ad VVeorgernensem ecclesiam redderetur.

Statuta autem atque decreta ab archiepiscopo, & ab omni sancta synodo illa consentienti, ut episcopus qui monasterium & agellum cum libris haberet, cum juramento Dei servorum, presbyterorum, diaconorum, & plurimorum monachorum sibi impropriam possessionem terram illam cum adjuratione adjurasset. Et ibi finita & proscripta illa contentione coram episcopo post triginta noctes illum juramentum *to VVestmynstre* deductum est.

Quapropter si quis hunc agrum ab illa ecclesia in Ceastre nititur evellere contra decreta sanctorum canonum, sciat se facere, quia sancti canones decernunt quidquid sancta synodus universalis cum catholico archiepiscopo suo adjudicaverit, nullo modo fractum vel irritum esse faciendum. Hæc autem gesta sunt. Hi sunt testes & confirmatores hujus rei, quorum nomina hic infra notantur a die III. Kalendarum Novembrium.

SVBSCRIPTIONES.

Ego Beornvulf rex Merciorum hanc chartulam synodalis decreti signo sanctæ crucis Christi confirmavi.

Ego VVulfred archiepiscopus hanc synodalem sententiam cum signo gloriosæ crucis corroboravi.

Ego Æthelvuald episcopus consensi. Lindisfarnensis.
Hredhim episcopus consensi. VVigornensis.
Eadvvulf episcopus consensi. Herefordensis.
Heaberht episcopus consensi. VVintanensis.
Beonva episcopus consensi, Donmocensis.
VVigthegn episcopus consensi. Helmhamensis.
Cioberht episcopus consensi.
VVermund episcopus consensi.
Cynred episcopus consensi.
Hunberth episcopus consensi.
Eadmund abbas consensi.
Cuthvuulf abbas consensi.
VVihtred abbas consensi.
VVilfred abbas consensi.
Nothelm præco a domino Eugenio papa.
Bynna frater regis.
Bola.
Aldred thelonius consensi.
Piot presbyter.
VVighelm.
Beadheard.
Cyneberth.
Eadbald.
Beornoth dux.
Eadberht dux.
Sigered dux.
Ecgberht dux.
Eadvulf dux.
Alhheard dux.
Mucel dux.
Vhtred dux.
Ludica dux.

Ad præstationem istius juramenti VVestmonasterii adfuerunt missales quinquaginta presbyteri, & presbyteri alii centum & sexaginta.

Post hæc in calce synodi ita sequitur:

Hic sunt nomina missalium illorum presbyterorum, qui ad dictum juramentum aderant & extiterunt Fromundus abbas, Ealbertus abbas, Ecgbertus abbas, VVigbertus presbyter, *&c.*

ANNO CHRISTI 826.

CONCILIVM IN VILLA INGILENHEIM.

DE *synodo, seu conventu publico, qui anno* DCCCXXVI *habitus est apud Ingilenheim, & de rebus in eo gestis, scribit auctor vitæ Ludovici Pii his verbis:* Imperator vero, *inquit,* Kalendis Iunii mensis ad Ingelheim venit, ibidemque illi conventus populi sui secundum quod præceperat occurrit. In eodem placito, secundum morem suũ multa quæ ecclesiæ essent utilia admonuit, statuit, ac definivit, legationesq; tam a sancta sede Romana, quam a mõte Oliveti per Dominicũ abbatem perlatas suscepit, audivit, absolvit, &c. *Extat in collectione Benedicti Levitæ lib.* VI. *cap.* XCVI. *edictum Ludovici Pii de iis qui rapinas faciunt, quod cum in Ingilenheim decretũ dicatur, ad hunc ipsũ, de quo agimus, cõventũ referendũ videtur. Sic autẽ se habet:*

ANNO CHRISTI 816.

EX CAPITVLIS DOMNI LVDOVICI in Ingilenheim apostolica auctoritate & synodali sanctione, omnium clericorum ac laicorum generaliter consensu atque hortatu decretis.

De his qui rapinas infra regnum faciunt.

Lib 6 c. 96. SI quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli, ejusq; homini aliquid vi abstulerit, in triplo cui aliquid abstulit legibus cõponat, & insuper bannum nostrum, id est LX. solidos nobis persolvat: postmodũ vero ante nos a comite adducatur, ut in bastonico retrusus, usq; dũ nobis placuerit, pœnas luat. Nam si publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam, juxta sanctorum canonum sanctionem. Si vero occulte, sacerdotum consilio ex hoc agat pœnitentiam: quoniam raptores, ut ait apostolus, nisi veram egerint pœnitentiam, regnum Dei non possidebunt. (1. Cor. 6.) Qui vero de rebus ecclesiarum aliquid abstulerit, gravius inde judicetur: quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, & sacrilegus vocatur, qui ex his aliquid aut abstulerit, aut rapuerit. Infames quoque tales personæ, usque ad satisfactionem ecclesiæ quam læserunt, sunt habendæ.

CONCILIVM ROMANVM LXIII.

EPISCOPORVM, IN CAVSA DISCIPLINÆ ecclesiasticæ celebratum, anno domini DCCCXXVI. sub Eugenio papa II.

Nomina episcoporum qui huic concilio interfuerunt, & triginta octo canonum tituli dumtaxat extant in edit. Biniana & regia. ** *Nos integram synodum exhibuimus a pag. 103. Tomi VIII. una cum synodo altera Leonis IV. ex editione Romana V. C. Lucæ Holstenii.*

IN nomine Dei Salvatoris nostri Iesu Christi, imperante domino nostro piissimo Augusto Ludovico a Deo coronato imperatore anno XIII. & post consulatum ejus anno XIII. & HLotario imperatore ejus filio anno.* .... indictione quarta, mensis Novembris die XV. Eugenius sanctissimus ac perbeatissimus & universalis papa, coram universis episcopis, videlicet.

*decimo

Petronatio archiepiscopo Ravennate.

* *Cetera leges loco supra indicato a pag. 103. A. Tomi nostri VIII.*

VITA
VALENTINI PAPÆ.

ANNO CHRISTI 827.

VALENTINUS[a] natione Romanus, ex patre Petro, de regione Via lata, sedit dies quadraginta, magnæ sanctitatis, magnæque beatitudinis vir iste repletus, & Spiritus sancti perfusus gratia mansit.

Roma regalis excellentiæ retinet dignitatem. Qui dum in hac Romana urbe, quæ, Deo auctore, summi sacerdotii & regalis excellentiæ retinet dignitatem, ab ingenuis & piis parentibus genitus, & ob studia elementorum solerti magistro traditus esset, sacros divinæ legis apices capaci ubertim sensu rimabat, & ingenii memoria retinebat. Inanes ac turpes puerorum ludos more nobilium evitabat. Nullas ex ore proprio incongruas aut inhonestas fabulas proferebat. Nullisque illicitis operum actionibus utebatur. Sed ab ipso primævo infantiæ flore piæ modestiæ ac sobrietati deditus, & præclaro divinæ inspirationis spiritu plenus, inter cunctas verborum atque prudentiæ phaleras labia compta gerebat. Præcipuus quoque dictionum copiis, & lucifluis operum meritis patefaciens elegantem sui temporis mentem. Præsertim cum, juxta eximiam pectoris gentium vocem, sine offensione se omnibus ovanter, animoque præbebat benigno. Nemini quippe contrarietatis scandalum ponens, debitum perfectæ dilectionis impendere proximis animo strenuo procurabat. Atque juxta dominicæ vocis præceptum lumbos castitate præcinctos, & lucernas in manibus gestabat ardentes, verbo scilicet luculenter refulgens, & actu doctrinæ pariter munere cum magnifico exemplo laudabilis judicio coruscabat.

Virtutes Valentini.

Superna quoque Dei auxiliante virtute, cum jam perfecte initium sumpsisset ætatis, & ipsius bonitatis atque sagacitatis favor longe lateque thuris odoriferi instar flagraret, & aures beatissimi præsulis piæ memoriæ domni Paschalis ex fidelium relatu veridico enucleanter pulsasset, eumque, ut populus collaudabat, fore in omnibus illustrem & inclytum veraciter didicisset, mox illum per ecclesiasticos gradus ad subdiaconatus honorem provexit ex Lateranensi palatio, & sibi deservire præcepit. Cuius conversationis & patientiæ vitam ac mores ipse agnoscens, valde illum præ ceteris diligebat. Prædictus autem vir gratia desuper divina favente, cui se tota mentis devotione integraque virtute devoverat, veritatis & sapientiæ plenus lumine coruscabat. Erat enim sermone affabilis, doctrina clarus, vultu conspicuus, & inter fratres pia devotione modestus, proximisque fidelis. Nullis vero se quibus aliquis vel leviter contristaretur, sagaci pectore fultus, negotiis implicabat. Cum præterea cum tot bonis, tantisque operum meritis, præstantis corporis formam elegantem jam dictus pontifex ornatumque inspiceret, Levitam sedis suæ apostolicæ consecravit. Cui, ob suæ vitæ meritum quo splendide rutilabat, & ab omni ecclesiæ plebe, atq; inclyto Romanorum populo cœtu ingenti diligebatur amore, bona & beneficia multa largiflue contulit, eumque postmodum archidiaconum fecit. Quo sane præsule Christo jubente culmina scandente cælestia, Eugenius tunc pontificali est ab omnibus elevatus in honore, & positus in sede apostolica. Qui eum cunctis, quæ diximus, bonis decoratum luculenter agnoscens, omni vitæ suæ tempore carissimorum vice retinuit, & velut pater proprio filio corde congaudebat alacri, suisque aspectibus illum assidue consistere cupiebat. Peracto vero ac divinitus finito hujus præsulis lucis transeuntis termino, ad sacræ sedis culmina omnis Romanorum cœtus, crebris dominum jejuniis & orationibus deprecans, ut quis tantæ sedis honore dignus foret eorum sensibus revelare dignaretur. Sed divina placata majestas quem ex sacerdotali eis catalogo eligendum arcano suæ potentiæ nutu ostenderet, nisi eum, quem ab ipsis matris uberibus tot supra dictis virtutum copiis, & pulcherrimo doctrinarum flore ornaverat, atque constantem & fidelem in omnibus sibi alumnum nutrierat, sacratissimæ sedis rectorem tribueret?

Collectis igitur in unum venerabilibus episcopis, & gloriosis Romanorum proceribus, omnique amplæ urbis populo in palatio Lateranensi, ut quod jam cordi cælitus revelatum æquiter omnes tenebant, in uno multorum sonitu resonaret, unius voluntatis consensu fortiter acclamatum est: Valentinum sanctissimum archidiaconum sedis apostolicæ dignum, Valentinum summi pontificatus infula decorandum. (Ejusdem electio.)

His

His itaque melliflue dictis, una mox omnes pacis conjunctione manentes ad ecclesiam sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ dominæ nostræ sacer * clericorum, & Romanorum proceres pariter cum populo properantes multiplices eum domino grates ac laudes reddentem more solito invenerunt. Quem illico multum ac diutius renitentem, seque tanti regiminis fore incongruum voce strenua proferentem, almæ plebis & lætis utriusque militiæ Romanorum electus est vocibus in sede pontificum. Ac deinde condignis gloriæ laudibus, & honoris amplitudine ad Lateranense patriarchium ab ipsis deductus, & in pontificali est positus throno. (nani … olantur … es pon- … cum.) Cujus ovanter ab omni Romanorum senatu pedibus osculatis, & omnibus quæ explenda erant B rite ac veneranter peractis, magna sobrietas, magna in totius sexus & ætatis populo lætitia mansit. Ejusque consecrationis die sereno jam illucescente, cum lumine jam dictum antistitem ad beati Petri apostolorum principis ecclesiam omnes pariter Romani a palatio deducentes, eum majestate divina auxiliante in alto throno summum consecravere pontificem.

(Clem … ecratio.) Qui mox almificæ sedis culmina scandens beati Petri apostoli & cælestis regni clavigeri, divinis Deo laudibus & sacrificiis pie oblatis, amplo & magnifico Romanorum cœtu ad palatium cum ingenti gaudio remeavit, atq; lautissimis dapibus sumptis amantissimorum multis & diversis mu- C nerum donis sacram plebem & senatum populúque Romanum * optime ditavit. (… pime.) Erat quippe dapsilitate inclytus, actione præcipuus, sermone luculentus, omnibus compassione proximus, & inopiam sustinentibus opportunum instanter solatium præbens.

Quibus multiplicibus bonis ornatus ad cælestia Christo vocante corporis oppressus molestia exitu pretioso transivit, atque cum desiderabili beatissimique operis fructu ad conspectum summę majestatis lætus ascendit, regnans & exultans cum domino semper.

NOTA SEVERINI BINII.

a *Valentinus.*] Omnes fere annales Francorum, ut supra dixi, attestantur Eugeninm anno 827. defunctum esse. Quo mense obierit, inter se variant. Nos igitur, Anastasium secuti, initium Valentini ad annum Christi 827. atque undecimum Augusti referendum esse putamus. Ob virtutum insignia eum a Paschale pontifice ex subdiacono creatum esse archidiaconum, refert Anastasius. Aliis quadraginta, aliis vix triginta diebus pontificatum tenuit. (… entinus … a quam- … sederit.)

VITA,

EPISTOLÆ ET DECRETA GREGORII PAPÆ IV.

(ANNO CHRISTI 827.)

(… gorii … utes.)

GREGORIUS IV. natione Romanus, ex patre Ioanne, sedit annos sexdecim. Vir strenuus, ac benignissimus, sanctitate atque pietate repletus, ornatus scientia, verbo jucundus, modestus præ omnibus sermone, firmissimus fide catholica, justus operibus, & literarum divinarum solertissimus inquisitor. Ecclesiarum quoque sanctarum infatigabilis visitator, pater pauperum, & alitor omnium viduarum. Terrenum nil appetens, mundana hujus vitæ præsentis lucra despi- A ciens, æterna præmia in cælis dignis sibi meritis acquisivit.

Hic a Deo beatissimus pontifex, genere clarus, sed magis clarior sanctitate, forma pulcer, fide pulcrior. (Gregorii virtutes.) Quæ scilicet universa laudum præconia non solum pontificatus sui tempore claruerunt, sed etiam cum adhuc juvenilibus annis polleret, talia peragere indeficiens satagebat. Quæ res Romanis omnibus non diu occulta permansit, sicut scriptum est: *Quia nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus qui in domo sunt:* (Matth. 5.) Cœpit sancta ejus operatio de die in diem per totam Romanam pleniter urbem resonare euangelico sermone docente: *Nihil opertum quod non* B *revelabitur, & occultum quod non sciatur.* (Matth. 10.) Pro quibus denique innumerabilibus bonis a sanctissimo hujus sacræ sedis domino Paschali papa, non solum subdiaconus, sed etiam † sacerdos effectus est. († Presbyter scilicet cardinalis.) Permansit vero in sacerdotii sui habitu constitutus caste, ac pudice recolens illud quod scriptura sacra commemorat, dicens: *Sacerdotes Dei induantur justitia:* (Psal. 131.) id est, non in aliis vacent, nisi oratione, lectione & jejunio. Cumque in his intentus insisteret, humano more jam dictus Paschalis pontifex ex hac luce subductus, & Eugenius a Deo electus antistes sacri apicis adeptus est dignitatem. Permanens autem in hac per modicum tempus vita, & ipse pariter defunctus est. Post C hunc Valentinus alendorum gregum præsulatus culmen sortitus, sub maxima celeritate ex hac præsenti vita subtractus est.

Cœperunt denique Romani pariter omnes non solum de pontificibus tam subito perditis, verum etiam de futuro arctius cogitare, ut quem sancti Spiritus gratia perlustratum agnoscere potuissent, sub cujus doctrina atque imperio cuncta senatorum nobilitas rite degere potuisset. Quorum videlicet universorum procerum corda adjutor in opportunitatibus in tribulatione creator omnium Deus inextinguibili suo sancto lumine succendit, & mentes eorum ad beatissimi Gregorii IV. pia facta convertit.

D Consenseruntque omnes in eodem spiritu & anima una, electus autem ab eis patriarchio Lateranensi inductus est, (Gregorius coactus eligitur.) abstrahentes quidem illum ex basilica beatorum martyrum Cosmæ & Damiani per vim, dicebat enim se ad tale ministerium inutilem fore. Sed quoniam tam immensæ multitudini resistere non valuit, ad locum jam ante prædictum eum hymnis & canticis spiritualibus deduxerunt.

Verum quia investigare cuncta quæ gessit celeri sermone non possumus, ea licet breviter, ad notitiam omnium perducamus, quæ sacris ac venerabilibus mente integra & pia devotione obtulit locis. Præterea post electionem simul & con- E secrationem præsulatus sui cœpit permaximum studium habere de sanctis & de eorum ecclesiis, quatenus ad statum pristinum novo cultu eas, protegente domino, citius revocaret; quod factum est: nam eo tempore ecclesiam beati Saturnini martyris foris portam Salariam constitutam, quæ vetustate nimia & longo jam senio a fundamentis ceciderat, novis fabricis ędificari fecit, & picturis variis decoravit. Vbi etiam obtulit vestem de fundato unam. Perficiente vero illo hęc quæ superius dicta sunt, ad alia tunc pontificalis ejus animus sanctorum opuscula summopere cœpit attendere. Et quoniam tunc divino ignis amore succensus

Sancti Gregorii corpus transtulit.

succensus corpus beati Gregorii hujus universa- A
lis ecclesiæ præsulis, per quem sancti Spiritus gra-
tia toto orbe terrarum inextinguibile sapientiæ
munus induxit, ex loco, sepultus quo prius fuerat,
tulit, & non longe ab eo in alium noviter constru-
ctum infra ecclesiam beati Petri apostoli summo
honore perduxit. Ejusque sacrum altare argen-
teis tabulis undique perornavit, & oratorium
suo sancto nomine titulavit. Absidamque ejus-
dem super aurato musivo depinxit. In quo scili-
cet oratorio sanctorum corpora beatorum mar-
tyrum [b] Sebastiani, Gorgonii, ac Tiburtii ex cœ-
meteriis, in quibus ante jacebant, perduxit. Et
unumquodque eorum separatis altaribus colloca-
vit, pro quibus denique pontificatus sui tempore
decrevit, ut monachi, qui ad officium persolven-
dum in ecclesia beati Petri apostoli sunt constitu- B
ti, omnibus diebus ibidem laudes omnipotenti
domino canere non desistant. Obtulit autem in
eodem oratorio vela majora vel modica serica de-
cem & octo. Vestes super altare sub quo sanctis-
simi Gregorii papæ corpus quiescit, tres. Unam
cum chrysoclavo, habentem historiam.... & super
unumquodque altare prædictorum martyrum
vestem de fundato unam. Imagines denique de-
super deargentatas, nec non auro perfusas tres ha-
bentes vultum domini, & eorum depictos, quo-
rum specialia ibidem corpora humata miraculis
ac virtutibus pollent. His igitur perfectis operi-
bus ad alia repente venerabilis pontifex animum

Sancti Marci ecclesiam restaurat.

& mentem convertit. [c] Nam ecclesiam tunc B. C
Marci confessoris atque pontificis, quam tem-
pore sacerdotii sui regendam susceperat, & us-
quequo ad pontificatus pervenit gratiam, in
suo jure ac ditione permansit, quæ ob nimiam ve-
tustatem crebro casura esse videbatur, cum om-
nipotentis Dei opitulatione a fundamentis prius
ejecit, & postmodum novis fabricis totam ad me-
liorem cultum atque decorem perduxit, absidam-
que ipsius prænominatæ basilicæ musivo aureis su-
perinducto coloribus cum summa gratulatione
depinxit. Fecit vero sarta tecta ejus omnia nova,
& quidquid in ea ante vile cognoverat preciosum
postea esse maluit. Igitur consummatis omnibus
his pro remedio & futura retributione animæ
suæ, obtulit in jam sæpe nominata ecclesia futuris D

Dona in ea oblata.

temporibus permanenda hæc. Regnum aureum
unum, quod usque hodie super altare dependet
cum gemmis valde optimis, habens in medio au-
ream crucem cum gemmis pariter preciosis. Item
gabathas ex auro purissimo tres pendentes ante
prænominatum altare. Et gabathas interrasiles
de argento 12. angelorum opere constructas. Et
alias gabathas interrasiles quinque cum pedibus
suis. Item ubi supra obtulit thymiamateria aureo
colore perfusa tria, canistra de argento duodecim.
Coronas argenteas majores & minores 9. Cruces E
de argento tres, & unaquæque habet libram
unam. Cerostatas desuper argentatas quatuor
Fecit & cyborium ad laudem atque decorem con-
fessoris jam sæpius dicti ex argento purissimo
pensans libras mille. Altare quoque ejusdem ar-
genteis similiter tabulis exornavit, cupiens per re-
rum temporalium exercitia æterna cælo præmia
adipisci. Prædictus etiam venerabilis pontifex ob-
tulit, ubi supra, vestem de fundato unam haben-
tem mucrones per circuitum. Fecit & aliam ve-

* holoserico

stem de * olovero unam habentem in medio gem-
mas, & mala aurea, & per circuitum zonam de
chrysoclavo. Immo vero obtulit sanctissimus præ-
sul vesté de olovero cum gryphis & unicornibus.

Vestem quoque aliam cum chrysoclavo per cir-
cuitum habentem in medio resurrectionem do-
mini nostri Iesu Christi. Sæpe jam dictus venera-
bilis papa obtulit in prænominata ecclesia vestem
cum gryphis & chrysoclavo per circuitum, haben-
tem in medio nativitatem domini nostri Iesu
Christi. Item vestem aliam cum chrysoclavo ha-
bentem per medium rotas de chrysoclavo qua-
tuor, & nativitatem atq; baptismum domini no-
stri Iesu Christi. Obtulit vero prænominatus pon-
tifex vestem aliam cum leonibus, habentem re-
surrectionem domini de chrysoclavo. Vestes de
fundato minores octo, quæ altaribus superpo-
nuntur, quæ per circuitum ejusdem ecclesiæ esse
noscuntur. Vela alba serica quatuor, unum habens
undique Tyrium, & in medio crucem & gamma-
dias de chrysoclavo. Aliud de stauraci habens in
medio crucem de olovero, & gammadias de olo-
vero Tyrio, tertium & quartum similiter. Vela de
rodino quatuor, quæ sacrum altare circumdant:
ex quibus unum habet crucem de chrysoclavo.
Vela de fundato viginti sex, & linea similiter, quæ
pendent per arcus ecclesiæ. Vela Alexandrina tria,
ante portas majores pendentia, habentia homines
& caballos. Cortinam Alexandrinam unam, vela
alia habentia mucrones de fundato quatuor. Ve-
lum de octapulo unum. Vela alia de fundato octo
habentia per circuitum periclysin de blattin. Et
alia vela sex cum aquilis habentia per circuitum
periclysin de Tyrio. Vela simulque alia de funda-
to quinque habentia leones & periclysin de Ty-
rio. Vela alia Alexandrina, ex quibus unum habens
rotas & rosas in medio, & aliud arbores & rotas,
pendentia ante valvas ipsius ecclesiæ. Item ve-
lum modicum de olovero habens in medio ho-
minem cum caballo. Vela cum argento spanisco
quatuordecim. Vela modica ubi supra de olo-
vero, decem habens unumquodque eorum ana-
tes. Hic divina inspiratione protectus obtu-
lit in jam dicta basilica aquæmanile de argento
unum.

Sanctorum Cosmæ & Damiani.

Verum etiam fecit in ecclesia beatorum Cos-
mæ & Damiani martyrum vestem de fundato
unam habentem in medio historiam depictam
cum chrysoclavo. In ecclesia beati [a] Abbacyri,

[a] abba Cyri

atque Archangeli ad Alefantum. Hic a Deo
electus & præclarus antistes obtulit in basilica

Sancti Eustachii.

beati Eustachii martyris vestem de fundato u-
nam habentem in medio historiam de chryso-
clavo.

Fecit jam sæpius nominatus presul aliam vestem
in ecclesia beatorum martyrum Sergii & Bacchi
de fundato unam. Pari modo vero fecit & aliam
vestem de fundato in ecclesia sancti Silvestri posi-
ta in monte Soracti.

Sancti Petri.

Post completa vero hæc omnia, & diligenter
peracta fecit, in ecclesia beati Petri apostoli vela
cum chrysoclavo numero quatuordecim habentia
diversas historias euangeliorum, & passiones beati
Petri ac Pauli, nec non Andreæ apostoli, quæ de-
pendent inter imagines auro argentoque fusas in
trabe desuper argentata, antequam adeas sacram
confessionem, speciosa valde visibus humanis, at-
que præcipua

Fecit autem & in ecclesia beati Christi martyris
Georgii magnificus præsul hinc inde porticus,
quas etiam ad decessorem ipsius basilicæ variis
ornavit picturis. Absidam vero ejusdem diaco-
niæ a fundamentis auxiliante domino cum sum-
mo studio compsit. Hic adeo amabilis pontifex
dum diligenter cerneret, quod ejusdem venerabi-
lis

lis diaconiæ secretarium præ nimia temporum vetustate marcesceret, noviter pro ipsius amore, vel gratia aliorum ad meliorem erexit honorem. Obtulit itaque sanctissimus papa, ubi supra, hæc dona.

[...]eorgii. Vestem de fundato unam cum chrysoclavo habentem imaginem salvatoris, & martyris Sebastiani, atque Georgii. Vela de fundato majora duo, minora decem & octo. Fecit autem in confessione ipsius basilicæ rugas de argento ex auro perfusas. Pari modo vero sarta tecta basilicæ beati Hadriani martyris posita in Via sacra, quæ præ nimia vetustate marcuerant, noviter restauravit. Verum etiam fecit in patriarchio Lateranensi triclinium miræ magnitudinis decoratum cum absida de musivo. Sed & alias absidas duas dextra lævaque positas infra paracellarium variis historiis depictas. Fecit & etiam sanctissimus papa & in ecclesia beati Clementis confessoris vestem de fundato cum leonibus, & periclysin de octapulo.

[...]hedori. Simili modo & in diaconia beati Theodori martyris vestem de fundato leones habentem cum periclysi de octapulo. Fecit autem in ecclesia beati Christi martyris Laurentii, quæ ponitur foris muros vestem chrysoclavam habentem historiam Zacchæi. Fecit & aliam vestem fundatam cum gryphis in honorem sanctæ Dei genitricis, Ad martyres. Nec non & in beati Stephani protomartyris in Cælio monte vestem de fundato cum gammadiis. Verum etiam & in diaconia beatæ Dei genitricis in Via lata fecit vestem de stauraci cum periclysi de blattin.

[...] Ma-[...] Simili modo & in ecclesia beatæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ dominæ nostræ Ad præsepe fecit vestem auro textilem habentem nativitatem, baptismum, præsentationem, & resurrectionem: habentem in capite ipsius historiæ gemmas albas trecentas & octuaginta, hyacinthinas quinquaginta, prasinas viginti duas, & in circuitu alvaviras legente de nomine domni Gregorii IV. papæ.

[...]driani Item fecit & in diaconia beati Hadriani martyris In tribus fatis vestem de fundato. Fecit autem præfatus præsul in ecclesia beatorum apostolorum Ad vincula vestem de fundato habentem leones cum gryphis. Fecit & aliam vestem de fundato in ecclesia beati Martini confessoris, atque pontificis habentem leones cum arboribus.

[...]usebii. Nec non & in basilica beati Eusebii martyris vestem de olovero habentem aquilas cum periclysi de quadrapulo. Obtulit etiam prædictus præsul in basilica beatæ Dei genitricis Mariæ trans Tiberim vestem de Tyrio habentem historiam dominicæ nativitatis atque resurrectionis domini nostri Iesu Christi.

Imo & in diaconia, quæ vocatur Cyro, simili modo obtulit vestem de fundato. Imo & in diaconia beatæ Mariæ in Via lata eodem modo vestem de fundato obtulit. Hic præclarus & venerabilis pontifex divina inspiratione fretus fecit in ecclesia beati Marci confessoris Christi atque pontificis patenam octogoni exauratam habentem in medio vultum domini nostri, & a duobus lateribus vultum ipsius beati Marci, atque ejusdem [...]arci. præsulis pensantem libras sex. Simili modo & calicem octogoni fundatum cum foliis exauratum ibidem obtulit pensantẽ libras sex: scyphũ quoq; argenteũ illic offerri curavit pensantem libras sex.

Obtulit etiam ipse prænominatus pontifex canistra ennafodia duo, pensantia insimul libras quatuordecim. Verumenimvero in ecclesia doctoris gentium beati Pauli apostoli obtulit sæpedictus pontifex vestem de chrysoclavo habentem historiam domini Dei nostri, & in ejus obsequio a dextris vel sinistris archangelorum, seu apostolorum laudabili numero miræ magnitudinis atque pulcritudinis diversis lapidibus, vel margaritis ornatam pulcerrimeque contextam. Beati Pauli.

Hic benignissimus & præclarus pontifex, dum bonus & verus pastor pro sanctæ Dei ecclesiæ statu maximam undique curam ac vigilantiam gereret, considerans Romanorum penuriam, quod ubi triticum ad edendum molerent nullo modo haberent, divino fretus auxilio formam quæ Sabbatina nuncupatur, quæ jam plurimos annos confracta atque disrupta esse videbatur, dato operis studio, sicut a priscis fuerat ædificata temporibus, ita quoque eam præsagus antistes noviter ædificare atque construere nisus fuit: ita ut ad ecclesiam beati Petri apostoli, atque ad Ianiculum, sicut prius, ita & nunc indisfluenter decurrat. Fecit etiam in diaconia beatæ semper virginis Mariæ in Cosmedin vestem de Tyrio habentem historiam dominicæ nativitatis, atque resurrectionis Christi veri Dei nostri. Ad honorem & gloriam beatæ Dei virginis Susannæ obtulit sanctissimus præsul in ejusdem ecclesia vestem fundatam cum periclysi de Tyrio.

Sabbatinũ fontem restituit.

Dona in ecclesia beatæ Mariæ.

Fecit autem in ecclesia beati Cyriaci martyris atque diaconi vestem de fundato habentem periclysin de stauraci. Pari modo & in ecclesia beatæ Pudentianæ virginis vestem de fundato cum periclysi de quadrapulo. Obtulit beato Vitali martyri vestem de fundato habentem aquilas, & periclysin de quadrapulo. S. Cyriaci

Præfatus vero pontifex fecit in ecclesia beatæ Anastasiæ martyris vestem de fundato habentem aquilas & periclysin de olovero. Imo vero obtulit jam dictus præsul in basilica beatæ Luciæ martyris, quam vocant Orfea, vestem de fundato cum periclysi de octapulo. Sanctissimus denique pontifex fecit in titulo beati Chrysogoni martyris vestem de Tyrio habentem historiam Danielis cum periclysi de stauraci. Obtulit vero beatissimus papa in titulo Pammachii vestem de stauraci cum periclysi de quadrapulo. Verum etiam fecit & in ecclesia beatæ Cæciliæ martyris vestem de fundato habentem aquilas & gryphos cum periclysi de olovero. S. Anastasię. S. Chrysogoni.

Pari modo & in titulo Æmilianæ obtulit vestem de fundato habentem aquilas & periclysin de blatta Byzantea. Simulque & in ecclesia beati Sixti martyris atque pontificis fecit vestem de Tyrio habentem historiam Danielis cum periclysi de olovero. S. Æmilianę.

Fecit in basilica beatæ Balbinæ martyris vestem de fundato cum periclysi de olovero. S. Balbinæ.

Fecit autem in titulo Damasi vestem de stauraci habentem periclysin de blatta Byzantea.

Fecit etiam in ecclesia apostolorum Iacobi & Philippi vestem de fundato. Item in ecclesia beati Marcelli confessoris atque pontificis vestem de fundato.

Pari modo in basilica beati Laurentii in Lucina fecit vestem de stauraci. Item in ecclesia sancti Valentini fecit vestem de fundato, & gammadias de octapulo, S Laurentii

Cumque

Cumque hæc omnia, quæ superius inserta leguntur, a quarto hujus intemeratæ sedis papa Gregorio Deo favente liberius consummata fuissent atque perfecta, piger esse nullatenus volens cœpit indifferenter post curam gregum de cultura, sive meliorationibus venerabilium tractare locorum, ut suis temporibus novo culturæ formatu consolidata essent. Quod intercedente apostolorum principe Petro juxta votum sui desiderii factum est. Ideo cum talia præsulatus sui animo volveret, & hæsitans cogitaret, repente ad memoriam sui recurrunt, quod justum non esset, si amplius ecclesia sanctæ Dei genitricis, quæ more veterum nunc usque Callisti trans Tiberim dicitur, sine monachorum officio constitisset, B maxime cum in ea signorum non minima frequenter fiant miracula, & virtutes diversæ, ac demum divinitus compunctus corde, & Dei omnipotentis roboratus ac fretus juvamine, juxta latus prænominatæ basilicæ monasterium a fundamentis statuit, & novis fabricis decoravit. In quo etiam monachos canonicos aggregavit, qui inibi officium facerent, & omnipotenti domino grates & laudes diebus singulis & noctibus prosecutis intimo cordis spiramine decantarent, quæ sicut impræsentiarum cernimus, magno certamine magnoque studio pastor eximius hoc opus valde firmissimum ampliavit. Nam ubi ante nulla erat cultura præcipua, modo Deo dispensante pulcra sunt habitacula monachorum, & loca quæ nuper ab hominibus videbantur vepribus vel immunditiis plena, nunc in eis cellulæ constructæ sunt, quibus oves Christi cum suis simul utilitatibus post laudum officia largissime cohabitant & dormiunt. Eo igitur tempore sæpedicta ecclesia quibusdam per circuitum locis longo senio erat prærupta, sed eam firmissimis undique munitionibus restauravit. Et in ea sanctum fecit præsepium ad similitudinem præsepii sanctæ Dei genitricis, quæ appellatur Majoris, quod videlicet laminis aureis & argenteis adornavit. In quo pro remedio ac venia delictorum hæc obtulit dona: imaginem D auream habentem historiam dominæ nostræ cum diversis & preciosis gemmis, hyacinthos majores numero tredecim, prasinas decem, albas majores numero viginti & novem, alamandinas majores numero viginti, albas modicas habentes circum capitis coronam diverse philopares.

Monachos canonicos in ecclesia Trans tiberina constituit. Anastasius oculatus testis. Maria major. Dona oblata. Locus mendosissimus.

Cercelli paria duo habet gemmas preciosissimas albas numero decem & octo, prasinas octo, hyacinthinas quatuor. Item in eadem imagine habet murenas prasinales preciosissimas duas, ex quibus habet pendulas numero undecim. Item murenam trifilem auream, quæ habet gemmas diversas albas numero septuaginta E tres, & buticulas triginta tres. Murenam in quo pendent gemmæ hyacinthinæ tredecim, digitiæ aureæ novem pendent in filo aureo. Item murenam filatam, ex qua gemmæ pendent hyacinthinæ quatuordecim. Signum Christi habet navicellas duas, & murenas tres. Omnes murenas cum petinante eorum. Gabathas aureas purissimas interrasiles philopares. Signum Christi pendentem in catenulis tribus lilio, & unc...... legente de donis Dei, & sanctæ Mariæ, quod vocatur Præsepe trans Tiberim, domni Gregorii papæ IV. qui puro corde obtulit tres gabathas saxiscas. Signum Christi habet historiam in modum leonis incapillatam cum diversis operibus purissimis aureis pendentibus in catenulis quatuor & uncino uno. Item gabatham saxiscam habet in modum Leonis IV. cum diversis historiis serpentium, & in medio stantem pineam, & quatuor leonculis exauratam, qui pendent in catenulis tribus & uncino uno. Item gabathas saxiscas. Ex quibus habet singulis operibus exauratis pendentes in catenulis tribus, & uncinos quatuor, ex quibus habet unam gemmis vitreis. Quæ domnus item Gregorius IV. pontifex libenti obtulit animo.

Imo vero obtulit jam dictus præsul in ecclesia doctoris gentium beati Pauli apostoli cortinam fundatam pendentem in arco triumphalem, habentem in medio annuntiationem & nativitatem domini nostri Iesu Christi. Item velum oloverum unum pendens in regularem sub imaginem argenteam habens historiam imperatoris. Ibi ipse fecit & alia duo modica vela fundata, quæ pendent in circuitu altaris, habentque lora viginti quinque. Vela quæ pendent in presbyterio numero vigintiquatuor. Vela fundata, quæ pendent ad arcus majores, numero quadraginta. In cyborium ipsius ecclesiæ fecit vela quatuor. Pari modo & in ecclesia beati Christi martyris Georgii fecit vela de fundato sex habentia in circuitu gammadias de octapulo. *S. Pauli.*

C Ipse vero a Deo protectus & præclarus pontifex fecit in monasterio sancti Sabæ vestem de olovero cum leonibus habentem periclysin de octapulo. *S. Sabæ.*

Verum etiam & in monasterio sancti Anastasii martyris eodem modo fecit vestem de stauraci cum periclysi de quadrapulo: simulque & in monasterio sancti Andreæ, quod appellatur. In clivo Scauri fecit vestem de stauraci cum periclysi de octapulo unam, sed in monasterio sanctæ Agathe martyris, quæ ponitur super Suburram, fecit vestem de olovero cum periclysi de octapulo unam. *S. Anastasii.*

Nec non & in monasterio sancti Erasmi fecit vestem de staurací cum periclysi de octapulo unam. *S. Erasmi.*

Enimvero & in diaconia sanctæ Luciæ, quæ ponitur in septem vias, fecit vestem de olovero cum periclysi de octapulo unam.

Fecit autem in oratorio sanctæ Luciæ, quæ ponitur in monasterio de Serenati vestem de olovero cum leonibus, habentem periclysin de octapulo. Simili modo & in monasterio sancti Silvestri fecit vestem de olovero cum periclysi de octapulo unam. Ibi ipse fecit vestem de fundato cum gryphis habentem periclysin de blattin. *S. Luciæ.*

Pari modo & in monasterio sanctæ Praxedis fecit vestem de olovero cum periclysi de stauraci unam. *S. Praxedis.*

Ipse vero a Deo protectus & præclarus pontifex fecit in basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli vela de chrysoclavo per arcus presbyterii habentia historiam ipsius beati Pauli apostoli, & in circuitu listam cum auro, numero viginti & septem. Hic a Deo electus, & præclarus antistes obtulit in ecclesia beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ dominæ nostræ, quam vocamus Callisti & Cornelii, coronas argenteas duas, per unamquamque delphinos duodecim, pensantes insimul libras duodecim. *S. Pauli.*

Simulque & in diaconia beati Christi martyris Gregorii

regorii. Gregorii fecit coronam de argento unam cum delphinis duodecim pensantem libras sex. Ipse vero a Deo protectus & præclarus pontifex fecit in basilica beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ dominæ nostræ, quam dicimus Callisti & Cornelij, canistra argentea quatuor legente sancta Dei genitrice, Gregorij IV. papæ pensantia libras viginti & quatuor.

Et in altari quoque eiusdem tabulas de argento pensantes libras centum & tredecim. Fecit idem venerabilis papa in eodem sancto loco infra ambitum ipsius ecclesiæ operosam decoramque resurrectionem. Nam prius altare in humili loco situm fuerat pene in media testudine, circa quod plebs utriusque sexus conveniens, pontifex cum clero plebi confuse immixto sacra mysteria celebrabat.

Sed & sancta corpora beatorum Callisti & Cornelij & Calepodij in mediana plaga ecclesiæ tumulata post tergum populi jacentia non condigne honorificabantur. Quod religiosissimus idem papa non leve tulit, sed solerti solitoque studio cum intima industria operam adhibens, mirificum opus inchoans optime consummavit. Nam effosso clandestino antro summa cum reverentia præfata sancta corpora elevans in occidentali plaga ejusdem ecclesiæ, hoc est in ambitu absidæ honorifice collocando occuluit, circa quæque maximæ molis aggrauans aggerem, comptum ministris lapidibus tribunal erigens decoravit. Supraque confessionem respicientem ad ortum solis miri odoris cælaturas ornata compagine coaptavit. Infra consurgentem siquidem basin altaris, miri metri, & ornatus modulo ex argento perspicue in honorem sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, e lata scilicet priori, erexit inter consurgentes pulcri operis gradus. Ante quam presbyterium amplum operosi operis funditus construxit. Cui ex septentrionali plaga lapidibus circa septum matroneum apposuit. Sed & decorem altari addens, & matrem domini meritis honorans muneribus, fecit ibidem vestem chrysoclavam cum blatta Byzantea habentem historiam nativitatis & resurrectionis Domini nostri Iesu Christi. Et insuper imaginem beatæ Dei genitricis Mariæ refoventem imaginem oblatoris sui.

Ipse vero a Deo protectus & præclarus pontifex fecit amas argenteas sex, quæ præcedunt per omnes stationes, pensantes libras tredecim. Scyphos duos, pensantes singulos libras decem. Gemmiliones octo pensantes singulos libras duas.

Hæc denique postquam omnia, Deo favente, a sæpe dicto pontifice decenter expleta sunt, ea quæ in ecclesia beati Petri apostoli foris muros longe iam senio cassata videbantur, ad pristinum statum cultumque perduxit.

Nam pene totam porticum super oratorium sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ Mediana dicitur, noviter ex trabibus ceterisque lignis ob decorem basilicæ decoravit. Imo & aliam similiter porticum ante valvas argenteas novo opere cultuque præcipuo perfecit. Nec non & in fronte paradisi jam fatæ ecclesiæ principali musivo cuncta quæ a priscis temporibus in eodem pariete erant diruta velocitate nimia pingere ac restaurare decrevit.

Renovavit simul & porticum ejusdem basilicæ, quæ super gradus ejus esse perspicitur, per quos populos orationis voto indifferenter habet ascensum. Fecit etiam iuxta acoliti pro quiete pontificis, ubi post orationes matutinales, vel missarum officia eius valeant membra soporari, hospitium paruum, sed honeste constructum, & picturis decoravit eximiis. Igitur inter cetera bonæ operationis exempla fecit & in patriarchio Lateranensi pro utilitate, sive usu pontificis, prope oratorium sancti Christi martyris Laurentii, habitaculum satis idoneum, ubi & quies est optima, & cum clericis suis pontifex inde egrediens omnipotenti domino debitas poteit laudes persoluere.

Igitur post hæc omnia quæ superius ædificata leguntur de ædificiis iam dirutis, & præ magnitudine temporum pene casuris, quæ infra palatium ab antiquis patribus videbantur esse constructa, beatissimus iam sæpius nominatus papa Gregorius novo cultu & opere a fundamentis erexit atque composuit. Nam descensum qui paracellarium respicit, per quem antea homines veluti in nocte ascendebant vel descendebant, ita noviter reformavit, ut nulla inde transeuntes deinceps, ut ante, obscuritas valeat præpedire, a quo videlicet loco usque ad oratorium sancti Laurentii cuncta quæ erant vetera restauravit. Et alia nova adiecit, in quibus tres caminatas fieri iussit.

Renovavit imo & balneum quod iuxta paracellarium situm est a fundamentis per totum, & marmoribus ceterisque placabilius operibus decoravit. Nam prius vetustatis longitudine casurum esse videbatur, nisi mens, vel optimum tanti pontificis studium illud ad priorem statum reducere decrevisset. Pari modo & in ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, fecit vestem auritextilem habentem historiam palmarum, & cœnam domini. Alia dona.

Item in venerabili monasterio sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, & sancti Cornelii & Callisti, quam vocant Trans Tiberim, fecit canistra numero sex, quæ pensant insimul libras decem & octo. Scyphum unum pensantem libras octo & uncias quatuor. Canthara cum thymiamaterio pensantia libras tres. Siclonem unum pensantem libras tres.

Perfectis autem his omnibus atque examussim patratis, quoniam iam, sicut sæpedictum est, eius sancta, veneranda ac recolenda simplicitas, utque in Dei erat omnipotentis semper intenta servitio, ita quoque de populi futura salute & liberatione patriæ indifferenter erat solicita, ne ab hostibus Deo non permittente quoquo modo caperentur. Et quoniam huius sacratissimi patris ac papæ temporibus impia, atque nefaria, & Deo odibilis Agarenorum gens a finibus suis consurgens pene omnes insulas & omnium regiones terrarum circuiens, deprædationes hominum, & locorum desolationes atrociter faciebat, easque hactenus facere nullatenus cessat. De quibus quoque insolitis atque cavendis periculis, misericordissimus præsul magnum habens timorem, ne populus a Deo sibi & beato Petro commissus apostolo, qui in Portuensi vel Ostiensi civitatibus habitavit, a Saracenis nefandissimis tribulationis ac deprædationis sentirent iacturam, intimo trahens ex corde suspiria, cœpit prudenter inquirere, quomodo civitatem Ostiensem adiuvaret, ac liberare potuisset. In eius statim omnipotens Deus hoc dedit corde consilium, ut civitatem ibidem qua populum salvare vellet, a fundamentis noviter construere debuisset, quoniam ea quæ priori tempore ædificata fuerat longo quassata senio nunc videretur esse diruta. Fecit autem iuxta quod ei fuerat divinitus inspiratum: in prædicta enim

Solicitudo papæ contra incursus Saracenorum.

prædicta enim civitate Ostiensi civitatem aliam a solo valde fortissimam, muris quoque altioribus, portis simul, ac seris, & cataractis eam undique permunivit, & desuper ad inimicos, si venerint, expugnandos petrarias nobili arte composuit, & a foris non longe ab eisdem muris ipsam civitatem altiori fossato præcinxit, ne facilius muros isti contingere valerent.

Quando autem sepedicta civitas novę fabricę initium meruit, ipse ibidem sanctissimus papa per se multis residens diebus partem quamdam murorum non modicam cum suis hominibus quasi in sortem percipiens a fundamentis erexit.

De qua donec, Deo prosperante, crebro dicta civitas ad legitimum totius fabricę finem perducta est, multos exinde labores in suo sancto pectore, vel certamina indesinenter sustinuit. Cui etiam noviter civitati constructę, hoc nomen in sempiternum statuit permanendum, scilicet ut ab omnibus sive Romanis, sive aliis nationibus a proprio quod ei erat nomine, id est Gregoriopolis, vocaretur. Et revera merito hoc a conditoris sui nomine vocabulum sumpsit, quia quod nullum legimus fecisse pontificem, iste Dei omnipotentis auxilio, simulque virtute munitus, pro populo ac liberatione patrię ante iam nominatum opus mirabili decore fabricę construxit atque composuit.

Novam Ostiam papa condit.

His itaque in suis locis manentibus fecit idem coangelicus atque eximius præsul in basilica Salvatoris domini nostri Iesu Christi iuxta patriarchium Lateranense vestem cum chrysoclavo habentem in fronte altaris historiam beatissimorum Baptistæ atque euangelistę Ioannis. Et per altaris circuitum similiter uno corpore cohęrentiam, quasi vela similiter de chrysoclavo, & quasdam picturas habentium in modum gryphorum cornua in frontibus picta. Fecit etiam in monasterio beatissimi martyris Christi Laurentii, quod dicitur Pallacinis, canistra de argento sex, & cerostata duo inducta. Scyphum unum argenteum, & amam similiter de argento.

Dona in ecclesia sancti Salvatoris.

Sancti Laurentii.

Fecit etiam in oratorio sanctissimi papæ Gregorii sito infra ecclesiam beati Petri apostoli columnellas argenteas quatuor habentes libras argenti numero quadraginta.

Extruit domos.

Post hæc autem omnia ipse venerabilis pontifex in curte quæ cognominatur Draconis, domum satis dignam undique porticibus ac solariis circumdatam a solo noviter fieri statuit, in qua tam ipse, quamque etiam futuri pontifices cum omnibus qui eis obsequuntur, quamdiu eis placuerit, ibidem statiose immorari valeant. Fecit autem similiter & in curte alia, quę Galeria vocitatur, domum aliam largam ac spatiosam, satisque præcipuam ad opus atque utilitatem pontificum, ubi obediens opportunum fuerit, ut cum omnibus qui eis famulantur amplissime hospitentur. Item sæpedictus idem almus pontifex atque præclarus superno amore exardescens fecit in basilica sanctæ intactæque virginis Dei genitricis dominæ nostræ Mariæ, quæ cognominatur Ad martyres, cyborium ex argento purissimo, pensans simul libras quadringentas. Simul & coronam ex argento purissimo unam pensantem libras decem & semis.

Dona ecclesiarum.

Similiter autem fecit in basilica beati Marcelli confessoris atque pontificis coronas ex argento purissimo tres pensantes simul libras ..... Imo vero & in diaconia beati Georgii martyris fecit velum Alexandrinum, habens phasianos duodecim, & vela ante ianuas lineum plumatum unum.

A Qui beatissimus pontifex postquam sedem Romanam & apostolicam annos sexdecim gloriosissime rexit, ex hac luce subtractus ad æternam migravit requiem. Fecit ordinationes quinque per mensem Martium & Decembrem, seu septem, presbyteros ..... diaconos ..... episcopos per diversa loca numero 185. sepultus vero in basilica beati Petri apostoli.

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Gregorius.*] Vigesima quarta Septembris anno 827. Gregorius omnium virtutum corona decoratus, instinctu Spiritus sancti unanimi consensu totius populi & universi cleri electus est in pontificatu successor Valentini. A translatione sancti Gregorii pontificatum, quem frustra subterfugere conabatur, inchoavit, ut sanctissimi patris intercessione munitus, munus pontificale onerosissimum citra dispendium propriæ salutis, & damnum universi gregis dominici, ad finem usque humeris suis perferre posset. Michaele ex morbo dysenteriæ defuncto, succedit in oriente Theophilus Iconoclasta crudelissimus.

Gregorius quando sedere cœperit.
Translatio corporis sancti Gregorii.

B Ad componendas seditiones inter Ludovicum imperatorem eiusque filios exortas, de quibus infra, venit in Germaniam pontifex pacis & concordiæ amantissimus: nihil vero apud sceleratos filios effecit aliud, quam quod eosdem sibi & universæ ecclesiæ Romanæ infensiores reddiderit, cum impiissimorum filiorum conatibus adversus patrem agitatis consensum præbere recusaret. Qua occasione Ludovicus imperio exutus paulo post eiusdem sceptra receperit, dicam infra in notis concilii apud Compendium habiti.

Greg. IV papa proficiscitur in Germaniam.

Ludovicum imperio restitutum, teste Sigeberto, monuit Gregorius, ut in Gallia atque Germania festivitas omnium sanctorum Kalendis Nouembris celebraretur, C quam hactenus Romani ex instituto Bonifacii papæ celebrare consueverant. Monitis Gregorii papæ cum Ludovico omnes Franciæ Germaniæque episcopi mira consensione obtemperarunt. De quibus Alcuinus" huius sæculi scriptor celeberrimus in commentariis de divinis officiis hæc ait: *Constitutum est, ut plebs universa per totum orbem in Kalendis Novembribus, sicut in die natalis domini, ad ecclesiam in honorem omnium sanctorum ad Missarum solennia convenire studeat, ut quidquid fragilitas humana per ignorantiam aut negligentiam in solennitatibus sanctorum minus plene peregisset; in hac sancta observatione solueretur.*

Festum omnium sanctorũ Kalendis Novembris celebrari iubet.
" Obierat jam ab an 804.

Anno pontificatus Gregorii undecimo Pippinus rex Aquitaniæ moritur, cuius regnum a Ludovico inter Lotharium, quem in gratiam receperat, & Carolum posterioris matrimonii divisum, novas discordias genuit. Huius enim gratia Ludovicus rex Bajoariæ contra patrem arma, D quæ semel deponere coactus fuerat, resumens, parenti huiusmodi incommoda peperit, quæ illi mortem conciliarunt, anno imperii vigesimo septimo. Successit patri in imperio Lotharius, qui cum monarchiæ cupidus esset, adversus fratres bella movit, non sine magna rerum suarum iactura. Quem enim Ludovicus & Carolus crebrioribus legationibus ad pacem & concordiam ineundam, inducere non poterant, cruento tandem certamine, iustitia comite victum atque fugatum, iusto iudicio episcoporum regno Franciæ exuerunt, illudque, teste Nithardo nobilissimo Franco, & Caroli Magni nepote ex Berta filia, inter se diuiserunt: postea vero quam supplex peteret sibi regnum restitui, consilio episcoporum ad partem regni capiendam ex gratia admissus fuit.

Galliæ status quis?

Post obitum Theophili imperatoris opera Michaelis & Theodoræ Augustæ, hæresis Iconoclastarum in oriente penitus est dissipata, & orthodoxa religio per Methodium Constantinopolitanum catholicum antistitem restituta.

Iconoclastarum hæresis sublata.

E b *Sebastiani.*] Partem corporis sancti Sebastiani, opera Hilduini ab Vrbe evectam, delatam esse in Gallias, reconditamque in monasterio sancti Medardi, testatur Ado Viennensis in chronico.

c *Nam ecclesiam tunc beati confessoris.*] In hunc sancti Marci titulum Gregorius a se nobilissima structura exornatum intulit corpus sancti Hermetis martyris. Quibus vero miraculis eiusdem martyris articulus in Galliam translatus fuerit, refert Eginhardus lib. 4. cap. 24.

Quoniam huius sanctissimi papæ temporibus.] Eadem ex causa Gregorius, teste Sigeberto, alterius novæ civitatis fundamenta iecit, ut basilicam sancti Petri extra Vrbem positam tutam redderet. Addit Leoninam esse dictam, ideo quod cœptam a Gregorio, Leo IV. perfecerit. Verba Sigeberti hæc sunt: *Gregorius papa dolens crebris Saracenorum incursionibus vexari & vastari suburbium urbis*

Vrbs Roma ampliata.

Romanæ

Romanæ circa ecclesiam beati Petri apostolorum principis, intendit illic urbem novam ædificare: ad quod consilio & auxilio imperatoris animatus, novam fabricam fecit, sed non perfecit: Leo enim eius nominis quartus, cœptum opus absolvit. Hæc Sigebertus.

EPISTOLA I. GREGORII PAPÆ IV. AD UNIVERSOS EPISCOPOS.

De Aldrico Cenomanensi episcopo non alibi quam apud sedem apostolicam accusando, & de Romani pontificis potestate.

Dilectissimis fratribus universis coepiscopis per Galliam, Germaniam, Europam, & per universas provincias constitutis, Gregorius servus servorum Dei.

DIVINIS præceptis & apostolicis salubettimis incitamur monitis, ut pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu. Et quia cunctarum divina dispensatione ecclesiarum curam gerimus, omnibus nostra poscentibus suffragia apostolica auctoritate subvenire optamus. Quoniam divinæ virtutis ac infirmitatis humanæ sanctio est, ut omnium ecclesiarum negotia ad nostræ reparationis tendant affectum. Quapropter has ad vos literas destinamus, quibus decreto nostro vestram rogantes caritatem mandamus, ut si aliquis, quod non optamus, suorum æmulorum, Aldricum Cenomanicæ ecclesiæ episcopum accusare damnabiliter attentaverit, ut honoretur beati Petri apostolorum principis memoria, ecclesiæque Romanæ cui præsedit privilegium, & nostri nominis auctoritas; liceat illi post auditionem primatum diœceseos, si necesse fuerit, nos appellare, & nostra auctoritate, aut ante nos, aut ante legatos nostro ex latere missos, iuxta patrum decreta suas exercere atque finire actiones: nullusque illum ante hæc judicet, aut judicare præsumat. Sed si quid, quod absit, grave intolerandumque et objectum fuerit, nostra erit expectanda censura, ut nihil prius de eo, qui ad sinum sanctæ ecclesiæ Romanæ confugit, ejusque implorat auxilium, decernatur, quam ab ejusdem ecclesiæ auctoritate fuerit præceptum: quæ sic vices suas aliis impertivit ecclesiis, ut in partem sint vocatæ solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Proinde dilectio vestra, quorum devotione gaudemus, jungat curam suam dispositionibus nostris, & det operam, ut non cujusquam præsumptione circa memoratum fratrem, vestra provisione, vel successorum vestrorum, si ipse superstes fuerit, aliter quam hic insertum est, ullomodo decernatur, sed hæc quæ ad ejus tuitionem atque defensionem prædicta hic auctoritate suggesta sunt, ac salubriter ordinata, absque ulla apologia pleniter impleantur. Si autem, quod non arbitramur, a quoquam secus præsumptum fuerit, & ab officio cleri submotus, & injuriarum reus ab omnibus judicetur; ne lupi, qui sub specie ovium subintrarunt, bestiali sævitia quosque audeant dilacerare, & quod sibi fieri nolunt, aliis inferre præsumant. Nec quisquam frivolus aut contentiosus, sive contumax, hæc nos irrationabiliter præcipere contendat, cum & auctoritate canonum, & prædecessorum nostrorum decretis sancitum sit, ut episcopus accusatus, si voluerit, appellet Romanum pontificem, & ad eum, si libuerit, confugiat, ut ab eo ejus audiatur causa, aut ipse a latere suo legatos qui eam audiant mittat, qui juste cum omnibus episcopis comprovincialibus ejus auctoritate judicent. Quæ omnia hic necesse non est inserere, ne proditores magis quam præceptores esse videamur. Et sanctæ recordationis Innocentius antecessor noster inter cetera sic ait: Si majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, ut Nicæna synodus definivit, & inveterata consuetudo exegit, referant. Et multa alia, quæ in suis auctoribus pleniter inveniuntur. Nec alicui fratri hæc gravia aut inutilia videri debent: quoniam sicut prædicto fratri sancti Petri & nostræ sedis auctoritate succurrimus, ita omnibus, quibus necesse fuerit, & debemus subvenire, & impigre volumus. Et sicut quisquam sibi subvenire cupit, ita & alium adjuvare debet, & non ejus auxilium moleste ferre, cum apostolus moneat omnes *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Nos vero ad hunc finem omnem nostrum affectum curamque dirigimus, ut quod ad exaltationem sanctæ Dei ecclesiæ, & quod ad custodiam & profectum pertinet sacerdotum, nulla dissensione violetur, nulla desidia negligatur. Super quibus si quis arguere voluerit, aut extra auctoritatem facere contenderit, veniat ad sedem apostolicam, quo omnia ecclesiastica negotia, de quibus quæstio habetur, confluere jussa sunt: ut ibi ante confessionem sancti Petri mecum juste decertet, quatenus inibi unus ex vobis sententiam suscipiat suam. Vos fratres hortamur & monemus, ut quæ a nobis pie vobis circa prædictum fratrem mandata sunt, ejusque pro simplicitatis defensione salubriter ordinata atque injuncta, nulla concertatione turbentur: quoniam non intervenit temeritas præsumptionis, ubi est diligentia. Nemo vestrum quod suum est quærat, sed quod alterius est, & quod apostolus inquit: *Vnusquisque proximo suo placeat in bonum*, & reliqua. Præceptis ergo apostolicis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam, quæ a sancta Romana & apostolica auctoritate jussa sunt salutifere impleantur, si ejusdem sanctæ Dei ecclesiæ, quæ est caput vestrum, communionem habere desideratis. Qui autem se sciunt quibusdam esse præpositos, non ferant moleste aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam quam exigunt etiam ipsi defendant. Vnde liquet quod omni studio devotionis unanimes divinis & apostolicis præceptionibus parere debeatis, & in nullo inobedientes, quod absit, effici. Nam licet plerumque accidant in sacerdotibus quæ sunt reprehendenda, plus tamen erga corrigendos agat benevolentia quam severitas, plus cohortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas; cum nemo nostrum sine reprehensione aut sine peccato vivat. Nam si dominus statim post trinam negationem beatum Petrum apostolum præceptorem nostrum judicasset, non tantum ex eo fructum, sicut fecit, recepisset. Expectandi ergo atque corrigendi magis sunt rectores ecclesiæ, quam statim & absque nostro consulto judicandi: cum majora negotia, & difficiliores causarum exitus, sanctorum patrum canones spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia consecrati, jubeant sub nostræ sententiæ expectatione suspendi, nostroque moderamine finiri. Vnde necesse est hæc & alia ecclesiastica quæque negotia, post multarum experimenta causarum, solicitius prospici, & diligentius præcaveri:

Marginal notes: 2. qu. 6. Decreto nostro. — Ivo part. 5. cap. 349. — Ivo part. 5. cap. 11. — Ibid. §. Si autem. — Rom. 12. — 2. qu. 7. Si quis arguere. — Rom. 15. — Dist. 12. Præceptis apostolicis. — Dist. 45. Licet plerumque. — Ivo part. 5. cap. 368.

quatenus per spiritum caritatis & pacis omnis materies scandalorum, & præsumptio invidorum, atque oppressio simplicium de ecclesiis Domini auferantur. Et sicut non vult quisquam fratrum se aliorum iudicio prægravari, ita non audeat aliis inferre quod sibi non vult fieri, reminiscens præceptum domini saluatoris, quo ait: *Nolite iudicare, & non iudicabimini, in quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini.* & reliqua. Nihil ergo per nostram facilitatem tribunalis excelsi iudici derogare debemus, cum illa sint rata quæ pia, quæ vera, quæ iusta sunt; & aliter necessitatis, aliter tractanda est ratio voluntatis. Nullum enim intemeratum reliquit inimicus, idcirco succurrendum est irretitis; conterendus ergo est venantis laqueus, ut fugatis lamentationibus, tam in iusto moderamine, quam compunctione pietatis, apostolica auctoritate sol iustitiæ in oculis splendeat corruentium. Nec pigeat forsitan aut pudeat nostris obedire mandatis, aut apostolicæ sedis observare præcepta, quia humilibus dat gratiam, non superbis. Nam nulli fas est vel velle vel posse transgredi apostolicæ sedis præcepta, nec nostræ dispositionis ministerium, quod vestram sequi oportet caritatem. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus quisquis apostolicis voluerit contraire decretis, nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris a sancto ministerio fiat, nec de eius iudicio quisquam postea curam habeat, quoniam iam damnatus a sancta & apostolica ecclesia hac auctoritate, sua de inobedientia atque præsumptione, a quoquam esse non dubitatur: quia maioris excommunicationis deiectione est exigendus, cui sanctæ ecclesiæ commissa fuerit disciplina, qui non solum præfatæ sanctæ ecclesiæ iussionibus parere debuit, sed etiam aliis ne præterirent insinuare; sitque alienus a divinis & pontificalibus officiis qui noluit præceptis apostolicis obtemperare. Maneat itaque memoratus Aldricus hac apostolica auctoritate usque ad præsentiam sedis apostolicæ semper episcopus, nec, antequam huc veniat, talium aut aliorum verbis intendat nocivis, neque eorum succumbat iudicio, aut ullam sævam suscipiat sententiam, nec nobis sicut illi, quod minime arbitramur, inobediens existat. Prædictæ apostolicæ sedis sanctæ, si voluerit & necesse fuerit, appellet antistitem, & ad eum libere absque ullius pergat impedimento. Et cum nec colligari, nec iudicari, nec damnari a quibusdam possint episcopis, qui apostolicis fuerint fulti auctoritatibus; quanto minus ab illis si factum, quod fieri non credimus, fuerit, qui eorum inobedientia atque protervia facta iam sunt damnati auctoritate? Quia non aliter persecutores fratrum, quam sedis sanctæ iussionibus, cui omnis orbis caput inclinat, inobedientes corrigere, seu regere iuxta præcedentium patrum exempla possumus, nisi eos zelo fidei dominicæ persequamur, & a sanis mentibus, ne pestis hæc latius diuulgetur, in seueritate qua possumus abscindamus. Quisquis namque conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram sedis apostolicæ minime defuturam. Et qui monitis noluerit obedire apostolicis, necesse est ut severitatis regula vindicetur, ne aliquis hoc faciat, aut fieri sinat, unde alium vel capiendo decipiat, sibique causas generet, quibus reus constitutis decretalibus fiat. Cavete, fratres, negligere præfata, cavete tentare prohibita, ne prædictis involvamini retinaculis. Nolite sæpedictum fratrem absque nostra, ut prædictum est, præsentia aut auctoritate iudicare, vel condemnare, aut gravare. Sed, sicut apostolicis est munitus præsidiis, ita vestris fulciatur auxiliis, sitque ab omnis sacerdotalis catalogi laqueo, aut oppressione, vel iudicio humano, intactus & liber usque ad nostrum, ut præfatum est, iudicium, qui beati principis apostolorum Petri meruit adipisci auxilium. Contra caput ergo nolite vos extollere. Nolite beati clavigeri Petri, cuius vice legatione pro Christo fungimur, sedem, eiusque sedis auctorem spernere, ne eius patiamini offensionem, aut scandalum ecclesiæ generetis, sed magis solliciti pro fratrum salute & liberatione estote, & pro sanctæ Dei ecclesiæ salute summopere laborate. Armamini caritate, non severitate, omnibus vobis ac sigillatim occurrat caritas, & vinculis, quæ mille modis a Christo soluantur, vobiscum pariter in perpetuum connexa lætetur in Domino. Ceterum insectatores fratrum ecclesiastica disciplina comprimere & erudire debetis, qui statum maiorum non tenentes, Dei sacerdotes, atque sanctam ecclesiam, quæ in sacerdotibus maxime constat, principum & populorum favorem sequentes, & Dei iudicium non timentes, sua violare persæpe nituntur præsumptione. His ergo nec factis, nec consiliis, nec manifestis, nec occultis, vos oportet præbere consensum, dicente Domino: *Videbas furem, & currebas cum eo.* Non tantum qui faciunt, sed qui facientibus consentiunt, rei tenentur. Illud dumtaxat debet mentem vestram vehementius excitare, ut ab omni labe sæculi istius immunes ante Dei conspectum & securi inveniamini; ut caritatem non amittentes, & sustentatores fratrum existatis, quatenus iuxta apostolum, unanimes, unum sectantes, permaneatis in Christo, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam vendicantes, non hominibus, sed Deo salvatori nostro per omnia placentes. Hac ergo caritatis glutinatione compescite quæso a memorato fratre: si quorumcumque cognoveritis aut insidias, ut æmulationem, eis dare quoquo modo nolite consensum, quod omnibus durius arbitramur. Si quo pacto conversationes non habet amabiles, habendus tamen pro reverentia sancti Petri, cuius est munitus auctoritate, dilectus. Non nouum aliquid præsenti iussione præcipimus: sed illa quæ olim videntur indulta firmamus: cum nulli dubium sit, quod non solum pontificalis causatio, sed omnis sanctæ religionis relatio, ad sedem apostolicam, quasi ad caput ecclesiarum, debet referri, & inde normam sumere unde sumpsit exordium, ne caput institutionis videatur omitti, cuius auctoritatis sanctionem omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab apostolicę petræ, super quam Christus uniuersalem fundavit ecclesiam, soliditate divelli. Si quis hęc apostolicæ sedis præcepta non observaverit, percepti honoris hostis esse non dubitetur. Sed forte vos vestrique prædecessores in hodiernum non reluctati sunt. Et ne quando contingat ut reluctentur, idcirco denuo repetentes sæpius admonemus, ut vetentur qui huiusmodi fratres turbare visuntur, & prohibeantur aliud, quam ille noster iussit agricola, seminare. Nam qualiter nos qui neminem volumus perire contristent, qui electorum percellunt animos, dominicus in euangelio sermo testatur: Ait enim salvator ipse, quod expediat scandalizanti de pusillis aliquem in maris profundo demergi, & cetera quę ad hunc sensum pertinent. A quibus non sacerdotes, sed & omnes Christiani se cavere debent, quoniam sacerdotes,

Marginalia: Matth. 7. — Ivo part. 5. cap. 11. — Dist. 19. Nulli fas est. — Psal. 49. — Philip. 2. — Dist. 12. præceptis apostol. Non nov — Matth. 18.

sacerdotes, qui throni Dei vocantur, quieti ab omnibus perturbationibus esse debent. Nec ab re ipse salvator vendentes columbas, & nummulariorum mensas proprio flagello evertit, & proiecit e templo. Vnde liquet summos sacerdotes ipsius expectare iudicium. Ad cuius rei confirmationem plurimum valet quod alibi inquit: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit,* & reliqua talia, quæ in suis inveniuntur auctoribus. Illos ergo qui non speculatores esse volunt, excusare non possumus, si fratres, quos tueri & adiuvare pro viribus debemus, improba fœdari contagione permittamus. Vnde hortamur dilectionem vestram, obtestamur & monemus, ut qua debetis solicitudine super his vigiletis: quia in specula esse debetis, ne qua infestantium prorumpat audacia. His ergo pro viribus resistite, quia nefas est prægravari religiosos, pati fratres, quorum afflictione, quia membra sunt nostra, nos quoque convenit macerari, crucemque iuxta domini salvatoris vocem ferre, qui ait: *Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quamquàm maneat his beatitudo promissa, quicumque probantur persecutionem propter iustitiam sustinere. Quibus quid promittat ipse salvator in futurum sequens sermo declarat. Intelligamus hæc ipsa vobis quæ nobis non placent displicere. Quod ita demum probare poterimus, si quibus manum porrigimus, vos nobiscum porrigatis, ut cui & vos manum porrigetis, vobiscum porrigamus: quia non aliter unus grex & unus pastor sumus, nisi quemadmodum apostolus docet, dicens: *Idipsum dicamus omnes, simusque perfecti in eodem sensu & in eadem sententia.* Deus vos incolumes memores nostri custodiat, fratres carissimi.

[Margin: Matth. 21. Psal. 81. Matth. 16. 1. Cor. 1.]

II. AD EPISCOPOS ET ORTHODOXOS FIDELES.

Ebonem archiepiscopum Rhemensem depositum in pristinum gradum restituit.

Gregorius episcopus servus servorum Dei reverentissimis in Christo sanctissimisque fratribus coepiscopis, cunctis quoque principibus orthodoxis, & universis catholicæ ecclesiæ fidelibus.

CVM divina instigatione soliciti circa gregem dominicum diligenti cura semper invigilare debeamus in prosperis, quanto magis in adversis nimiis quæ pro peccatis contigerunt nunc in diebus nostris? sicut dolendi sunt illi, qui inter flagella Dei maligna semper intentione perseverando pereunt, ita & congratulandi, non abiiciendi sunt, qui correpti tanta castigatione corde contrito & humiliato se corrigibiles reddunt, super omnia etiam magnificandi sunt, qui in pressuris corde perfecto & optimo probati, salutaribus exemplis fructum vitæ inviti minoribus conferunt. Gratias igitur immensas domino Deo nostro merito agimus, carissimi, pro tanto triumpho vestro, qui inter medias mundanas acies, & nimias tentationes diabolicas, vos examinando probavit, atque sibi servavit illæsos? ita ut neque in dexteram neque in sinistram declinantes, offensionem Dei vitando, cautissima subtilitate mundana pericula superastis. sicut & inter multa alia magna certamina vestra, non fuisse minima fratris nostri Ebonis archiepiscopi causa, ut & per multos relatores fideles sæpe comperimus, quod nec canonice

A vocatus, sed violenter ab ecclesia raptus, diversaque exilia passus, arcta quoque sub custodia trusus, nullo certo crimine convictus, nec sponte confessus, quia absente ecclesia sua alterius sub potestate erat constrictus, & sic a mundana potentia vobis adductus est discutiendus, vel deponendus. Quam ergo vulgo natam irrationabilem vim compatiendo mirabili circumspectione placastis, cum furores persequentium humili satisfactione eius sic mitigastis, quatenus divinam vel humanam offensionem pariter evaderetis: sicque fratrem illæsum aptiori tempore provida industria reparandum servastis, sicut & de veris Christi membris legitur: *Cum patitur unum membrum, compatiuntur cetera membra.* 1. Cor. 12.
B Claruit etiam hæc benigna intentio vestra, dum quantulacumque vobis ecclesiastica pace, mox imperiali, episcopalique auctoritate in sede restitutus debita, cui facta fuerat direptio violenta, ibique publico ex consensu pontificale, ut debuit, recepit & gessit solitum officium, donec succensis iterum litibus principum, pro pacificanda dira seditione cum ceteris regni fidelibus se obtulit. Qua mitigata, protinus repentina imperiali iussione, pro concordia & unitate Christiani populi, partibus orientis directus, præceptoribus suis libenter pro viribus obedivit. Quibus autem omnibus sic laudabiliter actis, votum visitationis, quod in angustiis suis domino, vel beato Petro
C principi apostolorum vovit, multis laboribus fessus ad sedem apostolicam tendens promissa fideliter implevit. Qui & sancti principis apostolorum suffragiis fidus, cui ligandi solvendique divinitus erat data potestas, sicut eum a corporalibus eripuit periculis, ita & propitius a cunctis peccatorum absolveret vinculis. Quapropter & nos hæc omnia diligenter considerata, ipsam confessionem, quam secrete vobiscum egit, nobiscum & per omnia contulit. Subscriptionem etiam, quam perterritus ut evaderet composuit, similiter & sanctæ Romanæ ecclesiæ ostendendo satisfecit. In quibus vero omnibus, quia certum depositionis aut legitimæ absolutionis crimen nullum reperimus, ideo inviolabili caritati vestræ fidenter ipsum
D committimus; quia, si absque crudeli persecutione eius possibile est, una vobiscum illum debitæ sedi restituendum cupimus. alioquin tamen non oportet episcopos divinitus sibi consortem negligere episcopum, cui non solum similiter, sed etiam per pœnitentiam innovatum sanctum ipsius dignitatis cognovimus spiritum Davidica recuperatione; qui pœnitens Spiritu sancto recto, sive principali, innovatus atque confirmatus, summa cum fiducia etiam & impios postea docendos & revocandos pro domino Deo suo spopondit, perpetuisque benignitatis exemplis exoluere fideliter procuravit.
E Nam & summus apostolorum, cuius vicem indigni gerimus, si discipulatum in periculis negavit, non tamen abiectus, sed pie revocatus, pristinam dignitatem obtinuit, & quomodo aliis miserandum esset in semetipso didicit. Pater insuper ille euangelicus larga pietate prodigum filium non repulit, sed perditum gravisus recepit, honoratumque statui pristino reparauit. Ipse etiam veris sectatoribus suis instituit, dicens: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Quia Luc. 6. Matth. 5.
& beatos esse misericordes in cunctis mundi partibus copiosus in misericordiis idem dominus dominantium declaravit. His etenim multiplicibusque veteris ac novi testamenti documentis instructi, euangelicam atque ecclesiasticam dispositionem fideliter agimus, si persecutionem passis, &

 ad aliam

ad aliam civitatem confugientibus episcopis proficiendi in locis vacantibus liberam annuimus facultatem. Quanto magis huic præfato fratri nostro, qui quondam ex gloriosi Cæsaris totiusque imperij consensu nobis coniunctus, & apostolicis privilegiis insolubili caritatis vinculo sanctæ Romanæ ecclesiæ confirmatus? Vbi & euangelizandi legatione percepta, quocumque melius poterit proficere loco, pro viribus ita semper insistat, ut a divino cœpto negotio lucrandique talento nequaquam deficiat, quia sicut de neglecto tanto officio illi divinam offensionem, ita & impedientibus cælestem indicimus ultionem: & sicut adjutoribus eius divinam imploramus gratiam, ita & nocentibus, quam non optamus, terribilem damnationis denuntiamus vindictam. Qua denique summa auctoritate undique munitum, more prædecessorum nostrorum, ipsum sacro ordini nostro merito adscribimus, vel omni pristino episcopali officio decoratum esse præfigimus, sive scriptis his publicis digne permanendum inviolabili confirmatione, sicut in privilegiis eius prioribus continetur, iure apostolico roboramus.

Codex Lavdvnensis. *Hæc compilata epistola ex parte Gregorij quam sit mendax, ipsa evidens ratio monstrat: quia tempore Gregorij, ex cuius nomine ista conscribitur, imperator Hludouvicus ab imperio est depulsus, & Ebo post restitutionum ipsius imperatoris suo & episcopali iudicio est depositus, & a Sergio successore Gregorij sub laica tantum communione est condemnatus.*

a EPISTOLA LVDOVICI PII AVGVSTI AD HILDVINVM ABBATEM S. DIONYSII.

De conscribenda vita sancti Dionysij episcopi Parisiensis.

In nomine domini Dei & salvatoris nostri Iesu Christi, Ludovicus divina repropitiante clementia imperator Augustus, Hilduino venerabili abbati monasterij sanctissimorum martyrum, ac specialium protectorum, Dionysij preciosi, sociorumque eius, æternam in Christo salutem.

Qvantvm muneris atque præsidij, non modo nobis, ac prædecessoribus, seu progenitoribus nostris, verum etiam totius imperij nostri populis, domini providentia per beatissimum Dionysium sæpenumero, imo continue, in magnis gratiarum ubertatibus contulerit, cunctę per transacta tempora Galliæ nationes senserunt, quæ eius insigni apostolatu fidei rudimenta sumpserunt. Prædecessores autem nostri gloriam huius eximij testis & amici Dei non inaniter coluerunt: qui dum eius sacras exuvias in terris, ob amorem & honorem domini nostri Iesu Christi, opibus quibus poterant honoraverunt, per eius preces dignissimas honoris privilegio potiri & in terrenis & cælestibus meruerunt. Vt videlicet unus ex priscis Francorum regibus Dagobertus, qui eumdem preciosissimum Christi martyrem veneratus non mediocriter fuerat, & immortali est vita sublimatus, & per eius adiutorium, sicut divina ac cælestis ostensio perhibet, a pœnis est liberatus, inque vita perenni desiderabiliter constitutus. Progenitores quoque nostri mellifluum nomen domini Dionysij (sic enim verbis ac scriptis suis eum appellare consuevere) non incongrue pia dilectione & dilectissima pietate amplexi sunt. Quia proavus noster Carolus, princeps Francorum inclytus, per orationes ipsius excel-

A lentissimi martyris indeptum se fuisse gratulatus est apicem principatus, eidemque, decurso mortalitatis tempore, quod carius potuit habere depositum, corpus scilicet proprium, in magni die iudicij suscitandum, & animam Domino præsentandam, fideliter commendavit, ac pro hoc maxime devotionem atque fiduciam cordis sui erga peculiarem patronum potenter ostendit. Sanctæ nihilo minus recordationis avus noster Pippinus, propter altare, quod ante sepulcrum sæpe fati sæpiusque dicendi domini Dionysii, per divinam & memorabilem revelationem, iussu ipsius sanctissimi martyris, in honorem Dei & apostolorum Petri & Pauli, qui præsentes ostendebantur, a beato & B angelico viro Stephano summo pontifice dedicatum est, intra sacra missarum solennia, una cum duobus filiis, Carolomanno videlicet, & divæ memoriæ domino ac genitore nostro Carolo, iure prænominato Magno, ab eodem apostolico papa in regem Francorum unctus, superni muneris benedictionem percepit. Quique cum quanta se humilitate ante limina basilicæ sanctorum martyrum, defuncto ipsius vitæ curriculo, sepeliri præceperit, titulus etiam ipsius conditorii innotescit. Sed & nos multis ac frequentibus largitionibus beneficia eius sumus experti: præcipue tamen in humanæ varietatis eventu, quo Dei, ut semper fatendum est, iusto iudicio in virga eruditionis suæ visitati, & baculo speciosæ misericordiæ eius ante C præscriptum altare, per merita & solatium domini ac piissimi patris nostri Dionysii, virtute divina erecti & restituti sumus, cingulumque militare iudicio atque auctoritate episcopali " resumpsimus, & usque ad præsens ipsius gratioso adiutorio sustentamur. Idcirco, venerabilis custos ac cultor ipsius provisoris & adiutoris nostri domini Dionysii, monere te volumus, ut quidquid de eius notitia ex Græcorum historiis per interpretationem sumptum, vel quod ex libris ab eo patrio sermone conscriptis, & auctoritatis nostræ iussione ac tuo sagaci studio interpretumque sudore in nostram linguam explicatis, huic negotio inseri fuerit congruum, quodque etiam Latinis codicibus iam inde habes inventum, adiunctis eis quæ in libello D eius passionis continentur, nec non illis quæ in tomis vel chartis vetustissimis armarii Parisiacæ ecclesiæ, sacræ videlicet sedis suæ, prolatis inveneras, & obtutibus nostræ serenitatis ostenderas, secundum quod rerum, causarum etiam, & temporum convenientiam noveris, in corpus unum redigas, atque uniformem textum exinde componas; quatenus devotis compendiosius valeat innotesci, & fastidiosis minusve capacibus vel studiosis lectionis possit tædium sublevari, pariterque omnibus ædificationis utilitas provideri. His ita contextis, volumus ut revelationem ostensam beato papæ Stephano in ecclesia eiusdem sanctissimi Dionysii, sicut ab eo dictata est, & gesta quæ eidem E subnexa sunt, una cum hymnis quos de gloriosissimo martyre atque pontifice habes, & officium nocturnale subiungas. Sed & differenter, ac cum integritate sua, quæcumque ex eo reperta sunt, in altero volumine colligas, nobisque distincte & correcte transcripta quantocius dirigas, aut præsentes; quoniam maximum valdeque dulcissimum pignus desiderabilis præsentiæ illius domini & solatiatoris nostri, ubicumque simus, habere nos credimus, si cum eo, vel de eo, aut ab eo dictis, oratione, collatione, lectione colloquimur. Vale in Christo, vir Dei, in sacris orationibus iugiter memor nostri.

" Kal. Mart. an. 834.

Nota

ANNO CHRISTI 828.

NOTA IACOBI SIRMONDI S. I.

1 *Ludovici epistola ad Hilduinum.*] Præmitti solet Hilduini abbatis sancti Dionysii areopagiticis. Huius epistolæ mandato Hilduinus Areopagitica sua scripsit, primusque omnium Dionysium episcopum Parisiensem eumdem cum Dionysio Areopagita episcopo Atheniensium esse docuit, cum ab omnibus antea distinguerentur: adeo ut in antiquis nuncetiam omnium ecclesiarum Galliæ martyrologiis alius dies natali Dionysii Atheniensis assignetur quinto Nonas Octobris, alius natali Dionysii Parisiensis septimo Idus eiusdem mensis: atque hoc ipsum utriusque natalis discrimen obseruet etiam in martyrologio suo Vsuardus, qui paulo ante Hilduinum, Carolo Magno regnante, in ipsa Parisiorum urbe scribebat in monasterio sancti Germani, ubi & vetusta eius operis, quæ rei fidem faciant, exemplaria servantur. Gallorum autem de Dionysio suo sententiam ignorasse vel dissimulasse Vsuardum quis credat? Ioannes denique Eriugena Scotus, B eiusdem ævi scriptor, in epistola ad Carolum Caluum, quam Latinæ Græcorum Dionysij operum versioni suæ præfixit, ad hanc Hilduini de unico Dionysio novam tum sententiam alludens, non veterum, sed moderni, hoc est sui temporis hominum assertionem fuisse ait. Tam multa porro, & tam aperta sunt, quæ Dionysium Parisiensem ab Atheniensi distinguant, ut mirum sit reperiri aliquos qui in tanta luce nihil videant. Reclamant tamen, & ut duos Dionysios in unum redigant vehementer contendunt: nec contra rem discuti, aut in quæstionem vocari patiuntur; quasi Parisiensium parum intersit providere, ut quam apostolo suo gratiam debent, eam alieno ne tribuant: aut in ecclesiam levis sit iniuria, cum duos sanctitate præstantes episcopos habeat, alterum detrahere.

'' ** Hæc vero quædam veluti præludia sunt ϗ προκιθαρίσματα, si cum iis compares, quæ idem C eruditissimus ætatis nostræ scriptor Sirmondus in cultissimo libello de duobus Dionysiis conscripsit, & post eum alij quamplurimi utramque in partem magnis animorum contentionibus depræliantes.

1 LVDOVICI PII IMPERATORIS CAPITVLARE III.

De iis quæ Aquisgrani privato in placito, sub finem anni DCCCXXVIII. constituit, quando & Concilia episcoporum quatuor in locis fieri iussit, & missos dominicos per universum regnum delegavit.

INDEX CAPITVM.

I. Qualiter conventus episcoporum fieri debeat.
II. Capitula ab episcopis in eisdem conciliis tractanda.
III. Epistola quæ generaliter populo est legenda.
IV. Capitula ad instructionem missorum.
V. Capitula quæ volumus ut diligenter inquirant.
VI. Capitula propter interrogationem missorum constituta, & sub tribus distinctionibus ordinata.

I. *De eo qui sine consensu episcopi presbyterum de ecclesia eiecerit vel constituerit.*
II. *De ecclesiis inter heredes divisis.*
III. *De destructione ecclesiarum.*
IV. *Ne de manso ecclesiæ dato contra sancita servitium exigatur.*
V. *De nonis ac decimis quas quidam dare negligunt.*
VI. *De eo qui decimam dare neglexerit ecclesiæ cuius esse debet, alterique ecclesiæ eam dederit.*
VII. *De decimis a populo dandis.*
VIII. *De vestitura* XXX. *annorum sive de rebus ecclesiæ quæ per triginta annos possessæ sunt.*
IX. *De his qui ecclesias restaurare negligunt de rebus quas in beneficium habent.*
A X. *De his qui agros dominicatos excolere negligunt, ne nonas ex eis persolvant.*

VII. Item alia capitula.

I. *De eo qui beneficium desertum fecerit.*
II. *De malis scabinis eiiciendis.*
III. *De melioribus & veracioribus eligendis.*
IV. *De scabinis qui propter munera & amicitiam iniusta iudicant.*
V. *De legitimis & rationabilibus commutationibus ecclesiarum Dei.*
VI. *De eo qui probatus fuerit testes in periurium scienter duxisse.*
VII. *De discordibus hominibus.*
VIII. *Vt nummos bonos nullus respuat.*
B IX. *De malis quæ a fiscalinis fiunt.*
X. *De collectis malis omnimodis prohibendis.*
XI. *Vt pontes publici, qui destructi fuerint, iterum extruantur.*
XII. *De examine aquæ frigidæ.*
XIII. *De reversione comitis & pagensium de hostili expeditione, ut ex eo die super* XL. *dies sit bannus recisus.*
XIV. *De audientia regis, & ut comites & missi dominici maximam curam habeant pauperum.*
XV. *De inferenda a vicariis, vel aliis missis '' comitum, exigenda.* '' *ministris.*

VIII. Capitula quæ pro lege habenda sunt.

I. *De honore ecclesiarum, de homicidiis in ecclesiis vel in earum atriis commissis.*
II. *De eo qui propter cupiditatem rerum quemcumque propinquorum suorum interfecerit.*
III. *De cuiuslibet propria uxore dimissa, vel sine culpa interfecta.*
IV. *De eo qui res alienas cuilibet homini vendiderit.*
V. *De placitis a liberis hominibus observandis.*
VI. *De liberis hominibus ad testimonium recipiendis.*
D VII. *Vt inquiratur de iis qui in exercitalem ire possunt expeditionem, vel qui fidelitatem necdum promiserunt.*
VIII. *De faidis coercendis.*

IX. Capitula ad generalia placita reservata.
X. Alia capitula ad instructionem missorum.

I.

Qualiter conventus episcoporum fieri debeat.

ANNO sexto decimo regnante domno nostro Hludouvico, conventus episcoporum debet fieri in quatuor locis, id est Mogontiaco, in quo isti archiepiscopi cum eorum suffraganeis convenire debent, Autgarius, Hadebaldus, Hetti, Ber- E nuinus. In Parisio Ebbo, Ragnoardus, Lantrannus, archiepiscopus Senonis qui fuerit, cum eorum suffraganeis. In Lugduno Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericus cum eorum suffraganeis. In Tolosa Notho, Bartholomæus, Adalelmus, Aiulfus, cum eorum suffraganeis. In quibus conuentibus tractare, quærere, & cum Dei adiutorio invenire debent, de causis ad religionem Christianam, & eorum curam pertinentibus: & quid a principibus & reliquo populo, vel ita ut divina auctoritas docet, aut aliter teneatur, vel quid inde ex parte vel ex toto dimissu fit ut non teneatur. Deinquid in ipsorum qui pastores populi constituti sunt moribus, conversatione, & actibus inveniri possit, quod

'' Hieremiæ successit Aldricus abbas S. Petri Ferrar.

quod divinæ regulæ atque auctoritati non concordet: simulque invenire quæ occasiones in utroque ordine id effecerint, vt a recto tramite deviassent. Et quidquid ab eis de his causis inventum fuerit, tam solerti cura custodiatur, ut nullatenus ad aliorum notitiam pervenire permittant ante tempus constitutum. Et ideo unus notarius inter omnes eligatur, qui quod ipsi invenerint subtiliter describat, & sub iuramento constrictus fideliter conservet.

" ** *In cod. S. Remigij add.* Volumus etiam ipsorum conventum fieri octava pentecostes. Missi vero nostri suam incipiant legationem peragere octaua paschæ. *MS. c. Pal. pro* octava *legit utrobique* octavas.

II.

Hæc capitula ab ep scopis in eisdem conciliis tractanda sunt.

I. De decimis quæ ad capellas dominicas dantur, & hominibus qui eas habent, & in suos usus convertunt.

II. De feminis quæ in quibusdam locis irrationabiliter velamen sibi sanctum imponunt.

III. Similiter de monasteriolis puellarum in legatione Autgarii, in quibus nullus ordo bonæ conversationis tenetur.

IV. De monasteriolis etiam diversis in missatico Alberici.

V. De iudicio aquæ frigidæ.

VI. De his qui usuris inserviunt.

VII." Volumus atque iubemus, vt missi nostri diligenter inquirant, quanti homines liberi in singulis comitatibus maneant, qui per se possint expeditionem facere, vel quanti de his quibus unus alium adjuvet, quanti etiam de his, qui a duobus tertius adiuvetur & præparetur, necnon de his qui a tribus quartus adiuvetur & præparetur, sive de his qui a quatuor quintus adiuuetur & præparetur, vt eamdem expeditionem exercitalem facere possint, & eorum summam ad nostram notitiam deferant.

"Legitur in Remigiano licet absit a qq. exemplaribus.

III.

EPISTOLA QVÆ GENERALITER POPVLO EST LEGENDA.

In nomine domini Dei & salvatoris nostri Iesu Christi, Hludouvicus & Lotharius divina ordinante providentia imperatores Augusti, omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris.

RECORDARI vos credimus, qualiter hoc anno consilio sacerdotum & aliorum fidelium nostrorum generale ieiunium per totum regnum nostrum celebrare iussimus, Deumque tota devotione deposcere, ut nobis propitiaret in quibus illum maxime offensum haberemus nobis manifestare, & ut ad correctionem nostram necessariam tranquillum tempus nobis tribuere dignaretur. Volueramus siquidem tempore congruo placitum nostrum generale habere, & in eodem de communi correctione agere: & ita Deo miserante fieret, nisi commotio inimicorum sicut nostis præpedisset. Sed quia tunc fieri non potuit iuxta voluntatem nostram, visum nobis fuit præsens placitum cum aliquibus ex fidelibus nostris habere, & in eo de his, quæ propter prædictum impedimentum remanserant, qualiter ad effectum pervenirent domino adiuvante considerare. Quapropter nosse volumus solertiam vestram, quod in isto præsenti placito cum fidelibus nostris consideravimus, ut primo omnium archiepiscopi cum suis suffraganeis in locis congruis tempore opportuno convenirent; & ibi tam de sua quam de omnium nostrum correctione & emendatione secundum divinam auctoritatem quærendo invenirent, & nobis atque fidelibus nostris secundum ministerium sibi commissum annuntiarent. Item consideravimus, ut missos nostros per universum regnum nostrum mitteremus, qui de omnibus causis, quæ ad correctionem pertinere viderentur, quanto potuissent studio decertarent, & quidquid possibile invenirent, per semetipsos nostra auctoritate corrigerent; & si aliqua difficultas in qualibet re eis obsisteret, ad nostram notitiam deferre curarent. Quapropter volumus ut vos omnes, propter communem salutem, & regni honorem, ac populi utilitatem, obedientes & adjutores missis nostris in omnibus pro viribus esse non negligatis. Simulque sciatis ob hanc causam nos velle per singulas hebdomadas uno die in palatio nostro ad causas audiendas sedere: ut per hunc aut illum comitem, & providentia missorum, & obedientia populi manifestius appareat. Et ut hæc omnia successum habeant, volumus ut generale triduanum jejunium secunda feria post octavas pentecostes celebrandum indicetur, & generaliter ab omnibus cum summa devotione observetur. Et quia undique inimicos sanctæ Dei ecclesiæ commoveri, & regnum a Deo nobis commissum infestare velle cognoscimus; præcipimus atque jubemus, ut omnes homines per totum regnum nostrum, qui exercitalis itineris debitores sunt, bene sint præparati cum equis, armis, instrumentis, carris, & victualibus, vt quocumque tempore eis a nobis denuntiatum fuerit, sine ulla mora exire, & in quamcumque partem necessitas postulaverit, pergere possint, & tamdiu ibi esse, quamdiu necessitas postulaverit.

IV.

Hæc sunt capitula ad instructionem missorum.

Dicendum est illis, quia necesse est, vt intelligamus omnes communiter, quale periculum nobis immineat, in eo maxime, quod in nostra negligentia tanta & talia, per quæ Deus offendi potuit, & honor & honestas regni decrescere, adhuc autem etiam aliam intellectam habemus negligentiam ex priori occasione natam: id est quod ipsa legatio non ita peracta fuit, sicut ipsa necessitas deposcebat: quamquam ex parte vos dicatis nos materiam in eo dedisse, quod non per omnia ad hanc necessitatem inquirendam plenam vobis dedissemus iussionem. Ideo summopere tractandum est, quomodo domino adjuuante & in præsenti de his quæ per negligentiam & incuriam depravata sunt corrigantur, & ne vltra talia fiant solicite caveatur. Post hæc socii denominandi sunt, & tunc qualis debeat esse legatio injungenda est.

I. Primo injungendum est missis, vt hoc omnimodis caveant, ne populo in eorum profectione oneri sint, ne forte quibus subvenire debuerint afflictionem inferant.

II. Vt primo nostram populo voluntatem & studium, & qua intentione a nobis sint directi, per nostrum scriptum nuntient. Instruendi sunt etiam quid inquirant.

III. In primis hoc maxime inquirant, quomodo

modo hi qui populum regere debent unusquisque in suo ministerio se custoditum habeat, ut qua beneficiendo gratiarum actione digni sunt cognoscamus: qui vero correctionem & increpationem pro eorum negligentiis merentur, omnimodis nobis manifesti fiant. Inquisitio autem hoc modo fiat: Eligantur per singulos comitatus qui meliores & veraciores sunt, & si aliquis inventus fuerit de ipsis qui fidelitatem promissam adhuc nobis non habeat, promittat. Et tunc instruendi sunt qualiter ipsam fidem erga nos salvare debeant. Id est, ut quicumque ex his talem causam scit in illis rectoribus & diversis ministris, qui populum regere & salvare debent, de quibus interrogati fuerint, quæ ad populi damnum & detrimentum pertineat, & propter hoc nobis periculum animæ evenire possit & inhonoratio, omnino, si salvam voluerit suam fidem & promissionem habere, manifestum faciat: & si post talem admonitionem & contestationem, aliter quam se veritas habeat dixisse aliquis deprehensus fuerit, sciat se inter infideles esse reputandum.

V.

Hæc sunt capitula quæ volumus ut diligenter inquirant.

Primo de episcopis, quomodo suum ministerium expleant, & qualis sit illorum conversatio, vel quomodo ecclesias, & clerum sibi commissum ordinatum habeant atque dispositum, vel in quibus rebus maxime studeant, in spiritalibus videlicet, aut in sæcularibus negotiis. Deinde quales sint adjutores ministerii eorum, id est chorepiscopi, archipresbyteri, archidiaconi, & vicedomini, & presbyteri per parochias eorum: quale scilicet studium habeant in doctrina, vel qualem famam habeant secundum veritatem in populo. Similiter de omnibus monasteriis inquirant juxta uniuscujusque qualitatem & professionem. Similiter & de ceteris ecclesiis nostra auctoritate in beneficio datis. Utrum episcopi in circumeundo parochias suas ceteras ecclesias minores gravent, aut populo oneri sint, & si ab ipsis aut a ministris eorum indebita exenia a presbyteris exigantur. Simili modo de comitibus inquirant, quale studium de suo habeant ministerio, ut qui bene exinde facit cognoscamus. Si aliter facit, & hoc nosse omnino volumus. Id est si populus per suam negligentiam & desidiam justitia & pace careat, aut si ipse sciens aliquid injuste factum habeat. Deinde ergo quales ministros habeat ad regendum populum missos, utrum juste in ipsis ministeriis agant, aut consentiente vel negligente comite a veritate & justitia declinent. Quæ personæ, vel de quibus causis culpabiles ad præsentiam nostram venire debeant discernendum est. Exceptis episcopis, abbatibus, comitibus, qui ad placita nostra semper venire debent, isti venient, si in talibus culpis & criminibus deprehensi fuerint, quales inferius annotatæ sunt.

VI.

Hæc sunt capitula, quæ propter interrogationem aliquorum missorum considerata & scripta vel ordinata sunt, sive de ecclesiasticis causis, sive de ceteris quæ ad correctionem majorum hominum, & quæ ad publicum honorem pertinent: quæ sub tribus distinctionibus ordinata sunt.

I.

De his qui sine consensu episcopi presbyteros in ecclesiis suis constituunt, vel de ecclesiis ejiciunt, & ab episcopo, vel a quolibet misso dominico admoniti obedire noluerint, ut bannum nostrum revuadiare cogantur, & per fidejussores ad palatium nostrum venire jubeantur: & tunc nos decernemus utrum nobis placeat, ut aut illum bannum persolvant, aut aliam harmiscaram sustineant. Lib 5 c.43. Addit 4. cap. 72.

II.

De ecclesiis quæ inter coheredes divisæ sunt consideratum est, quatenus si secundum providentiam & admonitionem episcopi sui coheredes eas voluerint tenere & honorare faciant. Sin autem hoc contradixerint, ut in episcopi maneat potestate, utrum eas ita consistere permittat, aut reliquias exinde auferat. Et ubi ad beneficium nostrum ecclesiæ pertinentes ita inventæ divisæ fuerint, ut describantur, & nobis renuntietur. Lib. 5. c. 44

III.

De ecclesiis destructis, ut episcopi & missi inquisitionem faciant, utrum per negligentiam aut impossibilitatem destructæ sint: & ubi negligentia inventa fuerit, episcopali auctoritate emendare cogantur hi qui eas restaurare debuerant. Si vero per impossibilitatem contigit, ut aut plures sint quam necesse sit, aut majoris magnitudinis, quam ut ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, episcopus modum inveniat, qualiter congrue emendari & consistere possint. Lib. 5 c. 144

IV.

De uno manso ad ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta sibi servitium exigunt, quicumque pro eo hac causa accusatus fuerit, comes vel missi hoc quod inde subtractum est presbyteris cum sua lege restitui faciant. Lib. 5 c. 45.

V.

De his qui nonas & decimas jam per multos annos, aut ex parte, aut ex toto dare neglexerunt, volumus ut per missos nostros constringantur, ut secundum capitularem priorem solvant unius anni nonam & decimam cum sua lege, & insuper bannum nostrum. Et hoc eis denuntietur, quod quicumque hanc negligentiam iteraverit, beneficium unde hæc nona & decima persolvi debuit, amissurum se sciat. Ita enim continetur in capitulare bonæ memoriæ genitoris nostri in libro 1. capite 157. Ut qui ecclesiarum beneficia habent, nonam & decimam ex eis ecclesiæ cujus res sunt donent: & qui tale beneficium habent ut ad medietatem laborent, & de eorum portione proprio presbytero decimas donent. Item in capitulare nostro libro secundo cap. 21. de eadem re: De nonis quidem & decimis, unde & genitor noster & nos frequenter in diversis placitis admonitionem fecimus, & per capitularia nostra qualiter hæc observentur ordinavimus; volumus atque jubemus, ut de omni conlaborato, & de vino, & de feno, fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima persolvatur. De nutrimine vero, pro decima, sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus observetur. Si quis tamen episcoporum fuerit, qui argentum pro hoc accipere velit, in sua maneat potestate, juxta quod ei & illi qui hoc persolveer debet convenerit. Lib. 5. c. 145. Cap. 143.

VI.

Quicumque decimam abstrahit de ecclesia ad quam Lib. 5 c. 145 Addit. 5. c. 73.

quam per justitiam dari debet, & eam præsumptiose, vel propter munera, aut amicitiam, vel aliam quamlibet occasionem, ad alteram ecclesiam dederit, a comite vel a misso nostro distringatur, & ejusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.

VII.

Lib.5.c.146 De decimis quas populus dare non vult, nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab episcopis prohibendum est ne fiat. Et si quis contemptor fuerit inventus, & nec episcopum, nec comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad præsentiam nostram venire compellatur: ceteri vero distringantur, ut inviti ecclesiæ restituant quæ voluntarie dare neglexerunt.

VIII.

Addit. 4. cap. 104. Vt de rebus ecclesiarum, quæ ab eis per triginta annorum spatium sine ulla interpellatione possessæ sunt, testimonia non recipiantur, sed eo modo contineantur, sicut res ad fiscum domini cum pertinentes contineri solent.

IX.

Lib.5.c.146 Quicumque de rebus ecclesiarum, quas in beneficium habent, restaurationes earum facere neglexerint, juxta capitularem anteriorem, in quo de operibus ac nonis & decimis constitutum est, sic de illis adimpleatur. Id est in libro IV. Cap. 40. capite XXXVIII. De opere & restauratione ecclesiarum consideratum est, ut de frugibus terræ, & animalium nutrimine persolvantur. De opere vero vel restauratione ecclesiarum, episcopus & abba, atque comes una cum misso nostro, quem ipsi sibi ad hoc elegerint, considerationem faciant, ut unusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum & restaurandum, quantum ipse de rebus ecclesiarum habere cognoscitur. Similiter & vassi nostri, aut in commune tantum operis accipiant, quantum rerum ecclesiasticarum habent, vel unusquisque per se juxta quantitatem, quam ipse tenet: aut si inter eos convenerit, ut pro opere faciendo argentum donent, juxta æstimationem operis in argento persolvant. Cum quo precio rector ecclesiæ ad prædictam restaurationem operarios conducere, & materiamen emere possit. Et qui nonas & decimas dare neglexerit, primum quidem illas cum lege sua restituat, insuper & bannum nostrum solvat: ut ita castigatus caveat, ne sæpius iterando beneficium amittat.

X.

Lib.5.c 147 De illo qui agros dominicatos propterea neglexit excolere, ut nonas & decimas exinde non persolvat, & alienas terras ad excollendum propter hoc accipit, volumus, ut de tribus annis ipsam nonam * cum sua lege persolvat. Et si quis contemptor aut comitis aut missorum nostrorum propter hoc extiterit, per fidejussores ad palatium venire compellatur.

* addunt & qq. codices & decimã.

VII.

Item alia capitula.

I.

Cap.38. De beneficiis destructis hoc observetur, quod in capitulare priori continetur, id est in libro IV. cap. XXXVI. Quicumque beneficium suum occasione proprii desertum habuerit, & intra annum, postquam ei a comite vel misso nostro notum factum fuerit, illum emendatum non habuerit, ipsum beneficium amittat.

II.

Addit. 4. c. 74. Vt missi nostri ubicumque malos scabinos inveniunt, ejiciant, & totius populi consensu in loco eorum bonos eligant, & cum electi fuerint jurare faciant, ut scienter injuste judicare non debeant.

III.

Vt in omni comitatu hi qui meliores & veraciores inveniri possunt eligantur a missis nostris ad inquisitiones faciendas, & rei veritatem dicendam, & ut adjutores comitum sint ad justitias faciendas. Addit. 4 c. 75.

IV.

Volumus ut quicumque de scabinis deprehensus fuerit propter munera, aut propter amicitiam injuste judicasse, ut per fidejussores missus ad præsentiam nostram veniat. De cetero omnibus scabinis denuntietur, ne quis deinceps etiam justum judicium vendere præsumat. Addit. c. 76.

V.

Vbicumque commutationes, tam tempore nostro, quamque genitoris nostri, legitimæ & rationabiles atque utiles ecclesiis Dei factæ sunt, permaneant: ubicumque vero inutiles & incommodæ atque irrationabiles factæ sunt, dissolvantur, & recipiat unusquisque quod dedit. Vbi vero mortua manus interjacet, aut alia quælibet causa, quæ rationabilis esse videatur, inventa fuerit, diligenter describatur, & ad nostram notitiam perferatur. Lib.5.c.

VI.

Quicumque comprobatus fuerit de eo quod scienter testes in perjurium induxisset, sub fidejussione ad palatium nostrum venire compellatur, ut ibi cum fidelibus nostris consideremus quid de tali homine faciendum sit. Addit. c. 77.

VII.

De his qui discordiis & contentionibus studere solent, & in pace vivere nolunt, & inde convicti fuerint, similiter volumus ut sub fidejussoribus ad nostrum placitum veniant, ut ibi cum fidelibus nostris consideremus quid de talibus faciendum sit.

VIII.

De bonis denariis quos populus recipere non vult, volumus ut hoc observetur & teneatur, quod in priori capitulare nostro constitutum est, id est in libro IV. cap. XXX. Quicumque liber homo vel in emptione, vel in debiti solutione, denarium merum & bene pensantem recipere noluerit, bannum nostrum, id est LX. solidos componat. Si vero servi ecclesiastici aut fiscalini nostri, aut comitum, aut vassallorum nostrorum, hoc facere præsumpserint, LX. ictibus vapulent. Et si actores nostri aut aliorum, vel advocati, eos missis nostris vel comitibus jussi præsentare noluerint prædictum bannum, id est LX. solidos componant. Et ad hanc constitutionem nostram adimplendam episcopi & abbates, sive reliqui, qui beneficia nostra habent, adjuvent comites in suis hominibus distringendis. Et si comites hanc nostram constitutionem neglexerint, hoc per missos nostros ad nostram notitiam perferatur. Addit. 4. c. 78.

IX.

De homicidiis, vel aliis injustitiis, quæ a fiscalinis nostris fiunt, quia impune se ea committere posse existimant, nos actoribus nostris præcipiendum esse decernimus, ne ultra impune fiant; ita ut ubicumque facta fuerint, solvere cum disciplina præcipiemus.

X.

Collectæ ad malefaciendum fieri omnimodis prohibeantur, & ubicumque hujusmodi præsumptiones factæ fuerint, digna emendatione corrigantur. Addit. 4. c. 79.

corrigantur. Et si per negligentiam comitis vel facta sunt, vel inemendatæ remanserunt, hoc ad nostram notitiam perferatur. Actor vero facti si fuerit præpositus, vel advocatus, sive centenarius, vel qualibet alia dignitate prædita libera persona, post legalem emendationem in loco factam sub fidejussoribus ad nostram præsentiam veniat. Multitudo vero, sive de servis, sive de liberis sit, legitima emendatione multetur.

XI.

Addit. 4. c. 80. De pontibus publicis destructis placuit nobis, ut hi qui jussionem nostram in reparandis pontibus contempserunt, volumus ac jubemus, ut omnes homines nostri in nostram veniant præsentiam, rationes reddere cur nostram jussionem ausi sunt contemnere. Comites autem reddant rationem de eorum pagensibus, cur eos aut non constrinxerint, ut hoc facerent, aut nobis nuntiare neglexerint. Similiter & de injustis teloneis ubicumque accipiuntur, sciant se exinde nobis rationem reddituros.

XII.

Addit. 4. c. 81. Ut examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, a missis nostris omnibus interdicatur, ne ulterius fiat.

XIII.

Addit. 4. c. 82. Postquam comes & pagenses de qualibet expeditione hostili reversi fuerint, ex eo die super XL. noctes sit bannus recisus, quod lingua Theodisca Scaftlegi, id est armorum depositio vocatur.

XIV.

Addit. 4. c. 83. Hoc missi nostri notum faciant comitibus, quod nos in omni hebdomada unum diem ad causas audiendas & judicandas sedere volumus. Comites autem & missi nostri magnum studium habeant, ne forte propter eorum negligentiam pauperes crucientur, & nos tædium propter eorum clamores patiamur, si nostram gratiam habere velint. Populo autem dicatur, ut caveat de aliis causis se ad nos reclamare, nisi de quibus aut missi nostri, aut comites eis justitias facere noluerint.

XV.

Addit. 4. c. 84. Quicumque vicarii, vel alii ministri comitum, tributum quod Inferenda vocatur, majoris pretii a populo exigere præsumpsit, quam a missis bonæ memoriæ genitoris nostri constitutum fuit, hoc est duos solidos pro una vacca, hoc quod injuste superposuit atque abstulit, sibique retinuit, his quibus hoc tulit cum sua lege restituat, & insuper fredum nostrum componat, & ministerium amittat.

VIII.

Hæc sunt capitula quæ pro lege habenda sunt.

I.

De homicidiis in ecclesiis vel in atriis eorum commissis hoc observetur & teneatur, quod in capitulare priori constitutum est, id est in libro IV. cap. XVII. (Cap. 13.) Si quis ex levi causa, aut sine causa, hominem in ecclesia interfecerit, de vita componat. Si vero foris rixati fuerint, & unus alterum in ecclesia fugerit, & ibi se defendendo eum interfecerit, etsi hujus facti testes non habuerit, cum XII. conjuratoribus legitimis per sacramentum affirmet se defendendo eum interfecisse: & si ipse auctor commotæ inter eos rixæ extiterit, leudem interfecti, & insuper bannum nostrum solvere cogatur, & publicam agat pœnitentiam. Sin autem non ille qui alterum interfecit, sed is qui interfectus est eamdem rixam commovit, absque compositione jaceat, & is qui eum interfecit, secundum judicium canonicum publicam habeat pœnitentiam. Si cujuslibet proprius servus hoc commiserit, judicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc sponte, an se defendendo, fecisset, & si manus ejus exusta fuerit, interficiatur: sin autem non fuerit, publica pœnitentia multetur; nisi forte & ipse auctor commotæ inter eos rixæ fuerit inventus. Tunc dominus ejus juxta quod vvidrigildus illius est, ad ecclesiam persolvat, aut eum, si voluerit, eidem ecclesiæ tradat. De ecclesiastico & fiscalino & beneficiario servo, volumus ut pro una vice vvidrigildus ejus pro eo componatur, altera vice ipse servus ad supplicium tradatur, hereditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit judicatus, ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio ecclesiæ, cujus porta reliquiis sanctorum consecrata est, hujuscemodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur & componatur. Si vero porta ecclesiæ non est consecrata, eo modo componatur quod in atrio committitur, sicut componi debet quod immunitate violata committitur." ("addunt Remigianus & alii codices: sicut côtinetur in libro superiori.)

II.

Addit. 4. c. 85. Quicumque propter cupiditatem rerum patrem aut matrem, aut fratrem, aut sororem, vel nepotem, vel alium propinquum suum interfecerit, hereditas interfecti ad alios suos legitimos heredes perveniat: interfectoris vero hereditas in fiscum redigatur. Ipse vero ordinante episcopo publicæ pœnitentiæ subdatur.

III.

Lib. 4. cap. 149. Quicumque propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit uxorem, armis depositis publicam agat pœnitentiam; &, si contumax fuerit, comprehendatur a comite, & ferro vinciatur, & in custodia mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur.

IV.

Addit. 4. c. 86. Quicumque res alienas cuilibet homini vendiderit, & ipse homo easdem res alicui alteri dederit, sive vendiderit, & ipse qui tunc easdem res comparatas habet, per malum ingenium proprio filio, aut alteri cuilibet necdum legitimos annos habenti justitiæ tollendæ causa tradiderit, volumus atque firmiter præcipimus, ut si pater ejusdem parvuli vixerit, ipse intret in causam rationem reddendi pro filio suo. Si autem ipse pater mortuus est, tunc legitimus ejus propinquus, qui juste ei tutor ac defensor esse videtur, pro ipso rationem reddere compellatur. Similiter de aliis omnibus justitiis ad eum pertinentibus, excepta sua legitima hereditate, quæ ei per successionem parentum suorum legitime venire debuit. Quod si quis hanc nostram jussionem contempserit, vel neglexerit, sicut de ceteris contemptoribus, ita de eo agatur. Is vero qui easdem res primus invasit, & injuste vendidit, nec non & emptores, excepta sola persona parvuli, hoc quod fraudulenter admiserunt infra patriam emendare cogantur: & postea sicut contemptores jussionis nostræ sub fidejussoribus ad nostram præsentiam venire compellantur.

V.

De vicariis & centenariis, qui magis propter cupiditatem, quam propter justitiam faciendam, sæpissime placita tenent, & exinde populum nimis affligunt, ita teneatur, sicut in capitulare dôni Caroli imperatoris continetur, in libro tertio capite quadragesimo. Ut nullus ad placitum manniatur, nisi qui causam suam quærit, ut si alter ei conquerere debet, exceptis scabinis septem, qui ad omnia placita esse debent. Item de eadem

Cap. 57. re in capitulare nostro, libro quarto capite quinquagesimo quinto. De placitis siquidem, quæ liberi homines observare debent, constitutio genitoris nostri penitus observanda atque tenenda est: ut videlicet in anno tria solummodo generalia placita observent, & nullus eos amplius placita observare compellat, nisi forte quilibet, aut accusatus fuerit, aut alium accusaverit, aut ad testimonium perhibendum vocatus fuerit. Ad cetera vero quæ centenarii tenent, non alius venire jubeatur, nisi qui litigat, aut judicat, aut testificatur. Et quicumque hujus constitutionis transgressor a missis nostris inventus fuerit, bannum nostrum persolvat.

VI.

Lib.5.c.150 De liberis hominibus, qui proprium non habent, sed in terra dominica resident, ut propter res alterius ad testimonium non recipiantur. Conjuratores tamen aliorum liberorum hominum ideo esse possunt, quia liberi sunt. Illi vero qui proprium habent, & tamen in terra dominica resident, propter hoc non abjiciantur, quia in terra dominica resident, sed propter hoc ad testimonium recipiantur, quia proprium habent.

VII.

Volumus atque jubemus ut missi nostri diligenter inquirant, quanti liberi homines in singulis comitatibus maneant. Hinc vero ea diligentia, & hæc ratio examinetur per singulas centenas, ut veraciter sciant illos atque describant, qui in exercitalem ire possunt expeditionem: ac deinde videlicet secundus ordo de his qui per se ire non possunt, ut duo tertio adjutorium præparent. Et qui nec dum fidelitatem nobis promiserunt, cum sacramento nobis fidelitatem promittere faciatis.

VIII.

Cap. 27. De faidis coercendis hoc observetur & teneatur, quod in capitulare nostro in libro IV. cap. XXV. continetur. Si quis aliqua necessitate cogente homicidium commisit, comes in cujus ministerio res perpetrata est, & compositionem solvere, & faidam per sacramentum pacificare faciat. Quod si una pars ei ad hoc consentire noluerit, id est, aut ille qui homicidium commisit, aut is qui compositionem recipere debet, faciat illum, qui ei contumax fuerit, ad præsentiam nostram venire, ut eum ad tempus quod nobis placuerit in exilio mittamus, donec ibi castigetur: ut comiti suo inobediens esse ulterius non audeat, & majus damnum inde non accrescat.

IX.

Hæc sunt capitula quæ ad plurimorum notitiam ad generalia placita sunt reservata.

I. De sacerdotibus a laicis vinctis & flagellatis.

II. De homine qui ad servitium quæsitus & ereptus est ab uno herede, & ceteri heredes eum interpellare & acquirere conantur.

III. De comitibus & vicariis eorum, qui in aliquibus locis tantum accipiunt de conjectu populi ad minorem legationem, quantum ad majorem.

X.

Item alia capitula.

I. Volumus ut talem conjectum missi nostri accipiant, quando per missaticum suum perrexerint; hoc est, ut unusquisque accipiat panes quadraginta, friskingas duas, porcellum aut agnum unum, pullos quatuor, ova viginti, de vino sextarios novem, de cervisa modios duos, de annona modios duos. Et quando prope sunt de illorum domibus, nullum accipiant conjectum.

A II. Volumus etiam, ut octavas paschæ incipiant suam agere legationem: episcopi vero suum habere debent conventum octavas pentecostes.

III. Volumus atque jubemus, ut missi nostri diligenter inquirant, quanti liberi homines in singulis comitatibus maneant, qui possint expeditionem exercitalem facere, nobisque per brevem eorum summam deferant: & qui nondum fidelitatem nobis promiserunt, cum sacramento nobis fidelitatem promittere faciant.

IV. Volumus ut missi nostri per totam legatio-
B nem suam primo omnium inquirant, qui sint de liberis hominibus qui fidelitatem nobis nondum promissam habeant, & faciant illos eam promittere, sicut consuetudo semper fuit: & postea incipiant legationem suam per cetera capitula peragere.

V. Volumus ut omnes res ecclesiasticæ eo modo contineantur, sicut res ad fiscum nostrum contineri solent, usque dum nos ad generale placitum nostrum cum fidelibus nostris invenerimus & constituerimus, qualiter in futurum de his fieri debeat.

VI. Volumus ut omnis inquisitio, quæ de rebus ad jus fisci nostri pertinentibus facienda est, non
C per testes qui producti fuerint, sed per illos qui in eo comitatu meliores & veraciores esse cognoscuntur, per illorum testimonium inquisitio fiat, & juxta quod illi testificati fuerint, vel contineantur, vel reddantur.

VII. Volumus ut de rebus, quas Matfredus per diversa loca, & per diversos homines acquisivit, ipsi qui easdem res ei dederunt interrogentur, si aliquis eorum eas repetere velit, & quicumque hoc se velle pronuntiaverit, ad generale placitum nostrum venire jubeatur, ut inde cum eodem Matfredo rationem habere possit.

D

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Ludovici Pii capitulare III.*] Quæ in hoc capitulari continentur partim Aquisgrani sub finem anni DCCCXXVIII. ante synodum Parisiensem & reliquas, partim post synodos VVormatiæ constituta sunt anno DCCCXXIX. Ad priorem partem referenda videntur priora capita quinque, cetera ad posteriorem. Omnia porro digessimus ex variis exemplaribus, potissimum autem ex schedis Pithœanis, quæ plura ceteris complectebantur.

1 a CONCILIUM PARISIENSE VI. AB EPISCOPIS 2 QUATUOR PROVINCIARUM, Rhemensis, Senoniæ, Turonicæ, & Rothomagensis, apud Parisios celebratum VIII. Idus Iunias, b anno Christi DCCCXXIX. Gregorii IV. papæ II. Ludovici ejusdem imperatoris XVI.

a Anno Christi 829.

E

EPISTOLA GENERALIS, QUAM LUDOVICUS PIUS IMPERATOR EX PLACITO Aquisgranensi misit, de conciliis episcoporum in quatuor imperii partibus congregandis.

In nomine Dei & salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus & Hlotarius divina ordinante providentia imperatores Augusti, omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris.

RECORDARI vos credimus, qualiter hoc anno concilio sacerdotum & aliorum fidelium nostrorum generale jejunium per totum regnum nostrum celebrare jussimus, Deumq; tota devotione deposcere, ut nobis propitiari, & in quibus illum maxime offenderimus nobis manifestare,

&

& ad correctionem nostram necessariam tranquillum tempus nobis tribuere dignaretur. Volueramus siquidem tempore congruo placitum nostrum generale habere, & in eo de communi correctione agere: & ita Deo miserante fieret, nisi commotio inimicorum, sicut nostis, præpedisset. Sed quia tunc fieri non potuit juxta voluntatem nostram, visum nobis fuit præsens placitum cum aliquibus ex fidelibus nostris habere, & in eo de his, quæ propter prædictum impedimentum remanserunt; qualiter ad effectum pervenirent, domino adjuvante considerare. Quapropter nosse volumus solertiam vestram, quod in isto præsenti placito cum fidelibus nostris consideravimus, ut primo omnium archiepiscopi cum suis suffraganeis, in locis congruis tempore opportuno convenirent, & ibi tam de sua, quam de omnium nostrum correctione & emendatione, secundum divinam auctoritatem quærendo invenirent, & nobis atque fidelibus nostris secundum ministerium sibi commissum annuntiarent. Quis enim non sentiat Deum nostris pravissimis actibus esse offensum, & ad iracundiam provocatum, cum videat tot annis multifariis flagellis iram illius in regno nobis ab eo commisso desævire? videlicet in fame continua, in mortalitate animalium, in pestilentia hominum, in sterilitate pene omnium frugum, &, ut ita dixerim, diversissimis morborum cladibus, atque ingentibus penuriis populum istius regni miserabiliter vexatum & afflictum, atque omni abundantia rerum quodammodo exinanitum. Nec illud etiam dubitamus ex justa vindicta illius evenire, quod sæpe scandala per tyrannos in hoc regno exurgunt, qui pacem populi Christiani, & unitatem imperii, sua pravitate nituntur scindere. Nam & illud nihilo minus peccatis nostris deputandum est, quod inimici Christi nominis præterito anno in hoc regnum ingressi, deprædationes, incendia ecclesiarum, & captivationes Christianorum, & interfectiones servorum Dei, audenter & impune, imo crudeliter, fecerunt. Agitur siquidem justo judicio Dei, ut qui in cunctis delinquimus, interius simul & exterius flagellemur. Beneficiis quippe Dei evidenter existimus ingrati, quoniam his non ad voluntatem Dei, sed ad libitum nostrum carnalem, uti invenimur: & idcirco merito creaturæ Dei nobis divinitus concessæ pro Deo contra nos ingratos pugnant, juxta illud: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Verum, quia tot modis vexamur atque percutimur, ad eum a quo percutimur toto corde dignum necessariumque est ut revertamur, quatenus illud propheticum in nobis impleatur, quo dicitur: *Sola vexatio intellectum dabit auditui.* Sed quia pius & clemens dominus sic ipsum flagellum moderatur, ut non ad interitum, sed potius ad correctionem nostram inferre videatur, debemus in conspectu ejus veraciter humiliari, & faciem illius in confessione prævenire, ejusque pietatem pronis mentibus exorare, ut qui fecit nos justissima dispensatione flagella sentire, faciat nobis peccata nostra, pro quibus juste ab eo flagellamur, cognoscere, & in quibus maxime illum offendimus, & iram illius provocavimus, manifestius intelligere; ut post, eo miserante, prava deserendo & corrigendo, bona etiam sectando, & tota cum devotione exequendo, valeamus per spiritum humilitatis, & animam contritam, sacrificium Deo debitum offerre, iramque illius indignationis evadere, & per dignam congruamque correctionem, & bonorum operum exhibitionem, gratiam ejus propitiationis, licet indigni, promereri. At quia nos magis in hoc peccasse cognoscimus, qui forma salutis omnibus esse debuimus, & omnium curam gerere, & per auctoritatem imperialem pravorum acta, ne tantum adolescerent, corrigere, cupimus domino nobis propitio, in conspectu pietatis illius, per dignam satisfactionem veniam adipisci, & per saluberrimam correctionem, vel per bonum studium, quod nostra desidia & ignorantia hactenus neglectum est, consultu fidelium tempore opportuno, quantum in nobis est, studiosissime emendare, & nostram in hoc voluntatem omnibus manifestam facere. Quapropter statuimus atque decrevimus, cum consultu sacerdotum, ceterorumque fidelium nostrorum, hujus rei gratia, ob placandum scilicet contra nos nobisque subjectos domini furorem, conventus eorumdem episcoporum in quatuor imperii nostri locis congruentissime fieri. Primo scilicet in Moguntiacensi urbe, ubi conveniant metropolitani Autgarius, Hadabaldus, Hethi, Bernuinus, cum suffraganeis suis. Secundo quoque in Parisiorum urbe, ubi futurus antistes Senonicus, & Ebbo, Ragnoardus, & Landranus metropolitani cum suffraganeis suis conveniant. Tertio vero apud Lugdunum, ubi Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericus, cum suffraganeis suis similiter conveniant. Quarto etiam apud Tolosam urbem, quo simul conueniant Notho, Bartholomæus, Adalelmus, Agiulfus, cum suffraganeis suis. In quibus conventibus tractare, quærere, & cum Dei adjutorio invenire debent de causis ad religionem Christianam & eorum curam pertinentibus, quid a principibus & reliquo populo, vel ita ut divina auctoritas docet aut aliter teneatur, vel quid inde ex parte vel ex toto dimissum sit ut non teneatur. Deinde quid in ipsorum, qui pastores populi constituti sunt, moribus, conversatione, & actibus inveniri possit, quod divinæ regulæ atque auctoritati non concordet: simulque inveniant quæ occasiones in utroque ordine id effecerint, ut a recto tramite deviatum sit. Et quidquid de his causis inventum fuerit, tam solerti cura custodiatur, ut nullatenus ad aliorum notitiam pervenire permittant ante tempus constitutum. Et ideo unus notarius inter omnes eligatur, qui quod ipsi invenerint describat, & ipse sub juramento ea quæ inventa & digesta fuerint diligenter fideliterque conservet.

CONCILII PARISIENSIS VI. LIBER I.

INDEX CAPITUM LIBRI I.

populique eis subjecti, domini misericordiam humiliter exorent.

VI. *Quod inter cetera ad curam episcoporum specialiter pertineat, ut hi qui fidem Christi expetunt instruantur & fidei baptismatis sacramento.*

VII. *Quod tempus baptismatis a nonnullis non ita ut canonicus ordo edocet observetur.*

VIII. *Quod hi, qui extra statuta tempora canonum baptizantur, ad gradus ecclesiasticos provehendi non sunt.*

IX. *Quod summopere omnes fideles meminisse oporteat pacti quod in baptismate cum Deo fecerunt.*

X. *Quid sit abrenuntiare diabolo, operibus ejus, & pompis ejus.*

XI. *Qualiter observandum sit de electione & promotione eorum, qui ad formam & exemplum aliis praeficiuntur.*

XII. *De accessione ad pastorale magisterium, & persona sacerdotis, ejusque periculo.*

XIII. *Ut avaritiam sacerdotes cavere studeant.*

XIV. *Ut hospitalitatem, maxime ab his qui aliis praesunt, sectari oporteat.*

XV. *Qualiter tractandae, vel quid sint res ecclesiae.*

XVI. *Ut in rebus ecclesiae circa propinquos suos expendendis modum episcopi teneant discretionis.*

XVII. *Quod nulli episcoporum liceat res ecclesiae extra constituta canonum passim in alterius jura transferre.*

XVIII. *Quod res ecclesiae non sint sacerdotibus, si eas strenue dispensaverint, causa peccati.*

XIX. *Quod vitam conversationemque quorumdam sacerdotum nonnulli subjecti livore potius quam zelo caritatis reprehendant.*

XX. *Ut episcopi ceterique praelati, nisi id necessitas inevitabilis impedierit, maxime cum clericis suis horas canonicas custodiant, & scripturas divinas quotidie in collatione tractent, eisque in convictu participes existant.*

XXII. *De laicorum clericis, eorumque examinatione & promotione.*

XXIII. *Ut pastores gregem sibi commissum, non ut proprium, sed ut dominicum, tractare meminerint.*

XXIV. *Ut praelati carnalem spiritalemque cibum subjectis impendere studeant.*

XXV. *Ut episcopi non rapaces, sed avaritiam odientes, vice sua ministros per parochias suas constituant.*

XXVI. *Quid dehonorationis & detrimenti ecclesiastica jura patiantur, pro eo quod secundum canonicam auctoritatem episcoporum concilia bis in anno non celebrentur.*

XXVII. *Ut chorepiscopi modum mensurae suae, qui in sacris canonibus praefixus est, non excedant.*

XXVIII. *Ut presbyteri nullo modo fiant villici & conductores agrorum, vel negotiorum saecularium sectatores, atque per diversa vagantes: quod & de monachis similiter convenit observari.*

XXIX. *Ut presbyteri in ecclesiis constituti non sint passim, ut quibusdam praelatis moris est, per diversa mittendi.*

XXX. *Ut ab omnibus episcopis, propter honorem & utilitatem ecclesiasticam, solicitior circa habendas scholas cura adhibeatur.*

XXXI. *Ut quando episcopi parochias suas circumeunt, hoc summopere studeant, ne his quibus prodesse debent oneri sint.*

A XXXII. *Ut codicilli, quos paenitentiales vocant, quia canonicae auctoritati refragantur, penitus aboleantur.*

XXXIII. *Quod episcopis conveniat, ut jejuni per impositionem manuum tradant Spiritum sanctum.*

XXXIV. *Quod patratores diversarum pollutionum, quas cum masculis & pecoribus admittunt, judicio canonico, quod in Ancyritano concilio sub titulo XVI. continetur, plectendi sunt.*

XXXV. *De presbyteris gradum amittentibus.*

XXXVI. *Quod in recipiendis alterius parochiae clericis a quibusdam statuta canonum violentur.*

XXXVII. *Quod abbates canonicorum forma & exemplum sanctae religionis debeant esse sibi subjectis.*

B XXXVIII. *De stultiloquio & scurrilitate cavenda.*

XXXIX. *De feminis quas non contigit discipulas fuisse, sanctimonialibus ne repente matres spiritales praeficiantur.*

XL. *Ut viduae inconsultis episcopis non velentur.*

LXI. *De puellis virginibus a presbyteris non consecrandis.*

XLII. *De feminis quae sine consensu sacerdotum velum sibi indiscrete imponunt.*

XLVIII. *Ut abbatissae & cetera sanctimoniales, neque viduas, neque puellas velare praesumant.*

C XLIV. *De nobilibus feminis, quae amissis viris velantur, & in propriis domibus residere delectantur.*

XLV. *Ut illicitus accessus feminarum ad altare, sacraque vasa contrectantium, fieri prohibeatur.*

XLVI. *Ut accessus canonicorum & monachorum ad monasteria sanctimonialium, nisi causa utilitatis, non fiat.*

XLVII *Quod missarum celebrationes in locis incongruentibus fieri non debeant.*

XLVIII. *Quod nullus presbyterorum solus missam celebrare debeat.*

XLIX. *De presbyteris duas aut eo amplius basilicas habentibus.*

D L. *De observatione diei dominici.*

LI. *De aequo modio, justoque habendo sextario.*

LII. *De interdicto quodam, quo apud plerasque provincias pauperes aggravantur, ab imperiali clementia prohibendo.*

LIII. *De multimodis usurarum adinventionibus.*

LIV. *Ut hi qui poenitentia publica sunt multati, neque in baptismate, neque in percipiendo sancti Spiritus dono patroni existant pro aliis.*

PRAEFATIO

SYNODI APUD PARISIORUM URBEM IUSSU GLORIOSISSIMORUM

E IMPERATORUM HLUDOVICI *filiique ejus Hlotarii habitae.*

SICUT humanae infirmitati in prosperis non convenit erigi, ita nec in adversis dejici. Cum igitur prospera mundi sibi succedunt, meminisse debet humanae conditionis, foveamque pertimescere elationis: ne scilicet intumescendo in barathrum incidat damnationis, perpendens illud apostoli ita dicentis: *Qui se putat stare videat ne cadat.* Quando autem merito pondere malorum suorum premitur, frangi non debet, sed potius remota salutis suae desperatione, illud Davidicum decantare: *De profundis clamavi ad te, domine, domine, exaudi vocem meam.* Vnde prophetico atque

1. Cor. 10. Psal. 129.

ANNO CHRISTI 829.

atque apostolico oraculo hinc inde animus armari jubetur Christianus, ut neque ad dexteram neque ad sinistram ei declinare fas sit. In tribulatione ergo, multifariisque adversitatibus & calamitatibus mundi, non dissimulanter, sed humiliter veraciterque sunt expetenda suffragia divina. Legimus quippe Ninivitis divina ultione dignis humiliter in tribulatione ad Deum clamantibus divinitus subventum. Nam & Achab & Manasses, reges idololatræ, pœnitentiæ satisfactione divinæ obviavere ultioni. Meretrix porro illa euangelica, Maria nomine, profusione lacrymarum carere meruit enormitate multorum peccaminum. His & his similibus salutiferis documentis datur intelligi, quod Deus bona cuncta jubens, malaque omnia vetans, sæpissime humanæ fragilitatis peccatis offensus, & ad iracundiam provocatus, per pœnitentiæ tamen dignam satisfactionem, ab humanis erratibus suæ severitatis debitam suspenderit vindictam: adeo ut quem moles peccaminum provocaverit ad ultionem, actuum pravorum correctio flexerit ad misericordissimam propitiationem. Oportet ergo, imo necesse est, ut quia humanæ fragilitati tot tantaque salutis suæ recuperandæ prorogantur exempla, flagella pro peccatis suis divinitus sibi illata æquanimiter ferat, caveatque ne in his, aut ad murmurationem, aut ad desperationem proruat: sed devote frequenterque in tribulationibus, quas merito suæ pravitatis patitur, cælestem opem sibi humiliter subvenire flagitet. Quod autem Deus nolit mortem peccatoris, sed potius ut convertatur & vivat, propheticis satis abundeque instruimur oraculis. Cum igitur hæc ita fideliter se habeant, & liquido pateat ecclesiam, quam Christus, qui eam suo proprio sanguine redemit, suisque orthodoxis famulis Hludouvico & Hlothario, gloriosis Augustis, regendam tuendamque committere occulta sua dispensatione voluit, diversorum morborum generibus affici, multifariis cladibus conteri, divinum contra se mucronem interius exteriusque meritis exigentibus grassari, plagasque, quas dominus suis jussis obedire nolentibus, sed potius ad mala quæ vetuit labentibus interminatus est, incessanter experiri; iidem Deo pleni principes cælitus inspirati, consulto ad Deum congruam dignamque conversionem judicaverunt esse faciendam, juxta illud regis Ninivitæ quod legitur: *Convertatur vir a via sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorum: quis scit si convertatur, & ignoscat Deus, & revertatur a furore iræ suæ, & non peribimus?* Per Ioel quoque prophetam dominus ait: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & fletu & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Item per Isaiam: *Quærite dominum, dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Item per Ieremiam: *Date domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos.* Et dominus in euangelio: *Ambulate*, inquit, *dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant.* Item: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Et apostolus: *Ecce*, inquit, *nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*; quatenus hæc & hujuscemodi innumera salubria documenta sectando, mores scilicet & actus corrigendo, dignamque pro tot scelerum admissis pœnitentiam agendo, Deum, quem peccando constat esse iratum, sibique suoque populo mererentur facere placatum. Verum totius ecclesiæ sibi commissæ generalitati consulere cupientes, tantæque necessitatis negotium justæ discretionis trutina præponderantes, idque sui officii non esse humiliter dijudicantes, consultu sacerdotum & optimatum, ceterorumque fidelium suorum, idem negotium super placando furore Dei his digne censuerunt esse committendum, per quos homines de infidelitatis tenebris liberantur, & in lucem fidei transferuntur, & de filiis iræ filii adoptionis efficiuntur. Per quos etiam homines de his quæ post baptisma committunt, pœnitentiæ satisfactione peracta, Deo reconciliari merentur. Ad quorum imperium, secundum sanctæ legis decretum, qui lepræ immunditia sordebant, emaculabantur, ceteraque eorum judicio in legalibus institutis prorogabantur. Quibus & in euangelio a domino tanta confertur potestas, ut quæ statuerint in terra, statuta sint & in cælo, & quæ soluerint in terra, soluta sint & in cælis, & quorum remiserint peccata, remittantur eis. Hos quippe constat vicarios esse apostolorum, & luminaria mundi. Per hos igitur, eorumque doctrinam, tales tantique piissimi principes, sibi suisque fideliter crediderunt misericordiam propitiari posse divinam. Nec immerito, quippe qui agnoverant dominum præcepisse per Aggæum prophetam, ut sacerdotes de lege domini interrogarentur. Ait namque: *Interroga sacerdotes legem.* Quod beatus Hieronymus ita exponit: Simul, inquit, considera sacerdotum officii esse, de lege interrogatos respondere. Si sacerdos est, sciat legem domini, si ignorat legem, ipse se arguit non esse domini sacerdotem. Sacerdotis enim est scire legem; & ad interrogationem respondere de lege. Quod quidem & in Deuteronomio legimus, ut sicubi in urbibus Israel quæstio fuerit nata inter sanguinem & sanguinem, judicium & judicium, lepram & non lepram, contradictionem & non contradictionem, eant ad sacerdotes atque Levitas, & ad pontificem qui in diebus illis fuerit constitutus, & quærant ab eo legem domini, quibus respondentibus faciant quod jubetur. His igitur legalibus & propheticis institutis instructi, non ab re duxerunt, super suis populique sibi subjecti erratibus sacerdotes legem domini scientes consulendos. Quapropter statuerunt in quatuor congruentissimis imperii sui locis conventus episcoporum uno eodemque tempore fieri debere. In quibus conventibus, domino inspirante, diligenter studerent quærere & investigare de causis ad religionem Christianam, eorumque curam pertinentibus, quid a principibus & reliquo populo, vel ita ut divina auctoritas docet aut aliter teneretur, vel quid inde ex parte aut ex toto dimissum sit ut non teneretur. Deinde quid in ipsorum, qui pastores populi constituti sunt, conversatione & actibus inveniri posset, quod divinæ regulæ atque auctoritati non concordaret: simulque invenirent, quæ occasiones in utroque ordine id effecerint, ut a recto tramite deviassent. Et quidquid de his causis inventum fuisset, correctionis gratia, juxta ministerium sibi injunctum, patenter denuntiarent: attendentes illud quod per Malachiam prophetam dominus ait: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia angelus domini exercituum*

Marginalia: Ioan. 3. — 3. Reg. 21. 2. Paral. 36. — Luc. 7. — Ezech. 18. — Ioan. 3. — Ioel. 2. — Isai. 55. — Ier. 13. — Ioan. 12. — Matth. 25. — 2. Cor. 6. — PRÆFATIO LIBRI I. — Matth. 18. Ioan. 20. — Agg. 2. — Deut. 17. — Malach. 2.

ANNO CHRISTI 829.

exercituum est. Quod beatus Hieronymus ita A exponit: Angelus autem, inquit, id est nuntius, sacerdos Dei verissime dicitur, quia Dei & hominum sequester est, ejusque ad populos nuntiat voluntatem. Eorumdem itaque gloriosorum & orthodoxorum principum jussionibus obedientes, imo non solum nostræ, sed etiam ejus totiusque populi sibi commissi saluti, juxta ministerium nobis collatum, consulere cupientes, anno incarnationis domini DCCCXXIX. imperantibus eisdem præcellentissimis ac gloriosissimis Deoque dilectis Augustis, Hludouvico videlicet, filioque ejus Hlothario, sub die VIII. Iduum Iuniarum, nos indigni episcopi, ex diœcesi scilicet B Durocortorum, nec non & diœcesi Senonica & Turonica, atque Rothomagica, apud Parisiorum urbem convenimus, & qualiter de paulo superius præmissis causis, juxta admonitionem eorumdem principum, egerimus vel tractaverimus, atque statuerimus, in subsequentibus breviter capitulatim annotare curavimus; non ausu temerario sanctorum patrum terminos transgredientes, sed potius his diligenter perpensis atque perspectis, per eos nostram ceterorumque fidelium vitam corrigere, & in melius informare cupientes. Eadem porro capitula nequaquam prolixa aut superflua judicanda sunt, quoniam ne ex nostro C corde ficta esse viderentur; divinorum eloquiorum oraculis, & sanctorum patrum dictis ea muniri non ab re judicavimus.

CAPVT I.

Causæ ad religionem Christianam pertinentes sunt, credere in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, domino in euangelio Ioannis dicente: *Hæc* (Ioan. 17.) *est autem vita æterna, ut cognoscant te unum & verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Item discipulis ait: *Euntes in mundum universum* (Marc. 16.) *prædicate euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit.* Et in euangelio Matthæi: *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas* (Matth. 28.) *in cælo & in terra. Ite ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Paulus, *sine fide enim*, inquit, *impossibile est placere Deo.* (Hebr. 11.) Itemque: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Extant & alia hujus rei innumera documenta, quibus perdocetur qualiter fides Christi primum expetenda sit: deinde opera fidei exercenda, quoniam fides nisi opera habeat, mortua est in semetipsa, apostolo Iacobo testante: *Sicut enim*, inquit, *corpus sine spiritu* (Iac. 2.) *mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Licet itaque, ita ut auctoritas divina docet, ea- E dem percipiatur fides, a plerisque tamen, quia operibus non adimpletur, eidem auctoritati divinæ, imo apostolicis documentis superbiendo renititur: quorum exempla in promptu satis abundeque habentur. Quorumdam etiam perversissimæ consuetudines, propriæque voluntates, multimoda adinventione contumaciter, quod valde periculosum est, efficiunt ut opera fidei magna ex parte negligantur. Qui dum legis divinæ transgressores existunt, easdem consuetudines sibi legem faciunt, & secundum eas se vivere absque sui discrimine & posse & debere contendunt, sua quærentes, non quæ Iesu Christi; Quod quantum divinæ auctoritati contrarium sit, aut non advertunt, aut certe animadvertere detrectant: quantum etiam ob hoc religio Christiana in eis periclitetur, facile qui sapit advertit. Quapropter unusquisque fidelis, si salvus esse vult, oportet ut remotis perversis consuetudinibus, quæ periculum animarum generant, fidem Christi, quam percepit, bonis operibus exornare non negligat. Constat ergo quod fundamentum Christianæ religionis fides sit catholica, hoc est credere in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unum Deum & verum Deum, trinum in personis, & unum in substantia. Credere etiam quod sola persona Filii pro salute nostra carnem assumpserit, in qua & passus est, & resurrexit, & in cælos ascendit, cum qua etiam ad judicium venturus est. Et credere quod per Spiritum sanctum remissio peccatorum in baptismate conferatur, & quod fidelibus in ecclesia Christi, ejusdem sancti Spiritus dono, per ministerium sacerdotale, & per pœnitentiam ", remissio peccatorum indubitanter attribuatur. Et quod generalis omnium in vera carne in adventu Christi resurrectio futura sit. Et quod nosse unumquemque fidelem oporteat, quia hæc fides vera & fructuosa esse non potest, nisi bonis operibus exornetur, id est fide, spe, caritate, humilitate, castitate, continentia, sobrietate, unanimitate, concordia, justitia, pietate, misericordia, innocentia, & simplicitate, & ceteris his similibus, quæ omnia in dilectione Dei & proximi consistunt. Sine his enim nemo potest Deo placere, nec salvus esse, quia, teste apostolo, fides sine operibus mortua est in semetipsa. Proinde necesse est ut unusquisque Christianus diligenter perpendat, utrum in eo fides viva sit bona opera agendo, an mortua bona opera negligendo. Et si, juxta documentum apostoli, ipsa fides sine operibus bonis mortua est, qua damnatione plectendi sunt illi, qui non solum eamdem fidem bonis operibus non exornant, sed etiam diversis flagitiis eam commaculant? Inter cetera quippe mala, quæ eamdem fidem commaculant, quatuor nobis vitia spiritualia merito exaggeranda videntur, quæ quanto occultiora sunt, tanto perniciosiora, id est, superbia, per quam angelus diabolus effectus de cælo ejectus est; invidia, per quam item diabolus hominem de paradiso ejecit; odium & discordia, quæ caritatem inter proximos extinguunt, & non sinunt proximos in mutua dilectione consistere, nec quietam tranquillamque, ut decuerat Christianos, vitam degere. Quæ ideo periculosiora, imo mortifera diximus, quoniam sectatores illorum ea aut non intelligunt, aut certe intelligere dedignantur: & quia ea parvipendentes, pro his ad confessionem non veniunt, idcirco nec correctionem merentur.

(Libri I Cap. I. — Li. 5. c. 164 — " & absolutionem manusque impositionem — Iac. 2. — Lib. 5. c. 165.)

II.

3 Primum igitur, quod universalis sancta Dei ecclesia unum corpus manifeste esse credatur, ejusque caput Christus, apostolicis oraculis approbamus. Vnde Paulus: *Vos autem estis*, inquit, *corpus Christi, & membra de membro.* Itemque: *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo.* Item: *Cujus caput Christus, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones administratum, crescit in templum sanctum in domino.* Sunt & alia hujusce rei innumera exempla quæ hic ob prolixitatem vitandam prætermittuntur. Quisquis ergo per aliqua illicita ex membro Christi se fecit membrum diaboli, noverit se non in corpore Christi, sed in corpore esse diaboli. Proinde necesse

(Lib. 5. c. 166. — Ioan. 17. — Rom. 12. — Coloss. 2.)

ANNO CHRISTI 829.

LIBRI I. CAP. III. ET IV.

necesse est, ut corpore Christi, a quo astu diabolico separatus est, se incunctanter, dum tempus pœnitentiæ in promptu habetur, restituere non negligat.

III.

Lib.5.c.167. Principaliter itaque totius sanctæ Dei ecclesiæ corpus in duas eximias personas, in sacerdotalem videlicet & regalem, sicut a sanctis patribus traditum accepimus, divisum esse novimus. De qua re Gelasius Romanæ sedis venerabilis episcopus ad Anastasium imperatorem ita scribit: Epist. 10. Duo sunt quippe, inquit, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacrata pontificum, & regalis potestas: in quibus tanto gravius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino redditurі sunt examine rationem. Lib. 2. Fulgentius quoque in libro de veritate prædestinationis & gratiæ, ita scribit: Quantum pertinet, inquit, ad hujus temporis vitam, in ecclesia nemo pontifice potior, & in sæculo Christiano imperatore nemo celsior invenitur. Cum hæc quippe ita se habeant, primum de sacerdotali, post de regali persona dicendum statuimus.

IV.

Lib.5. c.170 Quia constat religionem Christianam per successores apostolorum salubriter administrari, populisque ad vitam æternam ducatum exhiberi debere, primo necessarium judicavimus, ut quidquid in nobis reprehensibile sacrisque ministeriis, quibus indigni mancipamur, inconveniens & indecens contrariumque videbatur, toto annisu, domino opem ferente corrigeremus: & per exempla sanctorum sacerdotum, quorum vice ecclesiæ Christi sanguine redemptæ prælati sumus, vitam & actus moresque nostros in melius componere satageremus. Quoniam prædicatio sacerdotalis contemnitur, quando quod verbis prædicat operibus non adimplet. Proinde qui ceteris forma & exemplum debent esse, primo facere debent quod docent, & ea vitare quæ fieri prohibent. Lib.3.c.ult. Unde beatus Gregorius in libro pastorali, cum per gallum boni prædicatoris speciem tractando exponeret, inter cetera sic ait: Gallus, cum jam edere cantus parat, prius alas excutit, & semetipsum feriens vigilantiorem reddit. Quia nimirum necesse est, ut hi, qui verba sanctæ prædicationis movent, prius studio bonę actionis evigilent, ne in semetipsis torpentes opere, alios excitent voce. Prius se per sublimia facta excutiant, & tunc ad bene vivendum alios solicitos reddant. Prius cogitationum alis semetipsos feriant, & quidquid in se inutiliter torpere solicita investigatione deprehendunt, districta animadversione corrigant, & tunc demum aliorum vitam loquendo componant. Prius punire propria fletibus curent, & tunc quæ aliorum punienda sunt denuntient; & antequam verba exhortationis insonent, omne quod locuturi sunt operibus clament. Lib. 2. c. 2. Laudem autem verorum sacerdotum eorumq; officium Prosper, in libro quem de contemplativa & actuali vita scripsit, comprehendit. Ipsis enim, inquit, id est sacerdotibus, proprie animarum curandarum solicitudo commissa est, qui pondus populi sibi commissi viriliter sustinentes, pro peccatis omnium, velut pro suis, infatigabiliter supplicant Deo: ac velut quidam Aaron, incensum contriti cordis & humiliati spiritus offerentes, quo pla- Exod. 30. Levit. 16. Num. 16.

A catur Deus, avertunt iram futuræ animadversionis a populo, qui per Dei gratiam fiunt divinæ voluntatis indices, ecclesiarum Christi post apostolos fundatores; fidelis populi duces, veritatis assertores, pravæ doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, & male sibi conscii etiam ipso visu terribiles, vindices oppressorum, patres in fide catholica regeneratorum, prædicatores cælestium præmiorum; exempla bonorum operum, documenta virtutum, & forma fidelium. Ipsi sunt ecclesiæ decus, in quibus amplius fulget ecclesia: ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium: ipsi januæ civitatis æternæ, per B quas omnes qui credunt ingrediuntur ad Christum: ipsi janitores, quibus claves datæ sunt regni cælorum: ipsi etiam dispensatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula regis æterni dividuntur gradus & officia singulorum. Hi sunt qui non ambiendo, sed spiritualiter vivendo, sacerdotium meruerunt: quique non favoris humani suffragio, sed divino munere sublimati, nihil sibi de præstantia sui principatus applaudunt. Quos non inflat honor acceptus, sed exercet labor impositus: quia non excellentiam suam cogitant provecti, sed sarcinam: nec gloriantur de officii dignitate, sed sudant potius constituti sub onere. Tales scriptura divina speculatores appellat, qui C speculantur actus omnium, qualiter unusquisque cum suis in domo, qualiter in civitate cum civibus vivat, intentione religiosæ curiositatis explorant: quos bonos probaverint, honorando confirmant, quos deprehenderint vitiosos, arguentes emendant, aut, si emendare nequiverint, æquanimiter portant, habituri uberrimum fructum, aut de sua districtione, si correcti profecerint, aut de sua patientia, etiamsi illi quos sustinent emendari noluerint. Ecce laus dignitasque verorum sacerdotum, eorumque ministerium breviter est digestum. Decet quippe sacerdotes Christi tanta dignitate donatos, quos utique constat janitores cælestis aulæ existere; exempla decessorum suorum qui Deo placuerunt infatigabiliter se- D ctari, quatenus terrena despiciendo, & cælestia amando, primum ipsi atria supernæ civitatis subire, deinde auditoribus suis dictis & exemplis ea studeant aperire, ne quod absit, audiant a domino: Habentes clavem scientiæ, vos ipsi non intratis, & alios intrare non sinitis. Quando vero vita sacerdotum cum doctrina non concordat, & auditoribus infirmis scandalum, & animarum provenire periculum, non est dubium. Proinde summopere cavendum est sacerdotibus, ne offendiculum fiant his quibus præsunt. Tunc enim offendiculum fiunt illis, quando quod verbis prædicant moribus E impugnant. Unde fit ut, sicut in supra memorato libro beatus Gregorius scribit, cum pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur. Nemo quippe, ut idem ait, amplius in ecclesia nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Pertimescenda porro nihilo minus sacerdotibus sententia evangelica est, qua dicitur: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Matth. 18. Quod quibusdam interpositis idem doctor ita exponit: Quia ergo ad sanctitatis speciē deductus, vel verbo ceteros destruit vel exemplo, melius profecto fuerat ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent,

LIBRI I. CAP. V. VI. ET VII.

quam sacra officia in culpa, ceteris imitabilem demonstrarent. Quia nimirum, si solus caderet, utcumque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret. Quibus terribilibus verbis liquido datur intelligi, quod melius satiusque fuerat sacerdotibus negligentibus non subsistere, quam acceptis divinis officiis, per reprobam vitam pravaq; exempla, his quibus prodesse debuerunt, offendiculum iniquitatis & laqueum perpetuæ damnationis existere.

V

Statuimus pari voto, parique consensu, ut unusquisque nostrum dictis & exemplis plebes parochiæ suæ attentius ad meliora incitare studeat, easque ut se a malis cohibeant, & ad dominum ex toto corde convertant, solicite admoneat.; Deumq;, quem peccando iratum sibi fecerant, digna pœnitentiæ satisfactione & eleemosynarum largitione sibi placabilem facere satagant. Nec non & pro vita piissimi Deoq; amabilis Ludovici imperatoris, conjugis prolisq; ejus incolumitate, imperiiq; sibi commissi stabilitate, Dei immensam misericordiam cernuis precibus implorent. Simulque eis ostendendum, quoniam quamdiu quis malis operibus deditus est, nec sibi, nec aliis Deum propitiari meretur. Et quod unusquisque eleemosynam, & cetera bona opera, a semetipso incipere debeat. Cum itaque prædicare necesse sit, juxta illud Isaiæ: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum:* tum maxime id eis facere necesse est, quando iram domini contra populum Dei meritis exigentibus grassari perspexerint, juxta illud quod dominus per Ezechielem prophetam loquitur: *Terra, cum induxero super eam gladium, & tulerit populus terræ virum unum de novissimis suis, & constituerit eum supra se speculatorem, & ille viderit gladium venientem super terram, & cecinerit buccina, & annuntiaverit populo: audiens autem quisquis ille est sonum buccinæ, non observaverit, veneritque gladius, & tulerit eum, sanguis ipsius super caput ejus erit. Sonum buccinæ audivit, & non se observavit; sanguis ejus in ipso erit: si autem se custodierit, animam suam salvabit. Quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit tuba, & populus se non custodierit, veneritq; gladius, & tulerit de his animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.* Item per eundem prophetam dominus ait: *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium: Morte morieris; non fueris locutus, neque annuntiaveris ei, ut avertatur a sua via impia, & vivat; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Formidolosa valde, & tremenda hæc sententia sacerdotibus est, qua dicitur: *Sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Unde idem doctor Prosper in memorato libro scripsit: Ille, inquit, cui dispensatio verbi commissa est, etiam si sancte vivat, & tamen perdite viventes arguere aut erubescat aut metuat, cum omnibus qui eo tacente perierint perit: & quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? Item idem post pauca propheticam sententiam exponens, qua dicitur: *Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris; non fueris locutus ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem vero ejus de manu tua requiram,* ait: Quid potuit expressius, quid apertius dici? *Si impio,* inquit, *non locutus fueris, ut se ab iniquitate sua custodiat, & ille perierit, sanguinem ejus de manu tua requiram.* hoc est dicere: Si ei peccata sua non annuntiaveris, si eum non argueris, ut ab impietate sua convertatur, & vivat, & te qui non increpasti, & ipsum qui te tacente peccavit, flammis perennibus perdam. Sed ex eo quod idem propheta infert: *Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & a via sua mala, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti,* &c. liquido claret, quia si prædicator annuntiaverit impio, ut se convertat a via sua impia, & vivat, & impius se non correxit, ejusdem impii pœnæ particeps non erit. Unde idem Prosper: Quod si, inquit, corripientem, si iram futuram, quæ contemptoribus jam imminet, nuntiantem homines terreni despiciunt, sanguis eorum in ipsis erit, & sacerdos, qui eis peccata eorum non tacuit, pœnæ quæ eos expectat particeps non erit. Ecce quale periculum prædicatoribus, nisi strenue utiliterque prædicaverint, & auditoribus, nisi id quod sibi prædicatum fuerit obedienter impleverint, instat. Quod autem per negligentiam & desidiam prædicatorum, & per contemptum quorumdam auditorum transgressio fit divinorum præceptorum, periculumque animarum, manifestum est. Quapropter necesse est, ut hæc prophetica, imo cælestis tuba, qua præcipitur: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum,* & prædicatores & auditores a somno torporis & negligentiæ tandem excitet, ut hi de utili sua prædicatione & illi de obedienti impletione, æterna a domino donentur remuneratione.

VI.

In primordio sanctæ Dei ecclesiæ nemo ad perceptionem sacrosancti baptismatis admittebatur, nisi prius & fidei & baptismatis sacramento fuisset instructus: quod verba beati Pauli apostoli probant, ita scribentis: *An ignoratis,* inquit *fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?* & cetera quæ apostolicus sermo de baptismatis sacramento exequitur. Scribitur quoque in concilio Laodicensi titulo XLVI. quod oporteat eos qui ad baptisma veniunt fidem discere, & quinta feria septimanæ majoris episcopo aut presbyteris reddere. Item in eodem, capitulo XLVII. quod oporteat eos qui in ægritudine percipiunt baptisma, postquam convaluerint, fidẽ perdiscere, & scire cujus muneris participes facti sunt. Quibus verbis aperte datur intelligi, quod ad fidem Christi venientes, ejusdem fidei & baptismatis instruebantur sacramentis. Verum quoniam fides Christi ubique pollet, & parvuli de Christianis parentibus nati, antequam ad intelligibilem ætatem veniant, baptismatis sacramenta percipiunt, necesse est ut quod imbecillis ætas nequivit, intelligibilis discere satagat. Quod quia ab usu Christianæ religionis propter quorumdam incuriam recessit, quantæ sit negligentiæ quantique discriminis, satis dici non potest.

VII.

Sane a quibusdam, quamvis fides Christi inhianter expetatur, aliter tamen agitur, quam divina auctoritas testetur. Præfixa tempora canonum

Marginal notes: Isa. 58. — Ezech. 33. — Ezech. 3. — Lib. 1. de vita contemplativa. cap. 20. — Ezech. 3. — Ibidem. — Ibidem. — Lib. 1 c. 21 de vita contemplativa. — Isa. 58. — Rom. 6. — Addit. 2. cap. 2.

ANNO CHRISTI 829.

num super celebratione baptismatis a multis, partim ignorantia, partim præsumptione violantur. Secundo, quia illi in sua sponsione aliquos de sacrosancto fonte suscipiunt, nec fidei nec baptismatis sacramento sunt instructi: & idcirco eos quos suscipiunt, & secundum sanctorum patrum documenta docere debuerant, erudire nequeunt. Quod ad negligentiam sacerdotum, nec non & auditorum pertinere, dubium non est. Quo itaq; tempore baptismus celebrari debeat, Gelasius in decretalibus capite x. scribit: Baptizandi, inquit, sibi quisquam passim quocumque tempore nullam credat inesse fiduciam, præter paschale festum, & pentecostes venerabile sacramentum: excepto dumtaxat gravissimi languoris incursu, in quo verendum est, ne morbi crescente periculo sine remedio salutari fortassis ægrotans excidio præventus abscedat. Item Leo in decretis suis titulo XI. Vnde quia manifestissime patet baptizandis in ecclesia electis hæc duo tempora, de quibus locuti sumus, esse legitima, dilectionem vestram monemus, ut nullos alios dies huic observantiæ misceatis. Quisquis igitur hujus constitutionis superbiendo transgressor extitit, nequaquam sibi super hoc facto impunitatem, nisi se humiliter correxerit, promittat. Qualiter autem hi qui de sacro fonte alios suscipiunt instruere debeant, beatus Augustinus in sermone habito ad populum demonstrat, dicens: Quicumque igitur viri, quæcumque mulieres de sacro fonte filios spiritualiter susceperunt, cognoscant se pro eis fidejussores extitisse apud Deum: & in eo necesse est, ut semper illis solicitudinem veræ caritatis impendant, admoneant, & castigent, atque corripiant, ut castitatem custodiant, virginitatem usque ad nuptias servent, & ceteris bonis operibus dediti sint. In hoc quippe facto, de quo agitur, quantum a religione Christiana digressum sit, ignorari fas non est.

Epistola ad episcopos Lucaniæ.

Epistola ad episcopos per Siciliã.

VIII.

Addit. 2. c. 2. Sicut in plerisque ita & in eo auctoritas a nonnullis sæpe violatur canonica, quando scilicet hi qui in ægritudine baptismatis suscipiunt sacramenta, ad gradus ecclesiasticos contra fas provehuntur. Is usus, quia auctoritati canonicæ resultat, oportet ut corrigatur, quoniam hujuscemodi baptizatos, quos vulgaris sermo grabatarios vocat, canonica auctoritas a gradibus ecclesiasticis patenter repellit. Vnde in concilio Neocæsariensi capite XII. legitur: Si quis in ægritudine fuerit baptizatus, ad honorem presbyterii non potest promoveri; quia non ex proposito fides ejus, sed ex necessitate, descendit: nisi forte propter sequens studium ejus, & fidem, atque hominum raritatem, talis possit admitti. Quod si hi, qui in ægritudine baptizantur, a gradibus arcentur ecclesiasticis, multo magis illi arcendi sunt, qui aut per cupiditatem, aut per temeritatem, contempta canonica auctoritate baptizãtur, & postea similiter ad gradus ecclesiasticos provehuntur. Quia ergo hactenus in hac re, sive propter negligentiam sacerdotum, sive propter incuriam laicorum, minus caute, imo aliter quam auctoritas ecclesiastica doceat actum est, decet ut abhinc observetur, ne amplius ad injuriam canonicæ institutionis, & dehonorationem ecclesiasticorum graduum, hæc transgressio iteretur.

IX.

Addit. 2. c. 3. Pactum quod cum Deo in baptismate fit, a multis ex toto, a multis ex parte transgreditur. Ex toto quippe transgreditur, quando quis post acceptam baptismatis gratiam, aut infidelitatem, aut ad hæresim, aut certe ad schisma prolabitur. Ex parte vero, quando quis aut ad superbiam, aut ad invidiam, aut ad cetera vitia spiritalia, quæ ex radice superbiæ prodeunt, labitur. Vnde dominus in euangelio: *Qui autem*, inquit, *super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud: non habet autem in se radicem, sed est temporalis. facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuo scandalizatur.* Constat igitur unumquemque fidelem Deo in baptismate duarum pactionũ nexibus se obligare; altera, qua abrenuntiare diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus; altera vero, qua se in Patrem & Filium & Spiritum sanctum credere profitetur. Vnde etiam sub ejusdem sanctæ Trinitatis invocatione baptismatis gratiam consequitur. Cum ergo hujuscemodi abrenuntiationem quibuslibet illecebris vitiorum illectus ad ea quibus renuntiavit redit, nec non & post tantæ fidei perceptionem, in apostasiam, aut hæreticæ pravitatis, aut fraterni schismatis prolabitur: procul dubio utriusque pactionis transgressor efficitur. Quarum altera, quia baptismi iteratione nequit, pœnitentię lamẽtis, eleemosynarum largitionibus, ceterisque bonorum operum exhibitionibus dilui potest. Altera vero, quæ prædictæ contagionis lepra commaculata fuerit, nisi hac primum per Christi caruerit gratiam, & ad unitatem ecclesiæ redierit, mundari, & pristinæ fidei colorem, sanitatisq; vigorem recuperare non poterit. Quia ergo flammeus ille gladius, qui propter peccatum primi hominis januam paradisi obice mortalibus immobili oppilaverat, in sacrosancto baptismatis fonte extinguitur, & eadem janua credentibus aperitur; omnibus fidelibus studendum est, ut pactionis & sponsionis, quam cum Deo in baptismate fecerunt, semper memores existant, caveantque ne quibuslibet vitiorum sordibus se maculantes, non solum eumdem sibi reaccendant ignem, verum etiam immundum spiritum, a se tempore baptismatis expulsum, cum septenario dæmonum numero sibi addito, ad se quoquomodo redire faciant; fiantque illis, ut dominus ait, novissima pejora prioribus: & impleatur in eis quod beatus Petrus apostolus ait: *Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod traditum est illis, sancto mandato;* apteturque eis illud quod idem ait: *Canis reversus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti.* Nulli quippe dubium est, quin religio Christiana baptismum Christi fideliter expetat, & salubriter percipiat. Sed valde periculosum est, & a religione Christiana alienum, quod post tanti doni perceptionem unusquisque fidelis, cum ad intelligibilem ætatem venit, mysterium baptismatis discere & intelligere negligit, atque, eo intellecto, secundum illud vivere non satagit. Quod periculum & ad negligentiam pertinere sacerdotum, qui id solerter debent annuntiare, & ad auditorum incuriam, qui hoc & intelligere & adimplere parvipendunt, nulli dubium est.

LIBRI I. CAP. VIII. IX. X.

Matth. 13.

Gen. 3.

Luc. 11.

2. Petr 2.

Ibidem.

X.

Addit. 2. cap. 4. Sicut studendum est sacerdotibus ut auditores sui mysterium sacri baptismatis intelligant, & Deo opem ferente operibus compleant: ita

LIBRI I. CAP. XI.

ita nihilo minus procurare debent, ut abrenuntiationes, quas in diabolum suaque opera, ejusque pompas fecerunt, intelligant, & his intellectis, ne ad eas denuo redeant, solicite invigilent. Quibus etiam admonendo sæpius inculcandum est, ne jugo satanæ quod rejecerunt, ejusque dominationi, quam aspernati sunt, quoquomodo succumbant. Magna quippe ex parte Christianum decus vilescit, quando renati in Christo, ea, quibus in baptismate renuntiaverunt, nec intelligere curant, nec ab his se, ut Christo polliciti sunt, abstinere sataguut. Quæ si intellexissent, procul dubio, adjuvante Christi gratia, se ab his vigilantius custodissent. Vnde necesse est ut prædicatores in admonendo, & auditores in discendo, & opere complendo, abhinc, ut suum cavere periculum possint, maius adhibeant studium. Abrenuntiare igitur diabolo est penitus eum respuere, spernere, reiicere, eique contradicere, seque & unumquemque ab eo alienare, sive aliud quid, quod hoc verbo in hoc sensu exprimi potest. Opera ejus sunt, quæ utique operibus salvatoris contraria existunt. Primum superbia, cujus ille auctor est, & quæ eum ex angelo dæmonem fecit, quæ est etiam initium omnis peccati, & cetera vitia quæ ex radice prodeunt superbiæ. Pompa diaboli, hæc est quæ pompa mundi, id est ambitio, arrogantia, vana gloria, omnisque cujuslibet rei superfluitas in humanis usibus. Vnde crescit elatio, quæ multotiens honestati solet adscribi, & cetera hujusmodi quæ de fonte superbiæ procedere noscuntur. Hæc & his similia sunt, quæ unusquisque fidelis tempore baptismatis a se rejecit, Christoque se mancipavit, pactumque cum Deo fecit, ne penitus ad ea quibus abrenuntiavit rediret. Verum si jura humanæ pactionis firmiter conservantur, fixius tamen atque ferventius jura tanti pacti, quæ cum Deo facta sunt, inviolabiliter sunt observanda.

XI.

Providendum ac summopere cavendum est, ut hi per quos & religio Christiana constare, & ceteri ab offensione debent salvari, tales posthabita simoniaca peste eligantur, quales & apostolicus sermo, & canonicus ordo, & beati Gregorii pastoralis regula docet: scilicet ut nullius terrenæ rei gratia, nisi Dei solius, eligantur. Quoniam si pro aliquo munere præsentis futuræque retributionis, vel pro qualibet alia re, quæ contraria esse possit veritati, divinæque auctoritati, eligitur, liquet profecto quod ex toto aliter agitur, quam divina auctoritas testetur, & quod in hujuscemodi facto Deus offendatur, & taliter electo, & his quibus præficitur, quin scandalum generetur dubium non est. Proinde oportet ut in electione & ordinatione sacerdotis valde execranda simoniaca hæresis, quæ propter quorumdam avaritiam & ambitionem modernis temporibus dignitatem sacerdotalem fuscare côprobatur, nihil sui detestandi juris habeat: quæ in primordio sanctæ Dei ecclesię a beato Petro principe apostolorum cum auctore suo damnata est. Quæ etiam Deo odibilis pestis primum necesse est ut imperiali auctoritate & potestate, cum consensu venerabilium sacerdotum, a Romana ecclesia amputetur: quoniam si caput languerit, membra incassum vigeant necesse est. Qualiter vero eadem hæresis a beato Petro damnata sit, liber Actuum apostolorum docet, ubi scribitur: *Cum vidisset autem*, inquit, *Simon, quia per impositionem* Act. 8.

A *manus apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non enim est tibi pars, neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Et in concilio Calchedonensi capitulo 2. scribitur: Si quis episcopus per pecuniam fecerit ordinationẽ, & sub precio redegerit gratiam, quæ non potest B vendi, ordinaveritque per pecuniam episcopum, aut presbyterum, aut diaconum, vel quemlibet ex his qui connumerantur in clero, aut promoverit per pecuniam dispensatorem, aut defensorem, vel quemquam qui subjectus est regulæ, pro sui turpissimi lucri commodo; is qui hoc attentare probatus fuerit, proprii gradus periculo subjacebit, & qui ordinatus est nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat, sed sit alienus ea dignitate vel solicitudine, quam pecuniis acquisivit. Si quis vero mediator tam turpibus & nefandis datis vel acceptis extiterit, si quidem clericus fuerit, proprio gradu decidat; si vero laicus vel monachus, anathematizetur. C Gregorius in homilia euangeliorum XVI. Vobis enim, inquit, sacerdotibus lugens loquor: quia nonnullos vestrum cum præmiis facere ordinationes agnovimus, spiritualem gratiam vendere, & de alienis iniquitatibus cum peccati damno temporalia lucra cumulare. Cum ergo ad memoriam vestram non redit, quod vox dominica præcipiens dicit: *Gratis accepistis, gratis date?* Cur non ante mentis oculos revocatis, quod templum redemptor noster ingressus cathedras vendentium columbas evertit, nummulariorum effudit æs? Qui namq; sunt in templo Dei hodie qui colũbas vendunt, nisi qui in ecclesia precium de impositione manus accipiunt, per quam impositionem D Spiritus sanctus cælitus datur? Columba ergo vẽditur, quia manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad precium præbetur. Sed redẽptor noster cathedras vendentium columbas evertit, quia talium negotiatorũ sacerdotium destruit. Hinc est quod sacri canones simoniacam hæresim damnant, & eos sacerdotio privari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus precium quærunt. Cathedra ergo vendentium columbas evertitur, quando hi qui spiritalem gratiam vendunt, vel ante humanos, vel ante Dei oculos, sacerdotio privantur. Et in apologetico Gregorii Nazianzeni: Religioni, inquit, ac doctrinæ nostræ opprobrium nascitur, E quod sacerdotia vel ministeria ambitione potius & ad gratiam, quam meritorum judicio deferantur. Cujus rei vitium vel labem etiamsi prohibere supra nos est, at certe erubescere & aversari pars aliqua pietatis est. Si quis igitur copiosius pleniusque de vitanda ac detestanda simoniaca hæresi scriptum nosse cupit, librum epistolarum beati Gregorii legat. In quibus manifeste apparet, quod eo tempore, quando easdem epistolas idem doctor ad Gallias mittebat, sedes beati Petri, cui prælatus erat, ab eadem lue immunis erat. Orandus est ergo Deus, ut eamdem pestem, quæ ecclesiam suam multifarie commaculat, ita abhinc ab omnium fidelium suorum corde, ore, & manu procul amoveat, ut amplius tot animas in laqueum & perditionem non subruat.

ANNO CHRISTI 826.

Matth. Matth.

Matth. 10

XII.

ANNO CHRISTI 829.

XII.

Qualiter ad culmen regiminis veniendum, qualiter in eo vivendum, qualiterque docendum, vel qualiter quotidie propriæ infirmitatis consideratio sacerdoti ante oculos sit ponenda, præfati beati Gregorii regula plenissime docet. A cujus doctrina, quod valde dolendum & contremiscendum est, multi nostrorum, qui pastorum nomine censemur, longe peccatis præpedientibus distare convincimur. Unde & nostrum, & eorum quibus prodesse debemus, magnum periculum imminere cognoscimus. Quapropter solicite vigilanterque nobis satagendum est, ut per ejusdem doctoris & ceterorum sanctorum dicta & exempla, vitam nostram in melius componamus, quatenus nobis & illis, quibus ad vitam æternam ducatum præbere debemus, domino auxiliante, salutiferum consultum ferre possimus. Persona quoque sacerdotis qualis esse debeat, in memorato pastorali libro, & in apologetico Gregorii Nazianzeni, copiose taxatum est. Sed & in libro Levitico tit. XXVIII. ita personam sacerdotis dominus describit, loquens ad Aaron: *Vinum & omne quod inebriare potest non bibetis tu & filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum: doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus sum ad eos per manum Moysis.* In Ezechiele: *Victimam igitur & pro peccato & pro delicto, sive pro ignorantia, comedent sacerdotes.* Hieronymus. Nec tantum, inquit, gaudendum est ad oblationem munerum, quantum timendum ad honoris condemnationem, si eo abutamur indigne. Item post pauca: hoc autem facimus, ut reponat sacerdos benedictionem & oblationem nostram in domo sua, sive ut ad imprecationem ejus dominus benedicat domibus nostris. Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina, si peccent. Lætamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quam mœroris de sublimibus corruisse. Nec enim solum pro delictis nostris reddemus rationem, sed pro omnium quorum abutimur donis, & nequaquam sumus de eorum salute soliciti. In Aggæo: *Interroga sacerdotes legem.* Idem Hieronymus: Considera sacerdotum esse officii, de lege interrogatos respondere. Si sacerdos est, sciat legem domini: si ignorat legem, ipse se arguit non esse domini sacerdotem. Sacerdotis enim est scire legem, & ad interrogationem respondere de lege. Item in Malachia: *Lex veritatis in ore ejus*, hoc est doctrina populorum, quæ in sacerdote nullo debet mendacio deturpari, sed tota de veritatis fonte procedere. Et post pauca: *Et multos avertit ab iniquitate.* Qui sacerdos est, & non corripit delinquentes, sacerdotis officium præterit: *Labia sacerdotis custodient scientiam.* Non dixit proferent, sed *custodient.* Et post non multa: *Sicut non servastis vias meas, & accepistis faciem in lege.* Inter omnia peccata Levi, sive eorum qui ex Levi sunt sacerdotum Dei, illud & ultimum & maximum ponitur, quare accipiant faciem in lege, ut non causam, sed personam considerent, justumque pauperem despicientes iniquos divites suscipiant & honorent. In euangelio: *Pastor bonus animam suam dat pro ovibus suis.* Hanc sententiam beatus Gregorius exponens ait: Qui non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro eis daturus est animam suam? Primum itaque nostrum est, exteriora nostra ovibus ejus impendere: postmodum vero, si necesse sit, pro iisdem ovibus animam ponere. Paulus ad Timotheum, nec non & ad Titum, quid sit episcopatum desiderare, & qualis persona episcopi esse debeat, regente ejus calamum sancto Spiritu, affatim salubriterque describit. Hæc igitur quæ prælibata sunt, quisquis ad pastorale magisterium aspirat, sobrie diligenterque perpendat, seque sagaciter metiri studeat, ne, quod absit, terrenis desideriis succensus, propriisque reatibus adstrictus, dum loco, ut beatus Gregorius ait, delectatur gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ. Omnibus igitur sacerdotibus illa specialiter sententia beati Gregorii ante oculos constituenda est, in qua inter cetera: Cum rerum, inquit, necessitas exposcit, pensandum valde est ad culmen quisque regiminis qualiter veniat, atque ad hoc rite perveniens qualiter vivat, & bene vivens qualiter doceat, & recte docens, infirmitatem suam quotidie quanta valet consideratione cognoscat.

[Margin: Levit 10. — Ezech. 44. — Agg. 2. — Malach 2. — Ibid. 7. — Ibid. 9. — Joan. 10. — Libri I. Cap. XII. et XIII. — 1. Tim. 3. Tit. 1. — In præfat. lib. 1. Pastor.]

XIII.

Quia vero nonnullos ordinis nostri socios avaritiam turpiter sectari, & merito a multis reprehendi, & ob id innoxios cum noxiis hac occasione infamari comperimus; abhinc in commune nos & socios nostros mutua exhortatione corrigendos esse dijudicamus. Ita videlicet, ut nec nos in hujuscemodi peste avaritiæ coram Deo peccaremus, nec aliis per nostrum malum exemplum detrahendi & in nobis peccandi locum daremus. Verum cum nullus Christianus thesauros in terra, sed potius, secundum domini sententiam, in cælo recondere debeat, cavendum summopere sacerdotibus est, ut ab avaritiæ peste, quæ est idolorum servitus, & cupiditate, quæ radix omnium malorum est, suosque sectatores a regno Christi excludunt, se compescant. Quoniam digne non possunt subditis prædicare ut ab his se abstineant, cum ipsi his, quod valde dedecens imo periculosum est, se mancipaverint. Gravius quippe atrociusque hæ pestiferæ lues in illis damnantur, quam in his qui eorum dictis & exemplis ab his coerceri debuerunt. Solent namque a nonnullis multifariæ occasiones obtendi, quæ necessitatis nomine palliantur Et revera dum exterius necessitas prætenditur, interius avaritia tegitur. Ait itaque dominus in euangelio: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* E contra Iacobus apostolus divites alloquitur: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, aurum vestrum & argentum æruginavit, & ærugo eorum vobis in testimonium erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis.* Scribit etiam Beda in expositione tabernaculi ita inquiens, neque hoc quod primi filiorum Aaron post ordinationem, cum ignem alienum offerrent coram domino, igne cælesti perierunt, a significatione miserabilis nostri temporis abhorret, ubi nonnulli sacerdotum ac doctorum loco potiti, quod dictu quoque grave ac lugubre satis est, dum ignem cupiditatis igni supernæ dilectionis anteponunt, igne supernæ ultionis absumuntur, quorum perpetua damnatio temporali est filiorum Aaron morte figurata. Scribit & Prosper, Non potest dicere sacerdos contemptoribus admonitionis suæ, Futurum cogitare judicium, quod ipse forte non

[Margin: Matth. 6. — Iac. 5. — Levit. 10. — Lib. I. c. 15. de vita contemp.]

LIBRI I. CAP. XIV. ET XV.

non cogitat amatoribus mundi, Nolite diligere mundum, si eum mundi amor oblectat: ambitiosis, Ambitioni finem imponite, si eum ambitio ruinosa præcipitat: ebriosis, Ebrietatem cavete, si se mero usque ad alienationem mentis ingurgitat. Sumptuosis dapibus crudus, non potest suis abstinentiam laudare quam calcat: vitio cupiditatis addictus, cupidis amorem non potest dissuadere pecuniæ. Inimicitiarum tenax, non audebit animos diffidentium sacerdotali tranquillitate componere. Iustitiam prædicare judicibus erubescit, quam ipse personæ potentis favore corrumpit: nec defendit oppressos, si personas aut honorat aut despicit; & quidquid boni non facit, aut mali committit, nec jubebit fieri, nec vetabit; quia necessariam docendi auctoritatem contrarietate suæ actionis amittit aut minuit. In vita beati Ambrosii legitur: Ingemiscebat enim vehementer, cum videret radicem omnium malorum avaritiam, quæ neque copia, neque inopia minui potest, magis magisque succrescere in hominibus, & maxime in his, qui in potestatibus erant constituti: ita ut interveniendi illi apud illos gravissimus labor esset, quia omnia precio distrahebant. Quæ res omne malum primo invexit Italiæ, & exinde omnia vergunt in pejus. Et quid dicam, si in hujusmodi personis ita rabiem suam exercent, qui solent aut filiorum aut propinquorum causas prætendere ad excusandas excusationes in peccatis, quandoquidem plerosque ceperit etiam cæca labes sacerdotes & Levitas, quibus portio Deus est, ut illam etiam ipsi appetant? Et væ mihi misero, quia nec fine mundi provocamur, ut tam gravi jugo servitutis liberari velimus, quod demergit usque ad profundum inferni, ut faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis, qui nos recipiant in æterna tabernacula. His ita præmissis, oportet sacerdotes domini, ut ab appetitu avaritiæ & cupiditatis se cohibentes, sibi subjectis in omnium virtutum profectibus imitabiles exhibeant, quibus pro omnibus divitiis solus Christus abundat, juxta illud apostoli: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* (Philipp. 1.) Quod autem oblationes fidelium, non ad suam avaritiam, sed ad Christi honorem ecclesiæque utilitatem retorquere debeant, subter annotandum est.

XIV.

Quia ergo propter communem imo necessariam correctionem pariter diligenterque inquisivimus, & ex oraculis divinis, & sanctorum patrum dictis manifestum fecimus, qualiter ad pastorale magisterium veniendum, qualiter docendum sit, & qualiter sacerdotes domini avaritiam, qui aliis forma & exemplum esse debent, cavere debeant, operæ precium duximus, nos exhortando admonere; & admonendo exhortari, ut hospitalitatem præcipue sacerdotes domini sectari meminerint: quoniam hactenus a quibusdam ordinis nostri sociis minus justo & indecenter hospitalitas sectata est, & ideo a multis non solum ipsi negligentes, verum etiam hospitalitati studentes, tali reprehensione sunt denotati. Cum ergo hospitalitas in tremendi examinis die ab æterno judice sit remuneranda, qui dicturus est: *Hospes fui, & collegistis me* (Matth. 25.), & ob id omnibus Christianis summopere sit sectanda, multo magis tamen vigilantiusque ab his qui dictis & exemplis ad vitam æternam aliis ducatum præbere debent, postposita auaritiæ peste, & alia qualibet occasione, prorsus est exequenda. (1. Tim. 3.) Ab apostolo quippe inter cetera virtutum præconia, quæ episcopo inesse debent, hospitalitas etiam habenda prædicatur. Episcopi namque domus, ut beatus Hieronymus scribit (In comment. Tit. 1.), omnium commune debet esse hospitium, & laicus, si unum aut duos, aut paucos recipiat, implet hospitalitatis officium. Episcopus, nisi omnes recipiat, inhumanus ab eo scribitur. Hospitalitas porro, quam dominus remuneraturum se esse asseruit, illa est intelligenda, quæ membris Christi, tecto scilicet indigentibus, & diversas necessitates patientibus, exhibetur. Vnde ait Iob (Iob. 31.): *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Petrus (1. Pet.): *Hospitales invicem sine murmuratione*, & alibi: *Caritas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio receptis.* (Hebr.) Paulus: *Hospitalitatem*, inquit, *sectantes.* (Rom. 12.) Origenes in epistolam ad Romnaos: Quam digne, inquit, hospitalitatis magnificentiam uno sermone comprehendit! Dicens enim hospitalitatem sectandam, non illud solum ostendit, quod venientem ad nos hospitem suscipiamus, sed requiramus, & soliciti simus, & sectemur, ac perquiramus ubique hospites, nec ubi forte in plateis sedeant, aut extra tectum jaceant. Recordare Loth (Gen.), & invenies quod non illum hospites, sed ipse quæsierit hospites: & hoc erat hospitalitatem sectari. De hospitalitate etiam sectanda uberiora sunt exempla, & beati Gregorii in homilia euangelii copiosissima dicta. (Hom.) Proinde studendum summopere episcopis est, ut cum hospitalitatem subditis habendam prædicant, ipsi eam ante omnes primum factis adimpleant: scilicet ut quod verbis prædicant operibus ostendant.

XV.

Quod nulli sacerdotum liceat res Deo dicatas sibique commissas, utpote proprias tractare, & ad multifarios secundum libitum suum eas usus retorquere, sed potius secundum canonicam auctoritatem, sanctorumque patrum dicta & exempla administrare vel dispensare, ea quæ sequuntur perspicue manifestant. Quod autem ea quæ (Act. 4.) domino sanctificabantur, ad jus pertinerent sacerdotum, legalia instituta sanciunt. In novo quippe testamento, in initio videlicet sanctæ nascentis ecclesiæ, vota fidelium ante pedes ponebantur apostolorum, eorumque judicio unicuique, prout opus erat, distribuebantur. Et licet crescente fidelium devotione copiosissimis ac munificentissimis eorum liberalitatibus sancta donata sit ecclesia, eumdem tamen usum apostolorum successores in tractandis & dispensandis ecclesiasticis rebus se servare debere meminerint. Quoniam qui stipem ecclesiæ, juxta documentum beati Hieronymi, in suos convertit usus, scriba est & Pharisæus, similisque Iudæ perdito. Scribitur in concilio Antiocheno cap. XXV. Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes qui indigent, cum summa reverentia & timore Dei. Participet autem & ipse quibus indiget, si tamen indiget, tam suis, quam fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis, ita ut in nullo qualibet occasione fraudentur, juxta sanctum apostolum sic dicentem (1. Tim. 6.): *Habentes victum & tegumentum his contenti sumus.* Quod si contentus istis minime fuerit, convertat autem res ecclesiæ in suos usus domesticos, & ejus commoda vel agrorum fructus, non cum presbyterorum conscientia diaconorumque pertractet, sed horum potestatem domesticis

ANNO CHRISTI 829.

mesticis suis, aut propinquis, aut fratribus, filiisque committat, ut per hujusmodi personas occulte ceteræ lædantur ecclesiæ, synodo provinciæ pœnas iste persolvat. Si autem & aliter accusetur episcopus, aut presbyteri qui cum ipso sunt, quod ea quæ pertinent ad ecclesiam, vel ex agris, vel ex alia qualibet ecclesiastica facultate, sibimet usurpent, ita ut ex hoc affligantur quidam pauperes, criminationi vero & blasphemiis tam sermo prædicationis, quam hi qui dispensant taliter exponantur, & hos oportet corrigi, sancta synodo id quod condecet comprobante. In concilio Calchedonensi cap. XXVI. Quoniam in quibusdam ecclesiis, ut rumore comperimus, præter œconomos episcopi facultates ecclesiasticas tractant, placuit omnem ecclesiam habentem episcopum, habere œconomum de clero proprio, qui dispenset res ecclesiasticas secundum sententiam episcopi proprii, ita ut ecclesiæ dispensatio præter testimonium non sit, & ex hoc dispergantur ecclesiasticæ facultates, & sacerdotio maledictionis derogatio procuretur. Quod si hoc minime fecerit, divinis constitutionibus subjacebit. In canonibus, qui apostolorum titulo prænotantur, capitulo XLI. ita legitur: præcipimus ut in potestate sua episcopus ecclesiæ res habeat. Si enim animæ hominum preciosæ illi sunt creditæ, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut potestate ejus indigentibus omnia dispensentur per presbyteros & diaconos, & cum timore omnique solicitudine ministrentur. Gelasius in decretalibus cap. XXXVII. Quatuor autem, inquit, tam de reditu, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet ecclesiæ facultas permittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones: quarum sit una pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda ecclesiæ. De quibus sicut sacerdotis erit integram ministris ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, ita clerici ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverint expetendum. Ea vero quæ ecclesiasticis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum, quia nefas est si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum præsul impendia his designata convertat. Ipsam nihilo minus adscriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen juxta quod descriptum est: *Ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*, oportet etiam præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non taceri. Prosper, cum de sanctis perfectisque pontificibus tractaret, qui facultates ecclesiæ non ut proprias, sed ut commendatas tractaverunt, ait: Et idcirco scientes nihil aliud esse res ecclesiæ, nisi vota fidelium, precia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vindicaverunt in usus suos ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. Hoc est enim possidendo contemnere, non sibi, sed aliis possidere: nec habendi cupiditate ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere. Hieronymus in expositione Sophoniæ prophetæ: Iudices quoque ejus, quasi lupi Arabiæ, occidentes vespere, & nil relinquentes in mane: non aspicientes ad ortum solis, sed morantes semper in tenebris, & possessiunculas ecclesiæ, & ea quæ in Dei donaria conferuntur, vertentes in lucrum suum, ut non habent pauperes quod mane comedant, qui quasi in nocte, & nullo vidente populantur, & cum luporum more cuncta diripiant, ne parvos quidem cibos indigentibus derelinquunt. Sicut igitur premissa documenta declarant, non sunt res ecclesiæ ut propriæ, sed ut dominicæ & a domino commendatæ tractandæ. Quicumque ergo eas ad suos proprios usus terrenosque honores & delectationes retorquet, quanti sit discriminis, quantæque transgressionis, aperte animadverti potest.

[Margin: Epistola ad episcopos per Lucaniam. — Matth. 5. — Lib. 2. de vita contemplativa, cap. 9. — Sophon. 3.]

[Margin: LIBRI I CAP XVI ET XVII.]

XVI.

Quoniam multi episcoporum amore propinquorum suorum de rebus sibi commendatis, suo aut quorumlibet amicorum nomine, prædia aut mancipia emunt, & ut in suorum propinquorum jus cedant statuunt, & ob hoc, & jura ecclesiastica convelluntur, & ministerium sacerdotale fuscatur, imo a subditis detrahitur & contemnitur. Placuit omnibus, ut deinceps hoc avaritiæ genus caveatur, fixumque abhinc & perpetuo mansurum esse decrevimus, ut episcopus res sui juris, quas aut ante episcopatum, aut certe in episcopatu hereditaria successione acquisivit secundum auctoritatem canonicam, quidquid vult faciat, & cui vult conferat. Postquam autem episcopus factus est, quascumque res de facultatibus ecclesiæ, aut suo, aut alterius nomine, qualibet conditione comparaverit, decrevimus ut non in propinquorum suorum, sed in ecclesiæ, cui præest, jura deveniant. Similiter & de presbyteris, qui de ecclesiarum rebus, quibus præsunt, prædia eo modo emunt, faciendum statuimus: quoniam multos presbyterorum occasione taliter emptarum rerum ecclesias, quibus præsunt, expoliasse, & a suo ministerio multis modis exorbitasse, & se diabolo mancipasse, multosque laicorum ex hoc facto in scandalum damnationis & perditionis protraxisse cognovimus.

[Margin: Lib. 5. c. 175.]

XVII.

Canonica censura decernit, ut res ecclesiæ, nisi ob nimias necessitates quas describit, nemo distrahat. Quod si quispiam imminente nimia necessitate, inconsulto primate provinciæ, aut certe majori urgente necessitate, non adhibitis testibus vicinis episcopis, id facere attentaverit, ita canonico judicio percellitur, scilicet ut amisso honore, reus Deo & concilio teneatur. Et licet moderno tempore necessitas non compellat, ut aperte res distrahantur ecclesiæ, verendum est tamen, ne clanculo vendantur, & canonica interminatio subeatur. Quando enim quispiam prelatorum aut muneris, aut amoris, aut amicitiæ, aut certe timoris, vel cujuslibet alterius rei gratia, res ecclesiæ in commutationem dat, commoda scilicet & utilia dans, & incommoda & inutilia ecclesiæ suæ accipiens, venditorem temerarium ecclesiasticarum rerum se esse noverit, reumque Deo & concilio contremiscat. Quod quia in commutandis rebus id persæpe evenisse dubium non est, cavendum summopere abhinc prælatis est, ne in commutandis ecclesiasticis rebus incauti existant. De non alienandis vero rebus ecclesiasticis papa Symmachus in decretis suis inter cetera ita scribit: His ergo perpensis mansuro cum Dei nostri consideratione decreto sancimus, ut nulli apostolicæ sedis præsuli a præsenti die, donec disponente domino catholicæ fidei manserit doctrina salutaris, liceat prædium rusticum, quantæcumque fuerit vel magnitudinis vel exiguitatis, sub perpetua alienatione, vel commutatione ad cujuslibet jura transferre. Nec cujusquam

[Margin: Cap. 4.]

LIBRI I. CAP. XVIII. XIX. &c. usquam excusentur publicæ necessitatis obtentu: quippe cum non sit personale quod loquimur, nec aliquis clericorum vel laicorum sub hac occasione accepta tueatur. Sed nec in usu fructuario jure aliquibus dare liceat, nec data retinere, præter clericos & captivos atque peregrinos. His verbis aperte monstratur, quia quod idem papa apostolicæ sedis præsul perpetuo observandum censuit, nihilominus præsulibus ecclesiarum observandum perdocuit.

XVIII.

Convenit pastoribus ecclesiarum res ecclesiæ possidere, non ab his possideri, &, ut Prosper scribit, eas possidendo debent contemnere, & non sibi sed aliis possidere. (Lib. 2. de vita contemplativa cap. 9.) Constat autem sanctissimos pontifices, qui cum Christo remuneratore suo regnant, quorum nos indigni locum tenemus, res ecclesiæ non sibi sed aliis possedisse, & non ad suam gloriam & delectationem, sed potius ad Dei honorem & fidelium commoditatem eos his usos fuisse. Unde liquet, quia nihil eis obfuerunt ad nanciscendam æternæ patrię gloriam res ecclesiasticæ commodissimæ atque amplissimæ, quas fideliter administraverunt. Quicumque ergo, secundum eorumdem sanctorum exempla, res sibi creditas dispensaverit, seque ab illecebris mundialibus & incentivis carnalibus custodierit, ad eorum consortium se pertinere dubitare non poterit. Si autem secus fecerit, eorum consortio se indignum fore pertimescat. Miserabiliores plane cunctis mortalibus nonnulli existunt pontifices, qui in brevissimo hujus mortalitatis intervallo, suæ miseræ fragilitatis immemores, sacerdotalis honoris culmine ultra metas subvecti, amore mundi decepti, cupiditate terrenarum rerum illecti, pro caducis & cito præterlabentibus rebus, quas utiliter fideliterque expendere negligunt, sanctorum sacerdotum consortio se privant. Cesset ergo ambitio, quæ dicere solet, nimis rerum habere ecclesias Christi; & perpendat quia quantæcumque sunt res ecclesiæ, si eo modo quo dispensandæ sunt dispensentur, nimiæ non sunt. Cupiditas quippe, imo negligentia quorumdam dispensatorum, non ecclesiæ amplæ res, in vitio sunt. Mira namque res, ambitio mundialis satis non habet, & ecclesia Christi nimium habet.

XIX.

Sicut per Saul reprobi prelati, ita & per David subjecti sunt humiles significati. Quapropter unusquisque subjectus, non superbum Semei, (1. Reg. 16.) qui convicia & maledictiones injecit in David, sed magis eumdem humilem imitari debet David, dicentem: *Propitius sit mihi dominus, non mittam manum meam in Christum domini.* (1. Reg. 26.) Christos domini sacerdotes appellari dubium non est, de quibus in psalmo divina voce canitur: *Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* (Psal. 104.) Quamquam autem, quod valde dolendum est, multi prælatorum adinstar Saul sint reprobi effecti, non sunt tamen manu reprehensionis & detractionis tangendi. Quia, ut Isidorus in libro sententiarum scribit, rectores a Deo solummodo non a subditis sunt judicandi, & pro moribus reprobis tolerandi magis quam a plebe sunt distringendi. In ecclesiastica historia Constantinus imperator episcopis ait: (Rufinus lib. 10. cap. 2.) Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi; & ideo nos a vobis recte judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate judicium, & vestra jurgia, quæcumque sunt, ad illud divinum reserventur examen. Vos etenim nobis a Deo dati estis dii, & conveniens non est ut homo judicet deos, sed ille solus de quo scriptum est: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit.* (Psal. 81.) Cum hæc ita se habeant, utrinque non mediocriter delinquitur, & animarum periculum generatur. Quia dum prælati exemplo suæ perversitatis subditis detrahendi locum dant, se & illos procul dubio ad perditionem pertrahunt. Subditi vero, dum præpositorum prava facta non compassionis, sed insultationis ac livoris voto mordent, quantum animæ suæ periculum incurrant diligenter animadvertant, & abhinc suæ saluti prospicientes, ab hujuscemodi detrectationibus se cohibere non negligant. Irrepsit sane in nonnullis ecclesiarum præsulibus miserabilis temporis nostri, inepta, imo corrigenda, consuetudo, quæ jam ita pro lege tenetur, ut sanctitatis & religionis nomen sibi adscribere non vereatur: scilicet super diversarum rerum innumeris superfluitatibus & vanitatibus, quas dinumerare longum est, nec non in avaritia & tenacitate, improbaque intentione, & in turpi inhonestaque conversatione, morumque improbitate, & vanæ gloriæ appetitu, &, quod his periculosius est, sui officii cura posthabita, in divinorum preceptorum transgressione: ita ut illud Salomonicum impletum videatur, quo dicitur: *Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* (Prov. 2.) Non igitur mirum est si propter hæc & his similia Deus offendatur, & infirmorum animis scandalum generetur, statusque sanctæ Dei ecclesiæ periclitetur. Proinde omnibus studendum est sacerdotibus, ut ab his deinceps se caveant, & his rebus resistant, quibus sibi, & his quibus præsunt, dominum propitium facere mereantur. Quam moderata autem discretio in vestium cultu & mensæ apparatu sacerdotibus tenenda sit, dicta beati Gregorii in expositione euangeliorum nec non & vita sanctorum virorum Augustini & Ambrosii plenissime docent.

XX.

Quod moderni pontifices sanctorum decedentium patrum exempla usquequaque sectari debeant, in præcedentibus jam dictum est. Sed quia nonnullos socios ordinis nostri sine his personis, (Lib. 5. cap. 174.) quas sua religiosa conversatio testes habere, & quibus exemplum bonum debuit præbere, cubilia secreti sui didicimus incolere, id non sine magna turbidaque indignatione ferre potuimus. Et ne deinceps quispiam prælatorum id facere pertentet, pari consensu inhibuimus: quia in hoc facto conversatio sacerdotalis commaculatur, & detrahentibus locus præbetur, & animarum perditio generatur. Ut ergo sacerdos discipulis suis de seipso exemplum bonum debeat præbere, apostolus scribens ad Titum docet, dicens: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in castitate*, & reliqua. (Tit. 2.) Beatus quoque Gregorius in decretis suis ita ait, (In concilio Romano.) Verecundus mos torpore indiscretionis inolevit, ut hujus sedis pontificibus ad secreta cubiculi servitia laici pueri ac sæculares obsequantur, & cum pastoris vita esse discipulis semper debeat in exemplum, plerumque clerici qualis in secreto sit vita sui pontificis nesciunt, &, ut dictum est, sæculares pueri sciunt. De qua re præsenti decreto constituo, ut quidam

ANNO CHRISTI 829.

ex clericis, vel etiam ex monachis electi, ministerio cubiculi pontificalis obsequantur, ut is qui in loco est regiminis habeat testes tales, qui vitæ eius in secreto conversationem videant, & ex visione sedula exemplum profectus sumant. Hæc igitur beatus Gregorius scripserit. Ceterum si qui de hac re copiosiora exempla quærere voluerint, vitas beati Augustini & Ambrosii,& ceterorum aliorum sanctorum virorum legant, & perspicue invenient, quod vita & conversatio pontificis semper testes vitæ probabilis habere debeat.

XXI.

Hoc quoque correctione congruaque emendatione dignum comperimus,eo quod nonnulli prælatorum, nulla interveniente necessitate, non cum clericis, sed potius seorsum cum laicis, & quibusdam familiaribus suis sermocinari & convivari delectentur: similiterque & a quibusdam abbatibus & abbatissis fieri didicimus. Quæ res quia valde a paterna solicitudine abhorret, & subditos in contemptum magistrorum murmurationemque, & in divinorum obsequiorum transgressionem pertrahit, prorsus resecandam esse censuimus, & ut abhinc prælati in his quæ præmissa sunt, quantum facultas permiserit, sibi subditis participes existant, statuimus: de qua etiam re in Actibus apostolorum, & in vita beati Augustini, & in concilio Sardicensi capitulo XIV. copiosa habentur exempla. Socios vero ordinis nostri in gubernandis congregationibus sibi subjectis, canonicis videlicet, monachis & sanctimonialibus,hactenus valde negligentes extitisse, & ob id multos in sui detractionem & contemptum provocasse, ita ut nonnulli alii prælati in eorum parochiis constituti, eorum prava exempla secuti,suas similiter congregationes neglexerint. Quos fraterno & synodali conventu admonendos esse necessario duximus, ut ab hac negligentia deinceps se cohibeant,& ceteris se imitabiles præbeant: ne forte propter illorum incuriam, & divinæ servitutis contemptus, & pericula proveniant animarum, & auribus excellentiæ vestræ molestia ingeratur, & nostræ mediocritati in sacris conventibus tædium & opprobrium inferatur. Comperimus etiam quosdam socios ordinis nostri, non causa necessitatis aut utilitatis, sed potius avaritiæ & propriæ delectationis, sæpissime, propria civitatis suę sede relicta, cleroque neglecto, remotiora loca frequentare, de qua re & destitutio divini cultus,& prædicatio in plebibus,& cura subjectorum postponitur, & hospitalitas negligitur. Quod ne vlterius a quoquam sine inevitabili necessitate, & certa utilitate fiat, pari consensu inhibuimus.

XXII.

Lib. 5. cap. 78. De clericis vero laicorum, unde nonnulli eorum conqueri videntur, eo quod quidam episcopi ad eorum preces nolint in ecclesiis suis eos, cum utiles sint, ordinare; visum nobis fuit, ut in utriusque partibus pax & concordia servetur, & cum caritate & ratione utiles & idonei eligantur. Et si laicus idoneum utilemque clericum obtulerit, nulla qualibet occasione ab episcopo, sine certa ratione repellatur: &, si rejiciendus est, diligens examinatio, & evidens ratio, ne scandalum generetur, manifestum faciat.

XXIII.

Quia sunt plerique, qui non paternum affectum circa gregem sibi commissum, sed quemdam exercere videntur dominatum, eumque non ut dominicum, sed flatibus ventosæ arrogantiæ inflati, ut suum proprium tractare non verentur, quantum a paternitatis officio aberrent, subter collecta documenta declarant. Dominus in euangelio: *Si diligis me, pasce oves meas. Meas*, inquit, non tuas. Item: *Qui maior est vestrum erit minister vester.* Et non post multa: *Non ita erit*, inquit, *inter vos: sed qui voluerit inter vos maior fieri, erit vester servus.* Petrus: *Neque dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo.* Salomon: *Principem te constituerunt? noli extolli, sed esto in eis, quasi unus ex ipsis.* Fulgentius in libro de veritate prædestinationis & gratiæ: Non ideo, inquit, se solum quilibet episcopus vas misericordiæ putet in gloria præparatum, quia pontificali militia fungitur; sed si pro grege sibi credito solicitus semper invigilet, & prædicet verbo, instet opportune, arguat, obsecret, increpet in omni patientia & doctrina: nec sibi dominatum superbus vsurpare contendat, sed apostolicis informatus eloquiis & exemplis, servum se cunctis exhibeat: neque sedis illius altitudine collatum sibi gaudeat temporale fastigium, sed humili corde fidelibus præbeat bonæ conversationis exemplum. Quicumque igitur sacris officiis servituri sub quolibet ordine applicantur, dignum est ut illius dicantur, cuius servitio mancipantur. Qua ergo temeritate, imo præsumptuosa vanitate, quilibet prælatorum dicere præsumit: Illa congregatio mea est, aut ille presbyter, vel clericus meus est, cum non illius sit, sed illius cui dicatus est? Proinde quia is inolitus usus ecclesiasticæ non concordat regulæ, corrigatur necesse est.

Libri I. cap. XXI. &c. Ioan. 21. Matth. 20. Petr. 5. Eccles. 32. Lib. 2.

XXIV.

Sunt quidam prælatorum, qui utramque annonam, spiritalem videlicet & carnalem, sibi subiectis strenue administrant. Sunt e contrario, quod emendatione opus habet, qui neutrum cibum utiliter eis administrant. Sunt etiam qui carnalem cibum sufficienter eis administrent, & spiritalem aut scienter eis subtrahunt, aut, quia nesciunt, non subministrant, pascentes solummodo carnem cito perituram, cibumque vermium futuram, animarumque salutem in æternum victurarum negligentes. Non igitur erunt prælati excusabiles & immunes a periculis apud dominum, cui pro sibi commissis rationes sunt reddituri, si eis carnalia solummodo, & non spiritalia fideliter subministraverint, cum de manu eorum sanguinem eorum, si perierit, sit exacturus, testante Ezechiele propheta, & expositione, beati Augustini super eodem propheta, plurimum huic rei adstipulante. Grandis porro miseria, cæcaque cupiditas, dum hujuscemodi prælati in locis sibi subjectis cupiditatem suam potius explere, quam animarum suarum periculum contendunt vitare.

Ezechiel. 3. & 33.

XXV.

Non solum rumore, sed etiam evidentibus factis comperimus, quorumdam episcoporum ministros, non solum in presbyteris, sed etiam in plebibus parochiæ suæ, avaritiam potius exercere, quam utilitati ecclesiasticæ dignitatis inservire, populique saluti consulere. Quam negligentiam imo & execrabile ac damnabile cupiditatis vitium, omnibus in commune deinceps vitandum statuimus. Pertimescenda porro & vigilanter cavenda est domini sacerdotibus Heli sacerdotis ruina, qui filios suos indigne agentes, dominumque in suis pravis actibus ad iracundiam provocantes, sacrificioque domini injuriam irrogantes, quia verbis tantum, & non verberibus corripuit, eis divina iustaque

LIBRI I, CAP XXV. XXVI. &c. iustaque ultione ruentibus ruit. At si forte, quod absit, ullus episcoporum deinceps sectatores avaritiæ ministros in parochia sua constituerit, & eorum cognitam pravitatem auctoritate pastorali acriter ferire detrectaverit, exemplum negligentis Heli sacerdotis imitari se cognoscat, sciatque quia quidquid pravitatis vel avaritiæ hujusmodi subjecti in plebibus Christi egerint, si eos corrigere iuxta facti qualitatem neglexerit, in eum procul dubio, a quo constituti sunt, ea quæ admiserint redundabunt, & synodali correptioni modis omnibus subjiciendum. Nam & in communi consensu statuimus, ut unusquisque episcoporum super archidiaconis suis deinceps vigilantiorem curam adhibeat, quoniam propter eorum avaritiam & morum improbitatem multi scandalizantur, & ministerium sacerdotale vituperatur, & in ecclesiis a sacerdotibus multa propter eos negliguntur.

XXVI.

Officij est ecclesiasticæ auctoritatis, ut quidquid noxium in agro sanctæ Dei ecclesiæ excreverit, falce æquissimæ discretionis resecet: quatenus status ipsius inconvulsus persistens, recte & inconfuse per tramitem ordinis sui incedere valeat. Quod cum ita sit, irrepsit inter cetera, quæ ecclesiasticæ auctoritati, imo divinæ, contraeunt, miserabilis ac periculosa temporis nostri consuetudo, quæ valde ab auctoritate canonica abhorret, eo quod episcoporum concilia bis in anno, sicut mos canonicus docet, per unamquamque provinciam non fiunt, & ob id ecclesiasticæ utilitati magnum dispendium, & principalibus auribus insolens impedimentum, & multorum impunitas nascitur flagitiorum. Proinde omnibus nobis pernecessarium visum est, ut ab imperiali celsitudine libertas temporis imploretur, quo hæc ad honorem Dei, & utilitatem sanctæ Dei ecclesię, multorumque correctionem congruenter decenterque fieri possint. Et si hæc aliqua præpediente necessitate bis fieri nequeunt, saltem in anno semel fiant. Quoniam si hæc semel, ut dictum est, in anno per unamquamque provinciam celebrata fuerint, & honor ecclesiasticus vires ordinis sui obtinebit, & impudentia quorumdam superborum clericorum, quæ passim auctoritate canonica calcata auribus imperialibus molestiam ingerit, cessabit, & impunitas diversorum flagitiorum locum delitescendi, quem nunc habet, non habebit, & alia multa, quæ hactenus secus quam ecclesiastica disciplina docet incesserunt, ordinem suum domino auxiliante servabunt. Visum siquidem nobis, & valde profuturum sanctæ Dei ecclesiæ fuit, ut quia ordo canonicus docet ut & in ipsis conciliis adsint presbyteri & diaconi, & omnes qui se læsos existimant, & synodi experiantur examen, ut adsint etiam uniuscujusque episcopi eruditi viri, quos ad Christi militiam, ejusque ecclesiæ honorem, utilitatemque præparat, quatenus & ceteris ecclesiis noti sint, & studium ac providentia episcopi ad aliorum exempla manifesta fiant.

XXVII.

Lib. 5. c. 168. Episcopos locum apostolorum, chorepiscopos autem exemplum & formam tenere septuaginta discipulorum, & liber Actuum apostolorum, & canonica auctoritas aperte demonstrant. Cum hæc ita se habeant, emersit quidam reprehensibilis & valde jam inolitus usus, eo quod quidam chorepiscopi ultra modum suum progredientes, & donum sancti Spiritus per impositionem manuum tradant, & alia quæque, quæ solis pontificibus debentur, contra fas peragant: præsertim cum

A nullus ex septuaginta discipulis, quorum speciem in ecclesia gerunt, legatur donum sancti Spiritus per manus impositionem tradidisse. Quod autem solis apostolis eorumque successoribus proprii sit officii tradere Spiritum sanctum, liber Actuum apostolorum docet, in quo legitur: *Cum Apollo esset Corinthi, & Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, & inveniret quosdam discipulos, dixit ad eos: Si Spiritum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est audivimus: ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptismate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum dicens: In eum qui* B *venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Iesum. His auditis baptizati sunt in nomine Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Item in eodem. *Cum audissent apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem: Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Ecce aperte demonstratur, quod non septuaginta discipuli, quorum formam tenent chorepiscopi, sed C apostoli, quorum successores sunt episcopi, tradebant Spiritum sanctum. In concilio vero Cæsariensi, ita de chorepiscopis habetur scriptum: Chorepiscopi quoque ad exemplum quidem & formam septuaginta videntur esse: ut comministri autem propter studium, quod erga pauperes exhibent, honorantur. Item in concilio Antiocheno capite x. Qui in vicis vel possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem episcoporum perceperint, & ut episcopi consecrati sint, tamen sanctæ synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, & gubernent subjectas sibi ecclesias, earumque moderamine curaque contenti sint. Ordinatio porro chorepiscoporum qualiter fieri debeat, & qualiter qualesve ipsi ordinationes iubentibus episcopis suis facere debeant, iura canonum liquido decernunt. Vnde quia hactenus quidam chorepiscopi, secus quam auctoritas canonica doceat, in officiis ecclesiasticis minus caute egerunt, providendum summopere episcopis est, ut ulterius eorum chorepiscopi tale quid, quod nec eorum ministerio, nec auctoritati divinæ concordat, facere pertentent: nec episcopi sui eis aliud agendum permittant, nisi quod ad eorum officium proprie pertinet, & in sacris canonibus præfixum habetur.

XXVIII.

E Qui sacris officiis ob meritorum prærogativam sunt applicati, dedecus & valde periculosum est terrenis actionibus turpibusque lucris eos implicari. Comperimus igitur nonnullos presbyteros & monachos desertores ordinis sui, quod non sine magno animi mœrore prosequimur, adeo villicationes & negotiationes diversaque turpia lucra sectari, ut illud videatur impletum quod dicitur: *Et erit sicut populus, sic sacerdos.* Quod & leges divinæ, & iura canonica condemnant, quantumque etiam id religioni Christianæ contrarium sit manifestum est. Quod vero ab hujuscemodi illicito actu uterque ordo, & sacerdotalis & monasticus se cohibere debeat, subter breviter collecta testimonia declarant. Ait namque dominus in euangelio: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro,* *aptus*

ANNO CHRISTI 829.
Act. 19.
Act. 8.
Conc. Neocæsar. can. 13.
Isa. 24.
Luc. 9.

ANNO CHRISTI 829.

aptus est regno Dei. Et Paulus: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit.* Quamquam ergo hæc euangelica & apostolica sententia generaliter de omnibus christianis sit dicta, & ab omnibus observanda; specialius tamen atque religiosius ab his observari convenit, qui se divinæ militiæ deuotius strictiusque manciparunt. In concilio quoque Calchedonensi titulo III. ita legitur: Pervenit ad sanctam Synodum, quod quidam, qui in clero videntur electi, propter lucra turpia conductores alienarum possessionum fiant, & sæcularia negotia sub cura sua suscipiant, Dei quidem ministerium paruipendentes, sæcularium vero domos discurrentes, & propter avaritiam patrimoniorum solicitudines sumentes. Decrevit itaque sanctum hoc magnumque concilium, nullum deinceps, non episcopum, non clericum, vel monachum, aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se miscere, præter pupillorum, si forte leges imponãt, inexcusabilem curam, aut civitatis episcopus ecclesiasticarum rerum solicitudinem habere præcipiat, aut orphanorum, & viduarum, earumque quæ sine ulla provisione sunt personarum, quæ maxime ecclesiastico indigent adjutorio, propter timorem domini causa deposcat. Si quis autem transgredi de cetero statuta tentaverit, huiuscemodi ecclesiasticis increpationibus subjacebit. Hæc de sacerdotibus simul & monachis generaliter dicta sunt. Ceterum de monachis ita specialiter in eodem concilio titulo IV. inter cetera legitur: Monachos vero per unamquamque civitatem, aut regionem, subiectos esse episcopo, quietem diligere & intentos esse tantummodo jejunio & orationi, in locis quibus renuntiaverunt sæculo permanentes. Nec ecclesiasticis vero nec sæcularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti, propria monasteria deserentes, nisi forte eis præcipiatur propter opus necessarium ab episcopo civitatis. His ita præmissis, oportet ut episcopi suæ parochiæ sacerdotes & monachos a memoratis illicitis actionibus sua auctoritate compescant: transgressores vero censura canonica corripiant, quia dicitur: Transgredientem vero hanc definitionem nostram excommunicatum esse decrevimus, ne nomen Dei blasphemetur.

XXIX.

Inter cetera quæ religioni Christianæ adversa sunt, hoc nihilo minus contrarium & periculosum extat, quod quorumdam prælatorum temerario ausu, qui sibi licere putant quod non licet, & expedire quod non expedit, ecclesiæ suis ad tempus viduantur sacerdotibus: quoniam si quid eis in forensibus negotiis agendum, si quid etiam in diversis aliis partibus nuntiandum occasio necessitatis opponit, id potius per sacerdotes domini currentes & discurrentes, quam per alios effici præcipiunt; non attendentes quod eorum absentia & loca Deo dicata sibi cultu debito priventur, & homines, sine confessione, & infantes sine baptismatis regeneratione plerumque moriantur. Quanti autem sit discriminis, & personæ mittentis, & ei quæ mittitur, animarum pericula, quæ subinde hujus rei causa fiunt, liquido produnt. Proinde omnibus prælatis cavendum est, ne illicita sibi presbyterorum transmissione animarũ suarum subeant damnationem. Presbyteri porro, qui non sui prælati imperio coacti, sed potius voluptatũ suarum delectatione, imo avaritiæ æstuatione succensi, id facere præsumunt, perpendant necesse est, quam luctuosam descriptionem Ieremias propheta Dei, sub significatione auri, ejusque coloris optimi, lapidumque sanctuarij, personam carnalium sacerdotum describat.

Thren. 4. Ait namque: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuary in capite omnium platearum?* Quod beatus Gregorius in libro pastorali ita exponit. Quid namque auro, quod metallis ceteris præminet, nisi excellentia sanctitatis; quid colore optimo, nisi cũctis amabilis reverentia religionis exprimitur? quid sanctuarij lapidibus, nisi sacrorum ordinũ personæ signantur? quid platearum nomine, nisi præsentis vitæ latitudo figuratur? Et non post multa: Aurum igitur obscuratur, cum terrenis actibus sanctitatis vita polluitur: color optimus cõmutatur, cum quorumdam, qui degere religiose credebantur, æstimatio anteacta minuitur. Nam cũm quilibet post sanctitatis habitum terrenis se actibus inserit; quasi colore permutato ante humanos oculos ejus reverentia despecta pallescit. Sanctuarij quoque lapides in platea disperguntur, cum causarum sæcularium foras lata itinera expetunt hi, qui ad ornamentum ecclesiæ internis mysteriis, quasi in secretis sanctuarij, vacare debuerunt. Item paulo post: Sanctuarij lapides dispersi per plateas jacent, cum personæ sacrorum ordinum voluptatum suarum latitudini deditæ terrenis negotiis inhærent. Sunt & alia multa divinæ legis præcepta, & sanctorum patrum dicta, quæ sacerdotes domini a terrenis & sæcularibus negotiis expediri, cælestique militiæ libere sanciunt servire. Quisquis igitur presbyterorum se ab his cohibere detrectaverit, dignum est ut ab episcopo suo rigida corripiatur invectione. LIBRI I CAP. XXIX. XXX. &c. Lib. 2. c. 7.

XXX.

Iamdudum a pio & orthodoxo principe domno Hludouvico Deo amabili imperatore jussum & admonitum est, ut rectores ecclesiarum in ecclesiis sibi commissis strenuos milites Christi, quibus Deus placari posset, præpararent & educarent, attendentes illud Danielis prophetæ: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt alios, sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Sed super hac ejusdem principis admonitione, imo jussione, a nonnullis rectoribus tepide & desidiose hactenus actum est. Vnde omnibus nobis visum est, ut abhinc postposita totius corporis negligentia, ab omnibus diligentior in educandis & erudiendis militibus Christi, & vigilantior adhibeatur diligentia; & quando ad prouinciale episcoporum concilium ventum fuerit, unusquisque rectorum, sicut jam in præcedentibus memoratum est, scholasticos suos eidem concilio adesse faciat, ut suum solers studium circa divinum cultum omnibus manifestum fiat.

Addit. 2. cap. 5. — Dan. 12.

XXXI.

Si cupiditas, quæ radix est omnium malorum, in membris radicitus est amputanda, multo magis a capite, ne in eo aliquid suum vindicet, longe est propellenda. Quoniam valde turpe fœdumque est, ut quod in membris reprehenditur, in capite quoquomodo inveniatur. Euangelica namque prædicatio, & alia divinæ servitutis executio, non terrenarum pecuniarum quæstu, nec cujuslibet alterius turpis lucri gratia, sed solius Christi amore a discipulis eius est peragenda. Quisquis igitur sui quæstus, non Dei causa euangelicam prædicationem implet, longe se a discipulatu Christi sejungit. Qualiter autem a discipulis Christi exequi debeat, & euangeliorum documenta, & sanctorum patrum monumenta testatur. Didicimus sane quorumdam relatu nonnullos coepiscoporum nostrorum in peragrandis parochiis suis, non solum consacerdotibus, verum etiam quibusdam aliis fidelibus, quibus consultum ferre debuerant, oneri existere, & ob hanc causam multos in sui detractionem detestationemq; pertrahere. Idcirco in commune statuimus, ne ul-

LIBRI I. CAP. XXX. I XXX. II. &c. ne ulterius a quoquam episcoporum tale quid fiat. Statuimus etiam, ut tempore congruo unusquisque parochiam suam circumeat. Et quamquam auctoritas canonica doceat, ut quarta pars decimarum & redituum ex oblationibus fidelium in usus episcoporum cedat; ubicumque tamen episcopus sua habet, suis contentus sit: ubi autem nihil rerum ecclesiæ suæ habet, accipiat de memorata quarta parte sibi suisque, non quod avaritia, quod absit, suaserit, sed potius quod necessitas compulerit. Ceterum si accipiendi nulla necessitas urserit, nihil de memorata quarta parte accipiat: sed usibus ecclesiarum, & pauperibus Christi impertiendam secundum suam dispositionem relinquat.

XXXII.

Quoniam multi sacerdotum partim incuria, partim ignorantia, modum pœnitentiæ reatum suum confitentibus secus quam iura canonica decernant imponunt, utentes scilicet quibusdam codicillis contra canonicam auctoritatem scriptis, quos pœnitentiales vocant: & ob id non vulnera peccatorum curant, sed potius foventes palpant, incidentes in illud propheticum: *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ad decipiendas animas*: omnibus nobis salubriter in commune visum est, ut unusquisque episcoporum in sua parochia eosdem erroneos codicillos diligenter perquirat, & inventos igni tradat, ne per eos ulterius sacerdotes imperiti homines decipiant. Sacerdotes porro, qui aut muneris, aut amoris, aut timoris, aut certe favoris causa, tempora modumque pœnitentiæ ad libitum pœnitentium indicunt, audiant quid dominus per Ezechielem prophetam terribiliter dicat: *Hæc dicit dominus Deus: Quia locuti estis vana, & vidistis mendacium: ecce ego ad vos, ait dominus Deus: Et erit manus mea super prophetas qui vident vana, & divinant mendacium: in concilio populi mei non erunt, & in scriptura domus Israel non scribentur, nec in Israel ingredientur, & scietis quia ego dominus Deus. Eo quod deceperint populum meum dicentes: Pax, pax, & non est pax.* Et post non multa: *Cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum, & violabant me ac populum meum propter pugillum hordei & fragmentum panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, & vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Presbyteri etiam imperiti solerti studio ab episcopis suis instruendi sunt, qualiter & confitentium peccata discrete inquirere eisque congruum modum secundum canonicam auctoritatem pœnitentiæ noverint imponere. Quoniam hactenus eorum incuria & ignorantia multorum flagitia remanserunt impunita: & hoc ad animarum ruinam pertinere dubium non est.

Ezechiel. 13

Ibidem.

XXXIII.

Addit. 2, cap. 6.

Perlatum est ad nos quod in quibusdam provinciis plerique episcopi post perceptionem cibi & potus soleant per impositionem manuum tradere Spiritum sanctum: quod tam excellenti ministerio prorsus non convenire, & ita deinceps fieri non debere omnibus nobis visum est. Quoniam credibile est, & auctoritas ecclesiæ ita se habet, ut sicut apostoli unanimes existentes, Deumque collaudantes & benedicentes, ita nimirum ieiunantes accipere meruerint paracletum Spiritum sanctum, eosque non nisi ieiunos, sicut eorum acta docent, aliis eum tradidisse manifestum est. Sicut enim baptismus, excepta infirmorum causa, non nisi a ieiunis celebratur sacerdotibus, ita etiam traditio Spiritus sancti, excepta præmissa causa infirmorum, non nisi a ieiunis celebranda est pontificibus. Dignum quippe est ut pontifices Christi primum ieiunando & orando in cordibus suis domum præparent Spiritui sancto, & sic per impositionem manuum ceteris fidelibus eum tradant orando. Sicut autem duobus temporibus pascha videlicet & pentecoste, baptismus, ita etiam traditio sancti Spiritus per impositionem manuum fidelibus tradatur: exceptis videlicet, ut dictum est, infirmis & morte periclitantibus, quibus sicut baptismatis gratia succurrendum, ita incunctanter donum Spiritus sancti est tradendum.

ANNO CHRISTI 829.

XXXIV.

Cum miseria humana multifariis fragilitatis suæ excessibus creatoris sui incomparabilem dulcedinem sæpissime ad amaritudinem provocet, tunc gravius sceleratiusque in eum delinquit, quando contra naturam peccat. Hoc quippe peccatum tribus modis dominum, ut res humanas curare videretur, terribiliter vindicasse legimus. Inter cetera namque peccata, quæ in exordio creationis mundi genus humanum irretractabiliter admiserat, hoc maxime peccato, ut quidam tradunt doctores, ad iracundiam provocatus dixisse creditur: *Pœnitet me hominem fecisse super terram.* Nam & ob id cataclysmo, exceptis octo animabus, cunctam generis humani funditus delevit stirpem. Pro quo etiam scelere igni cælesti conflagratæ, infernique hiatu absorptæ sunt civitates: nec non & quadraginta & amplius millia stirpis Beniaminææ mucrone fraterno confossa sunt. Hæc porro iudicia, & evidentes vindictæ declarant, quam detestabile & execrabile apud divinam maiestatem hoc vitium extet. In lege quoque dominus auctorem huius sceleris & turpitudinis morte puniri iubet: & apostolus dignum morte adstruit. Quod quia aqua & sanguine & igne impræsentiarum ad correctionem mortalium a domino cōstat esse vindicatum, restat ut quisquis tanti sceleris patratorem se esse meminit, dum tempus acceptabile, diesque salutis existit, per confessionem & pœnitentiæ satisfactionem sibi consulere non differat, attendens illud apostoli: *Si nosmetipsos iudicaremus, a domino non iudicaremur.* Verum si hoc antequam diem claudat extremum facere detrectaverit, noverit quia non iam cataclysmo, nec igne cælesti, nec mucrone Israelitico, sed igne perpetuo in eo idem vitium per infinita sæcula sæculorum punietur. Proinde omnibus nobis valde necessarium visum est, ut quidam sacerdotes, qui hoc vitium aliter quam sacri canones sanciant, non ad salutem, sed ad deceptionem animarum puniunt, corrigantur, & instruantur, ut codicibus pœnitentialibus prorsus abdicatis, per quos multi inani spe & promissione decepti sunt, & decipiuntur, abhinc patratores tam nefandissimi Deoque detestabilis vitii, secundum iudicium canonicum, quod in Ancyritano concilio sub titulo XVI. continetur, iudicentur. Hoc namque peccatum sancti patres, divino Spiritu afflati, merito in sacris canonibus acrius ceteris iudicandum decreverunt; quoniam eo regnante, & statum Christi ecclesiæ infirmari, & regnum periclitari aperte cognoverunt.

Gen. 6.

Gen. 19.
Iudic. 20.

Levit. 20.
1. Cor. 6.

1. Cor. 11.

XXXV.

Multos a corpore Christi veræ religionis inimicus seiungere certat, ut eos filios Belial efficiat. Ipse quippe in sacris literis merito Belial, id est absque iugo dicitur, eo quod sub iugo Dei esse superbissime refugerit. Et idcirco ut alii, maximeque hi qui eminentiorem locum in ecclesia tenent, filii efficiantur Belial, elaborat. Quoniam per quos religionem

Iudic. 19.

ANNO CHRISTI 829.

gionem Christianam constare debere cernit, eos nimirum in ima subruere festinat. Unde periculosa & dolenda valde res est, quod quidam presbyterorum eius astu decepti, gradum quo divinæ servituti mancipati sunt, amittere nihili pendunt: quoniam eo amisso, adeo filij Belial efficiuntur, ut nec publicis, quia fas non est, nec canonicis, propter quorumdam episcoporum incuriam, legibus constringantur: & ob id a quibusdam ministerium sacerdotale non divino amore appetitur, & irreverenter tractatur, & impudenter amittitur, &, quod his maius est, vilius habetur. Quod vero hæc res periculosa sit, & emendatione digna, manifestum est. Proinde ut in hac re corrigenda abhinc solicitius studium assumeremus, omnes in commune decrevimus, scilicet ut unusquisque episcoporum, B non solum presbyterorum, verum etiam sequentium ordinum parochiæ suæ gradum amittentium vitam & conversationem, morumque emendationem, tam per se quam per ministros suos noverit, eosque canonicæ pœnitentiæ subdere non negligat. Iuxta quod in Concilio Neocæsariensi titulo primo dicitur: Presbyter si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & sub pœnitentia cogi.

XXXVI.

Priscis temporibus, quando iura canonum suum servabant vigorem, nullus clericorum parochiam suam, in qua divinæ militiæ devinctus erat, relinquere, & ad aliam sine episcopi sui commendatitiis C literis & epistolis, quas mos canonicus formatas appellat, audebat quoquomodo pergere. Nostri vero temporis miserabilis dignaque emendatione inolevit consuetudo, eo quod multi ecclesiasticæ regulæ subiecti, propositi & loci sui desertores effecti, passim quocumque eis voluntas suaserit posthabita auctoritate canonica pergunt, & non solum ab aliis episcopis & abbatibus, verum etiam a comitibus & nonnullis aliis nobilibus viris recipiuntur. Quod quantum & a divina & a canonica auctoritate discordet, in promptu est. Quod ne ulterius fiat, & ab episcopis, & a ceteris ecclesiasticis prælatis obnixe est observandum, & a D celsitudine imperiali humiliter petendum, ut potestate regali prohibeatur, ne quispiam laicorum solicitare aut recipere præsumat alterius clericum. Sed & hoc specialiter ab eius magnitudine flagitandum necessitas exposcit, ut sua auctoritas inhibeat, ne Italici episcopi, abbatesque & comites, ac ceteri nobiles viri, aliorum clericos ex Germania Galliaque illuc fugientes recipere præsumant, quia in hoc facto valde ecclesiasticus honor læditur & violatur, & regula canonica confunditur. Quantum autem hoc sacri canones prohibeant, omnibus legentibus manifestum est.

XXXVII.

Decet, imo necesse est, ut abbates canonicorum E attendant ut quid abbates vocentur. Si patres spiritales sunt, & filios spiritales domino gignunt, iuxta illud apostoli: *Secundum euangelium meum ego vos genui*, merito patres appellantur: si vero secus incesserint, tanto nomine se indignos faciunt. Quapropter oportet ut memores sint illius apostoli, quo dicitur: *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum; sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros*: & religiose, caste, ac pudice vivere satagant, venationibus turpibusque lucris, ceterisque vanitatibus paternitati suæ non convenientibus, nullatenus inseruiant, ne per suum malum exemplum subditos

[margin: 1. Cor. 4.] [margin: 2. Cor. 6.]

A ad ruinam pertrahant: quia in huiuscemodi prælatorum illicitis factis, & magnum animarum periculum generatur, & religio clericalis a multis vituperatur. Unde etiam summopere episcopis, ad quorum curam pertinent, providendum est, ut hujuscemodi abbates ab illicitis se abstineant, & dictis & exemplis sibi subditis ad vitam æternam ducatum præbere contendant. Quod si episcopo suo obedire superbiendo renuerint, synodali iudicio aut corrigantur, aut certe principali auctoritate interveniente, honore prælationis priuentur.

[margin: LIBRI I. CAP. XXXVI. XXXVII. &c.]

XXXVIII.

Cum ab omnibus Christianis, iuxta apostoli documentum, stultiloquium & scurrilitas sit cavenda, multo magis a sacerdotibus domini, qui aliis exemplum & condimentum salutis esse debent, caveri oportet. Hæc quippe a sanctis viris penitus sunt propellenda, quibus magis convenit lugere, quam ad scurrilitates & stultiloquia, & histrionum obscenas jocationes, & ceteras vanitates, quæ animum Christianum a rigore suæ rectitudinis emollire solent, in cachinnos ora dissolvere. Neque enim decet, aut fas est, oculos sacerdotum domini hujuscemodi spectaculis fœdari, aut mentem quibuslibet scurrilitatibus aut turpiloquiis ad inania rapi. Ait quippe dominus in euangelio: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij.* Paulus ad Ephesios: *Omnis*, inquit, *sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus: & nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.* Et non post multa: *Fornicatio autem*, inquit, *& omnis immunditia, auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent, sed magis gratiarum actio.* Et Isaias: *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris & opus domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis.* Sunt & alia hujusce rei innumera exempla, quæ perspecta & diligenter animadversa, non solum sacerdotibus, verum etiam ceteris fidelibus magno terrori sint necesse est, ne dum his contra fas se subdunt, animæ suæ salutem negligant. Proinde nobis omnibus in commune visum fuit, ut si qui sacerdotum hactenus his vanitatibus usi fuerunt, ab his deinceps, domino adjuvante, prorsus se cavere debere meminerint.

[margin: Ephes. 5.] [margin: Matt. 12.] [margin: Ephes. 4.] [margin: Ibid. cap. 5.] [margin: Esai. 5.]

XXXIX.

Aliter quam divina auctoritas & religio Christiana docet agitur, quando feminæ amissis viris, eatenus carnaliter viuentes, repente & sine probationis examine ad regimen animarum pertrahuntur, præficiunturque sanctimonialibus, utpote matres spiritales, quas nunquam contigit ejusdem propositi discipulas extitisse. Fitque ut quæ forte feliciter incedebant, earum pravis exemplis miserabiliter ruant. Dum his igitur, aut generositatis, aut honoris temporalis, aut certe mundanarum divitiarum causa, hujuscemodi prælationis honor committitur, verendum est, ne animarum illarum fovea ruinæ præparetur, dicente domino in euangelio: *Cæcus autem si cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* Et per prophetam: *Ipsi*, inquit, *regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi.* Itemque: *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.* Gregorius in libro pastorali titulo primo: Nulla ars doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum? Sunt & alia multa

[margin: Matth. 15.] [margin: Osee. 8.] [margin: Isai. 56.] [margin: Lib. 1. cap. 1.]

 prophe-

LIBRI I. cap. XL. XLI &c.

prophetica & euangelica testimonia, & sanctorum patrum dicta, quæ hujuscemodi personas pastorale magisterium subire non nisi ad suam ruinam manifestant. Quia ergo hæc res divinæ auctoritati non concordat, necesse est ut caveatur, ne forte & committenti, & his quibus committitur, læsura animarum proveniat.

XL.

Addit. 2. cap. 11.

Comperimus quod quidam presbyterorum incaute & extraordinarie velum viduarum, inconsultis episcopis suis, consecrarent, & ob id eidem religioni macula ingerebatur, quia eisdem velatis per diversa vagandi occasio præbebatur. Vt autem nullus pontificum viduas velare attentet, canonica auctoritas inhibet. Quod vero presbyteri, inconsultis episcopis suis, velum viduarum consecrare non B præsumant, prorsus interdicimus. Quod si quispiam presbyterorum huius constitutionis contumaciter transgressor extiterit, canonicæ correptionis pœnas luet.

XLI.

Addit. 2. cap. 12.

Quorumdam relatu didicimus quosdam presbyteros suæ mensuræ immemores, imo canonicæ auctoritati resultantes, in tantam audaciam prorupisse, ut sacrarum virginum consecratores existerent. Et hoc ad negligentiam episcoporum pertinere dubium non est. Quod quia canonicæ auctoritati minime concordat, ne ulterius quisquam presbyterorum id facere præsumat, prorsus inhibemus. Quod si forte, quod non optamus, aliquis presbyterorum C id facere præsumpserit, ut pote canonicæ auctoritatis transgressor, irretractabiliter feriatur.

XLII.

Addit. 2. cap. 13.

Invenimus quod quædam feminæ, maxime hæ quæ valde sensu tenues sunt, sine consensu sacerdotum idcirco sibimetipsis velum imponant, ut sub prætextu huius velaminis, ecclesiarum excubatrices & administratrices fieri possint. Hæc igitur incauta velatio unusquisque episcopus provideat ne in parochia sua fiat. Et quia in plerisque locis hujuscemodi velatas laqueum sacerdotibus extitisse cognovimus, prohibemus ne quisquam presbyterorum hujusmodi personas in basilicis sibi commissis pro hujuscemodi obsequio admittere præsumat. D Talis vero velatio ne ulterius indiscrete fiat inhibeatur; & hujusmodi mulierculæ examinentur, & instruantur qualiter, si propter Deum se sacrari volunt, velandæ sint, qualiterque eamdem velationem sub castitatis & humilitatis proposito conservent, diligenter admoneantur.

XLIII.

Addit. 2. cap. 14.

Inter cetera quæ contra religionem Christianam in ecclesia Christi fieri cognovimus, non minus emendatione & congrua correctione dignum invenimus, quod quædam abbatissæ & ceteræ sanctimoniales, non solum viduas, sed etiam virgines puellas velare solitæ sint: quod quantum sexui femineo illicitum, & a religione Christiana sit alienum, omnis qui sanum sapit facile advertit. Pene E igitur in omnibus monasteriis puellaribus hujuscemodi velatas invenies. Idcirco etenim hujusmodi hoc modo potius quam a sacerdote velari volunt, quia dum clanculo se corrumpunt, nihil sibi obesse ad peccandum tale velamentum putant. Ita ergo idem illicitum & temerarium factum habetur in usu, ut vix aut viduæ velari a presbyteris, aut puellæ virgines consecrari expetant a pontificibus. Nulli quippe dubium est, quin hoc factum ex toto a divina abhorreat auctoritate, & ad negligentiam quorumdam pertineat sacerdotum. Verum ne deinceps fieri præsumatur, omnes in commune

A inhibendum decrevimus. Ac si forte aut abbatissa, aut alia quælibet sanctimonialis, post hanc definitionem in tantam audaciam proruperit, ut viduam, aut puellam virginem velare præsumat, congrua ab episcopo suo correctione coerceatur, & pœnitentiæ canonicæ usque ad satisfactionem subdatur.

ANNO CHRISTI 829.

XLIV.

Addit. 2. cap. 15.

Nobiles feminæ, quæ amissis viris velantur, & non in monasteriis sub spiritalis matris regimine, sed potius in domibus propriis, occasione liberorum rerumque suarum residere, deliciisque affluere delectantur, quia, iuxta apostolum, viventes mortuę sunt, necesse est ut ab episcopis pastorali solicitudine admoneantur & instruantur, quatenus suę saluti consulant, ne sic indiscrete vivendo, & terrenis actionibus, sexui suo non convenientibus, se implicando, vitam perpetuam amittant. Et abhinc ab omnibus observandum statuimus, ut hujuscemodi viduę amissis viris repente non velentur, sed cum conniventia episcopi sui triginta diebus, ut a glorioso principe domno Hludovico cum consensu venerabilium sacerdotum jamdudum constitutum est, expectent, quibus peractis, aut nubant, aut, si potius Deo se sacrari expostulaverint, admoneantur & instruantur, ut non in domibus propriis, sed in monasteriis, sub spiritualis matris regimine Deo se servituras subdant: quoniam hujuscemodi adolescentulas viros amittentes, & in sanctimoniali habitu in propriis domibus residentes, persæpe in laqueum diaboli lapsas esse dicimus. Quales autem viduæ eligendę sint, apostolico instruimur documento. Qualiter etiam Deo sacratis vivendum sit, & apostolicus sermo, & sanctorum patrum, Cypriani videlicet, Hieronymi, Augustini, ceterorumque copiosa extant monumenta, & liquido demonstrant, viduas & deliciis & accuratione superfluarum vestium, & ceteris carnalibus delectationibus, si vitam æternam veraciter comprehendere voluerint omnino carere debere.

1. Tim. 5.

In capitulari post Concilium Aquisgranense c. 2.

1. Tim. 5.

XLV.

Quidam nostrorum verorum virorum relatu, quidam etiam visu didicimus, in quibusdam provinciis, contra legem divinam canonicamque institutionem, feminas sanctis altaribus se ultro ingerere, sacrataque vasa impudenter contingere, & indumenta sacerdotalia presbyteris administrare, &, quod his maius, indecentius, ineptiusque est, corpus & sanguinem domini populis porrigere, & alia quæque, quæ ipso dictu turpia sunt, exercere. Miranda sane res est, unde is illicitus in Christiana religione irrepserit usus, ut quod viris secularibus illicitum est, feminæ, quarum sexui nullatenus competit, aliquando contra fas sibi licitum facere potuerint: quod quorumdam episcoporum incuria & negligentia provenisse nulli dubium est. Vnde væ nobis sacerdotibus, ad quos illorum sacerdotum vitia transierunt, quæ in Machabęorum libro secundo leguntur: quando scilicet sacerdotes delegatum sibi religionis officium postponentes, templo Dei sacris officiis destituto, ipsi adeo carnalibus desideriis & illicitis actionibus vacabant, ut mulieres sacratis ædibus se, nullo prohibente, ingererent, introferentes ea quę non licebat. Quod autem mulieres ingredi ad altare non debeant, & in concilio Laodicensi capitulo XLIV. & in decretis Gelasij papæ titulo XXVI. copiose invenitur. Hoc ergo tam illicitum factum, quia ex toto a religione Christiana abhorret, ne ulterius fiat inhibendum est. Proinde unusquisque episcoporum solicite sagaciterque provideat, ne in sua parochia tale quid fieri deinceps sinat.

XLVI.

ANNO CHRISTI 829. Addit. 2. cap 16.

XLVI.

Comperimus etiam quosdam canonicos & monachos, posthabito religionis suæ pudore, monasteria sanctimonialium, tam monacharum, quam canonicarum, inconsulto episcopo suo, impudenter atque irreverenter adire. Qui obtendere solent se non ob aliud illuc accedere, nisi aut propinquitatis, aut familiaritatis, aut certe nescio cujus collocutionis gratia. Quod factum, quia nec canonico nec monastico congruit proposito, prorsus interdicimus: nisi forte causa prædicationis, aut certe inevitabilis necessitas id facere coegerit, & hoc nullatenus sine licentia episcopi, aut illius, qui vice illius fungitur, fieri præsumatur. Quod si sermo prædicationis faciendus est, congruo in loco coram omnibus fiat. Si vero colloquendum cum aliqua sanctimonialium ratio expostulat, id non aliubi, nisi in constituto loco, id est in auditorio, sub testimonio virorum religiosorum & religiosarum feminarum fiat. Quando vero sacerdotibus in monasteriis puellaribus missarum celebrationes faciendæ sunt, cum ministris sibi deputatis illuc ingrediantur, quibus rite peractis, non ad secretas collocutiones sanctimonialium se ullo modo divertant, sed cum ministris suis illico egrediantur. Porro si sacerdotibus sanctimoniales* peccata sua confiteri voluerint, id non nisi in ecclesia coram sancto altari, adstantibus haud procul testibus faciant. Si autem infirmitas præpedierit, ut in ecclesia eadem confessio fieri nequeat, in quacumque libet domo facienda est, non nisi testibus similiter haud procul adstantibus fiat. Nullo modo quippe videtur nobis convenire, ut monachus, relicto monasterio suo, idcirco sanctimonialium monasteria adeat, ut confitentibus peccata sua modum pœnitentiæ imponat. Nec etiam illud videtur nobis congruum, ut clerici & laici episcoporum & presbyterorum canonicorum judicia declinantes, monasteria monachorum expetant, ut ibi monachis sacerdotibus confessionem peccatorum suorum faciant: præsertim cum eisdem sacerdotibus monachis id facere fas non sit, exceptis his dumtaxat, qui sub monastico ordine secum in monasteriis degunt. Illis namque est confessio peccatorum facienda, a quibus subinde & modus pœnitentiæ, & consilium salutis capiatur, & a quibus post tempora pœnitentiæ peracta, secundum canonicam institutionem, si episcopus jusserit, reconciliatio mereatur. Pœnitentia porro non in multitudine annorum, sed potius in contritione cordis & corporis est æstimanda. Episcopis sane idcirco summopere providendum est, ne canonicorum aut monachorum accessus indiscretus in monasteriis puellaribus passim fiat, quia persæpe hac occasione multos utriusque ordinis, canonici videlicet & monastici, viros muscipulam diaboli incurrisse cognovimus. Cum igitur canonicis illicitum sit supra memoratæ rei gratia monasteria puellarum adire, unde tantę transgressionis mos inolevit, ut monachi hanc sibimet licentiam faciendi usurpare tentaverint, cum canonica auctoritas doceat monachos quietem debere diligere, & intentos esse tantummodo jejunio & orationi, in locis, quibus renuntiaverunt sæculo, permanentes, ut nec ecclesiasticis, nec sęcularibus negotiis communicent; nec in aliquo sint molesti, propria monasteria deserentes, nisi forte eis pręcipiatur propter opus necessariū ab episcopo civitatis? His ita ex canonica auctoritate præmissis, oportet ut canonici & monachi se ab hoc illicito facto cohibeant, ne contingat eos canonica censura percelli, qua dicitur: Transgredientem vero hanc definitionem nostram excommunicatum esse decrevimus, ne nomen domini blasphemetur. Qualiter autem collocutiones feminarum his qui sacris officiis mancipati sunt vitandæ sint, vita beati Augustini, & beati Ambrosij, & dicta sanctorum Cypriani atque Hieronymi, & aliorum plurimorum aperte ostendunt.

LIBRI I. CAP. XLVI. XLVII. &c.

XLVII.

Addit. 2. cap. 10.

Consuetudines ad quorumdam libitum repertæ, licet contra auctoritatem ecclesiasticam existant, non facilem tamen correctionem accipiunt. E quibus est illud quod plerique presbyteri, neglectis basilicis Deo dicatis, in domibus & hortis missarum celebrationes contra divinam auctoritatem & canonicam institutionem facere præsumunt. Et hoc similiter ad episcoporum culpam pertinere perspicuum est. Proinde necesse est ut unusquisque episcoporum hujuscemodi temerariam consuetudinem a parochia sua penitus amoveat. Et si quis presbyterorum abhinc, excepto quando in itinere pergitur, & locus basilicæ procul est, & id in altaribus ab episcopo consecratis fieri necessitas compellit, ne populus Dei sine missarum celebratione, & corporis & sanguinis dominici perceptione, maneat, missarum celebrationes in hujuscemodi illicitis locis, post tot tantasque prohibitiones facere attentaverit, dignum est ut gradus sui periculum incurrat. Laicos namque plerosque meminisse oportet pœnę regis Oziæ, qui pro eo quod contra fas sacerdotale ministerium arripuit, lepræ immunditia illico multari meruit. Et diligenter perpendant non esse sui officij, ut relictis basilicis Deo dicatis, & episcopali auctoritate contempta, ad libitum suum in hortis & domibus, vel certe ædiculis, quas juxta domos suas construunt, & palliis exornant, in quibus altaria erigi faciunt; missarum celebrationes presbyteros facere compellant. Satius igitur illis est missam non audire, quam eam ubi non licet, nec oportet, audire. Sed & presbyteri, si tamen presbyteri vocandi sunt, qui inconsultis episcopis suis altaria in talibus locis erigere præsumunt, juxta censuram canonicam gradus sui periculum incurrere merentur. Recenti quippe tempore de celebrandis in talibus locis missis emersit contra auctoritatem ecclesiasticam hęc, ut quibusdam videtur, religiosa consuetudo: quæ quia aperte ecclesiasticæ antiquæ traditioni videtur reniti, non debet nova adinventione & qualibet pertinaci intentione defendi. Quando enim in itinere pergitur, non industria, sed necessitas aliubi, quam in ecclesia, missarum celebrationem fieri urget: quando vero in domibus & hortis absque præmissa necessitate fit, aperte humana pręsumptio & pręcepto divino & auctoritati canonicę contraire cōprobatur. Vbi autem Deo sacrificium offerendum sit lex divina docet, domino dicente: *Non offeras holocaustum tuum in omni loco, sed in loco quem elegerit dominus Deus tuus, ibi offeras holocaustum tuum.* Et in concilio legitur: Non oportet, inquit, in domibus oblationes fieri. Quando ergo quod dominus prohibet facere humana pręsumptio non metuit, procul dubio pręceptum Dei transgredi non pertimescit. Quapropter necesse est ut consuetudines pravæ postponantur, &, jussionibus divinis obtemperando, ecclesiastica auctoritas amplectatur.

2. Paral. 26.

Deut. 12.

Conc. Laodic. c. 58.

XLVIII.

Addit. 2. cap 7.

Irrepsit in plerisque locis, partim incuria, partim avaritia; reprehensibilis usus, & congrua emendatione dignus, eo quod nonnulli presbyterorum sine

LIBRI I CAP. XLIX. L. &c. fine ministris missarum solennia frequentent: quod nec verba domini salvatoris, quibus mysteria corporis & sanguinis sui discipulis celebranda tradidit; nec apostoli Pauli documenta declarant; nec etiam in ipsis Actis apostolorum, si enucleatim legantur, ita fieri debere ullo modo invenitur. Vnde conveniendus, imo interrogandus nobis videtur hujusmodi corporis & sanguinis domini solitarius consecrator, quibus dicit: *Dominus vobiscum*, & a quo illi respondetur: *Et cum spiritu tuo*: vel pro quibus supplicando domino inter cetera: *Memento domine, & omnium circumstantium*, cum nullus circumstet, dicit. Quæ consuetudo quia apostolicæ & ecclesiasticæ auctoritati refragatur, & tanto mysterio quamdam dehonorationem irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est, ut deinceps hujuscemodi usus inhibeatur; provideatque unusquisque episcoporum, ne in sua parochia quisquam presbyterorum missam solus celebrare præsumat, & si hanc definitionem superbiendo transgressus fuerit, canonicæ correctioni subjaceat.

XLIX.

Addit. 2. cap. 8. Sicut unicuique civitati convenit proprium habere episcopum, ita & unamquamque basilicam Deo dicatam decet & oportet proprium habere presbyterum. Avaritia sane, quæ est idolorum servitus, quod non sine magno pudore prosequimur, quosdam invasit presbyteros, suisque retinaculis adeo vinxit, captivosque effecit, ut instar cæcorum effecti, nesciant quo eant, nesciantque quid esse vel quid agere debeant. Hi namque ignibus avaritiæ æstuantes, sacerdotalisque dignitatis immemores, curamque basilicarum, in quibus promoti sunt, postponentes, datis quibusdam xeniis, aut pollicitis, non solum a clericis, verum etiam a laicis, alias basilicas contra fas ad Christi famulatum peragendum suscipiunt: vtrum consultis an inconsultis episcopis id faciant, necne, ignoratur. Si consultis id faciunt, eorum transgressioni ijdem episcopi procul dubio communicant. Si vero eis inconsultis id facere præsumunt, nihilo minus episcoporum negligentiæ id adscribendum est. Vix enim quispiam presbyterorum in basilica, in qua divinæ servituti mancipatus est, digne atque strenue militare invenitur; quanto minus id in duabus aut tribus aut eo amplius basilicis digne exequi valet? In quo facto & religio Christiana fuscatur, & sacerdotalis ordo confunditur, imo avaritia sacerdotum a subditis denotatur, locaque Deo dicata cultu sibi debito privantur, & ut in superioribus capitulis jam dictum est, animarum pericula generantur. Quod ne ulterius unusquisque episcoporum in parochia sua fieri sinat, omnes in commune statuimus, decernentes ut singulæ basilicæ plebes & res, quibus consistere possint, habentes, singulos habeant presbyteros. Si vero plebes habuerint, & rebus quibus consistere possint caruerint, in arbitrio episcoporum pendet, utrum ita consistere debeant, aut possint, necne. Hoc tamen specialiter eorum solertiæ providendum est, ut hac occasione nullus presbyter duas aut tres avaritiæ causa, quibus sufficere secundum divinum cultum nullatenus potest, habere audeat basilicas.

L.

Addit. 2. cap. 9. Nullo modo divinæ auctoritati concordat, quod religio Christiana, sicut a sanctis patribus traditum accepit, & ecclesiæ auctoritas se habet, diem dominicum, in quo auctor vitæ a mortuis resurrexit, reverenter venerabiliterque non colit. Vtcumque enim a quibusdam dominis venerando custodiri videtur, sed a conservis servitio eorum pressis perraro debito honore coli invenitur. Paganis autem moris fuit, ob memoriam & reverentiam deorum suorum dies colere, nam & Iudęis carnalibus moris est sabbatum carnaliter observare. Christianorum porro religiosæ devotionis, quæ, ut creditur, ex apostolorum traditione, imo ecclesiæ auctoritate descendit, mos inolevit, ut ob memoriam dominicæ resurrectionis diem dominicum venerabiliter atque honorabiliter colat: quoniam eo die Deus lucem mundi condidit, eo die, ut dictum est, Christus a mortuis resurrexit, eo die paracletum Spiritum sanctum apostolis misit de cœlis, eo die, ut a quibusdam doctoribus traditur, manna pluit de cælo. Hæc & his similia liquido demonstrant hunc diem ceteris diebus celebriorem & venerabiliorem fore. Vnde constat, quoniam sicut nonnulla alia religione Christiana, propter amorem & delectationem mundi, propriasque humanas delectationes, & pravissimas, imo periculosissimas consuetudines, quæ iam pro lege habentur, recesserunt, ita quoque tanti diei veneratio ab usu Christianitatis magna ex parte recesserit. Multi namque nostrorum visu, multi etiam quorumdam relatu didicimus, quosdam in hac die ruralia opera exercentes fulmine interemptos, quosdā artuum contractione mulctatos, quosdam etiam, visibili igne corporibus ossibusq; simul sub momento absumptis, in cinerem de subito resolutis, pœnaliter occubuisse. Et multa alia terribilia iudicia extiterunt, & hactenus existūt quibus declaratur, quod Deus in tanti diei dehonoratione offendatur. Proinde omnibus nobis visum est, ut primum sacerdotes, postea reges & principes, cunctique fideles summopere procurent, ut tanti diei debita observatio, nuncusque magna ex parte neglecta, abhinc ob insigne Christianitatis devotius exhibeatur. Si ergo Iudęi, quorū adhuc iugum legis carnaliter cervices premit, a quo, quia nolunt, Christi eos gratia non liberat, sabbatum carnaliter custodientes, eo die, nulla potestate terrena compellente, ab operibus ruralibus se abstinent; quanto magis Christi gratia redemptis convenit, ut eo die, quo auctor vitæ resurrexit, eisque spem resurgendi concessit, ab his quæ pręmissa sunt se abstineant, & solummodo spiritualibus gaudiis repleri, canticisque hymnigeris & laudibus cælestibus toto cordis annisu vacare satagant? Quapropter specialiter atque humiliter a sacerdotibus imperialis celsitudo flagitanda est, ut eius a Deo ordinata potestas, ob honorem & reverentiam tanti diei, cunctis metum incutiat, ne in hac sancta venerabili die mercatus, placita, & ruralia quęque opera, nec non & quaslibet carrigationes ullius conditionis homines facere præsumant. Quoniam dum hæc agunt, & decus Christianitatis offuscant, & nomen Christi blasphemantibus locum amplius detrahendi attribuunt. Decet igitur ut eo die Christianus divinis laudibus, non ruralibus vacet operibus.

LI.

Illud quoque ex toto a divina auctoritate dissentit, & afflictionem atque oppressionem ingentem pauperibus irrogat, quod quidam non solum clerici, sed & laici, dominici præcepti transgressores effecti, minorem modium atque sextarium in vendendo atque commodando, majoremque in recipiendo habent; simulque stateras minores atque dolosas in mutuando atque vendendo, majoresque in recipiendo habentes: & ob hoc dum suæ intolerabili cupiditati satisfacere æstuant, heu, proh dolor, miseros quosque paupertati addicunt, & mendicos efficiunt. Quoniam in inæqualibus

ANNO CHRISTI 829.

Anno Christi 829.

mensuris & diversis fenerationibus adeo eos obligantes coarctant, ut ex vineolis suis ob mercedem laboris sui nihil residui sibi suæque conjugi ac liberis, nec cyathus, nec uva quidem remaneat: sed ut omnia in cellaria sua ex asse deveniant sagaciter elaborant. Quam crudelitatem quidam dominorum tam per se, quam per atroces ministros suos, in sibi subjectis exercere comprobantur: ita ut nihil sibi suæque conjugi ac liberis de fructu messium vinearumque suarum usurpare audeant, sed omne, quidquid illud est, dominis suis ex integro custodire & reddere compellantur. Quod impietatis vitium beatus Iob multum se cavere insinuat, cum ait: *Si adversum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci ejus deflent: si fructus ejus comedi absque pecunia, & animam agricolarum ejus afflixi; pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina: & clamor ipsorum in aures domini sabaoth introibit.* Quæ verba Beda ita exponit: Dominum sabaoth, id est dominum exercituum, appellat, ad terrorem eorum qui pauperes conterunt & affligunt, eosque nullum putant habere tutorem. Huic enim loco congruit illud Psalmistæ: *Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor.* Et alibi Psalmista in persona domini loquitur: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit dominus.* Et illud quod in libro beati Iob scriptum est: *Neque enim frustra audiet Deus, & omnipotens singulorum causas intuebitur.* Et illud Salomonis: *Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ a maxilla descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cælos, & dominus exauditor non delectabitur in illis.* Multa quoque his similia de hujuscemodi oppressione testimonia perfacile proferri poterant, sed alibi proferenda reservantur. De modio autem æquo, justoque sextario habendo, dominus in libro Levitici ita loquitur: *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura: statera justa, & æqua sint pondera, justus modius, æquusque sit vobis sextarius. Ego dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. Custodite præcepta mea, & universa judicia, & facite ea, ego dominus.* Salomon in Proverbiis: *Pondus & pondus, mensura & mensura, utrumq; abominabile est apud dominum.* Item in eodem: *Abominatio est apud dominũ pondus & pondus, statera dolosa non est bona.* In non faciendo quippe quæ dominus jubet delinquimus: in faciendo autẽ quę vetuit procul dubio peccamus. Ergo quãdo ea quæ vetat facimus, ejus procul dubio sãcti præcepti transgressores existimus. Quamquam ergo consuetudines perversæ non facile corrigantur, hæc tamen consuetudo inæqualium modiorum, & injustorũ sextariorum, atque ponderũ dolosorum, necesse est ut principali metu ocius corrigatur, & ad pręceptum divinum tanta fortitudo reflectatur: quia verendum est, ne inter cetera mala hoc quoq; non solum facientibus & cõsentientibus, sed etiam nõ corrigentibus, quod absit, proveniat in damnationem.

Job 31. — ...ob. 5. — ...l. 9. — ...l. 11. — ...33. — ...cl. 35. — ...it. 19. — ...v. 20.

LII.

Non solum rumore, sed etiã venerabilium virorum relatu cõperimus, quod in quibusdã occidentalibus provinciis, suadente avaritia, episcopi & comites, & ceteri prælati pauperibus sibi subjectis soleant edictum imponere, ut nullus illorum tempore messis modium frumenti, nec tẽpore vindemiæ modium vini majori precio, nisi quod ab eis cõstituitur, vendere præsumat. Quod si quispiam illorum facere pręsumpserit, & paupertati suæ magnam jacturam patitur, insuper etiam acribus verberibus flagellatur. Vnde fit ut cum aliis modius frumẽti duodecim denariis, & modius vini viginti denariis venumdari possit, hujuscemodi seniores modium frumenti ad quatuor, & modium vini ad sex sibi extorqueant denarios. Quæ res quia impietatis injustitiæque plena est, necesse est ut piissimi principis auctoritate inhibeatur: quonium verendum est, ne dum his & his similibus gravaminibus pauperes atteruntur, ira interim judicis non solum facientibus, sed etiam consentientibus, & corrigere nolentibus accumuletur; quatenus pauperibus libertas tribuatur, ut redditis senioribus suis quæ juste reddenda sunt, reliqua quæ sibi super sunt liceat aliis, prout pactio vendentis & ementis grata fuerit, absque prohibitione seniorum suorum distrahere.

Libri I. Cap. LII. et LIII.

LIII.

Cum multa & innumera sint mala, quibus & Deus offenditur, & regnum Christianorum periclitatur, extat inter cetera unum quoddam valde execrabile Deoque detestabile avaritiæ genus, quo indubitanter & Deus ad iracundiam provocatur, quia eo præceptis ejus resultatur, & miseriæ humanæ præcepta divina transgredienti augmenta damnationis præparantur, eo quod scilicet quidam clericorum & laicorum, obliti præceptionis dominicæ, qua dicitur: *Pecuniam tuam non dabis ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges: dominus Deus vester;* in tantam turpissimi lucri rabiem exarserint, ut multiplicibus atque innumeris usurarum generibus sua adinventione & cupiditate repertis adeo pauperes Christi affligant, ut, exceptis aliis oppressionibus, quibus ad injuriam Dei atrociter cruciantur, hoc speciali malo multi eorum fame & egestate confecti pereant; multi etiam hac oppressione compulsi, propriis derelictis, alienas incolatus gratia terras expetant. Famis præterea tempore, cum quispiam pauper omnium rerum penuria attenuatus ad aliquem feneratorem venit, utpote frater ad fratrem, quos constat uno precioso Christi sanguine redemptos, petens ab eo suas miserabiles necessitates sublevari, sibique id quo indiget commodari; taliter sibi ab eo solet responderi: Non est mihi frumentum, aut aliud quid, quod in cibum tibi sumere vis, ad mutuandum, sed magis ad vendendum. Si vis emere, fer precium, & tolle. Cui pauper: Non est mihi, inquit, quidquam precii, quo emere id quo indigeo valeam. Sed peto abs te, ut miserearis mei, & quomodocumque vis, mihi quod peto, ne fame peream, mutuum porrige. Fenerator econtra: Quot modo denariis possum modium frumenti mei vendere, aut tot denarios tempore fructus novi mihi redde, aut certe eorum precium in frumento & vino, & ceteris quibuslibet aliis frugibus, ad plenum supple. Vnde evenire solet, ut pro uno frumenti modio taliter mutuato, tres aut certe quatuor modii a pauperibus tempore messis violenter exigantur. Quod & de modio vini similiter fieri solet. Sunt etiam alii crudelissimi feneratores, qui tempore necessitatis nihil commodare pauperibus volunt, nisi messellas suas & vineolas & pratella ea ratione in pignus dederint, ut quidquid frugum in hisce colligi poterat, pro parvo quod mutuum acceperunt ex asse amittant. Quæ res non minimam pauperibus generat afflictionem & penuriam. Sunt & aliæ multifariæ calliditates quorumdam feneratorum, quibus pauperes exhauriuntur, & paupertati addicuntur, quas

Levit. 25. Addit. 2. cap. 17.

LIBRI I CAP. LIII. quas hic enumerare magni est tædii, magnæque prolixitatis. Dominus quippe & in legalibus & in propheticis oraculis usuram fieri minaciter atque terribiliter inhibet, & præsumptio humana a summo creatore prohibita superbiendo perpetrare ad sui discrimen non metuit. Ait namque in libro Exodi: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* In libro Levitici: *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi advenam & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias ab eo usuram, nec amplius quam dedisti. Time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te.* In libro Deuteron. *Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terra quam dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis ei mutuum quo eum indigere perspexeris.* Item in eodem: *Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis; & avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum cõmodare, ne clamet contra te ad dominum, & fiat tibi in peccatum: sed dabis ei, nec ages quidpiam callide in ejus necessitatibus sublevãdis, ut benedicat tibi dominus Deus tuus in omni tẽpore, & in cunctis ad quæ manũ miseris. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ. Idcirco præcipio tibi, ut aperias manũ fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra.* Per Ezechielem quoq; prophetam dominus eum qui ad usuram dat, & amplius accipit, non vivere protestatur. Ait autem: *Si genuerit quis filium latronem effundentem sanguinem, & fecerit unum de istis, & hæc quidem omnia non facientem, sed in montibus comedentem, & uxorem proximi sui polluentem, egenum & pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola levantem oculos suos, abominationem facientem, ad usuram dantem, & amplius accipientem, numquid vivet? Non vivet, dicit dominus.* Item idem: *Munera acceperunt apud te ad effundendum innoxium sanguinem, usuram & superabundantiam accepisti, & avare proximos tuos calumniata es.* Amos propheta: *Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando transibit messis, & venumdabimus merces; & sabbatum, & aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus? Iuravit dominus in superbiam Iacob: Si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum, numquid super isto non commovebitur terra, & lugebit omnis habitator ejus?* Quis rogo tam ferrei pectoris existit, cui tam terribilis sententia terrorem non incutiat, qua dicitur: *Numquid super isto non commovebitur terra, & lugebit omnis habitator?* Aperte ergo hac sententia manifestatur, quod propter usuras, & inæquales mensuras, staterasque dolosas, atque oppressiones pauperum, commotio terræ, imo periclitatio & infirmatio regni, luctusque omnium habitatorum ejus proveniat. Beatus quoque Hieronymus hunc locum ita exponit: O tu Israel, audite quę scelera feceritis. De nocte surgẽtes, pro oratione & hymnis ad Deum studium habetis conterendi sive opprimendi pauperes, ut fame & egestate confecti auferantur e terra: qui expectatis Kalendas, ut negotiemini, & usuras augeatis usuris: & sabbata, ut

Exod. 22. — Levit. 25. — Deut. 15. — Ibidem. — Ezech. 18. — Ezech. 22. — Amos 8.

A aperiatis horrea, detisque frumentum, amplius recepturi: & Dei solennitates turpis lucri gratia in vestra cõpendia vertitis: qui minorem in vendendis mercibus mẽsuram facitis, & majora pondera in accipiendis, stateramque iniquã, ut possideatis pecunia pauperem, & tam viles habeatis homines, ut impleatis illud quod supra de vobis dixeram, pro eo quod vendidistis argento justum, & pauperem pro calceamentis: & in tantam lucri rabiem prosilistis, ut non frumenta, quorum esu hominum corpora sustentantur, sed quisquilias & purgamenta frumenti vendatis pauperibus, pulverem & paleas tritico commiscentes. Item idem in expositione Ezechielis prophetæ: Putant quidam B usuram tantum esse in pecunia. Quod prævidens scriptura, omni rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias quam dedisti. Solet in agris frumenti & milii, vini & olei, ceterarumque specierum usura exigi, sive, ut appellat sermo divinus, superabundantia: verbi gratia, ut hiemis tempore demus decem modios, & in messe recipiamus quindecim, hoc est amplius quam partem mediam: qui justissimum se putaverit, quartam plus accipiet portionem. Et solent argumentari, & dicere: Dedi unum modium, qui satus fecit decem modios: nonne justum est ut medium modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate novem & semis de meo habeat? C *Nolite errare*, inquit apostolus, *Deus non irridetur.* Respondeat enim nobis breviter fenerator misericors, utrum habenti dederit, an non habenti. Habenti utique dare non debuerat, sed dedit quasi non habenti: ergo quare plus exigit, quasi ab habente? Alii pro pecunia fenerata solent munuscula accipere diversi generis, & non intelligunt usuram appellari & superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo quod dederint plus acceperint. In psalmo 14. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Hieronymus: Primo dicendum juxta literam, quod lex indigenis tantum & civibus prohibuerit fenus imponi, & alienigenis jusserit fenerari: David vero euangelicum describens D virum, & eum qui habitaturus sit in monte sancto Dei, hoc est in ecclesia Dei, in cunctos generaliter fieri vetarit. Hanc etiam sententiam qua dicitur: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram,* Cassiodorus ita exponit: Duobus modis in scripturis sanctis pecunia probatur intelligi. Una est ista metallica, quæ ad usuram dari omnino prohibetur, quoniam vitium cupiditatis est exigere velle quod te nescias commodasse. Hanc quidem habuit dominus Iesus Christus, quam Iudæ tradidit erogandam, quam non dedit ad usuram, quando illam indigentibus ad informandos nos pia largitate concessit. Item idem: *Et non defecit de platеis ejus usura & dolus.* Intendamus quod non E dixit occulte, sed in plateis talia fuisse commissa, quæ superna damnavit sententia. De usura enim dictum est: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram;* de dolo autem: *Et labia tua non loquantur dolum.* Hæc non occulte gessit, sed quodammodo libera commisit iniquitate. Omne enim malum execrabilius redditur, quando publica præsumptione tractatur. Ioannes apostolus conviva cœnæ dominicę strenuus ac fidelissimus, *Qui habuerit*, inquit, *facultates mundi, & viderit fratrem suum esurientem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Augustinus: Ecce, inquit, unde incipit caritas. Si nondum es idoneus mori pro fratre, jam idoneus esto dare de tuis facultatibus fratri. Iam percutiat viscera tua caritas, ut non de jactantia facias, sed de intimo adipe misericordiæ,

ANNO CHRISTI 829. — Amos 2. — Ezech. 18. — Galat. 6. — Psal. 14. — Psal. 14. — Psal. 54. — Psal. 14. — Psal. 33. — 1. Ioan. 3.

ANNO CHRISTI 829.

misericordiæ, ut consideres illum in egestate positum. Si enim superflua non potes dare fratri tuo, animam tuam potes ponere pro fratre? Item idem post pauca: Vide si misereris, si habes facultates mundi. Quid ad me pertinet? forte dicis. Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur? Si tibi hoc responderit cor tuum, dilectio patris non manet in te. Si dilectio patris non in te manet, non es natus ex Deo. Quomodo te gloriaris esse Christianum? Nomen habes, & facta non habes. Si autem nomen secutum fuerit opus, dicat te quisque paganum, tu autem factis ostende te Christianum. Nam si factis non ostendis te Christianum, & omnes te Christianum vocent, quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur? Miserabilis plane & valde deflenda res est, quando quis pro facultatibus mundi, quarum momentaneus possessor existit, quia eas fratribus indigentibus caritate dictante non impertit, & gloriam Christiani nominis sibi adimit, & Deum qui caritas est amittit. De usuris porro non faciendis, & de misericordia fratribus impendenda, supersunt copiosiora utriusque instrumenti documenta, & sanctorum patrum eximia dicta, quæ sectatores usurarum non victuros, neque in monte sancto habitaturos, sed potius, quia immisericordes extiterunt, cum purpurato & avaro divite pœnas affirmant luituros.

LIV.

Quod hi qui fidem Christi expetunt, & provectæ ætatis existunt, priusquam ad baptismum accedant, instruendi sint & fidei & baptismatis sacramento: nec non & illi qui alios de sacro fonte suscipiunt, quique ad percipiendum sancti Spiritus donum coram pontificibus pro aliis patroni existunt, intelligere debeant & vim tanti sacramenti: & quid pro aliis spoponderint, jam in præcedentibus capitulis dictum est. Illos tamen in hoc capitulo specialiter ab his officiis removendos judicamus, qui propter reatum suum publica sunt pœnitentia mulctati. Videlicet ut nec alios de sacri fontis baptismate suscipiant, nec etiam ad percipiendum sancti Spiritus donum, aliorum patroni coram pontificibus existant, donec per dignam pœnitentiæ satisfactionem reconciliationem mereantur. Nec immerito, quoniam quos & lex divina a castris militaribus, ne ruina sint populi, & auctoritas canonica ab ecclesiarum sequestrant liminibus, multo magis a memoratis peragendis officiis, usque ad tempus pœnitentiæ peractum, dignamque perceptam reconciliationem, hujuscemodi, ut jam dictum est, merito sunt excludendi.

CONCILII PARISIENSIS VI. LIBER II.

INDEX CAPITUM LIBRI II.

LIB. II. CAP. I.

PRÆFATIO.

HACTENUS de causis ad religionem Christianam curamque pastorum pertinentibus, vel de his quæ in persona eorum emendatione digna, vel etiam de his quæ ab ipsis usquenunc neglecta sunt, in præsenti libello breviter comprehensum est. In hoc quoque qui sequitur libello specialiter de regibus & principibus, & generaliter de omnibus fidelibus, & quod ubi avaritia, invidia, & odium, & cetera vitia caritati contraria regnant, quia eadem caritas, quæ Deus est, his inesse non potest, status ecclesiæ periclitetur; & quod religio Christiana sub apostolis devotius, quam nunc floreat, floruerit, & nostro sæculo circa multos marcescat, restat prosequendum. C

CAPUT I.

Rex a recte agendo vocatur. Si enim pie, & juste, & misericorditer regit, merito rex appellatur: si his caruerit, non rex sed tyrannus est. Antiqui autem omnes reges tyrannos vocabant, sed postea pie, & juste, & misericorditer regentes, regis nomen sunt adepti: impie vero, injuste, crudeliterque principantibus, non regis, sed tyrannicum aptatum est nomen. Quia ergo rex a regendo dicitur, primo ei studendum est, ut semetipsum, suamque domum, Christi adjuvante gratia, ab operibus nequam emaculet, bonisque operibus exuberare faciat, ut ab ea ceteri subjecti bonum exemplum semper capiant: ipse etiam salutiferis Christi præceptis fideliter atque obedienter obsecundet, & recte agendo eos, quibus temporaliter imperat, in pace, & concordia, atque caritate, ceterorumque bonorum operum exhibitione, quantum sibi divinitus datur, consistere faciat, & dictis atque exemplis ad opus pietatis, & justitiæ, & misericordiæ solerter excitet, attendens quod pro his Deo rationem redditurus sit: quatenus ita agendo, sanctorum regum, qui Deo sincere serviendo placuerunt, post hanc peregrinationem consors efficiatur. De rege autem, qualis esse, vel quid cavere debeat, in Deuteronomio legitur: *Cum ingressus fueris terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque in illa, & dixeris: Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes; eum constitues, quem dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Et post pauca: *Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti & auri immensa pondera. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviti-* ca

Addit. 2. cap. 21. Vide cap. & sequentia Institut. Regiæ ad Pipp. R. A. a Iona Ep. Aurelian. (D)

Deut. 17. (E)

Ibidem.

 ca tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere dominum Deum suum, & custodire verba, & ceremonias ejus, quæ lege præcepta sunt. Nec extollatur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dextram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse & filii ejus super Israel. A Attende quod timor Dei, & custodia præceptorum ejus, & humilitas quæ non patitur eum extolli super fratres suos, & justitiæ rectitudo, non solum regem, sed & filios ejus longo faciet regnare tempore. Ut ergo princeps extollentiam cavere debeat, ecclesiasticus admonens ait: *Principem te constituerunt? noli extolli, sed esto in illis, quasi unus ex ipsis.* (Eccl. 32.) In Proverbiis: *Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.* (Prov. 29.) B Item: *Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus ejus.* (Prov. 20.) Quantæ igitur felicitatis sit bonus rex, quantæve infelicitatis, si nequam fuerit, beatus Cyprianus eximius martyr Christi, de duodecim abusionibus scribens, inter cetera ita ait: Nonus inquiens abusionis gradus est rex iniquus; etenim regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet. Unde in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen regis intellectualiter hoc retinet, ut subjectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui sint, non corrigit? Quoniam justitia regis exaltatur solium, & veritate solidantur gubernacula populorum. Justitia vero regis est, neminem injuste per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter virum & proximum suum judicare, advenis & pupillis & viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & pejerantes vivere non sinere, ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, justos super regni negotia constituere, senes & sapientes & sobrios consiliarios habere, magorum & hariolorum pythonissarumque superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & juste contra adversarios defendere, per omnia in Deo vivere, prosperitatibus non elevare animum, cuncta adversa patienter ferre, fidem catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impie agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas non gustare cibum: *Væ enim terræ, cui rex est puer, & cujus principes mane comedunt.* (Eccl. 10.) Hæc regni prosperitatem in præsenti faciunt, & regem ad cælestia regna meliora perducunt. Qui vero secundum hanc legem non dispensat, multas nimirum adversitates imperii tolerat. Idcirco enim sæpe pax populorum rumpitur, & offendicula etiam de regno suscitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, & servitia populorum præpediuntur, multi etiam dolores prosperitatem regni inficiunt, carorum & liberorum mortes tristitiam conferunt, hostium incursus provincias undique vastant, bestiæ armentorum & pecorum greges dilacerant, tempestates ventis & hiemis terrarum fecunditatem, & maris ministeria prohibent, & aliquando fulminum ictus segetes, & arborum flores, & pampinos exurunt. Super omnia vero, regis injustitia non solum præsentis imperii faciem fuscat, sed etiam filios suos & nepotes, ne post se regni hereditatem teneant, obscurat. Propter piaculum enim Salomonis, regnum domus Israel dominus de manibus filiorum ejus dispersit, & pro- (3. Reg. 12.)

A pter meritum David regis, lucernam de semine ejus semper in Ierusalem reliquit. Ecce, quantum justitia regis sæculo valet, intuentibus perspicue patet. Pax populorum est, tutamentum patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fecunditas, solatium pauperum, hereditas filiorum, & sibimetipsi spes futuræ beatitudinis. Attamen sciat, quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic & in pœnis, si justitiam non fecerit, primatum habiturus est. Omnes namque quoscumque peccatores sub se in præsenti habuit, supra se modo in illa futura pœna habebit. Fulgentius in libro de veritate prædestinationis & gratiæ: Clementissimus (Lib. 2.) B quoque imperator non ideo est vas misericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit, sed si imperiali culmine recta fide vivat, & vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni se subjiciat: si magis in timore servire Deo quam in tumore dominari populo delectetur: si in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas potestatem: si se magis diligendum quam metuendum cunctis exhibeat: si subjectis salubriter consulat, si justitiam sic teneat, ut misericordiam non relinquat: si præ omnibus ita se sanctæ matris ecclesiæ catholicæ meminerit filium, ut ejus paci atque tranquillitati per universum mundum prodesse suum faciat principatum. Magis enim Christianum regitur atque propagatur imperium, dum ecclesiastico statui per omnem terram consulitur: C quam cum in parte quacumque terrarum pro temporali securitate pugnatur. Isidorus: Qui (Lib. 3. sen cap. 49.) recte utitur regni potestate, ita præstare se omnibus debet, ut quanto magis honoris celsitudine claret, tanto semetipsum mente humiliet, proponens sibi exemplum humilitatis David, qui de suis meritis non tumuit, sed humiliter sese dejiciens dixit: *Vilis incedam, & vilis apparebo ante dominum qui elegit me.* (2. Reg. 6.) Item Isidorus: (Cap. 48.) Qui intra sæculum bene temporaliter imperat, sine fine in perpetuum regnat, & de gloria sæculi hujus ad æternam transmeat gloriam: qui vero prave regnum exercent, post vestem fulgentem, & lumina lapillorum, nudi & miseri D ad inferna torquendi descendunt. Reges a recte agendo vocati sunt, ideoque sicut recte agendo regis nomen tenetur, ita peccando amittitur. Gregorius in moralibus: Nam & viros sanctos proinde reges vocari in sacris eloquiis, eo quod recte agant, sensusque proprios bene regant, & motus resistentes sibi rationabili discretione componant. Recte igitur illi reges vocantur, qui tam semetipsos, quam subjectos, bene regendo modificare noverunt. Quidam ipsum nomen regiminis ad immanitatem transvertunt crudelitatis, dumque ad culmen potestatis venerint, in aposta- E siam confestim labuntur: tantoque se tumore cordis extollunt, ut cunctos subditos in sui comparatione despiciant, eosque quibus præesse contigit non agnoscant. Et paulo post: Dum mundi reges sublimiores se ceteris sentiunt, mortales tamen sa esse agnoscant, nec regni gloriam, qua in sæculo sublimantur, aspiciant, sed opus, quod secum deportant, intendant. Item non post multa: Reges quando boni sunt, muneris esse Dei: quando vero mali, sceleris esse populi. Secundum meritum enim plebium disponitur vita rectorum, testante Iob: *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* (Iob 34.) Irascente enim

ANNO CHRISTI 829.

LIBRI II. CAP. II. ET III.

enim Deo, talem rectorem populi suscipiunt, qualem pro peccato merentur. Nonnunquam pro malitia plebis etiam reges mutantur, & qui ante videbantur esse boni, accepto regno fiunt iniqui. His ita præmissis, studendum est regi, ut non solum in se, verum etiam in sibi subjectis, pietate, pace, caritate, justitia & misericordia, atque concordia & unanimitate, ceterisque bonis exuberet operibus, ut hæc habentes, dominum secum habere mereantur, sciatque certissime, quod non solum de se, verum etiam de ipsis dominus ab eo fructum bonæ operationis exacturus est.

II.

Addit. 2. cap. 22. Regale ministerium specialiter est populum Dei gubernare, & regere cum æquitate & justitia, & ut pacem & concordiam habeant studere. Ipse enim debet primo defensor esse ecclesiarum & servorum Dei, viduarum, orphanorum, ceterorumque pauperum, nec non & omnium indigentium. Ipsius enim terror & studium hujuscemodi, inquantum possibile est, esse debet primo ut nulla injustitia fiat; deinde, si evenerit, ut nullomodo eam subsistere permittat, nec spem delitescendi, sive audaciam male agendi cuiquam relinquat, sed sciant omnes quoniam si ad ipsius notitiam pervenerit quidquam mali quod admiserint, nequaquam incorrectum aut inultum remanebit, sed juxta facti qualitatem erit & modus justæ correptionis. Quapropter in throno regiminis positus est ad judicia recta peragenda, ut ipse per se provideat & perquirat ne in judicio aliquis a veritate & æquitate declinet. Scire etiam debet, quod causa, quam juxta ministerium sibi commissum administrat, non hominum, Sed Dei causa existit: cui pro ministerio quod suscepit, in examinis tremendi die rationem redditurus est. Et ideo oportet ut ipse, qui judex est judicum, causam pauperum ad se ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne forte illi qui ab eo constituti sunt, & vicem ejus agere debent in populo, injuste aut negligenter pauperes oppressiones pati permittant. De ministerio autem regis ita Iob loquitur: *Cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Iustitia indutus sum, & vestivi me, sicut vestimento & diademate, judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam quam nesciebam, diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Salomon: *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Item: *Dissipat impios rex sapiens, & curvat super eos fornicem.* Item: *Iudex sapiens vindicabit populum suum, & principatus sensati stabilis est.* Item. *Rex justus erigit terram, & vir avarus destruit eam.* In libro Sapientiæ: *Diligite justitiam qui judicatis terram: sentite de domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Item ibi: *Audite ergo reges & intelligite: discite judices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est a domino vobis potestas, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri ejus, non recte judicastis, neque custodistis legem justitiæ, neque secundum Dei voluntatem ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam dominus, nec reverebitur cujusquam magnitudinem: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter pro omnibus cura est illi, fortioribus autem fortior instat cruciatio.* Isidorus: Principes sæculi nonnunquam intra ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Ceterum intra ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cæleste regnum proficit, ut qui intra ecclesiam positi contra fidem & disciplinam ecclesiæ agunt, rigore principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam ecclesiæ utilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat, & ut venerationem mereatur, virtutem potestas impertiat. Cognoscant principes sæculi, Deo debere se reddere rationem propter ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax & disciplina ecclesiæ per fideles principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam ecclesiam credidit. Sunt & alia utriusque testamenti oracula copiosa, quibus affatim adstruitur, quod rex ministerium sibi commissum secundum voluntatem Dei exercere & adimplere debet, quæ hic ob prolixitatem vitandam prætermittuntur.

Iob. 29. Prov. 20. Ibidem. Eccl. 10. Prov. 29. Sap. 1. Sap. 6.

III.

Ad peccatum regis pertinet, quando judicibus ministrisque iniquis ministerium suum adimplendum committit. Neque enim ministerium suum per alios tantum administrare, & se ab eo debet alienare. Non ergo dicimus, ut solus jurgia & querimonias populi audiat; & investiget, & definiat; quoniam nequaquam ad hæc solus sufficere potest: sed magis ut tales sub se timentes Deum & avaritiam odientes constituat, per quos regem regum non offendat. Quales autem constituendi sint, liber Deuteronomii manifestat, in quo legitur: *Indices & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent.* Item ibi: *Dixique vobis in illo tempore, non possum solus sustinere vos, quoniam dominus Deus vester multiplicavit vos, & estis hodie sicut stellæ cæli plurimæ. Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, & faciat vobis sicut locutus est. Non valeo solus sustinere vestra negotia, & pondus, & jurgia. Date e vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conversatio sit probata in tribubus vestris:* Iob: *Quando procedebam ad portam civitatis & in platea portabant cathedram mihi, videbant me juvenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant: principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo.* Cum quibus etiam rex pondus regiminis sui partiri debeat, liber Exodi demonstrat, in quo legitur: *Provide autem de omni populo viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, qui judicent populum omni tempore* quidquid

Deut. 6. Deut. 1. Iob. 29. Exod. 18.

ANNO CHRISTI 829.

quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo judicent, leviusque tibi sit, partito in alios onere. Si hoc feceris implebis imperium domini, & præcepta ejus poteris sustentare, & omnis hic populus revertetur cum pace ad loca sua. Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ Iethro illi suggesserat, & electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui judicabant plebem omni tempore: quidquid autem gravius erat, referebant ad eum. Quod vero rex causam pauperum ad se ingredi facere, & diligenter debeat inquirere, dat intelligi illud quod legimus, antiquitus judices idcirco in porta ad judicandum sedisse, ut nullus accedendi difficultatem, aut quispiam civium vim, aut calumniam necesse haberet sustinere. Ideo & Ierusalem civitas justitiæ vocata est, quamdiu in ea justa exercebantur judicia, quia non permittebatur in ea a rectoribus iniquitas permanere. Quod vero rex bonos sublimare, & malos debeat comprimere, apostolus Petrus docet dicens: *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi, quasi præcellenti, sive ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Quæ verba ita Beda exponit: Non quod omnes qui a regibus mittuntur duces vel male facientes punire, vel bonos laudare noverint: sed quæ esse debeat actio boni ducis simpliciter narrat, hoc est, ut male facientes coerceat, & bene agentes remuneret. Hinc in historia gentili refertur, moris fuisse Romanis parcere subjectis, & debellare superbos. Quod quando pravi judices populo Dei præferuntur, ad delictum illius pertineat a quo constituuntur, dicta Isidori manifestant, quibus ait: Ad delictum pertinet principum, qui pravos judices contra voluntatem Dei populis fidelibus præferunt. Nam sicut populi delictum est, quando principes mali sunt, sic principis est peccatum, quando judices iniqui existunt. Bonus judex sicut nocere civibus nescit, ita prodesse omnibus novit. Aliis enim præstat censuram justitiæ, alios bonitate judicii sine personarum acceptione suscipit. Non infirmat justitiam avaritiæ flamma, nec studet auferre alteri quod cupiat sibi. Boni judices justitiam ad solam obtinendam salutem æternam suscipiunt, nec eam muneribus acceptis distribuunt, ut dum de justo judicio temporalia lucra non appetunt, præmio æterno ditentur. His quæ præmissa sunt declaratur, quod hi qui post regem populum Dei regere debent, id est duces & comites, necesse est ut tales ad constituendum provideantur, qui sine periculo ejus a quo constituuntur constitui possint, scientes se ad hoc positos esse, ut plebem Christi sibi natura æqualem recognoscant, eamque clementer salvent, & juste regant: non ut dominentur & affligant, neque ut populum Dei suum æstiment; aut ad suam gloriam sibi illum subjiciant, quod non pertinet ad justitiam, sed potius ad tyrannidem & iniquam potestatem. Valde enim exigit necessitas, ut quia ipse procul dubio rex æquissimo judici de commisso sibi ministerio rationem redditurus est, etiam singuli qui sub eo constituti sunt ministri diligentissime ab eo inquirantur, ne ipse pro eis judicium incurrat divinum. Ipsis etiam ministris denuntiandum est, quod quidquid judicaverint, in eos redundabit, juxta illud quod in libro Paralipomenon legitur: *Habitavit ergo Iosaphat in Ierusalem, rursumque egressus est* A *ad populum de Bersabee usque ad montem Ephraim, & revocavit eos ad dominum Deum patrum suorum, constituitque judices terræ in cunctis civitatibus Iuda munitis per singula loca, & præcipiens judicibus: Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, sed Dei: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Hæc & his similia, quæ prælibata sunt, rex ejusque ministri, non desidiose, sed diligenter debent perpendere & studium de ministerio sibi commisso tale adhibere, ut non pro eo æternaliter damnari, sed potius in domino mereantur feliciter remunerari. B

1. Petr. 2.

2. Paral. 19.

LIBRI CAP. ET

IV.

Quod per justitiam stet regnum, Salomon in Proverbiis adstruit, ita inquiens: *Iustitia elevat gentem, & miseros facit populos peccatum.* Item: *Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur justitia thronus ejus.* Item: *Facere misericordiam & judicium magis placet Deo, quam victimæ.* Et infra: *Rapinæ impiorum detrahent eos qui noluerunt facere judicium.* Item ibi: *Qui sequitur justitiam & misericordiam, inveniet vitam & justitiam & gloriam.* Quod vero per injustitiam cadat, Isaias demonstrat: *Tu enim*, inquit, *terram disperdidisti, tu populum occidisti, non vocabitur in æternum semen pessimorum. Præparate* C *filios ejus occisioni in iniquitate patrum eorum: non consurgent, nec hereditabunt terram, neque implebunt faciem orbis civitatum.* In Amos: *Ecce oculi domini super regnum peccans, & conteram illud a facie terræ, dicit dominus.* Daniel loquitur ad Baltassar: *O rex, Deus altissimus regnum & magnificentiam & gloriam & honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo, & propter magnificentiam, quam dederat ei, universi populi, tribus, & linguæ tremebant & metuebant eum: quos volebat interficiebat, & quos volebat percutiebat, quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat. Quando autem elevatum est cor ejus, & spiritus illius obfirmatus est in superbiam, depositus est de solio regni* D *sui, & gloria ejus ablata est, & a filiis hominum ejectus est, sed & cor ejus cum bestiis positum est.* In libro Sapientiæ: *Sedes ducum superborum detraxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Item: *Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias & injurias & contumelias, & diversos dolos.* Quibus verbis liquido claret, quod pietas, justitia, & misericordia stabiliant regnum, & læsiones viduarum & pupillorum, calumniæque miserorum, violentaque judicia, & perversio justitiæ, evidenter illud evertant. Unde & multorum regnorum collapsio, quia pietatis, justitiæ, & misericordiæ non habuerunt stabilimentum, his quæ præmissa sunt patenter fidem attribuit. E

Prov. 14. Prov. 20. Prov. 21. Isa. 14. Amos 9. Dan. 5. Eccl. 10. Ibidem.

V.

Nemo regum a progenitoribus regnum sibi administrari, sed a Deo veraciter atque humiliter credere debet dari, qui dicit: *Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo: per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt: per me principes imperant, & potentes justitiam decernunt.* Quod autem non ab hominibus, sed a Deo regnum terrenum tribuatur, Daniel propheta testatur dicens: *In sententia vigilum decretum est, & sermo sanctorum, & petitio, donec cognoscant viventes, quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit dabit illud*

Prov. 8. Dan. 4.

illud, & humillimum hominem constituet super illud. Item idem loquens de Nabuchodonosor ad Baltassar: *Donec cognosceret*, inquit, *quod potestatem haberet altissimus in regno hominum, & quemcumque voluerit suscitabit super illud.* Et per Jeremiam: *Hæc dicit dominus exercituum Deus Israel: Hæc dicetis ad dominos vestros: Ego feci terram, & hominem, & jumenta quæ sunt super faciem terræ, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento, & dedi eam ei qui placuit in oculis meis.* Hi vero qui a progenitoribus sibi succedere regnum terrenum, & non potius a Deo dari putant, illis aptantur quos dominus per prophetam improbat, dicens: *Ipsi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi.* Ignorare quippe Dei procul dubio reprobare est. Quapropter quisquis ceteris mortalibus temporaliter imperat, non ab hominibus, sed a Deo sibi regnum commissum credat. Multi namque munere divino, multi etiam Dei permissu regnant. Qui pie & juste & misericorditer regnant, sine dubio per Deum regnant: qui vero secus, non ejus munere, sed permissu tantum regnant. De talibus dominus per prophetam: *Dabo*, inquit, *tibi regem in furore meo.* Et Iob: *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Ut enim Isidorus exponit, irascente Deo talem rectorem populi suscipiunt, qualem pro peccato merentur. Constat ergo, quia non astu, non voto, neque brachio fortitudinis humanæ, sed virtute, imo occulto judicio dispensationis divinæ, regnum confertur terrenum. Et idcirco cuicumque ab eo committitur, ita illud secundum ejus voluntatem disponere & gubernare procuret, quatenus cum eo a quo illud suscepit feliciter in perpetuum regnare valeat: quoniam nihil prodest cuipiam terreno regno principari, si, quod absit, contigerit eum æterno extorrem fieri.

Dan. 5. Jer. 27. Osee 8. Osee 13. Job 34.

VI.

Magnum in utroque ordine, clericali videlicet & laicali, periculum esse cognoscimus, quod caritas, quæ Deus est, ac decus Christianitatis, & in qua summa totius fidei nostræ consistit, in multis utriusque ordinis, quod non sine magno animi dolore dicimus, non regnare convincitur. Quæ virtus caritas sit, & euangelica & apostolica lectio, & sanctorum patrum expositiones plenissime docent. Expressissime namque apostolus Ioannes ait, quod *Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Perpendat quisque, si in caritate manet, Deum manere in se: si caritatem non habet, non Deum sed hostem animæ suæ habitare in se; cum caritate quippe cuncta bona, sine caritate vero nulla haberi possunt. Neque etenim digne angelicum hymnum caritate carens domino decantare valet. Sed quæritur quare? Attendatur quare: quia non est bonæ voluntatis. Definitio quippe caritatis est, ut doctores nostri tradunt, bona voluntas. Ergo quicumque bonam voluntatem non habet, caritatem non habere comprobatur, & ideo pacem, quæ Christus est, quia bonæ voluntatis non est, habere non meretur. *Gloria*, inquit multitudo cælestis exercitus, *in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Miserabiliter plane decipiuntur plerique, qui sine caritate, aut Deo in hac mortalitate placere, aut ad illum sine illa se putant pervenire. Verum si nobis caritas non est, sed odium, & invidia, & avaritia, & discordia, & simulatio, & luxuria, & cetera mala regnant; quæ omnia a Christianitatis proposito abhorrent, mirum non est, si animadversiones divinæ nos interius exteriusque diversissimis modis feriant, & impetum inimicorum adversum nos commoveant. Quapropter si pacis tempora quiete & tranquille ducere volumus, pacis & caritatis amatorem diligamus & timeamus, ejusque præceptis humiliter colla submittamus. Hi autem qui palatinis honoribus fulciuntur, sive clerici sint, sive laici, dignum est ut vinculo caritatis connectantur, ne alterutrius injuriam aut dehonorationem contra fas meditentur, ne desides & dolosi ad invicem existant, ne forte qui dolosi sunt incidant in illud Psalmistæ dicentis: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum: da illis, domine, secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinventionum ipsorum*, &c. Qui vero desides existunt, patenter ab unanimitate, quam in Christo Paulus habitare edocet, scinduntur; caveantque hypocrisim Iudæ proditoris domini. Sunt & alia huic rei convenientia, quæ dinumerare longum est. Certe cum dignitatis palatinæ hujusmodi homines honoribus suffulti, morsibus invidiæ se vicissim lacerant, & in proximi ruinam & dehonorationem æstuãt, & Deo, cujus muneribus utuntur, in proximi adversitatibus injuriam inferunt, & regi, cui familiariter inhærent, & adjutores secundum Deum esse debuerunt, debitam fidem non servant, & honorem palatinum, malum exemplum aliis dantes, commaculant, &, quod his indecentius est, ad inimicos nominis Christi magnum tripudium transmittunt.

1. Ioan. 4. Luc. 2. Psal. 27.

VII.

Si mundanarum legum jura, ob jurgiorum forensium negotia dirimenda a mortalibus edita, homines avidissime discere & intelligere acutissime satagunt, ut his bene notis, quid verum, quid falsum, quid justum, quidve injustum sit, in hac terra morientium liquido discernere queant, quanto magis jura cælestia, a summo opifice Deo omnium creatore hominibus promulgata, salubriterque collata, quibus cavendum malum, faciendumque bonum perdocetur, quæ etiam sectatores suos ad terram provehunt viventium, cunctis fidelibus discere & intelligere intentioni esse debet. Lex itaque Christi non specialiter clericis, sed generaliter cunctis fidelibus est a domino attributa. Licet in euangelio quædam sint præcepta specialia, quæ solummodo contemptoribus mundi, & apostolorum sectatoribus conveniant; cetera tamen cunctis fidelibus, unicuique scilicet in ordine, quo se Deo servire devovit, indissimulanter observanda censentur. Quod vero fides sola neminem ad regnum provehat cælorum, jam in superioribus capitulis demonstratum est. Verum professio Christiana a multis, & in multis propter delectationes carnales, & propter diversissimas hujus sæculi vanitates, & perversissimas consuetudines, miserabiliter negligitur: quibus quanto plus inaniter inserviunt, tanto minus operibus Christianæ professionis vacant. Quod si Acta apostolorum relegamus, & devotionem Christianæ plebis, quæ sub eisdem apostolis floruit, subtiliter animadvertamus, multum nostri sæculi Christiani populi devotionem ab illorum distare reperiemus: & quãto illi ardentius & devotius eam sunt sectati, tanto nonnulli ab ejus operibus torpentius sunt digressi. Perinde sicut tunc

LIBRI II. CAP. VII. tunc initio nascentis ecclesiæ eadem fides operibus floruit, ita nunc iisdem neglectis apud quosdam marcessit. Vt enim verbis beati Augustini scribentis in libro sermonum utamur, Christus in nobis idem est, qui & in illis: sed non idem animus in nobis, qui fuit in illis: eadem fides in nobis, sed non eadem devotio. In illis enim major erat fraternitas Christi quam sanguinis: in illis sicut una fides, ita erat & una substantia: ut quibus communis Christus, communis esset & sumptus. Nefas enim putabant, eum sibi participem non adsciscere in substantia, qui particeps esset in gratia. Non ergo verebantur ne esurirent, sed potius timebant ne alius esuriet. Nunc autem, ut idem beatus Augustinus ait, ita alter de alterius inopia non cogitat, ut illud sit quod dicit apostolus: *Alius quidem esurit, alius ebrius est.* Et paulo post: Nunc est, inquit, illud tempus, quod dominus in euangelio ait: *Abundavit iniqutas, refrigescet caritas multorum.* Modo enim abundat avaritia & iniquitas, quæ ante bonitatis largitate cessabat: & refrigescit fraternitatis caritas, quæ prius Christi amore fervebat. Tunc enim sub apostolis tanta fraternitatis dilectio fuit, ut in conventu suo nulla inveniretur indigentia: tanta autem modo Christianitatis dissimulatio est, ut in cœtu nostro vix invenias locupletem. Locupletem autem vix inveniri dico, non facultatibus, sed operibus. Ait autem apostolus: *Divites sint in operibus bonis.* Locupletem eum in ecclesia intelligi voluit, qui dives in Christo est. Et idem post pauca: Raro igitur in hoc tempore in Christiano populo invenimus locupletem. Et si plerique in domibus auro sunt divites, in ecclesia tamen sunt mendici. Dum enim circa pauperes non pro eo quod prævalent operantur, nec hoc est gratum quod offerunt, nec illud est satiabile quod reservant. Dixit autem dominus ad Cain cum offerret munera: *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti, quiesce.* Sic tu Christiane: non recte dividis, qui de tanto auro tuo majorem partem Mammonæ servas, quam Deo largiris. In primordio igitur sanctæ Dei ecclesiæ, circa credentes ardor fidei ita vigebat, ut perseverarent in doctrina apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus, & haberent omnia communia, & sumerent cibum cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum: nunc autem devotio Christianitatis apud plerosque longe aliter se habet: quoniam a quibusdam doctrinæ apostolorum præponitur amor terrenorum negotiorum: communicationi fractionis panis, tenacitas, rigor caritatis, & cupiditas ambiendæ rei alienæ potius quam propriæ largiendæ: orationibus, delectatio carnalis, curiositas rerum, solicitudo mundi, & multimoda mentis in diversa vagatio. Quæ autem illis erant communia, nunc quibusdam ita sunt propria, ut perraro in alterius ex his quidquam retorqueatur usum. Illi sumebāt cibum cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum: nunc autem vix a quibusdam sumitur cibus sine detractione, sine simulatione, sine insultatione, sine histrionum saltatione, & obscena iocatione, & turpiloquiis & scurrilitatibus, & ceteris innumeris vanitatibus, quæ animum Christianū a vigore sui status emolliunt. Illi in simplicitate cordis, isti autem e contrario subdolo & duplici animo, cum scriptum sit: *Sentite de domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Illi sumentes cibum, Deum collaudabant; isti diversorum ciborum genera ad suum libitum exigentes, erga lautissimos sibi cibos præparatos artem collaudant coquorum. Est & aliud in Christiana religione magna admiratione dignum, eo quod leges humanæ, quæ plerumque peccare volentibus terrorem potius quam Christi præcepta incutiunt, majorem vim quam divinæ habere videantur, cum utique illæ sibi parentes a temporali, hæ quoque ab æterna liberent pœna. Cum enim quispiam regiæ aut imperialis dignitatis apicem tenens, ceteris mortalibus temporaliter imperans, aliquod edictum proponit, quod a sibi subditis & audiri diligenter, & impleri fideliter sagaciterque velit; quis rogo subditorum non inhianter id audit, illiusque jussionibus obtemperare satagit? Quis vero in tantam audaciam prorumpere audet, qui id nisi ad sui discrimen contemnere præsumat? Vnde satis mirari non potest, cur homines tanta cæcitate percussi existunt, ut creatoris sui legem temerario ausu postponant. Homines condunt leges, & a subditis custodiuntur: Deus creator omnium æternaliter imperans, qui nostro augmento non crescit, nec nostro detrimento decrescit, in cujus manu ita sumus sicut lutum in manu figuli, dedit legem ob salutem animarum capessendam, & audiri contemnitur: & si aure ' cordis auditur, aure cordis non percipitur; & si corde percipitur, opere non adimpletur. Quid autē excusationis Christiani domino afferre poterunt, qui mundanæ legis censuram ob mundialem metum suscipiunt, & jugo Christi, quod suave & leve est, & ad vitam ducit æternam, colla submittere renuunt? Dominus dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et idem continuo addit: *Discite a me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, & onus meum leve est*: & venire ad talem tantumque vocantem, & ab eo humilitatem & mansuetudinem discere, ejusque jugum suscipere recusatur? Hoc qui faciunt, quid aliud faciunt, nisi quod a salute propria deficiunt? Quod quam miserabile & exitiale sit, explicari non potest. Perspicue hinc sane animadverti potest, quod professio Christiana modernis temporibus a plerisque non sic devote ac religiose colitur, sicut a priscis colebatur Christianis. Hanc itaque fidei regulam, de qua superius breviter, & in memoratis Actis apostolorum plenissime dictum est, apostoli, imo Christus per apostolos fidelibus tenendam censuit. Si igitur hanc Christus docuit, ut quid tot tantisque perversis consuetudinibus ad votum quorumdam repertis contemnitur? Quæ quamvis, Deo annuente, veraciter percipiatur, operibus tamen a nonnullis diversis negligitur modis. Et hoc idcirco accidisse conjicimus, quia irrepsit inter quosdam nimium deflenda consuetudo, qui utique legibus divinis, quibus se per fidem subdiderunt, non ut oportet animadversis, quod libet, & licitum non est, sed & id quod licet, non tamen expedit, legem sibi faciunt, & secundum id quod libitum fuerit vivere posse inculpabiliter credunt. His ita præmissis, necesse est ut unusquisque fidelis penetralia cordis sui rimetur, & si fidem Christi, quam percepit, operibus non exornet, pacti, quod cum Deo in baptismate fecit se prævaricatorem esse cognoscat. Dum ergo tempus habet, Christi adjuvante gratia,

Marginalia: In appen. serm. 9. — I. Cor. 11. — Matth. 24. — I. Tim. 6. — Gen. 4. — Sap. 1. — ANNO CHRISTI 829. — ' corpori — Matth. 11.

ANNO CHRISTI 787.

adjuvante gratia, viam salutis non verbis tantum sed operibus repetat. Non ergo mirum est, si mucro divinus grassetur, ubi fides Christi non veraciter sed simulanter tenetur. Semper enim dicimus nos Deum velle quærere, & de præteritis admissis ab eo veniam postulare, & mentimur quia quod dicimus adimplere differimus. Quotidie etiam dicimus, viam domini, a qua peccando exorbitavimus, nos quærere velle, per quam ad Deum revertamur, & Deus eam stravit in conspectu oculorum nostrorum; & per eam ingredi contemnimus. Quis ratione utens B ignorat, nos debere semper potiora eligere, & viliora contemnere? Diversis quippe divinæ ultionis cladibus merito nostræ iniquitatis atterimur, & ad eum; a quo percutimur, reverti contemnimus, adimplentes illud propheticum: *Et populus non est reversus ad percutientem se, & dominum exercituum non exquisierunt.* Verendum porro satis est, ne nobis toties a domino per legales & propheticas atque euangelicas & apostolicas denuntiationes sive comminationes admonitis & flagellatis, & ad Deum veraciter redire contemnentibus, illud tandem proveniat, quod Israelitico populo, prophetis domini insultanti, & ad Deum reverti contemnenti, pro- C venit, quorum iniquitates dominus diu patienter pertulit, & ad extremum his propitiari nolens, eos in Assyriorum captivitatem migrare permisit. Assyrii namque dæmones significant, & interpretantur captivitates. Unde satis vigilanter providendum est, ne sicut illi corporaliter, ita nos, quod absit, spiritaliter in eorum deveniamus captivitatem. (Psal. 19.)

VIII.

Constat potestatem regalem omnibus sibi subjectis secundum æquitatis ordinem consultum ferre debere, & idcirco oportet, ut omnes subjecti fideliter & utiliter atque obedienter ei- D dem pareant potestati: quoniam *qui potestati a Deo ordinatæ resistit, Dei utique ordinationi*, juxta apostoli documentum, *resistit*. (Rom. 13.) Sicut enim subjecti a rege sibi volunt pie & juste opitulari, ita specialiter ei primum ad salutem animæ suæ procurandam, deinde generaliter ad honestatem & utilitatem regni secundum Dei voluntatem disponendam, atque ministrandam, indissimulanter atque irretractabiliter solatium opportunum debent exhibere. Quod cum faciunt, & divinum præceptum adimplere, & fidem regi debitam evidenter probantur conservare. Hujuscemodi ergo obsequium a subjectis regiæ potestati impendi debere, & legalia præcepta E aperte testantur, & dominus in euangelio admonet dicens: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ sunt Dei Deo.* (Matth. 22.) Petrus quoque ait: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deū, sive regi quasi præcellenti; sive ducibus, tamquam ab eo missis*, &c. (1. Pet. 2.) Et non post multa: *Deum timete, regem honorificate.* Paulus etiam apostolus in idipsum concordans ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*: (Rom. 13.) & cetera quæ de hujusmodi potestate apostolicus sermo latius exequitur. Idem etiam scribens ad Titū: *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse.* (Tit. 3.) Item ad Timotheum, quanti pendat causam, imo salutem regis, demonstrat ita scribendo: *Obsecro*, inquit, *primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro om-* (1. Tim. 2.) A *nibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram salvatore nostro Deo*, &c. Sic enim Ieremias propheta Dei pro vita idololatræ regis Nabuchodonosor orare admonet: (Ier. 29.) quanto magis pro salute Christianorum regum, ab omnibus ordinibus Deo est humiliter supplicandum? Qualiter igitur regiæ potestati parendum, qualiterque ejus saluti consulendum est, breviter ex auctoritatibus divinis dictum sit. Quapropter necesse est ut unusquisque fidelis tantæ potestati ad salutem & honorem regni, secundum Dei voluntatem, utpote membrum capiti opem congruam ferat, plusque in illo generalem profectum & utilitatem atque honorem regni, quam lucra quærat mundi, quatenus his saluberrimis opitulationibus sibi vicissim suffragantes, æterno regno pariter mereantur perfrui felices.

LIBRI II. CAP. VIII. ET IX.

IX.

Mala quibus Deus offenditur, vel periclitatur regnum, si quis liquido vult cognoscere, divinam; id est legalem, propheticam, & euangelicam, atque apostolicam perspiciat auctoritatem. Ibi plene inveniet omnia mandata atque præcepta, quibus Dei adimpletur voluntas. Ibi etiam inveniet quæ Deus fieri prohibuit, pro (Gen. 3.) quibus ad omnem ordinem divinæ comminationes multæ sunt, & in quibusdam, qui audire contempserunt, ultio divina completa est. Primus quippe homo propter transgressionem di- (Gen. 9.) vini præcepti, de paradiso ejectus, & exilio damnatus, & morte mulctatus est, quod malum adhuc hodie genus humanum, quasi natura sibi insertum experitur. Inde facta est alia generalis damnatio in diluvio, quæ multiplicatis vitiis, & diversis malis naturali lege corrupta, evenisse manifeste probatur. Quam sit etiam præsumptio gravis & periculosa, quæ ex contemptu præceptorum Dei nascitur, ædificatio turris, & confusio linguarum prodit. (Gen. 11.) Sodoma autem & Gomorrha, & finitimæ civitates, quibus flagitiis (Gen. 19.) deletæ, & quomodo æterna damnatione in exemplum humani generis sunt perditæ, manifestum est: & tamen in comparatione earum Ierusalem duplum malum fecisse legitur; eo quod notitiam & præceptum Dei habuerit, & servare contempserit, secuta propriam voluntatem. Nam iniquitas Sodomitica, juxta prophetam, fuit su- (Ezech. 16.) perbia, saturitas & abundantia, & otium, & quia egeno & pauperi manum non porrigebant, unde (Exod. 14.) accessit oblivio Dei, & operati sunt adhuc abominationes. Obduratio quoque Ægyptiorum, qui nullis signis nec prodigiis, sed neque flagellis corrigi potuerunt, ad quem finem pervenerit, (Num. 16.) notum est. Nam Dathan & Abiron atque Core, cum sociis eorum, qui cum eis perierunt, quam horribili terræ hiatu propter contemptum & inobedientiam contra dominum, consumpti sunt, manifestum est. (Exod. Num.) Quomodo etiam multitudo populi Dei perierit in deserto, propter concupiscentiam, & contemptū, & perversas consuetudines a Deo illis prohibitas donec diversis cladibus consumerentur, ita ut nullus eorum ad terram pervenerit repromissionis, præter duos tantum obedientes voci domini, omnibus perspicuum est. Quoties autem acciderit populum corruisse, vel regnum interisse propter unius peccatum vel inobedientiam, sive prælati, sive subjecti, longum est enumerare: sicuti con-

LIBRI II. CAP. X. ANNO CHRISTI 829.

1. Reg. 15. 1. Reg. 14 tigit in Saul, pro cujus inobedientia regnum ab A eo ablatum alterique datum legimus. Nam & filius ejus Ionathas, in cujus fidei fortitudine victoria data est de adversariis, postea sanctificationis votum transgressus, licet ignarus, concupivit, & victoriam totius populi perturbavit. Sed & Heli de ordine sacerdotali, quia filios suos satis non correxit, decidit, imo filiis suis merito suæ iniquitatis corruentibus corruit, sacerdotiumque de progenie ejus ablatum est. Quorum negligentia & iniquitate populus in bello fugatus ac cæsus est, & gloria cum arca Dei Israel translata est, simul & locus sanctificationis eorum dissipatus est. Achan vero propter concupiscentiam inobediens factus totum populum perturbavit. Pauca quippe de multis prosecuti sumus, ut diligenter adimadvertatur, si tot divinis ultionibus, totque periculis, tot etiam damnationibus subjacuerunt contemptores mandatorum Dei; quorum infinitus est numerus, & non solum illi qui præcepta susceperunt, verum etiam qui naturalem legem corruperunt; quanto putas reatui subjacebunt gratia Christi redempti, & ab eodem domino in viam justitiæ edocti & instructi, si præceptis ejus obedire contempserint? Proinde necesse est, ut unusquisque in ordine suo viribus studeat, ut quantum Deus annuerit, quæ jussit adimpleat, & quæ vetuit caveat: ut non cum contemptoribus damnari, sed potius cum executoribus divinorum præceptorum valeat remunerari, quoniam non est dubium, quin propter inobedientiam & contemptum præceptorum Dei, regni periclitatio & animarum proveniat damnatio.

(1. Reg. 4. — Ios. 7.)

X.

Dici solet a nonnullis Christianis, quod hi qui in Christo renati sunt, quamquam scelerate vivant, & in malis operibus diem extremum claudant, diuturno atque purgatorio, non tamen perpetuo sint igne puniendi. Cum multi hoc asserant, & nullus id verum esse ex divinis oraculis adstruere valeat, cavendum est, ut hoc non solum non credant, verum etiam nec ore proferant; ne forte hoc dicendo, se & alios quodammodo vana securitate deludant. Quod ergo neminem sola fides Christi sine operibus ad regnum provehat æternum, in præcedentibus jam dictum est. Quod autem in flagitiis viventes, & hæc non pœnitentiæ lamentis, nec eleemosynarum largitionibus redimentes, sed in eis potius perseverantes diem obeunt, atrociora sint tormenta passuri, quam illi, qui licet lavacro Christi in ecclesia nequaquam sunt baptizati, bona tamen opera fecerunt, subter testimonia collecta declarant. Ait itaque Petrus: *Melius enim illis fuerat, non agnoscere viam veritatis, quam post agnitionem veritatis retrorsum converti ab eo, quod traditum est illis, sancto mandato. Contigit enim illis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Et dominus in euangelio: *Cum immundus*, inquit, *spiritus exierit ab homine, vadit per loca arida quærens requiem, & non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam unde exivi, & invenit eam vacantem, scopis mundatam & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & intrant in domum illam, & habitant in ea, & erunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Origenes quoque in homilia de initio decalogi: Habitavit enim in nobis immundus spiritus antequam cre-

(2. Pet. 2. — Matth. 12.)

deremus, antequam veniremus ad Christum, cum adhuc fornicaretur anima nostra a Deo, & esset cum amatoribus suis dæmonibus: sed posteaquam dixit: Revertar ad virum meum priorem, venit ad Christum, qui eam ab initio ad imaginem suam creavit, necessario locum dedit adulter spiritus, ubi vadit ad legitimum virum. Suscepti ergo sumus a Christo, & mundata est domus nostra a peccatis prioribus; & ornata est ornamentis sacramentorum fidelium, quæ norunt qui initiati sunt. Item idem post pauca: Non enim domus tantum, sed templum esse debet in quo habitet Deus. Si ergo acceptam gratiam negligat, & implicet se negotiis sæcularibus, continuo ille immundus spiritus redit, & vendicat sibi domum vacantem, & ne iterum possit expelli, alios secum septem spiritus adhibet nequiores, & fiunt hujusmodi novissima hominis pejora prioribus. Et Beda in expositione euangelii Lucæ: Quemcumque enim post baptisma sive pravitas hæretica, seu mundana cupiditas arripuerit, mox omnium prosternet in ima vitiorum. Unde recte nequiores tunc in eum spiritus dicuntur ingressi, quia non solum habebit illa septem vitia, quæ septem spiritalibus sunt contraria virtutibus, sed & per hypocrisim ipsas se habere virtutes simulabit, & sunt novissima hominis illius pejora prioribus. Melius quippe erat ei viam veritatis non cognoscere, quam post agnitionem retrorsum converti. Quod in Iuda traditore, vel Simone mago, ceterisque talibus specialiter legimus impletum. Augustinus quoque in libro Enchiridion: Creduntur, inquit, a quibusdam, etiam hi qui nomen Christi non relinquunt, & ejus lavacro in ecclesia baptizantur, nec ab ea ullo schismate, vel hæresi præciduntur, in quantislibet sceleribus vivant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemosynis redimant, sed in eis usque ad hujus vitæ ultimum diem pertinacissime perseverent, salvi futuri per ignem; licet pro magnitudine facinorum, flagitiorumque diuturno, non tamen æterno, igne puniri. Sed qui hoc credunt, & tamen catholici sunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur. Nam scriptura divina aliud consulta respondet. Et paulo post. Porro autem si homo sceleratus propter solam fidem per ignem salvatur, & sic est accipiendum quod ait beatus Paulus: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*: poterit ergo salvare sine operibus fides, & falsum erit quod dixit eius coapostolus Iacobus: falsum erit & illud quod idem ipse Paulus dixit: *Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Si enim etiam in istis perseverantes criminibus, tamen propter fidem Christi salvi erunt, quomodo in regno Dei non erunt? Si igitur, iuxta euangelicam sententiam, post agnitionem Christi quis nequiter vivendo, spiritum immundum, qui a se tempore baptismatis expulsus est, cum dæmonum septenario sibi numero addito ad se redire facit, pristinamque domum in se quodammodo vindicare sinit, fiunt illi novissima pejora prioribus: patet profecto, si in iisdem nequitiis vitam finierit, gravius[a] illum quam eos, qui licet fidem Christi non perceperunt, bonis tamen operibus operam dederunt, puniendum. Proinde necesse est ut unusquisque fidem Christi, quam percepit, bonis operibus exornet. Et sicut nulli de miseri-

(In Enchir. cap. 64. — 1. Cor. 3. — 1. Cor. 6. — [a] Vide ep. Vrbani pa. cap. 6.)

cordia

ANNO CHRISTI 826.

cordia Dei desperandum est, ita nemo post hanc vitam judicium Dei, quod nisi justum esse non potest, sibi aliisque favorabiliter molliendo temperet, & propter hoc in hac vita bonis operibus deditus esse negligat. Quapropter procurandum est ut dum in hac vita vivitur, bonis operibus insistatur. Admonet quippe dominus in euangelio: *Vigilate & orate, quia nescitis diem neq; horam.* Item: *Dies domini sicut fur in nocte ita venit.* Item: *Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant.* Et apostolus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* His documentis perdocemur, quod indulta tempora pœnitentiæ in vanum non sint deducenda, & quod fides Christi bonis semper sit operibus exornanda.

Matth. 25. 2. Petr. 3. Joan. 12. 2. Cor. 6.

XI.

Quia moderno tempore Christiani populi devotio a devotione plebium fidelium, quæ sub apostolis extitit, longe sit impar, in præcedentibus jam commemoratum est. Procul nempe quorumdam Christianorum devotio, sicut & in nonnullis aliis, ita & in eo quod ad ecclesiam tepide conveniunt, ab illius plebis religiosa devotione distat. Verum sicut sunt plerique, qui pio religiosoque studio orandi gratia ecclesiam sæpissime frequentant, ita e contrario existunt quidam qui, licet e vicino habeant basilicam, id tamen perraro, quod emendatione dignum est, faciant. Vt ergo templa divinis cultibus mancipata frequenter adiri, ibiq; Deum constanter & devote oporteat invocari, divinæ scripturæ testimonia subter collecta testantur. Legitur itaq; in libro Paralipomenon: *Apparuit dominus Salomoni nocte, & ait: Audivi orationem tuam, & elegi locum istum mihi in domum sacrificij,* &c. Et paulo post: *Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ rectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit. Elegi enim & sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Et in euangelio Lucæ: *Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum, & ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno; & erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum.* Et in Actibus apostolorum: *Erant autem*, inquit, *perseverantes in doctrina apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Et paulo post: *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.* Item ibi: *Petrus & Ioannes ascenderunt in templú ad horam orationis nonam.* Origenes quoq; in homilia de Rebecca: Vereor, inquit, ne sitis matri vestræ ecclesiæ adhuc in tristitia & gemitu, cum non convenitis ad audiendum Dei verbum, & vix festis diebus ad ecclesiá proceditis, & hoc non tam desiderio verbi, quam studio solennitatis, & publicæ quodámodo remissionis obtentu. Quid igitur ego faciam, cui dispensatio verbi credita est? Vbi, vel quando vestrum tempus inveniam? Plurimum ex hoc, imo pene totum, mundanis occupationibus teritis: in foro aliud, aliud in negotiatione consumitis: alius litibus vacat, & ad audiendum Dei verbum nemo, aut pauci admodum vacant. Sed quid vos de occupationibus culpo? quid de absentibus conqueror? Præsentes etiam in ecclesia positi non estis intenti, sed communes & ex

2. Paral. 6. 2. Paral. 7. Luc. 24. Act. 2. Ibidem. Act. 3.

A usu fabulas teritis, & verbo Dei vel lectionibus divinis terga convertitis. Vereor ne & vobis dicatur a domino: *Convertunt ad me dorsa, & non facies suas.* Et post aliqua in eadem: Dicite mihi vos, qui tantummodo festis diebus ad ecclesiam convenitis, ceteri dies non sunt festi? non sunt dies domini? Iudæorum est dies certos & raros observare solennes, & ideo ad eos dicit dominus: *Quia neomenias vestras, & sabata, & dié magnum non sustineo, jejunia, & ferias, & dies festos vestros odit anima mea.* Odit ergo Deus eos qui una die putant esse festum domini. Quia ergo Christiani instar templi Hierosolymitani, ubi sanguis brutorum animalium effundebatur, basilicas in amore & honore Dei construunt; ubi non jam sanguis taurorum effunditur, sed corpus & sanguis Christi conficitur, & a fidelibus percipitur, & Deus tam evidentibus oraculis loca nomini suo dicata inhabitare, ibique supplicum preces se exaudire polliceri dignatur, & pontifices sub tanta invocatione eas Deo dedicant, ut omnes qui illuc deprecaturi veniunt, de quacumque tribulatione ad eum clamaverint, consolationis ejus beneficia consequatur, oportet ut remoto negligentiæ torpore hujusmodi loca ad Deum exorandum sibique propitium faciendum frequenter ac devote adeant, dignosq; se aspectibus angelorum, quorum conventus minime ibi adesse dubitantur, exhibeant. Quod si etiam memoratum templum, in quo pecudes mactabantur, tantæ venerationi habebatur, ut ad illud non solum Iudæi divinæ legis notitiam habentes, verum etiam nationes a testamento Dei longe remotæ, orandi gratia concurrerent, sicut habes in Actibus apostolorum, de viro Æthiope eunucho, qui venerat adorare in Ierusalem, & revertebatur, & a Philippo cathechizatus & baptizatus est, quanto magis templa Christi, ubi ejus caro & sanguis immolatur a fidelibus, sunt religiosis obsequiis veneranda, & assiduis precibus inexcusabiliter frequentanda? Non igitur, sicut se habet quorumdam reprehendenda & emendanda consuetudo, propter ædiculas, quas sibi ad votum suum construunt, ibiq; Deo sacrificium offerri posse & debere contendunt, templa per sacerdotum ministerium nomini divino dicata penitus sunt negligenda ac relinquéda, præsertim cum dominus dicat in lege: *Ad locum quem elegerit dominus Deus de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis & offeretis in illo loco holocausta ac victimas vestras.* Et post pauca: *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo, quem elegerit dominus in una tribuum tuarum.* Et in sacris canonibus, in concilio scilicet Laodicensi, est institutum: Quod non oporteat in domibus oblationes ab episcopis & presbyteris fieri.

LIBR. CAP. XI. ET XII. Ier. 18. Isai. 1. Act. 8. Deut. 12.

XII.

Multi ecclesiam ingressi, non ad Deum puram simplicemque orationem dirigunt, quoniam quod ore precantur hoc etiam mente non meditantur. De talibus Beda in homilia euangelii XVII. Sunt, inquit, qui intrantes ecclesiam multis psalmodiæ vel orationum sermonibus prolongant, sed alibi corde intendendo, nec ipsi quid dicant recolunt: ore quidem orantes, sed mentem foris vagantem omni orationis fructu privantes, putantes a Deo precem exaudiri, quam nec ipsi qui fundunt audiunt. Quod antiqui hostis instinctu fieri, nemo est qui animadvertere nequeat. Sciens enim utilitatem oran-

ANNO CHRISTI 819.

di, & invidens hominibus gratiam impetrandi A immittit orantibus multimoda cogitationum levium, & aliquando etiam turpium nocentiumque phantasmata, quibus orationem impediat, adeo ut nonnunquam tales tantosque discurrentium cogitationum fluctus prostrati in oratione toleremus. Sunt itaque plerique, quibus potius cordi est vanis & obscenis confabulationibus vacare, quam lectionibus divinis aurem accommodare, quibus etiam nunquam tam delectabile videtur esse susurrationes aliorum auribus ingerere, cachinnis ora dissolvere, quam in ecclesia Dei, ubi eum humiliter devoteque debuerant invocare, & peccata sua deflere. B Sed & hoc ejusdem hostis antiqui instinctu fieri dubium non est. Quod autem domus Dei non sit hujuscemodi illicitarum actionum, sed potius orationum locus, dominus docet in euangelio dicens: *Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Origenes quoque, ubi de velamine Mosis scribit, ita dicit: Dicendum nobis est prius quid sit homo aversus a domino, ut scire possimus quid sit conversus. Omnis qui, cum recitantur verba legis, communibus fabulis occupatur, aversus est. Omnis qui, cum legitur Moses de negotiis sæculi, de pecunia, de lucris solicitudinem gerit, aversus est. Omnis qui C possessionum curis stringitur, & divitiarum cupiditate distenditur, qui gloriatur sæculo & mundi honoribus studet, aversus est. Sed & alius qui ab his quidem videtur alienus, assistit autem, & audit verba legis, & vultu atque oculis intentus, corde tamen & cogitationibus evagatur, aversus est. Quid ergo est converti? Si his omnibus terga vertitis, & studio ac mentis sollicitudine verbo Dei operam detis, in lege ejus die ac nocte meditemini, hoc est conversum esse ad Deum. Aliqui vestrum, ut recitari audierint quæ leguntur, statim discedunt: nulla ex his quæ lecta sunt inquisitio ad invicem, nulla collatio, nusquam memoria mandati illius, de quo te divina lex commonet: *Interroga patres tuos, & dicent tibi; presbyteros tuos, & annuntiabunt tibi.* Alii de hoc quidem patienter expectant, quod lectiones in ecclesia recitentur: alii vero, nec si recitentur sciunt, sed in remotioribus dominicæ domus locis sæcularibus fabulis occupantur. De quibus ego ausus sum dicere, quia cum legitur Moses, jam non velamen super cor eorum, sed paries quidam & murus est positus. Augustinus in homiliis ad populum: Quando convenitis, inquit, ad ecclesiam pro peccatis vestris orare, nolite scandala concitare, aut otiosas fabulas dicere: in ecclesia stantes nolite verbosare, sed sacras scripturas patienter audite. Qui enim in ecclesia verba vana locutus fuerit, & pro se, & pro aliis rationem redditurus est E in die judicii, quia verbum Dei nec ipse audit, nec alios audire permittit. Item idem: Plures sunt, de quorum perditione nimium contristor, illos dico, qui venientes ad ecclesiam magis litigare cupiunt, quam orare, & quando debent lectiones divinas in ecclesia intentis auribus tota pietate suscipere, tunc foris causas dicere, & diversis se student calumniis impugnare. Aliquando etiam, quod pejus est, aliqui nimia iracundia succenduntur, amarissime rixantur, & turpiter sibi convitia & crimina, * & calcibus & pugnis invicem colliduntur. Melius enim fuerat talibus ad ecclesiam non venire, quam tot malis contra se divinam iram provocare. Isti enim, etsi cum minoribus

Matth. 21.

Deut. 32.

* deest dicunt, aut simile.

A peccatis ad ecclesiam veniunt, cum multis criminibus de ecclesia revertuntur. Item idem: Sunt namque aliqui qui in natalibus sanctorum, aut in qualibet festivitate, causas aut dicere, aut audire volunt, & quod pejus est, non pro veritate, sed pro avaritia & cupiditate. Debent enim causas dicere, & cum justitia deliberare: sed aliis diebus, alio tempore, non in sanctorum solennitate, quando omnes homines magis debent Deo vacare, quam se diversis litibus impugnare. Item idem: Quando ad ecclesiam convenitis, nolite vos talibus fabulis occupare, unde possitis peccata acquirere. Nolite vos occupare ad litigandum, sed potius ad orandum, non ut rixando Deum offendere, sed supplicando gratiam illius possitis acquirere. Beda in homilia euangelii xx. *Cum fecisset dominus quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo.* Quid ergo, fratres mei, quid putatis faceret dominus, si rixis diffidentes, si fabulis vacantes, si risu dissolutos, vel alio quolibet scelere reperiret irretitos, qui hostias quæ sibi immolarentur ementes in templo invenit, & eliminare festinavit? Hæc propter illos diximus qui ecclesiam ingressi, non solum intentionem orandi negligunt, verum etiam ea pro quibus orare debuerant augent. Insuper & arguentes se pro hujusmodi stultitia, conviciis, odiisque, vel detractionibus insequuntur, addentes videlicet peccata peccatis, & quasi funem sibi longissimum incauta eorum augmentatione texentes, nec timentes, ex eo districti judicis examinatione damnari. Et paulo post: Unde multum tremenda sunt hæc, dilectissimi, & digno expavescenda timore: sedulaque præcavendum industria, ne veniens improvisus perversum quid in nobis, unde merito flagellari, ac de ecclesia eiici debeamus, inveniat; & maxime in illa, quæ specialiter domus orationis vocatur, observandum ne quid ineptum geramus, ne cum Corinthiis ab apostolo audiamus: *Numquid domos non habetis ad* D *agenda vel loquenda temporalia? aut ecclesiam Dei contemnitis?* Quapropter summopere omnibus fidelibus procurandum est, ut nihil in ecclesia inhonestum, aut cogitatione, aut dicto, aut facto gerant; ne forte peccatis, pro quibus absolvendis confluxerant, peccata accumulantes, non absolutionem peccatorum acquirant, sed magis funes, quibus quodammodo ligentur, sibi accumulent.

LIBRI CAP. XIII.

Ioan. 2.

I. Cor. 11.

XIII.

Sicut sunt nonnulli, qui orandi gratia ecclesiæ limina frequentare negligunt, ita e contrario existunt plerique, qui pro eo quod basilicas adire nequeunt, & reliquias sanctorum præsto non habent, idcirco vota precum suarum ad dominum, ut oportet, supplici devotione non fundunt, non animadvertentes, quod Deus non sit minus in parte, quam in toto, sed ubique totus, ubique præsens, ubique mirabilis. Unde ait Psalmista: *Quo ibo a spiritu tuo? & a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Et idem alibi: *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea domino.* Legitur itaque in libris Regum: *Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos: per viam quamcumque miseris eos orabunt te contra viam civitatis quam elegisti, & contra domum quam ædificavi nomini tuo, & exaudies in cœlo orationem eorum, & preces eorum &*

Psal. 138.

Psal. 102.

3. Reg. 8.

ANNO CHRISTI 829.

& facies judicium eorum. Quod si peccaverint tibi (non est enim homo qui non peccet, & iratus tradideris eos inimicis suis, & captivi ducti fuerint in terram inimicorum suorum longe vel prope, & egerint pœnitentiam in corde suo in loco captivitatis, & conversi deprecati te fuerint in captivitate sua dicentes: Peccavimus, inique egimus; impie gessimus; & reversi fuerint ad te in universo corde suo, & tota anima sua, in terra inimicorum suorum, ad quam captivi ducti fuerint, & oraverint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum; & civitatis quam elegisti, & templi quod ædificavi nomini tuo: exaudies in cælo, in firmamento solii tui, orationem eorum, & preces, & facies judicium eorum. Et in libro Daniel: *Quod cum Daniel comperisset, id est constitutam legem, ingressus est domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram domino sicut & ante facere consueverat.* Apostolus quoque ait: *Volo igitur viros orare in omni loco, puras levantes manus, sine ira & disceptatione.* Hieronymus ad Eustochium: Egredientes hospitium armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat ante, quam sessio, ne prius corpusculum requiescat, quam anima verbo Dei pascatur: ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem.

Dan 6.

1. Tim 2.

CONCILII PARISIENSIS VI. LIBER III.

EPISTOLA EPISCOPORUM AD LUDOVICUM IMPERATOREM.

De gestis in synodo, & de excerptis quibusdam in sequenti libello capitulis, quorum observationem præcipue necessariam, & ab eo deposcendam censuerunt.

Dominis præstantissimis, & pietatis gratia praditis, Hludouvico & Lothario orthodoxis atque invictissimis Augustis.

Nos famuli vestri, quamvis indigni, tamen episcopi, Deo humiliter grates persolvimus, ejusq; immensam pietatem & benignitatem collaudamus & prædicamus, qui vos adeo in sui amorem devotissimos famulos suos flagrare facit, ut de profectu & exaltatione sanctæ suæ ecclesiæ indesinenter cogitetis, eamque, utpote matrem spiritalem, sicut fideles & dilecti spiritales filii, ad meliora & potiora semper provehere studeatis. Nam cum mucro divinus imperium vobis divinitus commissum interius exteriusque, merito nostræ iniquitatis, multifariis attereret cladibus, prudenter animadvertentes quod hæc non nisi justo Dei judicio evenirent, illico scriptis serenitatis vestræ anno præterito cunctos ecclesiarum pastores admonuistis, ut quia constabat eos speculatores domini existere, & gladium divinum super terram, id est super peccatores Deum grassari, meminerint speculationis suæ, & jejunio triduano ab omnibus generaliter peracto, unusquisque in quolibet ordine positus diligenter conscientiam suam conveniret, & ubi se Deum offendisse cognoscebat, maturato per pœnitentiæ satisfactionem corrigere non differret. In quibus etiam apicibus inserere vobis placuit, ut si Deus pacem undique & otium vobis tribueret, in hoc placi-

LIBRI III. PRÆFATIO.

A tum vestrum generale consumere voluissetis, ut primum quiquid in vobis, id est in persona & ministerio vestro corrigendum inveniretur domino auxiliante corrigeretis. Deinde quæcumque in omnibus ordinibus imperii vestri Deo displicerent inquireretis, & secundum ejus voluntatem cum consensu fidelium vestrorum ad tramitem rectitudinis revocaretis; scilicet ut eum vobis populoque vobis commisso propitium faceretis. Sed quia tempus optatum, exterioribus incursionibus præpedientibus, secundum desiderium vestrum nacti non estis, libuit serenitati vestræ, cum quibusdam fidelibus vestris præterita hieme placitum habere; & de his quæ præmissa sunt diligen-B ter tractare, Deique voluntatem quærere, & ecclesiæ vobis commissæ utilitatem providere. Quapropter de omnibus, quæ ad tempus emendatione digna visa sunt, congrua capitula serenitas vestra digessit, legatosque strenuos delegavit, ut per eadem capitula & flagitia malorum hominum punirent, & bonorum laudem vestræ celsitudini notescerent. Inter quæ etiam statuistis in quatuor partibus imperii vestri conventus episcoporum uno eodemque tempore fieri, in quibus tractarent, quærerent, atq; cum Dei adjutorio invenirent de causis ad religionem Christianam eorumque curam pertinentibus: quid a principibus, & C reliquo populo, vel ita ut divina auctoritas docet, aut aliter teneretur: vel quid inde ex parte, aut ex toto dimissum esset, ut non teneatur. Deinde quid in ipsorum, qui pastores populi constituti sunt moribus, conversatione, & actibus inveniri posset, quod divinæ regulæ atque auctoritati non concordaret, simulque inveniretur, quæ occasiones in utroque ordine id effecerint, ut a recto tramite deviassent; & quidquid de his inventum fuisset, vestræ celsitudini notum facerent. Quod ut Deus posse dedit, nos fidelissimi ac devotissimi salutis vestræ procuratores, juxta parvitatem sensus nostri, prout brevitas temporis permisit, secundum sanctam devotionem & ordinationem vestram, de causis ad religionem Christianam, nostrumque ministerium D atque periculum pertinentibus, nec non & de his quæ ad nostram correctionem & emendationem pertinere perspeximus, sive de his quæ populis generaliter annuntianda & admonenda prævidimus, capitulatim in præcedentibus annotavimus libellis; vestræque serenitati legenda, imo probanda obtulimus. Et quamquam de his quæ præmissa sunt vestro ardentissimo desiderio prius satisfacere elegerimus, nequaquam tamen hæc specialiter ad vestram personam ministeriumque pertinere cognovimus, oblivioni tradidimus: sed potius vestræ saluti prospicientes, nonnulla capitula necessaria in E secundo hujus operis libello, ad nomen ministeriumque vestrum pertinentia, periculumque cavendum, solerti studio congessimus, & vobis familiariter admonitionis gratia porrigenda devovimus: ut ea diligenter inspiciendo, legendo, & audiendo, aperte atque distincte vestra cognoscat celsitudo, de quibus, & pro quibus, in memoratis conventibus nostris, secundum virium nostrarum possibilitatem fideliter salubriterque egerimus. Abhinc sequuntur quædam quæ ex capitulis conventus nostri breviter decerpsimus, quæ ad nostram fideliumque vestrorum laicorum observationem & salutem pertinentia, necessaria esse perspeximus. Dehinc

Addit 2. cap. 2.

 sequun-

LIBRI III. CAP. I. ET II. sequuntur alia quæ vestræ pietati deposcenda valde salubria esse judicavimus.

INDEX CAPITUM.

LIBRI III.

CAPUT I.

Igitur quia constat religionem Christianam per successores apostolorum salubriter administrari, populisque ad vitam æternam ducatum exhiberi debere, primo necessarium judicavimus, ut quidquid in nobis reprehensibile, sacrisq; ministeriis indigni mancipamur, inconveniens & indecens contrariumque videbatur, toto annisu, domino opem ferente, corrigeremus. Id est in vita nostra, & doctrina, & conversatione, & morum probitate, & studio prædicationis, & in consacerdotum & ministrorum, subjectorumque nostrorum correctione, diligentiorem deinceps cum omni studio curam & providentiam adhiberemus. Et ut nos non tantum in cupiditatibus mundanis, & curis, & solicitudinibus, sed potius in divinis officiis implicaremus, & in scholis habendis, & educandis militibus sanctæ Dei ecclesiæ operam daremus. Quæ nos Deo miserante in omnibus pro viribus imitari, & exercere ad nostram & universorum salutem cupimus, inquantum nobis divina favente gratia, sacerdotalis libertas & optatum otium attributum fuerit. Nam in statutis convenientibus primo omnium pari voto, parique consensu decrevimus, ut unusquisque nostrorum in parochia sua dictis & exemplis plebes sibi subjectas ad meliora incitare studeret, easq; ut se a malis cohiberent, & ad Deum ex toto corde converterent, solicite admoneret, Deumq; quem peccando sibi iratum fecerant, digna pœnitentiæ satisfactione & eleemosynarum largitione sibi placabilem facere satagerent, nec non & pro vita vestra, conjugum, prolisque vestræ incolumitate, Dei immensam misericordiam cernuis precibus implorarent.

II.

4 Sunt sane diversorum malorum patratores, quos & lex divina improbat & condemnat, pro quorum etiam diversis sceleribus & flagitiis populus fame & pestilentia flagellatur, & ecclesiæ status infirmatur, & regnum periclitatur. Contra quos nos eorum malitiam exaggerantes, quamquam in sacris eloquiis satis sunt execrati, necessarium prævidimus, iterum nostra admonitione & exhortatione præcaveri omnino oportere. Sicut sunt diversarum pollutionum patratores, quas cum pecoribus & masculis nonnulli diversissimis modis admittunt, quæ incomparabilem dulcedinem piissimi creatoris ad amaritudinem provocantes, tanto gravius delinquunt, quanto contra naturam peccant. Pro quo etiam scelere, igne cælesti conflagratæ, infernique hiatu quinque absorptæ sunt civitates, nec non & quadraginta & eo amplius millia stirpis Benjaminææ mucrone fraterno confossa sunt. Hæc porro judicia & evidentes vindictæ declarant, quam detestabile & execrabile apud divinam majestatē hoc vitium extet. Extant & alia perniciosissima mala, quæ ex ritu gentilium remansisse dubium non est, ut sunt magi, harioli, sortilegi, venefici, divini, incantatores, somniatorum conjectores, quos divina lex irretractabiliter puniri jubet: de quibus in lege dicitur: *Anima quæ declinaverit ad magos & hariolos, & veneficos terræ, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui. Sanctificamini & estote sancti, quia ego sanctus sum dominus Deus vester. Custodite præcepta mea, & facite ea, quia ego dominus, qui sanctifico vos.* Et alibi: *Magos & hariolos, & maleficos terræ vivere ne patiamini.* Dubium etenim non est, sicut multis est notum, quod a quibusdam præstigiis atque diabolicis illusionibus, ita mentes quorumdam inficiantur poculis amatoriis, cibis, phylacteriis, ut in insaniam versi a plerisque judicentur, dum proprias non sentiunt contumelias. Ferunt enim suis maleficiis aera posse conturbare, & grandines immittere, futura prædicere, fructus & lac auferre, aliisque dare, & innumera a talibus fieri dicuntur. Qui ut fuerint hujusmodi comperti, viri seu feminæ, intantum disciplina

Addit. 2. c. 18. — Gen. 19. — Iud. 20. — Levit. 20. — Exod. 22.

ANNO CHRISTI 829.

disciplina & vigore principis acrius corrigendi sunt, inquantum manifestius ausu nefando & temerario servire diabolo non metuunt. De his quoque in concilio Ancyritano titulo XXIII. ita scriptum est: Qui divinationes expetunt, & more gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujuscemodi homines introducunt exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi causa, sub regula quinquennii jaceant, secundum gradus pœnitentiæ definitos. Oportet enim hæc in omnibus, & maxime in his locis, ubi licite & impune multi se posse hoc perpetrare confidunt, ut studiosius & diligentius admoneantur, & severius corrigantur. Sunt & alia detestanda vitia, quę ita habētur quasi naturaliter in usu, ut ea perpetrantes quanti sint discriminis non advertant. Sicut sunt ea quæ apostolus aperte enumerat: id est, ebrietates, comessationes, contentiones, iræ, rixæ, dissensiones, detractiones, invidiæ, inimicitiæ, quæ homines, juxta eundem apostolum, a regno Dei excludunt. ita enim inquit: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Intantum enim ea impudenter & fidenter quidem committunt, ut merito de illis dici possit: *Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Vnde oportet ut omnes Christiani hæc & subtiliter intelligant, & studiosissime caveant, ne forte ea perpetrantes, & alia bona perdant quæ agunt, & propter hæc a regno Dei se alienos faciant. Similiter etiam de otioso sermone, pro quo, juxta domini vocem, omnes reddituri sumus in die judicii rationem; de scurrilitate, & stultiloquio, & maledictionibus, quoniam, juxta apostolum, *Maledicentes regnum Dei non possidebunt*, de mendacio, de periculoso, noxio, assiduoque juramento, & obscenis turpibusque canticis, omnibus Christianis omnino intelligendum & observandum est, ut summopere ab his se caveant, ne his studentes per negligentiam detrimentum patiantur suarum animarum. Hæc igitur quæ breviter præmissa sunt, primum, adjuvante divina gratia, a nobismetipsis abdicando, formam & exemplum aliis præbere volumus, & fidelibus vestris humiliter innotescere, & fideliter denuntiare necessario iudicavimus. Sed & parochias nostras omnes admonendo instruere cupimus, ne, quod absit, per suam ignorantiam, & nostram negligentiam, hujuscemodi mortiferis subjaceant periculis. Congessimus etiam in opere conventus nostri, nonnulla alia capitula ad vestram fideliumque vestrorum observationem & salutem pertinentia, quorum hic omissa prolixitate mentionem tantum facimus. Scilicet quod nosse eos oporteat, coniugium a Deo esse constitutum, & quod non sit causa luxuriæ, sed causa potius filiorum appetendum. Et ut virginitas, sicut doctores nostri tradunt, usque ad nuptias sit custodienda, & quod uxores habentes, neque pellicem, neque concubinam habere debeant: quomodo etiam in castitate uxores suas diligere, eisque, utpote vasi infirmiori, honorem debitum debeant impendere. Et quod commixtio carnalis cum uxoribus gratia fieri debeat prolis, non voluptatis: & qualiter a coitu prægnantium uxorum viris abstinendum sit, & quod nisi causa fornicationis, ut dominus ait, non sit uxor dimittenda, sed potius sustinenda. Et quod hi, qui causa fornicationis dimissis uxoribus suis alias ducunt, domini sententia adulteri esse notentur: sive etiam qualiter incesta a Christianis cavenda sint, & quod loca Deo dicata frequentius devotiusq; a fidelibus ad Deum exorandum sibique propitium faciendum sint adeunda: & quod in basilicis Deo dicatis, non sit fabulis otiosis, turpibusque & obscenis sermocinationibus vacandum, & negotia sæcularia, publicaque placita habenda: & quod qui hæc in ecclesia Dei faciunt, majora sibi peccata accumulent: de justo judicio judicando, & munerum acceptione cavenda, de falso testimonio vitando, & detractione cavenda, nec non de ceteris, quæ dinumerare longum est. Sunt etiam & alia plura flagitia pernecessario corrigenda, quæ nos ideo hic inserere non necessarium duximus, quoniam satis evidenter in vestris capitulis comprehensa esse scimus, quæ vos vestra auctoritate, & fidelium consultu, per strenuos missos vestros corrigenda esse censuistis.

[Margin: Addit. 2. 19. — Galat. 5. — Prov. 2. — I. Cor. 6. — Libri III. cap. III. IV. &c.]

III.

De mensurarum namque inæqualitate, & modiis injustis & sextariis, quæ domini lege haberi prohibentur, qualiter res ad certam correctionem perduci possit, non satis perspicue nobis patet, eo, quod in diversis provinciis diversæ ab omnibus pene habeantur. Hoc tamen modis omnibus optamus & monemus, ut in unaquaque provincia imperii vestri, jussu atque terrore celsitudinis vestræ, nullus duplices mensuras in sua dominatione aut habeat, aut haberi permittat: quoniam hac occasione multos pauperes affligi in plerisque locis cognovimus, & ad paupertatem miseriamque devenisse.

[Margin: Levit. 19.]

IV.

Vt presbyteri, sicuti hactenus factum est, indiscrete per diversa non mittantur, nec ab episcopis, nec ab aliis prelatis, nec etiam a laicis; ne forte, propter eorum absentiam, & animarum pericula, & ecclesiarum, in quibus constituti sunt, negligantur officia.

V.

Salubriter admonemus cunctos fideles, ut diei dominico debitum honorem & reverentiam exhibeant, quoniam hujus dehonoratio & a religione Christiana valde abhorret, & suis violatoribus animarum periculum procul dubio generat.

VI.

In conventibus serenitatis vestræ jam admonitum est, quod consecratio corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi per domos & ædiculas quasdam, ad quorumdam libitum præparatas, & per alia quælibet incongrua loca fieri non debeat; excepto quando in itinere pergitur, & id in aliis locis, quam in basilicis Deo dicatis, vel etiam in altaribus ab episcopo consecratis, ne populus Dei sine missarum celebratione, & corporis & sanguinis dominici perceptione maneat, necessitas fieri compellit. Nunc iterum atque iterum admonemus, ut posthabitis ædiculis, quas usus inolitus capellas appellat, basilicæ Deo dicatæ ad missarum celebrationem audiendam, & corporis & sanguinis dominici perceptionem sumendam, assidue devoteque adeantur.

VII.

De nobilibus porro feminis, quæ amissis viris repente velantur, & in propriis domibus, diversas necessitates opponentes, residere delectantur, jamdudum in aliis conventibus coram serenitate vestra ventilatum & definitum est, ut nulla

[Margin: Addit. 2. c. 15.]

LIBRI II. CAP. VIII. IX. &c. nulla illarum taliter se velari inconsulto episcopo suo attentaret: quoniam per hujuscemodi velationem, noxiam sibi libertatem acquirere, & per diversa vagari cupiant: illudque apostolicum minime præ oculis habentes, quo dicitur: *Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est*, animarum suarum salutem parvipendunt. Unde necesse est, 1. Tim. 5. ut quod hactenus erga eas admonendo sacerdotalis auctoritas explere nequivit, id terror imperialis atque potestas ob earum salutem adimpleat.

Hæc sunt etiam capitula, quæ a vestra pietate adimpleri flagitamus.

VIII.

Lib.5.c.163. Petimus humiliter vestram excellentiam, ut per vos filii & proceres vestri nomen, potestatem, vigorem, & dignitatem sacerdotalem cognoscant. Quod ex verbis domini facile intelligere possunt, quibus beato Petro, cujus vicem indigni gerimus, ait: *Quodcumque ligaveris super* Matth.16. *terram, erit ligatum & in cælo; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælo*. Et alibi discipulis generaliter dicit: *Accipite Spiri-* Ioan. 20. *tum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*. Illud etiam ad exemplum eis reducendum est, quod in ecclesiastica historia Constantinus imperator episcopis ait: Deus, inquit, constituit Rufin lib. 10. cap. 2. vos sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi: & ideo nos a vobis recte judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate judicium, & vestra jurgia, quæcumq; sunt, ad illud divinum reserventur examen. Vos etiam nobis a Deo dati estis dii, & conveniens non est ut homo judicet deos, sed ille solus, de quo scriptum Psalm. 81. est: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit.*

IX.

Lib.5. c.163. Sed & hoc illis ad memoriam reducendum est, qualiter beatus Prosper in libro, quem de contemplativa & actuali vita scripsit, laudem sacer- Lib. 2. c. 2. dotum comprehenderit. Ipsis enim, inquit, id est sacerdotibus, proprie animarum curandarum sollicitudo commissa est: qui pondus populi sibi commissi viriliter sustinentes, pro peccatis omnium, velut pro suis, infatigabiliter supplicant Deo, ac velut quidam Aaron, incensum contriti cordis & humiliati spiritus offerentes, quo placatur Deus, avertunt iram futuræ animadversionis a populo. Qui per Dei gratiam divinæ voluntatis fiunt indices, ecclesiarum Christi post apostolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis assertores, pravæ doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, & male sibi conscii etiam ipso visu terribiles: vindices oppressorum, patres in fide catholica regeneratorũ, prædicatores cælestium præmiorum, exempla bonorum, documenta virtutum, & forma fidelium. Ipsi sunt decus ecclesiæ, in quibus amplius fulget ecclesia. Ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium. Ipsi januæ civitatis æternæ, per quas omnes qui credunt ingrediuntur ad Christum. Ipsi janitores, quibus claves datæ sunt regni cælorum. Ipsi etiam dispensatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula regis æterni dividuntur gradus & officia singulorum. Licet enim sanctorum præcedentium sacerdotum vita & meritis longe inferiores simus, idem tamen sacrum ministerium, quod indigni suscepimus, non minoris auctoritatis & dignitatis existit. Et quamquam tanto ministerio indigni simus, propter illum tamen, cujus ministerium gerimus, in nobis non est contemnendum. ANNO CHRISTI 826.

X.

Illud etiam specialiter necessarium vestræ suggerere pietati duximus, ut fideles vestri per vos admoneantur & instruantur, quando aliquid nobis vestra celsitudo de nostra correctione, vel vestra, nec non & illorum salute tractandum committit, ut non per inanem & falsam suspicionem contra nos scandalum sumant, & sine causa in nos detrahendo Deum offendant, & unde sibi salutem sperare & acquirere debuerant, culpam incurrant. Quia nos nihil aliud quærere aut tractare desideramus, nec nostri officii est ut faciamus, nisi quod ad nostrum debitum ministerium & illorum salutem pertinet. Et ideo non debemus ante tempus per suspicionem judicari, sed patienter expectari, donec ipsa veritas manifestum faciat, utrum magis audiendi, an improbandi simus. Nos enim, si forte evenerit ut aliquid sinistræ opinionis de nobis fama sparserit, Deo nobis opem ferente, id æquanimiter tolerare & possumus & debemus. Ipsi vero a culpa immunes esse non possunt, dum patrum & fratrum intentionem sine causa reprehendere non metuunt. Quoniam hoc summopere elaborandum est nobis & vobis, ut semper inter pastores ecclesiarum, & gregem Christi, pax & concordia unanimitasque servetur: nisi enim caritatem & concordiam ininvicem habuerint, Deum sicut oportet propitium habere non merebuntur. Quapropter, sicut præmissum est, cum Deo inspirante vestra pietas de ecclesiastica & communi utilitate aliquid nobis tractare præcipit, non est nobis fas mentiri: quia aliquando veritatem sine gravi periculo ad tempus reticere, nunquam tamen interrogati de ipsa veritate sine gravi discrimine possumus mentiri. Sed quia veritas sæpe odium generat, & sermo Dei adversarius a domino nostris carnalibus voluptatibus describitur, tamen ei in via, id est in præsenti vita, consentiendum est. Sic etiam erga nos agendum est, ut quotiescumque interrogati veritatem proferimus, quamquam nonnulli infirmi sine causa scandalizentur, nobis tamen consentiendum est propter ipsam veritatem. Quorum saluti atque utilitati nullatenus, quod absit, obesse, sed potius, juxta injunctum nobis officium, consultum usquequaque cupimus exhibere. Quoniam non rerum, ut quidam arbitrantur, ambitione, sed animarum magis delectamur salvatione, attendentes illud apostoli: *Non enim vestra quæro, sed vos.* 2. Cor. 12.

XI.

Cum sacri canones bis in anno concilia celebrari jubeant, illud obnixe a vestra pietate deposcimus, ut saltem vel semel in anno libertas opportuni temporis concedatur, quod hæc ad honorem Dei, & utilitatem sanctæ Dei ecclesiæ, multorumque correctionem congruenter decenterque fieri possint. Quoniam si hæc semel, ut dictum est, in anno per unamquamque provinciam celebrata fuerint, & honor ecclesiasticus vires ordinis sui obtinebit, & impudentia quorumdam superborum clericorum, quæ passim, auctoritate canonica calcata, auribus

ANNO CHRISTI 829. auribus imperialibus molestiam ingerit, cessabit, & impunitas diversorum flagitiorum locum delitescendi, quem nunc habet, non habebit: & alia multa, quæ hactenus secus quam ecclesiastica disciplina docet incesserunt, ordinem suum domino auxiliante servabunt.

XII.

Similiter obnixe ac suppliciter vestræ celsitudini suggerimus, ut morem paternum sequentes, saltem in tribus congruentissimis imperii vestri locis, scholæ publicæ ex vestra auctoritate fiant: ut labor patris vestri & vester per incuriam, quod absit, labefactando non depereat. Quoniam ex hoc facto & magna utilitas, & honor sanctæ Dei ecclesiæ, & vobis magnum mercedis emolumentum, & memoria sempiterna accrescet.

XIII.

Similiter & hoc a vestra pietate necessario duximus expetendum, ut sacerdotes & Levitæ, & sequentis ordinis clerici, qui in diversas imperii vestri partes, maximeque in Italiæ regionem fuga lapsi sunt, vestra auctoritate per missos vestros diligenter perquirantur, & in præsentiam vestram venire compellantur, & per vestram clementiam vnicuique ecclesiæ, a qua per contumaciam defecerunt, restituantur.

XIV.

Lib. 5. c. 9. 6 Illud quoque nihilo minus a vestra pietate suppliciter flagitamus, ut monachi, & presbyteri, necnon & clerici, qui postposita canonica auctoritate passim palatium adeunt, & vestris sacris auribus importunissimam molestiam inferunt, vestra auctoritate & potestate deterreantur, ne hoc facere præsumant. Quoniam in huiuscemodi facto & vigor ecclesiasticus contemnitur, & religio sacerdotalis, & professio monastica vilior efficitur.

XV.

Illud etiam obnixe vestram sanctam piissimamque devotionem suppliciter admonendo deposcimus, ut ob amorem & honorem Dei, & animæ vestræ salutem, morem paternum sequentes, quasdam sedes episcopales, quæ rebus propriis viduatæ, imo annullatæ esse videntur, dum tempus habetis, & opportunitas se præbuerit, de earum sublevatione & consolatione cogitetis, memores semper quomodo progenitores vestri huiuscemodi piissimis studiis intenti fuerint.

XVI.

Sed & illud a vestra pietate fieri deposcimus, vt in quadam parte parochiæ Alitgarii & Rangarii, ubi turpissimam & nefandissimam, & ipso dictu fœdissimam rem perpetrari audivimus, missi vestri fideles existant, qui per potestatem imperialem vestram, simul cum eorum auctoritate, quorum parochiæ sunt, idem malum ab illo loco quantocius radicitus evellant.

XVII.

Lib. 5. c. 10. 7 Iterum suppliciter admonendo vestræ suggerimus serenitati, ut vestro solertissimo studio, vestraque imperiali auctoritate, tam temeraria Christianorum sanguinis effusio in regno vestro fieri non sinatur: semper illud attendentes quod dominus post diluvium dixit famulo suo Noe: *De manu hominis, & de manu viri & fratris eius, requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Et in lege: *Qui occiderit hominem, morte moriatur.* Et apostolus: *Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum.*

Gen. 9. — Levit. 24. — Rom. 13.

A *Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* De illo enim specialiter divina auctoritas dicit: *Gladium Dei portat ad vindictam malorum,* non de quolibet alio. E contra vero nescimus qua pernoxia ad inventione a nonnullis usurpatum est, ut hi qui nullo ministerio fulciuntur, propter sua odia, & diversissimas voluntates pessimas, indebitum sibi usurpant in vindicandis proximis & interficiendis hominibus vindictæ ministerium: & quod rex saltem in uno exercere debuerat propter terrorem multorum, ipsi impudenter in multis perpetrare non metuunt propter odiũ & putant sibi licere ob inimicitiarum vindictas, B quod nolunt ut rex faciat propter Dei vindictam.

LIBRI III. CAP. XII. XIII &c. — 1. Petr. 2.

XVIII.

Lib. 5. c. 181. 8 De abbatibus vero canonicis & regularibus, & de abbatissis quæ sanctimonialibus præesse videntur sive de laicis qui monasteria habent, illud tantũmodo vestræ pietati deposcimus, ut nunc in præsenti placito a vestra serenitate expresse admoneantur, ut de seipsis ceteris bonum exẽplum præbeant, & religiose, sicut decet, conversentur, & quod uniuscujusque professioni conueniens est, & in sacris voluminibus prohibetur, omnino caveant. Et loca sibi a vobis concessa deperire & destrui per negligentiam non dimittant. Et congregationes sibi commissas, sive spiritaliter, sive temporaliter, ex paterno affectu gubernare, eisque necessaria stipendia administrare non negligant; C ne forte propter aliquam inopiam & divina officia negligantur, & ipsæ congregationes irreligiosius vivere compellantur. Et ut nostram admonitionem libenter audiant, benigne suscipiant, & obediẽter adimpleant. Quoniam si illi nostris admonitionibus paruerint, nos Deo auxiliante id per nostrum studium pro viribus efficere cupimus, ut ipsa religio semper in melius proficiat, & merces vobis exinde accrescat, nec non & periculum, quantum fieri potest, caveatur animarum, & ab auribus vestris amoveatur pro hac causa tædium querelarum.

XIX.

Lib. 5. c. 182. 9 Postulamus etiam ut celsitudo vestra missis vestris specialiter injungat, D ut ad hæc peragenda studiosi & veri adiutores, ubicumque necessitas poposcerit, nobis existant. De presbyteris & capellis palatinis, contra canonicam auctoritatem & ecclesiasticam honestatẽ inconsulte habitis, vestram monemus solertiam, ut a vestra potestate inhibeantur: quoniam propter hoc & honor ecclesiasticus vilior efficitur, & vestri proceres & palatini ministri in diebus solennibus, sicut decet, vobiscum ad missarum celebrationes non procedunt. Nam & obnixe deprecamur, ut in observatione diei dominici, sicuti iamdudum vos deprecati sumus, debitam adhibeatis curam; quatenus, nisi magna compellente necessitate, in ipsa die a curis & sollicitudinibus mundanis quantum potestis vos exuatis, E & quod tantæ diei venerationi competit, & vos faciatis, & vestros sacro vestro exemplo & doceatis, & agere compellatis.

XX.

De perceptione vero sacri corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi, nihilo minus monemus, ut quod Christianæ religioni expedit, & sicut vobis a patribus nostris ad monitum est in aliis conventibus, quãdo possibile fuerit, faciatis, & vestro exemplo vobis famulantes, ut hoc faciant, instruatis.

XXI.

De capitulo siquidem, quod propter honorem ecclesiasticum in generali conventu vestra celsitudo se-

LIBRI III. CAP. XXII. XXIII. &c. se constituere velle decrevit, tantummodo vestram pietatem deposcimus, vt secundum Dei voluntatem, quod melius exinde vobis visum fuerit, ad effectum incunctanter perducatis.

XXII.

Addit. 2. cap. 23. Iterum monendo magnitudini vestræ suppliciter suggerimus, vt deinceps in bonis pastoribus rectoribusque in ecclesiis Dei constituendis magnum studium atq; solertissimam adhibeatis curam: quia, si aliter factum fuerit, & ordo ecclesiasticus suam non habebit dignitatem, & religio Christiana in multis labefactanda detrimenti sui jacturam patietur, & animæ vestræ, quod non optamus, periculum generabitur.

XXIII.

Addit. 2. cap. 24. & 25. Similiter deposcimus, ut in abbatissis cõstituendis vestrum specialiter caveatis periculum, sicut vobis sæpe est admonitum, & per divinam auctoritatem crebrius manifestatum. Sed & hoc obsecramus, vt in eligendis adiutoribus vestris, & reipublicæ ministris, qui vice vestra populum Dei regere & gubernare atq; iudicare debent, solertissimam providentiam habeatis, semper illud attendentes, quod in libro Exodi ad Mosem dicitur: *Provide*, inquit, *de omni populo viros prudentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam: & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, qui judicent populum omni tempore. Quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo judicent, leviusque tibi sit partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris sustentare.* Vnde & in libro Deuteronomii: *Iudices*, inquit, *& magistros constitues in omnibus portis tuis, quas dominus Deus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent.* Item ibi: *Dixique vobis in illo tempore, non possum solus sustinere vos; quoniam dominus Deus vester multiplicavit vos, & estis hodie sicut cæli stellæ plurimi. (Dominus Deus patrum vestrorũ addat ad hunc numerum multa millia, & faciat vobis sicut locutus est) Non valeo solus vestra negotia sustinere, & pondus & iurgia. Date ex vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conversatio sit probata in tribubus vestris.* Sed & in libro Paralipomenon ita legitur: *Constituitque rex Iosaphat judices terræ in cunctis civitatibus Iuda munitis per singula loca, & præcipiens judicibus, Videte (ait) quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, sed domini, & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non enim est apud dominum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.*

Exod. 18. Deut. 16. Deut. 1. 2. Paral. 19.

XXIV.

Addit 2. cap. 23. Rogamus etiam vestram pietatem, propter divinam misericordiam, vestramque salutem, ac totius populi utilitatem, nec non & regni honorem atque stabilitatem, ut vestra pietas solertissimam vigilantiam adhibeat, quatenus consiliarij & dignitatis vestræ ministri, custodesque animæ vestræ & corporis, qui debent esse intra regnum aliis decus & bonitatis exemplum, & in ceteris nationibus bonæ opinionis condimentum, caritatem, pacem atque concordiam, omni simulatione & calliditate postposita, adinvicem habeant, ut secundum Dei voluntatem, & vestram honestatem, atque totius regni profectum, communiter decertẽt, & veri vobis adiutores in omnibus concorditer existant: verique adiutores vestri & totius regni salubriter esse tunc poterunt, si unanimes extiterint, & invicem dilectionem habuerint. Decet quippe, ut sacra domus vestra cunctis spectabilis appareat, & imitabilis existat, & fama sanctæ opinionis, sive alios imperii vestri subiectos, sive exteras nationes, abundãtissime perfundat. Vbi igitur omnes dissensiones & discordiæ dirimendæ, & omnis malitia imperiali auctoritate est comprimenda, necesse est ut quod in aliis corrigere decernit, in ea minime reperiatur.

ANNO CHRISTI 829.

XXV.

Addit. 2. cap. 25. Nam & hoc humiliter obsecrando admonemus, ut liberos vestros, quos vobis divina pietas largiri voluit, in timore Dei jugiter diligenterq; erudiatis, sicuti & facitis. Et ut in mutuæ dilectionis caritate, & fraternitatis amore atque unanimitatis concordia vicissim consistant, sedula paternaque admonitione insistatis. Et ne illicitis actibus creatoris sui offensum incurrant, provida solertique circumspectione nihilo minus invigiletis: attendentes beatum Iob, cuius studium, ut beatus Gregorius in moralibus libris scribit, circa filios erudiendos tale extitit, ut non solum eos exterius perfectos opere & sermone efficerẽt, verum etiam eorum corda sacrificii oblatione mundaret. Attendite etiam David instruentem Salomonem filium suum, de quo in primo libro Malachim legitur: *Ego*, inquit, *ingredior viam universæ terræ: confortare & esto vir fortis, & observa custodias domini Dei tui, ut ambules in viis eius, & custodias ceremonias eius, & judicia eius, & præcepta & testimonia, sicut scriptum est in lege Mosis.* Et in libro Paralipomenon: *Tu autem Salomon, fili mi, scito Deum patris tui, & servi ei corde perfecto, & animo voluntario.* Attendite etiam Tobiam, de quo legitur, quod cum factus esset vir, accepit uxorem Annam ex tribu sua, & genuit ex ea filium, nomen suum imponens ei, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. Item idem alloquens eumdẽ filium suum: *Omnibus*, inquit, *diebus vitæ tuæ habeto Deũ in mente, & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies domini. Quomodo potueris, ita esto misericors*, &c. Item paulo post: *Attende tibi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nequaquam patiaris crimen scire. Superbiam nunquam in tuo sensu dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Et idem non post multa: *Consilium semper a sapiente perquire. Omni tempore benedic Deo, & pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in eo permaneant.* Item idem: *Audite ergo, filii mei, patrem vestrum. Servite domino in veritate, & inquirite ut faciatis quæ sunt beneplacita illi, & filiis vestris mandate, ut faciant justitias & eleemosynas, ut & sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore, in veritate, & in tota virtute sua.*

3 Reg. 2. 1. Par. 28. Tob. 1. Tob. 4. Ibidem. Ibidem. Tob. 14.

Addit. 2. cap. 23. His omnibus prælibatis, notescimus vobis, quod ea quæ in capitulis vestris nobis tractanda commisistis, scilicet quid a principibus & reliquo populo, vel ita ut divina auctoritas doceat aut aliter teneatur, vel quid inde ex parte aut ex toto dimissum sit ut non teneatur, fatemur quia in his capitulis quæ superius continentur, nec non in his quæ præsenti anno conscribi, & per missos vestros ob vitia comprimenda per imperium vestrum direxistis, multa demonstrata sunt, quę a pastoribus ecclesiarum, & a principibus, & a reliquo populo hactenus neglecta extiterunt, & aliter quam divina auctoritas se habeat, in iis eos egisse & agere deprehendimus. Sed si hæc nostra sacerdotalis admonitio effectum, Deo operante, per vestrum bonum studium abhinc obtinuerit, credimus quod multa, quæ a multis aliter, quam

ANNO CHRISTI 829. quam divina auctoritas se habeat, dimissa sunt, quæ non tenebantur, corrigentur. Nam & illud quod in eisdem capitulis continetur, ut manifestum fieret, quæ causæ id effecerint, ut sacerdotes & principes a recto tramite deviassent, exceptis præmissis capitulis, in quibus, sicut diximus, multa negligebantur, specialiter tamen unum obstaculum ex multo tempore iam inolevisse cognovimus, id est, quia & principalis potestas, diversis occasionibus intervenientibus, secus quam auctoritas divina se habeat, in causas ecclesiasticas prosilierit, & sacerdotes, partim negligentia, partim ignorantia, partim cupiditate, in sæcularibus negotiis, & solicitudinibus mundi, ultra quam debuerant se occupaverint. Et hac occasione aliter quam divina auctoritas doceat in utraque parte actum extitisse dubium non est. Sed quia Deo miserante, a progenitoribus & genitore vestro, & a vobis multa correcta gratulamur, si ea quæ admonemus prosperum successum habuerint, credimus quod ad perfectionis statum vestra intentio nostraque devotio Deo cooperante pervenire poterit. Verumtamen quia novimus statum huius regni sub tali conditione & tenore crevisse, atque dilatatum esse, & a prudentissimis sanctisque prædecessoribus nostris, sive scilicet ab episcopis, sive a principibus, hanc causam ex toto correctam non fuisse, propter hæc quæ suo tempore dici poterunt, & pondus tantæ considerationis parvitatis nostræ vires excessit, quoniam nec otium, nec spatium temporis, nec plenitudinem consacerdotum nostrorum, sicut ipsa necessitas exposcebat, habuimus. Et ideo hæc congruentiori & aptiori tempore, vita comite, si Deus ita annuerit, tractanda ac consideranda distulimus: quoniam tantę considerationis perfectio indiget assensu & adiutorio principum, & multitudine atque devotione nec non & studio sacerdotum, & obedientia vel concordia populi, & congruentia loci, temporisque spatio.

XXVII.

Addit. 2. cap. 25. Porro de episcopali libertate, quam Deo annuente, vestroque adminiculo suffragante, adipisci ad Dei servitium peragendum cepimus, suo in tempore vobis dicenda atque vobiscum conferenda reservavimus; quatenus ita sit, ut & nosmetipsos salvare, populoque nobis subiecto utiliter salubriterque prodesse, atque pro vobis & stabilitate imperij vestri liberius valeamus domini misericordiam exorare, & de vestris obsequiis & regni adiutorio solatium debitum minime subtrahatur, sed, si possibile fuerit, potius augeatur.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI S. I.

1 *Concilium Parisiense*] Carolus Magnus ultimo imperii sui anno concilia per Galliam, ut dictum est, quinque in locis haberi iussit. Ludovicus Pius hoc anno, etsi quatuor tantum locis concilia imperavit, in his tamen omnes Galliæ provincias, una excepta Novempopulana, comprehendit. Moguntiam enim, ut ex metropolitanorum quos recenset, nominibus intelligimus, convenire cum metropolitanis suis iussi sunt episcopi Germaniæ primæ & secundæ Belgicæ primæ & Maximæ Sequanorum. Parisios ex Belgica secunda, & Lugdunēsi secunda, tertia, & quarta. Lugdunum ex Lugdunensi prima, Viennensi, Alpibus maritimis, & Narbonensi secunda Tolosam denique ex Arelatensi, Narbonensi prima, Aquitanica prima & secunda. Reliqua erat Novempopulana, cuius, ut dixi, nulla hoc loco fit mentio. Ceterum cum Carolina quinque concilia integra supersint, ex quatuor Ludovici iussu habitis, unicum hoc Parisiense ad nos pervenit, cetera interiisse videntur.

2 *Quatuor provinciarum.*] Quarum nempe metropolitani ab imperatore fuerant in epistola designati, Ebo Rhemensis, Ragnoardus Rothomagensis, Landranus Turonensis, & Senonicæ urbis futurus antistes, post Ieremiam scilicet, qui nuper obierat. Is autem fuit Aldricus. LIBRI III. CAP. XXVII.

3 *Primum igitur.*] Est caput 166. libri 5. capitularium: quem in librum & alia permulta ex hoc concilio transtulit Benedictus Levita, & additionem 11. capitularium ex eodem integram contexuit, quibusdam interdum detractis, aut leviter immutatis. Lib. 1. can. 2.

4 *Sunt sane diversorum malorum.*] Hinc orta videtur eiusdem tituli constitutio Ludovici Pii, quæ extat sub finem additionis 4. capitularium, *De patratoribus diversorum malorum.* Lib. 3. can. 2.

5 *Petimus humiliter.*] Ex hac synodi petitione, & sequentibus, natæ similiter eiusdem Ludovici constitutiones, quæ leguntur in libro 5 capitularium cap. 163. Præcipimus atque iubemus, *&c, Ut contra episcopos nullus agat:* & cap. 170. *De honore & obedientia episcoporum* Can. 8.

6 *Illud quoque flagitamus.*] Hinc alia eiusdem Ludovici constitutio, lib. 5. cap. 179. Placuit ut monachi & presbyteri, *&c. De monachis & clericis qui passim palatium adeunt.* Can. 14.

7 *Iterum suppliciter.*] Extat etiam Ludovici de hoc capite constitutio lib. 5. cap. 180. Volumus atque præcipimus, *&c. Ut non sit sanguinis Christianorum temeraria effusio.* Can. 17.

8 *De abbatibus vero.*] De hoc rursum capite sanxit Ludovicus libro 5. cap. 181. Abbatibus, canonicis, *&c.* omnimodo præcipimus, *&c.* Can. 18.

9 *Postulamus etiam*) Huc pertinet lib. 5. cap. 182. quo sanxit Ludovicus, ut capellæ absque permissu episcopi non fiant. Can. 19 20.

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Concilium.*) Eginhartus lib. 3. cap. 13. refert quod in translatione sanctorum martyrum Marcellini & Petri, post multa alia miracula, quæ præcedentibus octo capitibus descripsit, præter omnem expectationem puella quædam arreptitia exorcizanti presbytero Latine loquenti Latine responderit. Quod cum ille miraretur, atque interrogaret, unde illi Latinæ linguæ notitia, & qua patria, qua gente nata esset, dæmon per puellam sic respondit. *Ego, ait sum satelles & discipulus Satanæ, & multo iam tempore apud inferos ianitor fui. Sed modo per annos aliquot cum sociis meis undecim regnum Francorum vastavi, frumentum & vinum & omnes alias fruges quæ ad usum hominum de terra nascuntur, iuxta quod iussi eramus, enecando delevimus, pecora morbis interfecimus, luem ac pestilentiam in ipsos homines immisimus, omnes quoque adversitates & cuncta mala, quæ iamdiu pro meritis suis patiuntur, nobis facientibus, atque ingerentibus, iis acciderunt. Cumque presbyter ab eo quæreret, quanam de causa iis huiusmodi potestas concessa fuisset: Propter malitiam, inquit, populi huius, & multimodas iniquitates eorum qui super eum constituti sunt, qui munera & non iustitiam diligunt, qui plus hominem quam Deum metuunt, qui pauperes opprimunt, viduas ac pupillos ad se vociferantes audire nolunt, nulli iustitiam nisi mercanti faciunt. Præter hæc sunt & alia multa atque innumerabilia, quæ tam ab ipso populo, quam a rectoribus eius quotidie committuntur ut sunt periuria, ebrietates, adulteria, homicidia,* &c. Qua occasione hæc synodus celebrata.

Et cum presbyter imperando urgere cœpisset, ut exiret: Exibo, inquit, non propter tuum imperiū, sed propter sanctorum potestatem, qui me in illa diutius permanere non permittunt. His dictis puellam in pavimentum proiecit, atque ibi aliquantulum velut dormientem prono corpore iacere fecit. Post paulum vero illo recedente, quasi de somno evigilans, per virtutem Christi & merita beatorum martyrum puella cunctis qui aderant cernentibus sana surrexit, nec post exactum a se dæmonem Latine loqui potuit, ut palam posset intelligi, non illam per se, sed dæmonium per os eius fuisse locutum Hæc Eginhartus.

Quæ cum tunc omnium ore vulgata imperatoris etiam aures penetrassent, ille ex serpentis veneno antidotum præparans, ad expianda peccata per universum regnum publicum indixit triduanum ieiunium, atque preces; edictoque illo, quod in principio huius concilii habetur, promulgato mandavit, ut ad correctionem morum depravatorum quatuor diversis in locis per Gallias quatuor diversa concilia Parisiis, Moguntiæ, Lugduni & Tolosæ celebrarent: ea spe regis, ut numine divino hac ratione placato, omnia flagella a subdito sibi populo auferrentur. Obtemperantes Acta concilii quæ. Galliæ episcopi convenerunt, imprimis in urbe Parisiorum, ibique hac synodo celebrata duos canonum libellos conscripserunt: quorum primo egerunt de causis ad religionem

ANNO CHRISTI 829.

gionem Christianam curamque pastorum pertinentibus, deque iis peccatis & vitiis; quæ ecclesiastici summa diligentia evitare & emendare deberent. In secundo autem libro specialiter ediderunt canones regum, principum; omniumque fidelium mores & vitam concernentes, quorum intuitu cognoscerent, quid ad peccata expianda & numen Dei placandum ipsos agere quidve omittere oporteret.

De rebus in concilio gestis scripserunt ad regem synodicam epistolam, qua occasio & acta concilii summatim & breviter recensentur: addiderunt eidem appendicem quamdam capitulorum ea intentione, ut regem sui officii & de commissis peccatis quasi per transennam admonerent, quem metu offensæ incurrendæ speciali scripto hortari verebantur.

Quo tempore habitum.

b *Anno Christi* 829.) De tempore huius concilii circa finem præfationis ista leguntur. *Anno incarnationis Domini* 829. *imperantibus iisdem præcellentissimis ac gloriosissimis ac Deo dilectis Augustis Ludovico videlicet, filioque eius Lothario sub die octavo Iduum Iuniarum, nos indigni episcopi*, &c. Cum assignato anno Redemptoris, Gregorii papæ IV. secundus, & sextusdecimus Ludovici coincidunt.

PSEVDOSYNODVS CP. IN BLACHERNIS.

*** EX LIBELLO SYNODICO.

ΞΙΦΕΙ δὲ κυνοξόπως τοῦ ἀληθῶς κυνολέοντος τῷ θανάτῳ προσομιλήσαντος, καὶ Θεοδότου πρὸς ᾅδην χωρήσαντος· Μιχαὴλ ὁ τραυλὸς, τοῦ μὲν τὴν βασιλείαν· τοῦ δὲ τὸν θρόνον, Ἀντώνιος μοναχὸς μονῆς τῶν Μητροπολιτῶν ἡγούμενος, διεδέξατο· Πέργης τῆς Παμφυλίας προγεγονὼς καθῃρημένος ἐπίσκοπος. Καὶ Θεόφιλος υἱὸς Μιχαὴλ αὐτοκράτωρ γενόμενος, τελευτήσαντος Ἀντωνίου, τὸν λεκανομάντην πρόεδρον Ἰωάννην προχειρισάμενος, μειζόνως τοῖς εὐσεβέσι τὸν διωγμὸν ἀνεῤῥίπισε· καὶ ἄθεον ἐν Βλαχέρναις κατασκευάσας συνέδριον, τοὺς προσκυνητὰς τῶν σεβασμίων εἰκόνων ἀνεθεμάτισε.

CVM autem Leo, quem Canem potius quis vere nominarit, canis instar, gladio interemptus mortis viciniæ commigrasset, & Theodotus ad infernum côcessisset: illi quidem in imperio Michael Balbus, huic autem in solio Antonius monachus, monasterij Metropolitarum præfectus successit: cum quidem prius Pergæ Pamphyliæ episcopus factus locoque motus fuisset. Theophilus autem Michaelis filius, imperium adeptus, mortuo Antonio, Ioannem, qui pelvi inspecta divinare soleret, solio præfecit, & maximam adversus pios persecutionem commovit: ac impiam in Blachernis synodum congregans, adoratores sacrarum imaginum anathemati subjecit.

ANNO CHRISTI 829.

CONCILIVM VVORMATIENSE,

IN QVO SANCITA SVNT CAPITVLA REGIA

de his quæ episcopi in quatuor synodis nuper invenerant, mense Augusto præsente sedis apostolicæ legato habitum, anno eodem DCCCXXIX.

SYNODI *hujus, sed paucis, meminere annales incerti* DCCCXX X. *Auctor etiam vitæ Ludovici de ijs quidem quæ visa sunt studiose in ea tractatum docet; quibus vero de rebus actum sit non declarat. Quare ab Hincmaro petenda est uberior narratio, cuius hæc sunt verba de divortio Hlotharij & Tetbergæ, in resp. ad interrog.* v. Nostri etiam ævi Augustus piæ memoriæ Hludouvicus in synodo ac placito generali apud Vvormatiam, apostolicæ sedis & papæ Gregorij commeante legato, cum aliis plurimis, de his quæ episcopi in synodis per quatuor loca sui imperij habitis necessario & utiliter nuper invenerant, de hac unde agitur causa, omnium tam episcoporum, quam & fidelium laicorum, votis conuenientibus ita decernens: Quicumque, inquit, propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit uxorem, armis depositis publicam agat pœnitentiam: & si contumax fuerit, comprehendatur a comite, & ferro vinciatur, & in custodiam mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur. *Quibus ex verbis id liquet, quod jam superius est observatum, sancita Vvormatiæ in hac synodo fuisse a Hludouvico tripertita illa capitula, quæ in tertio eius capitulari continentur: ubi & capitulum ab Hincmaro laudatum videre est*: De vxore propria dimissa vel interfecta. *Possunt ergo & ad synodum istam pertinere videri capitula alia, quæ post synodum Parisiensem a Ludovico edita, in Benedicti Levitæ collectione, additionibusque annexis, non expresso eius nomine occurrunt, quorum nonnulla suis in locis annotavimus.*

ANNO CHRISTI 829.

ANNO CHRISTI 830.

*** SYNODVS LVGDVNENSIS

PROVINCIÆ LINGONIS HABITA.

In qua Albericus Lingonensis [illegible]piscopus côfirmanda curavit quæ monasterio sancti Petri Bezuensis donaverat anno Christi DCCCXXX. Ludovici imp. XVII. indictione VIII.

QVANTAQVE[a] cura, memor iuramenti & promissionis hoc monasterium reparaverit, melius ipsa opera quam verba testantur. Monachos ex monasteriis sumptos adunavit, abbatem præfecit, & non solum res ad ipsum monasterium pertinentes restituit, sed & alias res de episcopatu ecclesiæ suæ, cum concilio synodi provincialis, & consensu ecclesiæ suæ subiecit. Hic itaque Albericus episcopus timens quod experimento didicerat de eodem Besuensi monasterio, ne de rebus quas ei donaverat per successorum pravam persuasionem iterum spoliaretur, studuit non tantum sua, sed etiã regali authoritate confirmare quæcumque ad præsens sua vel in posterum aliorum fidelium munificentia possideret. Adiit itaque Ludovicum imperatorem & super hac re regale præceptum quæsiuit. Annuit imperator, & sicut scriptum est infra sua auctoritate confirmavit.

[a] Autem studio quãtaque.

** Ex chronico Bezuensi edito a D. Luca Dachenio O.B. p. 506. tomi I Spicilegij

Albericus episcopus Lingonensis, Besuense monasterium instaurat.

Præceptum Hludouvici imperatoris.

In nomine domini Dei & salvatoris nostri Iesu Christi, Hludouvicus & Hlotarius divina ordinante providentia imperatores Augusti. Si petitionibus servorum Dei iustis & rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non diffidimus. Proinde comperiat omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet ac futurorum solertia, quia suggessit mansuetudini nostræ vir venerabilis Albericus Lingonensis ecclesiæ præsul, qualiter quandam abbatiam, cuius vocabulum est fons Besuus, ex rebus videlicet episcopatus sui, ubi quondam monachi regulariter viventes fuerant, sed moderno tempore penitus erat destructa, a fundamentis reædificavit, ædificia congrua construxit, monachos adunavit, abbatem etiam nomine Seraphim præfecit. Et ut monachi in eodem loco domino adiuvante congregati melius & liberius sub norma sanctæ regulæ Deo militarent, non solum res quæ ad prædictam abbatiam legaliter pertinebant, ibi reddidit, sed etiam alias res de præfato episcopatu ibidem subiecit; sed & constitutionis cartulam,

ANNO CHRISTI 830.

lam, quam ipse una per consensum metropolitani sui Agobardi archiepiscopi, & suffraganeorum suorum, necnon & cleri sibi subiecti & quorumdam laicorum nobilium confirmaverat, nobis ostendit, in qua plenius conscriptum erat, non solum res ad iam dictam abbatiam legaliter pertinentes ibi reddidisse, verum etiam ei quasdam res de memorato episcopatu suo ibidem subiecisse. Quarum hęc sunt nomina: Pauliacum cum appendiciis suis; Bellenavum vicum cum suis appendiciis, arconem cum appendiciis suis. Istas villas cum omnibus adiacenciis, seu & omni re superposita, campis, pratis, sylvis, pomiferis, pascuis, accessibus, aquis, aquarumque decursibus, & omnes redditus, totum ad integrum, una cum mancipiis, libertis, cum omni peculio ipsorum, una cum accolabus dedit ad servitium monachorum iure perpetuo ad possidendum. Ecclesiā etiam, quæ est in ipsa Bellenavo villa, in honore sancti Stephani, prorsus ab omni consuetudinali exactione liberrimam. Ecclesiam quoque de villa quæ dicitur Dambrum cum appendiciis suis, & villam Danblim cum ecclesia & omnibus appendiciis suis. Item ecclesiam de villa quæ dicitur S. Sequani cum appendiciis suis: Et ecclesiam de villa Morniaco cum omnibus ad eam pertinentibus. Necnon ecclesiam, quæ est in valle Verona in honore sancti Mauricij. Ecclesiam de villa Beria in honore sancti Laurentij cum omnibus appendiciis suis. Præterea in territorio Divionensi decimas illarum vinearum, quas donaverat huic Ecclesiæ domnus Amalgarius dux & fundator huius sacri cœnobij. Apud villam quæ dicitur Fiscinis vinearum non modicam quantitatem, cum pratis & & campis & servis & ancillis ad ea excolenda. Et in villa Fisciaco vineas similiter: & in Marcennaco similiter. Horum omnium facta donatione, precibus quibus valuit exorans nostram clementiam, ut super eandem constitutionem nostram authoritatem firmitatis gratia mererentur habere, qualiter prædictus locus, quem pro divino amore, & nostra eleemosyna restauravit, & monachos ibi congregavit, qui pro nobis ex cuncto populo nobis subiecto perpetim domini misericordiam exorent, nostra authoritate confirmatus esset. Videlicet ut si cuilibet successorum eius animo sederit, ut alias res ibi superaddere velit, in suo jure & potestate, salua discretionis ratione, id faciendi permaneret. Sin autem, sua devotio, quæ per consilium tantorum bonorum virorum facta & confirmata est, nostro liberalitatis præcepto firma & stabilis permaneret. Cuius petitionem dignam ac rationabilem iudicantes, hos nostros imperiales apices fieri jussimus: per quos decernimus atque jubemus, ut memoratus ordinationis modus, quem prædictus venerabilis Albericus episcopus in præfato loco constituit, inviolabilis permaneat, & nullus rector qui in eodem loco successerit, licentiam habeat præscriptum ordinem permutare, aut res quas ibi reddidit, sive subiecit, ullomodo auferre. Sed eius constitutio per hanc nostram confirmationem firma & stabilis permaneat. Et ut hæc authoritas confirmationis nostræ per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, de annulo nostro subter illam iussimus adsignari.

Signum Hludouici imperatoris.
Signum Hlotharij filij eius.

Actum anno ab incarnatione domini octingentesimo xxx. indictione VIII. Epacta XV.

Suscepta deinde regali authoritate Albericus episcopus, confirmatisque, ut prædiximus, rebus, rediens domum, ut præsentibus notum atque futuris fieret, propriam inde conscriptionem fecit, in qua omnia quæ huic cœnobio donaverat, quæque in posterum futurorum fidelium largitate donanda sperabat, inserens, sic ait.

Carta domini Alberici episcopi.

In nomine domini nostri Iesu Christi, notum sit omnibus fidelibus sanctę Dei ecclesię, quod ego Albericus dono Dei episcopus Lingonensium reperi locum iam dirutum, quod dicitur Fons Besuus, in honore constructum sanctorum apostolorum Petri & Pauli, necnon & aliorum, ubi iam olim monachi regulariter Deo famulati fuerant, sub Amalgario Duce, permittente Clotario rege. Ideoque ob amorem Dei & veniam delictorum meorum, Deo inspirante, cogitavi reædificare supradictum locum, permittente gloriosissimo Augusto Ludovico, & consentiente piissimo filio eius Lothario imperatore, congregavi ibi monachos sub abbate nomine Seraphim, qui regulariter degerent, & Deo in perpetuum fideliter deservirent. Concessi enim eis quicquid supradictus locus per cartarum donationem assecutus est, & quicquid nostri prædecessores de hoc loco abstraxerant, propter eleemosynam supradicti principis, eiusque filiorum libentér restauravi. Ideoque per consilium archiepiscopi nostri Agobardi, & consentientibus coepiscopis nostris, necnon & piissimis nostris Principibus, seu omni clero, necnon & omnibus fidelibus ecclesiæ nostræ, addidimus de episcopatu nostro villas his nominibus: Pauliacum cum appendiciis suis, Bellenavum vicum cum suis appendiciis; Arcionem cum appendiciis suis. Istas villas cum omnibus adjacentiis, seu & omni re superposita, campis, pratis, sylvis, pomiferis, pascuis, accessibus, aquis, aquarumque decursibus, & omnes redditus, totum ad integrum una cum mancipiis, libertis, cum omni peculio ipsorum, una cum accolabus, dedi ad servitium monachorum, iure perpetuo ad possidendum. Ecclesiam quæ est in ipsa Bellenavo villa in honore sancti Stephani, prorsus ab omni consuetudinali exactione liberrimam. Ecclesiam quoque de villa quæ dicitur Dambrun, cum appendiciis suis, & villam Trescasas cum ecclesia & omnibus appendiciis suis. Item ecclesiam de villa quæ dicitur sancti Sequani cum appendiciis suis: Et ecclesiam de villa Morniaco cum omnibus ad eam pertinentibus: necnon etiam ecclesiam quæ est in valle Verona in honore sancti Mauricij, & ecclesiam de villa Beria in honore sancti Laurentij, cum omnibus appendiciis suis. Præterea in territorio Divionensi decimas illarum vinearum, quas donaverat huic ecclesiæ dominus Amalgarius dux & fundator huius sacri cœnobij. Apud villam quę dicitur Fiscinis vinearum non modicam quantitatem, cum pratis & campis, & servis, & ancillis ad ea excolenda. Et in villa Fisciaco vineas similiter. Et in Marcennaco similiter in substantiam monachorum, & alimoniam pauperum, & ut ibidem delectetur servis Dei domino servire, & pro rege ejusque conjuge, & liberis ipsius, & totius imperij ejus stabilitate, jugiter domini misericordiam implorare. Ea videlicet ratione hoc constituimus, ut semper subjectus sit jamdictus locus ecclesiæ sancti Mammetis, & ut nec ego ipse, nec ullus de successoribus meis hanc conscriptionem violare præsumat, domini imperatoris

ANNO CHRISTI 831.

ris confirmationem in ea fieri postulavi. Actum Lingonis civitate publica.

In Christi nomine Agobardus Lugdunensis ecclesiæ Archiepiscopus subscripsi.

Angericus episcopus subscripsi.

Albericus episcopus a me facta subscripsi.

al. Fova. In Christi nomine Faova Cabilonensis subscripsi.

Modoinus Augustudunensis subscripsi.

Vvinitarius indignus abbas Calticensis subscripsi.

Audinus indignus chorepiscopus subscripsi.

Motuinus indignus presbyter subscripsi.

Hiltibaldus Matiscensis episcopus subscripsi.

Ragenardus presbyter subscripsi.

Ego in Dei nomine Iacob licet indignus chorepiscopus subscripsi.

Sigoaldus, presbyter subscripsi.

Vvoanilo presbyter subscripsi.

Adalbertus presbyter subscripsi.

Simeon presbyter subscripsi.

Vnricus diaconus subscripsi.

Baius diaconus subscripsi.

Beatus diaconus subscripsi.

Fridericus subscripsi.

Teuthmarus subscripsi.

Rogenaldus subscripsi.

Signum Humberti.

Signum Hiltanni.

Signum Bertardi.

Signum Fulcrini.

Signum Eruic.

Signum Radaldi.

Betto subscripsi.

Bernorogitus subscripsi.

Ragnoardus subscripsi.

Bavo subscripsi.

Ragenardus subscripsi.

Hilpericus subscripsi.

Hildigisus presbyter subscripsi.

In Christi nomine Bernardus archiepiscopus subscripsi.

Godelsadus abbas subscripsi.

Birico acsi indignus Levita subscripsi.

Actum anno ab incarnatione domini octingentesimo xxx. indictione VIII. epacta xv. XII. Calend. Decemb. anno Christi propitio " XIV. imperij domini Ludovici imperatoris, & Lotharij Augusti filij eius " VI.

" seu, 17.
" VIII.

" ** CONVENTVS EPISCOPORVM APVD NOVIOMAGENSE PALATIVM ad Vahalim situm, in quo depositus fuit Iesse Ambianensis episcopus majestatis reus anno Christi DCCCXXXI. Ludovici Pij XVIII.

ANNO DCCCXXXI. *inquit auctor annalium Fuldensium ut vocant*, pervenit dominus imperator ad Noviomagum Castrum, quod situm est super fluvium, qui dicitur Vahalia, & multitudo hominum ex omnibus regnis suis venit ad eum, inter quos venerunt Hilduimus archicapellanus & Iesse Ambianensis, Hugo & Matfridus, cum multis aliis perfidis, qui voluerunt dominum imperatorem de regno expellere " *quos superavit dominus imperator, & dimisit eos atque commendavit, & Lotharius filius ejus cum juramento fidelitatem promisit, ut posthac numquam talia committere debuisset.. Et ibi Iesse justo judicio episcoporum depositus est*: Sed aliquanto post ipse Ludovicus iterum revocavit eum in gradum pristinum, nullumque ex reis majestatis permisit occidi: sed usus, ut multis visum est, leniori, quam debuit, pietate, sibi tamen consueto benignitatis & clementiæ more, laicos quidem præcepit locis opportunis attonderi, clericos vero in convenientibus itidem monasteriis custodiri.

" Hæc verba mutuatus est anonymus ex Thegani cap. 37.

LVDOVICI PII IMPERATORIS DIPLOMA.

" ** De ordine monastico in monasterio sancti Dionysij per Aldricum Senonensem & Ebbonem Remensem metropolitas eorumque suffraganeos episcopos eius auctoritate restituto, anno, ut mihi quidem videtur, 829. quo Parisiis celebratum est concilium ab iisdem una cum Ragnoardo, Lantranno, &c.

In nomine domini Dei & salvatoris nostri Iesu Christi, Hludouvicus divina ordinante providentia imperator Augustus.

DIVINIS præceptis & apostolicis monitis incitamur, sed & imperatorij regiminis officio commonemur, ut pro ecclesiæ statu, atque sanctæ religionis augmento, impigro semper vigilemus affectu, ac pernecessario seu fructuoso studiosoque laboremus effectu, & si quid usquam reprehensioni invenitur obnoxium, regiæ auctoritatis solicitudine corrigamus: quatinus avia revocantes, superflua amputantes, collapsa quoque reparemus, atque reparata, & ab ecclesiasticis viris apostolorumque domini successoribus Spiritu sancto regente bene statuta, edictis imperialibus confirmemus. Quia dignum profecto est, ut quod sacerdotalis dignitas divino illuminata spiritu corpori Christi, quod est ecclesia ejusdem Dei ac domini & salvatoris nostri redempta sanguine, adinvenit in salute, vel reformata statuit in religionis augmento, id imperialis maiestas inviolabiliter permansurum in perpetuum potestatis suæ studeat roborare præcepto. Quoniam quidquid in hujusmodi negotiis laboratum, seu pio cultui a nobis fuerit dedicatum, hoc procul dubio nostræ mansuetudinis regno & populo regendo credimus specialius profuturum. Idcirco notum esse volumus omnibus fidelibus, præsentibus scilicet & futuris, quia postquam Deo auspice imperium paternum suscepimus, studij nobis maxime semper fuit ut domini ecclesia, eius magnificentia humilitati nostræ divinitus regenda tuendaque commissa, felicibus polleret successibus, eamque, quantum nostræ attinet Augustæ devotioni, incessanter ad meliora provehere, & ab illa quidquid noxium erat eradicare, atque in ea incrementa virtutum plantare. Quapropter sæpissime sacerdotes domini, quorum id officij esse noveramus, admonere curavimus, ac nostram principalem auctoritatem adiutricem ad eorum ministerium iuxta voluntatem Dei exequendum prompte exhibuimus: ut quidquid in ordinibus ecclesiasticis, vel in quacumque persona emendatione dignum invenirent, pastorali auctoritate, postposita qualibet corporis negligentia, vel personarũ acceptione, incunctanter corrigere, & ad statũ rectitudinis perducere decertarent. Verum cum ipsi nostra sedulo exhortatione admoniti, suaque soliciti vigilantia de statu & profectu sanctę ecclesiæ, & sacris ordinibus, & iis quæ

ANNO CHRISTI 832.

anno 829. le quo paulo antea plura.

Dagoberto, Pipino, Carolo, &c.

iis quę emendatione digna videbantur, conventum apud " Parisios iussione nostra habito, strenua & devota perspicacitate tractarent, inter cetera visum est illis, ut monasterium praeclarissimi & eximii Christi martyris beati Dionysii sociorumque eius, quod constat tantorum martyrum nomine Deo dedicatum, & a regibus " Francorum progenitoribusque gloriae nostrae amplissimis rebus ditatum, quo in eo monasticus ordo religiose Deo deserviret, magna emendatione & correctione opus haberet, quoniam ab eo idem ordo ad multorum discrimen nulla necessitate praepediente, nullius rei inopia obsistente, penitus erat avulsus. Quam causam tam per se, quamque & per venerabilem prudentemque virum Hilduinum, memorati monasterii religiosum abbatem, nostrae serenitatis auribus intimaverunt, uti nostra piissima imperiali potestate per eorum auctoritatem corrigeretur. Vnde dignitas imperii nostri tantorum virorum saluberrima admonitione, & eiusdem venerabilis abbatis Hilduini preces humillimas more tranquillitatis nostrae solito gratanter benigneque suscipiens, atque in omnibus emendabile iudicans, ne tanti ordinis collapsio salutis nostrae quoquomodo fieret damnatio, ad eosdem praesules ecclesiarum idem censuimus referre negotium: ut nostri principatus auctoritate eorumque iudicio, quibus tanta est collata potestas a domino, idem ordo in eodem loco absque retractatione restitueretur. Veniens ergo " Aldricus metropolita Senonicus cum suffraganeis suis, nec non & Ebbo metropolita " Durocortorum cum suis suffraganeis ad memoratum monasterium, " habito conuentu, primum quod idem monasterium ordini monastico constructum, dedicatum, & rebus ditatum fuit, & in eo ipse ordo, usque ad tempus quo sceptra imperialia superna largiente gratia clementia nostra suscepit, & supra memorati Hilduini abbatis praelationem, ibidem utcumque viguerit, manifestis indiciis, regumque antiquis & modernis praeceptis, & episcoporum privilegiis, ac fidelium donationibus, palam cunctis est factum. Deinde diligentem inquisitionem fecerunt super iis qui in eodem loco regularem promissionem fecerant. Ex quibus quidā, qui eamdem professionem fecerant, desertores eiusdem propositi effecti, rebus humanis iam erant exempti, quorum perditio non sine magno animi ferri potest moerore. Quidam etiam non eamdem professionem se fecisse mentiti sunt: sed testibus patentibus convicti, pro sua contumacia canonicae poenitentiae sunt subacti. Quidam vero, imo maxima pars, qui hactenus in apostasiam prolapsi fuerant, coram venientes, soloque se prosternentes, confessi sunt eamdem professionem in eodem loco regulariter se promisisse, suique misereri, & a domino veniam pro tāto admisso dari humiliter flagitavere. Qua confessione facta, cucullis sui propositi coram coetu episcoporum, & ceterorum sacerdotum, cunctique sequentis ordinis cleri nobiliumque virorum, non modica circum assistente turba, se induerunt: atque in commune, ne aliquando, sicuti sibi aliisque iam in eodem loco contigerat, sanctae professionis proposito diabolico propulsarentur instinctu, regularem promissionem iteraverunt. Pars denique quaedam eorum, illi scilicet qui divinae inspirationis munere acti, & amore devincti, in sanctae religionis proposito apprime, absque ulla refragatione vel interpolatione, elegerunt viriliter permanere, & in cella eiusdem maioris monasterii, postquam ceteri monasticam vitam & habitum deseruerunt, usque ad hanc nostrae demandationis habitam synodum degere, ante iam memoratos venerabiles patres venerunt, locumque pristinum, in quo promissionem fecerant, & regulariter licet minus perfecte vixerant, sibi, & se petierunt loco restitui. Quorum semotio ob id acciderat, quoniam, vt praediximus, mox ut divina dignatio nos paterna sede suscepta imperialibus sceptris inniti voluit, piae intentionis nostrae folicitudo exequi procuravit, ut religio, decor, & omnis honestas a domno & genitore nostro divae memoriae Carolo coepta & instituta liquido & veraciter, remota omni simulatione, in propriis quibusque maneret & vigeret ordinibus. Vnde ad monasticae institutionis normam corrigendam, duos religiosos & venerabilis vitae viros Benedictum & Arnulfum abbates constituimus, qui per nostrum a Deo gubernandum & conservandum imperium seduli huic negotio studiose insisterent. Iidem vero boni & devoti, sed simplicissimi patres, supradictorum fratrum calliditate & duritia, suaque simplicitate abducti, non studio, sed minus subtili & necessaria inuestigatione seu providentia fallentes, eos qui in soliditate suae professae salvationis perduraverunt a monasterio removerunt, atque in memorata cella collocaverunt; & illos qui propriae voluntatis libitus non virtute, sed versutia quaesierunt, ac collo de sub iugo regulae excusso, loro disligatioris vitae soluti, ampliori itinere caelestem patriam petere sunt conati, in domiciliis reverendi habitus & vitae monasticae reliquerunt. Sed laudabilius hi patres ecclesiae auctoritate sua dignae petitioni fratrum, quos in suae religionis virtute diximus permansisse, quia sic nostri assensus iussio fuerat, annuentes rationabiliter & canonice satisfecerunt. Et ob suggestionis notitiam, ut nostrae panderetur celsitudini, qualiter vel quo ordine tam deuotissimum factum ab iisdem religiosissimis viris sit celebratum, duas super hociure pari tenore conscriptiones fecerunt, easque manibus firmaverunt propriis, ut altera earum in archivo ipsius monasterij ;ob memoriam & stabilitatem inibi huius ordinis per futura tempora servaretur; alteram nostrae magnitudini direxerunt, ut illam palatinis scriniis iuberemus recondi, ob monimentum videlicet, & istius recte facti perpetuam firmitatem. Sed cum idem ordo Deo annuente, quantum divinitus videri dabatur, in eodem loco feliciter incederet, antiquus salutis humanae inimicus, quosdam ex ipsis fratribus sua organa efficiens, adeo insidiarum suarum furiis exagitavit, ut conspiratione & coniuratione facta, & propositum monasticum abnegarent, & sine licentia sui abbatis eorum legati dignitatis nostrae dominationem adirent, & molestiam super hac ratione, contra canonicam & propositi sui institutionem, serenitatis nostrae auribus inferre praesumerent: offerentes nobis tomum in accusationem & blasphemiam episcoporum, qui se de apostasia, in qua versabantur, paterna solicitudine nostra auctoritate correxerant, & ad propositum quod abdicaverant redire suaserant, addentes etiam in eadem schedula alia quae digna non sunt imperialibus nostris scriptis inserī. Porro a nostra solertia auditis eorum querimoniis, supra memorato venerabili viro Hilduino nostra iussit clementia, ut eosdem episcopos, contra quos querebantur, nec non & alios ab accusatione immunes, iussione nostra ad ipsum venire mandaret monasterium. Et quia ad nostram notitiam ipsi fratres suos misere clamores, unde nihil ambiguum & sine iustae definitionis decreto fas est abscedere, complurium episcoporum diligenti examine rem reventilari, & canonice definiri, & consopiri praecepimus:

Suffectus Ieremiae mortuo VII. Idus Decembris anni 828.

Remos intelligit.

Qui videtur appendix quaedam conci. Parisiensis, in quo de ea reformatione erat actū.

ANNO CHRISTI 832.

Anno Christi 832.

cepimus: non quasi de præfata memoratorum patrum sententia, quæ excellentiæ nostræ bene per omnia manebat cognita, vel in aliquo hæsitantes; sed ut maior domino Deo nostro de proculcato hoste, qui iam dictos excitaverat fratres, triumphus fieret, & in eodem loco firmiori, quia iterata, stipulatione idem ordo confirmaretur: & quoniam super pastores ecclesiæ dignitati nostræ imperiali quæcumque ingerebatur accusatio, non sine certo & rationabili obliteraretur iudicio. Qui ad condictum tempus & diem ad suprascriptum venere monasterium, & ipsis accusatoribus, cum scripto quod clementiæ nostræ obtulerant, coram exhibitis, cuncta quæ in eorum accusatione dixerant vel scripserant falsa esse veris assertionibus idoneisque prolatis testibus probaverunt, sicut ex ordine in scripto manifestatur, quod ex hac causa, & secunda constitutionis nostræ synodo, archivo nostri palatii, cum chartulis quę nomina testium continent, qui utrisque conventibus interfuerunt, directum ob gestorum memoriam conservatur. Vnde aliud etiam ab ipsius monasterii scriniis retinetur. Ipsi de cetero fratres, respectu divino processu temporis corda illorum tangente, propositi sui strenui, & præteritarum negligentiarum pœnitentiæ devoti executores effecti, consensu salubri atque prudenti, tres chartulas conscripserunt: ut una earum ad caput gloriosissimorum Christi martyrũ fieret, altera regiæ dominationis nostræ custodia servari demandaretur, tertiam vero ipsius monasterij abbas haberet, in quibus se a beato patre Benedicto, Spiritu sancto docente, descriptam regulam sunt servare velle professi: & unusquisque eorum nomen proprium cum gradu & monachi appellatione eisdem chartis subterfirmavit. Quarum unam benignitatis nostræ præsentiæ exhibuerunt, humiliter postulantes, sicut & sępe memorati venerabiles patres, a quibus synodales definitiones celebratæ sunt, auctoritatem nostram sedulo petierunt, quatenus hoc, quod tam subtili & diligenti investigatione inventum, & iusta ratione definitum, seu salubri restitutione reparatum, atque canonica auctoritate statutum esse dignoscitur, amplitudinis nostræ privilegio scriptis imperialibus confirmaremus, ut quod canonicà docet auctoritas, & vota regum cunctorumque fidelium, qui ipsum locum propter monasticum ordinem ibi servandum rebus suis ditaverunt, demonstrant, cum nequaquam ab eo sine periculo & regis & regni possit avelli, nostra imperialis potestas confirmatione provideat, ne ex eodem loco modernis futurisque temporibus idem ordo destituatur: sed potius Christo domino largiente ad cumulum mercedis nostræ, coniugis quoque & prolis, eorumque salutem, quorum post tantum lapsum reparatio facta est, nec non & eorum, per quos, Deo annuente, nostra auctoritate eadem reparatio celebrata est, simul & illorum informationem, qui post ad monasticum ordinem domino inspirante ad eumdem confluxerint locum, remota omni simulatione semper in eodem monasterio regularis ordo permaneat, floreat, & felicibus successibus Deo opem ferente polleat. Et ut hæc auctoritas, quam ob Dei amorem, & animæ nostræ, coniugis, & prolis, ut prædiximus, salutem, atque imperij nostri statum constituimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconvulsa valeat perdurare, duas inde pari tenore conscriptas firmationes fieri iussimus: ut una imperialis aulæ reconditorio palatinis salvetur excubiis; altera ab ipsius monasterij custodibus in perpe-

Anno Christi 833.

A tuum diligenti cura debeat provideri, easque manus nostræ subscriptione subterfirmavimus, & annulo nostro sigillari iussimus.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Hirminmarus notarius ad vicem Theodonis recognovit.

Data septimo Kalendas Septembris, anno Christo propitio decimo nono imperij domni Ludovici serenissimi imperatoris, indictione decima. Actum in monasterio sancti Dionysij, in Dei nomine feliciter Amen.

Observatio Philippi Labbe S. I.

Anonymus vitæ Ludovici auctor, eumque secuti annales Fuldenses a P. Pithæo primum editi testantur anno B Christi DCCCXXXIII. Vormatiam venisse Ludovicum imperatorem initio quadragesimæ (mense Martio non Maio legendum esse cẽseo in vita ab eodem Pithæo, Duchesnio, aliisque publicata ut omnia sibi examussim respondeant) ibique uxore revocata atque exercitu congregato contra filios suos (cum diu quid agendum foret deliberasset) in Alisatiam profectum fuisse. Adfuisse quoque complures episcopos certum est cum Bernardo, quibus Aldricus privilegium suum obtulit, eorumque subscriptionibus muniendum curavit. Neque tamen velim existimes, omnes qui modo subscripti privilegio reperiuntur Episcopos, præsentes tum Vormatiæ extitisse: quod enim in aliis factum esse observavimus, idem huic quoque chartæ contigit, ut & aliis successu temporis ac veluti per vices succedaneas obsignãda traderetur. Certe qui hic extra ordinem numeratur, atque indignus dumtaxat episcopus dicitur Stephanus Bituricensium Metropolita Ajulfo Theodulfi C Aurelianensis amico & Ebonis Remensis confessori, anno demum 836. certe post 835. successit: neque, quod plurimos hactenus fefellit, ante illum annum Bituricenses infulas gestavit. Illud denique quod jam in synopsi nostra Historica ante aliquot annos monueram, verissimum esse nuncquoque censeo, characteres additos diplomati Ludovici imperatoris designare diem 16. Novembris anni 834. indictione XIII. jam à mense Septembri inchoata.

** CONVENTVS VORMATIENSIS

Anno Christi DCCCXXXIII Ludovici Pij Imperatoris XX. in quo abbatiæ S. Remigij Senonensis ad Varellias transferendæ ab Aldrico archiepiscopo concessum privilegium, & a Iacobo Tavello, Luca Dacherio, aliisque relatum, perhibetur, confirmatum fuisse a pluribus episcopis atque abbatibus.

D *Dominis sanctissimis & reverendissimis fratribus & coëpiscopis, religiosissimis quoque, & venerabilibus abbatibus in ditione domini imperatoris Hlotharii serenissimi Augusti constitutis, Aldricus minimus servorum Christi famulus, sanctæ Senonicæ ecclesiæ archiepiscopus.*

Optime venerabilis & Deo devota sanctitas vestra novit, quanta sit cura & sollicitudine commissum nobis pastorale regimen tuendũ atque tractandum. Cùm simus igitur in specula ecclesiæ constituti, & viam cæteris per quam ingredi ad vi- E tam debeant, debeamus ostendere, quantum posse & intelligere divina clementia dederit, satagendum est ea quæ nobis commissa sunt secundum Dei voluntatem provide prudenterque tractare, ut non solum tantum quæ dum advivimus in præsenti tempore nostris valeant prodesse subiectis, verum etiam & in perpetuum illis prospecta proficiant, qui in locis divino cultui mancipatis, nostræq; solertiæ ad regendum pro temporis necessitatibus, victus dico ac vestiměti, solliciti non fuerint, animum libere in divinæ contemplationis specie figere valeant. Cui summo ac salutari bono inhærentes, eo semper suspirant tota spei libertate suspensi, quo se pervenire divina duce gratia ęternæ vitæ præmium iam consecuti gaudebunt. Et tamen cum sciamus ecclesiæ esse oblationes fideliũ, pretia peccatorum, & patri-

& patrimonia pauperum, easque nobis administrandas, procurandas, atque ordinandas suscepisse. Harum rerum administratores nos esse meminisse debemus, & redditus, expensasque earum eis usibus applicare, quorum gratia divinis altaribus allegatæ noscuntur.

Proinde ad sanctitatis vestræ piissimam intentionem perducere statui, qualiter cellas monachorum ecclesiæ episcopii parvitati meæ commissi, id est, cella sancti Remigii concessoris Christi in suburbio civitatis constructa, quæ olim per divisiones prædecessorum meorum tempore fuit disrupta: & ob hanc negligentiam monachi, qui ibidem Deo degere videbantur, propter inopiam & importunitatem loci regulam beati Benedicti, ut debuerant, penitus observare non poterant. Idcirco una cum consilio fratrum nostrorum; canonicorum videlicet & monachorum, nec non & fidelium laicorum, visum est nobis propter importunitatem loci, & monachorum ibidem Deo degentium, præfatam cellam ad Vallículas transmutare, & a fundamento ædificare, quam Rothlaus ob amorem Dei & remedium animæ viri sui Meginarii, sive pro seipsa, suorumque liberorum, ac parentum, ad supradictam cellam beati Remigii per donationis titulum delegavit, vel tradidit: ea videlicet ratione, ut divinus ibi ageretur cultus, & illis pro quorum salute traditum fuerat, augeretur merces. Volumus etiam ut loca, super quæ ædificatum fuit supradictum monasterium, id est, agros, vineas, prata, areas, vel omnia quæ infra muros civitatis habuit, vel extra, absque alicujus diminutione ac impedimento habeant rectores & monachi, ad eorum usus qui ibidem Deo sub norma beati Benedicti degerint.

Hujus itaque rei causa hanc seriem libelli digestam sanctissimo cœtui vestro relegendam, atque vestris subscriptionibus roborandam obtuli, quo statuere per vestram unanimitatem decrevi, ut nullus deinceps episcoporum, quicumque per tempora divina præstante successerint gratia, quicquam de his rebus, quas præsenti tempore memorata cella usibus monachorum attributas possidet, minuere, vel abstrahere, vel aliis usibus applicare, vel beneficii quicquam, vel suorum, vel extraneorum dare præsumat, sed, ut intimatum est, quæcumque nunc temporis retinet per diversa loca, & territoria, usibus monachorum deputata, & quæ a timentibus Deum eidem postmodum fuerint loco collata, absque ulla diminutione vel substractione cellæ & monachis ibidem conversantibus maneant inconvulsæ.

Hæc autem sunt infra scripta loca monachorum stipendiis in memorata cella degentium destinata. Primitus Vallículas, ubi ædificare præfatum volumus monasterium: Staticus cum adjacentiis suis, id est, vetus Ferrarias; & Petra Ursana cum territoriis & sylvis: Chryniacus cum adjacente sibi Hermentaria, cum territoriis & sylvis: Fontanicula cum territoriis; Lausa cum adjacentiis suis, hoc est vico S. Sidronii, cum territoriis & sylvis, & simul latione: Bracciacus cum territoriis: Columbarius cum adjacentiis suis, hoc est, Esthiniacus, Silviacus, & territoria eorum cum sylvis: Villa manesca cum adjacente sibi ponte & territorio: Misceriacus cum adjacente sibi Ternanta; Villa

A nova cum adjacentiis suis, hoc est Cavanarias, & Capotenus: Nocrollis cum adjacente sibi; Caprenciis cum territoriis & sylvis, & simul Puteolis. In summa sunt mansa centum nonaginta, & hospitia decem & novem. Quidquid itaque in supradictis locis, vel circa eandem cellulam, præsenti tempore monachi in eadem divinæ gratiæ famulantes, possidere noscuntur, vel si qua sunt alia quæ forte meam fugerunt memoriam, & tamen ea suis stipendiis assignata retinent cum territoriis, vineis, pratis, sylvis, aquis, aquarumque decursibus, & cæteris adjacentiis, ipsis tantum ex integro, ut præmissum est, eorumque usibus jure perpetuo absque ulla diminutio-
B ne sub præfato memorati episcopii nostri jure debito cedant.

At vero episcopus qui pro tempore auctore Deo præfuerit, abbatem de eodem monasterio, eum videlicet quem omnis congregatio sibi ordinandum poposcerit, & sinceritas morum, & bonorum actuum probitas commendaverit, si inter eos talis inveniri quiverit, eis ordinandum procuret. Quod si talis inter eos minime inveniri potuerit, de eadem parochia vel diœcesi Senonica, consentientibus sanctis coepiscopis ejusdem diœcesis, & circumpositis venerabilibus abbatibus, eis præficiendum atque ordinandum provideat. In aggregandis quoque monachis
C hunc modum abbas qui præfuerit, teneat, ut tricenarium numerum quantitatis summa non excedat, donec rerum copia major succrescat. Episcopus quoque in exigendis muneribus abbatem ejusdem loci non gravet, sed sufficiat ei ad annua dona equus unus, & scutum cum lancea.

Quod si in expeditionem publicam ire jussus fuerit, addantur ei de eodem loco carra duo, unum vini, alterum farinæ, verveces decem: supra quæ in exigendis muneribus, cupiditatis, avaritiæque causa gravare eos nullatenus præsumat, ne & monachi ejusdem cellulæ hujuscemodi negotio a suo proposito exorbitare, & epi-
D scopus causa eorum perditionis addictus sempiternas cogatur luere pœnas.

Corpora etiam sanctorum, quæ in nostra parochia jamdicta expectant sui beatam immutationem, a pravis & desidiosis custodibus permaxime negliguntur, ita ut officio, luminariis, ac debita careant custodia. Idcirco ob amorem Dei, cui viventes in carne servierunt, & emolumentum animæ nostræ, per voluntatem & licentiam domini ac piissimi Ludovici ac Caroli regum, quia congruum ad hoc locum invenimus illo deportanda volumus. Sed quia sacra auctoritas vetat, ne in talibus & similibus ecclesiis Christi per alicujus incuriam scandalum inferatur,
E multorum episcoporum exposcit consensum; ad vestræ paternitatis notitiam hæc omnia perferri volumus, quatenus vestra deinceps censura & locus ipse, quod favente Deo ordinandum stabilimus, & memoratis sanctorum pignoribus a Dei servis ibidem Deo famulantibus digne & laudabiliter serviatur; & pro domini nostri ac totius sanctæ Dei ecclesiæ statu indefesse vota debita persolvantur. Quod opus Deo dicatum, ut per tempora labentia, omnibus sanctissimis patribus & fratribus in Dei nomine consentientibus, firmiorem obtineat rectitudinis statum, & intactum permaneat, manu nostræ parvitatis subter relegenda firmamus, Et ut rata deinceps manere possint quæ scripta sunt

sunt manibus vestræ sanctitatis roboranda expostulamus.

In Christi nomine Aldricus ecclesiæ Senonicæ indignus archiepiscopus hoc privilegium fieri decrevi, & subscripsi.

In Christi nomine Landramnus Turonicæ ecclesiæ archiepiscopus recognovi & subscripsi.

In Christi nomine Bartholomæus Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus feci & subscripsi

Ionas Aurelianensis ecclesiæ indignus episcopus huic facto adstipulator subscripsi.

Ego Raynardus Rothomagensis episcopus subscripsi.

Rotualdus Suessionensis episcopus huic facto subscripsi.

Aldricus Cenomanicæ urbis episcopus.

Careviltus Baiocensis episcopus subscripsi.

In Dei nomine Radulfus Lexoviensis episcopus adstipulator huic facto subscripsi.

Acamradus Parisiorum indignus episcopus subscripsi.

Stephanus Bituricensium indignus episcopus subscripsi.

Altadus Genevensis episcopus subscripsi.

Adalhelinus Cathalaunensis episcopus subscripsi.

Ragnerius Ambianensis episcopus subscripsi.

Helias Tricassinensis episcopus subscripsi.

Hubertus Meldensium episcopus subscripsi.

Alduinus Virdunensium episcopus subscripsi.

Delricus Basiliensis episcopus subscripsi.

Ego Fulconinus Vvarmatiensis episcopus indignus.

In Dei nomine Teugrinus Albensis episcopus.

Atto Nannetensis civitatis episcopus.

Gerfredus Nivernensis civitatis episcopus.

Facona episcopus.

Boso abbas ex monasterio sancti Benedicti subscripsi.

Adrevaldus abbas ex monasterio Noviacensi.

*Reomaësi. Deidonus ex * Remensi cœnobio abbas.

Christianus abbas monasterii sancti Germani.

In Dei nomine ego Bernoinus Carnotensis episcopus subscripsi.

Ragnemundus abbas de monasterio sancti Carilelphi.

Ingelnonus Sagiensis episcopus subscripsi.

Fova Cavilonensis episcopus subscripsi.

Diploma Ludovici Pii imperatoris, ratum habentis præfatum Aldrici Archiepiscopi privilegium, datum anno DCCCXXXIV.

In nomine Dei nostri & salvatoris nostri Iesu Christi, Ludovicus divina repropitiante clementia imperator Augustus. Si enim quod ad servorum Dei quietem pertinet devotissima sollicitudine, & imperiali providentia, procuramus ad emolumentum animæ nostræ vel æternam beatitudinem capessendam, hoc proculdubio pertinere non dubitamus. Idcirco notum fieri volumus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, nostrisque præsentibus scilicet & futuris, quia Aldricus venerabilis Senonicæ urbis archiepiscopus nostræ suggessit mansuetudini, de quodam monasterio memorati episcopii sui, quod juxta muros ejusdem civitatis in honorem beati Remigii confessoris Christi positum fuerat, & propter impedimenta quædam quæ ex propinquitate atque assiduitate præfatæ urbis monachi illi domino famulantes perpeti videbantur, ipse in alterum locum, cujus vocabulum est Vallilias, octavo scilicet ab eadem urbe milliario, eum fecerit transmutari. Quem etiam locum Rothlaum, quondam Magnerii comitis uxorem supradicto sancti Remigii monasterio ob suam virique sui requiem atque remedium, donationis titulo delegavisse testatus est. Sed ne quamlibet contrarietatem aut inquietudinem a præsulibus per tempora labentia in eadem sede sibi succedentibus monachi, quos a memorato loco transmigrari fecerat, quolibet tempore perpeti cogerentur, privilegium eis ecclesiastica auctoritate in urbe supradicta una cum venerabilibus coepiscopis fidelibus nostris diversarum ecclesiarum constitutis se fecisse professus est, sicut etiam pro perspecto atque relecto manifestissime claruit. In quo firmissime consensu omnium sanxerunt, ut nullus pontificum succedentium quidpiam de rebus, quas in priori loco degentes possederant, imminuere, aut majora illi servitia, quæ sub eo pertulerant, inferre præsumeret, sed liceret illis res ad memoratum monasterium religiosissima devotione fidelium delegatas quieto ordine possidere, nihilque ei oneris amplius imponere, quam in memorato privilegio cum eisdem venerabilibus coepiscopis confirmato constitutum esse constabat.

Verum licet ecclesiastica atque pontificalis constitutio sua, imoque divina auctoritate esse prævideat, tamen non indecens atque incongruum judicavit, si nostra imperiali authoritate sua constitutio firma esse perpetuo sanciretur. Proinde hos nostræ auctoritatis imperiales apices sæpedicto monasterio fieri decrevimus, per quos decernentes præcipimus atque sancimus, ut a memorato venerabili Aldrico archiepiscopo, consentientibus dignissimo honore coepiscopis suis constitutum, ac privilegio eorumdem, aliorumque complurium sacerdotum Christi, atque abbatum manibus roborato confirmatum est: ita deinceps per hanc nostram auctoritatem fixum, atque inconcussum inviolabiliter permaneat. Nec quispiam episcoporum in memorata urbe per tempora labentia Christo propitio succedentium quicquam minuere, immutare, aut quippiam servitii amplius, quam in sæpedicto privilegio insertum est, augere præsumat, sed licite monachis per tempora domino inibi militantibus sub conditionibus in jam dicto privilegio taxatis, quiete, regulariterque vivere, & pro nobis, conjuge, proleque nostra, ac stabilitate imperii a Deo nobis commissi atque conservandi jugiter domini misericordiam propensius exorare. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas tam nostris quam successorum nostrorum temporibus, inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, de annulo nostro subter eam jussimus assignari.

Signum Ludovici serenissimi Augusti.

Data sexdecimo Kalendas Decembris, anno Christo propitio vigesimo secundo imperii domini Ludovici Piissimi Augusti, indictione decima tertia. Actum Aquisgrani Pa-

latio regio in die nomine feliciter. Amen.

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi.

ANNO CHRISTI 833.

CONCILIUM LONDONIENSE

HABITUM IN FESTO SANCTI AUGUSTINI Anglosaxonum apostoli, id est vigesimo sexto die Maii, anno domini DCCCXXXIII. præsentibus Egberto rege Vvestsaxoniæ, & Vvithlasio rege Merciorum, utroque archiepiscopo, ceterisque Angliæ episcopis & magnatibus, in quo de cohibendis Danorum irruptionibus agitur, confirmanturque privilegium & concessiones Vvithlasii regis monasterio Croylandiæ facta prout sequitur.

Vvithlasius dispositione divina rex Merciorum omnibus Christicolis universam Merciam inhabitantibus salutem sempiternam.

Ingulph. Saxon. st Croyl.

MAGNALIA Dei publicare & prædicare minime mihi verecundum, sed vere videtur honorificum & gloriosum: unde aperte confiteor domino; qui in altis habitat, humilia respiciens in cælo & in terra, quoniam ad C tempus iratus est mihi, conversus est furor suus, & consolatus est me, humilians in ira sua peccatorem usque ad terram, detrahens usque ad pulverem, & iterum in misericordia sua suscitans de pulvere egenum, & de stercore erigens pauperem, ut sedeam cum principibus & solium gloriæ teneam. In die igitur bonorum ne immemor sim malorum, memor ero *Rahab* & Babylonis scientium me, non *Rahab* meretricis, sed *Etheldrithæ* sanctissimæ virginis, cognatæ meæ, pro sponsi sui agni immaculati amore Croylandiæ reclusæ, & in tempore tribulationis D meæ me in cella sua quatuor mensium spatio diligentissime abscondentis a facie inimici & persequentis: memor etiam ero Babylonis, non turris confusionis, sed sanctissimæ ecclesiæ Croylandiensis, quæ a terra turris ad cælum ascendens vigiliis & orationibus, psalmis & lectionibus, disciplinis & afflictionibus, lacrymis & singultibus, eleemosynis & innumeris aliis devotionibus pietatisque operibus, pro sæculo peccatore fortissimam violentiam regno cælorum ingerit die ac nocte.

Vvithlasii regis latebra.

Itaque quoniam venerabilis pater dominus *Sivuardus* abbas Croylandiæ protexit me in tabernaculo suo in die malorum, celans ac salvans a facie tribulantis; ultra privilegia meorum antecessorum regum Merciorum, qui prædictum mo- E nasterium variis libertatibus & donariis nobiliter illustrarunt; offero & ego magno altari prædicti monasterii de paupertate mea calicem aureum, crucem auream, & tabulam capellæ propriæ laminis aureis deauratam, me profitens dictæ ecclesiæ perpetuum pro viribus defensorem. Insuper præcipio omnibus ministris meis per universam Merciam constitutis, quod abbati Croylandiæ, monachis, & omnibus fratribus illius sanctissimi monasterii, cum ad civitates & castella regia pro quocumque negotio accesserint, tamquam *Vvimundo* filio meo, vel mihi, obediant in omnibus & ministrent, nihil pro expensis, quas ipsi vel sui fecerint ibidem, ab iis accipientes; sed cum litera vel signo dictorum monachorum arcarius meus omnes expensas hujusmodi, cum dicti ministri mei annumeraverint,

Donaria Vvithlasii regis.

A pro fisco integre acceptabit. Volo etiam & præcipio, quod quicumque in regno meo pro quocumque delicto reus inventus & legibus obnoxius fuerit, si fugerit ad dictum monasterium, & coram abbate dicti monasterii, qui pro tempore fuerit, gratiam sanctissimi confessoris *Guthlaci* ibidem corporaliter quiescentis invocans, fidelitatem ei & servitium juraverit sempiternum, salvus & securus protectione abbatis & monachorum suorum, in quocumque servitio per totam insulam Croylandiæ ipsum posuerint, sicut in B asylo, vel in camera mea propria, pace mea & impunitate gaudeat, nullusque ministrorum meorum ultra illum insequi audeat, nec in aliquo molestare, sub pœna perditionis dextri sui pedis, quicumque in meo regno istud meum privilegium tentaverit in aliquo violare, licebitque dicto fugitivo in quibusque aquis, quæ dictam insulam ambiunt, navigare & piscari, ac aliter, quocumque modo a dominis suis assignatus fuerit, laborare absque ministrorum meorum, vel alicujus alterius calumnia vel gravamine. Quod si extra dictas aquas vel metas dicti monasterii captus aliquando fuerit, pœnam, quam quondam meruit, sive mortem, sive membrorum suorum mutilationem, si ministri mei, vel quicumque sui adversarii per juramentum sex hominum fide dignorum probare poterunt quod extra metas suas inventus fuerit, absque ulla gratia sustinebit. Dictas vero metas monasterii Croyland in quinque ejus aquas prædictas tam ministris meis, quam abbati & monachis suis, pro suis dictis fugitivis describi feci & notari.

Asylum constituitur.

Dictæ namque aquæ vocantur istis nominibus; videlicet Schepishee ad orientem, in cujus ripa occidentali crux lignea stat vetusta, & distat ab ipsa aqua per decem pedes, æqualiter posita in medio inter duos angulos ejusdem insulæ, scilicet *Asvvictoft*, qui est angulus & meta dictæ insulæ contra Vulturnum, & Tedvvarfer, qui est angulus & meta dictæ insulæ contra Subsolanum. Secunda aqua, quæ claudit dictam insulam ad austrum vocatur Southee; in cujus ripa est posita crux lapidea distans a Namanlandhirne per quinque perticatas; & a Southee per sex perticatas, ubi Southee intrat in aquam de Nene, quæ currit ad pontem de Croyland: sed metæ fugitivorum in illa parte dirriguntur in mariscum occidentale per * Einset contra Africum, & sic usque ad Iolsvuardstafing contra Corum, & sic divertendo ad Boream, ubi Southlafe intrat in aquam de Vveland, ex opposito lapideæ crucis, quæ stat in Boreali ripa dictæ aquæ de Vveland, distans ab ipsa aqua per quinque pedes, quæ currit inde ad prædictum pontem de Croyland, sed metæ fugitivorum ab illa cruce diriguntur in mariscum Boreale directe usque ad Oggot, qui est angulus metarum contra Favonium, & sic redeundo versus orientem per Vvodelade usque ad Apinholt, & ibi ascendendo per aquam de Vveland, quæ est quarta aqua claudens insulam in illa parte, sicut tertia aqua de Nene claudit eam ex altera pontis de Croyland, usque ad Sevueram de Asendife cadentis in Vveland, ubi stans fracta crux lapidea, distat ab ipsa de Asendife per tres perticatas in ejus ripa Australi, & ipsa aqua de Asendife est quinta aqua claudens ab illo loco insulam prædictam, contra Aquilonem usque ad Asvuictoft.

Asyli termini.

* Einset

Si extra istas quinque aquas & metas prænotatas fugitivus inventus fuerit, tamquam

Asylo exeuntes.

ANNO CHRISTI 833.

Semei extra Ierusalem publicis legibus subjiciendus pœnam quam meruit patietur. Quod si infra prædictas metas, & prædictarum aquarum ripas exteriores homicidium, furtum, vel aliam forisfacturam fecerit, per balivos dicti monasterii capiendus, juxta demerita in ipsa insula, cujus immunitatem perdidit, patietur, & ibidem judicandus in carcere abbatis condemnabitur. Et ut istud privilegium firmius & fortius ad posteros perseveret, per dominum meum *Egbertum regem* Vvestsaxoniæ, & *Athelvuolphum* filium ejus illud obtinui confirmari. Offero etiam secretario dicti monasterii in ministerium sanctissimi altaris chlamydem coccineam, qua indutus eram in coronatione mea, ad capiam inde sive casulam faciendam, & in ecclesiæ sanctissimum ornamentum, velum meum aureum, quo insuitur excidium Troiæ, in meo anniversario, si placuerit, in parietibus suspendendum. Offero etiam refectorario dicti monasterii ad usum præsidentis quotidie in refectorio scyphum meum deauratum, & per totam partem exteriorem barbaris vinitoribus ad drachones pugnantibus cælatum, quem crucibolum meum solitus sum vocare, quia signum crucis per transversum scyphi imprimitur interius, cum quatuor angulis simili impressione protuberantibus; & cornu mensæ meæ, ut senes monasterii bibant inde in festis sanctorum, & in suis benedictionibus meminerint aliquando animæ donatoris *Vvithlasii*. Confirmo etiam dicto monasterio omnes terras & tenementa, possessiones & earum peculia, & omnia alia donaria, quæ prædecessores mei reges Merciorum, & eorum proceres, vel alii fideles Christiani, sive Iudæi dictis monachis dederunt, vendiderunt, vel invadiaverunt, aut aliquo alio modo in perpetuam possessionem tradiderunt: & specialiter donum *Thoroldi* quondam vicecomitis Lincoln, *&c.*

Aliæ oblationes.

Istas terras & tenementa prædicto monasterio Croylandiæ, & monachis ibidem Deo servientibus, in pacificam & perpetuam possessionem concedo, trado, & confirmo, habenda de me & heredibus meis quibuscumque regibus Merciorum post me successuris, in perpetuam & puram eleemosynam libere, quiete, & solute ab omnibus oneribus sæcularibus, exactionibus, & vestigalibus universis, quocumque nomine censeantur. Quod si quis adversarius, instigante diabolo, in quibuscumque prædictis terris, aut tenementis, tot regum spatio pacifice possessis, & eorum auctoritate confirmatis, calumniam ponere voluerit in futurum, me & successores meos reges Merciorum profiteor præsenti chirographo & polliceor, dicti monasterii futuros in perpetuum defensores.

Tenendum in puram eleemosynam.

Istud chirographum domino Sigvvardo abbati patri meo, & Etheldrithæ sanctissimæ virgini, pro Christi amore ibidem reclusæ, carne quidem cognatæ meæ, sed, quod magis est, in Christo carissimæ sorori, quondam promissum, in præsentia dominorum meorum Egberti regis Vvestsaxoniæ, & Æthelvvlphi filii ejus coram pontificibus & proceribus majoribus totius Angliæ in civitate Londonia (ubi omnes congregati sumus pro consilio capiendo contra Danicos piratas litora Angliæ assidue infestantes) signo sanctæ crucis confirmavi.

SVBSCRIPTIONES.

Ego Celnothus archiepiscopus Dorobernensis consului.

Ego Enbaldus archiepiscopus Eboracensis consignavi.

Ego Osmundus Londoniensis episcopus collaudavi.

Ego Helmstanus Vvintoniensis episcopus assensum præbui.

Ego Herevvinus episcopus Lichfeldensis consensi.

Ego Cedda Herefordensis episcopus aspiravi.

Ego Adelstanus Shireburnensis episcopus procuravi.

Ego Humbritus Helmati episcopus approbavi.

Ego Vvileredus Dommocensis episcopus annui.

Ego Herferdus Vvigornensis episcopus gratum habui.

Ego Goduvinus Roffensis episcopus favi.

Ego Hedda abbas de Medeshamsted ratificavi.

Ego Ambertus abbas Ripadii interfui.

Ego Kenevinus abbas de *Bardeney* astiti.

Ego Egbertus rex Vvestsaxoniæ concessi.

Ego Adelvvulphus filius regis Vvestsaxoniæ consensum dedi.

Ego Vvulhardus dux adfui.

Ego Athelmus dux audivi.

Ego Herenbrithus dux acceptavi.

Ego Svvithinus presbyter regis Egberti præsens fui.

Ego Bosa scriba regis Vvithlasii manu mea chirographum istud scripsi.

Ego Vvithlasius domini nostri Iesu Christi gratia rex Merciorum ad sanctæ matris ecclesiæ honorem & divini cultus exaltationem, anno incarnationis ejusdem nostri Salvatoris octingentesimo tricesimo tertio, in festo sancti Augustini confessoris, doctoris & apostoli nostræ gentis, hæc pauca offerro, pluraque offerrem, quin corpus meum tam sancto monasterio promitterem, nisi antea sepulturam meam Ripadio devovissem, verumtamen spiritus meus permanebit vobiscum in æternum.

[a] CONVENTVS COMPENDIENSIS, IN QVO LVDOVICVS PIVS imperio privatur.

[a] *In editionibus Petri Pithœi, qui primus edidit, Sirmondi ac Duchesnii inscribitur:* Exauctoratio Ludovici Pii.

Quæ sequuntur gesta sunt apud Compendium palatium contra Christianissimum imperatorem Ludovicum, postquam regno ad tempus privatus est. Acta sunt autem studio non imitandæ, dejectionis ejus ab Ebbone auctore ejusdem mali, & ceteris episcopis, vel errore annitentibus, vel timore consentientibus. Non sunt autem hæc ut salubris concilii decreta amplectenda sed ut exitialis commenti molimina respuenda.

OMNIBVS in Christiana religione constitutis scire convenit quale sit ministerium episcoporum, qualisve vigilantia atque solicitudo eis circa salutem cunctorum adhibenda sit, quos constat esse vicarios Christi, & clavigeros regni cælorum, quibus a Christo tanta collata est potestas, ut quodcumque ligaverint super terram sit ligatum & in cælo, & quodcumque solverint super terram sit solutum & in cælo. Et in quanto sint ipsi periculo constituti, si ovibus Christi pabulum vitæ ministrare neglexerint, & errantes ad viam veritatis arguendo, obsecrando, reducere pro viribus non studuerint, juxta illud propheticum: *Si non annuntiaveris*, inquit, *iniquo iniquitatem*

Ezech. 3.

ANNO CHRISTI 833.

iniquitatem suam, & ipse in impietate sua mortuus fuerit, sanguinem ejus de manu tua requiram, & multa his similia ad magisterium pastorale pertinentia, quæ in divinis sparsim continentur. Quapropter eisdem pastoribus Christi summopere studendum est, ut erga errata delinquentium moderationem discretissimam teneant, ut sint, juxta beati Gregorii doctrinæ documentum, bene agentibus per humilitatem socii, contra delinquentium vero vitia per zelum justitiæ erecti; quatenus posthabito torpore, atque segnitie, vel humano favore, aut mundiali timore, sic exerceant ministerium suum, ut & præsentibus salubriter consulant, & futuris sint exemplum salutis. Verum quia in agro Dei, qui est ecclesia Christi, noxia quæque instinctu hostis antiqui pullulare non cessant, quæ necesse est ut adhibito sarculo pastorali radicitus extirpentur; & propter malevolos quosque, qui bene acta aut intelligere nolunt, aut malevola intentione potius intelligere, quam ipsam veritatem delectantur amplecti, oportet eosdem pastores, ut quandocumque de generali utilitate, vel publica correctione, quidpiam in conventibus suis decreverint, id juxta morem ecclesiasticum scriptis committant; videlicet ut posteris omnem ambiguitatem & occasionem juste detrahendi vel reprehendendi penitus amputent. Proinde notum esse necessarium duximus omnibus filiis sanctæ Dei ecclesiæ, præsentibus scilicet & futuris, qualiter nos episcopi super imperio domini & gloriosissimi Lotharii imperatoris constituti, anno incarnationis domini Iesu Christi DCCCXXXIII. indictione 12. anno siquidem ejusdem principis primo, in mense videlicet Octobri, apud Compendium palatium generaliter convenimus, & memoratum principem humiliter audivimus. Et hoc quidem illi, sive optimatibus illius, seu omni generalitati populi, quæ undique illuc confluxerat, manifestare juxta injunctum nobis ministerium curavimus, qualis sit vigor & potestas sive ministerium sacerdotale, & quali meretur damnari sententia qui monitis sacerdotalibus obedire noluerit. Deinde tam memorato principi, quam cuncto ejus populo denuntiare studuimus, ut domino devotissime placere studerent, & in quibus eum offenderant placare non differrent. Examinata quippe sunt multa, quæ per negligentiam in hoc imperio contigerunt, quæ ad scandalum ecclesiæ, & ruinam populi, vel regni interitum manifestis indiciis pertinebant, quæ necesse erat ut cito corrigerentur, & in futuro omnibus modis vitarentur. Inter cetera etiam commemoratum est a nobis, & omnibus ad memoriam reductum, qualiter a Deo regnum istud per administrationem bonæ memoriæ Caroli præstantissimi imperatoris, & per prædecessorum suorum laborem, pacificum & unitum atque nobiliter dilatatum fuerit, & domino Ludovico imperatori a Deo ad regendum sub magna pace commissum, dominoque protegente, sub eadem pace, quamdiu idem princeps Deo studuit, & paternis exemplis uti, ac bonorum hominum consiliis acquiescere curavit, conservatum manserit. Et quomodo in processu temporis, sicut omnibus manifestum erat, per ejus improvidentiam, vel negligentiam, in tantam venerit ignominiam & vilitatem, ut non solum amicis in mœstitiam, sed etiam inimicis venerit in derisionem. Sed quia idem princeps ministerium sibi commissum negligenter tractaverit, & multa quæ Deo & hominibus displicebant & fecerit & facere compulerit, vel fieri permiserit, & in multis nefandis consiliis Deum irritaverit, & sanctam ecclesiam scandalizaverit, &, ut cetera quæ innumera sunt omittamus, novissime omnem populum sibi subjectum ad generalem interitum contraxerit, & ab eo divino justoque judicio subito imperialis sit subtracta potestas; nos tamen memores præceptorum Dei, ministeriique nostri, atque beneficiorum ejus, dignum duximus, ut per licentiam memorati principis Lotharii legationem ad illum ex auctoritate sacri conventus mitteremus, quæ eum de suis reatibus admoneat; quatenus certum consilium suæ salutis caperet, ut quia potestate privatus erat terrena, juxta divinum consilium & ecclesiasticam auctoritatem, ne secundam animam perderet, elaborare in extremis positus totis viribus studeret. Quorum legatorum consiliis & saluberrimis admonitionibus libenter assensum præbuit, spatium poposcit, diemque constituit, qua de salubribus eorum monitis certum eis responsum redderet. Cum autem suprascriptus instaret dies, sacer idem conventus unanimiter ad eumdem venerabilem virum perrexit, eumque diligenter de quibus Deum offenderat, & sanctam ecclesiam scandalizaverat, ac populum sibi commissum perturbaverat, admonere, & cuncta illi ad memoriam reducere curavit. Ille vero eorum salutiferam admonitionem, & dignam congruamque exaggerationem libenter amplectens, promisit se illis in omnibus acquieturum salutari consilio, & subiturum remediale judicium. Porro de tanta salubri admonitione hilaris, illico dilectum filium suum Lotharium Augustum sibi festinato affuturum supplicavit, ut illeruptis quibuslibet morulis cum suis primatibus veniret: quatenus primum inter eos mutua reconciliatio secundum Christianam doctrinam fieret, ut si quid in cordibus eorum nævi aut discordiæ inerat, pura humilisque postulatio veniæ expiaret; ac deinde coram omni multitudine judicium sacerdotale more pœnitentis susciperet: quod & non multo post factum est. Veniens igitur idem dominus Ludovicus in basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ, ubi sanctorum corpora requiescunt, Medardi videlicet confessoris Christi atque pontificis, nec non Sebastiani præstantissimi martyris, adstantibus presbyteris, diaconibus, & non parva multitudine clericorum; præsente etiam præfato domino Lothario filio ejus, ejusque proceribus, atque totius populi generalitate, quotquot videlicet intra sui septum eadem continere potuit ecclesia; & prostratus in terram super cilicium ante sacrosanctum altare confessus est coram omnibus, ministerium sibi commissum satis indigne tractasse, & in eo multis modis Deum offendisse, & ecclesiam Christi scandalizasse, populumque per suam negligentiam multifarie in perturbationem induxisse: & ideo ob tantorum reatuum expiationem publicam & ecclesiasticam se expetere velle dixit pœnitentiam: quo miserante domino, per eorum ministerium & adjutorium percipere mereretur absolutionem tantorum criminum, quibus Deus ligandi ac solvendi intulerat potestatem. Quem etiam iidem pontifices, ut pote medici spiritales, salubriter admonuerunt, asserentes ei quod puram & simplicem confessionem sequeretur vera remissio peccatorum, ut aperte confiteretur errata sua, in quibus maxime se Deum offendisse profitebatur: ne forte interius aliud tegeret, aut in conspectu

ANNO CHRISTI 833.

Dei quidpiam dolose ageret, ficut jampridem in Compendio palatio ab alio sacro conventu correptus coram omni ecclesia eum fecisse omnibus notum erat. Ne ficut tunc, ita & nunc, per simulationem & calliditatem duplici ad Deum corde accedendo, ad iram potius quam ad veniam suorum peccatorum provocaret: quoniam, scriptura testante, *simulatores & callidi provocant iram Dei.* Verum post hujusmodi admonitionem professus est se in omnibus iis præcipue deliquisse, unde a memoratis sacerdotibus fuerat familiariter, sive verbis, sive scriptis admonitus, & digna increpatione correptus: super quibus chartulam summam reatuum suorum, unde illum specialiter redarguerent, continentem ei dederunt, quam ille in manibus gestabat.

CAPUT I.

Videlicet, sicut in eadem chartula plenius continetur, reatum sacrilegii incurrendo, & homicidii, eo quod paternam admonitionem, & terribilem contestationem sub divina invocatione, ante sanctum altare, in præsentia sacerdotum, & maxima populi multitudine, sibi factam secundum suam promissionem non conservaverit, eo quod fratribus & propinquis violentiam intulerit, & nepotem suum, quem ipse liberare potuerat, interficere permiserit: & quod immemor voti sui, signum sanctæ religionis propter vindictam suæ indignationis fieri postea jusserit.

II.

Quod auctor scandali, & perturbator pacis, ac violator sacramentorum existendo, pactum quod propter pacem & unanimitatem imperii, ecclesiæque tranquillitatem, communi consilio & consensu cunctorum fidelium suorum fuerat inter filios suos factum, & per sacramentum confirmatum, super illicita potestate corruperit: & in eo quod fideles suos, in contrarietatem ejusdem primi pacti & juramenti, aliud sacramentum jurare compulerit, in perjurii reatum præstitorum violatione sacramentorum inciderit: & quantum hoc Deo displicuerit, liquido claret: quia postea nec ipse, nec populus sibi subjectus pacem habere meruit, sed omnes in perturbationem, pœnam peccati sustinendo, justo Dei judicio postea inducti sunt.

III.

Quia contra Christianam religionem, & contra votum suum, sine ulla utilitate publica, aut certa necessitate, pravorum consilio delusus, in diebus quadragesimæ expeditionem generalem fieri jussit, & in extremis imperii sui finibus in cœna domini, quando paschalia sacramenta ab omnibus Christianis rite sunt celebranda, placitum generale se habiturum constituit. In qua expeditione, quantum in ipso fuit, & populum in magnam murmurationem protraxit, & sacerdotes domini a suis officiis contra fas amovit, & pauperibus gravissimam oppressionem irrogavit.

IV.

Quod nonnullis ex suis fidelibus, qui pro ejus suorumque filiorum fidelitate & salvatione, regnique nutantis recuperatione, humiliter eum adierant, & de insidiis inimicorum sibi præparatis certum reddiderant, violentiam intulerit: & quod contra omnem legem, divinam videlicet ac humanam, eos & rebus propriis privaverit, & in exilio tradi jusserit, atque absentes morti adjudicari fecerit, & judicantes procul dubio ad falsum judicium induxerit, & sacerdotibus domini ac monachis contra divinam & canonicam auctoritatem præjudicium irrogavit, & absentes damnavit, & in hoc reatum homicidii incurrendo divinarum seu humanarum legum violator extitisset.

V.

De diversis sacramentis, sibique contrariis atque perniciosis, a filiis sive a populo eo præcipiente & compellente irrationabiliter sæpe factis, pro quibus non modicam in populo sibi commisso peccati maculam induxit, reatum perjurii nihilo minus incurrisse: quoniam hæc procul dubio in auctorem, per quem fieri compulsa sunt, jure retorquentur. Sed in mulierum purgatione, in injustis judiciis, in falsis testimoniis atque perjuriis, quæ eo permittente coram se perpetrata sunt, quantum Deum offenderit ipse novit.

VI.

De diversis expeditionibus, quas in regno sibi commisso non solum inutiliter; sed etiam noxie sine consilio ac utilitate fecit, in quibus nimirum multa & innumerabilia sunt in populo Christiano flagitia perpetrata in homicidiis & perjuriis, in sacrilegiis, in adulteriis, in rapinis, in incendiis, sive in ecclesiis Dei, sive in aliis diversis locis factis, in direptionibus & oppressionibus pauperum miserabili & pene apud Christianos inaudito patratu; quæ omnia ad auctorem, sicut præmissum est, reflectuntur.

VII.

In divisionibus imperii ab eo contra communem pacem & totius imperii salutem ad libitum suum temere factis, & in sacramento etiam quod jurare compulit omnem populum, ut contra filios suos, sicut contra inimicos suos agerent, cum ipse eos paterna auctoritate consultuque fidelium suorum pacificare potuisset.

VIII.

Quod non suffecerint ei tot mala & flagitia per suam negligentiam & improvidentiam in regno sibi commisso perpetrata, quæ enumerari non possent, pro quibus & regni periclitatio, & regis dehonestatio evidenter provenerat. Sed insuper ad cumulum miseriarum novissime omnem populum suæ potestatis ad communem interitum traxerit, cum debuisset esse eidem populo dux salutis & pacis, cum divina pietas inaudito & invisibili modo, ac nostris sæculis prædicando, populo suo misereri decrevisset.

Igitur pro his vel in his omnibus quæ supra memorata sunt reum se coram Deo & coram sacerdotibus vel omni populo cum lacrymis confessus, & in cunctis se deliquisse protestatus est, & pœnitentiam publicam expetiit, quatenus ecclesiæ, quam peccando scandalizaverat, pœnitendo satisfaceret, & sicut fuerant scandalum multa negligendo, ita nimirum se velle professus est esse exemplum dignam pœnitentiam subeundo. Post hanc vero confessionem chartulam suorum reatuum & confessionis, ob futuram memoriam, sacerdotibus tradidit, quam ipsi super altare posuerunt: ac deinde cingulum militiæ deposuit, & super altare collocavit, & habitu sæculi se exuens habitum pœnitentis per impositionem manuum episcoporum suscepit; ut post tantam talemque pœnitentiam nemo ultra ad militiam sæcularem redeat. His itaque gestis, placuit ut unusquisque episcoporum, qualiter hęc res acta fuerit, in propriis chartulis insereret, eamque sua

sua scriptione roboraret, & roboratam memorato principi Lothario ob memoriam hujus facti offerret. Ad extremum omnibus nobis qui interfuimus visum est, omnium chartularum, imo tanti negotii summam in unum breviter strictimque congerere, & congestam propriis manuum nostrarum subscriptionibus roborare, sicut sequentia factum esse demonstrant.......

[1] AGOBARDI EPISCOPI LVGDVNENSIS LIBELLVS.[a]

Primus edidit Papirius Masonius una cum aliis Agobardi operibus pag. 178. editionis Parisiensis an. 1605.

De eodem apud Compendium conventu, & publica Ludovici imperatoris pœnitentia.

IN nomine Dei ac domini nostri Iesu Christi, anno incarnationis ejus DCCCXXXIII. ego Agogardus Lugdunensis ecclesiæ indignus episcopus, interfui venerabili conventui apud palatium quod nuncupatur Compendium. Qui utique conventus extitit ex reverentissimis episcopis, & magnificentissimis viris illustribus, collegio quoque abbatum & comitum, promiscuæque ætatis & dignitatis populo, præsidente serenissimo & gloriosissimo Chlothario imperatore, & Christi domini amatore, quo protegente & adjuvante subter annexa disposita sunt, anno imperii primo, mense quarto. Quibus omnibus vehementer incumbebat vera necessitas, ut solicite tractarent de periculo regni in præsenti, & statu in futuro; quod regnum quia jamdiu nutabat, & impellebatur ad ruinam per negligentiam, &, ut verius dicam, per ignaviam domini Ludovici venerandi quondam imperatoris, in quibus ille irretitus est per corruptas mentes & corrumpentes, & secundum apostolicum dictum, quia erant ipsi errantes, & alios in errorem mittentes. (1. Tim. 3.) A quo conventu quidquid utiliter & laudabiliter tractando & conferendo inventum est & necessario statuendum, & judicantibus consensi, & consentiens ipse judicavi. In primis videlicet, quæ ad commoditatem & soliditatem regni & regis pertinere videbantur, deinde quæ ad ereptionem & purgationem animæ domini Ludovici manifestissime noscebantur. Quæ in prædicto conventu fideliter quæsita, & veraciter inventa, & admirabiliter executa sunt. In eo scilicet quod prædictus conventus deliberavit ut per legatos & missos admoneretur dominus Ludovicus de suis erratibus, & exhortaretur, ut secundum propheticum dictum rediret ad cor, (Isa. 46.) & recognosceret acta sua, quæ adversus Deum currens per vias pravitatis & injustitiæ exegerat: ac deinceps susciperet consilium vitæ & salutis suæ; quatenus apud omnipotentem judicem & dominum, qui clementissimus indultor est criminum, indulgentiam & remissionem iniquitatum impetrare posset: ut qui per multiplicatas negligentias regnum terrenum amiserat, per impensas supplices confessiones regnum cæleste adipisceretur per eum apud quem est misericordia & copiosa redemptio. Propter quod & libellus editus est a viris diligentioribus, & ei oblatus, de manifestatione criminum suorum; in quo velut in speculo perspicue conspiceret fœditatem actuum suorum, & fieret in illo quod per pœnitentem perfectum dictum est: (Psal. 50.) *Iniquitatem meam ego cognosco, peccatum meum coram me est semper.* Pro qua re accesserunt ad eum denuo omnes qui in prædicto conventu aderant episcopi, condolentes & compatientes infirmitatibus & miseriis ejus, exhortantes, atque exoptantes, & postulantes, ut omnipotens Deus manu pietatis suæ educeret eum de lacu miseriæ & de luto cœni. Quod clementissimus dominus non solum non abstulit, sed neque distulit: sed mox resuscitata in mente ejus contritione humiliati cordis, prostratus coram eis, non semel vel iterum, sed tertio aut amplius crimina cognoscit, veniam poscit, auxilium orationum precatur, consilium recipit, pœnitentiam postulat, injunctam sibi humilitatem libentissime impleturum promittit. Innotescitur ei lex & ordo publicæ pœnitentiæ: quam non renuit, sed ad omnia annuit, ac demum pervenit in ecclesiam coram cœtu fidelium, ante altare & sepulcra sanctorum, & prostratus super ciliciū, bis terque quaterque confessus in omnibus clara voce cum abundanti effusione lacrymarum, depositis armis, manu propria, & ad crepidinem altaris projectis, suscepit mente compuncta pœnitentiam publicam per manuum episcopalium impositionem, cum psalmis & orationibus. Sicque deposito habitu pristino, & assumpto habitu pœnitentis, congratulans & confidens postulat piissimi pastoris humeris reduci se ad inventæ & reductæ ovis unitatem. His gestis ego Agobardus indignus episcopus interfui, & melioribus consentiens judicavi, & manu propria signans suscripsi.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI, S. I.

Quæ sequuntur gesta episcopalia de suscepta iterum a Ludovico Pio pœnitentia publica, callido, ut Eginhartus in chronico scribit, consilio a conspiratoribus instituta sunt, ut quod ipsi per vim & inauditam contumeliam in mitissimum principum egerant, ea ille sua sponte, ut ecclesiæ satisfaceret, expetiisse aut subjisse videretur. *Omnes*, inquit, *hanc rem, exceptis auctoribus, miserabantur, & talem rerum permutationem ægre ferebant, unde verentes inauditi sceleris conspiratores, ne versa vice retro lapsa ferrentur quæ gesta erant, callido, ut sibi visum est, cum aliquibus episcoporum utuntur consilio, ut pro his de quibus jam pœnitentiam egerat imperator, iterum publica pœnitentia armis depositis irrevocabiliter quodammodo ecclesiæ satisfacere judicaretur: cum tamen & leges forenses non contra unam culpam semel commissam bis invehant, & nostra lex habeat bis non judicari delictum. Cui judicio pauci contradixere, plures assensum prabuere, maxima pars, ut assolet, in talibus, ne primores offenderent, verbo tenus consensere. Damnatum ergo, & absentem & inauditum, neque confitentem neque convictum, ante corpus sancti Medardi confessoris, & sancti Sebastiani martyris, arma deponere cogunt, pullaque indutum veste, adhibita magna custodia, sub tectum quoddam detrudunt. Expleto hoc negotio in festivitate sancti Martini, populus licentia accepta mœstus de talibus gestis ad propria revertitur.* Dirum facinus ac sæculis omnibus detestandum, quodque non injuria Francorum dedecus cum vetere illius ævi chronico appellare liceat, nisi paucorum errorem saniora mox, ut sequentia ostendent, sapientiorum consilia correxissent.

1 *Agobardi libellus.*] Inter episcopos Lotharianæ factionis, post Ebbonem Rhemensem, præcipui memorantur Agobardus Lugdunensis, Bernardus Viennensis, Bartholomæus Narbonensis, Iesse Ambianensis, Helias Tricassinus, Hereboldus Antisiodorensis, & alii.

NOTA SEVERINI BINII.

a *Conventus.*] Ludovicus imperator Bernardum quemdam natione Hispanum suæ defensionis causa cubiculi præfectum constituerat. Quod cum optimates regni ægerrime ferrent, sparserunt, haud dubie ex invidia, eumdem Bernardum Iudith imperatrici per adulterium admisceri, idque ad filios imperatoris deferri curarunt. Qua occasione Pippinus, qui novercam præ ceteris maxime oderat, contra patrem arma sumpsit. Imperator vero timore illius perculsus, præcipuam jurgiorum causam tollere conatus, Bernardum a se dimisit, Iudith vero imperatricem in monasterio ad tempus morari præcepit. Qua re cum pater soli Pippino imperium affectanti non satisfecisset, hortatu Lotharii habitus est Neomagi conventus

Causa dissidii inter Ludovicum imperatorem ejusque filios.

ANNO CHRISTI 833.

conventus publicus, ad quem sine armis utrimque veniretur. Verum cum eodem conventu optimates parentis imperium legitime prorogassent, Pippinus arma semel deposita contra patrem non sine magno rerum suarum detrimento resumpsit. Nam dum capto & incarcerato filio parens juste regnum ademisset, vitam quoque non injuste fortasse eripuisset, si non a suis noctu liberatus & eductus fuisset. Post hæc dum Ludovicus parens ereptum Pippino Italiæ regnum inter Carolum & Rudolphum posterioris matrimonii filios divisisset, eoque facto Lotharium etiam sibi infensum reddidisset, solicitati sunt ad defectionem episcopi eo consilio, ut quem filii armis imperio deponere non possent, horum saltem nundinariorum antistitum suffragio & judicio honore ac potestate imperiali privarent. Successit impiis conatus impiissimus.

Acta concilii quæ?

Nam auctore Ebbone Rhemensi episcopo, quem Theganus ex originalium servorum stirpe fuisse scribit, plures alii ejusdem conditionis olim antistites convenerunt, institutoque hoc concilio contra juris ordinem imperatorem semel ante confessum iterato judicio absentem condemnarunt, eaque omnia egerunt quæ auctor vitæ Ludovici his verbis describit: *Verentes sceleris conspiratores inauditi, ne versa vice retro lapsa ferrentur quæ gesta erant, callido, ut sibi visum est, cum aliquibus episcoporum utuntur argumento: ut pro his de quibus jam pœnitudinem gesserat imperator* (nempe de nece Bernardi) *iterum publica pœnitentia armis depositis irrevocabiliter quodammodo ecclesiæ satisfacere judicaretur. Cum ne forenses quidem leges contra unam culpam semel commissam bis invehant vindictam: & nostra lex habeat non judicare Deum bis in idipsum. Cui judicio pauci contradixere, plures assensum præbuere, maxima pars, ut assolet in talibus, ne primores offenderent, verbo tenus consensere. Adjudicatum ergo eum absentem & inauditum, nec confitentem, neque convictum, ante corpus sancti Medardi confessoris, & sancti Sebastiani martyris arma deponere, & ante altare ponere cogunt, pullaque indutum veste, adhibita magna custodia, sub tectum quoddam retrudunt.* Quo testimonio verissimum esse comprobatur, quod tota hæc res per vim & metum acta, falsoque religionis pigmento colorata sit. Non enim oportebat imperatorem iterato judicio condemnari ad agendam pœnitentiam delicti illius, propter quod pœnam ab ecclesia sibi impositam sustinuisset. Quare non immerito Theganus hac de causa in Ebbonem Rhemensem episcopum horum omnium architectum declamavit, dum eum impudicum & crudelissimum episcopum nominat, qui ex originalium servorum stirpe procreatus, inaudita fecit, & inaudita locutus fuit. Cumque ista ratione Ludovicus imperio spoliatus fuisset, Gregorius papa rescisso abrogationis decreto, eumdem imperio restituit, eaque omnia in restitutione imperatoris peregit, quæ ab auctore vitæ Ludovici prolixius enarrantur. Vide Baronium anno 833. & 834.

Decretum concilii a Gregorio papa rescinditur.

ANNO CHRISTI 834.

1 CONVENTVS APVD SANCTVM DIONYSIVM,

IN QVO LVDOVICVS PIVS ecclesiasticæ communioni per episcopos restitutus, imperii quoque ornamenta recepit, dominica secunda quadragesimæ, anno Christi DCCCXXXIV. Gregorii IV. papæ VII. Ludovici ipsius imperatoris Augusti XXI.

EXAVCTORATO, *ut dictum est, impio Lotharii filii facinore Ludovico, multi mox, quibus sanior mens erat, ad illius restitutionem consilia operamque contulerunt. Itaque collectis copiis Lotharium in sancti Dionysii monasterio, ubi tunc erat, propius aggressi, eo adegerunt, ut relicto ibidem patre tacita fuga excederet. Quæ porro deinceps eo in loco gesta sunt, auctor vitæ Ludovici narrat his verbis:* At vero ii qui cum imperatore remanserant, eum ad recipiendas imperatorias infulas hortabantur. Sed imperator, quamquam modo quo prædictum est ecclesiæ eliminatus communione, nequaquam tamen præproperæ voluit acquiescere sententiæ: sed dominica, quæ in crastinum advenit, in ecclesia sancti Dionysii episcopali ministerio voluit reconciliari, & per manus episcoporum armis accingi consensit. In qua re tanta exultatio populi excrevit, ut etiam ipsa elementa viderentur injuriam patienti compati, & relevato congratulari. Etenim usque ad illud tempus tanta incubuerat procellarum vis, pluviarumque vehementia, ut extra solitum aquarum superabundantia excresceret, flatusque ventorum imperviabiles fluminum alveos redderet. Sed in illius absolutione ita quodammodo visa sunt conjurasse elementa, ut mox & venti sævientes mitescerent, & cæli facies in antiquam & multo tempore invisam serenitatem rediret. *Narrat & Nithardus libro primo historiæ suæ.* Occurrebat, *inquit*, insuper etiam filiis verecundia & pœnitudo, quod patrem bis honore privaverant; universæ plebi, quod bis imperatorem dimiserant, ac per hoc hinc inde in restitutione ejus consentiunt, & undique ad S. Dionysium, ubi tunc Lotharius patrem & Carolum servabat, affluere contendunt. Cernens Lotharius prædictam animositatem vires suas excedere, antequam conveniant arma sumit, patrem ac Carolum dimittit, itinereque arrepto Viennam petit. Plebs autem non modica quæ præsens aderat, & jam jamque Lothario pro patre vim inferre volebat, rege recepto, basilica sancti Dionysii una cum episcopis & omni clero confluunt, laudes Deo devote conferunt, coronam & arma regi suo imponunt, & ad cetera deliberaturi contendunt. *Sed & Ludovicus ipse imperator in epistola, quam de conscribenda vita sancti Dionysii ad Hilduinum abbatem scripsit, hanc suam restitutionem inter cetera illius beneficia commemorat.*

NOTA IACOBI SIRMONDI, S.I.

1 *Conventus apud sanctum Dionysium*] Reconciliatum fuisse Ludovicum dominica secunda quadragesimæ docet in chronico Eginhartus, cujus vestigiis hæret de more auctor uitæ Ludovici. Incidit autem illo anno hæc dominica in Kalendas Martias.

ANNO CHRISTI 835.

a CONCILIVM METENSE,

QVO IMPERATOR AB EBBONE RHEMENSI archiepiscopo injuste excommunicatus, & ingressu ecclesiæ interdictus absolvitur, anno DCCCXXXV. sub Gregorio IV.

a *Concilium.*] *Congregata synodo* (ait chronicum Cameracense libro 1. cap. 41.) *in Metensi ecclesia sancti Stephani imperator præ cunctis Ebbonem accusat, quod eum falso fuerat criminatus, & iisdem falsis criminibus appetitum a regno dejecerat, armisque ablatis nec confessum, nec convictum, contra regulas ecclesiasticas ab ecclesiæ aditu eliminaverat. Qui objecta erubescens, seque malefecisse recognoscens, ut in synodo omnia legaliter adimplerentur, secundum Africanos canones sibi judices episcopos delegit, inter quos etiam Theodoricum episcopum convocavit.* Can. 63. al. 70.

a** CONCILIVM ATTINIACENSE II.

SIVE SYNODVS VNIVERSALIS AC GENERALE placitum mense Novembri celebratum anno DCCCXXXIV. Ludovici Pii imp. XXI. cujus acta perierunt.

LVDOVICVS imperator habuit, *inquit anonymus auctor vitæ ejus ad annum* DCCCXXXIV. eo tempore circa missam sancti Martini conventum generalem in Attiniaco palatio, ubi quum multa perperam molita purgare devenisset, tam in ecclesiasticis quam publicis rebus, tunc præcipue fuerunt ista:

I. Mandavit filio Pipino per Ermoldum abbatem

[A]NNO [CH]RISTI 835.

tem res ecclesiasticas, quæ in regno ejus erant, quas vel ipse suis attribuerat, vel ipsi sibi subripuerant, absque cunctatione ecclesiis restitui.

II. Missos etiam per civitates & monasteria transmisit, statumque ecclesiasticum pene collapsum in antiquum statum erigi jussit.

III. Itemque præcepit, ut missi per singulos comitatus irent, qui immanitatem prædonum atque latronum, quæ inaudita emerserant, cohiberent, & ubi eorum major vis incubuerat etiam comites vicinos & episcoporū homines ad tales ejiciendos & proterendos sibi adsciscerent & de his singulis sibi in proximo placito generali Vvormatiam renunciarent, quod futurum transacta hieme & suadente vernali gratia indixit.

Ad eundem quoque generalem conventum Attiniaci hoc anno celebratum non dubito quin ea pertineant quæ Hincmarus senior refert in opere de divortio Lotharij & Teutbergæ respōsion: ad quintam interrogationem hisce verbis : Quidam nostrum tempore sanctæ memoriæ domini Ludovici Pii Augusti in Attiniaco palatio tunc fuerunt, quando in universali synodo totius imperii etiam cum sedis Romanæ legatis & in generali placito fæmina quædam non ignobilis genere, nomine Northildis, de quibusdam inhonestis inter se & virum suum vocabulo Agembertum ad imperatorem publice proclamavit. Quam imperator ad synodum destinavit, ut inde episcopalis auctoritas quid agendum esset decerneret. Sed episcoporum generalitas ad laicorum ac conjugatorum eam remisit judicium, ut illi inter illam & suum conjugem judicarent, qui de talibus negotiis erant cogniti & legibus sæculi sufficientissime præditi, eorumque legalibus judiciis eadem fœmina se subjiceret, & quod de quæstione sua decrevissent, sine repetitione teneret: Si vero crimen aliquod esset, inde pœnitentiæ modum post illorum judicium, ab episcopali auctoritate deposceret, secundum quod sacri canones præfixerunt, ei imponere non negarent. *Hæc ille Remensis Archiepiscopus, nec nos de ea synodo plura.*

[A]NNO [CH]RISTI 835.

[12] CONCILIUM APUD THEODONIS VILLAM, IN QUO LUDOVICUS PIUS ab episcopis iterum reconciliatus, Ebbo Rhemorum antistes, quod in illum conspirarat, damnatus, graduque suo dejectus est, in Theodonis villa palatio regio proximis ante quadragesimam diebus celebratum, anno Christi DCCCXXXV. Gregorii IV. papæ VIII. Ludovici ipsius imperatoris XXII.

SUNT qui ab hoc concilio Metense concilium sejungant : sed non tam diversæ synodi fuerunt, quam synodi ejusdem actiones distinctæ. Synodus enim apud Theodonis villam indicta, ibique primum congregata est. Ubi cum ab episcopis qui convenerant, atque inter ceteros ab Ebbone, datis libellis approbata fuisset imperatoris restitutio, in Metensium urbem omnes cum imperatore regnique primoribus profecti sunt, atque in sancti Stephani basilica, relectis a Drogone episcopo quæ de restitutione imperatoris acta fuerant, & Ebbone iterum Augustum eumdem injuste depositum, meritoque imperij solio restitutum publice professo, inter missarum

A *sacra, die, ut Ludovici vitæ auctor scribit, dominica, quæ quadragesimæ initium præcedebat, septem archiepiscopi septem reconciliationis ecclesiasticæ orationes super eum cecinerunt ; Deoque universi qui aderant pro cumulata imperatoris restitutione multas gratias reddiderunt. Post hæc ad Theodonis villam denuo regressi synodum instaurarunt, Ebbonemque, Lotharianæ factionis incentorem, accusavit imperator; quod falsis ab eo criminibus appetitus, regno dejectus, atque ecclesiæ aditu exclusus fuisset. Postulabat Ebbo, ut sibi absante imperatore causam in synodo agere liceret. Quod cum impetrasset, vi conscientiæ oppressus, episcoporumque*

ANNO CHRISTI 835.

B *quos advocarat consilio usus, libellum synodo in abdicationem sui sponte obtulit. Quo lecto, & episcoporum, quibus confessus fuerat, denuntiatione audita, omnium sententiis a pontificali ministerio cessare jussus est. Ita synodus dominica ineuntis quadragesimæ dimissa. Cujus etsi acta non extant, eorum tamen, præter vitam Ludovici, quam commemoravimus, apud alios etiam crebra est mentio, ut apud Flodoardum libro secundo historiæ Rhemensis capite vigesimo, & in synodo Suessionensi apud sanctum Medardum, & in Tricassina, anno* DCCCLXVII. *Ebboniani vero judicij seriem omnium uberrime persecutus est Hincmarus ar-*

C *chiepiscopus in posteriori opere adversus Gothescalcum capite trigesimo sexto; unde & episcoporum qui synodo interfuerunt nomina didicimus.* Nunc videndum, *inquit*, de quo ordine adjudicatorum vel condemnatorum Ebbo fuerit, quem manifestum est fuisse depositum. Qui postquam in ecclesia sancti Stephani apud Mediomatricum civitatem ambonem conscendit, & se publice denotavit coram episcopis & imperatore, & clero ac populo qui adfuerunt, quoniam eumdem imperatorem Hludouvicum falso criminatum, & injuste ab imperiali sede depositum publicæ pœnitentiæ subdidit. De

D quibus & libellum manu sua subscriptum eidem imperatori porrexit : quem qui quæsierit, in archivo ipsius Metensis ecclesiæ invenire valebit.

Unde etiam accusatus ab ipso Augusto in generali synodo habita in palatio Theodonis villa inducias petiit, & secundum canonicam institutionem elegit sibi per consensum synodi episcopos judices peccatorum suorum, quos canones electos appellant. De quibus scriptum est in concilio Africano cap. LXIII. ut ab electis judicibus provocari non liceat. Et dedit libellum synodo manu sua firmatum hæc eadem continentem.

E Ego Ebbo [a] indignus episcopus recognoscens fragilitatem meam, & pondera peccatorum meorum, testes confessores meos, Aiulfum videlicet archiepiscopum, & Badaradum [b] episcopum, nec non & Modoinum episcopum, constitui mihi judices delictorum meorum : & puram ipsis confessionem dedi, quærens remedium pœnitendi, & salutem animæ meæ, ut recederem ab officio & ministerio pontificali, quo me recognosco esse indignum; & alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccasse secreto ipsis confessus sum. Eo scilicet modo, ut ipsi sint testes alio succedendi & consecrandi subrogandique in loco meo, qui digne præesse & prodesse possit ecclesiæ cui hactenus indignus præfui. Et

[a] In codice ms. Palatino hic titulus præfigitur. Exemplar libelli quo juxta decreta S. R. E. Ebo in synodo se deposuit & ab episcopis secundum suam confessionē & subscriptionē adjudicatus fuit.

[b] Baradum

ANNO CHRISTI 835.

ut inde ultrà nullam repetitionem, aut interpella- A tionem auctoritate canonica facere valeam, manu mea propria subscribens firmavi. *Ebbo quondam episcopus subscripsi.*

Hac scriptura coram synodo prolata atque confirmata, confessus est ipse viva voce, & dedit testes alios exceptis judicibus, Nothonem archiepiscopum, Theodericum episcopum, & Achardum episcopum. Et sic ab omnibus qui in eodem concilio fuerunt episcopis, accepit sententiam, dicentibus per ordinem omnibus: Secundum tuam confessionem cessa a ministerio. Et sic coram ipso, jubente ac audiente synodo, dictatum est a Iona Aurelianense episcopo Heliæ presbytero, postea Carnotensi episcopo, & præscriptæ paginæ confessionis ejusdem in ipsa synodo subscriptum atq; B subjunctum hoc modo: Acta est hæc Ebbonis professio, ejusq; propriæ manus subscriptione roborata, in conventu synodali generaliter habito apud Theodonis villam, anno incarnationis domini nostri Iesu Christi DCCCXXXV. anno etiam imperii gloriosi Cæsaris Hludouvici XXIII. indictione " XII. sub die Kalendarum IV. Nonarum Martii. Hi sunt episcopi qui confessionem manu sua propria firmatam audierunt: in qua continebatur quod ipse Ebbo pro quibusdam criminibus, quæ confessoribus suis Aiulfo archiepiscopo, Badarado episcopo, Modoino episcopo, Achardo episcopo, Theoderico episcopo, & Nothoni archiepiscopo confessus est, nullatenus C officium pontificale agere deberet. Nam & ipsi testes eodem Ebbone poscente, & coram adstante, in conspectu omnium qui adfuerunt, tam episcoporum, quam & ceterorum sacerdotum, viva voce testificati sunt, quia tale peccatum eis confessus fuerat, pro quo dignus non erat episcopale ministerium ultra jam agere. Sed & hoc ipsi testes & confessores subintulerunt, quia si idem peccatum ante ordinationem admisisset, nullomodo episcopus ordinari debuisset. Pro qua re ad eorum consilium dixit se idem Ebbo coram omnibus ad ministerium episcopale indignum, & ab eo recedere debere, & sub pœnitentiæ modo D dominum sibi propitium facere velle. Nam & episcopi secundum confessionem ipsius manu sua propria roboratam, & testimonium confessorum suorum, decreverunt ut a ministerio recederet pontificali, & aliis orationum officiis excubiis domino serviendo eum sibi propitium faceret. Hæc sunt nomina eorumdem episcoporum.

" XIII.

Drogo archiepiscopus.
Hetti archiepiscopus.
Otgarius archiepiscopus.
Ragnoardus archiepiscopus.
Landrannus archiepiscopus.
Aldricus archiepiscopus.
Notho archiepiscopus.
Aiulfus archiepiscopus.
" Rotoldus episcopus. — " Ratholdus
Ionas episcopus.
Frotarius episcopus.
Erchanradus episcopus.
Raganarius episcopus.
Vulfinus episcopus.
Theodericus episcopus.
Achardus episcopus.
Rothadus episcopus.
adaradus episcop us.

Modoinus episcopus.
Item Theodericus episcopus.
Vvalocharius episcopus.
" Goldoricus episcopus. — " goldericus
Godofridus episcopus.
Teutmundus episcopus.
Ermbertus episcopus.
Hubertus episcopus.
" Erardus episcopus. — " Heirardus
Albericus episcopus.
Freculfus episcopus.
Ioannes episcopus.
Hildemannus episcopus.
Hildi episcopus.
Christianus episcopus.
Sisagutus episcopus.
Item Raganarius episcopus.
ispio episcopus.
Teutgaudus episcopus.
Bonus episcopus.
Favo episcopus.
Ado episcopus.
Teutbertus episcopus.
Vviladus episcopus.
Morbertus episcopus.

Et " hæc scriptura, judicante synodo, post hæc omnia patrata, data est a " Drogone, qui synodo præsidebat una cum Hetti episcopo Trevirensi, Fulconi, qui successor in sede Rhemensi Ebbonis fuerat designatus.

" Ecce illa scriptura, quæ

" ** *In ms. Palatino Vaticanæ Bibliothecæ hæc sequuntur:* Nam de hujusmodi unius subscriptione pro omnibus sicut hic Ionas episcopus, rogatu omnium coram omnibus, & pro omnibus manu notarii synodaliter egit: qui legerit in concilio Africano cap. 52. inveniet. Sed & in eodem concilio cap. 60. in commentario legatorum concilii ejusdem sufficienter reperiet. Quia autem hujusmodi libellari confessione quam sequi debet propriæ manus subscriptio episcopis a sede episcopali & sacerdotio debeat removeri, & in loco ejus alius subrogari & ordinari; ut de multis pauca perstringam, ita in decretalibus epistolis apostolicæ sedis pontificum habetur: *Dilectissimis fratribus universis episcopis per Gallias constitutis Ioannes: Innotuit nobis a fraternitate vestra missa relatio, in quibus Contumeliosus multis legitur criminibus involutus.* Et ad locum. *Prædictum autem Contumeliosum episcopum ut habeat pœnitendi licentiam petitorium dare vobis censemus ubi errorem suum alleget.* Et item. *Ioannes presbyteris, diaconibus & cuncto clero ecclesiæ in qua fuit Contumeliosus episcopus: Pervenit ad nos a fratribus & coepiscopis nostris missa relatio:* Et item ad locum. E *Et ideo in ecclesia ejus visitatorem dari nostra decrevit auctoritas, donec proprium sacerdotem possit habere. Omnem vero hanc sollicitudinem Cæsario fratri & coepiscopo nostro injungimus,* & reliqua. Et beatus Gregorius in decretis suis ex hoc scribit ad Marianum episcopum Ravennatum: sed & ad clerum & ad plebem Ariminensium: nec non ad Anatolium diaconum, sed & ad Ætherium episcopum. Indeq; in epistola ad Brunichildem reginam quia non expresse genus peccatorum in conscriptione libellari debeat denudari, sed ita ut Ebo egit & confiteri & libellari professione & subscriptione debeat honore peccans & pœnitens se privare, ita ut in decretis

ANNO CHRISTI 835.

cretis habetur. *Leo universis episcopis per Campaniam Samnium & Picenum salutem* cap. II. *De pœnitentia*, inquiens, *quæ a fidelibus postulatur*, ne de singulorum peccatorum genere libelli scripta professio publicetur, conscientia peccatorum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur. Tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata ut ea quæ pœnitentiam poscunt non timeant publicare; removeatur improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur; dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli, &c. B

Sententia ex libro episcopali qui gesta pontificum Romanorum titulatur excerpta de gestis Sergii papæ, quæ superius in secunda actione commemoratur. Post hæc vero Ebo quidam & Bartholomæus archiepiscopi, qui pro criminibus suis privati honore ab ecclesia fuerant expulsi, sanctissimo pontifici postulabant, ut eos reconciliare ac pallium eis tribuere dignaretur: quos etiam idem præsul nec communione inter clericos dignos esse suscipere dicebat; sed inter communicantem populum communicandi licentiam tantummodo haberent. Exemplar confirmationis synodi apud Suessionensem civitatem habitæ domini papæ & gratia & nomine Benedicti. Benedictus episcopus servus servorum Dei reverentissimo & sanctissimo confratri nostro Hincmaro episcopo sanctæ Remensis ecclesiæ. Probabilium sacrorumq; diffinitiones gestorum, &c. [a] *Deinde sequitur hæc apostolica manu subscriptio.* Optamus fraternitatem tuam in Christo nunc & semper bene valere. His ita præmissis & multis aliis brevitatis gratia prætermissis attendendum summopere est his qui synodum subscripserunt quod in concilio Carthaginensi dicitur: Si quis contra suam professionem & subscriptionem aliquo modo venerit ipse se honore privabit, & omnibus quos sacerdotalis ordo complectitur, & de alienis clericis, & de aliis episcopis excommunicatis; ab aliis inconsulte non recipiendis; & de subalternis manu episcopi positis pœnitentibus, & de aliis quibuscumq; sacris canonibus obviantibus providendū est, ne contra sententias sacrorum canonum & decreta Romanorum pontificum agant, quas in brevi Leo magnus urbis Romæ archiepiscopus ad universos episcopos per Campaniam, Picenum, Tusciam, & per universas provincias constitutos cōprehendens cap. 5. ita decernit. Hoc itaq; inquiens admonitio nostra denunciat, ut si quis fratrum cōtra hæc constituta venire tentaverit & prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officiō submovendum, nec communionis nostræ futurum esse consortē qui esse socius noluit disciplinæ. Ne quid vero sit quod prætermissum a nobis forte credatur, Omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium prædecessorum nostrorum quæ de ecclesiasticis ordinibus & canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Quapropter nemo sacerdotum se fallat, nemo decipiat, nullius infirmæ firmitati cōsentiat, quia istæ & aliæ sacrorum canonum sententiæ a sancto sunt spiritu promulgatæ & Christi sanguine confirmatæ, & per eorum ora prolatæ C D E

(In margin: Ide postepi... in primis Benedicti papæ III. ... VIII. ... 852.)

A qui cum Christo regnant in cœlis & miraculis coruscant in terris, & ideo omnes securi simus quia si contra tam validas auctoritates fecerimus, nec contra sæculi potestates prompti & securi esse poterimus, etiam coram deo ab illis judicati sumus pro quibus patribus qui constituti sunt principes super omnem terram filii nati sumus, nec soluta erunt in cælo quæ solvimus super terram, si ligata non sunt in cœlis quæ ipsi ligaverunt in terris.

ANNO CHRISTI 836.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Concilium apud Theodonis villam.*] Hujus synodi alterum postea exemplum nacti sumus ex bibliotheca sanctæ Mariæ Laudunensis, in quo episcoporum, qui Ebbonem damnarunt, idem numerus, eademque sunt nomina, nisi quod pro Godolrico, Godelricum legit.

NOTA SEVERINI BINII.

a *Conventus.*] Hoc conventu suasu coepiscoporum Ebbo Rhemensis archiepiscopus eo quod deponendi Ludovici imperatoris ab imperio auctor fuisset, seipsum episcopatu abdicavit. Reliqui autem qui ei consentientes fuerant, ob necessitatē qua coacti fuerant ut exautorationi imperatoris interessent, seipsos excusarunt, veniamque impetrarunt. *Facta suntista*, inquit auctor vitæ Ludovici, *ante tempus quadragesimæ; sequente vero dominica, qua sacra quadragesimæ initium præcedebat, in Metis civitatem dominus imperator, sed & episcopi & populus universalis illius conventus venit, & inter missarum celebrationem septem archiepiscopi septem reconciliationis ecclesiasticæ orationes super eumdem imperatorem cecinerunt, atque omnes populi, hoc viso, pro plenaria restitutione imperatoris, multas Deo gratias reddiderunt.* Vide Baronium anno 835. numero primo. (Acta concilii quæ.)

CONCILIUM AQUISGRANENSE II.

LUDOVICI PII AUG. IUSSU ET EVOCATIONE, Aquisgrani in secretario basilicæ sanctæ Mariæ, quod Lateranis dicitur, celebratum, VIII. Idus Februarias, indictione XIV. [b] anno Christi DCCCXXXVI. Gregorii papæ IX. Ludovici ejusdem imperatoris XXIII.

TITULI CANONUM.

CAPUT I.

De vita episcoporum.

I. *Ut episcopatum nemo ambiat muneribus, & quales esse oporteat eos qui ad episcopatum assumuntur.*

II. *Ut episcopus ministerio suo juxta regulam apostoli fungatur.*

III. *Quod hospitalitas episcopo ubique sectanda sit.*

IV *Ut episcopus litigiosis non se immisceat contentionibus, nec irreligiosis locutionibus indulgeat.*

V. *Ut nullus episcoporum, ministrorumve ipsorum, pro sacris ministeriis quidquam exigere præsumat.*

VI. *Ut episcopus ebrietati deditus, nisi se correxerit, deponatur.*

VII. *Quod in vita sacerdotum pensandum sit qualiter quisque doceat.*

VIII. *Quod cum doctrina sacerdotis convenire ipsius vita debeat.*

IX. *Quod actio episcopi populi actionem transcendere debeat.*

 X.

x. *Quod cavendum sit episcopo ne hominibus placere cupiat.* A

xi. *Ut episcopi congregationes canonicorum monachorumque sibi subjectas diligentius gubernent.*

xii. *Ut episcopi extra necessitatem remotiora loca relictis sedibus non frequentent.*

CAPUT II.

De doctrina episcoporum.

i. *Quod episcopus ante omnia rectam fidem scire ac docere debeat.* B

ii. *Quod veteris novique testamenti scripta nosse debeat.*

iii. *Quod spiritalem animarum medicinam ignorare non debeat.*

iv. *Quod euangelicam & apostolicam doctrinam, canonesque cum pastorali sancti Gregorii scire debeat.*

v. *Quod episcopum sacræ legis meditationi intentum esse oporteat.*

vi. *Quod nosse debeat qua personarum discretione prædicandum sit.*

vii. *Quomodo res ecclesiasticas dispensare debeat.* C

viii. *Ut semel in anno in cœna domini sancti olei unctionem non negligat.*

ix. *De vespertinalibus in vigilia pasche celebrandis.*

x. *Ut litania major more Romano celebretur.*

xi. *Ut singuli episcopi ministros suos recte instruant.*

xii. *Ut qui deinceps ab imperatore defecerit, aut fidelitatem violaverit, si clericus est, gradum amittat, si laicus, anathematizetur.*

De vita & doctrina inferiorum ordinum. D

i. *De abbatibus canonicorum, ut congregationes suas verbo atque exemplo regant, & episcopis subditi sint.*

ii. *De abbatibus monachorum, ut gregis sibi commissi curam gerant; & de monachis, ut sæcularibus negotiis non implicentur.*

iii. *Ut monachi episcopos in quorum sunt parochia non parvipendant.*

iv. *De ministris episcoporum, chorepiscopis, archipresbyteris, & archidiaconis, ne avari constituantur.*

v. *De officio presbyterorum erga eos qui ad ipsorum ecclesias pertinent.* E

vi. *De quadruplici negligentia presbyterorum: & ut quæ ecclesiis concessa sunt, a presbyteris, vel ab episcopi ministris non diripiantur.*

vii. *Ut presbyteri qui feminas domi vetitas habent ab episcopo corrigantur.*

viii. *Ut ab episcopis coerceantur presbyteri, qui contra canones aliquid indecenter agunt.*

ix. *Ut clerici ad majorem disciplinam revocentur, stipendiisque amplioribus foveantur.*

x. *De clericis qui ridiculo habentur, ut ad debitum statum reducantur, & laici congruum illis honorem impendant.*

xi. *Ut cum presbyteris nulla cohabitet femina: qui contra fecerit, gradum amittat.*

xii. *Ut monasteria puellarum, in quibus disciplina est collapsa, per religiosos viros emendentur.*

xiii. *Ut prælatæ monasteriorum sibi subditas probis moribus præcedant, & necessarium illis victum vestitumque suppeditent.*

xiv. *Ut prælatæ provideant ne in monasteriis sint loca in quibus Deus offendi possit.*

xv. *Ut in omnibus congregationibus claustra & congrua habitacula fiant, atque ut singulæ secundum præscriptam sibi regulam vitam constituant.*

xvi. *Ut unicuique ecclesiæ, si fieri potest, suus imponatur presbyter.*

CAPUT III.

De persona regis, filiorumque ejus, & ministrorum.

i. *Quod regis nomen ei qui recte regit conveniat.*

ii. *Quod imperator tuendæ ecclesiæ causa sit constitutus.*

iii. *Quod regale ministerium sit populum Dei cum justitia & pace regere.*

iv. *Quibus verbis regis officium a Iob & Salomone describatur.*

v. *Ut imperator filiis suis, & proceribus, dignitatem sacerdotalem notam faciat.*

vi. *Ut moneat fideles suos, ne de ecclesiasticis sinistras opiniones sine causa sumant.*

vii. *Ut accusationes episcoporum sine causa non admittantur; & ut secundum veritatẽ examinentur.*

viii. *De facultatibus ecclesiæ per laicos non distrahendis, sed ab episcopo dispensandis.*

ix. x. *Ut in constituendis pastoribus ecclesiarum & rectoribus monasteriorum curam adhibeat.*

x. *De reipublicæ ministris, & adjutoribus regis, quales eligendi sint.*

xii. *Ut regis consiliarii & ministri pacem & concordiam inter se habeant.*

xiii. *Ut filios suos in Dei timore diligenter erudiat.*

xiv. *Quod in his capitulis multa quæ corrigi debent continentur.*

xv. *Quod contra divinam auctoritatem principes in causas ecclesiasticas prosilierint, & sacerdotes sæcularibus negotiis se occuparint.*

xvi. *De episcopali libertate concedenda.*

xvii. *Ut ecclesiasticis quadragesimæ tempus sub quiete agere liceat.*

xviii. *Ut placita & nuptiæ diebus dominicis non fiant.*

xix. *De monasteriis quæ propter reipublicæ necessitatem sæcularibus dantur.*

xx. *Ut laici sacerdotes contemptui non habeant.*

xxi. *Ut familia ecclesiastica injuste non gravetur.*

xxii. *Ut communicatio corporis domini omni die dominica celebretur.*

xxiii. *Ut presbyteri aliarum parochiarum sine episcopi sui consensu in palatio non recipiantur.*

xxiv. *Ut monachi in publicis locis sine causa discurrere prohibeantur.*

xxv. *Ut raptores viduarum aut virginum investigentur, & imperiali auctoritate castigentur.*

PRÆFATIO.

In nomine sanctæ Trinitatis, cum convenissemus episcopi, quorum nomina subter annectentur, synodali evocatione convocante nos gloriosissimo & orthodoxo imperatore Ludovico, invictissimo Augusto, gratia inspirante divina,

ANNO CHRISTI 836.

vina, Aquiſgrani palatii in ſecretario baſilicæ ſanctæ genitricis Dei Mariæ, quod dicitur Lateranis, anno incarnationis domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCXXXVI. indictione XIV. anno vero imperii prædicti Cæſaris XXIII. octavo ſcilicet Iduum menſis Februarii: & ibi de ſtatu ſanctę Dei eccleſiæ, admonente sereniſſimo atque totius religiouis devotiſſimo præfato imperatore, tractare cœpiſſemus pari conſenſu: Primo viſum eſt, normam univerſæ religionis, atq; eccleſiaſticæ diſciplinæ, in duabus conſiſtere perſonis, pontificali videlicet atque imperiali: de qua re Gelaſius Romanæ ſedis venerabilis epiſcopus ad Anaſtaſium ſcripſerit ita imperatorem: Duo ſunt, inquit, imperator Auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas ſcilicet ſacrata pontificum, & regalis poteſtas. In quibus tanto gravius eſt pondus ſacerdotum, quanto etiam pro ipſis regibus hominum in divino reddituri ſunt examine rationem. Vnde etiam Fulgentius in libro de veritate prædeſtinationis & gratiæ ita ſcribit: Quantum pertinet, inquit, ad hujus temporis vitam, in eccleſia nemo pontifice potior, & in ſæculo Chriſtiano imperatore nemo celſior invenitur. Cum hæc quippe ita ſe habeant, primò, o venerande Cæſar, omnipotenti domino veſtræque benigniſſimæ excellentiæ exultantibus præcordiis immenſas referimus gratias, qui nos inſtinctu divino per devotiſſimum a ſe electum atque conſtitutum admonitorem tam miſericorditer atque clementer admonere dignatus eſt, juxta conſuetudinem beatiſſimæ memoriæ genitoris veſtri, ut memores miniſterii noſtri, divinitus nobis licet indignis collati, pro modulo poſſibilitatis, officio ſacerdotali ſecundum omnipotentis Dei voluntatem operam dare ſtuderemus. Revolutis igitur a veſtra nobis benigniſſima devotione collatis tribus capitulis, id eſt, ut ventilentur, ſine quo epiſcopi epiſcopale miniſterium abſq; offenſione divina ullo modo perficere non poſſunt: aut quid unumquemq; epiſcoporum ſcire oporteat atq; implere, nec omnino ignorare abſque periculo liceat: vel etiam quid ad ornatum ſanctę Dei eccleſiæ, & miniſterium ſacerdotale pertineat, ſine quo nec ſacerdotis vita probabilis eſſe poteſt, nec competens honor illi a ceteris devote impendi: quidq; hoc ſine quo communis omnium ſalus ac ſalvatio eſſe non poteſt, ſacerdotum videlicet totiuſque populi. Quibus perfacile ſuccinctim ac debite per ſingula reſpondere non poſſumus. Sed quia juxta aſſertionem veſtram primo reperimus temporum varietate & ordinum confuſione perplura, quæ ad ſanctæ Dei eccleſiæ ornatum erigi debeant, quoquomodo neglectu elapſa, quæcumque in nobis noſtriſque in his neglecta videntur officiis, omni devotione, omnique exoptatione, prout omnipotens poſſe annuerit, erigenda, atque ut in perfectiorem ſtatum vertantur, omnino divina ſuffragante gratia operam dare deſideramus. Veſtram ſiquidem nihilo minus ſupplici admonitione & affectu caritatis excellentiam admonentes, ſi quæ ſunt eccleſiaſtici juris veſtra piiſſima gubernatione erigenda, ut per vos veſtroſque Chriſtianæ religionis commilitones ſubleventur. De cetero noverit ſerenitas veſtra, jam ut prædictum eſt, quæ in eccleſiaſtico ordine confuſa videntur, ea nos pro modulo uniuſcujuſque capacitatis perquirere, & inſpecta, quantū ad nos pertinet, domini opitulante gratia, reſtaurare cupimus, & ut fiat magno deſiderio optamus. Perſpicientes ergo devotionem veſtram ſanctam, & Deo, ut credimus, amabilem, non mediocri laude magnificentiam Dei noſtri magnificandam, eamdemq; devotionem valde neceſſariā ſanctæ Dei eccleſiæ duximus, atque benigno affectu commiſſa conſideranda ſuſcepimus: non aliquid novum quærentes, nec contra veritatis religionem quid ſtatuentes, ſed ſtatuta antiquorum patrum innovantes, quæ per deſidiam quorumdam labefactari viſa ſunt in quocumque ordine, ac propter inuſitatum vel inveteratum uſum oblivioni tradita, ut ad priſtinum, domino adjuvante, gradum releventur, capitulis ſtrictim annectendum cenſuimus. De duabus ſiquidem perſonis, quas principales in hoc mundo eſſe non dubium eſt, ſacerdotalem prout ſub tanto temporis ſpatio poſſe non denegat, nonnulla quæ ad hoc pertinere viſa ſunt ſub brevitate annexuimus.

CANONES.

CAPUT I. *De vita epiſcoporum.*

I.

Initium enim epiſcopalis culminis poſt divinam prædeſtinationem eſſe videtur, quomodo quiſque ad culmen hujus honoris pervenit. Ideoque placitum conventui humilitatis noſtræ, ut ſicut ſæpe auctoritate divinarum ſcripturarum, ſcilicet beati Petri apoſtoli in Simonem magum damnatione, nec non & canonum ſanctione, ſed & beati Gregorii adhortatione ſancitum eſt, nullus epiſcopale miniſterium per ambitionem munerum attentare præſumat; ſed is ad epiſcopale officium perveniat, ſi ſecundum apoſtolum vivat, id eſt irreprehenſibiliter, ſobrie, prudenter, pudice, ornate, cum hoſpitalitate, cum doctrina, non vinolenter, non injurioſe, modeſte, non litigioſe, non cupide. Oportet etiam pontificem propriæ domui eſſe bene præpoſitum, & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt, ut doctrina Dei noſtri exornetur in omnibus. Nos autem etiam adjungentes, & ab his qui intus ſunt converſantes cum epiſcopo, habere teſtimonium omnem epiſcopum oportere. *1. Tim. 3. Tit. 1.*

II.

Poſt vero, ut epiſcopus juxta regulam a beato Paulo apoſtolo decretam miniſterium peragat epiſcopale: & qui ſecus geſſerit, canonum coerceatur auctoritate.

III.

Decernit etiam apoſtolus hoſpitalitatem eſſe ſectandam ab epiſcopo, quam in pluribus reperimus locis neglectam. Ideoque placet, ut deinceps in ſingulis civitatibus & monaſteriis, juxta modum rerum, hoſpitalitas ordinetur advenientium. Et placuit omnibus epiſcopis, ut quocumque ſit loco epiſcopus, coram ſe *1. Tim. 3*

ANNO CHRISTI 836.

se aggreget pauperes semper ad refectionem.

IV.

Interdicit præterea apostolica auctoritas litigium omni episcopo; quam & nos auctoritatem benigno amplectentes animo constituimus, ut nullus episcoporum se litigiosis immisceat contentionibus: sed neque irreligiosis vel indisciplinatis locutionibus, tam in domibus, quam in forinsecis conventiculis, omnino indulgeat. *Ibidem.*

V.

Cupiditatem porro, tamquam radicem omium malorum, & apostolica damnat sententia, & ab omni ordine ecclesiastico canonica proturbat interdictio, ita ut statuerit nullum clericorum de qualibet re fenus accipere. Quorum auctoritatem & nos secuti decrevimus, imo illorum auctoritati assensum præbuimus, ut nullus episcoporum, vel ministrorum ipsorum, deinceps pro distributione sacrorum ordinum, pro dedicatione sanctæ ecclesiæ, seu pro acceptione sacri chrismatis, vel pro immutatione titulorum aliquid exigere præsumat; & qui fecerit, convictus canonicæ subjaceat disciplinæ. *1. Tim. 6.* *Nic. synodus cap. 18.*

VI.

Sobrietatem vero, quam apostolus episcopo habendam docet, adeo nos eam nobis sectandam statuimus, ut nullus sacerdotum ebrietatis depravatione se aut ministerium suum vilescere faciat, quo merito reprehensibilis videatur, quia legimus ebrietatē dedecus esse cuiq; Christiano sectari, quanto magis sacerdotibus? Vnde apostolus inquit: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Legitur & alibi, sic oportere episcopum bibere, ut quasi no bibisse videatur. Quapropter deinceps quicumq; hujus ordinis huic noxio vitio inserviens deprehensus fuerit, censuimus ut secundum statutum canonicum quicumque ebrietati deservit, aut desinat, aut deponatur. *Ephes. 5.*

VII.

In ipsa autem vita sacerdotum pensandum est qualiter quisque doceat, sicut ait egregius doctor beatus Gregorius, ut recte docens infirmitatem suam quotidie omni consideratione cognoscat, ne aut humilitas accessum fugiat, aut perventioni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinam præsumptio extollat. Prius ergo appetitum timor temperet, post autem magisterium quod suscipitur vitam commendet: ac deinde necesse est ut pastoralis vitæ bonum quod vivendo ostenditur, etiam loquendo propagetur. *In præfat. lib. 1. pastoralis.*

VIII.

Doctrina autem sacerdotalis secundum cujusq; qualitatem omnibus sufficiens esse debet, modesta, prudens, discreta, honesta, atq; utilis: nec minus exemplum boni operis doctrinæ conveniens in sacerdotibus esse debet, ut quod ore doctrina profert, vitæ meritum justæ operationis, verba sacerdotis omnibus delectabilia faciat exequenda, vitamque probabilem commendet.

IX.

In libro pastorali beatus Gregorius inquit: Tantum debet actionē populi transcendere actio præsulis, quantum idstare solet a grege vita pastoris. Oportet namq; ut metiri se solicite studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate coustringitur, sub cujus æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus: internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam internorum solicitudine non relinquens. *Lib. 2. c.*

X.

Ejusdem papæ ex eodem libro: Inter hęc necesse est ut rector solerter invigilet, ne hunc cupido placendi hominibus pulset; ne cum studiose interiora penetrat, cum provide exteriora subministrat, se magis a subditis diligi quam veritatem quærat: ne cum bonis actibus fultus a mundo videtur alienus, hunc auctori reddat extraneum amor suus. *Ibidem.*

XI.

Didicimus sane nonnullos episcopos in gubernandis congregationibus sibi subjectis, canonicis videlicet, & monachis, & sanctimonialibus, hactenus valde negligentes extitisse, & ob id multos in sui detractionem & contemptum provocasse; ita ut nonnulli alii prælati in eorum parochiis constituti eorū prava exempla secuti, suas similiter congregationes neglexerint. Quos & fraterno & synodali conventu admonendos esse necessario duximus, ut ab hac negligentia deinceps se cohibeant, & ceteris se imitabiles præbeant: ne forte propter illorum incuriam, & divinæ servitutis contemptus, & pericula promoveantur animarum, & auribus excellentiæ vestræ molestia ingeratur, & nostræ mediocritati in sacris conventibus tædium & opprobrium inferatur. *Lib. 5. c. 17.*

XII.

Comperimus etiam quosdam socios ordinis nostri, non causa necessitatis aut utilitatis, *Lib. 5. c. 17.*

litatis, sed potius avaritiæ, & propriæ delectationis, sæpissime propria civitatis suæ sede relicta, cleroque neglecto remotiora loca frequentare: de qua re & destitutio divini cultus, & prædicatio in plebibus, & cura subjectorum postponitur, & hospitalitas negligitur. Quod ne ulterius a quoquam, sine inevitabili necessitate, & certa utilitate fiat, pari consensu inhibuimus.

CAPUT II. *De doctrina episcoporum.*

Consultum etiam est in propositione secundi capituli, commissumque ventilandum, quid unumquemque episcoporum scire oporteret atque implere, nec omnino ignorare absque periculo liceret.

I.

Primo visum est in omnibus, unumquemque pontificum scire oportere fidem sinceram, ut a principio sumamus exordium, omnium bonorum ponentes fundamentum, id est qualiter illum fidem ac credulitatem sanctæ Trinitatis in unitate deitatis sibi tenere atq; credere conveniat, ac ceteros perfecte instruere, qualiter & ipsi credendo salvi fieri possint.

II.

Summos itaq; sacerdotes inexcusabiliter nosse oportet, ut ex veteris novique testamenti scriptis quæ vera sunt salutiq; omnium proficua proferre docte sciant, videlicet quantum divina gratia cælitus aspirare cuiq; dignatur: quia neminem in hac incertitudine positum assequi omnia posse certum est, quousque illo perveniatur, ubi erit Deus omnia in omnibus.

III.

Nec minus medicinam spiritualem, consiliumq; salubre animarum pastores populi scire oportet, uti medicos spirituales, asserente sanctissimo pontifice Gregorio, atque dicente, Quia artium ars est regimen animarum. Quis autem interiora vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et ideo metuendum est cordis se esse medicos profiteri sacerdotes ministerii sui ignaros.

(Lib. 1. pastoralis. c. 1.)

IV.

Convenit insuper sacerdotali ministerio scire formam euangelicam, documenta apostolica, canonum instituta, normam regulæ pastoralis a sanctissimo pontifice Gregorio editæ, ne juxta eumdem sanctissimum virum ab imperitis, quod absit, pastorale magisterium aliqua temeritate usurpetur, aut vilescat.

V.

Sed & hoc scire convenit, quantum rector sacræ legis meditationibus esse debeat intentus, juxta quod in libro pastorali habetur, id est quod omne bonum rite a rectore agitur, si supernæ formidinis & dilectionis spiritu afflatus, studiose quotidie sacri eloquii præcepta meditetur; ut in eo vim solicitudinis, & erga cælestem vitam providæ circumspectionis, quam humanæ conversationis usus indesinenter destruit, divinæ admonitionis verba restaurent; & qui ad vetustatem vitæ per societatem sæcularium ducitur, ad amorem semper spiritalis patriæ compunctionis aspiratione renovetur.

(Lib. 2. c. 11.)

VI.

Sic denique ignorari non licet, quanta debet esse diversitas atq; discretio in arte prædicationis, prout in libro pastoralis digestum habetur, ita inquiente sancto Gregorio: Ut enim ante nos longe reverendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non una eademq; cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas adstringit. Sæpe namq; aliis officiunt, quæ aliis prosunt. Ideoq; rector scire debet discretiones personarum, quæ in eodem libro a plenius scire volentibus inveniri possunt.

(In prologo libri 3. pastoralis.)

VII.

Similiter scire convenit præsulibus, res ecclesiasticas non ut proprias, sed a domino sibi pro aliorum necessitatibus commissas: atque, juxta Prosperi documentum, nihil aliud esse res ecclesiæ, quam vota fidelium, precia peccatorum, & patrimonia pauperum. Idcirco summopere est decertandum, ne aliquis pontificum ea quæ ecclesiasticis tradita sunt ministeriis pro remissione peccatorum, aut aliis aptanda officiis, aut pauperibus eroganda, ne aliquis ea propria cupiditate, aut potentum terrore, parentumque procuratione, ad alios usus retorqueat: ne forte, quod aliis extat remissio peccatorum, ipsis sit damnationis augmentum: sed potius solerti meditatione indigentibus eas & ecclesiasticis ministeriis distribuat, ne exinde a domino velut inutilis dispensator damnetur; verum, quod beatius est, desiderabili voce laudetur, juxta euangelicæ parabolæ exemplum: *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium domini Dei tui.*

(De vita contempl. lib. 2. c. 9.) (Matth. 25.)

VIII.

Statutum etiam est, ut vel semel in anno, id est in quinta feria quæ est in cœna domini, unctio sancti olei, in quo salvatio infirmorum creditur, per omnes civitates ab episcopis non negligatur, sicut nunc usque neglecta est; sed omni devotione juxta traditionem apostolicam, ac statuta decretalium, in quo de eadem re præcipitur, peragatur.

IX.

Vespertinales quoque in vigilia paschæ melius celebrandæ sunt, propter lætitiam

ANNO CHRISTI 836.

Lib. 5. c. 74.

resurrectionis domini, quam dimittendæ.

X.

De litania quoque majore atque de rogationibus ventilatum est: sed communi consensu ab omnibus electum atque decretum, juxta mreom Romanum, VII. Kalendas Maii illam celebrationem, secundum consuetudinem nostræ ecclesiæ, non omittendam.

XI.

Dignum etiam duximus, ut unusquisque episcoporum studeat ministros suos pro modulo possibilitatis bene instruere; ut si forte contigerit aliquem episcoporum tardiloquentem esse, aut infirmitate aliqua impeditum, habeat tamen ministrum doctum, qui ejus vice pabula verbi divini populo administrare possit: vel etiam si episcopus de hac mortalitatis luce transierit, ut ecclesia, si a domino factum fuerit, doctore futuro non indigeat.

XII.

Rom. 13.

Constat igitur, quia quicumque potestati a domino datæ resistit, juxta apostolicum documentum, Dei ordinationi resistit. Et idcirco in commune statuimus, ut si quispiam episcoporum, aut quilibet sequentis ordinis ecclesiastici, deinceps timore, aut cupiditate, aut qualibet suasione, a domino & orthodoxo Ludovico imperatore defecerit, aut etiam sacramentum fidelitatis illi promissum violaverit, & ejus contrariis malevola intentione quolibet modo se copulaverit, gradum proprium canonica atque synodali sententia amittat. Quod si quisquam laicus superius comprehensa facere tentaverit, sciat se ab universo gradu anathematizandum.

De vita & doctrina inferiorum ordinum.

Quia vero de vita atque doctrina episcoporum, quæ in posterum servanda, nec non tenenda, de pluribus perpauca divinæ auctoritatis documentis prædiximus, necesse est etiam ut de sequentibus ordinibus aliqua adjungamus.

I.

Ut abbates canonici gregibus sibi commissis instanter invigilent, & geminam eis pastionem impendant, id est cibi & verbi, quatenus absque murmurationis vitio domino servire valeant: simul etiam ut prædicti abbates ecclesiastica jura intemerata custodiant, videlicet ut cognoscant, cujus prænomine notentur in eo quod abbates vocati sunt, quod & intelligitur in typo Christi, nomen spiritalis patris. Ideoque semetipsos nomini quod accipiunt conforment, ut subditis & spiritalibus filiis exemplum præeundo & informando religiose exhibeant. Ideoque non convenit ministerio ipsorum aliqua turpia aut sæcularia, vel etiam inania quæque sectari, quæ contra religionem esse noscuntur: sed potius canonice, religiose, caste, sobrie, atque pie & juste vita eorum omnibus sibi commissis æternæ felicitatis ducatum præbeat: & inquantum ipsi abbates, abbatumque subjecti, episcopis propriis pro se suisque omnibus rationem reddituros noverint, tanto eorum consilio atque auctoritate modis omnibus mancipentur.

II.

Abbates vero monachorum oportet pervigili studio gregis sibi commissi curam gerere; videlicet ut sine quibus esse non possunt, temporalia subsidia administrent, tantoque id studiosius decertent agere, quanto sciunt exterius nihil contingere licere. Simul etiam divinæ lectionis studio jugiter eos informent, ne aut temporali auxilio divinum opus explere nequeant, aut torpentes otio in laqueum tentationis incidant. Ipsos etiam monachos passim, & quasi absque canonicæ auctoritatis jugo, effrenatos per sæcularia negotia minime oportet discurrere, & villicis atq; sęcularibus curis inservire, sed secundum institutionem canonicam in quibus renuntiaverunt contentos esse, & neque sæcularibus, neque ecclesiasticis negotiis, nisi in causa necessitatis, accepta tamen propriæ civitatis episcopi licentia, interesse.

III.

Monachi interea non debent parvipendere pastores suos, in cujusque parochia consistentes, sicut aliqui faciunt.

IV.

Episcopi ministros non sectantes avaritiam per parochias suas constituant. Comperimus quorumdam episcoporum ministros, id est chorepiscopos, archipresbyteros, & archidiaconos, non solum in presbyteris, sed etiam in plebibus parochiæ suæ avaritiam potius exercere, quam utilitati ecclesiasticæ dignitatis inservire, populique saluti consulere. Quam negligentiam, imo eorum execrabile ac damnabile cupiditatis vitium omnes in commune deinceps vitandum statuimus. Pertimescenda porro & vigilanter cavenda est sacerdotibus domini Heli sacerdotis ruina, qui filios suos indigne agentes, Deumque pravis suis actibus ad iracundiam provocantes, sacrificioque domini injuriam irrogantes, quia verbis tantum & non verberibus corripuit, eis divina justaque ultione ruentibus ruit. At si forte, quod absit, ullus episcoporum deinceps sectatores avaritię ministros 1. Reg. 2.

ANNO CHRISTI 836.

in parochia sua constituerit, & eorum cognitam pravitatem auctoritate pastorali acriter ferire detrectaverit, exemplum negligentis Heli sacerdotis imitari se cognoscat, & synodali correptioni modis omnibus subjiciendum. Nam & in consensu communi statuimus, ut unusquisque episcoporum super archidiaconos suos deinceps vigilantiorem curam adhibeat, quoniam propter eorum avaritiam & morum improbitatem multi scandalizantur, ministerium sacerdotale vituperatur, & in ecclesiis a sacerdotibus multa propter eos negliguntur.

V.

Presbyterorum vero qui præsunt ecclesiæ Christi, & in confectione divini corporis & sanguinis consortes cum episcopis sunt, ministerium esse videtur, ut in doctrina præsint populis, & in officio prædicandi, nec in aliquo desides inventi appareant. Item ut de omnibus hominibus, qui ad eorum ecclesiam pertinent, per omnia curam gerant, scientes se pro certo reddituros rationem pro ipsis in die judicii, quia cooperatores oneris nostri esse procul dubio noscuntur. Quapropter ab ortu nativitatis cujusque ad se pertinentis prædictam curam habeat, ne aliquis eorum absque renatione sacri baptismatis moriatur. Post acceptum autem sacrum baptisma, sine manus impositione episcopi non remaneat: ac deinde imbuatur scire orationem dominicam atque symbolum. Postea vero qualiter vivere debeat doceatur. Si forte vitiosus vel criminosus apparuerit, qualiter corrigatur provideat. Si autem infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque oratione sacerdotali, nec non unctione sacrificati olei per ejus negligentiam careat. Denique si finem urgentem perspexerit, commendet animam Christianam domino Deo suo more sacerdotali, cum acceptione sacræ communionis, corpusque sepulturæ, non ut mos est gentilium, sed sicut Christianorum.

VI.

Lib. 5. c. 171. De presbyteris, & eorum ecclesiis, unde multa negliguntur, & scandala generantur, in nostra discussione quatuor nobis pericula apparuerunt. Primo quia nonnulli eorum, ab ipsis sacerdotibus quadam securitate accepta, nec ea quæ ad cultum divinum pertinent faciunt, neque in restauratione & luminaribus ecclesiæ studium habent, nec etiam senioribus suis debitam reverentiam exhibent, & insuper ecclesias suas expoliant, & in prædiola sua propria transferunt. Quæ omnia ad negligentiam eorum per- A tinere deprehendimus. Ob id vero quadam occasione accepta seniores eorum permoti in tantam audaciam prorumpunt, ut eos etiam illicite, & inhoneste, atque irreverenter tractare præsumant. Unde summopere omnibus modis abhinc providendum judicavimus, ut ea quæ a domino imperatore, consensu episcoporum, ob honorem & amorem Dei ecclesiis concessa sunt, non in avaritiam presbyterorum, aut in rapacitatem episcopa- B lium ministrorum, sed in utilitatem ecclesiæ, & in usus clericorum & pauperum deveniant.

VII.

Lib. 5. c. 172. Illud quoque non minus periculosum esse didicimus, quod in quorumdam episcoporum parochiis quosdam presbyteros, contra interdicta sanctorum canonum, feminas in domibus suis non solum habitare, sed etiam ministrare sibi faciunt, quas & laqueum sacerdotibus C persæpe extitisse, & multos hac occasione in scandalum, & in detractionem corruisse cognovimus. Quæ transgressio & tempore genitoris vestri, & vestro, in conventibus episcoporum secundum auctoritatem canonicam prohibita, sed necdum ad correctionem plene est perducta. Unde in commune censuimus, ut hi qui tantæ transgressionis incorrectores hactenus extiterint, si abhinc hujus rei correctores esse neglexerint, juxta apostoli Rom. 1. sententiam, quasi consentientes malorum coerceantur.

D VIII.

Similiter de illis presbyteris, qui contra Lib. 5. cap. 173. statuta canonum villici fiunt, tabernas ingrediuntur, turpia lucra sectantur, & diversissimis modis usuris inserviunt, & aliorum domus inhoneste & impudice frequentant, & comessationibus & ebrietatibus deservire non erubescunt, & per diversos mercatus indiscrete discurrunt, observandum judicavimus, ut abhinc districte severiterque coerceantur; ne per eorum illicitam & indecentem actio- E nem, & ministerium sacerdotale vituperetur, & quibus debuerant esse in eorum exemplum, deveniant in scandalum.

IX.

Necessarium etiam in quibusdam reperimus ecclesiis, ut clericorum ordo majori adstringatur disciplina & custodia, ampliorique foveatur stipendiorum copia, ut occasione temporalium subsidiorum sanctarum non depereat institutio rerum.

X.

De eorumdem presbyterorum vita, quæ, ut vos vere fatemini, ridicula habetur, quantum nobis posse est, curabimus ut

ut minus perfecti eorum actus ad debitum revocentur statum. Vestrum autem erit præcipere laicis, ut ipsi congruum eis & debitum impendant honorem, & in eos qui contra eos perperam gesserunt congrua procedat castigatio, quatenus & illi corrigantur, & reliqui terreantur.

XI.

Decernimus etiam, ut presbyteris nulla omnino cohabitet feminarum: contemnentes autem hanc constitutionem periculum proprii sustinere gradus.

XII.

Illud namque necessarium visum est de monasteriis puellarum, quæ in quibusdam locis lupanaria potius videntur esse, quam monasteria, propter negligentiam stipendiorum, aut certe insolertiam prælatarum. Unde postulandum est, ut religiosi viri ad hoc dirigantur, ut talia inquirant, & secundum religionem Deo placabilem emendare studeant, sicut superius de clericis decrevimus.

XIII.

Admonendæ etiam sunt prælatæ monasteriorum, ut subditas moribus probis atque exemplis præcedant, & de necessariis subditarum victualibus ad proprios usus subditis subtrahere non præsumant: ne & illæ inde, occasione videlicet minorationis victus atque vestimentorum, in laqueum incidant diaboli. Sed deinceps illæ ovibus Christi præferendæ sunt, quas contagio vitiorum non coinquinet, sed religionis devotio commendet. Nam illud perspicuum est, quæ necdum noverant esse filiæ in disciplina religionis, nec in sese religionis normam habentes, matres religiosarum fieri non posse.

XIV.

Admonendæ prælatæ sunt, ut prævideant ne in ipsis monasteriis multimodi sint anguli, vel talia loca, quæ sint tenebrosa, aut certe visui prælatorum occulta, in quibus Deus pro sceleribus inibi commissis ad iracundiam provocetur.

XV.

In custodiis vero congregationum, tam canonicorum, quamque monachorum, nec non sanctimonialium, summopere studendum censuimus, ut in omnibus locis claustra eis prævideantur religioni eorum congruentia: sed & habitacula domorum, in quibus religio Deum sequi volentibus perfici atque augeri possit potius quam vitia nutriri. Hoc tamen ut non negligatur a prælatis congregationum missis dominicis committatur. Modus autem erga ipsarum congregationum disciplinam hic esse debet, id est ut canonici, secundum id quod continetur in libro qui de eorum vita "collectus, religiose conversentur: monachi vero secundum traditam a beato Benedicto regulam unanimiter, quantumcumque posse est, cujusque religionis regularem vitam in omnibus sectentur. Sanctimoniales denique, secundum id quod earumdem sexus fragilitati congruit, religioni cum omni diligentia subdantur.

"Anno 816

Hæc nos fideles & devotissimi famuli & oratores vestri, juxta parvitatem sensus nostri, prout brevitas temporis permisit, secundum sanctam ordinationem vestram, de his quæ ad nostram, & consacerdotum subjectorumque nostrorum correctionem & emendationem pertinere perspeximus, pauca de multis sanctarum scripturarum excerpentes exempla, licet perplura inibi ad hæc pertinentia non ignorentur, quæ si per singula annotarentur, nec etiam anni volutionem ad hoc posse credimus sufficere; ideoque, ut diximus, pauca succincte ordinatimque, ut videtur, annotavimus.

XVI

Communi consensu insuper censuimus, ubicumque possibile fuerit, unicuique ecclesiæ suus provideatur ab episcopis presbyter, ut per se eam tenere possit, aut etiam priori presbytero subjugatus ministerium sacerdotale perficere possit. Quia in multis locis pericula presbyterorum imminentia perspeximus. Videlicet in officiis divinis, quamquam missarum celebrationes per omnes ecclesias sibi commissas agere possent, cetera officia, quæ ad divinum cultum pertinent, propter impossibilitatem & multitudinem ecclesiarum, quodammodo neglectu elapsa. Similiter & prævidentiæ in baptismate infirmorum, & in confessione querentium, atque in communione periclitantium, perplura remansisse. Ideoque congruentius, ut supra dictum est, omnibus videtur, cuique congruere ecclesiæ proprium habere presbyterum.

His itaque sic se habentibus, nunc quia communium salutem perspiciendam atque considerandam dignum duximus, petimus insuper jam, quia labor ad ea quæ proposita sunt inquirenda additus est, ut non in tædium auditui vertatur, sed potius ad audiendum aures accommodentur, supplici devotione rogamus.

CAPUT III.

De persona regis, filiorumque ejus, & ministrorum.

Tertium quoque capitulum duobus superioribus capitulis ex parte convenire videtur, in vita scilicet atque doctrina sacerdotum; in quibusdam vero, pariter cum sacerdotibus principes & omnem populum Christianorum tangere non dubitatur, sed & in utroque ordine partim defecisse.

ANNO CHRISTI 836.

defecisse. In sacerdotibus enim defecit, auctoritate sacerdotalis ordinis labente, quantum in ipsorum studio aliquid minus fuit quam conveniret: in principibus, scilicet in illis quos vos benevola intentione enutrire studuistis atque sublimastis, non permanente dilectione, sed abundante iniquitate, & refrigescente multorum caritate. Sed nunc quia de his quæ præmissa sunt vestro ardentissimo desiderio prius satisfacere studuimus; illud tamen, quod ad vestram specialiter personam ministeriumque pertinere cognoscimus, nullatenus oblivioni tradidimus: sed potius vestræ saluti prospicientes, nonnulla capitula necessaria fideliter collegimus, & vobis familiariter admonitionis gratia devoteque porrigenda devovimus. Similiter quædam ad filios vestros pertinentia, quædam vero ad commilitones vestros non minus pertinentia. Nec prætereundum dignum judicavimus, ut aperte atque distincte inspiciendo, legendo, & audiendo, vestra cognoscere possit solertia, filiorumque vestrorum, ac ceterorum omnium industria, de quibus, & pro quibus convenienter humilitati nostræ secundum virium possibilitatem nostrarum fideliter tractavimus pro communi omnium perpetua salute.

I.

Isidorus libro 3. sent. c. 48.

Vt quid rex dictus sit, Isidorus in libro sententiarum scribit: Rex enim, inquit, a regendo vocatur. Si enim pie, & juste, & misericorditer regit, merito rex appellatur: si his caruerit, non rex, sed tyrannus est. Antiqui autem, ut idem Isidorus libro etymologiarum scribit, omnes reges tyrannos vocabant: sed postea pie, & juste, & misericorditer regentes regis nomen sunt adepti; impie vero, injuste, crudeliterque principantibus non regis, sed tyrannicum aptatum est nomen. Vnde & beatus Gregorius ait in moralibus: Viros namque sanctos proinde vocari reges in sacris eloquiis didicimus, eo quod recte agant, sensusque proprios bene regant, & motus resistentes sibi rationabili discretione componant. Recte igitur illi vocantur reges, qui tam semetipsos, quamque subjectos bene regendo, pacificare noverunt.

II.

Ad quid etiam constitutus sit imperator, Fulgentius in libro de veritate prædestinationis & gratiæ scribit: Clementissimus quoque imperator non ideo est misericordiæ vas præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit, sed si in imperiali culmine recta fide vivat, & vera cordis humilitate præditus culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subjiciat: si magis in timore servire Deo, quam in tumore dominari populo delectetur: si in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas potestatem: si se magis diligendum quam metuendum cunctis exhibeat: si subjectis salubriter consulat, si justitiam sic teneat, ut misericordiam non relinquat: si præ omnibus ita se sanctæ matris ecclesiæ catholicæ meminerit filium, ut ejus paci atque tranquillitati per universum mundum prodesse suum faciat principatum. Magis enim Christianum regitur ac propagatur imperium, dum ecclesiastico statui per omnem terram consulitur, quam cum in parte quacumque terrarum pro temporali securitate pugnatur. Vnde & Isidorus dicit: Principes namque sæculi nonnunquam intra ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Ceterum intra ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cæleste regnum proficit, ut qui intra ecclesiam positi contra fidem & disciplinam ecclesiæ agunt, rigore principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam ecclesiæ utilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat. Salomon in proverbiis: *Misericordia & veritas custodiunt regem, & roborat clementia thronum ejus.* Prov. 20.

III.

Regale namque ministerium specialiter est, populum Dei gubernare & regere cum æquitate & justitia, & ut pacem & concordiam habeant studere. Ipse enim debet primo defensor esse ecclesiarum & servorum Dei, viduarum, orphanorum, ceterorumque pauperum, nec non & omnium indigentium. Ipsius enim terror & studium hujuscemodi, inquantum possibile est, esse debet: primo ut nulla injustitia fiat; deinde, si evenerit, ut nullomodo eam subsistere permittat, nec spem delitescendi, sive audaciam male agendi cuiquam relinquat: sed sciant omnes, quoniam si ad ipsius notitiam pervenerit quidpiam mali quod admiserint, nequaquam incorrectum aut inultum remanebit, sed juxta facti qualitatem erit & modus justæ correptionis. Vnde oportet, ut ipse judex est, judicium causamque pauperum ad se ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne forte illi qui ab eo constituti sunt, & vicem ejus agere debent in populo, injuste aut negligenter pauperes oppressiones pati permittant. Scire autem unumquemque, cujuslibet sit ordinis, oportet, quia si de otioso sermone Deo rationem redditurus est, multo magis de ministerio divinitus sibi commisso.

IV.

De ministerio autem regis ita Iob loquitur; *Cumque sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mærentium consolator.* Iob. 29.

ANNO CHRISTI 836.

solator. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Iustitia indutus sum, & vestivi me sicut vestimento & diademate judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram pauperum, & causam quam nesciebam diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Salomon: *Rex qui sedet in solio judicii dissipat omne malum intuitu suo.* Item idem in libro Sapientiæ: *Diligite justitiam, qui judicatis terram: sentite de domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Item ibi: *Audite ergo reges & intelligite; discite judices finium terræ: præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est vobis a domino potestas, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri ejus, non recte judicastis, neque custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahit personam cujusquam dominus, nec reverebitur cujusquam magnitudinem: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter pro omnibus cura est illi.* Extant & alia innumera sacrarum scripturarum testimonia regio nomini & officio convenientia, super quibus colligendis vestra sancta devotio idcirco magnum nobis ademit laborem, eo quod divina gratia adeo tot virtutum prærogativis vestrum repleverit animum, & exornaverit dignitatem, ut non sit necesse sacerdotibus domini copiosioribus exemplis qualibet exaggeratione vestrum animum onerare. Quare Deo omnipotenti gratias uberrimas ac multiplices referimus, qui ita vos pia religione, sancta devotione, benigna humilitate, amore justitiæ, operibus misericordiæ, ceterarumque sanctarum virtutum perfectione sua gratuita pietate ditavit, ut merito ab omnibus amandi & imitandi sitis.

Prov. 20. *Sap. 1.* *Sap. 6. & seqq.*

V.

Lib. 3. concil. Parif. cap. 8. & 9.

Petimus humiliter vestram excellentiam, ut per vos filii, & proceres vestri, nomen, potestatem, vigorem, & dignitatem sacerdotalem cognoscant: quod ex verbis domini facile intelligere possunt, quibus beato Petro, cujus vicem indigni gerimus, ait: *Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata in cælo.* Et alibi discipulis generaliter dicit: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Illud etiam ad exemplum reducendum est, quod in ecclesiastica historia Constantinus imperator episcopis ait: Deus, inquit, constituit vos sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi: & ideo nos recte a vobis judicamur; vos autem non potestis ab hominibus judicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate judicium, & vestra jurgia, quæcumque sunt, ad illud divinum reserventur examen. Vos enim nobis a Deo dati estis dii, & conveniens non est ut homo judicet deos, sed ille solus de quo scriptum est: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit.* Sed & hoc illis ad memoriam reducendum est, qualiter beatus Prosper, in libro quem de contemplativa & actuali vita scripsit, laudem sacerdotum comprehenderit: Ipsis enim, inquit, sacerdotibus proprie animarum curandarum solicitudo commissa est, qui pondus populi sibi commissi viriliter sustinentes, pro peccatis omnium, veluti pro suis, infatigabiliter supplicant Deo, ac velut quidam Aaron incensum contriti cordis & humiliati spiritus offerentes, quo placatur Deus, avertunt iram futuræ animadversionis a populo: qui per Dei gratiam fiunt divinæ voluntatis indices, ecclesiarum Christi post apostolos fundatores, fideles populi duces, veritatis assertores, pravæ doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, & male sibi conscii etiam ipso visu terribiles, vindices oppressorum, patres in fide catholica regeneratorum, prædicatores cælestium præmiorum, exempla bonorum operum, documenta virtutum, & forma fidelium. Ipsi sunt ecclesiæ decus, quibus amplius fulget ecclesia. Ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium. Ipsi januæ civitatis æternæ, per quas omnes qui credunt ingrediuntur ad Christum. Ipsi janitores, quibus claves datæ sunt regni cælorum. Ipsi etiam dispensatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula regis æterni dividuntur gradus & officia singulorum. Licet enim sanctis præcedentibus sacerdotibus vita & meritis longe inferiores simus, idem tamen sacrum ministerium, quod indigni suscepimus, non minoris auctoritatis & dignitatis existit. Et quamquam ministerio tanto indigni simus, propter illum tamen, cujus ministerium gerimus, in nobis non est contemnendum.

Matth. 16. *Joan. 20.* Rufin. lib. 10. cap. 2. *Psal. 18.* Lib. 1. c. 2.

VI.

Illud etiam specialiter necessarium vestræ suggerere pietati duximus, ut fideles vestri

Ibidem cap. 10.

ANNO CHRISTI 836.

vestri per vos admoneanrur & instruantur, quatenus quando aliquid nobis vestra celsitudo de nostra correctione, vel vestra, nec non & illorum salute tractandum committit, ut non per inanem & falsam suspicionem contra nos scandalum sumant, & sine causa in nos detrahendo Deum offendant, & unde sibi salutem sperare & acquirere debuerant, culpam incurrant. Quia nos nihil aliud quærere aut tractare desideramus, nec nostri officii est ut faciamus, nisi quod ad nostrum debitum ministerium, & ad illorum salutem pertinet. Et ideo non debemus ante tempus per suspicionem judicari, sed patienter expectari, donec ipsa veritas manifestum faciat, utrum magis audiendi an improbandi simus. Nos enim, si forte evenerit, ut aliquid sinistræ opinionis de nobis fama sparserit, Deo nobis opem ferente, æquanimiter tolerare & possumus & debemus. Ipsi vero culpa immunes esse non possunt, dum patrum & fratrum intentionem sine causa reprehendere non metuunt. Quoniam hoc summopere elaborandum est nobis & vobis, vt semper inter pastores ecclesiarum & gregem Christi pax & concordia unanimitasque servetur. Nisi enim caritatem & concordiam invicem habuerint, Deum sicut oportet propitium habere non merentur. Quapropter, sicut præmissum est, cum Deo inspirante vestra pietas de ecclesiastica & communi utilitate aliquid nobis tractare præcipit, non est nobis fas mentiri: quia aliquando veritatem sine gravi periculo ad tempus reticere, nunquam tamen interrogati de ipsa veritate sine gravi discrimine possumus mentiri. Sed quia veritas sæpe odium generat, & sermo Dei adversarius a domino nostris carnalibus voluptatibus describitur, tamen ei in via, id est in præsenti vita cōsentiendum est. Sic etiam erga nos agendum est, ut quotiescumque interrogati veritatem proferimus, quamquam nōnulli infirmi sine causa scandalizentur, nobis tamen consentiendum est propter ipsam veritatem. Nam sæpe, quando vobis suggerimus, ut fideles quique res ecclesiarum pie & cum reverentia & timore Dei tractent, & cognoscant illas Deo esse dicatas, quatenus sic habeant de illis temporalem profectum, ut non propter ignorantiam & negligentiam æternum patiantur detrimentum: suspicantur nonnulli, quod nos causa cupiditatis potius hoc admoneamus, quam causa salutis, cū nos veraciter nullis rebus sibi collatis optemus eos expoliari, sed magis eorum communi saluti consultum præbere: quia non rerum, ut multi arbitrantur; ambitione; sed animarum potius delectamur salvatione.

VII.

Didicimns sane nonnullos episcoporum a quibusddam personis clam temeraria detractione accusatos atque detractos, sine approbatione tamen, in causis reprehensibilibus, quæ pontificatus ordini non congruere visæ sunt; si approbatæ fuerint. Idcirco obnixe precamur, ut si aliquis deinceps accusator annisus fuerit aliquem excessum in episcopali ordine rite reprehendere, & ad aures imperiales perducere, ut non facile per cujuscumque personam officium tanti ministerii in aliquo vilescere videatur. Accusator itaque uti, sicut hactenus, delitescendo se subtrahere locum non habeat, sed neque accusatus: hujus rei veritas synodali conventui pateat, ibidemque omni occasione remota utrorum examinatio secundum veritatem examinetur, ut quod quisque meretur, accusatus videlicet, sive accusator, pro merito canonicæ disciplinæ subjaceat: ne forte quisquam sacerdotum se reprehensibilem exhibere audeat, aut etiam quisque leviter inaniterque propriæ intemperantiæ assensum præbens, tanti ordinis viros sine causa atque probatione vituperare præsumat. Licet enim sacerdotes moderno tempore, propter imminentes perturbationes, in multis sint negligentes, non sunt tamen vituperandi nec despiciendi; sed propter illum, cujus ministerium gerunt, audiendi & congruo honore venerandi. Post apostolos enim ad ipsos hæc domini sententia dirigitur. *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* (Luc. 10.) Quapropter attendendum est, quod sacerdotum Christi spretio ad injuriam Christi pertinet, cujus vicem & ministerium gerunt.

VIII.

De conservandis rebus quæ a fidelibus conferuntur, in canonibus Nicæni concilii ita roboratum esse constat: Quæ sunt ecclesiæ sub omni solicitudine, & conscientia bona, & fide quæ in Deum est, qui cuncta considerat judicatque, serventur: quæ etiam dispensanda sunt judicio & potestate pontificis, cui commissus est populus, & animæ quæ intra ecclesiam congregantur. (Syn. Antioch. can. 24.) Item in decretalibus papæ Symmachi: Synodali igitur conventu provida sententia modis omnibus enervari placuit, & in irritum deduci, ne in exemplum remaneret præsumendi quibuslibet laicis, quamvis religiosis vel potentibus, in quacumque civitate quolibet modo de ecclesiasticis facultatibus aliquid distrahendo decernere, quarum solis (Syn. III. c. 4.)

ANNO CHRISTI 836.

solis sacerdotibus disponendi indiscussa a Deo cura commissa docetur. Quoniam, ut beatus Prosper ait, res ecclesiæ non sunt propriæ, sed communes; vota videlicet fidelium, precia peccatorum, & patrimonia pauperum. Ergo quæ a religiosis viris ad substantiam pauperum ac servorum Dei, & sustentationem ac reparationem ecclesiarum sunt derelicta, nulli contra fas sine aliqua pietatis consideratione licet dispergi. Item unde supra in concilio Toletano: Quia ecclesiarum omnium dotes ad episcoporum ordinationem & potestatem pertineant, nec a quoquam aliqua præsumptione distrahantur. Item post pauca: Omnis itaque rei ecclesiasticæ quantitas, sicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum rite præparat abstrahenti.

De vita contemplativa lib. 2. cap. 4.

Cöcil. Toletan. III. cap. 19.

IX.

Iterum monendo magnitudini vestræ suppliciter suggerimus, ut deinceps in bonis pastoribus rectoribusque in ecclesiis Dei constituendis magnum studium atque solertissimam adhibeatis curam: quia, si aliter factum fuerit, & ordo ecclesiasticus suam non habebit dignitatem, & religio Christiana in multis labefactando damna detrimenti sui patietur, & animæ vestræ, quod non optamus, periculum generabitur.

X.

Similiter poscimus, ut in abbatissis constituendis, & rectoribus monasteriorum, vestrum specialiter caveatis periculum, sicut vobis sæpe est dictum, & per divinam auctoritatem crebrius manifestatum.

XI.

Sed & hoc obsecramus, ut in eligendis adjutoribus vestris, & reipublicæ ministris, qui vice vestra populum Dei regere & gubernare atque judicare debent, solertissimam providentiam habeatis, semper illud attendentes quod in libro Exodi ad Mosem dicitur: *Provide*, inquit, *de omni populo viros prudentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam: & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, qui judicent populum omni tempore: quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo judicent, leviusque tibi sit partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium domini, & præcepta ejus poteris sustentare.* Unde & in libro Deuteronomii: *Iudices*, inquit, *& magistros constitues in omnibus portis tuis, quas dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent.* Item ibi: *Dixique vobis in illo tempore: Non possum solus sustinere vos, quia dominus Deus vester multiplicavit vos, & estis hodie sicut stellæ cæli plurimi. Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, & faciat vobis sicut locutus est. Non valeo solus sustinere vestra negotia, & pondus; & jurgia. Date ex vobis viros sapientes & gnaros; & quorum conversatio sit probata in tribubus vestris.* Sed & in libro Paralipomenon ita legitur: *Constituitque rex Iosaphat judices terræ in cunctis civitatibus Iuda munitis per singula loca, & præcipiens judicibus, Videte, ait, quid faciatis. Non enim hominis exercetis judicium, sed Dei, & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non enim est apud dominum Deum vestrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.*

Exod. 18.

Deut. 16.

Deut. 1.

2. Paral. 19.

XII.

Rogamus etiam vestram pietatem propter divinam misericordiam, vestramque salutem, ac totius populi utilitatem, nec non & regni honorem atque stabilitatem, ut vestra pietas solertissimam vigilantiam adhibeat, quatenus consiliarii & dignitatis vestræ ministri, custodesque animæ vestræ & corporis, qui debent esse intra regnum aliis decus, & bonitatis exemplum, & in ceteris nationibus bonæ opinionis condimentum, caritatem, pacem, atque concordiam, omni simulatione & calliditate postposita, adinvicem habeant, ut vestram secundum Dei voluntatem, & vestram honestatem, atque totius populi profectum, communiter decertent, & veri vobis adjutores in omnibus concorditer existant. Tunc etenim veri consiliarii, verique adjutores vestri, & totius regni salubriter esse poterunt, si unanimes extiterint, & invicem dilectionem habuerint. Decet quippe, ut sacra domus vestra cunctis spectabilis appareat, & imitabilis existat, & fama suæ bonæ opinionis, sive alios imperii vestri subjectos, sive exteras nationes abundantissime perfundat. Ubi igitur omnes dissensiones & discordiæ dirimendæ, & omnis malitia imperiali auctoritate est comprimenda, necesse est ut quod in aliis corrigere decernit, in ea minime reperiatur.

Lib. 3. Cöc. Par. c. 24.

XIII.

Nam & hoc humiliter admonemus, ut liberos vestros, quos vobis divina pietas largiri voluit, in timore Dei jugiter diligenterque erudiatis, sicuti & facitis. Et ut in mutua dilectionis caritate & fraternitatis amore, atque unanimitatis concordia vicissim consistant, sedula paternaque admonitione insistatis. Et ne illicitis actibus creatoris sui offensam

incurrant,

incurrant, provida solertique circumspectione nihilominus invigiletis; attendentes beatum Iob, cujus studium, ut B. Gregorius in moralibus libris scribit, circa filios erudiendos tale extitit, ut non solum eos exterius perfectos opere & sermone perficeret, verum etiam eorum corda sacrificii oblatione mundaret. Attendite etiam David instruentem Salomonem filium suum, de quo in primo libro Malachim legitur: *Ego*, inquit, *ingredior viam universæ terræ: confortare, & esto vir fortis, & observa custodias domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, & custodias ceremonias ejus, & præcepta. Fili mi, cognoscito Deum patris tui, & servias ei corde perfecto, & animo voluntario.* Attendite etiam Tobiam, de quo legitur, quod cum factus esset vir, accepit uxorem Annam de tribu sua; & genuit ex ea filium, nomen suum imponens ei, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. Item idem alloquens eumdem filium suum: *Omnibus*, inquit, *diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta domini Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies domini. Quomodo potueris, ita esto misericors*, &c. Item paulo post: *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nequaquam patieris crimen scire. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in corde dominari permittas: ex ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Et idem non post multa: *Consilium semper a sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Item idem: *Audite ergo filii mei: Servite domino in veritate; & inquirite ut faciatis quæ sunt placita illi: & filiis vestris mandate ut faciant justitias & eleemosynas, ut sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute sua.*

[Margin: Reg. 2. / Paral. 18. / Tob. 1. / Tob. 4. / Ibidem. / Tob. 14.]

XIV.

[Margin: Ibid. c. 26.]

His omnibus prælibatis, innotescimus vobis, quod ea, quæ in capitulis vestris nobis tractanda commisistis, scilicet quid a principibus & reliquo populo, vel ita ut divina auctoritas doceat, aut aliter teneatur, vel quid inde ex parte, aut ex toto dimissum sit, ut non teneatur; nec non & in his quæ præsenti anno conscribi, & per missos vestros ob vitia comprimenda per imperium vestrum direxistis: fatemur quod in his capitulis, quæ superius continentur, multa demonstrata sunt, quæ a pastoribus ecclesiarum, & a principibus & reliquo populo hactenus neglecta extiterunt, & aliter quam divina auctoritas se habeat in his eos egisse & agere novimus. Sed si hæc nostra sacerdotalis admonitio effectum, Deo operante, per vestrum bonum studium abhinc obtinuerit, credimus quod multa quæ a multis aliter, quam divina auctoritas se habeat, dimissa sunt, quæ non tenebantur, corrigentur.

XV.

[Margin: Ibidem.]

Nam & illud, quod in eisdem capitulis continetur, ut manifestum fieret, quæ causæ id fecerint, ut sacerdotes & principes a recto tramite deviassent, exceptis præmissis capitulis, in quibus, sicut diximus, multa negligebantur; specialiter tamen unum obstaculum ex multo tempore jam inolevisse cognovimus, id est, quia & principalis potestas, diversis occasionibus intervenientibus, secus quam auctoritas divina se habeat, in causas ecclesiasticas prosilierit, & sacerdotes partim negligentia, partim ignorantia, partim cupiditate, in sæcularibus negotiis & solicitudinibus ultra quam debuerant se occupaverint. Ex hac occasione aliter quam divina auctoritas doceat in utraque parte actum extitisse dubium non est. Sed quia, Deo miserante, a progenitoribus, & genitore vestro, & a vobis multa correcta gratulamur, si ea quæ admonemus prosperum successum habuerint, credimus quod ad perfectionis statum vestra intentio nostraque devotio Deo cooperante pervenire possit. Verumtamen quia novimus statum hujus regni sub tali conditione & tenore crevisse atque dilatatum esse, & a prudentissimis sanctisque prædecessoribus nostris, sive scilicet ab episcopis, sive a principibus, hanc causam ex toto correctam non fuisse, propter hæc quæ suo tempore dici possunt, & pondus tantæ considerationis, parvitatis nostræ vires excessit, quoniam nec otium, nec spatium temporis, nec plenitudinem consacerdotum nostrorum, sicut ipsa necessitas exposcebat, habuimus.

XVI.

[Margin: Ibid. c. 27.]

Porro de episcopali libertate, quam Deo annuente, vestroque adminiculo suffragante, adipisci ad Dei servitium peragendum cupimus, suo in tempore vobis dicenda atque vobiscum conferenda reservavimus. Quatenus ita sit, ut & nosmetipsos salvare, populoque nobis subjecto utiliter prodesse, atque pro vobis & stabilitate imperii vestri liberius valeamus exorare, & de vestris obsequiis, & regni adjutorio, solatium debitum minime subtrahatur, sed, si possibile fuerit, potius augeatur.

XVII.

ANNO CHRISTI 836.

XVII.

A

Vestram interea, Deo amabilis Auguste, petimus clementiam, uti absque inevitabili necessitate sanctum tempus quadragesimæ liceat ecclesiasticis viris sub quiete agere, quatenus tempus illud, quod purificatio esse debet aliorum temporum, non inquinetur inquietudine perturbationum.

XVIII.

Gangrense concil. can. 18 Dist. 30. si quis.

Iejunium diebus dominicis tenere, & canonica interdicit auctoritas, & resurrectionis dominicæ tanta solennitas. Et B ideo placita illis diebus, neque nuptias, pro reverentia tantæ solennitatis celebrari visum est.

XIX.

Monasteria divinis solummodo cultibus dicata non debere sæcularibus dari, & canonica prodit auctoritas, & ipsorum destructio locorum. Sed quia id exigit reipublicæ necessitas, saltem collapsa loca erigi debent, & clerici locis, in quibus fuerant, restitui, quousque opportunitas id permittat emendari plenius.

XX.

Laici sane monendi sunt, ne sacerdo- C tes contemptui habeant, neve eorum monita despiciant, & tam turpiter tractent, uti hactenus; ne superveniat quod

Osea 4.

dicit propheta: *Populus tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti: & corrues hodie: corruet etiam propheta tecum.*

XXI.

Meminisse etiam debent qui res ecclesiæ atque familiam sub manu sua habent, non eos debere severe & crudeliter cum eis agere, sed cogitare, quia utrorumque dominus est in cælis: & consuetum atque antiquum ab eis servitium exigant, nihil superaddentes. D

XXII.

Sane communicatio corporis domini omni die dominica debuit celebrari. Ideoque necesse est, quantum ratio permittit, ut moderna corrigatur consuetudo, ne forte qui longe est a sacramentis, quibus est redemptus, longe sit a salute, quam fuerat consecuturus.

XXIII.

Similiter est postulandum de presbyteris, qui hincinde de diversis parochiis veniunt, & in palatio morantur, ut sine proprii episcopi consensu ibi locum consistendi non habeant, nec recipiantur: E quia fieri potest, ut intra parochiam metu perpetrati criminis, ne id palam juxta canonum sanctiones ulciscatur, palatinas ædes frequentent: aut certe, licet non sit ordinatus, ipse tamen absque literis ordinatum se attestetur.

XXIV.

ANNO CHRISTI 836.

Nec minus de monachis postulandum est, ut & ipsi in publicis locis sine ratione decenti discurrere prohibeantur, quia hoc a proposito ipsorum procul absistit. Fieri etiam potest, ut quidam illorum, sicut superius dictum est de presbyteris, perpetrato scelere in monasterio, causam vagandi potius eligant, quam regularibus disciplinis subjacere.

XXV.

De raptoribus etenim viduarum ac virginum dignum duximus, ut ab universis comitibus omni nisu investigentur, & inventi condigna invectione ex auctoritate imperiali castigentur, ut a tam illicita præsumptionis audacia ipsi coerceantur, & ceteri hoc admittere volentes terreantur.

Si hæc omnia debito dignoque ordine impleantur, opitulante superna gratia honestatem ornatumque ecclesiæ adimplere credimus. Qui enim ecclesiæ in una atque indiscreta Christi fide ac dilectione concorditer ad cælestia tendens populus dicitur, necesse est ut prædicatorum bene vivendi ac docendi instantia, & auditorum obediendi atque existendi insistentia perornetur. Hic vero ornatus fieri ullatenus nequit, nisi uniuscujusque officium proprie conservetur, imo peragatur. Constat autem eam peregrinantem duabus ut dictum est, præsentialiter personis gubernari, sacerdotali scilicet, ac regali: quatenus auctoritate episcopali, atque imperiali censura, intrinsecus & extrinsecus circumsepta, liberius modũ proprium valeat conservare. Proinde cum liqueat nos plurimum ac multifarie exorbitasse, in hoc summopere integritatem sinceritatemque cernimus esse concussam, quod filiorum vestrorum defectio atque improbitas, sed & quorumdam procerum perversitas atque infidelitas in inauditum a sæculis facinus excrevisse cognoscitur. Quæ omnia nullo modo integra, & ad necessarium dignumque finem perduci posse nobis videntur, nisi miserante domino imperiali potestate, paterna hereditate imo vigore sinceriter restituta, honor sanctæ Dei ecclesiæ integerrime reparetur, & episcopalis auctoritas proprio, imo a Christo domino sibi commisso officio denuo solvatur. Meminimus enim, in præteritis conventibus nonnulla capitula ab episcopis, vestra admonitione fuisse tractata atque statuta pro necessitate & communi salute utrorumque ordinum, ecclesiasticorum videlicet atque sæcularium: sed nescimus quibus impedientibus obstaculis, quasi oblivioni tradita. Ideoque affectu devoto, supplici admonitione admonemus, & admonendo precamur, ne ista, quæ nunc licet perpauca prælibavimus, ad statum sanctæ Dei ecclesiæ, simili modo oblivioni tradantur, sed pro speculo ab omnibus inconvulsa habeantur atque conserventur. Verum quod nos, si hæc vobis cælitus attributa non fuissent, cum temporali periculo, propter auctoritatem ministerii nostri, vos ad ea peragenda admonere, imo admonendo exigere a vobis quoquo modo debueramus vos econtra propter divinum amorem & honorem & admonendo nos ad potiora provocatis, & piam opportunamque

*nobis

ANNO CHRISTI 836.

*nobis ferre devotissime curatis. Proinde humilibus precibus specialiter pietati vestræ suggerimus, ut bonum quod cœpistis Deo opitulante indesinenter perficere ne gravemini, & in adimplendis operibus justitiæ ac pietatis & misericordiæ nullatenus perficiatis: quoniam non inchoantibus, sed perseverantibus, præmium æternæ vitæ datur, & juxta veritatis vocem, *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

*opem deesse videtur.

Matth. 10.

SYNODI AQUISGRANENSIS II. AD PIPPINUM REGEM AQUITANIÆ LIBRI III.

In quibus ea, quæ per commonitorium regi antea suggesserant, manifestis sacræ scripturæ auctoritatibus confirmantur.

TITULI CAPITUM LIBRI I.

PRÆFATIO; SIVE EPISTOLA SYNODI AD PIPPINUM.

Inclyto cælestique gratia regio munere insigniter sublimato domno Pippino regi nobilissimo, & per immensum a Deo conservando, Cœtus venerabilium præsulum, & sequentis ordinis religiosorum sacerdotum, apud Aquisgrani jussu salutifero & ordine providentissimo piissimi & orthodoxi genitoris vestri domini nostri Ludovici Cæsaris eximii, ob honorem & decorem sanctæ E *Dei ecclesiæ procurandum, & quasdam dignitates ecclesiasticas, magna ex parte collapsas atque fuscatas, ad pristinum statum nitoremque domino opem ferente revocandas synodaliter congregatus æternæ beatitudinis optat felicitatem.*

Nos igitur fidelissimi oratores vestri, salutisque vestræ amatores devotissimi, miseramus nuper celsitudini vestræ per venerabiles fratres, Aldricum videlicet Cenomanicæ urbis, & Herchinradum Parisiorum coepiscopos nostros, quamdam schedulam, quædam ex auctoritate ministerii nostri salutaria monita

ANNO CHRISTI 836. continentem. Cui quia de negotiis, unde vestram magnitudinem admonuimus, testimonia sanctarum scripturarum, vitantes illius prolixitatem, annectere nequivimus, utile necessariumque judicavimus, ut in hoc opusculo ea breviter annotaremus vestræque prudentissimæ solertiæ legenda mitteremus: ut si forte quispiam objicere voluerit hæc quæ vobis scripsimus, non ex auctoritate divina constare, sed potius arbitrio cordis nostri, imo cupiditate & quadam adinventione commentata esse, his lectis atque perpensis evidenter agnoscat, nos quæ Dei sunt, & ad vestram salvationem hic & in æternum, & ad regni vobis commissi stabilimentum, se autem ea quæ mundi sunt, ejusque amatores diligunt, & Dei voluntati usquequaque contraria existunt, & ad animarum interitum pertinent, absque dubio loqui.

A

B

CAPUT I.

Sunt enim nonnulli, qui propterea hæc tam temere loquuntur, & in barathrum cupiditatum suarum miserabiliter labuntur, eo quod divinorum præceptorum transgressores, sanctæque Dei ecclesiæ dehonoratores atque expoliatores non continuo puniantur: non animadvertentes, neque animadvertere volentes, quod Deus nullum peccatum inultum dimissurus sit. Tribus itaque modis peccata mortalium vindicantur, duobus in hac vita, tertio vero in futura vita. De duobus ita apostolus inquit: *Si nosmetipsos judicaverimus, a domino non judicabimur.* Hæc est vindicta quam inspirante Deo omnis peccator pro suis admissis pœnitendo in seipso vindicat. Quod autem prosequutus idem apostolus infert: *Cum judicamur autem, a domino corripimur; ut non cum hoc mundo damnemur:* Hæc est vindicta quam omnipotens Deus misericorditer peccatori irrogat, juxta illud: *Deus quem amat corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Tertia autem extat valde pertimescenda atque terribilis, quæ non in hoc, sed in futuro justissimo Dei judicio fiet sæculo, quando justus judex dicturus est: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.*

1. Cor. 11. C

Heb. 12.

Prov. 3.

Matth. 25.

II.

Si enim, ut verbis beati Augustini utamur, omnipotens Deus omnia mala mortalium in hoc sæculo judicasset, nequaquam homines male agentes diem futuri judicii pertimescerent. Rursus si nulla mortalium mala in hoc sæculo judicasset, non putaretur res curare humanas. Idcirco quædam judicat in hoc sæculo, ut videatur ejus piissima providentia & misericordia gratuita rebus consulere humanis: idcirco quædam non judicat, sed futuro reservat judicio, ut homines de futuro terreantur examine.

D

III.

Sunt etiam quidam dignitatem ecclesiasticam non curantes, imo suam cupiditatem explere volentes, sibique in Deo oblatis sacratisque rebus auferendis impunitatem inaniter promittentes, qui contra salutem suam hæc temerario, imo perniciosissimo solent dicere ausu: Quid mali quidve discriminis est, si rebus ecclesiasticis in nostris pro libitu nostro utimur necessitatibus? Quid curæ est inde Deo sanctisque ejus, ob quorum amorem Deo dicantur oblatæ, cum utique in eorumdem sanctorum usus nihil ex his cedat? Et ubi Deus hæc, quæ ecclesiarum rectores opponunt, jussit sibi offerri, præsertim cum omnia quæ in terris sunt sua sint, & ille ea ad usus hominum creaverit? Quorum argumentationi insanissimæ, divinæque injuriæ plenissimæ, prout dominus annuerit ex utriusque testamenti paginis, & sanctorum patrum dictis eximiis tentabimus respondere.

E

LIBRI CAP. I. &c.

IV.

Primum quidem, quod omnia terrarum regna, & omnia bona terræ, domini sint, & ex suis sua sibi offerantur, & verbis David regum sanctissimi, & prophetarum eximii: post autem, quod Deus sua, sive ante legem, sive in lege, & ad sanctuarium, & ad templum sanctum suum jusserit offerri, conabimur demonstrare.

V.

Legimus itaque in libro Paralipomenon: *Dixit quoque David Salomoni filio suo: Viriliter age, & confortare, & fac: ne timeas, neque pavеas. Dominus enim Deus meus erit tecum, & non dimittet te, neque derelinquet, donec perficias omne opus ministerii domus domini. Ecce divisiones sacerdotum & Levitarum assistunt tibi, & parati sunt, tam principes quam populus, facere omnia præcepta tua. Locutus que est David rex ad omnem ecclesiam: Salomonem filium meum unum elegit Deus, adhuc puerum & tenellum: opus autem grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* 1. Paral. 2

VI.

Ego autem totis viribus meis præparavi impensas domus domini Dei mei. Aurum in vasa aurea, & argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, lignum in lignea, & lapides onychinos, & quasi stibinos, & diversorum colorum, omnem pretiosum lapidem & marmor Parium abundantissime. 1. Par. 29.

VII.

Et super hæc quæ obtuli in domum Dei mei, de peculio meo aurum & argentum, do in templum Dei mei, exceptis his quæ paravi in ædem sanctam: tria millia talenta auri de auro Ophir: & septem millia talentorum argenti probatissimi, ad deaurandos parietes templi. Et ubicumque opus est aurum de auro, & argentum de argento, opera fiant per manus artificum. Et si quis sponte offert impleat manum suam hodie, & offerat quod voluerit domino. Policiti sunt itaque principes familiarum, & proceres tribuum Israel, tribuni quoque & centuriones, & principes possessionum regis. Dederuntque in operibus domus domini auri talenta quinque millia, solidos decem millia, argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia, ferri quoque centum millia talentorum. Et apud quemcumque inventi sunt lapides, dederunt in thesauros domus domini per manu Iahiel Gersonitis. Lætatusque est populus, cum vota sponte promitterent, quia corde toto offerebant ea domino. Sed & David rex lætatus est gaudio magno, & benedixit domino coram universa multitudine, & ait: Benedictus es domine Deus Israel patris nostri ab æterno in æternum. Tua est domine magnificentia & potentia, & gloria atque victoria: & tibi laus: cuncta enim quæ in cælo sunt, & quæ in terra, tua sunt. Tuum domine regnum; & tu es super omnes principes: tuæ divitiæ & tua est gloria, tu dominaris omnium, in manu tua virtus & potentia, in manu tua magnitudo & imperium omnium. Nunc igitur Deus noster; confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum. Quis ego, & quis populus meus, ut possimus hæc tibi universa promittere? Tua sunt omnia; & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.

VII.

VIII.

Peregrini enim sumus coram te & advenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram, & nulla est mora. Domine Deus noster, omnis hæc copia quam paravimus, ut ædificaretur domus nomini tuo sancto, de manu tua est, & tua sunt omnia. Scio, Deus meus, quod probes corda, & simplicitatem diligas. Unde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc: & populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & semper in venerationem tui mens ista permaneat. Ecce quibus documentis tanti regis, Deo videlicet pleni de quo dominus ait: *Inveni David virum secundum cor meum, oleo sancto meo unxi eum*; liquido demonstratur, quod omnia quæ in cælis & in terris sunt domini sunt. (Psal. 88.)

B

IX.

Et quod Deo nemo quidquam offerre valet, nisi ea quæ de manu ejus accipit, & quod dominus de his quæ dedit, sibi pretiosa quæque, suoque nomini sancto sacratis locis offerri non abnuit, imo oblatis delectatur, & oblata auferri non patitur. Nam his & aliis divinarum scripturarum testimoniis luce clarius extat manifestum, quod ea quæ dominus sibi offerri jussit ad cultum sanctuarii, templique sui, & ad usum sacerdotum Levitarumque omnino cedere voluit. Et sicut in votis sponte offerentium lætatur, ita in non offerentium, vel etiam quoquomodo auferre tentantium transgressionibus periculum interminatur mortis, sicut in sequentibus demonstrabitur.

C

X.

Nemo porro putet ea quæ injuste acquisivit de manu Dei se accepisse, aut quidquam ex his Deo gratum offerre posse, cum scriptum sit: *Qui offert Deo ex rapina pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Qui ergo ordinate vult aliquid Deo offerre, primum seipsum offerat, videlicet, juxta apostolum, *hostiam vivam, sanctam, Deo placentem*: deinde ex his quæ juste acquisivit, id est, quæ de manu domini Dei accepit, sibi profuturum feliciter tenus domino accommodet. (Eccl. 34. Philip. 4.)

D

XI.

Aggrediamur igitur tandem seriem veteris testamēti & rimando inspiciamus, & inspiciendo rimemur, qualiter origo & religio Deo offerendarum rerum inchoaverit, & qualiter usque ad sæculum nostrum per mediatorem Dei & hominum, dominum videlicet Iesum Christum redemptorem nostrum, & per ejus apostolos, nominis sancti sui strenuos prædicatores, suæque fidei rudimenta in omnem terram propagantes, eorumque successores, dilatata & incrementata fuerit.

E

XII.

Per beatum videlicet Petrum apostolorum principem in occidentis, per beatum vero Ioannem apostolum & euangelistam in orientis, id est in Asiæ partibus, per beatum etiam Paulum in tota generaliter mundi latitudine fundata, & ex oblationibus fidelium constat ditata atque honorata. Qualiter autem ceteri coapostoli illorum in regionibus sibi a Christo domino ad prædicandum commissis, ecclesiam Christi fundaverint, & fidelium donis constare fecerint, gesta illorum, quæ in promptu habentur evidenter testantur; quæ hic ponere magnæ esset prolixitatis.

A

XIII.

Memorata igitur origo & religio primum cœpit sine altari ab Abel justo, de quo in libro Geneseos ita legitur: *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Et respexit dominus ad Abel, & ad munera ejus: ad Cain vero & ad munera ejus non respexit.* Quibus verbis non inconvenienter accipi possunt in persona Abel hi qui sua sponte, id est ea quæ de manu Dei acceperunt, Deo creatori suo gratanter offerunt: in persona vero Cain hi qui malevolo & invido animo ex male acquisitis quidquam Deo offerre gratum putant. Quapropter necesse est ut factum Abel imitetur, & factum Cain prorsus detestetur. (Gen. 4.)

XIV.

Noe quoque ingentis cataclysmi periculo domino se protegente liberatus, eoque jubente de arca egressus, non extra altare, sed jam supra altare, ob liberationem sui holocausta Deo obtulit, sicut in eodem libro Geneseos legitur: *Ædificavit autem Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecudibus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare, odoratusque est dominus odorem suavitatis.* (Gen. 8.)

XV.

Perpendēda sunt hæc verba quibus dicitur: *Odoratusque est dominus odorem suavitatis.* Manifestum quippe est, & offerentis animum, & eadem holocausta Deo usquequaque grata extitisse: quoniam nec in offerente, nec in his quæ oblata sunt, quidquam Deo odibile ac detestabile creditur extitisse: & propter donum suæ oblationis, continuo benedictionem a domino eumdem Noe percepisse. *Benedixit*, inquit, *Deus Noe & filiis ejus, & dixit ad eos: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ*; & cetera quæ sequuntur. Si enim oblationem Noe dominus in odorem suavitatis odoratus est: procul dubio ablationem sibi oblatarum rerum & detestatur & detestatus est. Et si pro sua oblatione benedictionem a Deo idem Noe promeruit, patet profecto, quod qui Deo oblata sibi subripit, aut aliis distribuit, pro benedictione maledictionem incurrit. (Ibidem. Gen. 9.)

XVI.

Abraham autem cujus non natura, sed gratia filii sumus, & in cujus semine, id est in Christo, benedicimur, qui credidit Deo, & reputatum est ei ad justitiam, & qui domino imperante egressus est de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui, & venit in terram quam Deus ei demonstravit, cui & dominus dixit: *Faciam te in gentem magnam, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus: benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ.* Cui etiam rursus apparens dixit: *Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit altare domino, qui apparuit ei. Et ipse*, ut in libro Geneseos legitur, *idem transgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai. Ædificavit quoque ibi altare domino, & invocavit nomen ejus.* Item post pauca in eodem libro: *Dixit dominus ad Abraham postquam divisus est Loth ab eo: Leva oculos tuos, & vide a loco in quo nunc es, ad Aquilonem & meridiem,* (Gen. 12. Ibidem. Gen. 13.)

meridiem, ad orientem & occidentem; omnem terram, quam vides, tibi dabo & semini tuo in sempiternum: faciamque semen tuum sicut pulverem terræ. Si quis potest hominum numerare pulverem, & semen quoque tuum numerare poterit. Surge & perambula terram in longitudine & latitudine sua, quia tibi daturus sum eam. Movens igitur Abraham tabernaculum suum, venit & habitavit juxta convallem Mambre, quæ est in Hebron: ædificavit quoque ibi altare domino. Perpendendum itaque est, quantæ fidei, quantæve devotionis vir iste sanctus fuerit, qui pro eo quod Deo credidit, eique altaria erexit, cultumque ejus venerando dilexit, & à Deo benedici, semenque suum propagari ac multiplicari, eique amplissima regna terræ dari, & de hostibus suis triumphum sibi præberi, nec non & in suo semine, quod est Christus, gentes, quæ nos sumus, benedici, & alia, quæ enumerare longum est, beneficia promeruit nancisci.

XVII.

Quod si Abraham pro eo quod Dei altaria erexit, cultumque ejus veneratus est, tot a Deo meritorum prærogativis donatur, dubium non est, quin altarium sanctorum eversores & sacrarum rerum, quibus in eisdem altaribus Deo famulandum est, subreptores damnentur. Reverso igitur eodem Abraham a cæde regum, quos Deo secum pugnante superaverat, & egresso sibi obviam rege Sodomorum, ita de illo in eodem sequitur libro: *At vero Melchisedech rex Salem proferens panem & vinum, (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cælum & terram; & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.* Gen. 14.

XVIII.

Quod Melchisedech sacerdos Dei altissimi typum gesserit Christi, catholica sentit ecclesia. Quod ei Abraham decimas ex omnibus dedit, ipsius Abrahæ ingentia commendantur præconia. Quem imitantur qui sacerdotibus Christi ob illius amorem & honorem decimas dant: & ab illius merito sequestrantur, qui Deo oblatas decimas auferunt.

XIX.

Videamus itaque sequentia, quibus fides & devotio Abrahæ quodam admirabili modo incrementatur: qui adeo erga divinum cultum timoremque Dei flagrando excrevit, & excrescendo flagravit, ut jubente domino non solum jam altare in honorem Dei construxerit, sed etiam in eo unigenitum filium suum immolare paratus fuerit. Et quod ne filium immolaret angelus ei inhibuit, arietem tamen in holocaustum Deo pro filio obtulit: & propterea audire meruit, sicut in sæpefato libro legitur: *Vocavit autem angelus domini Abraham secundo de cælo, dicens: Per memetipsum juravi, dicit dominus, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli*, & cetera quæ sequuntur. Perspicuum quippe est, & valde mirandum, quia quanto ferventior circa Dei cultum mens Abrahæ fuit, tanto amplius uberiusque divina beneficia, & præsentia & futura, sibi polliceri audivit. Gen. 22.

XX

Unde datur intelligi, quod amatores, & exaltatores, ac ditatores, sive etiam veneratores divini cultus, a domino & in præsenti sæculo defendi & exaltari, & in futuro mercede æterna remuneratur donari: & qui secus agunt, aut egerint, infernalibus claustris mancipari. Deus itaque, sicut jam supra dictum est, si ea quæ dedit sibi suisque sacratis locis jubet offerri, & ea quidam auferre non pertimescunt; quid facerent, rogo, si Deus illis aut semetipsos, aut filios eorum sibi in holocaustum juberet offerri? Certe credendum est, qmod sicut in auferendis sacratis rebus Deo inobedientes existunt, ita nihilominus in semetipsis offerendis, aut filiis, inobedientes existerent.

XXI.

Audiamus etiam quid Isaac patriarcha fecerit, de quo ita in memorato habetur libro: *Ascendit ex illo loco in Bersabee, ubi apparuit ei Deus in ipsa nocte dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui. Noli metuere, quia tecum sum, & benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham. Itaque ædificavit altare, & invocato nomine domini extendit tabernaculum.* Attende quod Isaac Deus apparere, & ne metuere debeat, admonere, eique benedicere, ac semen suum se multiplicaturum polliceri dignatus sit; eique Isaac altare ædificaverit, tabernaculumque extenderit. Et perpende, quod pro Dei beneficiis, quibus largiente ejus clementia, immeriti & ingrati ubertim in hac mortalitate utimur, potius debeamus divinum cultum adinstar Isaac, & ceterorum sanctorum patriarcharum, in altaribus erigendis & oblationibus aliisque muneribus offerendis honorare, quam his abstractis, nostroque libitu utentes quodammodo dehonorare. Gen. 26.

XXII.

Videamus præterea quomodo religio, de qua agitur, in Iacob patriarcha amplius exuberaverit, de quo ita in eodem libro legitur: *Igitur egressus Iacob de Bersabee pergebat Haran. Cumque venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui jacebant, & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: terram in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo, eritque semen tuum quasi pulvis terræ. Dilataberis ad occidentem, & orientem, & septemtrionem, & meridiem: & benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ: & ero custos tuus, quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc, nec dimittam, nisi complevero universo quæ dixi. Cumque evigilasset Iacob de somno, ait: Vere dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pavensque, Quam terribilis, inquit, est locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. Surgens vero mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper. Appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur. Vovit etiam votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via per quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere ad domum patris mei, erit mihi dominus in Deum, & lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi.* Item post pauca: *Transivitque in Salem urbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, postquam egressus est Iacob de Mesopotamia Syriæ, & habitavit juxta* Gen. 28. Gen. 33.

NNU HRISTI 836.

A *juxta oppidum, emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula, a filiis Emor patris Sichem, centum agnis: & erecto ibi altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israel.* Item paulo post: *Interea locutus est Deus ad Iacob: Surge & ascende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum. Iacob vero convocata omni domo sua ait: Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra. Surgite, & ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo, qui exaudivit me in die tribulationis meæ, & fuit socius itineris mei.* Et infra: *Venit Iacob Luzam, quæ est in terra Chanaan, cognomento Bethel: ipse & omnis populus cum eo. Ædificavitque ibi altare, & appellavit nomen loci illius, Domus Dei. Ibi enim apparuit ei Deus, cum fugeret fratrem suum.* Item infra: *Apparuit autem iterum Deus Iacob, postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ, benedixitque ei, dicens: Non vocaberis ultra Iacob, sed Israel erit nomen tuum: & appellavit eum Israel, dixitque ei: Ego Deus omnipotens, cresce & multiplicare, gentes & populi nationum erunt ex te, reges de lumbis tuis egredientur. Terramque quam dedi Abraham & Isaac, dabo tibi & semini tuo, & recessit ab eo. Ille vero erexit titulum lapideum in loco, quo locutus ei fuerat Deus, libans super eum libamina, & effundens oleum, vocansque nomen loci illius Bethel.* Item
C post multa: *Profectus est Israel cum omnibus quæ habebat, & venit ad Puteum juramenti. Et mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audivit eum per visionem noctis vocantem se, ac dicentem sibi: Iacob, Iacob. Cui respondit: Ecce adsum. Ait illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego adducam te inde revertentem.*

XXIII.

Ecce quomodo major jam in Iacob divini cultus amplificatio facta est, qui non solum altaria erexit, oleum desuper fudit, victimas obtulit, & Deo, si prospere ad propria illum redire fecisset, D de omnibus quæ illi dedisset decimas & hostias illi daturum promisit, locumque, ubi in somnis scalam pertingentem usque ad cælos, angelosque per eam descendentes & ascendentes, & dominum innixum scalæ vidit terribilem, & vere domum Dei ac portam cæli esse dixit.

XXIV.

Vnde hodie quoque Christiana religio, exemplum sumens ex antiqua patrum traditione, domos in honorem Dei ædificat ac dedicat, & altaria erigit, eisque oleum superfundit, ac sacrosancto chrismate perungit ea, & de factis dictisque ejusdem Iacob melodiam Christo canit, & a fidelibus oblationes & vota, & preciosarum diversarumque rerum, ad decorem & honorem divini cultus, sacerdotum, ceterorumque mini- E strorum Christi usus, pauperumque receptionem ac recreationem, suscipit donaria. Qui autem hujuscemodi donaria ad injuriam Dei omnipotentis, templorumque sanctorum suorum dehonorationem & humiliationem, sacerdotumque Dei vituperationem auferre præsumit, cujus sit discriminis & damnationis, ut perpendat salubriter admonemus. Quoniam, sicut verbis ejusdem patriarchæ Iacob aperte demonstratur, cuncta Deo dicata templa, & terribilia sunt, & Dei habitacula, & vere domus Dei sunt, & portæ cæli. Paveat ergo adinstar Iacob humana præ-

A sumptio, ne quoquomodo de tam terribilibus & sacratis locis violandis sibi proveniat damnatio.

ANNO CHRISTI 836.

XXV.

Liberato quoque populo Israelitico de Ægyptia servitute, quid dominus per famulum suum Mosem, sicut in libro Exodi legitur, præceperit, videamus. *Locutus est dominus ad Mosen dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus quam de jumentis: mea sunt enim omnia.* Si quærat aliquis, quid sit sanctificare, & ex hoc loco, & ex aliis divinarum scripturarum locis diligenter animadvertat, quod nomen sanctificationis, dominicæ sit oblationis atque consecrationis. Se- Exod. 13.
B quitur in eodem libro: *Cumque introduxerit te dominus in terram Chananæi, sicut juravit tibi, & patribus tuis, & dederit eam tibi, separabis omne quod aperit vulvam domino, & quod primitivum est in pecoribus tuis, quidquid habueris masculini sexus, consecrabis domino.* Notandum quia quod supra dixit sanctificare domino, hic modo dicit consecrare domino. Sequitur in eodem libro: Ibidem.
Dixit autem dominus ad Mosen: Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Iosue. Delebo enim memoriam Amalec sub cælo. Ædificavit Moses altare: & vocavit nomen ejus, dominus exaltatio mea, dicens: Quia manus solii domini, & bellum Dei erit contra Amalec a gene- Exod. 17.
C *ratione in generationem.* Perpende quod famulus Dei Moses ob gratiarum actionem, suique ac populi Dei liberationem, hostiumque suorum internecionem, altare domino erexerit. Et si Moses propter hæc quæ præmissa sunt domino altare erexit, cavendum illis est, qui altaria domini obruendo dehonorant, & dehonorando obruunt, ne si quando se adversus hostes suos proripiunt, seipsos eisdem triumphum exhibeant. Sequitur in eodem: *Dixit præterea dominus ad Mosem: Hæc dices filiis Israel: altare de terra facietis mihi, & offeretis super illud holocausta, & pacifica vestra, aves vestras & boves; in omni loco, in quo fuerit memoria nominis mei, veniam ad te, & benedi-* Exod. 20.
D *cam tibi.* Nota quod altare domino erigentibus, & holocausta immolantibus, adventus Dei & benedictio promittatur. Potest & huic loco aptari illud evangelicum, quo dicitur: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Felix porro, & valde felix illa mens est, quæ tanto habitatore lætatur. Quapropter noverint his, quæ paulo supra memorata sunt, contraria agentes, & adventu & benedictione Dei se indignos usquequaque fore. Sequitur in eodem post multa: *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum domini Dei.* Et infra: *Quod si audieris vocem domini Dei tui, & feceris ea quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te; præcedetque te angelus meus.* Item in- Ioan. 14. Exod. 23.
E fra: *Si servieris domino Deo vestro, benedicam panibus tuis & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui.* Vide quæso quot quantave pro primitiis frugum terræ Deo oblatis, & aliis quæ cominus junguntur, beneficia offerentibus promittantur, & quanta non deferentibus pœna & maledictio interminetur, sicut in subsequentibus multis in locis perfacile inveniri potest. Sequitur in eodem: *Scripsit autem Moyses universos sermones domini: & mane consurgens ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israel. Misitque juvenes de filiis Israel, & obtulerunt holocausta, immolaveruntque* Idem. Exod. 24.

ANNO CHRISTI 836.

que victimas pacificas domino: assumensque volumen fœderis legit audiente populo, qui dixerunt omnia quæ locutus est dominus faciemus, & erimus obedientes. Quod si quærit aliquis, quid mercedis, quidve remunerationis pro altari ædificato, & oblatis holocaustis & victimis, filii Israel nacti sunt, audiat sequentia: *Ascenderunt Moyses & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel, & viderunt Deum Israel.* Quæ merces, quæ remuneratio cultum Dei venerantibus potest esse major, quam Deum suum videre, qua se videri voluit, & loqui concedit, & esse cum Deo suo? (Ibidem.)

XXVI.

Hactenus de altaribus Deo erectis & ædificatis, & quibusdam oleo perunctis, de holocaustis, & victimis, & hostiis pacificis Deo oblatis, & primitiis frugum terræ offerendis, & ceteris quæ enumerare longum est, paucis collectum est: nunc autem subtiliter perpendendum est, qualiter religio divini cultus ad majora & eminentiora domino jubente succrescat. Sequitur enim in eodem libro: *Dixit autem dominus ad Moysem: Ascende ad me in montem, & esto ibi: daboque tibi tabulas lapideas, & mandata quæ scripsi, ut doceas filios Israel.* Et infra: *Ingressusque Moyses medium nebulæ ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* (Ibidem.)

XXVII.

Locutusque est Dominus ad Moysem dicens: Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias: ab omni homine qui offeret ultroneus, accipietis eas. Hæc sunt autem quæ accipere debetis; aurum, argentum, & æs, hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum, pilos caprarum, & ligna setim: oleum ad luminaria concinnanda, aromata in unguentum, & thymiamata boni odoris: lapides onychinos, & gemmas ad ornandum ephod, & rationale: facientque mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum, juxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum ejus. (Exod. 25.) Qualiter vero ejusdem sanctuarii & tabernaculi, omniumque ad cultum & honorem ejus pertinentium constructio domino præcipiente celebrata sit, quæve sanctificata preciosa sacerdotum indumenta, nec non & Levitarum, & cetera ad usus eorum pertinentia, & diversarum rerum, non aliarum nisi preciosarum, ingentia ac multiplicia dona domino oblata & sanctificata seu sacrata sint, quia hic longum est commemorare, si quis plenius ea nosse vult, sequentia legat, & inquirendo inveniet, quod ea quæ Deo offeruntur & sanctificantur, in jus sacerdotum cedere jubeantur, & non sit externorum officii ad ea accedere, aut quemquam ex his aliquid contingere aut offerre: & qui hoc facere tentaverint, mors ei a domino comminetur, sicut habes in libro Levitici: *Si quis externorum accesserit, morte moriatur.* (Levit. 4.) Plenum sane sacramenti est, quod non alibi nisi in monte & lex datur, & sanctuarium domini fieri præcipitur. Quid autem & lex & sanctuarium, & arca, & tabulæ, & cetera quæ ibi fieri jubentur significent, sanctorum patrum explanationibus legere & nosse volentibus copiosissime panditur.

XXVIII.

Sequitur in libro Levitico: *Si peccaverit princeps, & fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod domini lege prohibetur, & postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam domino.* (Ibidem.) Et infra: *Rogabitque pro eo sacerdos & pro peccato ejus, & dimittetur ei.* Observa quod quilibet reatus principis non nisi oblatione domino facta, & oratione solvatur sacerdotis. Item in eodem: *Anima si prævaricans ceremonias per errorem in his quæ domino sunt sanctificata peccaverit, offeret pro delicto suo hostiam.* (Levit. 5.) Et infra: *Ipsumque quod intulit damni restituet, & quintam partem addet supra, tradens sacerdoti, qui rogabit pro eo, & dimittetur ei.* (Ibidem.) Si anima ceremonias domini prævaricans per errorem in his quæ domino sanctificata sunt peccaverit, expiatione holocausti, & oratione indiget sacerdotis, quid putas de anima illa, quæ non per errorem, sed scienter, & per cupiditatem, & perniciosam præsumptionem in his quæ domino sanctificata sunt peccat, promittitque sibi impunitatem, & jactanter dicit, si ea quæ sunt domino sanctificata abstulerit, hisque ad suum libitum usa fuerit, se nullo modo peccare.

XXIX.

Item in eodem: *Ignis autem in altari semper ardebit: quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto desuper adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet de altari.* (Levit. 6.) Multum igitur hæc verba legis ponderanda & pertimescenda sunt his, qui unde ignis perpetuus, id est luminaria in basilicis Deo dicatis concinnari ex fidelium oblationibus debent, auferre præsumunt. Quoniam si filii Aaron, Nadab, & Abiu, qui pro eo quod per suam negligentiam ignis qui jubebatur in altari esse perpetuus extinctus est, & propterea ignem alienum coram domino offerre præsumpserunt, ob id igne egresso a domino devorati sunt; merito, quod non sine magno animi mœrore prosequimur, horribili morte devorandi sunt hi qui ignem domini in basilicis sibi dicatis & consecratis audacter extinguunt. (Levit. 10.) Et si quæritur quando illum extinguant, manifestum est quod quando illud auferunt unde idem ignis domino nutriri debet, tunc illum extinguunt.

XXX.

Quod vero basilicæ Deo dicatæ & consecratæ loca sint divina, sint etiam Dei habitacula, & omnibus in Christiana religione consistentibus pavenda & veneranda; & in superioribus jam dictum est, & hic non abs re repetendum est, quia sequitur in eodem libro: *Ego enim sum dominus Deus vester, custodite sabbata mea, & pavete ad sanctuarium meum, ego dominus.* (Levit. 26.) His verbis aperte demonstratur, quod ad sanctuarium domini potius sit pavendum, quam illud dehonorandum sit & expoliandum. Quid autem paventibus ad sanctuarium domini, & præcepta ejus servantibus dominus promittat, sequens sermo demonstrat, ita inquiens: *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem: & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pavore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, & non erit qui exterreat. Auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros. Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. Persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum ex vobis decem millia. Cadent inimici vestri in conspectu vestro gladio. Respiciam vos, & crescere faciam. Mutiplicabimini,* (Ibidem.)

ANNO CHRISTI 836.

bimini, & firmabo pactum meum vobiscum, & comedetis vetustissima veterum: vetera novis supervenientibus projicietis. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abjiciet vos anima mea. Et ambulabo inter vos, & ero vester Deus, vosque eritis populus meus. Ego dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne serviretis eis: & qui confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis erecti.

XXXI.

Quid autem sanctuarium domini non paventibus, sed potius illud contemnentibus & dehonorantibus, & non facientibus quæ ab illo constituta sunt, dominus comminetur, sequentia manifestant, quæ ita se habent. *Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia præcepta mea, si spreveritis leges meas, & judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea quæ a me constituta sunt, ut ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque hæc faciam vobis. Visitabo vos quoque velociter in egestate & ardore qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subjiciemini his qui oderunt vos. fugietis nemine persequente*, & cetera, quæ latius stylus legalis exequitur. Evidens namque est, quod ille populus carnalis, pro eo quod legem domini non custodivit, & legis auctorem, dominum videlicet nostrum Iesum Christum, sibi a patriarchis & prophetis promissum, non solum non recepit, quin imo cruci addixit, hæc quæ a domino sibi comminata sunt perpessus sit. Licet enim eidem populo carnalia & terrena, si ea quæ a domino constituta sunt observaverint, promittantur; & si ea observare contempserint, auferri comminetur; tu tamen, o Christiane, jam per Christi gratiam spiritalis effectus, cui non terrena & caduca, sed cælestia & perpetuo mansura promittuntur, nisi ad sanctuarium Dei pavidus fueris, illudque venerationi & honori habueris, & sua offerre non omiseris, quoniam ea quæ idem populus carnalis in temporalibus perpessus est, corpore temporaliter, anima vero in æternis cruciatibus æternaliter te passurum nullomodo dubites.

XXXII.

Item in eodem: *Homo si voverit domum suam, & sanctificaverit domino, considerabit eam sacerdos, utrum bona an mala sit: & juxta precium quod ab eo fuerit constitutum venumdabitur. Sin autem ille qui voverat voluerit redimere eam, dabit quintam partem æstimationis supra, & habebit domum. Quod si agrum possessionis suæ voverit & consecraverit domino, juxta mensuram sementis æstimabitur precium.* Et infra: *Si voluerit redimere agrum ille qui voverat, addet quintam partem æstimatæ pecuniæ, & possidebit eum. Sin autem noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venumdatus, ultra eum qui voverat redimere non poterit: quia cum jubilei venerit dies, sanctificatus erit domino, & possessio consecrata ad jus pertinet sacerdotum.* Considera prudens auditor, & diligens lector, qualiter augeatur cultus divinus. Superius namque preciosa quæque in pecudibus, in auro & argento & gemmis & serico, & ceteris diversis speciebus, sibi dominus suoque sancto tabernaculo jusserat offerri: hic autem jam inchoantur & domus & agri domino consecrari, & ea quæ domino consecrantur ad jus pertinent sacerdotum. Item in eodem: *Omne quod domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vaniet, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit domino.* Vide etiam in hoc loco quid de homine sibi consecrato dominus præcipiat, & perpende quod homines consecrari præcipiantur domino. Item paulo post in eodem: *Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, domini sunt, & illi sanctificantur.* Et infra: *Bovis & ovis & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid ad decimum venerit, sanctificabitur domino. Non eligetur nec bonum, nec malum: nec altero commutabitur. Si quis mutaverit, & quod mutat, & quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur domino, & non redimetur.*

XXXIII.

Hæc sunt præcepta quæ mandavit dominus Mosi ad filios Israel in monte Sinai. Observa quod & paulo superius de omnibus decimis terræ, tam de frugibus, quam de pomis arborum: hic autem de decimis pecorum domino offerendis præcepta dentur. Sed & hoc nihilo minus vigilanter observa, quid conclusio libri Levitici contineat, quæ ita se habet: *Hæc sunt*, inquit, *præcepta, quæ mandavit dominus Mosi ad filios Israel in monte Sinai.* Videtur itaque parvitati nostræ eadem conclusio, præcedentium divinorum præceptorum quasi quoddam firmitatis esse signaculum. Et, si parva magnis comparari possint, sicut quidam aut regum, aut imperatorum, ut sua statuta vigorem perpetuum obtineant, suo sigillo ea subter firmant, ita & dominus sua præcepta a se constituta & promulgata vera & minime violanda esse demonstrat.

XXXIV.

Sequitur in libro Numerorum: *Locutus est dominus ad Mosem, dicens: Loquere filiis Israel; omnes primitiæ, quas offerunt filii Israel, ad sacerdotem pertinent: & quidquid in sanctuarium offertur a singulis, & traditur manibus sacerdotis, ipsius erit.* Attende diligenter, lector, quod & omnes primitiæ, & quidquid ad sanctuarium domini a singulis aut offertur, aut oblatum est, sacerdotis sint, & ad jus ejus pertineant. Item in eodem: *Factum est autem in die, qua complevit Moses tabernaculum, & erexit illud, unxitque & sanctificavit cum omnibus vasis suis altare, similiter & vasa ejus, obtulerunt principes Israel, & capita familiarum, qui erant per singulas tribus præfecti eorum qui numerati fuerant, munera coram domino.* Quid autem in dedicatione altaris præcipiente domino principes obtulerint, sequentia ipsius libri demonstrant. Item in eodem: *Locutus est dominus ad Mosem, dicens: Mea sunt omnia primogenita filiorum Israel, tam ex hominibus, quam ex jumentis: ex die quo percussi omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificavi eos mihi, & tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel, tradidique eos dono Aaron, & filiis ejus, de medio populi, ut serviant mihi pro Israel in tabernaculo fœderis, & orent pro eis, ne sit in populo plaga, si ausi sint accedere ad sanctuarium.* In his domini verbis duo nobis videntur præcipue necessarioque consideranda. Unum, quod idcirco dominus jubet Levitas sibi in tabernaculo pro Israel servire, ut orent pro eis: ad quorum exemplum constituti esse videntur sacerdotes Christi in ecclesia, ut contenti oblationibus fidelium orent ad dominum pro eis. Alterum

Marginalia: Libri I. ad Pippin. C. XXXI. XXXII. &c. — Ibidem. — Ibidem. — Ibidem. — Ibidem. — Num. 5. — Num. 7. — Levit. 27. — Ibidem. — Num. 8. — Ibidem.

ANNO CHRISTI 836.

rum quidem, quo dicitur, *ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad sanctuarium*, dat non inconvenienter posse intelligi eamdem accessionem, aliquam circa sanctuarium temerariam præsumptionem, aut quamlibet subreptionem.

XXXV.

Num. 14. Item in eodem: *Et dixit dominus ad Moysen: Usquequo detrahet mihi populus iste? Quousque non credet mihi in omnibus signis quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam.* Ibidem. Et post pauca: *Vivo ego, dicit dominus, implebitur gloria domini universa terra: attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto & in solitudine, & tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum.* Hæc verba congruunt his qui in ministris domini domino detrahunt, juxta illud Luc. 10. quod dominus discipulis suis ait: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Congruunt etiam & ea quæ sequuntur his qui errata sua corrigere promittunt, & quod promittunt adimplere negligunt. Unde verendum est, ne sicut ille populus carnalis propter detractiones & tentationes ac murmurationes, & pro eo quod imperio domini inobediens extitit, in terram repromissionis minime intravit, sed potius in eremi vastitate occubuit: ita populus Christi nomine insignitus, imperiis domini inobediens factus, a terra viventium fit secretus. Item in eodem ait Num. 14. Moses ad populum Israel: *Cur transgredimini verbum domini, quod vobis non cedet in prosperum? Nolite ascendere. Non enim est dominus vobiscum, ne corruatis coram inimicis vestris.* His verbis deterrendi sunt hi qui, cum dominum secum non habeant, jure adversus inimicos suos se arma convertere posse putant. Prius enim enitendum & diligenter procurandum est, ut Christiani dominum secum habeant, quatenus postea securius fidentiusque, imo fortius hostes suos superare prævaleant. Num. 16. Item in eodem: *Dixitque dominus ad Mosem & Aaron: Recedite de medio hujus multitudinis, & jam nunc delebo eos. Cumque jacerent in terra, dixit Moses ad Aaron: Tolle thuribulum, & hausto igne de altari mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut ores pro eis: jam enim egressa est ira a domino, & plaga desævit. Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama, & stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.* His verbis declaratur, quantum Dei sacerdotum deprecatio valeat apud altissimum. Patet quippe quod hi, per quorum orationem furor domini placari, & a populo plaga Dei potest cessare, nequaquam sunt vituperandi & detrahendi, sed potius propter eum cujus ministerium gerunt Num. 18. honorandi & venerandi. Item in eodem: *Locutus est dominus ad Aaron: Omnia quæ sanctificantur a filiis Israel, tradidi tibi & filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna.* Ibidem. Et infra: *Omnis oblatio & sacrificium, & quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi, & cedit in sancta sanctorum, tuum erit & filiorum tuorum.* Item infra: Ibidem. *Primitias autem, quas voverint & obtulerint filii Israel, tibi dedi & filiis ac filiabus tuis jure perpetuo.* Ibidem. Item infra: *Omnem medullam olei & vini ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum domino, tibi dedi. Universa frugum initia, quæ genuit humus, & deportantur domino, cedent in usus tuos.* Ibidem Item infra: *Omne quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit: quidquid primum erumpet e vulva cunctæ carnis, quam offerunt domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erit.* Item non post multa: *Omnes primitias sanctuarii, quas offerunt filii Israel domino, tibi dedi, ac filiis & filiabus tuis. Pactum salis est sempiternum coram domino, tibi ac filiis tuis.* Ibidem. Hæc verba domini contra illos agunt, qui ea quæ domino aut offeruntur, aut oblata sunt, ad sacerdotes Christi non pertinere contendunt. Verum si ea diligenter consideraverint, se non mediocriter errare, imo contra Deum agere, reperient.

LIBRI I. AD PIPPIN. CAP. XXXV. ET XXXVI.

XXXVI.

In præcedentibus satis abundeque dictum est de diversis sacrificiis, & diversorum munerum speciebus: sive de his quæ dominus sibi offerri jussit, sive de his quæ populus sponte obtulit ad tabernaculum domini, quod typum gerebat futuræ ecclesiæ Christi. Nunc autem, quia jubente domino populus Israeliticus contemptum Dei in Madianitis ultus est, ita ut ne unus quidem ex his in bello occubuerit, quid pro gratiarum actione suaque liberatione Deo pro se pugnanti & vincenti, suoque sacerdoti donariorum ad suum sanctum contulerint tabernaculum videamus. *Dixit*, inquit: *dominus ad Mosem: Tollite summam eorum quæ capta sunt, ab homine usque ad pecus, tu & Eleazar sacerdos, & omnes principes vulgi: dividesque ex æquo prædam inter eos qui pugnaverunt & egressi sunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem, & separabis partem domino ab his qui pugnaverunt & fuerunt in bello, unam animam de quingentis, tam ex hominibus, quam ex bobus & asinis & ovibus, & dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia primitiæ domini sunt.* Num. 31. Quod ita ad jussum domini Moses fecerit, sequentia demonstrant. Ecce pars, quæ domino ad usus sacerdotum de his quæ capta sunt oblata est. Videamus etiam quid in partem Levitarum de eadem præda jubente domino cesserit. Sequitur autem: *De media vero parte, quæ contigerat reliquæ multitudini, id est de ovibus trecentis triginta septem millibus quingentis, & de bobus triginta sex millibus, & de asinis triginta millibus quingentis, & de hominibus sedecim millibus, tulit Moses quinquagesimum caput, & dedit Levitis qui excubabant in tabernaculo domini, sicut præceperat dominus.* Ibidem. Ecce pars Levitarum. Videamus etiam partem domini, quam populus ob suam liberationem de præda, quam ceperat, ei sponte obtulit: & perpendamus quod dominus in tabernaculo sancto suo thesaurum, sive ærarium (utrumque legimus) habere voluerit, & opponamus eis, qui aurum & argentum, & ceteras species preciosas Deo sacratas in thesauris sanctæ Dei ecclesiæ reprehendendo asserunt frustra inesse. Hi ergo videant quid sequatur. *Cumque accessissent principes exercitus ad Mosem, tribuni & centuriones dixerunt: Nos servi tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra, & ne unus quidem defuit. Ob hanc causam offerimus in donariis domus domini singuli, quod in præda auri potuimus invenire, periscelides & armillas, annulos & dextralia, ac muraenulas, ut depreceris pro nobis dominum. Susceperuntque Moses & Eleazar sacerdos omne aurum in diversis speciebus, pondus sanctuarii sedecim millia septingentos quinquaginta siclos a tribunis & centurionibus. Unusquisque enim quod in præda rapuerat, suum erat. Et susceptum intulerunt* Ibidem.

ANNO CHRISTI 836.

tulerunt in tabernaculum testimonij, & monumentum filiorum Israel coram domino. Si populus carnalis de præda hostium suorum, quam cepit, donaria grata Deo obtulit, & his datis ut pro se oraretur postulavit, Deumque sibi placabilem fecit; cavendum omnino, imo expavescendum illis est, qui precioso Christi sanguine sunt redempti, & ab aliis fidelibus Deo oblata & consecrata, imo sanctificata, contra fas auferunt, & in suos illicitos usus retorquent: ne forte, sicut memoratus populus de donariis quę Deo cōtulit, eum sibi propitium fecit, ita e contrario, quod absit, illi de aliorum Deo ecclesiæque sanctæ suæ oblatis rebus eum sibi iratum faciant, suumque immensum furorem in se provocent, &, quod plurimum pertimescendum est, eius iusto iudicio in prædam hostium suorum, non solum visibilium, verum etiam invisibilium incurrant.

XXXVII.

Quod ergo dominus ad sanctuarium suum inter ceteras species, quas dinumerare longum est, domos & agros & servos sibi offerri præceperit, in superioribus jam dictum est: nunc maiora & copiosiora quæ in tabernaculo sancto suo famulantibus dominus dari iubet, intueamur. *Hæc quoque locutus est dominus ad Mosem in campestribus Moab super Iordanem contra Ierico: Præcipe filiis Israel, ut dent Levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum, ut ipsi in opidis maneant, & suburbana sint pecoribus ac jumentis.* Et infra: *Ipsæ autem urbes, quæ dabuntur ex possessionibus filiorum Israel, ab his qui plus habent plures auferentur; & qui minus, pauciores: singuli iuxta mensuram hereditatis suæ dabunt opida Levitis.* Quod ita Iosue in terra repromissionis fecerit, textus libri illius liquido depromit. Perspicuum sane satis est, & nosse volentibus apertissimum, quod Deus idcirco populo suo de hereditate possessionum suarum domos, & agros, & mancipia, insuper etiam, quod maius est, civitates & suburbana sanctuario suo famulantibus dari præceperit, ut ministri sanctuarij sui instantius honestiusque, atque inexcusabilius sacrum suum cultum exercere, suumque famulatum potuissent liberius explere. Quibus verbis liquido colligi potest, quod quisquis, quæ alii fideles de hereditate possessionum suarum, ob remedium animarum suarum, Deo ad honorem & decorem ecclesiæ suæ, eiusque ministrorum usus contulerunt, aut abstulerit, aut auferre præsumit, procul dubio aliorum data in suarum animarum convertit pericula. Sequitur enim in eodem: *Hæc sunt mandata atque judicia, quæ præcepit dominus per manum Mosis ad filios Israel in campestribus Moab super Iordanem contra Ierico.* Non est prætereundum, nec negligenter considerandum: quid clausula vel conclusio libri hujus, id est Numerorum, contineat. Innuit autem quod ea quæ præcepta sunt dominus præceperit, & facienda decreverit, & ea adimplentibus præmia, non autem adimplentibus diversa supplicia interminatus sit. Sequitur in libro Deuteronomii, in quo, inter cetera multa mandata quæ Moses locutus est ad filios Israel, ita legitur: *En, inquit, propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem: benedictionem, si obedieritis mandatis domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis: maledictionem, si non obedieritis mandatis Dei vestri, sed recesseritis de via quam ego nunc ostendo vobis.* Notandum diligenter est, quod obedientes divinis præceptis benedictionem, inobedientes vero maledictionem mereantur. Luce enim clarius constat, quod subreptores ecclesiasticarum rerum injuriam & inobedientiam Deo irrogent, suorumque præceptorum transgressores existant. Unde providendum est, ne hujuscemodi maledictionem, quam legifer proponit, pro benedictione subeant. Qui autem nosse vult quæ sit eadem maledictio, scrupulosissime diligenterque præcedentia & subsequentia divinæ legis legat eloquia: & pro certo inveniet quantum sit terribilis & horribilis, atque pertimescenda sit eadem maledictio. Porro quod ad locum quem dominus elegit veniendum sit, & quæ offerenda & ibi offerri decernantur, paulo post subsequentia innuunt: *Ad locum*, inquit, Moses, *quem elegerit dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, convenietis, & offeretis in illo holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria.* Et infra: *Transibitis Iordanem, & habitabitis in terra, quam dominus Deus vester daturus est vobis, ut requiescatis a cunctis hostibus per circuitum, & absque ullo timore habitetis in loco quem elegerit dominus Deus vester, ut sit nomen eius in eo. Illuc omnia quæ præcipio offeretis, holocausta & hostias ac decimas & primitias manuum vestrarum, & quidquid præcipuum est in muneribus quæ vovistis domino.* Et post pauca: *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit dominus.* His verbis patenter intelligi datur, quod omnia quæ ex muneribus præcipua & preciosa sunt, sibi dominus voluerit offerri: & quod si ea, sive quæ dominus præcepit, sive ea quæ eius populus sua sponte offerre voluisset, non alibi, nisi in loco quem dominus elegisset, ut esset nomen eius in eo, offerri jubebantur; procul dubio ea quæ ecclesiæ sanctæ sunt collata, non alienis, sed eiusdem ecclesiæ sunt usibus applicanda.

XXXVIII.

Item in eodem: *Cum voveris votum domino Deo tuo, non tardaveris reddere, quia requiret illud dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies sicut promisisti domino Deo tuo, & propria voluntate & ore locutus es.* Si illi qui propria voluntate Deo votum vovit, & non reddidit, dominus in peccatum reputat; quod putas peccatum domino sibi imputante incurrit, qui aliorum vota voluntarie domino exhibita auferre præsumit, & tantæ comminationis pœnam non formidat? Quia ergo qui votum vovit, & non reddit, dominus sibi in peccatum reputat, & quisquis ea quæ domino vovit reddidit ei, nullo modo postea auferre licet: multo minus ea quæ alii voverunt & reddiderunt ei, fas est auferre: quoniam si illi qui vovit & non reddidit in peccatum reputatur, multo magis ille qui aliorum vota tollit, maius sibi peccatum acquirit. Hæc de quinque libris Mosis congessisse sufficiat. Ceterum quicumque plenius latiusque de his quæ dominus sibi suoque tabernaculo, sacerdotibus & ministris suis offerri & dari præcepit, scire voluerit, Pentateuchum eiusdem Mosis enucleatim legat: & de his quæ in hoc opusculo non continentur, quæ utique plena sunt auctoritate, ad negotium de quo agitur adstruendum & adstipulandum, patenter reperire valet, quæ huic opusculo ob sui prolixitatem vitandam non inseruntur.

Marginalia: Num. 35. — Ibidem. — Num. 36. — Deut. 11. — LIBRI I. CA. XXXVII. & XXXVIII. — Deut. 12. — Ibidem. — Ibidem. — Deut. 23.

LIBRI II. AD PIPPINUM PRAEFATIO.

ANNO CHRISTI 836.

SYNODI AQUISGRANENSIS II.

AD PIPPINUM REGEM AQUITANIÆ.

LIBER II.

TITULI CAPITUM LIBRI II.

PRÆFATIO.

PRÆSENS opusculum, quod hactenus ex libris Mosaicæ legis, de religione oblatarum Deo, siue offerendarum rerum, quantum dominus donare dignatus est, breviter congessimus, & abhinc tam de veteri quod restat, quam etiam de novo testamento, & sanctorum patrum documentis, congerere adjuvante Christi gratia cupimus, ob utilitatem legere volentium, & fastidiosis tædium auferendum, in tribus libellis distinguendum judicavimus. Exactus sit ergo primus: & exordium a libro Iesu Nave sumat secundus.

CAPUT

ANNO CHRISTI 836. Iosue. 6.

CAPVT I.

Dixit autem Iosue ad omnem Israel: *Vociferamini: tradidit enim vobis dominus civitatem: sitque civitas hæc anathema: & omnia quæ in ea sunt, domino.* Et infra: *Vos autem cavete, ne de his quæ præcepta sunt quidpiam contingatis, & sitis prævaricationis rei, & omnia castra Israel sub peccato sint atque turbentur. Quidquid autem auri & argenti fuerit, & vasorum æneorum ac ferri, domino consecrabitis repositum in thesauris eius.* Nulli quippe dubium est, quin de Iericho civitate subvertenda hæc dicantur, quapropter observa, diligens lector, & curiose auditor, quod duo in his verbis quæ præmissa sunt jubeantur. Alterum videlicet, quo cavendum omnino præcipitur, ne de his, quæ Domino consecrata sunt, quidpiam contingatur: alterum quo iubetur, quidquid auri, vel argenti, ac ferri, omniumque vasorum æneorum fuerit, domino consecrari, & in thesauris eius recondi. Vitandumque tibi est, ne contingendo ea quæ domino consecrata sunt sis prævaricationis reus, & alii propter te sub peccato sint atque turbentur: & sagaciter intende, qualiter thesauri domini eo iubente incrementenetur. Sed & hoc diligenter observa, ne tuo æstu vel cupiditate ea quæ in thesauris domini ei consecrata sunt auferantur. Quod autem, sicut Iosue domino imperante facienda præceperat, postea sint completa, sequentia testantur. Vrbem autem, & omnia quæ in ea erant, succenderunt, absque argento & auro, & vasis æneis ac ferro, quæ in ærario domini consecrarunt. Qui autem ausu quodam temerario illectus, de his quæ domino consecrata sunt, palam atque occulte surripere posse arbitratur, exemplo Achan deterreatur, qui æstu avaritiæ succensus de his quæ domino consecranda erant furtim sibi surripuit, pallium scilicet coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum, & ne deprehenderetur, in tabernaculo suo subfossa humo, consciis liberis ac domesticis suis, occuluit, quæ utique domino consecrata erant. Ob cuius immane facinus quædam pars populi Israelitici coram hostibus suis cæsa extitit, & Iosue consulto domino hæc audiuit: *Surge, cur jaces pronus in terra? Peccavit Israel, & prævaricatus est pactum meum: tuleruntque de anathemate, & furati sunt atque mentiti, & absconderunt inter vasa sua. Nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate. Non ero ultra vobiscum, donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est.* (Iosue 7.) Nota quod unius illicitum factum totus Israeliticus populus generaliter fecisse narretur, & quod propter unius facinus in populum Dei domini ingens comminatio fiat, videlicet ut nec Deum secum habere, nec coram inimicis suis stare posset, donec ille interiret qui hujuscemodi scelere contaminatus erat. Qualiter vero ipse Achan a Iosue, applicato sibi Israel per tribus suas, solertissime examinatus ac deprehensus, sive reatum suum confessus fuerit, qualiter etiam lapidum grandine occubuerit, & omnia quæ illius erant igne consumpta sint, sequentia pandunt. Verumtamen valde pavenda sunt hæc, & omnibus fide Christi insignitis cavenda, ne propter aliorum illicitum, imo sacrilegum factum, nec secum, quod absit, dominum habeant, nec coram inimicis suis stare prævaleant. Patratores autem tam immanis, imo sacrilegi facti, magnopere cavere oportet, ne propter suam cupiditatem, quam erga res Deo sacratas aut exercent, aut exercere cupiunt, sibi adinstar Achan mortem æternam, aliisque Dei offensam, & coram hostibus suis acquirant miserabilem ruinam.

LIBRI II. CAP. I. II. &c.

II.

Punito itaque iusto Dei iudicio eodem Achan, continuo præcipiente domino populus Israeliticus de hostibus suis triumphare, quia dominum iam secum habebat, promeruit, sicut sequentia libri eiusdem Iosue manifestant: & ob id ædificatum est altare domino Deo Israel. Habes igitur ita in eodem libro: *Tunc ædificavit Iosue altare domino Deo Israel in monte Hebal, sicut præceperat Moyses famulus domini filiis Israel, & scriptum est in volumine legis Moysi: Altare de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit: & obtulit super illud holocausta domino, immolavitque pacificas victimas.* (Iosue 8.)

III.

Quia igitur sunt plerique diversissimis modis argumentantes, & callide percontantes, unde usus de mancipiis Deo suoque tabernaculo, quod typum gessit sanctæ ecclesię, delegandis inoleverit: si præcedentia, in quibus satis abunde de hominibus sanctuario domini mancipandis & mancipatis tractatum est, illis non sufficiunt, attendant qualiter Iosue Gabaonitas tabernaculo domini servituros delegaverit. Ait enim illis, sicut in eodem libro legitur: *Non deficiet de stirpe vestra ligna cadens, aquasque comportans in domum Dei mei.* (Iosue 9.) Et infra: *Decrevitque in illo die esse eos in ministerio cuncti populi, & altaris domini, cædentes ligna, aquasque comportantes, usque in præsens tempus, in loco quem dominus elegisset.* Hi namque Gabaonitæ, eorumq; posteritas, quod in tabernaculo domini secūdum constitutionem Iosue deservierint, necnon & in tēplo, quod postea a Salomone domino ædificatum & dedicatū est, habes plenissime in libro Regum. Quod vero sacerdotibus cum populo in captivitatem ductis, & in eadem captivitate per septuaginta annos detentis memorati Gabaonitæ eorumdem sacerdotum obsequio fuerint mancipati, habes in libro Esdræ, ubi seorsum sacerdotes, seorsum vero numerantur Levitæ, ad extremum numerantur Nathinæi, numerantur etiam & filii servorum Salomonis. (1. Esdra 2.) Nathan quippe Hebraice, Latine donatus, Nathinæi Hebraice, Latine quoque donati vel donatitii appellantur. Hi sunt profecto accipiendi memorati Gabaonitæ, quos Iosue tabernaculo domini servituros donavit. Porro quos vocat in eodem libro Esdræ filios servorum Salomonis, hi sunt absque dubio intelligendi, quos Salomon ob honorem divini cultus templo domini delegavit.

IV.

Tempore igitur Iudicum manifestum est populum Israeliticum a cultu divino recessisse, & ab offerendis Deo sacrificiis & hostiis pacificis, & ceteris quæ in lege præcepta sunt, diversarum specierum muneribus torpuisse, & ad ritum gentium defecisse. Quoniam, ut in libro Iudicum legitur, *In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur hoc faciebat.* (Indic. 17.) Et ideo ob meritum scelerum suorum, earumdem gentium dominio subiugatum, & diversis tribulationibus & angustiis afflictum fuisse. Qui sæpe reatum suum agnoscentes, & luctuosis pœnitentiæ gemitibus deflentes, per sacrificia Deo oblata, a quibus diu vacaverant, de inimicis suis extitere victores, sicut legimus de Gedeon & Manue. Hæc ideo protulimus, ut magnoperę perpendatur, quanti sit discriminis, cultum divinum Deoque sacrificia debita aut negligi, aut dehonorari, & quanti sit

LIBRI II. AD PIPPINVM CAP. V. VI, &c. Ibidem. sit solatii contra hostes visibiles & invisibiles, magnique muniminis, ea rite & honeste Deo exhiberi. Veremurque nimium, ne hoc quod dicitur, *Faciebat unusquisque quod sibi rectum videbatur*, quoquomodo illis valeat aptari qui res ecclesiæ aut dant aut accipiunt, & in suos usus contra fas retorquent, & hoc sibi rectum justumque videri putant.

V.

1. Reg. 1. Legimus itaque in libro Samuelis primo, quia pro eo quod Anna filium suum Samuelem adduxit in domum domini, quæ erat in Silo, eumque cum holocaustis per officium Heli sacerdotis obtulit domino, ita ut cunctis diebus vitæ suæ seruiret domino, idcirco benedictionem meruit accipere a domino. Nota, prudens lector, quod tabernaculum vocetur hic domus domini, sicut habes in eodem libro: *Et adduxit eum*, id est Samuelem, *in domum domini in Silo*. At si forte quis quærat, quam benedictionem eadem Anna consecuta sit, videat sequentia; *Ascendit itaque Anna cum viro suo Elcana, ut immolaret hostiam solennem, & benedixie Heli Elcanæ & uxori eius, dixitque: Reddat dominus tibi semen de muliere hac pro fenore quod commodasti domino, & abierunt in locum suum. Visitavit ergo dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios & duas filias, & magnificatus est puer Samuel apud dominum.* Si pro filio & hostiis Deo oblatis Anna benedici, & spiritum prophetiæ, & sobolem meruit adipisci, cavendum illis est, qui hostias ab aliis Deo oblatas auferunt, ut non solum maledictionem, sed etiam extinctionem filiorum suorum incurrant, sicuti quosdam incurrisse non ambigimus.

Ibidem.

1. Reg. 2.

VI.

1. Reg. 2. Quod autem sequitur in eodem libro nimium est terribile: *Si*, inquit, *peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Inter cetera namque peccata, quibus in Deum peccatur, non minimum peccatum extat illud, quo cultus Dei contemnitur, aut diminuitur, vel dehonestatur: & idcirco tam ingens peccatum modis omnibus est cavendum. Quicumque ergo ea, quæ divino nomini consecrata sunt, aufert, in Deum se peccare nullo modo dubitet. Sed & hoc valde est terribile, quod dominus loquens ad Heli sacerdotem ita inter cetera inquit: *Quicumque glorificaverit me glorificabo eum: qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* Cum multis modis Deus in operibus nostris glorificetur, iuxta illud euangelicum: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*: specialiter tamen glorificatur Deus in cultu suo, & in his quæ ei consecrantur & sanctificantur: contemnitur autem ab his qui in tantam vesaniam prorumpunt, ut illi consecrata auferre non formident. Quibus valde pertimescendum est illud quod sequitur: *Qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* Magna porro ignobilitas est, aliquam Deo in suis sacratis rebus iniuriam inferre, & a voluntate & servitio illius se disiungere, & hostis sui voluntati & obsequio mancipare.

Ibidem.

Matth. 5.

1. Reg. 2.

VII.

Ruina quoque Heli sacerdotis, filiorumque eius quæ in eodem libro Samuelis sequitur facta, non solum patribus, sed etiam filiis est pertimescenda. Quapropter patribus studendum est ut filios suos indigne atque illicite agentes congrua invectione corripiant: filiis autem providendum est, ne circa ea quæ domino aut consecrata sunt, aut consecrantur, illicitum quid gerant. Illicitum dicimus factum, quando ea quæ illis fas non est a cultu divino abstrahunt, & sine dubio furorem domini in se concitant. Timendumque valde est, ne tandem in auferendis rebus Deo oblatis, tale gignatur peccatum, quod non expietur nec victimis nec muneribus, sicuti pro iniquitate Heli filiorumque eius a domino dictum esse legimus. Vnde in eodem libro per Samuelem prophetam in Heli dominus loquitur: *In die illo suscitabo adversus Heli omnia quæ locutus sum super domum eius, incipiam & complebo. Prædixi enim ei, quod judicaturus essem domum eius in æternum propter iniquitatem eius, eo quod noverat indigne agere filios suos, & non corripuerit eos. Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus usque in æternum.* Attendendum & pertimescendum valde est, quale sit facinus vel flagitium, quod nec victimis, nec muneribus expiari possit: & agnoscendum liquido est, quod tam terribilis divina interminatio, quæ non modo victimis, verum etiam quibuslibet muneribus expiari interdicitur, ex duobus contemptibus nasci nullo modo dubitatur. Vno quidem, quo paterna disciplina erga filios delinquentes, & Deum in suis actibus ad iracundiam provocantes, ex quodam vano carnalis affectus amore segnior remissiorque efficitur, & filiorum admissa in semetipsos redundare comprobantur. Altero, quo erga sanctuarium Dei, Deoque diversa consecrata ac sanctificata donaria, temerario ausu delinquitur, & idem delictum non solum in prælatis, verum etiam in subiectis divina ultione persæpe vindicatur. Hæc de Heli, filiisque eius transgredientibus præceptum domini dicta sint. Ceterum observandum est, & summopere vigilanterque cavendum, ne factum Heli, filiorumque eius, filij sanctæ Dei ecclesiæ imitentur: ne forte, quod absit, per eorum imitationem, & ipsi animarum suarum periclitationem incurrant, & per eos totus populus deveniat ad temporalem & æternam damnationem. Captio denique arcæ Dei, in qua erant tabulæ testamenti, & cetera quæ divino præcepto inesse memorantur, propter peccata memorati Heli sacerdotis filiorumque eius accidisse minime dubitatur.

ANNO CHRISTI 836.

1. Reg. 3.

VIII.

Populi quoque Dei tam flebilis interemptio, non solum propter sacerdotum, verum etiam propter sua innumera delicta, quibus cultum Dei nihili ducebant, accidisse manifestum est. Sæpe quippe accidisse legimus culpam sacerdotum ruinam extitisse populi, & rursus populi culpam ruinam extitisse sacerdotum, sicut aperte liquet, culpam Heli filiorumque eius populi extitisse ruinam; & rursus culpam populi captivitatem extitisse sanctorum prophetarum, Ezechielis videlicet, Danielis, & Ieremiæ, & aliorum multorum servorum Dei, secundum legis præceptum Deo sincere ac religiose servire volentium, sicut in eorumdem prophetarum libris facillime animadverti potest. Capturam porro arcæ Dei, quæ typum gessit capitis nostri Christi corporisque eius, sanctæ videlicet ecclesiæ, populique ruinam, propter Heli sacerdotis negligentiam, filiorumque eius transgressionem, provenisse, nulli qui sanum sapit dubium est.

IX.

Verumtamen quid eiusdem arcæ Dei captoribus, Deique populi cæsoribus, provenerit, manifestum est. Si ergo alienigenis propter peccata sacerdotis, suorumque filiorum præcepta Dei transgredientium, facta est arcæ divini testamenti captio, & populi Dei flebilis collapsio; cavendum omnibus

ANNO CHRISTI 836. nibus qui Christi nomine censentur summopere est, ne spreto sacerdotum Christi ministerio, & cultu eius parvipenso, propter suam cupiditatem & illicitam præsumptionem; arcam Dei, quam utique cum capite suo Christo unam constat esse personam, eamdem arcam in hostium suorum, quod Deus longe faciat, corruere faciant deprædationem.

X.

Qualiter denique Dei electus propheta Samuel in cultibus sacris, & in altaribus erigendis, & in holocaustis offerendis, & in populis ab idolorum cultura ad divinum cultum revocandis, Deo placuerit, ipsius libri historia legentibus aperte demonstrat. Cujus verbis & actibus evidenter patescit, quod licet cultus divinus per ministrorum insolentiam, & vitiorum enormitatem quodammodo sæpe provenisset collapsus, tamen per clementiam divinam, & ineffabilem misericordiam, servorum prophetarum vaticiniis ostensam, fuerit erectus. Vnde colligi datur, quod quamquam cultus divinus impugnatores non solum indigenas, verum etiam externos habeat, nunquam tamen domino gubernante perpetuam desolationem & dehonorationem habebit: quoniam adest & aderit cultus sui fautoribus & administratoribus ille, qui dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matth. 28.

XI.

Quantum autem obedientia præferatur victimis & holocaustis, eiusdem Samuelis prophetæ verbis aperte demonstratur: *Numquid vult*, inquit, *dominus holocausta aut victimas, & non potius ut obediatur voci domini? Melior est enim obedientia, quam victimæ: & auscultare magis quam offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Iussit enim dominus sibi suoque tabernaculo diversa donaria, & non alia nisi preciosa offerri, & ea penitus non est passus auferri. Ergo offerentes sunt domino obedientes, auferentes vero procul dubio extant ei inobedientes atque repugnantes. Cavendumque est illis, ne propter suam inobedientiam, imo cupiditatem, peccatum & scelus, quod ipse Samuel commemorat, incurrant. 1. Reg. 15.

XII.

1. Reg. 16. Abiecto itaque atque reprobato propter inobedientiam Saul rege, David electione divina a Samuele domino præcipiente ungitur in regem. Qui quantæ fuerit fortitudinis, quantæque erga cultum divinum amplificandum & exaltandum devotionis, iam & in præcedentibus commemoratum est, & hic succinctim commemorandum.

XIII.

Inter cetera quippe circa divinum cultum religiosa facta sua, quantæ venerationi arcam Dei habuerit, intueamur. Habes siquidem secundo eiusdem Samuelis libro: *Cumque transcendissent*, inquit, *qui portabant arcam domini sex passus, immolabant bovem & arietem, & David percutiebat in organis † armizatis, & saltabat totis viribus ante dominum. Porro David accinctus erat ephod lineo. Et David, & omnis populus Israel ducebant arcam testamenti domini in jubilo & clangore buccinæ.* Et infra: *Et introduxerunt arcam domini, & posuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi, quod tetenderat David ei. Et obtulit David holocausta coram domino, & pacifica. Cumque complesset offerens holocaustum & pacifica, benedixit populo in nomine domini exercituum.* 2. Reg. 6.

† Fort harmonizatis. p. Sep. ἡρμοσμένοις, id est modulatis. Ibidem.

XIV.

Eumdem porro David in numeratione populi domini peccasse, iramque illius in populo sibi subjecto expertum fuisse, perspicuum est. Qui cum vidisset angelum cædentem populum, memor transgressionis & fragilitatis suæ, dixit ad dominum: *Ego sum qui peccaui, ego inique egi: isti qui oves sunt quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Et monente Gad propheta, emit aream ab Areuna Iebusæo. Et constructo ibi altari domino, & oblatis holocaustis & pacificis, & reatus sui obliterationem, & divinam repropitiationem, ac populi promeruit nancisci liberationem, sicut ibi legitur: *Et repropitiatus est dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israel.* Hæc idcirco posuimus, ut animadvertatur quantum apud divinam maiestatem valeat, & veneratio divini cultus, & [illegible]ectio sacrorum altarium, & holocaustorum & pacificorum, & ceterorum quæ domino offeruntur oblatio, & quantum Deo displiceat eorum ablatio. LIBRI II. AD PIPPINVM CAP. X. XI. &c. 2. Reg. 24. Ibidem.

XV.

Ferventissima namque ejusdem David erga templum domini, ejusque cultum, intantum excrevit devotio, ut diceret ad Nathan prophetam: *Videsne quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium?* & cetera quæ sequuntur. Voluit enim, sicut sequentia docent, ardentissime ac devotissime domum Deo Israel miræ magnitudinis & admirandæ pulcritudinis ædificare: sed quia ab eadem ædificatione a domino est prohibitus, & quod filius eius, qui egrederetur de utero eius, domino sibi revelante ac pollicente, eamdem domum foret ędificaturus didicit, omnes expensas ejusdem ædificandæ domus, quas dinumerare longum est, præparavit: nec non & donaria innumera, in diversissimis ac preciosissimis speciebus, læto & alacri animo sanctificavit, & in thesauris illius recondenda consecravit, sicut in Regnorum præcipueque Paralipomenon libris habetur. 2. Reg. 7.

XVI.

Qualiter autem Salomon filius David potentissimus ac ditissimus regum domum domino ex impensis paternis & copiosissimis sumptibus suis ædificaverit, & cum ingenti gloria dedicaverit, & ea quæ pater suus sive ipse domino obtulerat, & in thesauris eius recondenda sanctificaverat & consecraverat; & quid a domino sibi apparente ac pollicente audivit, hic per singula commemorandum subsicivum duximus, præsertim cum legentibus omnia in memoratis libris in promptu habeantur.

XVII.

Quod vero eadem domus typum gesserit sanctæ Dei ecclesiæ, nullus sanum sapiens ignorat. Quisquis enim ex asse nosse cupit, quibus muneribus ceteri reges eamdem honoraverint & exaltaverint atq; multiplicaverint domum, & eius cultui debitum exhibuerint famulatum, & quibus præconiis veneratores & amatores eius a domino sint laudati, & de hostium suorum insidiis tuti ac liberati, dehonoratores vero ejusdem templi, & divinorum præceptorum transgressores, quantum a domino sint reprobati, & ab hostibus suis trucidati, seriem eorumdem librorum diligenter legat, & profecto reperiet, quod nulli dominicæ domus dehonoratori, & eorum quæ domino oblata sunt surreptori impune cesserit. Hæc de Israeliticis iustis regibus, divini templi honoratoribus, & diversa donaria domino offerentibus, nec non & de injustis secus agentibus, & ejusdem sacratissimi

SSSff iij templi

LIBRI II. CAP. XVIII. XIX. &c. templi dehonoratoribus, & a cultu divino seipsos populumque Dei alienantibus, & ad idola gentium convertentibus, breviter congessisse sufficiat.

XVIII.

Idem igitur Deo sacratum templum ab externis gentibus constat esse veneratum, & multiplicibus donis honoratum, sicut habes de Hiram rege Tyri, & de Seleuco rege Asiæ, de quo in secundo libro Machabæorum legitur: *Igitur cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optime custodirentur, propter Oniæ pontificis pietatem, & animas odio habentes mala, fiebat ut ipsi reges & principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent: ita ut Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus in ministerium sacrificiorum pertinentes.* Observa, diligens lector, quantum memoratum venerabile templum non solum a principibus & regibus divinam legem tenentibus, sed etiam a diversis nationum regibus, eamdem Dei legem ignorantibus, propter amorem & honorem Dei, maximis muneribus sit illustratum & honoratum. Nam & idem templum ad adorandum dominum, & diversis muneribus honorandum, multos gentilium adiisse, adventus illius Æthiopis, quem a Philippo legimus baptizatum, nec non & reginæ Saba, evidentissime astruunt.

2. Reg. 5. 2. Mach. 3. Act. 8. 3. Reg. 10.

XIX.

Propter peccata quoque sacerdotum & regum, totiusque populi, idem templum, quod in magna gloria a Salomone domino fuerat conditum, & per quadringentos & triginta annos manserat illæsum, imo valde gloriosum, a Chaldæis fuit incensum atque dirutum, & Hierosolymorum urbs destructa, populusque in Babylonicam captivitatem deductus, & vasa domus domini, & quæque quæ in thesauris domus domini domino fuerant consecrata & sanctificata, in Babylonem sunt deportata. Non tamen eadem vasa domino sacrata Nabuchodonosor rex profanus in suos præsumpsit retorquere vsus, sed ea in locis præcipuis, in delubris videlicet deorum suorum, quæ apud illum magnæ habebantur venerationi & religioni, servanda reposuit. Sciendum vero est, quod pro eo quod templum domini incendit, vasa domini in Babylonem transtulit, populo Dei captivitatem inflixit, ei ullo modo impune non cessit. Quoniam & propter hoc factum, & pro eo quod gloriam & potestatem & honorem regni sui non Deo, sed sibi tribuit, cælicam vocem audivit, quæ ita facta est: *Tibi dicitur Nabuchodonosor rex: Regnum transibit a te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestiis ferisque erit habitatio tua: fenum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & cuncta quæ dicta ei fuerant provenerunt, sicut sequentia testantur.

Dan. 4.

XX.

Sed quia propter sacrilegium, quod circa templum domini patraverat, & suam magnam elationem, qua contra dominum superbiendo tumuerat, & Danielis prophetæ consilium, suæ saluti commodum, audire contempserat, quibus ei orsus est: *Quamobrem rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum; forte ignoscet Deus delictis tuis;* tantam promeruit abjectionem, ut etiam cum bestiis & feris esset habitatio eius, & fenum ut bos comederet. Videamus quid post transactum abiectionis suæ tempus idem Nabuchodonosor humiliatus dixerit:

Ibidem.

ANNO CHRISTI 835.

XXI.

Ibidem. *Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum levavi, & sensus meus redditus est mihi, & altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi & glorificavi, quia potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius in generationem & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: iuxta voluntatem enim suam facit, tam in virtutibus cæli, quam in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui eius, & dicat ei: Quare fecisti? In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, & ad honorem regni mei decoremque perveni: & figura mea reversa est ad me, & optimates mei, & magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum: & magnificentia mea amplior addita est mihi. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo & magnifico, & glorifico regem cæli, quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia, & gradientes in superbia potens est humiliare.* Calicem præterea furoris domini, qui secundum vaticinium Ieremiæ prophetæ propinatus est gentibus, adversantibus videlicet Israelitico populo, & a testamento Dei procul secretis, eumdem Nabuchodonosor in memorata abjectione plerique bibisse arbitrantur. Vnde legitur in Ieremia propheta: *Et post eos bibet Sesach.* Sesach enim Nabuchodonosor fuisse doctores nostri intelligunt. Quod si Nabuchodonosor tanti sacrilegii, tantæque arrogantiæ, tantæ etiam impietatis rex, propter suam humilem recognitionem, ad honorem decoremque regni sui pervenire, suoque regno restitui, & magnificentiam domino tribuente ampliorem sibi addi promeruit: liquet profecto, & indubitanter accipi potest, quod hi qui res Deo sacratas in suis audacter abutuntur vsibus, si ad tempus sibi prospexerint, & dignam Deo recognitionem illicitorum factorum suorum humiliter fecerint, veniam delictorum suorum possint promereri, & non solum in hoc sæculo temporaliter a domino exaltari, verum etiam in futuro æternaliter remunerari. Si autem hoc facere præpropere detrectaverint, verendum est illis, ne adinstar Nabuchodonosor cum feris bestiis, id est cum immundis spiritibus, de quibus psalmographus ait: *Ne tradas domine bestiis animas confitentium tibi*, sit eorum sine fine habitatio.

Ierem. 25. Psal. 73.

XXII.

Porro Baltassar, qui filius Nabuchodonosor fuisse describitur, vino deditus in tantam prorumpere ausus est superbiam, suæque salutis inimicam, imo sacrilegam præsumptionem, ut in convivio suo Deo sacrata vasa ad libitum suum juberet auferri, ut biberet in eis ipse & optimates eius, vxores & concubinæ eius, & collaudaret deos suos: & ob id ad suum interitum, articulum scribentis prospexit in pariete, & eadem nocte Medis & Persis sese obsidentibus regno cum vita caruit, sicut verba Danielis prophetæ de eo, & adversus eum testantur, quæ ita habent: *O rex, Deus altissimus regnum, & magnificentiã, & gloriam, & honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo. Et propter magnificentiam quam dederat ei, universi populi, tribus, & linguæ tremebant & metuebant eum. Quos volebat interficiebat, & quos volebat percutiebat, & quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat. Quando autem elevatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est*

Dan. 5.

ANNO CHRISTI 836.

est de solio regni sui, & gloria eius ablata est. Et infra: *Tu quoque filius ejus Baltassar, non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia: sed adversus dominatorem cæli elevatus es, & vasa domus ejus allata sunt coram te: & tu, & optimates tui, & uxores tuæ, & concubinæ tuæ, vinum in eis bibistis: deos quoque argenteos, & aureos, & æneos, ferreos, ligneosque, & lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt, laudasti: porro Deum qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti. Idcirco ab eo missus est articulus manus, quæ scripsit hoc quod exaratum est.* Et paulo post: *Eadem nocte interfectus est Baltassar rex Chaldæus: Et Darius Medus successit in regnum.* Si Baltassar, pro eo quod vasa domini sibi afferri iussit, ut in eis biberet, quæ utique postea ad imperium Cyri regis Persarum templo domini sunt restituta, & regno privari, & morte meruit multari: quid putas de illis erit, qui non solum sancta vasa, verum etiam alias Deo sanctificatas res suis applicant usibus? Quapropter observandum est illis, ne, quod absit, adinstar Baltassar & præsentis & futuræ vitæ habeant mortem.

XXIII.

Septuagesimo itaque captivitatis Israelitici populi anno peracto, orantibus Daniele & aliis prophetis, idem populus, sicut dominus per Ieremiam prophetam prædixerat, permittente eodem Cyro rege Persarum, ad propria est reversus, & omnia vasa templi domini, quæ Nabuchodonosor asportaverat, ad idem templum sunt relata, & ab his idem templum & civitas ad pristinum sunt restaurata statum, adjuvantibus illis & hortantibus, ut idem templum & civitatem restaurent, Aggæo & Zacharia prophetis eximiis: & præfuerunt eidem operi Zorobabel de regio, & Iesus de sacerdotali semine.

XXIV.

Hoc igitur templum stabile permansit per trecentos quadraginta sex annos. Quod rursus propter peccata sacerdotum & regum atque populi, Antiochus profanissimus & impurissimus rex Græcorum, fraude capta Ierusalem, sordibus idolorum polluit, auferens inde altare domini aureum, mensam propositionis, candelabrum luminis, & cetera vasa templi aurea, quæ invenire potuit, & alia plura in eodem templo polluendo & expoliando, populumque Dei acriter affligendo, & interficiendo patravit, sicuti in secundo Machabæorum libro legitur. Non tamen prætereundum est quod de eodem Antiocho in eodem libro legitur. Sequitur enim ibi: *Nec ista eidem sufficiunt Antiocho. Ausus est enim intrare templum universa terra sanctius, Menelao ductore, qui legum & patriæ fuit proditor: & scelestis manibus sumens sancta vasa, quæ ab aliis regibus & civitatibus erant posita ad ornatum loci & gloriam, contrectabat indigne. Ita alienatus mente Antiochus non considerabat, quod propter peccata habitantium civitatem modicum dominus fuerat iratus, propter quod & accidit circa locum despectio. Alioquin nisi contigisset eos multis peccatis esse involutos, sicut Heliodorus, qui missus est a Seleuco rege ad expoliandum ærarium, etiam hic statim advepiens flagellatus & repulsus utique fuisset ab audacia. Verum non propter locum gentem, sed propter gentem dominus locum elegit. Ideoque & ipse locus particeps factus est populi malorum, postea autem fiet socius & bonorum. Et qui derelictus est in ira Dei omnipotentis, iterum in magni domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur.*

XXV.

Qualiter namque Iudas Machabæus idem templum purificaverit & ditaverit, Deoque consecraverit, habes in eodem libro.

XXVI.

Quid vero idem profanissimus rex Antiochus, pro contaminatione ejusdem sacratissimi templi sacrorumque vasorum absportatione, & ceteris malis, quæ sive erga memoratum templum, sive erga populum Dei exercuit, perpessus sit videamus. *Qui universa conspicit dominus Deus Israel, percussit eum insanabili & invisibili plaga. Ut enim finivit hunc sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta.* Et post pauca: *Isque, qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans, ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventes in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur, & qui paulo ante sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.* Et infra: *Et cum nec ipse fœtorem suum jam ferre posset, ita ait: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Et post pauca: *Templum etiam sanctum quod prius expoliaverat, optimis donis jam ornaturum, & sancta vasa multiplicaturum, & pertinentes ad sacrificia sumptus de reditibus suis se præstaturum pollicitus est.* Iterum non post multa: *Igitur homicida & blasphemus pessime percussus, & ut ipse alios tractaverat, peregre in montibus miserabili obitu functus est.* Horrenda plane cunctisque mortalibus est pertimescenda mors tam terribilis scelestissimi regis Antiochi, qui pro eo quod ausus est templum intrare & contaminare, & vasa Dei sacrata inde auferre, atque scelestis manibus sancta vasa, quæ ab aliis regibus ad ornatum loci & gloriam Deo fuerant oblata, indigne contrectare, & in suos nefandissimos usus convertere, iusto Dei judicio tam horribili morte meruit occumbere. In cujus interitu sagaciter animadvertendum, quod Deus omnipotens invasionem vel ablationem sibi oblatarum rerum inultam nec dimisit, nec dimissurus sit. Quædam tamen, ut in superioribus jam dictum est, in præsenti ulciscitur sæculo, quædam vero ulciscenda in futuro reservat sæculo.

XXVII.

Quæ igitur Menelaum ductorem & hortatorem memorati regis Antiochi ad expoliandum templum Domini, & vasa Deo sacrata auferenda, (qui utique proditor legum & patriæ scribitur extitisse) digna congruaque sit pœna subsecuta, sequentia pandunt, quæ ita se habent: *Anno centesimo quadragesimo nono cognovit Iudas Antiochum Eupatorem venire cum multitudine adversus Iudæam, & cum eo Lysiam procuratorem & præpositum negotiorum.* Et post pauca: *Commiscuit autem se illis & Menelaus, & cum multa fallacia deprecabatur Antiochum, non pro patriæ salute, sed sperans se constitui in principatum. Sed Rex regum suscitavit animos Antiochi in peccatorem, & suggerente Lysia hunc esse causam omnium malorum, iussit (ut eis est consuetudo) comprehensum in eodem loco necari. Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum undique habens cineris. Hæc prospectum habebat in præceps. Inde in cinerem ejici jussit sacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum.*

Margin notes: Dan. 5. — Idem. — Ierem. 25. — 2. Mach. 5. — LIBRI II. CAP. XXIII. XXIV. &c. — 2. Mach. 9. — Ibidem. — Ibidem. — Ibidem. — Ibidem. — 2. Mach. 13. — Ibidem.

LIBRI II. CA. XXVIII. XXIX. &c. *interitum. Et tali lege prævaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum. Et quidem satis juste: nam quia multa erga aram Dei delicta commisit, cujus ignis & cinis erat sanctus: ipse in cineris morte damnatus est.* Notandum quod Menelaus ideo sacrilegus dicitur, pro eo quod Antiocho ductor extitit, & ut sacra vasa templi auferret consilium dedit. Nam & pro eo quod circa aram domini in multis deliquerat, tam exitiabili morte perierat. Cuius exemplo deterrendi sunt, non solum hi, qui circa aram Dei ad serviendum domino, eique ministrandum, verum etiam hi, qui aliis, propter suam explendam cupiditatem, in auferendis Deo sacratis rebus consilium dant, & exhortatores fiunt, & facientibus impunitatem promittunt, ut se modis omnibus compescant, ne tam mortis atrocissimæ Menelai, quod absit, participes existant.

XXVIII.

Qui autem ærarium domini, id est templum eius, pecuniis aut Deo oblatis, aut ab aliis depositis, expoliari impune posse & debere arbitrantur, perpendant quid Heliodorus, suique comites, eique parentes, Hierosolymam advenientes ut ærarium domini pecuniis expoliarent, ab equo cælesti, ejusque terribili sessore, nec non & cælicolis juvenibus duobus perpessus sit: de quo ita habes in
2. Mach. 3. eodem libro Machabæorum secundo. *Cum venisset Heliodorus Hierosolymam, & benigne a summo sacerdote in civitate esset exceptus, narravit de dato indicio pecuniarum: & cujus rei gratia adesset, aperuit. Interrogabat autem, si vere hæc ita essent. Tunc summus sacerdos ostendit deposita esse*
Ibidem. *hæc, & victualia viduarum & pupillorum.* Et infra: *Decipi vero eos, qui credidissent loco & templo, quod per universum mundum honoratur pro sui veneratione & sanctitate, omnino impossibile*
Ibidem. *esse.* Et infra: *Heliodorus autem quod decreverat perficiebat eodem loco ipse cum satellitibus circa ærarium præsens. Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam, ita ut omnes, qui ausi fuerant ei parere, ruentes Dei virtute, in dissolutionem & formidinem converterentur. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus. Isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit. Qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea. Alij etiam apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu: qui circumsteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. Subito autem Heliodorus concidit in terram, eumque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum ejecerunt. Et is qui cum multis cursoribus & satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferente, manifesta cognita Dei virtute. Et ille quidem per divinam virtutem jacebat mutus atque omni spe & salute privatus. Hi autem dominum benedicebant, quia magnificavit locum suum, & templum, quod paulo ante timore ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente domino, gaudio & lætitia impletum est. Tunc vero ex amicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam, ut invocaret altissimum, & vitam donaret ei, qui in supremo spiritu erat constitutus. Considerans autem summus sacerdos, ne forte rex suspicaretur malitiam aliquam ex Iudæis circa Heliodorum consummatam, obtulit pro salute viri hostiam salutarem. Cumque summus sacerdos exoraret, iidem juvenes eisdem vestibus amicti, adstantes Heliodoro,* *dixerunt Oniæ sacerdoti: Gratias age, nam propter eum tibi dominus vitam donavit. Tu autem a Deo flagellatus, nuntia omnibus magnalia Dei & potestatem. Et his dictis non comparuerunt. Heliodorus autem hostia Deo oblata, & votis magnis promissis ei qui vivere illi concessit, & Oniæ gratias agens, recepto exercitu, repedabat ad regem. Testabatur autem omnibus ea quæ sub oculis suis viderat, opera magni Dei. Cum autem rex interrogasset Heliodorum, quis esset aptus adhuc semel mitti Hierosolymam ait: Si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen evaserit: eo quod in loco vere sit Dei quædam virtus. Nam ipse qui habet in cælis habitationem, visitator & adjutor est loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit ac perdit.*

ANNO CHRISTI 836.

XXIX.

De his itaque, quæ erga Heliodorum, domino in suo ærario suam injuriam suamque dehonorationem vlciscente, gesta sunt, multa posuimus: quoniam ea ad eorum audaciam & pestiferam præsumptionem reprimendam, qui loca Deo dicata expoliare non metuunt, valde necessaria prævidimus. Quibus scire & summopere discere convenit, quod in locis Deo dicatis vere virtus Dei sit, eorumque visitator & adiutor Deus sit, & venientes ad malefaciendum percutiat ac perdat.

XXX.

Quod vero Deo oblata, quæ utique sancta vocantur, ab his, quibus officium non est, auferri, imo contingi, fas non sit, verba Iudith loquentis ad Holephernem patenter innuunt, quæ ita inquit: *Denique hoc ordinant, ut interficiant pecora sua, &* Iudith. 11.
sanguinem eorum bibant, & sancta domini Dei sui, quæ præcepit non contingi: in frumento, vino, & oleo, hæc cogitaverunt impendere, & volunt consumere quæ nec manibus debebant contingere. Ergo quoniam hæc faciunt, certum est quod in perditionem dabuntur. At si forte quispiam quærat, ex qua auctoritate Iudith hæc verba protulerit, legat diligenter Leviticum, & ceteros veteris testamenti libros, in quibus domino consecrata ab exteris contingi prohibentur, & manifeste inveniet, unde eadem verba sumpserit.

XXXI.

Ozias interea rex, pro eo quod officium sacerdotale, quod solummodo ad ius pertinebat sacerdotum, arripere præsumpsit illico lepra multatus est, & terræmotus tam illicitum tamque sacrilegum eius factum subsecutus est: qui etiam usque ad diem mortis suæ leprosus permansit. Hanc igitur lepram, quam Ozias propter suam temerariam præsumptionem, & alterius officii illicitam arreptionem in corpore usque ad diem obitus sui sustinuit, cavere oportet eos qui ea quæ ad suum ministerium non pertinent auferre non pertimescunt, ne forte, quod absit, in anima eamdem lepram miserabiliter sustineant. 2. Paral. 26.

Plura quidem de sanctorum prophetarum dictis & hagiographorum libris testimonia huic opusculo subnectenda fuerant, quæ evidenter negotio de quo agitur multifarie adstipulantur: sed ob prolixitatem vitandam prętermittenda nobis visa sunt, quę tamen de veteri testamento brevitatis studio posuimus, vestræ sapientiæ sufficientia fore credimus. Sed quia, iuxta Apostolum, ea 1. Cor. 10.
quę carnali populo in figura contingebant, & scripta sunt propter correctionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt: nos, qui iam per Christi gratiam spiritales effecti sumus, debemus

ea

ANNO CHRISTI 836.

ca spiritali ratione discutere; & qualiter illud A templum Iudaicum typum gesserit ecclesiæ catholicæ, & conditor illius Salomon, qui interpretatur pacificus, personam redemptoris nostri Christi veri & summi regis pacifici designaverit, in sequenti opusculo ex sanctorum patrum eloquiis demonstrare.

SYNODI AQUISGRANENSIS AD PIPPINUM REGEM AQUITANIÆ, LIBER III.

TITULI CAPITUM LIBRI III.

PRÆFATIO.

LIBER III. AD PIPPIN. PRÆFATIO. CAP. I. ET II.

In fine præcedentis libelli nos promisisse meminimus, quod in hujus exordio, prout Deus posse dedisset, ex sanctorum patrum oraculis breviter ostenderemus, quod templum domini, quod a Salomone ædificatum & dedicatum domino est, figura fuerit catholicæ ecclesiæ per universum orbem diffusæ, & conditor illius Salomon rex personam gesserit Christi, quod quidem nos, domino favente, adimplere conamur. Salva quippe super hac re ceterorum sanctorum eximiorum patrum expositione, quorum dicta in subsequentibus ponenda sunt qui venerabilis & modernis temporibus doctor admirabilis Beda presbyter de sæpe memorato templo in expositione evangelii Ioannis sentiat videamus.

CAPUT I.

Ait enim inter cætera: Salomon rex, qui interpretatur pacificus, ipsum Redemptorem nostrum typice designat. De quo Isaias ait: *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Templum quod ædificavit, catholica ejus ecclesia est: quam de universis per orbem credentibus, quasi de vivis lapidibus, unam suæ fidei & caritatis compagem aggregat. Hæc idem Beda dixit. *Isai. 9.*

II.

Ceterum sciendum est, quod rex noster pacificus Christus, qui per crucem passionis suæ pacificavit

cavit omnia quæ in cælis & quæ in terris sunt, & qui est vera pax nostra, faciens utraque unum, eamdem ecclesiam suam per septem annos, id est per septem dies, quibus omne sæculum evolvitur in hac mortalitate, ædificat: quam octavo anno, id est resurrectionis tempore dedicaturus est, quando scilicet mortale nostrum induerit immortalitatem, quando electis suis dicturus est: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi: quia esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & operuistis me; infirmus & in carcere; & venistis ad me.* Hanc pro certo benedictionem audituri sunt, qui in membris Christi sua largiti sunt Christo. Quid ergo putas audituri sunt hi qui aliorum largita, & ad honorem ecclesiæ decoremque, & ad usus ministrorum Christi, pauperumque receptionem ac recreationem collata, auferre non erubescunt? Quia ergo valde terribile est quod audituri sunt, caveant, dum sibi vivere conceditur, ne pro tam felici benedictione percipiant maledictionem, & illam æternam confusionem, de qua David propheta se liberandum dominum deprecabatur, dicens: *In te domine speravi, non confundar in æternum*, &c.

Matth. 25.

Psal 30.

III.

Confusiones namque duas esse legimus: unam temporalem, per quam omnis peccator pœnitendo & lugendo domino peccasse confunditur: alteram æternalem, & sine fine mansuram, quam hi qui a sinistris erunt audituri sunt, quibus dicetur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis ejus.* Qui hanc maledictionem & æternam confusionem non pertimescit, nimis ferrei pectoris existit. Quamobrem filiis ecclesiæ vigilanter satagendum est, ut eamdem benedictionem a Christo audire, & ab amicis, id est pauperibus Christi, in æterna tabernacula recipi, & æternæ beatitudinis felicitate valeant sine fine perfrui.

Matth. 25.

IV.

Qualiter porro ecclesia Christi ab exordio nativitatis suæ cœperit crescere, dilatari, ac propagari, & fidelium oblationibus munerari, in ipso capite nostro Christo intueamur.

V.

Idem namque caput nostrum dominus ac redemptor noster Iesus Christus, qui cum sit cæli & terræ creator, omniumque bonorum largitor, oblationes tamen fidelium suscepisse non ambigitur, unde erant nummi, quos miser Iudas, & non miserabilis, furabatur: & idcirco non qualiscumque fur, sed fur sacrilegus dicitur, qui adeo nummos avare dilexit, ut pro nummis dominum & magistrum suum proderet. De quo beatus Augustinus in homilia quadragesima octava euangelii Ioannis ita dicit: Ecce inter sanctos est Iudas; ecce est fur Iudas, & ne contemnas, fur sacrilegus, non qualiscumque fur: fur loculorum, sed dominicorum: loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro qualiscumque furti, & peculatus, (peculatus enim dicitur furtum de re publica) & non sic judicatur furtum rei privatæ, quomodo publicæ; quanto vehementius judicandus est sacrilegus fur, non undecumque tollens, sed de ecclesia tollens.

VI.

Qui aliquid de ecclesia furatur, Iudæ perdito comparatur. Nota quod aliquid de ecclesia tollere, furtum esse beatus Augustinus asseveret, & patratorem tanti furti sacrilegum appellet, nec non & Iudæ perdito æquiparet.

VII.

Et post pauca: Quare, inquit, loculos habuit cui angeli ministraverunt, nisi quod ecclesia ejus loculos suos habitura erat? Ecce quibus tanti doctoris documentis instruimur, quia quod in capite præcessit, in corpore ejus, quod est ecclesia, videtur impletum. Porro Christum & ecclesiam unam personam esse non nescimus, & ideo quæ ecclesiæ sunt, Christi sunt: & quæ ecclesiæ offeruntur, Christo offeruntur: & quæ ab ecclesia ejus tolluntur, procul dubio Christo tolluntur. Esto, erat futurum ut ecclesia Christi nummos haberet: si nummos, utique & prædia, & mancipia, & diversarum specierum innumera ornamenta: & quod illicitum sit ea quæ conferuntur ecclesiæ auferri, beati Hieronymi scribentis in expositione Matthęi euangelistę verba ita testantur.

VIII.

Omnes, inquit, qui stipe templi, & his quæ conferuntur in usus ecclesiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt scribarum & sacerdotum, redimentium mendacium & sanguinem salvatoris. Subtiliter placne sagaciterque pertractanda sunt ac perpendenda verba tanti doctoris, & cunctis fidelibus cavendum est, ne in his rebus quæ ecclesiæ collatæ sunt auferendis similes efficiantur Pharisæis & pseudosacerdotibus, mendacium sanguinemque Christi redimentibus.

IX.

Scribit etiam idem beatus Hieronymus in expositione euangelii Matthæi ita: *Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Quod vos putatis perditionem esse unguenti, officium sepulturæ est. Nec mirum si mihi bonum odorem fidei suæ dederit, cum ego pro ea fusurus sim sanguinem meum. Multi sane sunt hodie qui Christiano censentur nomine, qui adinstar Iudæ dicere solent super his, quæ aut domino consecrata sunt, aut consecrantur, aut consecrari decernuntur: Vt quid perditio hæc? putantes perditionem esse, quæ ecclesiæ ministrisque ejus ac pauperibus ob amorem Dei sunt commodata. Animadverti namque non inconvenienter potest, quod sicut unguentum Mariæ Christus ad officium suæ suscepit sepulturæ, ita nimirum vota fidelium suscipiat ad officium sanctæ suæ ecclesiæ.

Matth. 26.

X.

Legimus itaque secundum Marcum dominum Iesum Christum contra gazophylacium sedisse, & quomodo turba jactaret æs in gazophylacium aspexisse, & viduam duos nummos in gazophylacium mittentem ideo laudasse, eo quod omnes ex eo quod illis abundabat miserunt, illa autem de penuria sua miserit totum victum suum. Quid gazophylacium sit Beda exponente didicimus: scribit enim in expositione ejusdem Marci ita: Quia sermone Græco φυλάξαι servare dicitur, & gaza lingua Persica divitiæ vocantur: gazophylacium locus appellari solet, quo divitiæ servantur; quo nomine & arcam, in qua donaria populi congregabantur ad usus templi necessarios, & porticus in quibus servabantur, appellant. Habes etiam exemplum de porticibus in euangelio. *Hæc*, inquit, *verba locutus est Iesus in gazophylacio docens in templo.* Habes de arca in libro Regum: *Et tulit Iojada pontifex gazophylacium*

Ioan. 8.

4. Reg. 12.

phylacium unum, aperuitque foramen desuper, & posuit illud juxta altare, ad dextram ingredientium domum domini: mittebantque in eo sacerdotes, qui custodiebant ostia, omnem pecuniam quæ deferebatur in templum domini. Hæc de gazophylacio Beda dixit.

XI.

Ceterum superius diximus dominum nostrum Iesum Christum nummos habuisse, suamque ecclesiam suo exemplo nummos habituram, & unguentum Mariæ, quæ typum gestavit ecclesiæ. Hic autem vota offerentium respexisse, & viduam duo minuta, id est omnia quæ habebat, in gazophylacium mittentem laudasse. Respectio namque domini in gazophylacium, & quo animo quis quid mitteret, ineffabilis discretio, ut nobis videtur, significabat jam ecclesiam suam, quæ est corpus ejus, a fidelibus multiplices oblationes accepturam. Et si tunc respiciendo vota offerentium certo examine discrevit atque approbavit, dubitandum non est, quin factum ea de ecclesia sua auferre volentium vituperet ac damnet.

XII.

Quod autem dominus & redemptor noster, violationem ac dehonorationem templi sui fieri nullatenus patitur monstrat factum ejus valde admirabile, eo quod flagello adhibito vendentes & ementes ejecerit de templo, ita dicens: *Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* (Matth. 21.)

XIII.

Hæc illum juxta historiam fecisse non ambigimus: sed super hac re, ut oportet, quid beatus Hieronymus sentiat vigilanter attendamus, & expositionem quam describit pariter expavescamus, & domino adjuvante caveamus: Quotidie, inquit, dominus ingreditur templum Patris &, ejicit omnes tam episcopos, & presbyteros, & diaconos, quam laicos, & universam turbam de ecclesia sua, & unius criminis habet vendentes pariter & ementes. Item idem in eodem post pauca: Non sit in domo pectoris nostri negotiatio, non vendentium ementiumque commercia, non domorum cupiditas, ne ingrediatur Iesus iratus & rigidus, & non aliter mundet templum suum, nisi flagello adhibito, ut de spelunca latronum, & domo negotiationis, domum faciat orationis. Terribilia valde sunt quæ a tanto auctore dicuntur: & idcirco omnibus ordinibus in religione Christiana consistentibus præcavendum est, ne quidpiam illicitum in templo Dei agendo, a Iesu irato foras ejiciamur, & templum suum, quod propter avaritiam nostram factum est spelunca latronum, faciat orationis domum.

XIV.

Quoniam licet ecclesia Christi, propter multa peccata, diversis temporibus, diversisque modis, a multis sæpe sit expugnata, quæ gratulabunda canit: *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea: etenim non potuerunt mihi*: (Psal. 128.) hanc tamen, qui eam suo precioso sanguine redemit, nunquam deserturus est, ita ei pollicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* (Matth. 28.)

XV.

Scribit etiam idem B. Hieronymus in expositione Sophoniæ prophetæ: *Væ provocatrix, & redempta civitas, columba. Non audivit vocem, & non excepit disciplinam. Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes: judices lupi vespere, non relinquunt in mane.* (Sophon. 3.) Illustris & redempta civitas, juxta superiora, perspicue ecclesia intelligitur, quæ vocatur columba, propter simplicitatem multitudinis in ea credentium. Hæc non audivit vocem domini, neque suscipere voluit disciplinam: hæc confusa est, quia noluit appropinquare domino Deo suo. Frustra enim quis vocem domini sui audire se dicit, & confidere in domino, quando operibus fidem destruit. Hujus principes sicut leones rugientes: Non ambigimus de rugitu leonum, quando viderimus principes ejus ejus ita in subjectos populos detonare, & voce tyrannica rabidisque conviciis plebem conterere, ut non pastorem inter gregem, sed leonem inter oviculas putes frendere. Iudices quoque ejus quasi lupi rabidi, occidentes vespere, & nil relinquentes in mane, non aspicientes ad ortum solis, sed morantes semper in tenebris, & possessiunculas ecclesiæ, & ea quæ in Dei donaria conferuntur, vertentes in lucrum suum, ut non habeant pauperes quod mane comedant. Qui quasi in nocte, & nullo vidente omnia populantur: &, cum luporum more cuncta rapiant, ne parvos quidem cibos indigentibus derelinquunt.

XVI.

Item idem in Ieremiam prophetam: *Ut quid mihi thus de Saba offertis, & calamum suaveolentem de terra longinqua? Holocautomata autem vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi.* (Lib. 2. c. 6. Ierem. 6.) Hoc autem proprie convenit his qui de rapinis & nudatione miserorum offerunt sacrificia, & eleemosynis ex iniquitate se putant redimere peccata, dicente scriptura: *Redemptio viri propriæ divitiæ*, (Prov. 13.) quæ non de iniquitate, sed de labore & justitia congregantur. Item in Ieremia propheta: *Hæc dicit dominus: Iudicate mane judicium, & eruite vi oppressum de manu calumniantis, ne forte egrediatur quasi ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat.* (Ierem. 21.) Proprie autem sermo fit ad domum regiam, ut emendet errorem pœnitudine, ut clementiam domini consequatur. Iudicate, inquit, mane judicium, non in tenebris iniquitatis, sed in luce justitiæ, & eruite vi oppressum de manu calumniantis, ut non accipiatis personam in judicio; sed, divitibus pauperes opprimentibus, magis apud vos Dei imperium valeat, quam potentia persequentis. Et si, inquit, hoc feceritis, nequaquam succendetur in vobis ignis furoris mei, nec inveniet materiam quam consumat.

XVII.

Item in Isaia propheta: *Vos enim depasti estis vineam meam: rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum?* (Isai. 3.) Manifeste ad principes dicitur Iudæorum. Sed & ad nostros principes referri potest, qui atterunt subjectam sibi plebem; & rapina pauperum in domibus eorum est, quando replent thesauros suos, & ecclesiæ opibus abutuntur in delicias: publicasque stipes, quæ ad sustentationem pauperum datæ sunt, vel sibi reservant, vel filiis suis distribuunt. Cum ergo multa eximiorum doctorum nostrorum exempla proferri potuissent, propter tædium tamen legentium, pauca prolata atque congesta sunt.

XVIII.

Quod autem dominus Iesus Christus templum Hierosolymitanum statutis temporibus adierit, ibique docuerit, signa multa fecerit, illudque venerandum atque honorandum docuerit, sacra

LIBRI III. AD PIPPIN. CAP. XIX. XX. &c. testantur euangelia: qui factis dictisque suis atque exemplis manifeste demonstravit ecclesiam suam (quæ utique templum, illud existit unde ait apostolus: *Templum Dei sanctum, quod estis vos*) a fidelibus suis fore sanctæ religionis voto frequentandam ac venerandam, & nihil in ea, vel de ea, nisi quod ad cultum honoremque ejus pertinet, agendum.

1. Cor. 3.

XIX.

Quomodo igitur ecclesia Christi post ejus passionem, resurrectionem, & ad cælos ascensionem, & Spiritus sancti super apostolos missionem, paulatim creverit, & per apostolos roborata & propagata, atque fidelium oblationibus ditata & exornata fuerit, & actus eorumdem apostolorum, & eorum gesta, quæ unusquisque in provinciis ad prædicandum a Christo sibi commissis gessit, plenissime adstipulantur.

XX.

Sed quia in præcedentibus de hac re satis dictum est, superest nunc, ut de actibus eorumdem apostolorum succincte commemoremus. Petrus vero ait ad illos: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.* Et post pauca: *Qui ergo susceperunt sermones ejus, baptizati sunt: & appositæ sunt in illa die animæ circiter tria millia. Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Fiebat autem omni animæ timor, multa quoque prodigia & signa per apostolos fiebant in Ierusalem, & metus erat magnus in universis. Omnes enim qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & dividebant illas omnibus, prout unicuique opus erat. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat, qui salvi fierent, quotidie in idipsum.* Et post pauca: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una. Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi domini nostri, & gratia magna erat in omnibus illis: neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum ac domorum erant inter illos, afferebant precia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Ioseph autem, qui cognominatus erat Barnabas ab apostolis (quod est interpretatum filius consolationis) Leuites, Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit illum, & attulit precium, & posuit ante pedes apostolorum.* Ecce habes, quomodo per prædicationem sancti Petri & apostolorum, ecclesia in Christum cœpit credere, & crescere, ac multiplicari.

Act. 2.

Ibidem.

Act. 4.

XXI.

Ecce etiam habes initium & originem in Deo offerendis rebus, & indubitanter crede, quod in primordio nascentis ecclesiæ cœpit eadem ecclesia vota fidelium suscipere. Quorum exemplo laudandi sunt votorum ac donorum suorum ultronei oblatores. Facto vero Ananiæ & Sapphiræ deterrendi sunt hi, qui aut suorum aut aliorum votorum existunt ablatores vel defraudatores. Ipse quoque Ananias cum Sapphira

Act. 5.

A uxore sua agrum proprium vendidit, ut ejus precium, sicut & ceteri fideles faciebant, ante pedes apostolorum poneret: sed quia de eodem precio, conscia eadem uxore sua, quiddam dedit, quiddam vero retinendo occuluit, uterque apostolica auctoritate perculsus est. Pro qua re, sicut in eisdem Actibus apostolorum legitur, factus est timor magnus in universa ecclesia, & in omnibus qui audierunt hæc. Si enim de propriis suis rebus, quas ad integrum Deo voverant, pro eis quod inde aliquid abstraxerunt, vel defraudati sunt, tam horribili morte multati sunt, quid putandum est de his, qui ea quæ alii obtulerunt Deo auferre præsumunt? Hi procul dubio, secundum verba beati Petri apostoli, non hominibus sed B Deo mentiri convincuntur.

XXII.

Herodes vero parricida & sceleratissimus rex, de quo & in eisdem Actibus apostolorum legitur, & plenius in libro Egesippi invenitur, quo regnante natus est Christus, cujus etiam sævissimus ingētem parvulorum " catervam pro Christo trucidavit gladius, quia quosdam sacerdotes necavit, eorumque ministerium sibi subripuit, & quia quæ Deo oblata erant, sicut in eodem Egesippi libro legitur, in suos usus convertit, ut cetera ejus mala omittamus, pro tam temerario, & ut ita dixerim crudeli facto, creditur quod meruerit & ab angelo percuti, & a vermibus depasci, & infelicem miseramque vitam digna morte finire. C

Act. 12.

" Herodes duos inuenium confunditur.

XXIII.

Qualiter denique ecclesia Christi per successores apostolorum, pastores videlicet ejusdem ecclesiæ, sub orhtodoxis imperatoribus, & ut de multis unum ponamus, Constantino, nec non regibus aliis ac principibus, ceterisque fidelibus sua vota Deo offerentibus, eamque ecclesiam diversis donariis incrementantibus, atque ad alta sublimantibus, excreverit, hic enumerare & prolixum est & laboriosum, & huic opusculo incapabile. Gesta tamen singulorum manifestant eorum studium, & imperatorum ac regum, principumque, erga cultum divinum amplificandum, & D ceterorum Christianorum ferventissimam devotionem, qualiter memoratam ecclesiam usque in præsens tempus honorando exaltaverint, & exaltando honoraverint, atque multifariis donariis divitem effecerint.

XXIV.

Multa siquidem sanctorum patrum, qui non solum Latine, verum etiam Græce scripserunt, documenta proferri poterant, quæ ob prolixitatem vitandam omittuntur, qui res Deo dicatas atque sacratas nullatenus impune auferri posse testantur.

XXV.

E Sacri quoque canones toto orbe venerandi, & sancto Spiritu inspirante digesti, imo calamum sanctorum patrum, qui eos de ordine & statu sanctæ Dei ecclesiæ conscripserunt, regente, cum in multis auferendarum rerum ecclesiasticarum temerariam inhibeant præsumptionem, & tantæ rei temeratores per eam, quæ a Christo illis collata est, percellant potestatem; libet de multis brevitatis gratia duo huic subnectere opusculo, & non solum hæc duo, verum etiam unum illorum, ad eorum audaciam, qui hæc quæ præmissa sunt fecerunt, aut faciunt, aut facere præsumunt, vel facientibus impunitatem promittunt, reprimendam satis abundeque sufficere potest.

XXVI.

Anno Christi 836

an 7.

ip. 8.

ſynodo I. cap. 3.

XXVI.

Quorum alterum ſub duobus capitulis, videlicet ſeptimo & octavo in concilio Gangrenſi ita legitur : Si quis oblationes eccleſiæ extra eccleſiam accipere vel dare voluerit præter conſcientiam epiſcopi, vel ejus cui hujuſcemodi officia commiſſa ſunt, nec cum ejus voluerit agere conſilio, anathema ſit. Item. Si quis dederit, vel acceperit oblata præter epiſcopum, vel eum qui conſtitutus eſt ab eo ad diſpenſandum miſericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, anathema ſit. Alterum etiam in decretis Symmachi papæ ita habetur, quod licet quibuſdam aliter videatur, negotio tamen de quo agitur, & eccleſiaſtice & canonice evidenter adſtipulatur, quod ita ſe habet : Iniquum eſt enim & ſacrilegii inſtar, quæ vel pro ſalute, vel requie animarum ſuarum unuſquiſque venerabili eccleſiæ pauperum cauſa contulerit, aut certe reliquerit, ab his a quibus maxime convenerit ſervari, auferri, & in aliud transferri. Arbitramur interea, quod his, de quibus & contra quos agitur, hæc quæ paucis congeſta ſunt, poſſint ſufficere. Quod ſi hæc parva eis non ſufficiunt, neque ſi majora, quæ utique uberiori & prolixiori opere indigent, & perfacile in divinis oraculis inveniri poſſunt, eis ſufficient.

XXVII.

Te quoque, nobiliſſime & glorioſiſſime, totoque orbe famoſiſſime, optime rex, humiles ac fideliſſimi oratores veſtri, veſtræque ſalutis amatores certiſſimi ac devotiſſimi, ſuppliciter exoramus, & flexis poplitibus veſtram excellentiam flagitamus, ut hoc opuſculum, quod propter honorem communis redemptoris domini noſtri Ieſu Chriſti, veſtræque animæ ſalvationem, & regni vobis commiſſi tuitionem, atque in longinquum felicem ejus protelationem, veſtrorumque hoſtium ſuperationem digeſſimus, veſtræ celſitudinis obtutibus ſit gratum atque acceptum, vobiſque, prolique, ac populo vobis ſubjecto, domino opem ferente, profuturum : quod non ex cœnoſo fonte jactantiæ, uel cujuſlibet præſumptionis elatione emanaſſe, ſed potius ex veriſſimæ ſinceriſſimæque fidei integritate, & ſacerdotali curam animæ veſtræ incomparabiliter gerente auctoritate, collectum atque conſcriptum eſſe non dubiteris. Monemuſque ſalubriter magnitudinem culminis veſtri, ut hæc perpendatis, qualiter progenitores veſtri, & ditando & exaltando ſanctam Dei eccleſiam, regnum hoc longe lateque dilataverint, glorioſumque ac cunctis in circuitu nationibus terribile, atque domino ſe protegente inſuperabile fecerint. Quapropter fideliter & humiliter veſtram hortando perſuademus, & perſuadendo hortamur a Deo ſublimatam poteſtatem, ut eorum, qui eccleſias Chriſti dehonoraverunt & humiliaverunt, rebuſque propriis exſpoliaverunt, nullatenus imitatores, ſed magis progenitorum veſtrorum, qui eam dilatatam atque exaltatam, & diverſis muneribus exornatam ad vos tranſmiſerunt, exiſtatis ſectatores, & jure cum illis, & cum ceteris fidelibus Deo ſincere ac devote ſua offerentibus, ſalvari, & heredes perpetuæ felicitatis mereamini effici. Sancta & individua Trinitas te, bone rex, ad profectum & exaltationem atque defenſionem ſanctæ ſuæ eccleſiæ per immenſum conſervet, & poſt hujus vitæ lacrymabilem convallem ſanctorum regum conſortem efficiat. Amen.

Nota Iacobi Sirmondi, S. I.

1 *Concilium Aquiſgranenſe.*] De hac ſynodo Eginhartus in chronico : *Menſe*, inquit, *Februario magnus, epiſcoporum præſertim, conventus Aquiſgrani habitus eſt : in quo cum de aliis eccleſiæ neceſſitatibus, tum præcipue de his rebus, quas Pippinus & ſui multis eccleſiis abſtulerant, agebatur. Publico autem & imperatoris & epiſcoporum decreto & conſenſu monetur Pippinus, ejuſque primates, cum quanto ipſorum periculo res eccleſiaſticas invaſerint, utque reſtitui jubeat præcipitur. Quæ res proſperum exitum habuit. Nam Pippinus monita patris pii ſanctorumque virorum libenter ſuſcipiens, obedienter paruit, & omnia invaſa etiam per annuli ſui impreſſionem reſtitui juſſit.* Duæ actorum ſynodi ſunt partes. Prior tripertitos canones complectitur, de tribus capitulis a Ludovico imperatore ad tractandum propoſitis. Ad poſteriorem pertinent libri tres ab eadem ſynodo ad Pippinum Ludovici filium Aquitaniæ regem ſcripti, quibus ea ſacræ ſcripturæ teſtimoniis & exemplis illuſtrant, quæ Pippino eidem per epiſtolam, ſeu commonitorium, antea ſuggeſſerant. Commonitorii, quod deſideratur, argumentum quod fuerit, tum ex libris ipſis, tum ex ſuperioribus Eginharti verbis compertum eſt.

Notæ Severini Binii.

a *Concilium.*] In præfatione concilii fatentur epiſcopi, ſe monitu imperatoris ad hanc ſynodum conveniſſe, eo fine, ut de tribus agerent capitibus hiſce : Primo de vita, doctrina, moribus & officio epiſcoporum : ſecundo de moribus & officio abbatum, aliorumque inferioris ordinis eccleſiaſticorum : tertio de imperatore ejuſque filiis ac miniſtris recte diſponendis. Opuſculum quod immediate actis concilii ſubjungitur, in anterioribus editionibus ſynodi Aquiſgranenſis inſcriptum, quaſi diverſum concilium foret, conjungendum, actiſque hujus concilii apponendum eſſe judicavi, ideo maxime, quod capitula ad Pippinum tranſmiſſa auctoritate ſanctæ ſcripturæ confirmet, ut expreſſe videre eſt initio hujus opuſculi.

b *Anno Chriſti* DCCCXXXVI.] Cum quo indictio XIV. & tempora Ludovici imperatoris, quæ hic ſignantur, coincidunt. Vnde patet in numerum annorum domini apud acta concilii expreſſorum mendum & errorem irrepſiſſe, ubi legitur, *Anno Chriſti redemptoris* DCCCXXXIII. Si quidem iſte annus cum XIV. indictione nullo modo coaptari poſſit. Dubitari poſſet, ſit ne error potius in numero indictionum quam annorum Chriſti redemptoris, niſi ex actis concilii conſtaret hanc ſynodum iſtis temporibus poſteriorem eſſe, quibus Ludovicus abſque imperio ſub poteſtate hoſtium erat, atque in ordinem redactus privatam vitam ducebat. Illud contigiſſe anno domini DCCCXXXIII. patet ex iis quæ dixi ſupra in notis concilii illius quod habitum eſt apud Compendium. Quare ſuſpicor in numerum potius annorum Chriſti irrepſiſſe mendum hac ratione, ut quod notatum habetur, *anno domini* DCCCXXXVI. ſcriptor ita reddiderit, DCCCXXXIII. quinarii numeri nota, V. in duo ſic diſſecta. His quæ de tempore habiti concilii ex actis ſynodalibus annotavimus conſentit auctor vitæ Ludovici, qui anno 836. de concilio Aquiſgranenſi iſta ſummatim habet : *In ipſis etiam diebus, in quibus purificatio beatiſſimæ ſemper virginis Mariæ celebratur, conventus quidem magnus, ſed præcipue epiſcoporum, Aquiſgrani convenit, in quo cum de aliis utilitatibus eccleſiæ neceſſariis, tum præcipue de hiſce rebus quæſitum eſt, quas Pippinus & ſui multis eccleſiis abſtulerunt. Ob quam rem imperialis auctoritas & communis concilii commonitorium ordinatur, quibus commoneretur Pippinus & ſui, cum quanto periculo res eccleſiaſticas pervaſerint. Quæ res proſperum ſuſcepit exitum. Nam Pippinus monita pii patris, ſanctorumque virorum libenter ſuſcipiens, obedienter paruit, & omnia invaſa etiam per annuli ſui impreſſionem conſtituit.* Hæc domeſticus auctor Ludouici de rebus ab ipſo geſtis.

1 a CONVENTVS APVD STRAMIACVM IN PAGO LVGDVNENSI,

In quo ventilata eſt cauſa eccleſiarum Lugdunenſis & Viennenſis vacantium, anno Chriſti DCCCXXXVI. Gregorii IV. papæ IX. Ludovici Pii Auguſti XXIII.

INTER *epiſcopos Lotharianæ conſpirationis poſt Ebbonem Rhemenſem, præcipui nominis fuerant Agobardus Lugdunenſis, & Bernardus Viennenſis archiepiſcopi. Quare damnato jam Ebbone apud Theodonis villam, ut dictum eſt, proximum* vide-

Anno Christi 836.

ANNO CHRISTI 836.

videbatur, ut horum quoque causa examinaretur. Quod cum in hoc conventu fieri cœptum esset, absentibus reis peragi non potuit. Auctor vitæ Ludovici, post synodi Aquisgranensis mentionem, Proximum, *inquit*, huic placito conventum imperator in pago Lugdunensi habuit tempore æstivo, in loco qui vocatur Stramiacus, cum Pippino & Ludovico filiis. Nam quod Lotharius non adfuit, invalentia ægritudinis supradictæ obfuit. In quo causam ecclesiarum Lugdunensis atque Viennensis vacantium ventilari fecit, eo quod episcopi dudum illarum, Agobardus quidem jussus ad rationem non venerit reddendam; Bernardus autem Viennensis adfuerit quidem, sed rursus fugam inierit. Sed hæc quidem res imperfecta remansit propter absentiam, ut prædictum est, episcoporum. *Ceterum in gratiam post ea rediisse ambos, & ecclesias suas recepisse, docet Ado in chronico.* Bernardus, *inquit*, adhuc & Agobardus Viennensem ecclesiam & Lugdunensem regebant. Qui ambo apud imperatorem delati, desertis ecclesiis in Italiam ad filium imperatoris Lotharium se contulerunt: & postmodum, piis imperatoribus agentibus, Agobardus Lugdunensem, Bernardus Viennensem sedem recepit. Post pauculos annos Agobardus apud Santones in expeditione regia positus defungitur.

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Conventus apud Stramiacum.*] Damnato apud Theodonis villam Ebbone, sententiam quoque passus fuerat Agobardus Eginhartus in chronico. *Quo facto*, inquit, *Agobardus Lugdunensis archiepiscopus, usque ad satisfactionem, ab ecclesia præsulatu remotus est, ceteris in Italiam confugientibus.* Par etiam Bernardi Viennensis fuerat causa. Quare utriusque sedes hoc tempore vacua erat.

NOTA SEVERINI BINII.

a *Conventus apud Stramiacum.*] In deponendo Ludovico imperatore Ebboni Rhemensi archiepiscopo Agobertus Lugdunensis & Bernardus Viennensis episcopi consilium & auxilium præbuerant, vocatique ad concilium apud Theodonis villam celebratum fugerant (umque ibidem de eorum causa ideo nihil vel parum actum esset quod in Italiam fugientes ad apostolicam sedem appellasse crederentur, opus erat ut desertis ecclesiis de pastoribus provideretur. Hoc igitur concilio Lugduni indicto, cui Ludovicus imperator cum filiis omnibus excepto Lothario, interfuit, citatus est uterque, sed neuter comparuit, ideo quod causæ suæ bonitati & æquitati diffiderent Et ne absentes damnarentur, suspensum est judicium: quid vero actum deinceps, non constat. Vide Baronium anno 836. num. 9.

ANNO CHRISTI 838.

CONCILIUM KINGSTONIÆ

CELEBRATUM ANNO DOMINI DCCCXXXVIII. Egberti regis occiduorum Saxonum XXXIX. præsidente eidem concilio ipso Egberto rege & filio ejus Athelvvlfo, una cum Ceolnotho archiepiscopo Doroberniæ, ceterisque Angliæ episcopis & optimatibus:

In quo, inter alia, manerium de Mallinges in South-Saxonia, quod Babdredus rex aliquando dederat ecclesiæ Christi Cantuariensi, subtractumque postea, eo quod magnates noluere donationem illam ratam fore, nunc ab Egberto rege filioque suo Athelvulfo, consentientibus demum magnatibus, integre conceditur possidendum.

ANNO dominicæ incarnationis DCCCXXXVIII. congregatum est concilium in loco famoso nomine Kingstone: præsidente eidem concilio Egberto rege & filio ejus Athelvulfo, Ceolnotho quoque archiepiscopo, cum ceteris episcopis Angliæ & optimatibus.

ANNO CHRISTI 838.

Inter multa itaque quæ ibi acta atque dicta sunt, præfatus Ceolnothus archiepiscopus coram toto concilio ostendit, quia reges prænominati, Egbertus videlicet ac Athelvulfus filius ejus, dederunt ecclesiæ Christi manerium quod vocatur Mallinges in Southsexan, liberam ab omni sæculari servitio & tributo regio, exceptis tribus, expeditione, pontis & arcis constructione. Istam præfatam terram rex Baldredus dedit ecclesiæ Christi. Sed quia ille rex cunctis principibus non placuit, noluerunt donum ejus permanere ratum. Quapropter jam dicti reges perfecerunt istud donum, rogati a jam sæpe nominato archiepiscopo Ceolnotho. Si quis hanc violare præsumpserit, ex parte Dei & nostra, regum, episcoporum, abbatum & omnium Christianorum sit separatus a Deo; & sit pars ejus cum diabolo & angelis ejus.

Rex non potuit distrahere patrimonium regni sine assensu procerum.

Anathema.

a CONVENTUS CABILLONENSIS

DE REBUS ECCLESIASTICIS ET POLITICIS componendis, habitus anno domini DCCCXXXIX sub Gregorio.

a *Concilium.*] Cum post obitum Pippini filii & regis Aquitaniæ Ludovicus imperator regnum illud, præterito inofficioso nepote Pippino juniore, inter Lotharium dumtaxat & Carolum divisisset, Ludovicus filius Ludovici imperatoris, & cum ipso optimates Aquitaniæ injuriam sibi illatam esse protestatus, contra patrem arma exercitumque paravit. Ut ergo istæ turbæ componerentur, indictus est Cabillone conventus, quo absoluto, imperator filium Ludovicum rebellantem ad spontaneam reconciliationem adegit, & Aquitaniam compescuit. Baronius anno 839. num. 1.

Causa & acta concilii.

** *Verba quædam auctoris anonymi vitæ Ludovici Pii placuit adscribere.* Imperator præfatum episcopum (*Pictavensem Ebroinum*) in Aquitaniam cum multis gratiarum actionibus remisit, & quod visa sunt suis fidelibus mandavit, & ut sibi autumni tempore aliqui eorum in Cabillone occurrerent, imperavit. Ibi enim generalem indixit conventum. Itaque imperator, uti condixerat tempore autumnali Cabillonensem urbem petiit & tam ecclesiastica quam publica suo more disposuit: deinde ad regni Aquitanici ordinationem se convertit. *Hæc ille.*

ANNO CHRISTI 840

EBBO SEDI RHEMENSI LOTHARII

IMPERATORIS EDICTO " RESTITUTUS EST a quibusdam episcopis Germaniæ & Galliæ in palatio Engilheneimensi ad Rhenum infra Moguntiam VIII. Kalendas Iulii Ind. III. anno reversionis Lotharii primo, Christi DCCCXL. eademque post anni spatium iterum excedere coactus.

" Acta hujus restitutionis multo copiosiora haberi in ms. cod. Pal. Bibl. Vaticanæ monuit Holstenius.

EBBONEM *archiepiscopum Rhemensem, conjurationis in Ludovicum Pium conflatæ reum, synodo apud Theodonis villam depositum vidimus anno* DCCCXXXV. *Post hanc ille cladem in Cisalpinis regionibus latuisse fertur usque ad obitum Ludovici, qui contigit anno* DCCCXL. *Mortuo Ludovico a Bosone abbate S. Benedicti Floriacensis adductus ad Lotharium Vvormatiam venit, qui pristinam illi mox sedem in palatio Engilenheimensi dicto restituit, cui subscripserunt episcopi numero* XX. *Edicti hujus exemplar apud Flodoardum lib.* II. *cap.* XX. *est hujusmodi.*

Lotha-

ANNO CHRISTI 840.

Lotharii imperatoris edictum cum subscriptionibus episcoporum, de Ebbonis archiepiscopi restitutione.

In nomine domini nostri Iesu Christi Dei aeterni. Lotharius divina ordinante providentia imperator Augustus.

QVIA confessio delictorum non minus in adversis necessaria est, quam in prosperis, & cor contritum & humiliatum Deus non despicit, gaudium etiam esse angelorum in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente non dubitamus; nos mortales in terris eos nequaquam despicimus, pro quibus gaudere angelos in cælo divino testimonio non ignoramus. Accusantes & reprehendentes in excessibus semetipsos divina nos benignitas non condemnare, sed recreare docuit, qui meretricem non solum a legali damnatione eripuit, verum etiam publicanum humiliatum & accusantem se non condemnauit, sed magis justificando exaltauit: qui non dixit: Omnis qui se humiliat condemnabitur, sed exaltabitur. Potestatem ergo, quam pro causa nostra raptus perdidisti, repetentibus ecclesiæ tuæ filiis, præsentibus quoque adstantibus ac decernentibus præsulibus, sedem ac diœcesim Rhemensis urbis tibi, Ebbo, restituimus: ut pristino sanctæ largitatis apostolicæ pallio indutus, concordiam atque gratiam divini officii nobiscum, humili satisfactione expleta solenni nostra a largitate recipiendo exerceas.

Drogo episcopus assensi.
Otgarius archiepiscopus.
Hetti archiepiscopus.
Amalvvinus archiepiscopus.
Audax archiepiscopus.
Ioseph episcopus.
Adalulphus episcopus.
David " episcopus.
Rodingus episcopus.
" Giselbertus episcopus.
" Flotarius episcopus.
Badaradus episcopus.
Hagano episcopus.
Hartgarius episcopus.
Ado episcopus.
Samuel episcopus.
" Rambertus episcopus.
" Haiminus episcopus.
" Ratoldus presbyter vocatus episcopus.
Amalricus vocatus episcopus.

Cum ceteris plurimis " presbyteris ac diaconis publice assistentibus.

Actum in Engilenheim palatio publico, in mense Iunio, VIII. Kalendas Iulii, regnante & imperante domno Lothario Cæsare, anno reversionis ejus primo, successor factus patris in Francia, indictione III.

Hoc edicto armatus Ebbo Rhemos rediit, sedemque recepit, quo tempore Carolus a Lothario pulsus ultra Sequanam profugerat; & clericos ibi aliquot, de quibus magna postea fuit controversia, ordinavit, atque anno fere integro episcopatum tenuit. Deinde Carolum audiens resumptis viribus in Belgicam adventare; relicta iterum sede Rhemensi ad Lotharium profectus est.

[margin notes: ..liis qui... ..uâ dici... ..archi... ..scopus ..n secus ..Ioseph. ..isleber... ..otarius, ..puto, ..llensis. ..âpertus. ..rminius. ..atolfus. ..oso ab... ..., de quo ...a, audi... ...cum ...s quam... ...ibus ...atibus,]

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. I.

Quod sequitur apologeticum Ebbonis cæteraque illi subjuncta ex schedis Holstenianis descripta pro sua singulari humanitate misit ad nos per R. P. Petrum Possinum S. R. E. princeps eminentissimus Franciscus cardinalis A Barberinus. Tu eis fruere lector, & fontem a quo tot rivulis nostra hæc irrigata sunt concilia, libens merensque corona.

I.

"** Apologeticum Ebbonis Remensis archiepiscopi, sanctæ sedis apostolicæ legati pro convocatione paganorum redemptioneque captivorum ex consensu Hludovici totiusque palatinæ dignitatis ejus directi. Qui postea persecutionis tempore plurimorum episcoporum cæterorumque nobilium laicorum exilia passorum, Rhemensi ab ecclesia pulsus, septennique " custodia pressus; hinc succedente Hlothario Augusto re- B vocatus, publicaque hac auctoritate ad officia ecclesiastica restitutus, assistentibus vel decernentibus magnis consulibus pariter cum sanctis his subscriptis catholicis præsulibus; Drogone archipalatino præsule, sanctaque unanimitate illi omnes isti concordes, Autcharius archiepiscopus, Amulvvinus archiepiscopus, Audax archiepiscopus, Hetti archiepiscopus, Ioseph episcopus, Adululphus episcopus, David episcopus, Hrodingus episcopus, Geiseberthus episcopus, Heiminus episcopus, Frotharius episcopus, Badaradus episcopus, Hagano episcopus, Hrotgarius episcopus, Ado episcopus, Samuhel episcopus, Provocatus episcopus, Hramberthus episcopus, Rataldus presbyter vocatus episcopus, Amalricus vocatus episcopus, cum ceteris C pluribus presbyteris ac diaconibus, in Ingelenheim palatio publico assistentibus. His namque explicitis canonicæ restitutionis palatinis summis negotiis, comprovincialium receptionis sosolenniter roborata VIII. Id. Decembris extitit principali in ecclesia & sancta sede Remensi: obviam ibi concurrentibus cunctis diœceseos præsulibus aut missis, cum concivibus inclitis, ecclesiastica hac ac publica necessitate vel utilitate promotis, quibus veniendi impossibilitas sola non resistit, generali conventui congratulantes, hanc subscriptionem publicam concordi unanimitate celebrata, priscorum patrum exemplis edocti ra- D tionabiliter ediderunt. Hæc ita scribendo omnes subternotati antistites unanimiter præfigentes sanxerunt.

"quinquenni

II.

Dum non habetur incognitum quod a pluribus videtur compertum, qualiter ecclesia hæc maxima Galliarum sub regimine Francorum diversis perturbationibus ac discordiis principum his temporibus agitata vexatur: Vnde & plurimi episcoporum vi propriis a sedibus expulsi, aut timore derelictis gregibus diversis in partibus exulantur. Inter quos etiam Ebbo archiepiscopus Remensis ecclesiæ raptus a propria sede principum indignatione violenti exilio ductus est. Vnde & reductus sub custodia, ut periculum eva- E deret, & furores persequentium mitigaret, redimendo tempus, ut meliori tempori se reservaret, cum consensu episcoporum pontificali secessit a ministerio; dum inter terrores & discordias ratio non finit immolare victimas, dicente domino: *Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te,* &c. Postquam vero Deus ecclesiæ suæ tranquilliora reddidit tempora, placuit principibus & magistris ecclesiasticis, ut idem pastor ad debitum ovile reverteretur, & oves, quas compulsus reliquerat, tuendas reciperet iterum. Matth. 15.

Quibus ecclesiasticis debitis negotiis, ego Theodoricus Cameracensis episcopus assensum canonice

canonicę præbens, ſicut prius de illius diſceſſu compatiendo dolui, ita & modo de ipſius reverſione congaudens, conſtitutiones ſeniorum vel fratrum roborando ſubſcripſi: quia talia ſæpe contigiſſe & in aliis eccleſiaſticis geſtis legi.

Hrodhadus Sueſſionicus epiſcopus hæc ita ſimiliter roboravi.
Hildemannus Belvacenſis ſimiliter.
Simeon Laudunenſis ſimiliter.
Erpvvinus Silvanectenſis ſimiliter.
Raginharius Ambianenſis ſimiliter.
Emmo Noviomacenſis ſimiliter.
Folcuinus Tarauvenſis ſimiliter.

III.

In nomine domini noſtri Ieſu Chriſti Dei ſummi glorioſo imperante Hludovico Cæſare; cujus prima tempora regni quanquam valde coruſcarent proſpera, ultima tamen ejus concuſſa nimia adverſitate, diuinam quaſi indignationem illam paſſa, quam de noviſſimis temporibus vis ſemper tenet euangelica dicens: *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & inſurgent filii in parentes.* (Matth. 10.) Multi denique hinc potentes expulſi ſunt a patria; epiſcopi quoque aliive Dei miniſtri cuſtodias & exilia paſſi; quidam etiam utriuſque ſexus nobiles laici ad monaſticum habitum compulſi: ut ſaltem his flagellis celeri caſtigatione compuncti remedia ſalutis reciperent, quia quos blanda vitiaverat proſperitas, neceſſe erat ut dira purgaret adverſitas; ne ad tartaream vindictam divina ultro ſæviret majeſtas.

His etenim manifeſtis cognitis periculis, ego Remenſis Ebbo indignus epiſcopus inter ceteros anxios tribus afflictus preſſuris, inſuper & feſſus ægritudine corporis, ſancto cum pſalmiſta dicere non erubui: *Iniquitatem meam adnunciabo, & cogitabo pro peccato meo.* (Pſal. 37.) Divinis flagellis monitus, ſi in proſperis legem domini neglexi, ad ipſam in adverſis confugere debui: ita ut ſi quem per potentiam quondam læſi injuſte, hunc in anguſtiis me ſedentem ferre patienter devovi; ſi cui etiam aliquid indebite abſtuli, ablatis mihi omnibus non contradixi; ſed auferenti tunicam etiam & pallium reliqui. Si enim quandoque amicum neglexi, inimicum hinc diligere, & pro perſecutoribus orare didici, ſicque ſimili ſatisfactione memetipſum accuſans, furores perſequentium mitigare plus quam litigare decrevi, ſancto inſtruente Abraham: qui inter pericula a prælatione uxoris ſe exuens, vim facientibus humiliter cedere magis, quam damnabiliter reſiſtere elegit. Sanctus itaque apoſtolus non minus eadem docuit, cum dixit: *Non voſmetipſos defendentes cariſſimi, ſed date locum iræ.* (Rom. 12.) Inter divina ſiquidem verbera beatus Iob non murmurare, ſed orare atque confiteri peccata maluit, cum anxius inter cætera multa lamenta dixit: *Peccavi, quid faciam tibi o cuſtos hominum?* (Iob. 7.) Quibus multimodis patrum animatus exemplis, ductus eodem mundano impetu, compulſus ad tribunal palatinum, non ad ſynodalem ſanctorum conventum, quo violenter non licet trahi, ſed magis liberum canonice convocari epiſcopum, contigit tamen me in media multitudine ſanctorum adſtitiſſe fratrum hiemali vexatione diutina ibi afflictorum; quorum cõſolatione pia recreatus, illa mihi divinitus inſpirata ſententia caritatis præſto apparuit condolentium, ſicut ſcriptum eſt: *Cum patitur unum membrum compatiuntur omnia membra.* (1. Cor 12.) Quorumque conſilio adjutus, tres mihi ex ipſis elegi ſecretiſſimos adjutores, Aiulfum videlicet archiepiſcopũ,

A Badaradum, Moduinumque epiſcopos: cum quibus de ſalvatoris noſtri inſtitutione peccatorumque remiſſione diligẽter contuli: memor euangelici præcepti dicentis: *Si offers munus tuum ad altare.* (Matth. 5.)

Hac igitur auctoritate cernens, quia frater, quanto magis quia princeps meus, commotus contra me erat, reliqui munus oblationis meæ ante altare, & ſumma ſatisfactione jam dictorum conſenſu confeſſorum vel fratrum ſuccumbens, propter recuperandam concordiam, illatas omnes patienter ſuſcepi injurias, & puritate confeſſionis remiſſionem peccatorum veniamque & non condemnationem percipere credidi. B Quia ſuperbiam in me judicavi ut necem diabolicam, vanam gloriam, ruinam perpetuam; mundi hujus, quod eſt amatorum mundi noxiam amicitiam; quæ divino teſtimonio ad Dei pertinet inimicitiam, in me damnavi ut pœnam tartaream, ſacra dicente ſcriptura: *Qui hujus ſæculi amicus fuerit, inimicus Dei deputabitur.* (Iac. 4.) Fratris convitium ut fatue dictum lege euangelica deputavi ut gehennale ſupplicium: mendacium quoque vel odium non minus quam homicidium execravi, teſtante apoſtolo: *Qui odit fratrem ſuum homicida eſt.* (I ac. 3.) Eodem modo mendacium reſpui, ut ſcelus peſſimum: de quos habetur divinitur præfixum: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* (C) Quo ſcelere offenditur Deus, decipitur proximus, perit & ipſe propria nece doloſus. Quibus quidem aliiſque ſimilibus formidoloſiſſimis peſtibus territus atque compunctus, non ficto ſed devote corripiente me domino ingemui; qui quos amat arguit, flagellat omnem filium quem recipit, ſancto clamante apoſtolo: *Cum judicamur, a domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* (Pſal. 5.)

Ne igitur ſervientes in me amplius peccarent, ſalvatoris noſtri evadendi uſus ſum argumento, qui inter manus perſequentium ſe abſcondit, & exivit de templo: neque periculis imminentibus diſtuli exire de templo, & ſecedere a pontificali officio, qui violenter triennio jam expulſus eram a debito ſacrificandi loco. (1. Cor. 11.) D Nam & apoſtoli tempore paſſionis territi, non ritum ſacrificandi, ſed provida circumſpectione abdita tantum loca orationis quærebant latitandi, quia metus fraterna cum diſcordia divina rite non celebrat chariſmata. Etiam & tempus lugendi non expoſuit ſolemnia, ſed potius evadendi remedia, dicendo: *Confitebor adverſum me injuſtitias meas, & tu remiſiſti impietatem peccati mei: pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore oportuno.* (Pſal. 31.) In hoc ergo tempore oportuno, ſi ſancti pro remiſſione peccatorum laborant, peccatores utique ad confeſſionis remedia currere non differant neceſſe eſt. Vnde & nequaquam noxia, ſed potius ſaluberrima habenda E eſt illa confeſſionis meæ publica inſcriptio; per quam perhibetur certa peccatorum poſſe fieri remiſſio, dum lex pœnitentium quæ a mœrore incipit, ad gaudia merito conſurgit, divina dicente ſententia: *Qui ſeminant in lacrymis in gaudio metent.* (Pſal. 125.) Neque enim dominus deſpicere aut damnare, ſed potius ſanare atque erigere contritos corde legitur. Subſcriptionem ergo mihi in anguſtiis nequaquam damnationis, ſed potius ereptionis titulo edidi: quam non convictus, ſed valde conſtrictus protuli, melius hic inferendam annotatione publica prævidi in teſtimonio veritatis, ne aucta aut minuta maculeretur alicujus æmuli quandoque mendaciis: ut & quid tunc geſtum eſt ſecreto ereptionis argumento, hinc jam publico ubique

ubique discutiatur ab omnibus veræ caritatis studio; dum nullum ubi certum damnationis præfigitur crimen, nullatenus ullum possit ultra pati confusionis discrimen. Non noxia ergo, sed valde proficua habenda est talis subscriptio, quæ furores persequentium mitigavit: hiemales anxias usurpationes fratrũ porrecta levigavit, me etiã ab ira persequentiũ eripuit. Insuper & secundum sacratum scripturarum auctoritatem mihi confitenti remissionem porrigit peccatorum. Scripsi utiq;, in quo apud Deum non corrui, sed potius humili satisfactione convalui: & hæc ita vim facientibus edita obtuli, quia certus sum & scio cui credidi, dicens.

Ego Ebo indignus episcopus recognoscens fragilitatem meam & pondera peccatorum meorum testes confessores meos Ajulfum videlicet archiepiscopũ, Badaradum quoque necnon & Modoinum episcopos constitui mihi judices delictorum meorum, puramque ipsis dedi confessionem quærens remedium pœnitendi & salutem animæ meæ, ut recederem ab officio & ministerio pontificali; quo me recognosco esse indignum, alienumque me reddens pro reatibus meis quibus me peccasse secrete ipsis confessus sum; eo scilicet modo, ut ipsi sint testes alio succedendi & consecrandi subrogandique in loco meo, qui digne præesse & prodesse possit ecclesiæ, cui hactenus indignus præfui. Et ut nullam inde repetitionem aut interpellationem auctoritate canonica facere valeam manu propria subscribens firmavi.

Si quis vero per salutarem hanc in pressuris repertam conscriptionis formulam me damnandum decreverit; similiter in omnibus scriptis meis me opprimere poterit; in quibus nunquam me justifico, sed semper indignum episcopum subscribens ubiq; denuntio. Nec tamen me in hac eadem subscriptione ullus violatorem aut mendacem deprehendere poterit; quia nemo ibi postea utilior præfuit, sed septẽni ferme sub pœnitentiæ spatio, quo in sancta ecclesia peccatorum pœnitentibus fieri solet remissio, patienter expectans, & nemini consecrationis ibi dignitatem impedivi. *Nolite* ergo, dicente domino deo nostro, *condemnare, & non* Luc. 6.
condemnabimini. in *quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.*

Conscriptio itaq; hæc diversis necessitatibus, id est delictorum vel persequentium occasione confecta, si adhuc scandalizanti alicui scrupulum generat, universorum ibi quæso verborum rationem discutiat; in qua certo crimine invento, unde canonica rite sequatur damnatio, juste precor & non livide judicet proximo. Dumq; se æstimat stare, videat ne cadat. Quia lividus judex festucam in alterius quærens, trabem in suo nequaquam sentit oculo. Luce clarius namq; canonica fulget auctoritas; quod sicut sine certo crimine canonice nunquam dejicitur episcopus, ita nec absolutione spontanea quantumvis inviolenta alterius sub custodia non licet recedere episcopum sine concordi præsentia vel consensu civium subditorum.

Prævalet ergo merito in omnibus his ecclesiastica repetitio supra quascunq; alias adinventiones violentas aut libitas, sua magis quam . . . . . . Christi quærenti. Iuste ergo judicantur omnia irrita, quæq; non fuerint auctoritate canonica undiq; fulta. Fidissimus tot talibusq; præsidiis ecclesiasticis hæc salutis præsentia & æterna quæsivi remedia, dum nimis tacendo in tempore loquendi, nimisq; loquendo in tempore tacendi, inter cætera memetipsum noxia reprehendi contagia; divinam majestatem implorans, ut ponat ultra *custodiam ori meo; & ostium circumstantiæ labiis meis, ne declinet cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Sed *corripiat me justus semper in misericordia.* Cum enim nec justum nisi in misericordia sinit corripere divina potentia, quomodo peccator peccatorem damnare licite poterit divina sine vindicta? dominus utique dominantium meretricem legalibus pœnis dignam non nisi sine peccato quemquam damnare adquievit. Quo pietatis exemplo compunctum corde non mortificare, sed misericordiam magis quam sacrificium se velle monstravit. Publicanum siquidem se ipsum accusantem non condemnavit, sed magis justificavit; nec oppressit, sed extulit. Cum non dixit, qui se humiliat condemnabitur; sed exaltabitur. Semivivum similiter prostratum non respuit, sed procurandum sanctis stabulariis ligandi solvendiq; potestatem habentibus commisit; & super divina accepta denariorum reparandi munera compassione propria condolere pro æternæ mercedis lucro commonuit, dicens: *Quodcumque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi.* Davidica quippe compunctio momẽtanea non directionem sed recuperationem meruit. Sancti quoq; apostoli de promissa ac mẽtita in passione perseverantia, post resurrectionẽ vero de stultitia & incredulitate; vel cordis duritia increpati. Petri etiam negatio contritione cordis purgata nequaquam damnatos, verum etiam correctos pristinisque dignitatibus restitutos non solum celebrat, sed potius de reparatione lapsorum imitando gloriatur ubique gavisa sancta Dei ecclesia. Moderna equidem auctoritate Palatina compulsi in angustiis ad monasticum pœnitentis habitum utriusq; sexus laici, itemq; pace reddita redisse ad statum pristinum manifestum est: Quo etiam ritu nullum esse dedecus constat, si offensus clericus post humilem satisfactionem sui debitum clericatum recuperat. Igitur tam manifestis novi ac veteris testamenti divinis nobis ostensis beneficiorum exemplis, ad jam dictam vulgo notam satisfactionem me devotus obtuli, eo quod recuperationem magis quam damnationem unquam ab initio semper humilis meruit satisfactio.

Psal. 140.

Luc. 10.

Post quam vero persecutionem, succedente offensi principis glorioso herede Hlothario Cæsare, mox mihi ecclesiastica restituta est concordia; & vacantem ecclesiam, quam quondam violenter amiseram, inveniens, non præsumptive, sed repetẽtibus ibi sacris ordinibus debite septennem fere post satisfactionem recepi, assistentibus cum principe magnificis præsulibus plurimis; quorum auctoritate omnium revocatus hanc annotationem futuris temporibus recitandam, scriptis his memorabilibus in universa ecclesia Dei catholica manifestam fieri placuit, & sinistras opiniones falsorum fratrum hac certa veritate prolata delere: sacris verisque fratribus in his omnibus satisfacere decuit plus de gratia recuperationis congaudere, quam de nequitia damnationis dolere, suggerens, sicut oportuit, festiva hæc restitutio Deo dignis posteris procuravit.

LEGES ECCLESIASTICÆ

KENETHI REGIS SCOTORUM,

qui floruit anno Christi DCCCXL.
moritur DCCCLV.

Kenethi has leges distinxit Boethius in civiles & religiosas: inter civiles autem multas posuit ad ecclesiasticam etiam cognitionem pertinentes, & nostro debitas instituto; sed cum ille nobis indiscretas dederit, nos & tibi indiscretas exhibemus, ut sequuntur.

I.

SINGULIS in regionibus singuli sint jurisperiti, ut ab initio est institutum.

II.

Horum filii primæva ætate leges discant.

III.

Legum tabulas, regum magnatumque chartophylacia soli hi servent.

IV.

Si horum quispiam criminis falsi convictus fuerit, furca vitam finiat, abjiciaturque insepultus.

V.

Furti convictum suspendito: homicidii, capite truncato.

VI.

Mulierem capitalis criminis damnatam, aut amne submergito, aut defodito vivam.

VII.

Qui Dei nomen, divorumve, regis, aut tribus suæ ducis blasphemia læserit, ei linguam abscindito.

VIII.

Qui mendacii in proximi perniciem fuerit convictus, ei gladium adimito, ejusque congressum exinde devitato.

IX.

Capitalium insimulatos, septem spectata fide viri, aut novem, undecim, tredecim, quindecim, aut numero majori, modo is impar fuerit, ex sententia judicanto.

X.

Latrones, grassatores, depopulatores agrorum, ferro punito.

XI.

Fugitivos, bardos, otio addictos, scurras, & hujusmodi hominum genus, loris & flagro cædunto.

XII.

Vxor non luet mariti scelus: viro autem fraudi erit, si conſciente quid uxor deliquerit.

XIII.

Concubinam viri eadem, cum ea quicum delinquit, pœna torqueto.

XIV.

Qui virginis rapuerit honorem, nisi injuriæ auctorem viriata poposcerit in virum, capitis pœna luito.

XV.

Si quis alterius conjugem non invitam vi-
A tiaverit, uterque extremo afficiatur supplicio. Si vis mulieri fuerit illata, vir injurius proximo ferro damnabitur, mulier erit innoxia.

XVI.

Filium, si parentibus injurius fuerit, lingua, pede, manuve, eodem privatum membro in crucem tollito, abjicitoque insepultum.

XVII.

Homicida, mutus, aut parenti ingratus, heres non esto.

XVIII.

B Præstigiatores, magos, manes invocantes, malis dæmonibus familiares, aut ab eis petentes auxilia, ad unum concremato.

XIX.

Semina, nisi nocivis granis munda, terræ ne condito.

XX.

Qui sua culpa agros satiles nocivis herbis labefactari siverit, eum ob primam culpam bove uno mulctato, ob secundam decem, ob tertiam vero agris ipsis arceto.

XXI.

Commilitonem, amicumve prælio forte cæ-
C sum sepelito, hostem finito insepultum.

XXII.

Aberrans pecus, aut domino, aut furum indagatori (Tocioderach vulgus appellat) aut sacerdoti reddito: quod si triduum penes te retinueris, furti reus esto.

XXIII.

Qui rem proximi deperditam repetit, præconis voce denuntiet inventam, alioquin furis deputetur supplicio.

XXIV.

Qui litigantem secum in judicio percusse-
D rit, causæ reus, pulsato homine absoluto, dicatur.

XXV.

Si coeuntibus bobus quęvis icta incerto percussore interierit casu, quæ earum fuerit incornuta cędis auctorem judicanto. Ejus dominus mortuo accepto animali, damnum proximo reparabit.

XXVI.

Si sus fetus suos ederit, lapidibus obruito, ejusque carnes ne comedito.

XXVII.

Suem segetes edentem, aut grunno cultum sub-
E ruentem agrum, occidito impune.

XXVIII.

Cetera animantia quæ nobiscum degunt, si tua læserint terræ nascentia, donec eorum dominus damnum reparauerit, te penes servato.

Hæc ciuilia & popularia: cetera, quæ ad nos devenerunt, religiosa sunt.

KENETHI LEGES RELIGIOSÆ.

I.

ARAS, templa, diuorum ſtatuas, oratoria, ſacella, ſacerdotes, omneſque ſacræ familiæ viros ex animo venerator.

II.

Feſtos & ſolennes dies, ieiunia, vigilias, & omnifarias ceremonias, quas Chriſto regi & ſacratiſſimæ eius militiæ decrevit humana pietas; mul to honore obſeruato.

III.

Lædere Chriſti ſacerdotem dicto factove exitiale ſit.

IV.

Agrum quo quis forte occiſus ſepultus fuerit, ſeptennium incultum relinquito.

V.

Sepulcrum omne ſacrum habeto, idque crucis ſigno adornato: quod ne pede aliquando conculces caueto.

VI.

Defuncti funus habita facultatum ratione curato.

VII.

Inſignis viri, aut qui de publico optime fuerit meritus, celebri, lugubri tamen, pompa funus efferto.

VIII.

Duos huic adhibito equeſtres. Alterum vita functi arma indutum ferentem inſigne candido equo. Alterum pulla veſte velata facie nigro equo inſidentem. Hic poſteaquam uter ſupplicatoriam deductionem funuſque antecedens ad templum venerit, retroacto equo ad altare, dominum morte abſumptum vociferans, populo in eum execrante, unde venit celerius ſe conferat. Ille ad altare recto pergens gradu depoſita arma equumque offerat ſacerdoti, demortui inſigni admoto monumento, ſignificans eo dominum immortali vita patriaque æternæ claritatis frui. Huiuſmodi ritum virorum inſignium efferendi funera, parum, vt multis eſt viſum, religioſum, poſterior ætas aboleuit; ſacerdoti, equi armorumque loco quinque ſterlingicis libris in oblationem tributis.

* Nota editoris Angli.

His Kenethus rex inſtitutis, longeque pluribus, quorum partem maiorem vetuſtas aut potius regum ſanctiones abrogarunt, populum rite inſtructum magna felicitate uſque ad vitæ exitum rexit. Pontificiam ſedem dudum Pictorum ab Abbernethi opido, eo ferro & igne deleto, ad templum Reguli tranſtulit. Exinde huic opido ſancti Andreæ ædes nomen eſt factum, eoſque qui illuc per pluſcula inde tempora ſacrum geſſere magiſtratum, maximos Scotorum epiſcopos appellarunt. Nondum enim Scotorum regnum uti nunc, in diœceſes diviſum erat, ſed quivis epiſcoporum, quos ea ætate vitæ ſanctimonia cunctis reuerendos facerat, quocumque fuiſſet loco, ſine diſcrimine pontificia munera obibat. Hujuſmodi Scotorum eccleſiæ adminiſtratio ad Malcolmi tertij tempora perſeveravit, quando ipſe ſuperne admonitus uti ſuo referetur loco, ſacrum Multhlacenſem inſtituit magiſtratum. Cæterum tanta reverentia inter homines, tantaque vitæ innocentia, & erga Deum pietate ſacer divi Andreæ pontificatus ab inſtitutione ſui longa epiſcorum ſerie, ad tempus uſque quo hæc commentabamur, eſt continuatus, (ſex enim ſupra triginta antiſtites & eorum cõplures inter divos relatos illic ſediſſe perhibent) ut nuſquam gentium veræ religionis cultus morum conſentiente probitate magis effulſerit. Ad Kenethum redeo. Erant termini eius regni poſt Pictos deletos Northumbria & Hirta, (ea eſt vltima Hebridum inſularum) Hibernicus hinc Oceanus, & illinc Germanicus. Moritur tandem rex omni vita illuſtris pituitæ exundantia apud Forteviotum, anno quam ſupremum inter Scotos iniverat magiſtratum viceſimo, Chriſti autem Domini quinquageſimo & quinto ſupra octingenteſimum. Ejus funus celeberrima pompa in Ionam eſt elatum: ubi Ferguſius, Hirtus ac fortiſſimi quique Scotorum reges conditi quieſcunt. Suffectus eſt in demortui locum Donaldus Kenethi germanus diverſo multum a fratre ingenio.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. I.

Carolum Calvum Francorum regem pridie Idus Ianuarij, indictione quarta, anno primo regni ſui, adeoque ipſis ferme anni 841. auſpicijs pluribuſque ante prælium Fontaneticum menſibus Bituricas Aquitaniarum metropolin veniſſe iampridem docuimus ex Coquillio Romenæo, ibique certum eſt Nivernenſis eccleſiæ privilegia fuiſſe confirmata. Verum vix mihi perſuadere potui hactenus ad Bituricenſem illum fortuitum regis cum aliquot forte præſulibus occurſum pertinere ſynodum illam Rodulfi Metropolitani cum ſuffraganeis ſuis, cuius meminit Remenſis archiepiſcopus Hincmarus ſtrictim quidẽ in concilio Sueſſionenſi III. anno 866. celebrato poſt ſecundam ab eo porrectam epiſcopis ſchedulam hiſce verbis pag. 824. C. tomi noſtri VIII *Poſt hanc ſchedulam ſynodo oſtẽſa ſunt geſta epiſcopalia Sueſſionicæ ſynodi per manus Hincmari Laudunenſis epiſcopi & geſta ſynodi Bituricenſis provinciæ per manus Ragnelmi Tornacenſis epiſcopi, &c.* diffuſius vero ac paulo etiam luculentius epiſtola 23. ad Egilonem Archiep. Senonenſem à Sirmondo edita pag. 285. Tomi II. operum Hincmarianorum: *Oſtenſa eſt etiam,* inquit ille, *ſynodus epiſcoporum provinciæ Bituricenſis, cui præſedit Rodulfus manibus eorum ſubſcripta, in qua ab ipſis qui interfuerunt, & ab Aⱳlfo, qui unus fuit de judicibus Ebbonis, audierunt, comprobatum inuenimus eundem Ebbonem regulariter fuiſſe depoſitum.* At vero ſi Sanſulpitianum monachum cap. 47. Patriarchii Bituricenſis pag. 67 Tomi II. Novæ noſtræ Bibliothecæ MSS. LL eiuſque breuiatorem Chenutium, ac cuncta ſuſq; deque vertentem Claudium Robertum audias, non fuit ad Bituricẽſes infulas vocatus Rodulfus ante annum Chriſti 842. Qui ergo præſidere ſynodo potuit ipſis anni 841. primordijs? Quod ſi iam ab anno 841. pontifex fuerat inauguratus, ut cum alia docent a nobis ſuo tempore proponenda, tum carta à Iuſtello alijſque in auras educta ex tabulario Bellilocenſis abbatiæ, vix tamen mihi videtur idoneus tot epiſcopos convocãdi locus, cum diriſſimis inter Carolum & Pipinum reges eorũque fautores factionibus ac deprædationibus tota quanta erat exardeſceret Aquitania. Quorſum porro noſtrates Aquitani Remenſibus ſe negotijs Eboniſque aut depoſitioni aut reſtitutioni implicuerint, illud me penitus latet, niſi forte gratificari voluerint Carolo Lotharij fratri ac Lotharianorum hoſti, aut occaſione ipſius Vulfadi Bituricẽſis poſt Rodulfum archiepiſcopi iſta retractari neceſſe fuerit fortaſſis trans Ligerim: at qui ſynodo illi poſt obitam feliciter mortem præeſſe potuit Rodulfus? Satius itaque fuerit lucem aliunde, ſi quæ poſthac exoritura ſit, micantiorem expectare.

Certiora dicere poſſumus, cum de conventu epiſcoporum in diœceſi Autiſſiodorenſi habito poſt Fontaneticum excidium, quod die ſabbati 25. Iunij anni 841 accidiſſe noſtri omnes memorant Hiſtorici, tum & de alio apud Aquis palatium anno proxime ſequenti celebrato: ſed nemo verius referre potuit Nithardo, qui præſens interfuit, plurimaque recenſet a cæteris intacta omnibus noſtratis hiſtoriæ ſcriptoribus.

ANNO CHRISTI 841

** CONVENTVS EPISCOPORVM IN DIOECESI AVTISSIODORENSI IN IPSIS CASTRIS inter vicos Tauriacum ac Fontanetum positis, in quo de his qui in prælio ceciderunt actum est ab episcopis partium Ludovici ac Caroli Regum Germaniæ & Galliæ, & triduanum jejunium indictum ac celebratum ab omnibus.

REGES *inquit Nithardus Caroli Magni nepos ipso fere libri 3. initio*, Ludovicus ac Carolus diversis pro rebus diem dominicum inibi acturos se deliberarunt: in quo, missa peracta, amicos & inimicos, fideles & infideles pariter sepulturæ tradebant plaga correptos ac semivivos eodem modo pro viribus ex animo refovebant. B Post hos, qui fuga evaserant, miserunt offerentes, si reverti sana fide vellent omnia delicta remitti. Post hæc reges populique super fratre populoque Christiano dolétes, percontari episcopos cæperunt quid agere super hoc negotio deberent. Quamobrem unanimes ad concilium omnes episcopi cõfluunt, inventumque in conventu publico est, quod posita iustitia & æquitate decertaverint & hoc Dei judicio manifestũ effectum sit: ac per hoc immunis omnis Dei minister in hoc negotio haberi, tam suasor, quam & effector deberet. At quicumque conscius sibi, aut ira, aut odio, aut vana gloria, aut certe quolibet vitio quidquam in hac expeditione suasit vel gessit, esset vere con- C fessus secrete secreti delicti & secundum modum culpæ dijudicaretur. Verumtamen in veneratione ac laude tantæ declarationis justitiæ pro remissione delictis mortuorum fratrum suorum (in eo quod imperfecti peccatis intervenientibus se noverant, ut in multis volentes nolentesque delinquebant) uti suo adjutorio ab his exuti liberarentur. Insuper autem uti hactenus in justitia adjutor & protector illis Deus extitit, ita & deinceps ubique existeret. Proque his omnibus triduanum iejunium injunctum, imoque ac libenter ac celebre celebratum est. *Hæc ille.*

ANNO CHRISTI 842.

CONCILIVM AQVISGRANENSE, D QVO VISVM OMNIBVS SVPERATVM fuisse ob suam nequitiam Lotharium victoriãque fratribus eo melioribus concessam à Deo videri: sive, ut alij referunt, regnum Franciæ à Lothario ad Ludovicum & Carolum fratres est translatum anno Domini DCCCXLII. tempore Gregorij Papæ IV. & Lotharij imperatoris, Ludovici, & Caroli fratrum anno tertio indictione V.

LOTHARIVS imperator fratrum suorum regna affectans, ut solus monarchicum teneret imperium, civili bello eosdem aggressus est: illi contra missis ad eum crebrioribus legationibus pacem quidem expetierunt, sed non impetrarunt ante quam semel atque iterum eum in fugam adegissent. Consulentes igitur episcoporum conventum Aquisgrani congregatum, quid de regno a fratre derelicto ipsis agendum videretur, acceperunt responsum, quod his verbis describit Nithardus ipso libri quarti exordio.

** Vtque, *(sic quippe legendum videtur)* Lodhuvicus & Carolus Lotharium a regno suo abijsse certis indicijs cognovere, Aquis palatium, quod tunc sedes prima Franciæ erat, petentes, sequenti vero die quid cõsultius de populo ac regno a fratre relicto agẽdum videretur, deliberaturi. Et primum quidem visum est, ut rem ad episcopos sacerdo- A tesq; quorum aderat pars maxima, conferrent: ut illorum consultu, veluti numine divino, harum rerum exordium atque auctoritas proderetur. Et hoc illis, quoniam merito ratum videbatur, commissum est. Quibus ab initio gesta Lotharij considerantibus, quomodo patrem suum regno pepulerit, quoties populum Christianum perjurum sua capiditas effecerit: quoties idem ipse hoc, quod patri fratribusque iurauerat, frustrauerit: quoties post patris obitum fratres suos exhereditare atq; delere tentasset: quãta homicidia, adulteria, incendia, omnigenaque facinora universalis ecclesia, sua nefandissima cupiditate perpessa sit. Insuper autem neque scientiam gubernandi rempublicam illum habere, nec quoddam vestigium bonæ voluntatis in sua gubernatione quemlibet inuenire posse, ferebant. Quibus ex causis non immerito, sed justo Dei omnipotentis iudicio, primum a prælio, & secundo a proprio regno fugam illum inisse ajebant. Ergo omnibus unanimiter visum est, atque consentiunt, quod ob suam nequitiam vindicta Dei illum ejecerit, regnumque fratribus suis melioribus se iuste ad regendum tradiderit. Verumtamen haudquaquam illis hanc licentiam dedere, donec palam illos percontati sunt, utrum illud per vestigia fratris eiecti, an secundum Dei voluntatem regere voluissent. Respondentibus autem in quantum nosse ac posse Deus illis concederet, secundum suam voluntatem se & suos gubernare & regere velle, aiunt: & auctoritate divina ut illud suscipiatis, & secundũ Dei voluntatem illud regatis, monemus, hortamur, atque præcipimus. Hinc autem uterque illorum duodecim e suis ad hoc opus elegit, quorum unus extiti; & sicut illis congruum, ut inter illos hoc regnum divideretur, visum est, contenti sunt. In qua divisione non tantum fertilitas aut æqua portio regni, quantum affinitas & congruentia cujusque apta est. Evenitque Lodhuvico omnis Frisia, &c.

ANNO CHRISTI 842.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM, QVO, HÆRESI ICONOCLASTARVM damnata, cultus imaginum Constantinopoli est restitutus, ejectoque Ioanne patriarcha hæretico, Methodius orthodoxæ fidei defensor subrogatus fuit, anno domini DCCCXLII. tempore Gregorij papæ.

Theophanes presbyter in oratione, quam in sanctum Nicephorum patriarcham dixit, aperte fatetur, post obitum Theophili imperatoris, anno 842. collectam esse Constantinopoli hanc synodum, qua patres concilij Iconoclastarum hæresim condemnarunt, cultumque imaginum restituerunt, atque Ioanne patriarcha amoto, Metho- E dium Constantinopolitanæ ecclesiæ episcopum constituerunt. Acta concilij ille prolixius recenset his verbis.

Postquam defuncto Theophilo imperium ad ejus uxorem Theodoram & filium eorum Michaelem admodum adolescentem delatum est, in pietatis studium curamque maxime incubuit femina, vere Dei munere (ut nomen eius indicat) data, ex omnibus præclaris & magnis facinoribus, quibus principes probari solent, nullum præstantius existimans, quo tutius sibi imperium confirmaret, aut virilem in feminea persona fortitudinem exerceret, quam si pietatis & religionis cultu Deum sibi propitium redderet. Id autem nulli pacto facilius aut

ANNO CHRISTI 842.

commodius posse contingere, quam si perturbationem in ecclesia iam diu excitatam sedaret, & partem in illa morbo laborantem reduceret ad sanitatem; & qui inter se animi essent alienati, conciliarentur, atque idem omnino sentirent. Sic igitur fore, ut cum una esset omniū sententia, atque idem sensus, vera sinceraque fides apostolorum, patrumque institutis tanquam solidis fundamentis insistens, firma atque immobilis conservaretur, & sibi deinceps imperij gubernatio facilis & tolerabilis permaneret.

Hac igitur cum illa vere animo excellens & mente fortis regina ingenio suo excogitasset, & providentia considerasset, rē cum illis qui erant in magistratu & dignitate constituti communicata, accersit cum ipsis eos qui inter monachos præstabant & de imaginum instauratione quæstionem proponit. Cumque idem omnes consentientes comperissent, diuturnoque ejus rei desiderio teneri, atque animo excruciari, propter religionis in ea re mutationem, postulavit, ut se etiam patrum auctoritatibus ad veritatem confirmarent, quas varijs in libris invenissent. Mandavitque quo in loco palatij præfinito cœtus ecclesiasticus universus cogeretur, & ad populum ea de re quam apertissime verba faceret. Tanta autem multitudo confluxit, ut numero comprehendi non posset. Convenerunt enim non solum illi, qui mentem sanam impietatis temporibus conservarant, verum etiam quamplures ex ijs, qui cum pietatis hostibus consenserant, quique sacerdotijs & ecclesiis regendis ab ipsis electi fuerant: evestigioque, mutata sententia, eos qui sanctas imagines oppugnarant, anathemati subjecerunt.

Qua quidem celeri & insperata rerum mutatione, Ioannes, qui tunc impie munus pontificium administrabat, stupore & mentis caligine captus, parum abfuit quin ipse sibi manus inferret, mortemque consisceret. Hic enim sceleris caput & summa fuerat: qui cum impie sentiret, & apud imperatores auctoritate posset antea plurimum, eos mendacijs & dolis imprudenter inconsiderateque confectis, in impietatis barathrum impellebat. Eo igitur propter flagitia, quæ in Deum admiserat, uno omnium consensu, & cunctis tum magnorum imperatorum, tum universi cœtus ecclesiastici suffragijs a sacra sede cum ignominia eiecto, Methodius vir & vita & doctrina valde probatus, qui pro veritate & religione multa certamina & longum exilium pertulerat, atque inde plagis & carcere diu cruciatus redierat, omnibus in dignitate constitutis approbantibus, electus est, qui sacram reginæ urbium civitatis sedem obtineret.

Tunc Nicææ secundum divinitus electum sanctum œcumenicum concilium, quod Irenæ imperatricis verum ab ipsa pace nomen habentis, & Tarasii maximi beatissimique patriarchæ studio celebratum est, merito firmam obtinuit auctoritatem ac robur, cum omnes, quæ, Deo aspirante, in ipso decreta fuerant, comprobarent. Tunc omnes ecclesiæ suum ubique decus receperunt, & venerabilium imaginum splendore fuerunt illustratæ: ejectisque illis qui eas nefarie insectabantur, sacerdotes in eis ac duces recti dogmatis sunt constituti.

Ita plane dissipata est hæresis Iconoclastarum, quæ centum viginti annis e portis inferni magno fastu auctore imperatore potens ac furens in ecclesiæ damnum erupit.

"** SYNODVS CP. IN CANICLEO.

EX LIBELLO SYNODICO.

ANNO CHRISTI 842.

ΘΕΟΦΙΛΟΥ τοίνυν τὸν βίον βλασφήμως τελήσαντος, Μιχαὴλ ὁ υἱὸς αὐτοῦ σὺν τῇ οἰκείᾳ μητρὶ Θεοδώρᾳ, τὴν βασιλείαν παρέλαβον. Οἱ ζήλῳ Θεοῦ πυρακτούμενοι, τοὺς ἐν ἐξορίαις ὑπάρχοντας ὁσίους πατέρας ἀνεκαλέσαντο· καὶ σύνοδον θείαν καὶ ἱερὰν τοπικὴν ἐν τοῖς Κανικλείου ποιήσαντες, Ἰωάννην μὲν τὸν μιαρὸν τοῦ θρόνου ἐξήλασαν. Μεθόδιον δὲ τὸν ἐν ἁγίοις, Κωνσταντινουπόλεως πατριάρχην προεχειρίσαντο. καὶ τὰς ἁγίας οἰκουμενικὰς ἑπτὰ συνόδους ἀποδεξάμενοι, τὰς ἁγίας εἰκόνας ἐπὶ τὸ ἀρχῆθεν ὀφειλόμενον σέβας αὐταῖς, καλῶς ἀνεστήλωσαν.

CVM igitur Theophilus vitam blaſpheme finiiſſet, Michael filius eius una cum matre Theodora imperium ſuſcepit. Qui zelo Dei inflammati eos qui in exiliis erant, ſanctos Patres revocarunt: & ſynodo divina ac ſacra locali in Canicleo convocata, Ioannem quidem impuriſſimum throno dejecerunt, ſanctum vero Methodium, Conſtantinopolitanum patriarcham conſtituerunt: ſanctaſque ſeptem œcumenicas ſynodos approbantes, ſacras imagines ad eam venerationem, quæ eis olim debebatur, reduxerunt.

CAPITVLARE TOLOSANVM

CAROLI IVNIORIS CALVI REGIS,

De exactionibus ecclesiarum.

ANNO CHRISTI 843. "444

Sequentia capitula preſbyterorum Gothiæ rogatu acta ſunt apud Toloſam civitatem anno IV. regni domini Caroli, indictione " VI. menſe Iunio, id eſt anno Chriſti DCCCXLIII. Gregorij IV. papæ anno XVI.

" *Seu potius Ind.* VII. *anno sequenti* 844.

TITVLI CAPITVLORVM.

PRÆFATIO.

HÆC quæ ſequuntur capitula conſulentes neceſſitati epiſcoporum Septimaniæ, & ſubjectorum eis preſbyterorum providentes poſſibilitati, tractantes etiam ſacri & iuſte irreprehenſibilis miniſterij honeſtatem, preſbyterorum reclamatione commoniti, moderamine manſuetudinis noſtræ, uſque ad diligentiorem tractatum ſynodi generalis decernimus.

Anno Christi 843. & 844.

CAPITULA.

I.

Vt episcopi nullam inquietudinem, sive exprobrationem presbyteris aut aperte ingerendo, aut alia qualibet occasione machinando, pro eo quod se ad nos hac vice reclamare venerunt, inferant: quia longa oppressio hujusmodi itineris eos fecit subire laborem.

II.

Vt unum modium frumenti, & unum modium hordei, atque unum modium vini, cum mensura, quæ publica & probata, ac generalis seu legitima per civitatem & pagum, atque vicinitatem habeatur, episcopi a presbyteris accipiant, & frischingam sex valentem denarios, aut sex pro ea denarios, & non amplius exigant. Et si hæc non accipiunt, accipiant si volunt pro his omnibus duos solidos in denariis, sicut in Toletano, & Bracarense consensu episcopi considerasse dicuntur. (Concilium Toletanum VII. cap. 4 Bracar. II. cap. 2.)

III.

Vt presbyteri, qui prope civitatem quinque milliaria commanent, per famulos suos prædictã dispensam reddi in civitate cui iusserit episcopus, faciant. Qui autem longius ab urbe commanent, statuant episcopi loca convenientia per decanias, sicut constituti sunt archipresbyteri, quo similiter & eadem propinquitate presbyteri per famulos suos debitam dispensam archipresbyteris & episcoporum ministris convehant. Et procurent episcopi, ne ministri illorum presbyteros dehonorẽt, aut pignora inhoneste tollendo, vel locationem pro receptione dispensæ exigendo: sed cum gratiarum actione recipiant quæ presbyteri cum hilaritatis humanitate, iuxta apostolum, conferre debebunt. (2. Cor. 9.) Quod si ministri episcoporum presbyteros dehonoraverint, dignam illis exinde castigationem exhibeant; quam nisi fecerint, & ad nos iterum pro hoc se presbyteri reclamaverint, motus nostros qui culpabilis repertus fuerit sentiat.

IV.

Vt in circumitione parochiæ episcopi de cetero singulos presbyteros, per singulas jacendo euntes ecclesiolas, sicut hactenus, non prædentur: cum scriptum sit eosdem euãgelizare debere non turpis lucri gratia, ne vituperetur ministeriũ sanctum. Sed considerent & denuntient loca sibi & populo conveniẽtia, & illuc presbyteri, quotquot possibilitas & moderatio providerit, plebes suas adducant, & ibidem episcopi prædicent, confirment, & populi errata inquirant ac corrigant. Iterum autem, quia dominica voce datur licentia, qui euangelium annuntiant, vt de euangelio vivant, licet Paulus apostolus nihil horum fuerit usus, (1. Cor. 9.) presbyteri tale conjectum faciant, ut & episcopi solatium habeant, & ipsi non graventur. Quod ita nobis fieri posse videtur; videlicet quatuor presbyteri ad locum ubi quintus degit, & episcopus residet, plebes suas de quatuor partibus adducere studeant; & unusquisque eorum decem panes, & dimidium modium vini, & frischingam de quatuor denariis, & pullos duos, & ova decem, & modium unum de annona ad caballos, in subsidium benedictionis gratia præsentet episcopo. Et similiter quintus, in cujus domo episcopus residet, faciat: nec amplius ab eo exigatur, nisi forte ligna & utensilia in opus ministerii commodet. Quapropter episcopus provideat, ne domus aut sepes illius a ministris vastentur.

V.

Vt semel in anno episcopi hanc circumitionem tempore congruo faciant; & si amplius ministerium suum per diœcesim agere voluerint, hanc tamen dispensam non amplius quam semel a presbyteris per annum accipiant.

VI.

Quod si circumitionem in salutem & necessitatem populi quacumq; de causa dimiserint, a presbyteris nec hanc dispensam, neque precium illius exigant, neque aliis, aut suis domesticis, aut amicis, exigendam concedant. Et quando circumierint, & in domo presbyteri resederint, non sub occasione affligendi presbyteros immoderate & nõ necessarie numerum famulorum adducant, neque vicinos ad pastum incongrue convocent. Quod & si cum caritate vocare voluerint, faciãt, sed non amplius a presbyteris, vel sub occasione vendendi vel alio quolibet modo, quam statutum est, exigant, neque paraveredos, aut alias exactiones tollant.

VII.

Vt episcopi parochias presbyterorum propter inhonestum & periculosum lucrum non dividant: sed, si necessitas populi exegerit, ut plures fiant ecclesiæ, aut statuantur altaria, cum ratione & auctoritate hoc faciant. Scilicet ut si longitudo, aut periculum aquæ, aut silvæ, aut alicujus certæ rationis vel necessitatis causa poposcerit, ut populus & sexus infirmior, mulierum videlicet vel infantum, aut etiam debilium imbecillitas ad ecclesiam principalem non possit occurrere, & non est sic longe villa, vt presbyter illuc sine periculo ad tempus & congrue non possit venire, statuatur altare; &, si ita populo complacet, & commodum fuerit, ne sine ratione scandalizetur, parochia maneat indivisa. Sin autem præfatæ causæ postulaverint, & populus non conductus, neque cupiditate vel invidia excitatus, sed rationabiliter acclamaverit vt ecclesia illis fieri, & presbyter debeat ordinari, hoc episcopi episcopaliter teste Deo in conscientiæ puritate, cum ratione & auctoritate, sine intentione turpis lucri, mature consilio canonico tractent, & vtilitati ac saluti subjectæ plebis quæque agenda sunt peragant, & secundum quod subtraxerint cuilibet presbytero de parochia, de dispensa quoque debita ab illo minus accipiant, & alteri, qui quod dividitur a parochia suscipit, sub hac eadem mensura imponant.

VIII.

Vt episcopi sub occasione, quasi auctoritatem habeant canonum, constitutis excellentiæ nostræ nequaquam resultent, aut negligant: sed potius canones ut intelligendi sunt intelligere, & in cunctis obseruare procurent. Quia si aliter fecerint, omnimodis & qualiter canones fidelium decimis agendum statuant, & qualiter intelligi ac observari cum mansuetudinis nostræ decreto debeant, synodali dijudicatione & nostra auctoritate regia docebuntur.

IX.

Vt episcopi synodos a presbyteris, nisi sicut docet auctoritas canonum, duas scilicet & per tempora constituta, non exigant. Sed & in eisdem synodis non per occasionem, sed per veritatem ministerii sui teste Deo, ad quod constituti sunt presbyteros & tractent, & teneant, & absolvant.

NOTA

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Capitulare Tolosanum.*] Editum est cum ceteris Caroli Calvi capitulis titulo quinto. In synodo actum non fuisse præfatio ipsa docet. Ideo in collectione illa capitulorũ synodis aliquot propter earum auctoritatem postponitur, quas tempore anteibat. Nos quia temporum ordinem sequimur, suo loco reddidimus.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. I.

In synopsi nostra historica jam ab an. 1661. docuimus Tolosanum hoc capitulare rectius ad annum 844. referendum esse, cum certo certius sit illo anno Carolum Calvum Francorum regem cum exercitu venisse ad Volcas Tectosagos, & obsedisse Tolosam, ut patet ex charta episcopii Bituriensis data 14. Kalendas Iunias indictione VII. anno quarto regnante Carolo in monasterio sancti Saturnini dum obsideremus Tolosam I. D. N. F A. Vide pag 300 commentarii de Allodiis Landgothicis V. C. Casanovæ.

ANNO CHRISTI 843.

CONVENTUS 1 IN VILLA COLONIA.

CAPITULA QUÆ ACTA SUNT ANNO IV. REGNI domni Caroli gloriosi regis, domni Hludovici imperatoris filii in conventu habito in villa quæ dicitur Colonia: quæ etiam subscriptione ejusdem principis & episcoporum ac ceterorum fidelium Dei confirmata fuere, consensu Vvarini & alorum optimatum, indictione VI.

TITULI CAPITULORUM.

PRÆFATIO.

SANCTA ecclesia navis more, ut de prioribus sæculis taceamus, ab initio suæ institutionis pelagus sæculi hujus diversa qualitate hactenus domino moderante transegit: & modo tranquillitate ' gravis, amodo autem procellæ alicujus tempestate concussa, sed non usquequaque demersa, quin potius excitato fidelium precibus Christo suo gubernatore, salubri libertatis securitate, atque optata donata serenitate. Unde etiam in partibus nostri orbis, quæ tempore divæ recordationis avi nostri, & sanctæ memoriæ domni ac genitoris nostri, aliquamdiu fuerat pacis suavitate lætata, inimico homine juxta sanctum euangelium, in agro dominico superseminante discordiæ zizania in medio tritici Deo amatæ caritatis, adeo est diversis atque adversis vexata molestiis, ut non sine maxima difficultate, respectu divino, & fidelium Dei ac nostrum solatio, inter nos fratresque nostros pacificatio, & paterni regni ex consensu divisio, seu ejusdẽ sanctæ ecclesiæ ac fidelis populi tantorum laborum quantulacumq; fieret respiratio. Processu vero temporis, ut solent post condensos aeris turbines nubiũ in pertranseundo remanere vestigia, restiterunt fatemur in nobis, & in viris ecclesiasticis, nec non & in reipublicæ nostræ solatiatoribus hujusmodi materiæ

' gravis; modo autẽ &c.

Matth. 13.

A & fomites dissensionum, ut manifeste patesceret nos divina gratia indigere, ut omnes a contagio morbi pristini penitus exueremur, qua præventi eramus ut infirmitatem communem videre possemus. Quapropter veniẽtes in unum fideles nostri, tam in venerabili ordine clericali, quam & illustres viri in nobili laicali habitu constituti, & zelo Dei accensi, memores etiam fidei, quam ipsi & antecessores eorum nostris detulerunt prædecessoribus, ponentesq; ante oculos dilectionem & fidelitatem, quam nobis post defunctionem patris laudabiliter & continentissime servaverunt, secundũ quod legitur in literis divinitus inspiratis, hortatus est alter alterum, imo omnes se invicem monuerunt, ut cuncti universum animi rancorem pro quocumq; conceptum negotio a corde propellerent, & in Dei voluntate ac sanctæ ecclesiæ competenti veneratione, B seu nostra fidelitate servanda, atque debito honore & regia potestate stabilienda & conservanda, quin etiam sese in pacis cõcordia & vera amicitia copularent; quatenus divinæ clementiæ placerent obnixius, & de regis ac regni stabilitate & utilitate possent tractare sublimius, & suum atq; totius populi communem profectum & tranquillitatem obtinerent propensius. Sicque Deo amabili atque laudabili conventu unanimiter ac rationabiliter perpetrato, nostræ mã. suetudini suam devotionem & actionem fidelissime suggesserunt. Nos autem tanta fidelium erga dominationem nostram subtiliter perspecta benignitate, C ut causa pro sui merito exigebat, eis condignas gratiarum actiones retulimus, & nos nostramq; potestatem eorum bonæ convenientiæ per benevolentiam in hoc facto, quod sine dubio ad præsentem & æternam tendit salutem, sociam & comitem fore tota devotione spopondimus, abdicatis omnibus, quantum patitur humana fragilitas, quæ persona nostri regiminis ignorantia, seu juventute, aut necessitate, contra convenientem sibi salubritatem & honestatem usque modo egerat, aut alterius astu contraxerat. Qua de re communiter inito consilio, hoc scriptum fieri proposuimus, quod etiam manuum omnium nostrorum subscriptione roborandum decrevimus. In D quo quæ nobis nunc præcipue ad communem salutem, & regni soliditatem, atque omnium nostrorum utilitatem, imo plenissimam honestatem, visa sunt pertinere, conscripsimus: non loquentes diversarum immutatione personarum, ut modo regalis sublimitas, modo episcopalis auctoritas, modo autem fidelium loquatur commoditas: sed secundum apostolum, sub uno capite Christo, ut revera unus homo in unius ecclesiæ corpore, singuli autem alter alterius membra, quod prosit omnibus omnes unanimiter una voce loquamur, per eum & in eo qui dixit: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri* E *qui loquitur in vobis.*

ANNO CHRISTI 843.

1. Macch. 12.

Matth. 10.

CAPITULA.

I.

De honore videlicet & cultu Dei, atque sanctarum ecclesiarum, quæ auctore Deo sub ditione & tuitione regiminis nostri consistunt, communiter domino mediante decernimus, ut sicut tempore beatæ recordationis domni ac genitoris nostri excultæ & honoratæ atq; rebus ampliatæ fuerunt, salva æquitatis ratione ita permaneant, & quæ a nostra liberalitate honorantur atque ditantur, de cetero sub intergritate sui serventur. Et sacerdotes

cerdotes ac servi Dei vigorem ecclesiasticum, & debita privilegia juxta reverendam auctoritatem obtineant: eisdem vero regalis potestas, & illustrium virorum strenuitas, seu reipublicæ administratores, ut suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & juste concurrant.

II.

Honor etiam regius, & potestas regali dignitati competens, atque sinceritas & obtemperantia seniori debita, remota omni socordia & calliditate, seu qualibet indebita quorumcumque conjunctione contra honorem & potestatem atque salutem nostram, sive regni nostri soliditatem, nobis in omnibus & ab omnibus, sicut tempore antecessorum nostrorum consueverat, exhibeatur. Et si quis quemcumq; contra nos, & contra hanc pactam sinceritatem aliquid moliri manifeste agnoverit, si eum convertere nequiverit, aperte prodat atque denotet, & sic consilio atq; auxilio episcopalis auctoritas, & fidelium unanimitas, ut noster honor & potestas regia inconvulsa permaneat, totis nisibus decertare & adjuvare procuret.

III.

Quia vero debitum esse cognoscimus, ut a quibus honorem suscipimus, eos juxta dictum dominicum honoremus, volumus ut omnes fideles nostri certissimum teneant, neminem cujuslibet ordinis aut dignitatis deinceps nostro inconvenienti libitu, aut alterius calliditate, vel injusta cupiditate, promerito honore debere privare, nisi justitiæ judicio & ratione atque æquitate dictante. Legem vero unicuique competentem, sicut antecessores sui tempore meorum prædecessorum habuerunt, in omni dignitate & ordine, favente Deo, me observaturum perdono.

IV.

Quod ut facilius atque obnoxius nostra auctoritas valeat observare, omnes sicut in vestra bene memorabili convenientia pepegistis conservare studebitis: imo etiam cuncti in postmodum solicite præcavebunt, ne aliquis pro quacumque privata commoditate, aut rejicienda cupiditate, sive alicujus consanguinitatis, vel familiaritatis, seu amicitiæ conjunctione, nobis immoderatius suggerat, vel postulationibus, aut quolibet modo illiciat, ut contra justitiæ rationem, & nostri nominis dignitatem, ac regiminis æquitatem agamus.

V.

Et si forte subreptum nobis quidpiam ut homini fuerit, competenter & fideliter, prout sublimitati regiæ convenit, & necessitatibus subjectorum expedit, ut hoc rationabiliter corrigatur, vestra fidelis devotio admonere curabit.

VI.

Tandem autem visum est nobis annectere, ut si quis hoc fœdus concordiæ salubris, quod propter pacis caritatisq; custodiam inivimus, & chirographi virtute subscripsimus, rebelli atq; animo pertinaci irruperit, Christiana dilectione admoneatur, & ad inconvulsum caritatis vinculum conservandum: quod qui tentaverit corrumpere, facilius poterit seipsum disrumpere, quam illud possit irrumpere, juxta divina ut resipiscat hortetur: & si audierit, fiat de societate fideli omnibus gaudium: si vero obaudire renuerit, tunc pontificalis auctoritas, & regalis sublimitas, atq; in caritatis connexione persistentium magnanimitas, secundum quod res & necessitas postulaverit, ac ratio expetierit, seu qualitati personæ convenerit, zelum suæ devotionis ferventissime exerat, & quod inspirante Deo agendum in omnem salutis & utilitatis atque honestatis partem judicaverit, irrefragabiliter peragat.

NOTA IACOBI SIRMONDI S. I.

1 *In villa Colonia.*] Holonia dicitur in vulgatis editionibus synodi Meldensis: at inveteri ejusdem synodi codice Metensi, & in antiquis capitulorum exemplaribus Colonia vocatur, quam villam prope Vindinum Cenomannorum urbem sitam esse docuimus.

ADMONITIO EIUSDEM IAC. SIRM. ad lectorem de superioribus ac sequentibus deinceps capitulis.

QUÆ hactenus prolata sunt, apud Tolosam, in villa Colonia edita eadem in Caroli Calvi capitulis continentur: unde & alia quoq; deinceps depromentur. non omnia quidem, sed ea dumtaxat, quæ vel in synodis episcopalibus gesta, vel ad res potissimum ecclesiasticas pertinere videbuntur; ceteris omissis quæ ad civilia potius spectant, & ad rem nostram minus faciunt: quæ ipsa cuiq; si opus est, ex capitulorum Caroli Calvi volumine, in quo suis locis ac temporibus digesta sunt, repetere licebit. Quæ porro sequuntur in synodo apud Lauriacum acta, in Caroli volumine ["] non extant, sed in concilio Meldensi, cui inserta sunt: quod argumentum est, synodum illam episcopalem fuisse, non regiam.

["] Extare tamen suo loco & ordine in cod. Pal. Bibl. admonuit Holstenius.

ANNO CHRISTI 843.

CONCILIUM APUD LAURIACUM.

CAPITULA IN SYNODO ACTA, QUÆ habita est apud Lauriacum in pago Andegavensi, anno ["] DCCCXLIII. incarnationis domini Iesu Christi, mense Octobri indictione VII. Caroli Calvi regis anno IV.

["] in ms. Palatino subjunguntur concilio sequenti ad Theodonis villam, ibidemque perinde inserta sunt concilio Meldensi num. 13. & seqq.

TITULI CAPITULORUM.

CAPITULA.

I.

SI quis publicus divinæ legis prævaricator, vel pro manifestis criminibus erga ecclesiastica justa & rationabilia judicia contemptor repertus fuerit, vel inflatus ac tumidus monitis ecclesiasticis, ac sanctorum patrum constitutionibus contradictor, vel subsannator comprobatus fuerit, si monitionibus episcopalibus obtemperare distulerit, anathematizetur. Ivo parte 16. cap. 8.

II.

Si quis contra regiam dignitatem dolose, ac callide, ac perniciose satagere comprobatus fuerit, nisi dignissime satisfecerit, anathematizetur.

III.

Si quis potestati regiæ, quæ non est juxta Ivo parte 16. c. 13.

ANNO CHRISTI 843.

juxta apostolum nisi a Deo, contumaci ac inflato spiritu contra auctoritatem & rationem pertinaciter contradicere præsumpserit, & ejus justis & rationabilibus imperiis secundum Deum, & auctoritatem ecclesiasticam, ac jus civile, obtemperare irrefragabiliter noluerit, anathematizetur.

IV.

Quicumque superbiæ facibus accensi vel protervia stomachati, hæc quæ pro sanctæ matris ecclesiæ tranquillitate, sacerdotalique rigore, & regia dignitate a nobis unanimiter definita, manibusque propriis roborata sunt, violare, aut quolibet argumento irrumpere tentaverint, placet eos omnes anathematizari,

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Apud Lauriacum.*) Nomen retinet in pago Andegavensi. Quæ porro ab episcopis hoc loco sancita sunt adversus regiæ dignitatis contemptores, haud dubium quin ad Lantberti Comitis, aliorumque rebellionem spectent, cujus causa prima hoc anno in Britanniam expeditio a rege suscepta est, & de qua inferius in Concilio Turonensi IV.



VITA ET EPISTOLA SERGII PAPÆ II.

ANNO CHRISTI 844.

SERGIUS [a] natione Romanus, ex patre Sergio regionis quartæ, sedit annos tres.

Hic cum illustri editus a matre fuisset, castis nutrimentis, eum erudire ingenti cœpit cum studio, ut nihil obscœnum vel libidinis ab eo quisquam audire aut videre posset: Puerilia oblectamenta contemnere non verebatur: ita ut actibus pollere videretur piis ab omnibus, & moribus clarescere maiorum cœperit nobilium, puris munitus, instructusque maternis monitis.

[Edu]catio Sergii. Igitur mater exultabat quotidie, & omnipotenti Deo gratias referebat alacriter, qui talem sibi superno prolem concessisset auxilio. Duodecimo quidem ætatis suæ anno obiit mater eius, migravitque ad dominum: qui relictus a matre (pater jam olim luce caruerat) cum suis morabatur in parentum æde fratribus.

Eodem tempore urbis Romæ primatum gerebat ecclesiæ Leo III. papa benedictus, atque præcipuus, qui generositatem huius preclari pueri reminiscens, ac parentum eius nobilitatem recolens, ad suam eum iussit magno cum amore duci præsentiam. Itaque cum adductus fuisset, hilari vultu eum serenaque mente contemplari cœpit, & suo supra modum placuit animo. Tunc presul eum scholę cantorum ad erudiendum communibus tradidit literis, & ut mellifluis instrueretur cantilenæ melodiis.

Insignis idem & solertissimus puer celeriter omne literalis disciplinæ sumpsit ingenium, ut omnes ipsius precelleret scholæ puerulos. His optimus auditis pontifex inexplebili replebatur quotidie gaudio pro pueritię eius benignis profectibus. Tunc acolytum in sancta constituit Romana ecclesia. Vicesimo autem pontificatus sui anno cum decessisset officio, Romanę sacerdotium Stephanus suscepit ecclesię, quem etiam ipse amplo cum cordis diligebat affectu. Et cum eum strenui in divinis scripturis nobiliter contemplaretur velocem, protinus illi subdiaconatus concessit officium. Parvoque tempore post episcopatus sui administratum regimen, ecclesiæ gubernacula Paschalis suscepit. A quo idem vir per omnia prudentissimus, vita, eruditione, moribusque adornatus, tituli beati Silvestri confessoris atque pontificis presbyter consecratur: qui super omnes misericordia, studio, vigilantia, atque omnibus optimis institutionibus claruit. Paschale vero defuncto præsulatus culmen accepit Eugenius. Igitur in pontificio cum tribus perdurasset ipse Eugenius annis, Valentinus sedis ipsius pontifex consecratur: cuius post casum ecclesiæ apicem suscepit Gregorius. A quo cum diligentius prædictus vir amaretur, archipresbyterum eum in sancta ordinavit ecclesia.

ANNO CHRISTI 844. *Fit subdiaconus.* *Et presbyter.* *Et archipresbyter.*

Qui vero cum per sexdecim solertissime gubernasset ecclesiam annos, ad extrema ductus occubuit. Tunc vero, cum proceres, & Romanę urbis optimates, universusque ecclesię populus pro eligendo pontifice in unum coissent, atque alius de alio, ut fieri solet in talibus, conclamaret; subito per Dei providentiam divino nutu compuncti, de antefati Sergii archipresbyteri religione diligentius confabulari cœperunt, ut omnes conclamarent, quia dignus esset pontificatus adipisci regimen.

Firmatoque in eumdem virum consilio unusquisque in sua reversus est. Tunc repente diaconus quidam ipsius ecclesiæ Ioannes in tantum amentiæ erupit, atque insaniæ, ut persuaso quodam satis imperito & agresti populo, collecta turbulentorum & seditiosorum manu, in patriarchium Lateranense, per vim fractis janiuis, cum belicis telis ingrederetur, legis & ordinis traditionem transgressus. Quo ex facto omnes, qui intra patriarchii mœnia aderant, stupore & metu repleti sunt. Igitur cum per unius horæ momentum cum eo illa perdurasset ignobilis populi coitio timore correpta, eo relicto nusquam comparuit. Quibus ita gestis omnes Quiritum principes indignati sunt, & communi consilio universi pariter in basilica beati Martini confessoris atque pontificis celeri cursu magnoque equitatu sunt congregati, & eumdem archipresbyterum Sergium in omnibus probatissimum virtutibus virum, de quo superius memoriam fecimus, extrahentes de ecclesia, magno cum honore, magnaque populi comitante caterva, amplisque resonantibus laudibus cum hymnis & canticis spiritalibus in patriarchium Lateranense electus atque perductus est. Eodem vero die tanta nix in urbe effusa est, ut omnibus candidata cerneretur. Quod multi gaudii dicebant, & claritatis esse indicium.

Discordia in electione.

Prædictum vero Ioannem diaconum de patriarchio magna cum turpitudine hujus Romanæ urbis principes expulerunt, & arctius in claustra sub cautela trudi præceperunt, pro ipsius tanta temeritate, & impia, & dira præsumptione, quam sæpefatus Ioannes diaconus ausus est perpetrare. Quem etiam concilio antistitum principes damnare, suoque voluerunt privari honore. Nec non & alii ensibus membratim eum dilaniare ac interimere voluerunt. Sed hoc fieri benignus & solertissimus Sergius præsul prohibuit; nolens malum pro malo secundum euangelicam cuiquam reddere vocem. *Rom. 12.*

Auctor discordiæ pellitur.

Tunc demum exultantibus omnibus sacerdotibus, proceribus & optimatibus, omnibusque ecclesiæ

Consecra-

tur in pontifice Sergius. Sergii virtutes.

ecclesiæ populis, idem sanctissimus vir in apostolica beati Petri sacratissima sede ordinatus consecratusque est pontifex.

Erat enim origine insignis, fide purus, prædicatione liberior, Deo humilis, hominibus clarus, vultu alacris, mente alacrior, ecclesiarum gubernator, plebium cultor, pauperum fautor, viduarum tegimen & consolator, indigentium largitor, dispersorum congregator & conservator, inanium sæculariumque rerum contemptor, solius sapientiæ divitiarum avidus & amator. Huius sacratissimæ consecrationis cum ad aures invictissimi Augusti Lotharii rumor pervenisset imperatoris, Drogonem videlicet Metensis ecclesiæ archiepiscopum cum excellentissimo Ludovico filio suo, magno cum Francorum exercitu Romam direxit: cum quibus etiam archiepiscopos, pluresque episcopos, abbates & comites proficisci præcepit. Ipsi vero a quo in oras Bononiæ civitatis cum * belligeris suis exercitibus sunt ingressi, tantas cædes tantasque strages in populo peregerunt, ut qui per urbes & agros erant, tyrannica crudelitate perterriti, relictis propriis locis per loca abdita & latebras se absconderent. Cum vero hæc per omnem locum, singulasque per urbes, atque vicos & agros sæva operarentur nequitia, ad pontem pervenerunt Capellæ. Tantaque erat tunc cæli serenitas, ut toto in aere nubes aut pluviæ signum quisquam videre non potuisset: subito vero atrarum non modica densitas nubium facta est, nimbosisque procellis & coruscationibus circumdati, quidam de primatibus Drogonis consiliariis fulminis ictu percussi ac interempti sunt.

Lotharius imperator mittit Drogonem in Italiam, & filium suũ.

* seligeris

Exercitus Lotharii agrum Bononiensem devastat.

Fulmine punitur exercitus.

Hoc videntes horribile signum nimio omnes timore Franci correpti sunt. Sed nullatenus mentis ferocitatem deponentes, atroci voluntate ad Vrbem velociter properabant.

Honorifice Roma recepit Francos.

Quorum adventum antedictus beatissimus papa Sergius fieri propius cum cognovisset, in eius excellentissimi Ludovici regis occursum universos judices ad fere novem milliaria ab hac Romana urbe direxit.

Quem cum signis & magnis resonantibus laudibus susceperunt. Et dum Vrbi pene unius milliarii spatio appropinquasset, universas militiæ scholas una cum patronis direxit, dignas nobilissimo regi laudes omnes canentes, aliosque militiæ doctissimos Græcos imperatorias laudes decantantes, cum dulcisonis earumdem laudum vocibus ipsum regem gloriose susceperunt.

Obviam illi eius sanctitas dirigens venerandas cruces, item signa, sicut mos est imperatorem aut regem suscipere, ita eum cum ingenti honore suscipi fecit. Ipse vero Ludovicus rex qua hora sibi sacratissimas cruces ac signa obviam advenisse conspexit, alacris factus valde lætatus est. Tunc suo universo cum populo omnibus Romanis iudicibus, ac scholis antecedentibus, ad beatum Petrum studuit properare.

Quem antedictus almificus pontifex in gradibus ipsius apostolicæ aulæ eumdem regem in ipso die dominico post pentecosten suo cum clero expectavit. Conjungente vero eodem rege, universosque gradus eiusdem sacratissimæ beati Petri ecclesiæ ascendente, ad prænominatum propinquavit pontificem, qui in atrio super gradus iuxta fores ecclesiæ cum universo clero & populo Romano assistebat. Tunc mutuo sese complectentes tenuit idem Ludovicus rex dextram antedicti pontificis, & in interius ingressi atrium ad portas pervenerunt argenteas. In quo atrio unus de exercitu a dæmonio arreptus in conspectu Francorum omnium valde vexatus est. Tunc almificus præsul claudi faciens omnes ianuas beati Petri, atque serari præcepit, & regi, sancto Spiritu admonente sic dixit:

Ludov. rex & papa se amplectuntur.

Si pura mente & sincera voluntate, & pro salute reipublicæ, ac totius orbis, huiusque ecclesiæ, huc advenisti, has mea ingredere ianuas iussione: sin aliter, nec per me, nec per meam concessionem istæ tibi portæ aperientur.

Statim rex illi respondens dixit, quod nullo maligno animo aut aliqua pravitate vel malo ingenio advenisset. Tunc eodem præsule præcipiente appositis manibus prædictas ianuas patefecerunt. Et ita in eamdem venerandam aulam beati Petri ingressi sunt, laudem Deo, & eius excellentiæ decantantes, universus clerus, & cuncti religiosi Dei famuli extensa voce acclamantes: Benedictus qui venit in nomine domini, & cetera. Sicque cum eodem pontifice ipse rex simulque omnes episcopi, abbates & iudices, & universi Franci qui cum eo advenerant, ad confessionem beati Petri appropinquantes, seseque pronos ibidem prosternentes, Deo nostro omnipotenti, & eidem apostolorum principi gratias reddiderunt. Et data a prædicto almo pontifice super populum oratione, ab ecclesia pariter omnes egressi sunt. Postea vero continuis diebus sequentibus omnia suburbana pestifera devastatione compresserunt, agrosque, & segetes, atque prata quasi fulmineus impetus, decerpserunt. Dum hæc gerebantur, ipse a Deo protectus pontifex a quibusdam audivit, quod in hanc famosissimam urbem hospitalitatis causa introire voluissent, sed munitis clausisque portis ut fieret minime concessit.

Rex ingreditur ecclesiam S. Petri.

Franci Romanum agrum vastant.

Dominico vero die sequente in eadem principis apostolorum basilica omnes archiepiscopi, & cuncti abbates, & omnes qui cum eo venerant Franci sunt congregati, omnesque pariter Romanorum nobiles & præclari. Tunc almificus pontifex manibus suis ipsum [c] Ludovicum Lotharii imperatoris filium oleo sancto perungens, regali ac preciosissima coronavit corona, regemque Longobardis præfecit. Cui regalem tribuens gladium, illic eo subcingi iussit. Deinde missarum celebritate finita ab ecclesia omnes cum rege lætantes regressi sunt. Deinceps vero per dies singulos conflictum novi certaminis cum sanctissimo præsule, omnibusque episcopis, & optimatibus nostris, atque proceribus ipse Drogo archiepiscopus Metensis ecclesiæ, de quo superius memoriam fecimus, commovebat tam ipse quam omnes archiepiscopi & episcopi, qui cum eo contra hanc universalem & caput cunctarum ecclesiarum Dei sine metropolitani concessione atque vocatione convenerunt, id est Gregorius archiepiscopus ecclesię Ravennensis, & Angilbertus archiepiscopus ecclesiæ Mediolanensis, Ioseph episcopus ecclesiæ Eporediensis, Aginus episcopus ecclesiæ Veronensis, Almaricus ecclesiæ Camensis episcopus, Northaudus episcopus ecclesiæ Vercellensis, Sigifridus episcopus ecclesiæ Regiensis, Toringanus episcopus ecclesiæ Concordiensis, Odelbertus episcopus ecclesiæ Aquensis, Ambrosius episcopus ecclesiæ Lucensis, Ioannes episcopus ecclesiæ Pisensis, Petrus episcopus ecclesiæ Volaterrensis, Gausprandus episcopus ecclesiæ Pistoriensis, Lantio episcopus ecclesiæ Senensis, Lupus episcopus ecclesiæ Textinæ, Sigismundus episcopus ecclesiæ Aprutinensis, Ricco episcopus ecclesiæ Asculanensis, Fratellus episcopus ecclesiæ Camerinensis, Gisus episcopus ecclesiæ

Sergius coronat Ludovicum in regẽ Longobardorum.

ecclesiæ Firmanæ, Racipertus episcopus ecclesiæ Nucerinensis, Amadeus episcopus ecclesiæ Pinnensis, Donatus episcopus ecclesiæ Fesolanæ, & ceteri.

Cum quibus etiam Boso comes, Adalgisus comes, Ioannes comes, Vuldo comes, Vernardus comes, Vvinfridus comes, atque Maurinus comes, & ceteri pariter contendebant.

Sed divina gratia inspirante, nec sermones ipsius almi pontificis, neque prudentiam superare valuerunt. Tantaque ei superna aderat virtus, ut nullo sermone eum concludere vel constringere potuissent.

Et ab eo superati pudore, & operti confusione discesserunt. Quod videntes omnem iram atque ferocitatem, quam in mentibus observabant, omnimodo deposuerunt. His igitur peractis a prædicto postulaverunt pontifice, ut omnes primates Romani fidelitatem ipsi Ludovico regi per sacramentum promitterent. Quod prudentissimus pontifex fieri nequaquam concessit, sed sic orsus est illis: Quia, si vultis domino Lothario magno imperatori hoc sacramentum, ut faciant solummodo consentio atque permitto. Nam Ludovico eius filio ut hoc peragatur, nec ego nec omnis Romanorum nobilitas consentit.

Tunc demum in eadem ecclesia sedentes pariter tam beatissimus pontifex, quam magnus rex, & omnes archiepiscopi, atque episcopi, stantibus reliquis sacerdotibus, & Romanorum ac Francorum optimatibus, fidelitatem Lothario magno imperatori semper Augusto promiserunt. Posthæc vero Ebbo quidam & Bartholomæus archiepiscopi, qui pro criminibus suis privati honore ab ecclesia fuerant expulsi, a sanctissimo pontifice postulabant, ut eos ecclesiæ reconciliare, ac pallium eis tribuere dignaretur. Quos etiam idem præsul nec communionem inter clerum dignos esse suscipere dicebat, sed inter communem populum communicandi licentiã tantummodo haberent. Per idem tempus cum rex ipse Ludovicus Romæ degeret, Siconulfus Beneventanorum princeps magno cum exercitu Romam venit. Quem cum prædictus rex honorifice suscepisset, omnia pro quibus venerat ipsi indicavit. Cui rex gratanti animo quidquid petierat tribuit atque concessit. Et cum simul Franci & Longobardi, ac Beneventani congregati fuissent, facta est ingens populi multitudo, ita ut ex omni parte Roma circumdata videretur: quorum multitudine omnia sata deleta sunt. Ipse vero Siconulfus ardenti pectore præcipuum desiderabat videre pontificem, & ab eo benedictionem recipere. Quem præsul cum suscepisset, solo prostratus, preciosos ipsius pedes humiliter osculatus est, & ab eo benedictione suscepta, ab eius conspectu alacriter Deo gratias referens regressus est.

[...]atina in [...]rgio.

His omnibus finitis, ipse excellentissimus rex Ludovicus ampla cum lætitia Papiam reversus est, ubi ab exordio principatus sui culmen regebat. Tunc vero læti omnes cum coniugibus ac liberis, senatus populusque Romanus tam ingenti peste liberati, & a jugo tyrannicæ immanitatis redempti, sanctissimum Sergium præsulem velut salutis auctorem, ac restitutorem pacis venerabantur. Ille tamen non suæ virtuti rem gestam, sed divino muneri deputabat.

[...]udovicus [...]x Roma [...]cedit.

Iam quia lingua cuncta quæ gessit per ordinem explicare non prævalet, transeamus ad ea quæ in sanctis locis obtulit, & breviter enarrare inchoemus. In primo quidem pontificatus sui exordio superno amore exardescens in basilica Salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, miræ pulcritudinis opus explevit. Nam ambitum sacri altaris, qui strictim in ea fuerat olim constructus, longiorem proprio digito designans a fundamentis perfecit, pulcrisque columnis cum marmoribus desuper in gyro sculptis splendide decoravit. Vbi nunc sacra plebs in administratione sacri largiter consistit officij.

[...]ona obla- [...] ecclesiæ

Constantinianæ a Sergio.

Quo expleto, ipse almificus pontifex pro decore atque ornatu hujus præclari operis in eadem basilica obtulit vela alba holoserica viginti ornata in circuitu de fundato. Similiter & alia vela de fundato valde optima viginti ornata in circuitu de blattin. Vbi etiam confessionem mirificam Christo cooperante construxit, & argenteis tabulis auroque perfusis fulgide compsit, quam propriis manibus consecrans, in ea reliquias posuit. Et aliud quidem opus ante fores hujus venerandæ basilicæ valde optimum peregit. Quia sacra pridem, quæ latebant populis, limina summo studio omnibus manifesta constituit, cum pulcri decoris arcus ibidem a fundamentis construeret, quos etiam variis picturis nitide decoravit.

Ipse vero a Deo protectus & præclarus pontifex pro remedio & futura animæ suæ retributione fecit cameram præsepii domini nostri Iesu Christi, quod basilicæ beatæ Dei genitricis dominæ nostræ connectitur, quæ Major ab omnibus nuncupatur, argenteis tabulis ac deauratis, habentibus historiam beatæ Dei genitricis Mariæ, magnifice atque præcipue perornavit; quod nullus pontificum per tot annorum curricula ad tanti decoris speciem perducere arbitratus est.

Beatæ Mariæ.

Hic vero præsul cum de omnibus ecclesiis solicite curam gereret, etiam basilicam S. Archangeli, quæ in cacumine * Faiani montis est constituta, largiorem, quam pridem fuerat, a fundamentis perfecit, ac radiantibus picturis luculente pingi iussit, ac sarta tecta eius noviter restauravit. Vbi & obtulit vestes de mizilo quatuor. Similiter & vela quatuor. Ipse vero almificus & beatissimus papa scholam cantorum, quæ pridem orphanotrophium vocabatur, & præ nimia vetustate pene in ruinam posita atque confracta videretur, Dei annuente clementia, a fundamentis in meliorem quam olim fuerat statum noviter restauravit. Nam & basilicam beati Romani martyris, quæ non longe ab vrbe foris portam Salariam sita est, a fundamentis perfecit, quam etiam titulo sanctorum Silvestri & Martini parochiam esse decrevit. Fecit autem & basilicam sancti Theodori martyris, quæ in Coranis videtur finibus posita, milliario ab vrbe Roma trigesimo, quam etiam splendide picturis fulgentibus decoravit.

Sancti archangeli. * *forte*, Gargani

Sancti Romani.

Sancti Theodori.

Fecit autem in basilica beati Petri apostoli vestem de chrysoclavo habentem in medio salvatoris effigiem, & dextra lævaque eius omnium sanctorum apostolorum rutilantes figuras, quam etiam preciosissimis gemmis prasinis & hyacinthinis perornavit. His igitur summo opere consummatis, ipse a Deo protectus & beatissimus papa, pia deuotione solicitus pro desiderabili dilectione sanctorum Silvestri & Martini, ecclesiam, quæ sancto eorum fuerat nomini consecrata, quam ab exordio sacerdotij sui, usquequo ad pontificatus culmen deductus est, strenue gubernavit, & per olitana tempora detecta vetustate marcuerat, ruinisque confracta diutina antiquitate lacerata manebat, Dei annuente clementia, in meliorem pulcrioremque statum a fundamentis perfecit. Absidem quoque ipsius, aureis musivo perfuso colo-

Sancti Petri.

Sancti Silvestri & Martini.

ribus, ingenti amore depinxit. Et ad honorem omnipotentis Dei, ejuſdemque beatiſſimi Silveſtri præſulis corpus cum beatiſſimo Fabiano atque Stephano, & Sotere martyribus ac pontificibus, ſimulque Aſterio martyre cum ſacratiſſima filia ejus, ſanctoque Cyriaco, & Mauro, Largo, & Smaragdo, atque Anaſtaſio, & Innocentio pontificibus, una cum ſancto Quirino, ac Leone epiſcopis, pariter Artemio, Nicandro, & Creſcentiano martyribus, cum quibus beata Soteris, atque Paulina, nec non Memmia, Iuliana, & Quirilla, Theopiſte, & Sophia virginibus atque martyribus, & beata Cyriaca vidua cum aliis multis, quorum nomina Deo ſoli ſunt cognita, utroſque ſub ſacro altari dedicans collocavit.

His igitur magnifice peractis, gratanti animo menteque ſolicita obtulit in eadem eccleſia iſta perenniter permanenda; regnum aureum valde precioſiſſimum cum gemmis praſinis, & hyacinthinis, & albis, quod nuncuſque ſuper altare cernitur pendens, habens in medio crucem de auro puriſſimo cum gemmis ſimiliter precioſis. Item gabathas ex argento puriſſimo auroque perfuſas quatuor, pendentes ante veſtibulum ſacri altaris, atque gabathas interraſiles deauratas cum bullis duabus. Crucem auream cum gemmis valde optimis duabus. Et aliam ſimiliter crucem de argento unam. Obtulit in eadem baſilica thymiamateria aureo ſuperinducta colore tria, patenas de argento puriſſimo, ac deauratas duas. Colatorium de argento quo in ſacro utantur officio, deauratum unum. Regnum de argento cum tintinnabulis, habens in medio crucem cum columba, unum.

Hic beatiſſimus papa ſuperno amore exardeſcens, obtulit ubi ſupra aquamanilia de argento paria tria. Item ſextaria de argento duo. Coronas majores de argento quatuor cum delphinis penſantes libras ..... Calices de argento majores pariter ac deauratos duos. Patenam de argento majorem auroque perfuſam, habentem in medio effigiem domini noſtri Ieſu Chriſti. Ceroſtrata deſuper argentata paria tria. Caniſtra de argento tria. Patenam cum calice deaurato unam. Scyphum argenteum unum penſantem libras.....

Obtulit vero ad honorem ipſius venerandæ baſilicæ cantharos de aurichalco duodecim: rugas ſimiliter de aurichalco paria ſex. Fecit autem hic præclarus ad gloriam atque honorem ſanctorum confeſſorum, de quibus ſuperius mentionem fecimus, ciborium ex argento puriſſimo penſans libras.....

Nam & confeſſionem ſacri altaris argenteis tabulis, auroque perfuſis penſantem libras .... magnifice ornavit, ut per ſacras eorum interceſſiones ætherei regni gaudia poſſideret.

Hic miſericordiſſimus & benigniſſimus antiſtes obtulit ubi ſupra imagines de argento auroque perfuſas tres, quarum una habet effigiem domini noſtri Ieſu Chriſti. Aliæ vero duæ ſanctorum Silveſtri & Martini, * ſedentes ſuper veſtibulum ſacri altaris.

* ſedentium.

Obtulit vero in iam ſuperius dicta baſilica veſtem de chryſoclavo habentem hiſtoriam reſurrectionis domini noſtri Ieſu Chriſti, cum gemmis praſinis, hyacinthinis, & albis: fecit etiam & aliam veſtem de fundato valde precioſam cum chryſoclavo habentem in medio effigiem ſalvatoris domini noſtri Ieſu Chriſti dextra læuaque eius effigies ſanctorum Silveſtri ac Martini. Similiter cum gemmis praſinis, hyacinthinis & albis. Imo vero obtulit ſanctiſſimus præſul cortinas Alexandrinas precioſiſſimo opere contextas tres. Vela de fundato ornata in circuitu de blattin, quæ pendent in arcu ipſius baſilicæ viginti quatuor. Vela alia de fundato cum periclyſi de blattin quindecim. Vela alba holoſerica, ex quibus ſacrum circumdatur altare, quatuor; unum ex eis habens in medio crucem & gammadias de chryſoclavo, & alia ornamenta in circuitu de blattin.

Hic inſignis & beatiſſimus papa divina inſpiratione protectus juxta latus ipſius baſilicę ad laudem creatoris monaſterium in honore beati Petri ac Pauli apoſtolorum Sergii & Bacchi, ſanctorumque Silveſtri & Martini a fundamentis conſtruxit. In quo monachorum Deo ſervientium congregationem pro quotidianis laudibus in prædicta eccleſia die noctuque domino Deo noſtro deprecantes conſtituit.

Qui beatiſſimus pontifex, poſtquam ſedem Romanam & apoſtolicam annis tribus glorioſiſſime rexit, hac luce ſubtractus ad æternam migravit requiem. Fecit autem ordinationem unam in menſe Martio, presbyteros octo, diaconos tres, epiſcopos per diverſa loca numero viginti & tres. Sepultus vero eſt in baſilica beati Petri apoſtoli.

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Sergius.*) Poſt obitum Gregorij IV. Ioannes diaconus violenter ſedem occuparat: ſed cum ſchiſmaticum ab ea legitime depoſuiſſent, communi conſenſu electus eſt Sergius eius nominis ſecundus, quarto Idus Februarij, anno domini 844. Nomen quod habuit ante pontificatum nequaquam, ut fabulantur recentiores hiſtorici, immutavit. Accidit in Sergio tertio, quod per calumniam huic pontifici impingunt. Ille enim vocabatur Petrus, & poſtea ſe Sergium III. nominavit; non ob aliquam nominis turpitudinem, ſed reverentiæ cauſa. Putabat enim indignum ſe vocari illo nomine, quo Chriſtus primum apoſtolicæ ſedis pontificem principem apoſtolorum ex Simone Petrum nominavit. Primus poſt Petrum apoſtolum ſibi nomen immutavit quidem Octavianus Alberici patricii filius, qui vocatus eſt Ioannes XI. ut infra in notis ejuſdem papæ annotabimus. Vnde commentum eſſe patet, quod aiunt recentiores hiſtorici, Sergium prius Os porci appellatum, ob nominis turpitudinem primum ſe aliter appellari voluiſſe, nomenque aliud impoſuiſſe. Hujus temporibus contigit admiranda illa omnium ſcriptorum genere celebrata victoria contra ſacrilegos & impudicos Saracenos, infame tributum exigentes, obtenta auxilio ſancti Iacobi, qui omnibus perſpicuus, ut regi per viſionem pollicitus erat, ante aciem adverſus barbaros dimicare eſt viſus.

Sergius II, quando factus pontifex.

Nomen non mutavit.

Victoria obtenta contra Saracenos.

b *Lotharius Drogonem cum filio Ludovico Romam miſit.*] Qua de cauſa illud factum fuerit, Ado Viennenſis anno 841. his verbis enarrat: *Lotharius filium ſuum Ludovicum, quem in Italia regem fecerat, ut imperatoris nomen ſortiretur, per Drogonem patruum Romam miſit. Cui Sergius iam tunc pontifex coronam impoſuit, & acclamante univerſo populo, imperator & Auguſtus eſt ſalutatus.* Ex quibus impudentia Sigeberti ſchiſmatici redarguitur, dum in gratiam imperatoris ſchiſmatici, cui inhæſit, pro libitu animi ſui, ſcribit Ludovicum a Lothario Romam miſſum fuiſſe ad confirmandum electionem pontificis Sergij.

Quare Ludovicus Romam a patre miſſus.

c *Ludovicum oleo ſancto perungens, regali coronavit corona, regemque Longobardis præfecit.*] Ludovicum non regem Longobardorum, ſed imperatorem Romæ creatum & coronatum eſſe, plurium ſcriptorum teſtimonio conſtat. Hoc unicum controvertitur, an petenti coronam imperii Sergius, vel potius Leo IV. impoſuerit. Leo Oſtienſis in chronico, Ado Viennenſis loco ſupradicto, & diplomata quædam apud Sigonium de regno Italiæ libro primo, annum primum Ludovici imperatoris referunt ad tempora Sergij papæ, & ad annum domini 844. Acta vero Romani concilii initium imperij Ludovici referunt ad annum ſecundum Leonis IV. qui eſt redemptoris noſtri 848. Idque ideo quod allegatis actis concilij Romani quintus annus imperatoris coniungitur cum anno ſeptimo Leonis quarti, & 853 Chriſti Redemptoris. In re nimis dubia judicium meum ſuſpendo. De epitaphio Sergii papæ junioris recens invento vide annales cardinalis Baronij anno 847. numero ſexto.

1 EPISTOLA SERGII PAPÆ II. AD EPISCOPOS TRANSALPINOS.

De prælatione Drogonis vicarij sedis apostolicæ.

OPTAVERAM equidem, fratres carissimi, tam glorioso certamini nostram corporalem exhibere præsentiam, & pro recuperanda tam excellentis ordinis gloria modis omnibus desudare. Sed quia nos cunctarum solicitudo angit ecclesiarum, ubi ipsi esse non possumus, more præcedentium nostrorum moderationis nostræ vicarios damus. Ad nostræ igitur humilitatis vicem, cunctis provinciis trans Alpes constitutis, Drogonem archiepiscopum Metensem, gloriosi quondam Caroli imperatoris filium, cujus beatissimi moderatoris industria Romanorum Francorumque concorporavit imperium, cauta deliberatione constituimus. Vt quia serenissimi atque piissimi filii nostri magni imperatoris Hlotharii, eiusque fratrum dilectissimorum filiorum nostrorum Hludouvici & Caroli regum avunculus est, insuper sanctitate doctrinaque conspicuus, ab hac sede sanctissima apostolorum principis auctoritate percepta, vestris necessitatibus vice nostra idoneus ubique minister existat. Et quia omnium vestrorum solicitudinem illi gerere præcepimus, omnium volumus obedientia comitari. Decet sane, fratres, ut qui pro omnibus laborat, cunctorum subsidio fulciatur. Huic ergo in congregandis generalibus synodis, in omnibus supradictarum regionum partibus nostram commodamus auctoritatem: & quidquid provinciali synodo fuerit definitum, ad eius absque dilatione statuimus notitiam perducendum. Si cui autem ab illis partibus hanc sanctam sedem appellare opus fuerit, & in nostra audientia se audiri poposcerit, hunc commonemus, ut ad eius primum audientiam se summittat, & ecclesiasticorum gestorum in sua regione rationabili digestione prolata, si episcoporum de eo, qui forte criminibus impetitur, sententia discordaverit, ut ab aliis reus, innocens judicetur ab aliis; tunc ipsis gestis ad nos delatis, literis etiam præfati fratris nostri, cui vicem nostram concessimus, commendatus, sive ad nos, sive ad beatissimi Petri sedem securus accedat, nullaque eum in veniendo mora præpediat. Quam etiam condicto fratri nostro Drogoni archiepiscopo in examinandis ac perquirendis episcopis & abbatibus sub hoc tenore hanc nostram licentiam & auctoritatem concessimus, salvo in omnibus huius universalis Romanæ sedis primatu, nostrique præsulatus honore, vigoreque & exaltatione carissimi ac spiritalis filii nostri domni Hlotharii magni imperatoris. Nam nobis valde placuit, propter diversas ecclesiarum Dei perturbationes, hoc necessarium satisque dignum opus explere. Si vero hac admonitione contempta, sola improbitate se criminibus exuendum existimaverit, noverit a nostra mansuetudine nequaquam se temerariam absolutionem adepturum, nisi primum & provinciali synodo, & postmodum generali, prædicti fratris nostri audientia eius fuerit actio ventilata. Illic enim causa subtilius examinatur, ubi perpetrata dignoscitur. Tamen si se ad nos venire poposcerit, ut ante prædiximus, non teneatur. Si autem vel sui metropolitani provincialem synodum evocatus adire noluerit, vel ad generalem præfati vicarij legatique nostri conventum venire contempserit, cum hæc

A nostris apostolicis auribus per suas literas intimare decreverit, nostra & totius ecclesiæ catholicæ se noverit auctoritate judicandum. Quod si violentiam sibi a religiosis filiis nostris regibus quilibet episcoporum, quominus canonum statuta custodiat, queritur irrogatam; nos hoc suffugium annuente domino, literis ad eos missis credimus amputandum. Nequaquam enim auditu tolerabile est, ut germanorum fratrum in fide Trinitatis terna societas a sui dilectione & communi juris æquitate dissiliat. Quod si eorum quilibet post discordiæ principem abire maluerit, nec catholica fuerit pace contentus, hunc merito Deo auxiliante, canonicis auctoritatibus, prout melius possumus, castigare studemus. Ceterum, fratres, tamquam B sub uno caritatis globo constitutam vestram alloquor sanctitatem, ut idipsum omnes sentiatis, & non sint in vobis schismata, neque per aliquos inanium argumentationum cuniculos, vel vobis ipsis, vel populo vobis commisso, veritatem subducatis, quæ absque refragationis diverticulo vera prosequitur, dicens: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* At contra qui bella volunt, quia diaboli filii sint palam datur intelligi. Sed nos in eo qui vincit mundum, beato Petro apostolo intercedente, confidimus, quod nullo typho sæcularis audaciæ vestra succumbit auctoritas: tamen etsi ad tempus prævaluerint, quia in æternum damnabuntur C ambiguum non est. Vos autem etsi persecutionem patimini propter iustitiam, beati. Deus vos incolumes custodiat, fratres. Amen.

Matth. 5.

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Epistola Sergii papæ.*] Vt Sergio II. adscriberemus, erat enim ἀνεπίγραφος, fecit auctoritas Hincmari, qui Drogonem a Sergio prælationem istam obtinuisse scribit epistola VI. Adeptum autem anno DCCCXLIV. intelligi licet ex cap. II. synodi Vernensis.

CONCILIVM AD THEODONIS VILLAM.

ANNO CHRISTI 844.

Capitula quæ acta sunt in synodo secus Theudonis Villam habita, in loco qui dicitur Iudi- D cium, quando tres fratres gloriosi principes, Hlotharius videlicet, Hludouvicus, & Carolus simul convenerunt, anno V. regni Caroli: cui synodo Drogo Metensis episcopus præsedit consensu eorumdem regum: quæ & ipsi principes ante se fideles que eorum relecta capitula approbaverunt, & se eadem servaturos auxiliante domino promiserunt mense Octobri, indictione " VII.

" Imo leg. VIII. monuimus in synopsi & cenotaphio Papisæ.

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *Vt principes mutuam inter se caritatem & concordiam habere studeant.*
E
II. *Vt episcopi ordinentur in viduatis sedibus, & suos recipiant quæ his privata sunt.*
III. *Vt monasteria laicis concessa, religiosis deinceps viris seu feminis committantur.*
IV. *De rebus ecclesiasticis non pervadendis, præter subsidium quod exinde offertur reipublicæ.*
V. *Vt locorum religiosorum, quæ laici tenent, curam interim & providentiam gerant episcopi.*
VI. *Vt ordo ecclesiasticus antiquum vigorem recipiat, judicium & justitia omnibus reddatur, & pœnitentia de præteritis agatur.*

ANNO CHRISTI 844.

PRÆFATIO.

NAVIS sanctæ ecclesiæ ab exordio suo variis sæpe perturbationibus mersa, sed excitato fidelium precibus gubernatore suo Christo nunquam est usquequaque demersa. Quæ quondam etiam ut nunc videtur pene collapsa, progenitorum vestrorum studio & devotione est auctore Deo iuxta modum divinitus côcessum recuperata. Vnde immensas domino Deo nostro laudes referimus, qui & corda vestra ad intentionem similem excitavit, & post vestigia patrum vestrorum, quibus per temporale regnum ad æternum perveniatis, ire velle docuit & inspiravit. Vestræ nihilo minus nobilissimæ dominationi multimodas gratiarum actiones rependimus, quia ad evitandum & vestrum & nostrum periculum, & ad communem totiusque populi providendam salvationem, bonam & beneplacitam Dei voluntatem subsequi, & divinum consilium secundum præceptum domini, quo dicitur: *Interroga sacerdotes legem meam*: &, *Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi*, a nobis quâquam indignis Christi tamen vicariis quærere, & benigna devotione, velut revera ex ore ipsius Dei, expectare dignamini. Quod humilitatis vestræ supernum donum sancta ecclesia cum tanto gaudio suscipit, ut de vobis etiam in consolatione sua sibi dictum a domino aptare velit: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*. Id est, pro istorum progenitoribus, qui te paterno affectu ditaverunt, &ampliaverunt, ac coluerunt, nati sunt tibi isti filii, qui in te & paterna munera resarciant, recuperent, & conservent, & te fideli devotione, ut bonæ indolis adolescentes, me super eos intendente, eisque manum solatii porrigente, tueantur & excolant.

Agg. 2. Deut. 32. Psal. 44.

CAPITVLA.

I.

His ita præmissis, nobilissimi domini, ut cum pace vestra dicamus, quia constat hanc sanctam ecclesiam sanguine Christi redemptam, & prædecessorum vestrorum multo labore redintegratam ac adunatam atque gubernatam, vestra discordia esse discissam & perturbatam atque afflictam; videtur nobis, si & in præsenti feliciter regnare, & in futuro cupitis esse salvi, & ab hac eadem ecclesia vobis ad gubernandum commissa, pro qua ex ministerio regali reddituri estis regi regum rationem in die judicii, tam multiplices ac perniciosas corruptionis pestilentias vultis amovere, & vigorem regium ac seniorale, & super vestros, & super impugnantes potestatê vestram optatis habere, caritatem illam, quam apostolus docuit, *de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*, inter vos studete habere, & quia sic habeatis, & fidelibus & infidelibus vestris omni virtute & puritate curate manifestare, sicut dominus docuit, dicens: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinvicem.* Quæ non tantum verbo & lingua, sed potius remoto quolibet modo omni occulta nocendi machinatione, aut, quod absit, aliena a caritate aperta impugnatione, quocumque quis indiget, pro viribus vero consilio & prompto auxilio ab altero adjuvetur, quoniam scriptum est: *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Et ita in populum vobis commendatum, pro ista quæ hactenus operante per membra sua diabolo versata est discordia, pacem illam disseminate, quam Christus in cælum ascendens fidelibus suis munere magno reliquit, dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, sine qua nemo videbit Deû.

1. Tim. 1. Ioan. 13. Prou. 18. Ioan. 14.

II.

Quia bene nostis ab illo qui solus merito & rex & sacerdos fieri potuit, ita ecclesiam dispositam esse, ut pontificali auctoritate & regali potestate gubernetur, & scriptum esse liquido pervidetis: *Vbi non est gubernator, populus corruit*, & tanto periculosius, quanto anima plus est preciosa quam corpus. Canonum etiam irrefragabilis auctoritas super episcoporum ordinatione, & in populi ad custodiendum suscepti vigilantia, ac sedium suarum tenaci stabilitate evidentissime præcipiat; ferventissime Dei legatione fungentes monemus, ut sedes quæ vestra discordia ulterius nec nominanda sine sacro episcopali ministerio, & sine episcopis viduatæ manent, submota funditus peste simoniacæ hæreseos, sine dilatione, juxta auctoritatem canonicam, aut episcopos a Deo datos, & a vobis regulariter designatos, & gratia sancti Spiritus consecratos accipiant: aut quæ suis episcopis quacumque occasione privatæ sunt, canonice eos sine aliqua excusatione aut tarditate recipiant.

Prou. 11.

III.

Sacrum quoque monasticum ordinem a Deo inspiratum, & ab ipsis apostolis fundatum, seu a nominatissimis ac sanctissimis patribus excultum, atque per istud imperium a vestris piæ memoriæ prædecessoribus propagatum, & quædam etiam loca specialius venerabilia, contra omnem auctoritatem & rationem, ac patrum vestrorum, seu regum præcedentium consuetudinem, laicorum curæ & potestati, in maximo vestro periculo, & illorum perditione, & Dei ac sanctorum non modica ad irascendum provocatione, vos commisisse dolemus. Quapropter pro Christo devotissime obsecramus, ut tam magnam offensam & justam reprehensionem, atque periculosam sine exemplo præcedentium præsumptionem, ab animabus vestris, & a felicitate regni vestri pellatis, & loca venerabilia, & habitum ac ordinem sacrum, eis qui ad hoc vocati sunt, viris scilicet ex clericali & ecclesiastico vel monastico ordine religiosis, seu & in suo sexu feminis Deo dicatis atque devotis, & in schola Christi eruditis, ad custodiendum & pro-

videndum

ANNO CHRISTI 844.

videndum committatis, qui & quæ Dei sunt Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari reddant. Qui si minus perfecte & in divina religione, & in reipublicæ utilitate profecerint, aut corripiantur, aut meliores & utiliores in locis eorum substituantur; & non propter pravorum nequitiam ordo religionis, & loca sacratissima eis quibus licitum non est committantur: cum manifestissime scriptura demonstret Ozam morte damnatum, qui arcam domini quasi cadentem relevare voluit, quam vel contingere illicitum ei fuit.

IV.

Occasionem etiam & fomitem, unde ordo ecclesiasticus, & canonica forma, atque monastica religio, sæpe a longe superiori tempore, cum minus religiosos principes habuit, titubavit, & pene collabens deperiit, & iterum, cum devotos & in Dei zelo ferventes principes accipere meruit, resurrectione quadam revixit, & vigorem recepit, atque sui processus tempore ambulavit, (quod non sine gravi dolore, & metu ultionis divinæ dicimus) in vestri regiminis tempore in destructionem, non in ædificationem, sicut Paulus docuerat, accidisse conspicimus. Quod & nostris peccatis, qui dispensatores & pastores ecclesiarum esse debuimus, veraciter imputamus: & eorum, quorum factione res ista adeo male pullulavit & excrevit, alia præcedentia peccata hoc meruisse pro certo auctoritate divina cognoscimus; ut qui nocebant, sicut scriptum est, nocerent adhuc, & qui in sordibus erant, sordescerent adhuc: unde Deum gravius ad iracundiam provocarent, & sanctos, quos intercessores suis peccatis habere debuerant, infensos haberent, & sacerdotes ac viros religiosos, seu Christi pauperes, quos oratores & reconciliatores sibi de suo promereri necesse fuerat, proclamatores adversum se fieri irritarent; & ad cumulum suorum peccatorum etiam illa peccata, unde in conspectu Dei rationem in die terribilis judicii redderent, augerent, quæ illi commiserunt, qui eadem ista peccata per intercessionem fidelissimarum oblationum deleverunt, quibus ecclesiasticarum rerum pervasores inconsulte, & in perniciem sui sine reverentia abutuntur. Quod ita verum esse ut dicimus dominus protestatur, dicens: *Peccata populi mei comedunt.* Peccata enim populi comedunt, qui contra auctoritatem divinā res ecclesiasticas indebite pervadunt, & nec intercessionis ope, nec prædicationis consilio, vel quocumque divino auxilio, pro peccatis eorum qui eas dederant laborant, nec pio operi, ad quod fides fidelium eas tradiderat, inservire permittūt. De quo periculoso facto vos Christianissimi principes, venerabiliter admonemus, & devotissime obsecramus, ut memores salutis vestræ, præsentis scilicet & æternæ, memores etiam largitatis progenitorum vestrorum erga sanctas ecclesias, propter quam feliciter regnaverunt, & sibi contrarios superaverūt: memores siquidem cum quanta religione, etiam ante Christi sanguinem, & in tempore famis in Ægypto, discretione sancti Ioseph apud nefandum regem Pharaonem terra sacerdotalis extitit. Innumera quoque scripturarum exempla, ut lacte ecclesiæ nutriti, & scientiæ ipsius sufficienter repleti, ante oculos reducentes, tunicam Christi, qui vos elegit & exaltavit, quam nec milites ausi fuerunt scindere, tempore vestro quantocius reconsuite & resarcite, & nec violenta ablatione, nec illicitorum præceptorum confirmatione, res ab ecclesiis vobis ad tuendum & defendendum ac propagandum commissis auferre tentate: sed ut sanctæ memoriæ avus & pater vester eas gubernandas vobis fautore Deo dimiserunt, redintegrate, & præcepta regalia earumdem ecclesiarum conservate ac confirmate: ne, sicut intentavit Samuel propheta ad Roboam filium Salomonis in conscissione pallii, præsens regnum, quod absit, vobis patrum labore acquisitum, & hereditate relictum, a vobis ipse Christus dividat, & æternum regnum quod promisit non tribuat. Nec contra Dei faciem iratas hominum facies consideretis: quia si ad tempus illis displicueritis, cum vos Deo placebitis, in vobis ille quod promisit implebit: *Cum placuerint*, inquiens, *domino viæ hominis, omnes inimicos eius convertet ad pacem.* Quod ut commodius valeatis implere, unusquisque vir ecclesiasticus & intercessionis adjutorium, & solatii quo res publica indiget subsidium, iuxta quantitatem rerum ecclesiæ sibi commissæ, salvo jure quod exinde divinis dispensationibus debet impēdi, prompte & ex animo parare, & impigre, sicut tempore antecessorum vestrorum consueverat, studebit offerre.

V.

Et qui a sancta ecclesia, in area trituræ dominicæ docta, quędam novit redarguenda, quædam dissimulanda, quædam etiam gemenda usque ad tempus perferenda, perspeximus, eo ferventiori zelo quo majora corrigenda sunt, vestram potestatem & sacerdotalis consilii auctoritatem, quędam ad præsens ex asse non valere corrigere. Et ideo de canonicorum monasteriis & sanctimonialium, quæ sub eadem forma vivere dicuntur, consideravimus, sicut apostolus Paulus dicit, secundum indulgentiam, non secundum imperium, ut si propter imminentem reipublicæ necessitatem laicis interim committuntur

Marginal notes: 2. Reg. 6. — Genes. 47. — 2. Cor. 3. — 3. Reg. 11. — Apoc. 22. — Prov. 16. — Osee. 4.

ANNO CHRISTI 844.

mittuntur, episcopi providentia, in cujus parochia consistunt, adjuncto sibi aliquo abbate viro religioso, studeatur qualiter restauratio locorum, & studium ac custodia officii & religionis, atque subsidium temporalis necessitatis, in eisdem locis degentibus, juxta qualitatem & quantitatem moderationis, adhibeatur & ministretur. Et qui eadem loca tenuerint, eis inde, sicut & de aliis Christianæ religionis negotiis, pro Christi & vestra reverentia obediatur. Quod si quis non fecerit, provisorum curæ erit, ut ad vestram hoc notitiam referant, & vestra dominatio, secundum sibi a Deo commissum ministerium, pro modo culpæ quæ emendanda sunt corriget. Per loca etiam monastica ejusdem ordinis provisores necesse erit disponere, cum vestra auctoritas eos, qui vices Christi secundũ regulam divinitus dictatam in monasteriis agant, studuerit ordinare.

VI.

Petimus tandem, ut ordo ecclesiasticus, in quibuscumque ei fuerit necesse rigorem salutis humanæ exerere, per potestatem vestram, & per ministerium ministrorum dominationis vestræ, secundum antiquam consuetudinem suum vigorem recipiat. Et populi generalitas, una cum ecclesiastica devotione judicium quod honor regis diligit, & justitiam qua thronus ejus firmatur, per dispositionem vestram suscipiat; seu admonitione atque consilio sacerdotali vestra sublimitas, & quisq; in quolibet statu vel ordine, de rapinis, & ceteris, quæ discordiæ malo acciderũt, prę teritis erroribus pœnitudinẽ gerat, & domini reconciliationem expostulet. Quam facile omnis qui quæsierit inveniet, si in loco discordiæ plantata fuerit caritas quæ cooperit multitudinẽ peccatorum: eumq; potius quam nos in consilio non nostro, sed Dei, attendatis qui dixit: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Luc. 10. Matth. 10.

NOTA IACOBI SIRMONDI, S.I.

1 *Ad Theodonis villam.*) In concilio Meldensi synodus hæc præponitur Lauriacensi. prius enim capitula commemorat, quæ apud Theodonis villam statuta fuerant, tum quæ apud Lauriacum. Constat autem utramque synodum uno eodem mense habitam, hanc in Caroli regno, illam in Lotharii.

CONCILIVM VERNENSE II.

ANNO CHRISTI 844.

CANONES CONCILII IN VERNO PALATIO HABITI, vbi præsedit Ebroinus Pictavorum episcopus, & Vvenilo Senonum archiepiscopus, nec non & Hludouvicus sancti Dionysii abbas, & Hincmarus post Rhemorum episcopus, anno v. regni domini nostri Caroli filii Hludouvici imperatoris mense Decembrio, indictione " VII.

" legendum esse VIII. alias docuimus.

TITVLI CANONVM.

I. *Vt cultum Dei rex omnibus præferat, & misericordiam cum judicio & justitia conservet.*

II. *Vt mittantur a rege legati, qui scelerum patratores & apostolicæ disciplinæ contemptores coerceant.*

III. *Vt religiosi & idonei viri dirigantur, qui monasteria scrutẽtur in quibus collapsa est disciplina.*

IV. *Vt monachi vagi ad sua loca revertantur, & profugi vel ejecti corrigantur. Item de clericis ecclesiarum suarum desertoribus.*

V. *De iis qui sanctimonialibus illicite miscentur.*

VI. *De sponsa ab altero rapta, & de pœna raptoris.*

VII. *De sanctimonialibus quæ religionis causa virilem habitum sumunt, vel crines attondent.*

VIII. *Vt episcopi qui ad bellum non eunt, homines suos alicui ex fidelibus regis committant.*

IX. *Vt Rhemorum ecclesiæ pastore diu destitutæ quamprimum præficiatur episcopus.*

X. *Vt in ecclesia Aurelianensi ratam rex esse permittat ordinationem Agii episcopi.*

XI. *De prælatione Drogonis expectandum videri episcoporum Galliæ Germaniæque conventum & consensum.*

XII. *Vt ecclesiis restituantur loca & prædia ecclesiastica quæ laici possident.*

PRÆFATIO.

GRATIAS omnipotenti Deo referimus, inclyte rex Carole, nos episcopi & ceteri fideles, qui ex diversis partibus ad Vernum evocati sumus, quod deposita discordia, unde tot mala processerunt, quæ & enumerare longum est, & declinare adhuc impossibile, redistis ad pacem cum fratribus vestris, quam & natura vobis & religione debetis. In qua ut semper maneatis per Christum, qui pax nostra est, obsecramus, ut qui maximas res vestras discordia pene dilapsas videtis, concordia & fido adjutorio relevatas cito aspiciatis. Cedendum est enim Deo, de quo verissimæ continent literæ: *Potestatem habet excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit dabit illud:* & qui dignatione mirabili pollicetur: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Ceterum quia eodem Deo inspirante dignati estis jubere, ut de statu ecclesiæ, qui vehementer magnitudine ac multitudine peccatorum nostrorum confusus est, tractaremus, in nomine & adjutorio ejus, quæ communi deliberatione reperimus, celsitudini vestræ, ac populi fidelis devotioni humiliter aperimus. Neque enim nos justos approbare contendimus. Consideratione conscientiæ nostræ illud Ieremiæ suppliciter dicamus: *Misericordia domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius.* Sed ad Deum reverti, & vos nobiscum trahere meditantes, officium nostrum exequimur cunctis acquiescentibus profuturum. Quippe non vobis nostra, sed illius auctoritate loquimur qui ait: *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* Absit autem ut in vobis impleatur quod sequitur: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Dan. 4. Matth. 5. Thren. 3. Ioan. 8.

CANONES.

I.

Itaque vos primo convenimus, ut quia vestra probitas cunctis vobis potest prodesse subjectis, cultũ Dei rebus omnibus præferatis. Nam que ipse dicit: *Qui glorificãt me, glorificabo eos: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Præterea misericordiam & judicium atq; justitiam conservetis. Scilicet ut misericordia temperet severitatem potestatis, judicium comprimat obstinate peccantes, justitia merentibus digna restituat. Siquidem, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur:* & *Beati qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore:* &, *Honor regis judicium diligit:* &, 1. Reg. 2. Matth. 5. Psal. 105. Psal. 98.

Iustitia

ANNO CHRISTI 844. *Prov. 25.* *Iustitia firmari thronum regis*, sapientissimi Salomonis, imo per eum loquentis Dei prodit auctoritas. Taliter vobis agentibus, vel incruentam vobis, ut credimus, vel justam de hostibus victoriam divina gratia providebit. Exemplo vobis esse possunt David & Ezechias, qui merito sanctitatis inimicos populi Dei vel pugnando, vel orando, mirabili celeritate vicerunt: sed & domesticum lumen imperator Carolus, qui nomen quod familiæ vestræ peperit clarissimis actibus adornavit. Nec regni vobis amplitudinem ac soliditatem tantummodo, verum etiam vobis benegerentibus, post vitæ hujus excursum, eadem Dei gratia gloriam largietur æternam, cui rex & propheta suspirans, *Satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua*. *Psal. 16.* Hæc autem vestræ majestati non temere suggerimus: quia vestri quoque cura nobis commissa est, quorum ministerio per fidem atque baptisma mundati diem tremendi judicii cum ceteris fidelibus expectatis.

II.

Verum ut ad nos episcopos redeamus, per hanc civilem discordiam multa interdum in nobis ipsis, ac aliis nobis commissis, negleximus, interdum negligere coacti sumus: ita ut omnibus ordinibus religio magnum detrimentum acceperit, & alii quidem per ignorantiam in interitum tendant, alii vero longa licentia assuefacti impune se peccare posse confidant. Tandem igitur ad propriam & ceterorum correctionem conversi, quæsumus ut scelerum patratores, & apostolicæ disciplinæ contemptores, missis a latere vestro probatæ fidei legatis, absque respectu personarum, & excæcatione munerum coerceantur, & otio nobis quantum possibile est, concesso, sermo Dei prædicando fructificet, & canonum reverenda auctoritas debitum in omnibus vigorem obtineat.

III.

In locis sanctis, hoc est monasteriis, alios studio, nonnullos desidia, multos necessitate victus & vestimenti a sua professione deviare comperimus. Quod petimus ut in omnibus parochiis directi a vestra mansuetudine religiosi atque idonei viri cum notitia episcoporum scrutentur & corrigant, ac singulorum locorum statum vestræ celsitudini, & nostræ mediocritati, tempore a vobis constituendo renuntient.

IV.

Monachos, qui cupiditatis causa vagantur, & sanctæ religionis propositum impudenter infamant, ad sua loca jubemus reverti, & regulariter abbatum solertia recipi. Eis autem qui post evidentem professionem monachicum etiam habitum reliquerunt, vel qui sua culpa projiciuntur, nisi redire, & quod Deo spoponderunt implere consentiant, hoc credimus posse remedio subveniri, si in ergastulis inclusi tamdiu a conventu hominum abstineantur, & pietatis intuitu convenientibus macerentur operibus, donec sanitatem correctionis admittant. Namque illi, qui quondam monachi, postea relicta singularitatis professione ad militiam, vel ad nuptias devolvuntur, papæ Leonis decreto publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandi sunt. De clericis autem ecclesiarum suarum desertoribus antiqua forma Calchedonensis concilii servanda est, quæ præscribit, ut si episcopus susceperit clericum ad alium episcopum pertinentem, & susceptus & suscipiens communione privetur, donec is qui migraverat clericus ad propriam revertatur ecclesiam. Can. 16. Can. 20.

V.

Qui sanctimonialibus illicite miscentur, & sacrilega fœdera cum eis faciunt nuptiarum, eos Innocentii papę censura a communione jubet suspendi, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi, aut his certe viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negari.

VI.

Ab altero vero desponsata, & ab altero rapta puella, secundum statuta Ancyrani concilii, ei a quo desponsata fuerat, reddenda est, etiamsi vim a raptore pertulerit. Can. 11. De raptoribus autem id nobis videtur optimum, ut quoniam ecclesiasticam excommunicationem parvipendunt, sæcularium legum terreantur austeritate.

VII.

Si quæ sanctimoniales causa religionis, ut eis falso videtur, vel virilem habitum sumunt, vel crines attondent, quia ignorantia magis quam studio eas errare putamus, admonendas castigandasque decernimus, ne forte veteris ac novi instrumenti prævaricatrices, juxta Gangrensem synodum, severitate anathematis ab ecclesiæ corpore præcidantur. Can. 13.

VIII.

Quoniam quosdam episcoporum ab expeditionis labore corporis defendit imbecillitas, aliis autem vestra indulgentia cunctis optabilem largitur quietem, præcavendum est utrisque, ne per eorum absentiam res militaris dispendium patiatur. Itaque si vestra consentit sublimitas, homines suos reipublicæ profuturos cuilibet fidelium vestrorum, quem sibi utilem judicaverint, committant, cujus dili-

ANNO CHRISTI 844.

diligentia, ne se ab officio subtrahere valeant, observetur.

IX.

Rhemorum ecclesiam diu multumque pastore destitutam, nuper spoliatam rebus, oneratam injuriis, absque ingenti dolore fateri non possumus. Et quia vestram sublimitatem, & nostram parvitatem eruere desideramus periculo, obsecramus ut tam fœde lacerata ecclesia redintegretur, atque juxta venerabilium canonum constitutionem dignus ei celeriter quæratur episcopus: ut clerus & populus tantis attritus & spiritalibus & corporalibus incommodis, consolatione recepta, cum suo præsule, pro vestra salute ac prosperitate communi domino studeat supplicare.

X.

Aurelianensis etiam ecclesia confusione maxima noscitur laborare. Tamen quia superiore anno archiepiscopus Vvenilo, suis annitentibus suffraganeis, ex eodem loco Agium presbyterum palatii vestri memoratæ ecclesiæ ordinavit, probabilium canonicorum ac laicorum attestatione instructus, & petitione impulsus, & eadem ecclesia nostro & vestro vacat periculo; hujus rei alium exitum non videmus, nisi ut vestra pietas quod a tantis viris factum est ratum esse permittat.

XI.

De prælatione reverendissimi Drogonis definire aliud non audemus, nisi expectandum, quam maximus cogi potest, Galliæ Germaniæque conventum, & in eo metropolitanorum reliquorumque antistitum inquirendum esse consensum, cui resistere nec volumus, nec valemus. Nobis tamen, si quid tale alicui committi potest, & non alia, quam quæ prætenditur, latet causa, illi potissimum convenire videtur, qui & communione sacerdotii nobis, & excellentiæ vestræ propinquitatis privilegio sociatur.

XII.

Veniemus nunc ad ultimam partem admonitionis nostræ, quam qua intentione fundimus, dederit Deus ut vos ac proceres, ceterique fideles, ea devotione suscipiatis. Videmus enim iram Dei nobis & vobis imminere, cum pro rapinis & immanibus aliis sceleribus, tum etiam maxime quod ecclesiæ facultates, quas reges & reliqui Christiani Deo voverunt, ad alimentum servorum Dei & pauperum, ad exceptionem hospitum, redemptionem captivorum, atque templorum Dei instaurationem, nunc in usu sæcularium detinentur. Hinc multi servi Dei penuriam cibi & potus ac vestimentorum patiuntur, pauperes consuetam eleemosynam non accipiunt, negliguntur hospites, fraudantur captivi, & fama omnium merito laceratur. Et quidem, si hæc a paganis pateretur ecclesia, patientiam flagitaret. Nunc autem oppressi a filiis nostris, hoc est ab his, quos vel nos, vel decessores nostri in Christo genuimus, Christianos eos nostro ministerio facientes, nullam patientiæ consolationem recipimus; quoniam de illorum interitu formidamus. Certe, quod nullus quamquam impudentissimus negare audebit, possessio ecclesiæ votum est fidelium, patrimonium pauperum, redemptio animarum. Votum ergo alterius quomodo quisquam Deo audet auferre? Hereditatem pauperum, qua temeritate præsumit invadere? Unde alii suas animas redemerunt, cur inde alii suas perdunt? Itaque quædam loca venerabilia, quod nunquam antea auditum est, laici ex integro possident, quorumdam partem sibi vindicant, quorumdam prædia multipliciter divisa in hereditatem sibi dari fecerunt. Ægyptii sacerdotes, famis necessitate ceteris cuncta vendentibus, suas possessiones retinuerunt, & falsi dii reverentiam a suis cultoribus meruerunt, quam in hac parte solus & verus Deus non obtinet. Oza percussus est, propterea quod nutantem arcam sublevare præsumpsit, quam tangere nefas erat. Rideat, hoc aliquis, nisi, quod summo dolore dicimus, quidam oppressores ecclesiæ dignum suis moribus exitum nostro etiam tempore invenerunt. Propheta clamat: *Qui dixerunt: Hereditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus pone illos ut rotam; & sicut stipulam ante faciem venti.* Postremo ipse dominus Iesus conditor & redemptor: *Quid proficit homo, si lucretur universum mundum; se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat?* Et quisquam tam audax & desperatus invenitur, qui possessiones Dei ad certissimam perniciem suam occupet & invadat? O fideles Deo & vobis ipsis, nolite pro temporali abundantia divitiarum mereri sempiternam congeriem miseriarum: nec ultra decus animæ vestræ tam pestifero, tam inaudito, tam denique certo sacrilegio polluatis. Reddite Deo sua, ut vestra cum pace possideatis, tormenta evadatis æterna, & postmodum ad gaudium domini nostri ut servi fideles intromittamini. Sæculares honores sæculares possideant, ecclesiasticos ecclesiastici sortiantur. Nec nos insatiabilis cupiditatis arguatis, quia, qualescumq; simus, vera nos dicere nec ipsi nescitis: & licet pauci, sunt tamen aliqui nostrum Deum timentes, qui juxta illud propheticum exaudiantur: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet:* quia

Gen. 47.
2 Reg. 6.
Psal. 82.
Matth. 16.
Psal. 144.

ANNO CHRISTI 844.

quia omninm finis quotidie appropinquat, & quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna. Si volumus evadere præsentes calamitates, & futuras evitare miserias, in commune a nostris pravitatibus ad dominum convertamur, & declinantes a malo faciamus bonum, ut bona domini mereamur videre in terra viventium. Tu autem, clarissime rex, quia verissime scriptum est: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*, fuge perversorum consortia & consilia, nec a te quisquam petere audeat quod majestatem tuam præstare non deceat. Nec timeas iratos homines, hoc est terram & cinerem, amplius quam Deum qui te creavit, quique in veritate judicabit. Cujus voluntatem si perfecte secutus fueris, credimus quod quorumlibet hominum te contumacia liberabit, & omnibus angustiis clementer eripiet, ac post hoc temporale regnum ad perpetuum cumulata felicitate perducet. In fine omnes alloquimur, quod si nostris salutaribus acquieveritis consiliis, vestro profectui plurimum congratulabimur. Sin autem nos, imo Deum per nos loquentem, contempseritis, necessitate implendi ministerii, quod nollemus facere compellemur.

1 Cor. 15.

B

C

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

1. *Concilium Vernense II.*] Primum id fuit, quod sub Pippino rege celebratum vidimus tom. VI. anno 755. Ebroinus Pictavorum episcopus, ut apparet ex diplomate Caroli Calvi, quod sequenti anno datum est monachis Fossatensibus, archicapellanus erat sacri palatii: eaque opinor causa est, cur præsente archiepiscopo præsideat huic concilio.

ANNO CHRISTI 845.

1a CONCILIVM BELVACENSE.

HÆC CAPITVLA QVÆ SEQVVNTVR FACTA sunt in synodo habita apud Belvacum civitatem anno DCCCXLV. mense Aprilio, anno " VI. regni domni Caroli, indictione VII. Quæ collata sunt inter eumdem principem domnum Carolum & episcopos regni sui: & eadem isdem princeps gloriosus Deo teste sub fidei suæ adstipulatione se servaturum promisit erga omnes ecclesias & episcopos regni sui. Quæ ad vicem omnium episcoporum sui principatus qui erant, quique futuri erant, de manu horum episcoporum conservanda suscepit: id est Vvenilonis, Erchanradi, Immonis, Rothadi, Symeonis, Lupi, Ragenarii, Heliæ, Erpoini, Aii, Hincmari presbyteri & vocati archiepiscopi.

Quintus ...mtaxat ...roli an... ...s erat, ...l inde... ...o VIII. ...pridem ...notavi... ...s in sy... ...i.

D

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *Vt conservetur jus ecclesiasticum.*
II. *Vt episcopi sine causa non dehonorentur.*
III. *Vt res ecclesiis ablatæ restituantur.*
IV. *Vt præcepta illicita de rebus ecclesiæ rescindantur.*
V. *Vt injustæ consuetudines ab ecclesia non exigantur.*
VI. *Vt ecclesiæ contra oppressores defendantur.*
VII. *Vt præcepta ecclesiis data firmentur.*
A VIII. *Vt si quid invicem peccetur, mutuo consilio corrigatur.*

ANNO CHRISTI 845.

CAPITVLA.

I.

Vt jus ecclesiasticum & legem canonicam nobis ita conservetis, sicut antecessores vestri, qui hoc bene & rationabiliter observaverunt, juxta quod sciri poterit, & Deus vobis posse dederit, nostris prædecessoribus conservaverunt.

II.

Quod in mea persona, nec in meo ordine, nisi forte, quod absit, inantea contra Deum, & contra vos manifeste fecero, ut damnari canonice debeam, adversum me & meum ordinem ita damnabiliter non faciatis, pro quacumque præterita causa, ut mihi dehonoratio aut damnatio veniat.

III.

Quod res ad ecclesiam mihi commissam pertinentes, & tempore principatus vestri ablatas, ita præsentialiter restituatis, & restitutas conservetis, sicut tempore avi & patris vestri fuerunt: & excepto superposito, quod in usus possidentium vel ex ædificiis absumptum est, quomodo tunc erant, quantum ad hoc quod res usitato nomine appellamus constat, quando vos inde illas tulistis.

IV.

Vt præcepta illicita de rebus ecclesiæ mihi commissæ a vobis facta rescindantur, & ut de cetero ne fiant caveatis.

V.

Vt ab ecclesia mihi commissa indebitas consuetudines, & injustas exactiones de cetero non exactetis: sed sic eas conservetis, sicut tempore avi & patris vestri conservatæ fuerunt.

VI.

Vt contra deprædatores & oppressores ecclesiarum nostrarum, & rerum ad easdem pertinentium, defensionem secundum ministerium vestrum, quantum posse vobis Deus dederit, exhibeatis.

VII.

Vt præcepta quæ avus & pater vester ecclesiis nobis commissis fecerunt & firmaverunt, & stabilita conservaverunt, quæ etiam vos confirmastis, de cetero rata conservetis.

E

" VIII.

Vt si vos contra hæc capitula, aut nos, quod absit, non malitia, nec perverso studio, sed aut per humanam fragilitatem, aut per ignorantiam, vel per subreptionem, non damnabiliter contra vos egerimus, mutuo hoc consilio corrigamus, & firmata deinceps convenientia maneat.

" Plura fuisse quam octo hujus concilii capitula discimus tam ex concilio Meldensi, de quo paulo post, quam ex Ivonis & Gratiani decretis.

ANNO CHRISTI 845.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Concilium Belvacense.*] Qui synodo huic adfuisse dicuntur, quarum sedium fuerint episcopi, mox docebit privilegium Ratberto Corbeiensi concessum in synodo Parisiensi, cui iidem omnes subscripsere, præter Lupum Catalaunensem.

NOTÆ SEVERINI BINII.

a *Concilium Bellovacense.*] De loco tempore & rebus in hac synodo gestis, Frodoardus scriptor hujus temporis in vita Hincmari, lib. 3. cap. 1. scribit hæc quæ sequuntur : *Anno incarnationis domini octingentesimo quadragesimo quinto Carolus Calvus convocavit synodum episcoporum sui regni Bellovaci civitatis provinciæ Rhemensis. In qua inter alia negotia ecclesiæ & regni, de ecclesiæ Rhemensis desolatione agere incepit, quam Fulquus presbyter diu usurpaverat, & post eum Hotho suus successor; adeo ut longo temporis intervallo sine pastore extitisset. Verum episcopi recensuerunt, quomodo Ebbonis episcopi depositionem viderunt, & audierant, & super eo negotio auctoritatem sanctorum patrum in memoriam reducentes, uno ore statuerunt, tum quia eos necessitas cogebat, tum quia partium illorum erat, ut tamdem decennio post Ebbonis depositionem in ecclesia Rhemensi episcopus ordinaretur.*

Hincmarus electus episcopus Remensis.

Quare Hincmarus non tantum a clero & populo urbis Rhemensis, verum etiam ab episcopis ejusdem provinciæ cum consensu VVenilonis archiepiscopi Senonensis, & Ercamradi episcopi Parisiensis, nec non abbatis & religiosorum sancti Dionysii in Francia, ubi Hincmarus monachus erat, episcopus electus fuit, cujus electionem Carolus gratissimam habuit. Hoc igitur statuto, & scriptis sigillisque eorum qui hunc elegerant confirmato, ecclesiæ Rhemensis episcopus ordinatus est. Porro hic ab adolescentia literis humanioribus eruditus, & in disciplina monastica in monasterio sancti Dionysii sub Hilduino abbate educatus; inde tam propter suorum parentum nobilitatem, quam ingenii sui acumen, in Ludovici imperatoris, cui familiaris erat, palatium adductus fuit. A quo, & a suo abbate sub auctoritate episcoporum exoravit, ut ordo & status monasticus a multis depravata quorumdam vita collapsus, in pristinum nitorem & splendorem prædicto in monasterio sancti Dionysii restitueretur. Et, ut facto adimpleret quod verbo consulebat, ipsemet corpus suum castigando, & in servitutem redigendo, cum aliis reformationem subire voluit.

Cum autem temporis progressu suus abbas Hilduinus archicapellanus capellæ imperatoris, cum multis aliis nobilibus regni, imperatoris indignationem incurrisset, & suis abbatiis spoliatus in Saxoniam relegatus fuisset, hunc Hincmarus cum licentia & permissione sui proprii episcopi, & benedictione suorum confratrum monachorum in exilium secutus est. Verum ob primam familiaritatem, quæ sibi cum imperatore intercesserat, divina annuente ope, tanta valuit gratia apud imperatorem, principes, & alios nobiles, ut Hilduinus ab exilio revocatus in suas abbatias postliminio redierit. Similiter cum papa Gregorius huc venisset, & regnum Franciæ ab ipso imperatore defecisset, Hilduinus hunc ad se pellicere contra fidem imperatoris conatus est, sed id ipse præstare noluit. Et post restitutionem imperatoris totus incubuit in utilitem sui abbatis; pacificus mansit in monasterio suo, ubi tamdiu reliquiarum ecclesiæ, & corporum sanctorum martyrum custos extitit, quamdiu in regis obsequium vocatus, monasterii deiparæ virginis Mariæ, & sancti Germani provinciam & administrationem, regis, sui episcopi, & Hilduini diaconi, sui abbatis imperio suscepit. Insuper rex illi quamdam possessionem bonorum & servorum largitus est, postquam fuit consecratus episcopus, & monasterio sancti Dionysii, in quo militaverat, testamento legavit.

ANNO CHRISTI 845.

1 a CONCILIVM b MELDENSE, IN QVO PRÆFIXIS RECENTIVM ALIQVOT

synodorum decretis, alia simul ad redintegrandum ecclesiæ statum & ad principis ac reipublicæ salutem, prolata sunt capitula: in Meldensi ecclesia celebratum die XV. Kalendas Iulias, indictione VIII. anno Christi DCCCXLV. Sergii II. papæ anno II. Caroli Calvi regis anno VI. succrescente.

TITVLI CANONVM.

Ex conventu in villa Colonia.

I. *De honore cultuque Dei, atque ecclesiarum & servorum Dei veneratione.*

A II. *Vt honor & potestas regia inconvulsa permaneat.*

III. *De justitiis unicuique secundum legem suam faciendis.*

IV. *Vt nemo quidquam regi contra justitiæ rationem suggerat.*

V. *Vt si quid regi subreptum est, fideliter admoneatur.*

VI. *De iis qui initum concordiæ fœdus irruperint.*

Ex synodo apud Theodonis villam.

VII. *Vt principes mutuam inter se caritatem & concordiam habere studeant.*

VIII. *Vt episcopi in viduatis sedibus ordinentur.*

B IX. *Vt monasteria laicis concessa religiosis deinceps viris seu feminis committantur.*

X. *De abusibus quos laici monasteria regentes prusumebant.*

XI. *De rebus ecclesiasticis non pervadendis.*

XII. *Vt ordo ecclesiasticus antiquum rigorem recipiat, judicium & justitia omnibus reddatur, & de præteritis erroribus pœnitentia agatur.*

Ex synodo apud Lauriacum.

XIII. *De eo qui ecclesiasticam auctoritatem contemnit.*

XIV. *De eo qui contra regiam dignitatem egisse comprobatur.*

XV. *De eo qui potestati regiæ non obtemperat.*

C XVI. *De eo qui adversus hæc capitula prævaricatur.*

Ex synodo apud Belvacum.

XVII. *Vt res ecclesiis ablatæ restituantur.*

XVIII. *Vt præcepta illicita de rebus ecclesiasticis rescindantur.*

XIX. *Vt injustæ consuetudines ab ecclesia non exigantur.*

XX. *Vt missi dirigantur, qui inquirant quæ ad regem & rempublicam pertinent.*

XXI. *De precariis & commutationibus vacante sede factis.*

XXII. *De precariis quomodo fieri ac renovari debeant, & de præceptis regalibus.*

XXIII. *De commutationibus rerum ecclesiasticarum.*

D XXIV. *Vt ecclesiæ contra oppressores defendantur.*

In synodo Meldensi acta.

XXV. *Quod domus episcopi recte ordinari & componi debeat.*

XXVI. *Vt domum episcopi feminæ non frequentent, nec in ea reges aut principes sæculares diu versentur.*

XXVII. *Vt civitates per regis transitum non deprædentur.*

XXVIII. *Vt episcopis libertas a rege ad obeunda ministeria concedatur, & episcopi concesso sibi otio non abutantur.*

E XXIX. *Vt episcopi plebes sibi creditas ipsimet visitent.*

XXX. *Vt a minore ecclesia ad potiorem nemo aspiret.*

XXXI. *Vt metropolitanis reverentiam exhibeant episcopi provinciæ.*

XXXII. *Vt principes synodos provinciales suis temporibus fieri permittant.*

XXXIII. *De episcopis qui ad synodos vocati non veniunt.*

XXXIV. *Vt canonum statuta omnes custodiant, & vocum novitates in exponendis scripturis altisve non præsumant.*

XXXV. *Vt habere studeat episcopus, qui presbyteros*

ANNO CHRISTI 845.

ANNO CHRISTI 845.

sbyteros plebium assidue instruat & informet.

XXXVI. *Ut presbyteri apud ecclesias suas habitent, & mulierum frequentationem devitent.*

XXXVII. *Ut clerici arma militaria non contingant.*

XXXVIII. *Ut nullus deinceps episcopus supra sacra juret.*

XXXIX. *Quod detestanda sint perjuria.*

XL. *De hospitalibus Scotorum, & aliis ad nihilum redactis.*

XLI. *De monasteriis eversis, & in allodium datis.*

XLII. *Ut missi dirigantur, qui res ecclesiasticas in allodium datas inquirant.*

XLIII. *Ut per simoniacam haeresim nemo regimen obtineat.*

XLIV. *Ut chorepiscopus ultra modum suum nihil praesumat.*

XLV. *Ne pro chrismate precium exigatur, & de eulogiis quae a presbyteris offeruntur.*

XLVI. *Ut sacrum chrisma nisi in coena dominica non fiat.*

XLVII. *Quomodo providendum sit ecclesiae cujus episcopus infirmus est.*

XLVIII. *Ut presbyteri, excepta aegritudine, non baptizent extra loca & tempora constituta.*

XLIX. *Ut laici presbyteros suos villicationi & aliis saecularibus negotiis non implicent, nec aliorsum ducant.*

L. *Ut clerici alterius parochiae sine formata non recipiantur, & criminati ab omnibus excludantur.*

LI. *Ut clerici, qui cum senioribus suis ex aliis provinciis veniunt, non ministrent, nec ordinentur sine literis episcopi sui.*

LII. *Ut nullus ordinetur, nisi certo in clero per anni spatium conversationem suam probarit.*

LIII. *De canonicorum in civitate vel monasteriis cura & disciplina.*

LIV. *Ut titulos cardinales in urbibus & suburbiis constitutos episcopi penitus ordinent & disponant.*

LV. *Ut episcopi usuras omnino compescere studeant.*

LVI. *Ut episcopus sine certa causa nullum excommunicet, nec anathema imponat sine archiepiscopi & comprovincialium episcoporum consensu.*

LVII. *Ut monachi palatium sine episcopi auctoritate non adeant, nec vagentur, nec villicationibus inserviant.*

LVIII. *Ut canonicos sine episcopi consensu in servitium suum rex non recipiat.*

LIX. *Ut monachus de monasterio sine episcopi consultu non ejiciatur.*

LX. *Ut qui sacra loca infringunt, & praedantur, tamquam sacrilegi puniantur.*

LXI. *Ut pervasores rerum ecclesiasticarum publicae poenitentiae subjiciantur.*

LXII. *Ut qui nonas & decimas persolvere, aut sarta tecta restaurare negligunt, excommunicentur.*

LXIII. *Ut de manso ecclesiae, aliisve, indebitus census a presbyteris non exigatur.*

LXIV. *De raptoribus virginum & viduarum, qui eas consensu parentum postea duxerunt.*

LXV. *De raptoribus virginum & viduarum, qui nondum eas ex voluntate parentum duxerunt.*

LXVI. *Ut qui deinceps virgines vel viduas rapere praesumpserint, excommunicentur.*

LXVII. *De iis qui sanctimoniales rapiunt, & in conjugium sumunt.*

LXVIII. *De iis qui alienas sponsas rapiunt.*

LXIX. *De eo qui vivente marito conjugem illius adulteravit, & illo mortuo sumpsit.*

A LXX. *De iis quae sub velamine religionis, quasi sanctimoniales degunt, & voluptatibus inservire dicuntur.*

LXXI. *Ut auctoritatem regiam penes se habeant episcopi, qua ministros reipublicae, si eorum indiguerint adjutorio, conveniant.*

LXXII. *De sepulturis infra ecclesiam, & de sepulcris non violandis, vel pecunia pro sepultura non exigenda.*

LXXIII. *Ut erga Iudaeos antiqua canonum & legum jura serventur.*

LXXIV. *Ut potentes viri ac feminae provideant, ne in suis domibus vigeant adulteria & libidines.*

B LXXV. *Ut capellae villarum regiarum non committantur laicis, sed ecclesiasticis, & de dominicis decimis.*

LXXVI. *Ut comites seu judices placitum aut mallum non teneant post quartam feriam in capite jejunii.*

LXXVII. *Ut feriati sint octo dies paschalis festivitatis.*

LXXVIII. *Ut capitula a Carolo magno imperatore, & a Ludovico Augusto promulgata observari praecipiantur.*

C LXXIX. *Ut qui haec statuta episcopalia & regalia violarit, si clericus est, gradum amittat, si saecularis, honore suo privetur.*

LXXX. *Conclusio ad regem, ut capitula quae ipse decrevit, & manu sua firmavit, re ipsa conservet.*

PRAEFATIO.

QUIA generis humani fragilitas pronior dilabatur ad corrigenda, quam studeat conservare correcta, & divina testantur oracula, & consuetudine monstratur quotidiana: quia etiam virtutes facilius queant plantari, quam vitia possint eradicari, & ager dumosus ruricolarum usu
D atque labore ad cultum fertilem perductus ostendit, & propheta sacerdotalem gestans personam, domino loquente, praemonstrat dicens: *Ego constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas & destruas, & dissipes & disperdas, & aedifices & plantes.* Quatuor enim prius ponens ad destruendum prava, & duo postmodum ad statuendum recta, ostendit quid falce sacerdotali durius valeat & saepius debeat recidi. Quidquid terrena potestate vel cupiditate, ignorantia seu fragilitate, studio ac subreptione perversum in ecclesia, aut in humana conversatione pullulaverit, recidendum. Sacerdotum est enim, divina populo dare mandata, & referre responsa: quia in rationali pectoris Aaron erant doctrina & veri-
E tas. Et sacerdotalis chorus os domini appellatur, sicut scriptum est: *Si separaveris preciosum a vili, quasi os meum eris.* Cui etiam dictum est: *Tu autem annuntiabis eis*, quin populis universis, *ex me*: & , *legem requirent ex ore sacerdotis, quia angelus domini exercituum est*: & multa alia his similia, quae vera Christianitas plus jam pene credendo & venerando, quam audiendo vel discendo cognoscit. Sacerdotum est etiam imminentem gladium, quae est animadversio divini furoris atque judicii, populis nuntiare: eorum est nihilo minus, verbi gladio, acutiore omni gladio ancipiti, qui penetrat usque ad divisionem animae & spiritus, compagum quoque & medullarum, atque cogitationum & intentionum cordis, in unoquoque ecclesiae filio prava resecare a rectis, pravosque in omni ecclesia, si ita res

Ier. 1.

Exod. 28. Ier. 15.

Ezech. 3. Mala. h. 2.

ANNO CHRISTI 845.

res popoſcerit, ut ſæculi judices & judicii divini præcones, ſegregare de rectis. Quia nulli qui ſanum ſapit eſt dubium, ita dominum omnia moderaſſe, ut clavibus eccleſiæ datis aditus ad vitam claudi debeat, vel reſerari: & quidquid ordine ordinato a ſacerdotibus in eccleſia geritur, per gratiam ſancti Spiritus ab illo geratur, qui quod eis promiſit nullatenus pro quocumque in quocumque dimiſit: *Ecce ego*, inquiens, *vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Quod certiſſime cognoſcentes domini ſacerdotes, & ſubtili examine perpendentes, quia eorum erat ad omnem actionem populi, ut dominus per Moſem præceperat, tubis clangere, id eſt manifeſtiſſima prædicatione voluntatem domini inſonare; poſtquam ab ipſis piæ memoriæ Ludovici divini Auguſti temporibus eccleſia diverſis & adverſis cœperat vexationibus fatigari, in qua, ut propheta longe ante defleverat, a planta pedis uſque ad verticem non erat, imo nec eſt deſiderabilis ſanitas, crebris monitionibus ſuam, principum quoque & potentum, ac pauperum, totiuſque eccleſiæ clamantes neceſſitatem, vocem correctionis dederunt, ſi forte vel ipſa vexatio, ut ſcriptum eſt, intellectum daret auditui. Hoc verbis, hoc ſcriptis, hoc publicis, hoc privatis ſuaſionibus, hoc ſpecialibus, hoc generalibus egerunt, pro Chriſto legatione fungentes, petitionibus: hoc etiam dicta dominica proponentes, hoc propheticis & apoſtolicis oraculis conteſtantes, hoc veterum ſtatuta præ oculis demonſtrantes, hoc capitulari & petitoria ſuggeſtione ſæpius & principes & reipublicæ potentes atq; miniſtros divina inſinuatione, & voce blande ac terribiliter, quia ita diverſi rerum eventus exegerant, monuerunt. Et ut de multis quædam ad memoriam reducamus, ita egerunt ſcriptis quæ conſtant. Quorum unum eſt ex ſynodo in pago Andegavenſi habita, in villa quæ dicitur Lauriacus. Aliud in reverſione glorioſi regis ac domini noſtri Caroli a Redonis civitate: quod idem inclytus princeps, & ceteri quique tam eccleſiaſtici, quamque ex laici ordine, qui adfuerunt viri manu propria firmaverunt. Tertium in generali ſynodo apud Theodonis villam generaliter actum, & generali conteſtatione propalatum. Quartum ex convenientia in prædicto conventu cœptum, & in Verno palatio perpetratum: ſed invidia ac malitia diaboli, ſeu miniſtrorum ejus, nondum principis & populi auribus propalatum. Inde vero, quia ſicut neceſſe fuerat divinis juſſionibus non eſt ſecuta obedientia, dedit dominus ab Aquilone, unde, juxta prophetam, pandetur omne malum, dignos meritis noſtris apoſtolos, crudeles ſcilicet & immaniſſimos Chriſtianitatis perſecutores Northmannos, qui uſque Pariſios venientes, quod juſſit dominus demonſtraverunt: quorum actus domini ſacerdotes, ut prævenerant ex ore domini, ſermone ſunt etiam ſubſecuti. Sed & inde Belvacum civitatem venientes, quæ ex domini voluntate cognoverant, & verbo & ſcripto nullatenus ſiluerunt. Tandem autem graſſante iniquitate, & elongante ſe optata atque optabili pace, non ſolum a medio noſtri, verum, quod eſt lugubrius, a finibus noſtris, perſpicientes etiam divinam miſericordiam, quæ potiſſimum in tribulatione ſuis fidelibus conſueverat ſemper adeſſe, tot miſerorum gemitus, tantaſque lacrymas & pene intolerabiles, & in hac regni dumtaxat parte inauditas afflictiones & horribiles calamitates ſurda, ſi dici fas eſt, aure juſto judicio præterire. Ob hoc juſtæ indignationis divinæ complangendum ſupplicium, & eccleſiæ Chriſti devoto pectore tractandum negotium, præſulum quoque & ſequentis cleri correctionem, & regis ac regni ſalubritatem atque ſtabilitatem, & populi auctore & fautore domino procurandam ſalutem, venerabiles epiſcopi, Wenilo videlicet Senonicæ ſedis archiepiſcopus cum ſuffraganeis ſuis, Hincmarus quoque ſanctæ metropolis eccleſiæ Rhemorum epiſcopus cum coepiſcopis ſuis, & Rodulfus Bituricæ civitatis archiepiſcopus, ceteris etiam domini ſacerdotibus legatis vel ſcriptis ſuam præſentiam exhibentibus, in Meldenſem eccleſiam de ſuis civitatibus convenerunt, ibique ſecundum ſynodalis ordinis cenſuram reſidentes, anno dominicæ incarnationis DCCCXLV. piique regis Caroli ſuccreſcente feliciter VI. cujus conſenſu ſub divino nutu illuc conventum eſt, XV. Kalendas Iulii, quia occaſiones duriſſimæ jam annis præcedentibus ſynodalia tempora religioni abripientes ſibi indebite ſubripuerant: poſt compaſſionis fraternæ, & communis miſeriæ luctum ſtatuerunt primo aliqua ex his, quæ nuper ab eodem devotiſſimo principe, una cum ſacro eccleſiaſtico ordine, & illuſtrium virorum nobilitate decreta ſunt, ita ut conſtituta fuerunt præfigere: vel quæ ab ipſis ac ceteris Chriſti vicariis, ex divina auctoritate, ad ſtatum ſanctæ eccleſiæ redintegrandum, ad principis, & reipublicæ, & ſubſequentis Chriſtianitatis ſalutem ſunt prolata capitula, recenti memoriæ, & auditui atque aſpectui ſalubriter Chriſto propitio præſcribere: & tunc quæ ſancti Spiritus gratia miniſtraverit, & patrum conſtitutio roborarat, devotis mentibus intimare. Quia quæ bene inventa & ſemel ſtatuta ſunt, obſervatione indigent, ut ex veſtigiis præcedentium didicimus, non retractatione. Nec ſolum ſtudendum eſt nova cudere, ſed & vetera conſervare. Quia etiam mox poſt abſolutam ſynodum, nec admonitionis epiſcopalis congruentia, variis eventibus præpedita, potuit ſubſequi, nec monitionis efficacia promereri, prædicti venerabiles epiſcopi, una cum æque venerabili Guntboldo Rothomagenſi archiepiſcopo ac coepiſcopis ſuis, conſenſu ſuprafcripti glorioſiſſimi regis Caroli, anno incarnationis dominicæ DCCCXLVI. XVI. Kalendas Martias Pariſius convenerunt, & cœptum divinum negotium pertractantes, ut ad perfectionem debitam propitiante domino perduceretur, ſatagere ſtuduerunt. Sicque per ſeptiformis Spiritus ſancti virtutem nos omnes, licet indigni, Chriſti tamen vicarii, & apoſtolorum ipſius ſucceſſores omnem hominem ecce jam non modo ſepties, verum & octies, intuitu meriti ſtabulario repromiſſi: *Quod ſuperrogaveris*, inquit, *cum rediero, reddam tibi*, convenientes, ut vel nunc in hac octava, quæ reſurrectionem prætendit, conventione a mortuis operibus communiter reſurgamus, conſilium Dei, juxta Pauli vocem, annuntiamus, & mundos nos a ſanguine audientium exhibemus. Indeque non obedientibus, quam non optamus, iram & indignationem ac tribulationem, ſicut idem ſanctus apoſtolus docuerat, denuntiamus: omni autem obedienti & operanti bonum, ac perſeveranti in bono, Chriſti domini noſtri voce promittimus, quam & depoſcimus gloriam & incorruptionem, & vitam æternam, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Matth. 28. — Iſai. 1. — Iſai. 28. — Ier. 1. — Luc. 10. — Act. 20. — Rom. 2.

CANONES.

CANONES.

Capitula ex conventu habito in villa quæ dicitur Colonia, consensu principis, & episcoporum, ac ceterorum fidelium prolata & confirmata, & ab omnibus Dei fidelibus necessario observanda.

I.

De honore videlicet & cultu Dei atque sanctarum ecclesiarum, quæ auctore Deo sub ditione & tuitione regiminis nostri consistunt, communiter domino mediante decernimus, ut sicut tempore beatæ recordationis domni ac genitoris nostri excultæ, honoratæ, atque rebus ampliatæ fuerunt, salva æquitatis ratione, ita permaneant; & quæ a nostra liberalitate honorantur atque ditantur, de cetero, sub integritate sui serventur: & sacerdotes ac servi Dei vigorem ecclesiasticum & debita privilegia, juxta venerandam auctoritatem obtineant: eisdem vero regalis potestas, & illustrium virorum strenuitas, seu reipublicæ administratores, ut suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & juste concurrant.

II.

Honor etiam regius & potestas regali dignitati competens, atque sinceritas & obtemperantia seniori debita, remota omni socordia & calliditate, seu qualibet indebita quorumcumque conjunctione contra honorem & potestatem atque salutem nostram, sive regni nostri soliditatem, nobis in omnibus, & ab omnibus, sicut tempore antecessorum nostrorum consueverat, exhibeatur. Et si quis quemcumque contra nos, & contra hanc pactam sinceritatem, aliquid moliri manifeste cognoverit, si eum convertere nequiverit, aperte prodat atque denotet; & sic consilio atque auxilio episcopalis auctoritas, & fidelium unanimitas, & noster honor, & potestas regia inconvulsa permaneat, totis nisibus decertare & adjuvare procuret.

III.

Quia vero debitum esse cognoscimus, ut a quibus honorem suscipimus, eos juxta edictum dominicum honoremus, volumus ut omnes fideles nostri certissimum teneant, neminem cujuslibet ordinis aut dignitatis deinceps nostro inconvenienti libitu, aut alterius calliditate, vel injusta cupiditate, promerito honore debere privari, nisi justitiæ judicio & ratione atque æquitate dictante. Legem vero unicuique competentem, sicut antecessores sui tempore nostrorum prædecessorum habuerunt, in omni dignitate & ordine, ' favente domino, nostram magnificentiam observaturam promittimus.

' *favente domino me observaturum dono*

IV.

Quod ut facilius atque obnixius ' nostra ' auctoritas valeat observare, omnes, sicut in vestra bene memorabili convenientia pepigistis, conservare studebitis, imo etiam cuncti in postmodum solicite præcavebunt, ne aliquis pro quacumque privata commoditate, aut rejicienda cupiditate, sive alicujus consanguinitatis, vel familiaritatis, seu amicitiæ conjunctione, nobis immoderatius suggerat, vel postulationibus, aut quolibet modo illiciat, ut contra justitiæ rationem, & nominis dignitatem ac regiminis æquitatem agamus.

' *vestra*

V.

Et si forte subreptum nobis quidpiam ut homini fuerit, competenter & fideliter, prout sublimitati regiæ convenit, & necessitatibus subjectorum expedit, ut hoc rationabiliter corrigatur, vestra fidelis devotio admonere curabit.

VI.

Tandem autem visum est nobis annectere, ut si quis hoc fœdus concordiæ salubris, quod propter pacis caritatisque concordiam inivimus, & chirographi virtute subscripsimus, rebelli atque animo pertinaci irruperit, Christiana dilectione admoneatur, ut ad inconvulsum veritatis vinculum conservandum, quod qui tentaverit irrumpere, facilius poterit seipsum disrumpere, quam illud possit irrumpere, juxta monita divina ut resipiscat hortetur: & si audierit, fiat de societate fideli omnibus gaudium: si vero obaudire renuerit, tunc pontificalis auctoritas, & regalis sublimitas, atque in caritatis connexione persistentium magnanimitas, secundum quod res & necessitas postulaverit, ac ratio expetiverit, seu qualitati personæ convenerit, zelum suæ devotionis ferventissime exerat, & quod inspirante Deo agendum in omnem salutis & utilitatis atque honestatis partem judicaverit, irrefragabiliter peragat.

Ex capitulis vero in synodo apud Theodonis villam habitis quædam monenda subjungemus: quædam autem pro tempore tunc dicenda, nunc brevitati studentes, recidimus: quædam etiam, necessitati consulentes, & ordini providentes, patrum sequentes consuetudinem interposuimus, ita ab episcopis prolata principum & ceterorum fidelium saluti.

VII.

Videtur nobis, si fideliter vultis regnare, & vigorem regium ac seniorale & super vestros & super impugnantes potestatem vestram optatis habere, caritatem illam,

ANNO CHRISTI 845. illam, quam apostolus docuit, *de corde* A *puro, & conscientia bona, & fide non ficta,*
1. Tim. 1. cum fratribus vestris studete habere, & quia sic habeatis, & fidelibus & infidelibus omni virtute & puritate, quantum Deus dederit, curate manifestare, sicut
Ioan. 13. ipse docuit dicens: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinvicem.*

VIII.

Quia bene nostis ab illo, qui solus rex & sacerdos fieri potuit, ita ecclesiam dis- B positam esse, ut pontificali auctoritate, & regali potestate gubernetur: & scriptum
Prov. 11. esse liquido pervidetis: *Ubi non est gubernator, populus corruit:* & tanto periculosius, quanto anima plus est preciosa quam corpus: Canonum etiam irrefragabilis auctoritas super episcoporum ordinatione evidentissime præcipiat: ferventissime Dei legatione fungentes monemus, ut quandocumque, Deo dispensante, quilibet episcopus ad dominum migraverit, C submota funditus peste simoniacæ hæreseos, sine dilatione, juxta auctoritatem canonicam, sedes vacans episcopum a vobis regulariter designatum, & gratia sancti Spiritus consecratum accipiat.

IX.

Sacrum quoque monasticum ordinem, a Deo inspiratum, & ab ipsis apostolis fundatum, seu a nominatissimis ac sanctissimis patribus excultum, atque per istud imperium a vestris piæ memoriæ prædecessoribus propagatum, & quædam etiam loca specialius venerabilia, D contra omnem auctoritatem & rationem, ac patrum vestrorum seu regum præcedentium consuetudinem, laicorum curæ & potestati, in maximo vestro periculo, & illorum perditione, & Dei ac sanctorum non modica ad irascendum provocatione, vos commisisse dolemus. Quapropter pro Christo devotissime obsecramus, ut tam magnam offensam, & justam reprehensionem, atque periculosam sine exemplo præcedentium præsumptionem, ab animabus vestris, & a felicitate regni E vestri pellatis; & loca venerabilia, & habitum ac ordinem sacrum, eis qui ad hoc vocati sunt, viris scilicet ex clericali & ecclesiastico vel monastico ordine religiosis, seu & in suo sexu feminis Deo dicatis atque devotis, & in schola Christi eruditis, ad custodiendum & providendum committatis: qui & quæ Dei sunt Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari reddant. Qui si minus perfecte, & in divina religione, & in reipublicæ utilitate profecerint, aut corripiantur, aut meliores & utiliores in locis eorum substituantur; & non propter pravorum nequitiam ordo religionis & loca sacratissima eis quibus licitum non est committantur. Quia, ut sancti patres dicunt, non debet esse in regimine vel in contubernio communis habitatio, quorum est diversa professio. Et magnopere cavendum est, ne tam manifesta religionis destructio regni hujus fiat desolatio, cum manifestissime scriptura demonstret Ozam morte damnatum, qui arcam domini quasi cadentem relevare voluit, quam vel contingere illicitum ei fuit. Hæc autem loca sacrata non ideo ab illis, qui ea tenere non debent, occupari prohibemus, ut a nobis illa cupide possideri quæramus: sed ut hi, quibus ea habere non licet, licita habeant; & illi qui ad regiminis onera portanda a domino vocati sunt, divina ministeria exequantur. 2. Reg. 6.

X.

Perventum est siquidem ad nos, quod auditu lugubre, & dictu nefas, actuque horribile, ac nimis triste dignoscitur; quia contra omnem auctoritatem, contra patrum decreta, & totius Christianæ religionis consuetudinem, in monasteriis regularibus laici in medio sacerdotum, & Levitarum, ac ceterorum religiosorum virorum, ut domini & magistri resideant, & velut abbates, de illorum vita & conversatione decernant, eosque dijudicent, & regimina animarum, ac divina eis secundum regulam, non solum sine præsentia, verum etiam sine conscientia episcopi, committant sacraria: & ita præsumptive doceant, qui noluerunt fieri discipuli veritatis, & saltu inordinato magistri fiant erroris. Quod quam temerario ausu præsumptum sit, omnis scripturarum demonstrat auctoritas: adeo ut, sicut scriptum est, nec in persecutione dominica sine ministris pontificum respublica ad comprehendendum dominum, quanto magis ad ordinanda divina servitia auderent transmittere? Ait enim scriptura secundum Ioannem: *Iudas autem* Ioan. 18.
cum accepisset cohortem, & a pontificibus & pharisæis ministros: & iterum: *Et adduxe-* Ibidem.
runt Iesum ad Annam primum, & inde ad Caipham pontificem: & post examinationem pontificis, suscepit eum Pilatus. Et Act. 23.
Paulum princeps sacerdotum secundum legem sedens, per legem judicare debebat. Et quibus panes propositionis non 1. Reg. 21.
licet edere, etiam regis a Deo electi petitione, nisi ab immunditia sua mundentur, judicia sacerdotum panes proponunt. Quod non est aliud, nisi quod 1. Ioan. 2.
Ioannes dicit, cum venerit, antichristum acturum. Et nunc antichristi, videlicet isti, multi sunt. Et quod dominus secundum Marcum: *Cum videritis abominationem* Marc. 13.
desolationis

ANNO CHRISTI 845.

desolationis stantem in loco ubi non debet, qui legit intelligat. Vere enim ista est abominatio desolationis, non solum religionis, sed etiam præsentis & perpetuæ salutis: & non solum subditorum, & talium apocryphorum rectorum, verum & regis, & regni, atque regni primorum, huic detestabili inordinationi fautorum. Et quod adhuc habetur flebilius, quidam episcoporum e vicino sedentes, & juxta prophetam canes muti non valentes latrare, nec opponere murum pro domo Israel, hæc scientes silent, & surda aure pertranseunt. Unde & zelo divino accensi auctoritate Dei, ex quo omnis paternitas, secundum apostolum, in cælo & in terra nominatur, decernimus, ut quidquid hujusmodi hactenus actum est, sacerdotali ac regali rigore seu dispositione cassetur, & ad statum auctoritativum reducatur, & talis abbatia, quæ paternitas Latino nomine dicitur, funditus removeatur. Et si quis hoc decretum contempserit, & admonitus a tali præsumptione se corrigere noluerit, idem, & qui ei faverit vel consenserit, a corpore Christi separetur & sanguine. Qui autem de monachis per talem manum obedientiam susceperit regularem, gravioris culpæ vindicta puniatur. Quod si postmodum quisquam illorum præsumpserit, judicio sancti Spiritus præsenti decreta auctoritate anathematizetur. Si autem monachus contemnens gradum ecclesiasticum habuerit, eo privetur: & si gradum non habuerit, pane & aqua contentus ergastulo diebus XL. retrudatur, & de ministerio indebite adepto ultionem canonicam, qui a qualibet sæculari potestate prædictum honorem ecclesiasticum vult obtinere, ex hoc decreto sustineat. Episcopi vero, qui hactenus tantam silentio consenserunt præsumptionis perniciem, durius arguantur: &, si deinceps istud sine vindicta dimiserint, aut agere in suis parochiis consenserint, tribus mensibus hoc synodali judicio a missarum solenniis se abstineant, & suę tantum ecclesiæ communione contenti fiant.

Isa. 56.

Ephes. 3.

XI.

Occasionem etiam & fomitem, unde ordo ecclesiasticus, & canonica forma, atque monastica religio, sæpe a longe superiori tempore, cum minus religiosos principes habuit, titubavit, & pene collabens depeiit: & iterum, cum devotos & in Dei zelo ferventes principes accipere meruit, resurrectione quadam revixit, & vigorem recepit, atque sui processus tempore ambulavit; quod non sine gravi dolore & metu ultionis divinæ dicimus, in vestri regiminis tempore, in destructionem, non in ædificationem, sicut Paulus docuerat, accidisse conspicimus. Quod & nostris peccatis, qui dispensatores & pastores ecclesiarum esse debuimus, veraciter imputamus, & eorum, quorum factione res ista adeo male pullulavit & exerevit, alia pręcedentia peccata hoc meruisse pro certo auctoritate divina cognoscimus: ut qui nocebant, sicut scriptum est, nocerent adhuc, & qui in sordibus erant, sordescerent adhuc, & unde Deum gravius ad iracundiam provocarent, & sanctos, quos intercessores pro suis peccatis habere debuerant, infensos haberent, & sacerdotes ac viros religiosos, seu Christi pauperes, quos oratores & reconciliatores sibi de suo promereri necesse fuerat, proclamatores adversum se fieri irritarent; & ad cumulum suorum peccatorum etiam illa peccata, unde in conspectu Dei rationem in die terribilis judicii redderent, augerent, quæ illi commiserunt, qui eadem ipsa peccata per intercessionem fidelissimarum oblationum deleverunt, quibus ecclesiasticarum rerum pervasores inconsulte, & in perniciem sui sine reverentia abutuntur. Quod ita verum esse, ut dicimus, dominus protestatur, dicens: *Peccata populi mei comedunt.* Peccata enim populi comedunt, qui contra auctoritatem divinam res ecclesiasticas indebite pervadunt, & nec intercessionis ope, nec prædicationis consilio, vel quocumque divino auxilio, pro peccatis eorum qui eas dederant laborant, nec pio operi, ad quod fides fidelium eas tradiderat, inservire permittunt. De quo periculoso facto vos, principes Christianissimi, venerabiliter admonemus, & devotissime obsecramus, ut memores salutis vestræ, præsentis scilicet & ęternę, memores etiam largitatis progenitorum vestrorum erga sanctas ecclesias, propter quam feliciter regnaverunt, & sibi contrarios superaverunt: memores siquidem cum quanta religione, etiam ante Christi sanguinem, & in tempore famis in Ægypto, discretione sancti Ioseph, apud nefandum regem Pharaonem terra sacerdotalis extitit; innumera quoque scripturarum exempla, ut lacte ecclesiæ nutriti, & scientiæ ipsius uberibus sufficienter repleti, ante oculos reducentes tunicam Christi, qui vos elegit & exaltavit, quam nec milites ausi fuerunt scindere, tempore vestro quantocius reconsuite & resarcite: & nec violenta ablatione, nec illicitorum præceptorum confirmatione, res ab ecclesiis vobis ad tuendum & defensandum ac propagandum commissis auferre tentate: sed

2. Cor. 3.

Apoc. 22.

Osee. 4.

Genes. 47.

ANNO CHRISTI 845.

sed ut sanctæ memoriæ avus & pater vester eas gubernandas vobis fautore Deo dimiserunt, redintegrate, & præcepta regalia earumdem ecclesiarum conservate & confirmate: ne, sicut intentavit Semeias propheta ad Roboam filium Salomonis in conscissione pallii, præsens regnum, quod absit, vobis patrum labore acquisitum, & hereditate relictum, a vobis ipse Christus dividat, & æternum regnum quod promisit non tribuat. Nec contra Dei faciem iratas hominum facies consideretis: quia si ad tempus illis displicueritis, cum vos Deo placebitis, in vobis ille quod promisit implebit: *Cum placuerint*, inquiens, *Deo via hominis, omnes inimicos ejus convertet ad pacem.*

3 Reg. 6. Prov. 16.

XII.

Petimus tandem, ut ordo ecclesiasticus, in quibuscumque ei fuerit necesse rigorem salutis humanæ exerere, per potestatem vestram, & per ministerium ministrorum dominationis vestræ, secundum antiquam consuetudinem suum vigorem recipiat, & populi generalitas, una cum ecclesiastica devotione, judicium, quod honor regis diligit, & justitiã, qua thronus ejus firmatur, per dispositionem vestram suscipiat: seu admonitione atque consilio, sacerdotalis vestra sublimitas, & quisque in quolibet statu vel ordine, de rapinis & ceteris quæ discordiæ malo acciderunt, præteritis erroribus pœnitudinem gerat, & domini reconciliationem expostulet: quam facile omnis qui quæsierit inveniet, si in loco discordiæ plantata fuerit caritas, quæ cooperit multitudinem peccatorum; cumque potius, quam nos, in consilio non nostro, sed Dei attendatis, qui dixit: *Qui vos audit me audit: & qui vos spernit me spernit. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.*

Luc. 10. Matth. 10.

Capitula in synodo acta, quæ habita est apud Lauriacum in pago Andegavensi, anno" DCCCXLIII. *incarnationis domini nostri Iesu Christi, mense Octobri, indictione*" VII.

" f. DCCCXLIV
" f. VIII.

XIII.

Si quis publicus divinæ legis prævaricator, vel pro manifestis criminibus erga ecclesiastica justa & rationabilia judicia contemptor repertus fuerit, vel inflatus ac tumidus monitis ecclesiasticis ac sanctorum patrum constitutionibus contradictor vel subsannator comprobatus fuerit, si monitionibus episcopalibus obtemperare distulerit, anathematizetur.

XIV.

Si quis contra regiam dignitatem dolose ac callide ac perniciose satagere comprobatus fuerit, nisi dignissime satisfecerit, anathematizetur.

XV.

Si quis potestati regiæ, quæ non est, juxta apostolum, nisi a Deo, contumaci ac inflato spiritu, contra auctoritatem & rationem pertinaciter contradicere præsumpserit, & ejus justis & rationabilibus imperiis, secundum Deum, & auctoritatem ecclesiasticam, ac jus civile, obtemperare irrefragabiliter noluerit, anathematizetur.

XVI.

Quicumque superbiæ facibus accensi, vel protervia stomachati, hęc, quę pro sanctæ matris ecclesiæ tranquilitate, sacerdotalique rigore, & regia dignitate, a nobis unanimiter definita, manibusque propriis roborata sunt, violare, aut quolibet argumento irrumpere tentaverint, placet eos omnes anathematizari.

Ex capitulis apud Belvacum in synodo habitis.

XVII.

Vt res ecclesiasticæ tempore principatus vestri ablatæ ex integro præsentialiter restituantur, & restitutæ conserventur, sicut tempore avi & patris vestri fuerunt, & excepto superposito, quod ad usus possidentium absumptum est, quomodo tunc erant, quando vos illas inde tulistis, sine refragatione reddantur. Hinc enim in canone Aurelianensi scriptum est titulo XIII. Ne cui liceat res vel facultates ecclesiæ aut monasteriis, vel xenodochiis, pro quacumque eleemosyna cum justitia delegatas retentare, alienare, atque subtrahere. Quod si quis fecerit, tamquam necator pauperum, canonum antiquorum sententiis constrictus ab ecclesiæ liminibus excludatur, quamdiu ab ipso ea quæ sunt ablata vel retenta reddantur.

Vide supra pag. 1812. A. ubi pleraq; ex seqq. capitibus cõpendio perstricta sunt.

Concil. Aurelian. V. can. 5.

XVIII.

Vt præcepta illicita jure beneficiario de rebus ecclesiasticis facta a vobis sine dilatione rescindantur, & ut de cetero ne fiant, a dignitate vestri nominis regii caveatur.

XIX.

Vt ab ecclesiis vestræ ditioni subjectis indebitas consuetudines & injustas exactiones de cetero non exacteris; sed ita eas conservetis, sicut ordo docet canonicus, & tempore avi & patris vestri conservatæ fuerunt.

XX.

Et ne magnificentiam vestram illuc vestræ dignitati indecens & inhonesta impellat necessitas quo non trahit voluntas, & partim necessitate, partim etiam subreptione, quia aliter quam se rei veritas

ANNO CHRISTI 845.

tas habeat vobis dictum vel postulatum fuit, maxime quod ad rempublicam pertinuit, aut præreptione in benficiario jure, aut in alodio absumptum habetur, videtur nobis utile & necessarium, ut fideles & strenuos missos ex utroq; ordine per singulos comitatus regni vestri mittatis, qui omnia diligenter inbrevient, quæ tempore avi ac patris vestri, vel in regio specialiter servitio, vel in vassallorum dominicorum beneficiis fuerunt, & quid, vel qualiter, aut quantum exinde quisque modo retineat, secundum veritatem renuntietur vobis. Et ubi inveneritis, quia ratio & utilitas, ac ordo, seu veritas, in absumptis vel donationibus habeantur, in statu permaneant: ubi autem irrationabilitas vel potius fraus inventæ fuerint una cum consilio fidelium vestrorum hoc taliter corrigite, ut & ratio, atq; utilitas, seu justitia non deserantur, & dignitas vestræ magnificentiæ per necessitatem ita vilis non fiat, sicut vos non decere cognoscitur. Quoniam domestica domus vestra aliter obsequiis domesticorum repleri non poterit, nisi habueritis unde eis meritum rependere, & indigentiæ solatium ferre possitis: & sic demum respublica vestra de suo suffragetur sibi, & ecclesiæ a quibus non expedit habeantur immunes.

XXI.

...o part. 3. ...p. 227.

Vt precariæ & commutationes tempore viduatarum ecclesiarum factæ ab his qui loca episcoporum occupaverant rescindantur, & cum auctoritate ecclesiastica, vel civili, si faciendæ sunt, fiant.

XXII.

...q. 2. Pre... ...riæ a ne... ...ne.

Precariæ autem a nemine de rebus ecclesiasticis fieri præsumantur, nisi quantum de qualitate convenienti datur ex proprio, duplum accipiatur ex rebus ecclesiæ, in suo tantum qui dederit nomine, si res proprias & ecclesiasticas usu fructuario tenere voluerit. Si autem res proprias ad præsens dimiserit ex rebus ecclesiasticis triplum fructuario usu in suo tantum quis nomine sumat. Quia sic eas quemq; tractare oportet, ut alienarum dispensatorem, non propriarum largitorem. Et a nulla potestate quis cogatur facere precariam de rebus proprie Deo & sanctis illius dicatis, cum ratio & usus obtineat, neminem qui non vult contra utilitatem & rationem præstitum de proprio facere beneficium. Præcepta autem regalia super precariis ecclesiasticis fieri nec ratio sinit, nec auctoritas quolibet modo permittit. Quoniam præcepta in jure ecclesiastico firmare indignum judicet necesse est majestas regia, nisi ab ecclesiastico rectore petantur. Idem autem custos ecclesiæ solertissime caveat, ne sui ordinis & ecclesiasticæ communionis forte immemor, contra auctoritatem præceptum regium pro quacumque assentatione fieri petat: qui etsi fecerit non audiatur. Si autem & obtinuerit, regia discretione & episcopali judicio idem rescindatur, & petitor injustus pro principis injusta suggestione digne corripiatur: & precariæ secundum antiquam consuetudinem & auctoritatem de quinquennio in quinquennium renoventur.

ANNO CHRISTI 845.

XXIII.

Cap. 2 De rerum permutatione. Ivo part. 3. cap. 232.

Vt commutationes rerum ecclesiasticarum valde caveantur, & subtilissime, si aliquo modo fieri debent, inspiciantur. Quæ autem inconsulte sunt factæ, juxta decretum canonicum papæ Hilari, quæ illicite decessor episcopus admiserit, vel ab aliis illicite commissa sunt, ab eo qui successor est emendentur.

XXIV.

Vt contra deprædatores & oppressores ecclesiarum, & rerum ad easdem pertinentium, defensores secundum ministerium vestrum, quantum Deus posse dederit, existatis: & præcepta, quæ avus ac pater vester ecclesiis ditioni vestræ subjectis fecerunt ac firmaverunt, & stabilia conservaverunt, quæque vos confirmastis, de cetero rata in omnibus conservetis.

Capitula in synodo acta, quæ apud Meldensem urbem divino nutu habita est, anno incarnationis dominicæ DCCCXLV. XV. *Kalendas Iulias. indictione* VIII.

XXV.

1. *Tim.* 3.

Salubre decens esse cognoscitur, atque apostolicis regulis conveniens, ut non solum, secundum apostolum, domui suæ spiritaliter episcopus bene præsit, verum etiam & domum temporalem ordinatam & compositam, secundum competens ministerium suum, & de vicinitate ecclesiæ, & de convenientia religionis, & de receptione pauperum vel hospitum habeat: & ita sit ordinata, ut cuicumq; conversationem, & domos conversationis ipsius viderit, habitacula ea religionis valeat computare, non diversoria impudicitiæ, aut alicujus irreligiositatis, quæ castitati vel bonæ opinioni contraria sint vel efficiant, æstimentur.

XXVI.

Suggerendum est etiam, & ex divino mandato intimandum regiæ dignitati, ut episcopium, quod domus episcopi appellatur, qualiscumq; sit in oculis domini episcopus, ipse tamen a Rege regũ rex constitutus, pro sanctitate ordinis episcopalis, sicut sanctus Gregorius ad Fortunatum docet

ANNO CHRISTI 845.

docet episcopum, venerabiliter ac re- A verenter introeat, & secundum sanctam prædecessorum consuetudinem, quando orationis & debitæ susceptionis gratia in transitu convenienti civitatem ingressus fuerit, habitaculis episcopalibus reverenter inhabitet, & non diversoria feminarum magnificentia sua & religio venerabilis ibidem fieri permittat. Quia si secundum leges canonicas in mansiones clericorum introitus feminarum prohibentur, quanto magis domus episcopi ab hujusmodi inhabitatione & conversatione, etiam & a legitimo connubio B conjugatorum, debet immunis esse & aliena? Sed & immunitates præcedentium imperatorum ac regum ab hujusmodi longiori & diuturna conversatione & commoratione regum, & quorumcumque potentium ac sæcularium personarum, in episcopio prohibent. Quapropter & divinitus & humanitus sancitas divinas & humanas leges vestra devotio & dignitas observare curabit, si & in cælesti regno, & in terreno feliciter cupitis pro- C sperari.

XXVII.

Quia hactenus, propter diversas necessitatum incommoditates, aliter vos fieri incompetentia compulit, quam salubritas poposcisset, & honestas atq; utilitas postulassent, vestra studebit magnitudo obnixius observare, ut civitates per regis transitum non deprædentur: ut quando transitus vester juxta civitates acciderit, immunes & liberas vestra dominatio jubeat a deprædationum exactionibus fieri mansiones intra civitatem. Quia omnes qui sua ad civitates deferebant, ut & salva quæque ibi haberent & illa plus pacifice D venderent, jam & hoc refugiunt, & pristinæ immunitates & confirmationes infringuntur, dum & cives ab hospitibus opprimuntur, & ab his a quibus non solum opprimuntur, verum & deprimuntur, sua non solum vendere prohibentur, sed & propter direptionem post eos cum gemitu clamare coguntur.

XXVIII.

Vt regia magnificentia liberiorem libertatem episcopis ad suum peragendum in eorum parochiis ministerium, E quam hactenus propter diversas perturbationes habuissent, maxime in sacratissimis temporibus, quadragesimæ scilicet & adventus domini, tribuat: quatenus & periculum, & episcopi ipsi, & regia dignitas, salubrius pro ministerio sibi commisso & neglecto possint evadere, & pro strenue executo divinam misericordiam sibi conciliare prævaleant. Ipsi autem episcopi concessum sibi otium non in suas voluptates, sed in divinum & officiosum convertant negotium: quatenus studentes prædicationi, & correctioni, atque confirmationi, quod hactenus per parochias fuit neglectum, solerter & devotissime de cetero sit correctum & emendatum; & non propter suam inquietudinem episcopi ad remotiora loca secedentes, & suum ministerium negligentes, proprias deserant civitates; sed ut parochias suas cum officii efficacia circumeant, aut cum religione in suis civitatibus canonice cum suis filiis degant, & hospitalitate ornati, quæ jam pene propter diversas rapacitates annullata est, non solum in oculis domini propter obedientiam mandati divini reddantur conspicui, verum & bonum testimonium secundum sanctum acquirant apostolum. Presbyteros etiam sibi commissos, & doctrina & castitate, & sobrietate atque hospitalitate secundum eorum ministerium ornari compellant.

ANNO CHRISTI 845.

XXIX.

Vt quorumdam episcoporum reprehensibilis imo damnabilis consuetudo omnimodis corrigatur, qui plebes sibi creditas, aut raro, aut nunquam per seipsos, juxta ordinem euangelicum & apostolicum atque ecclesiasticum, visitant, cum dominus dicat: *Speculatorem dedi te domui Israel, & audies ex ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me*; & cetera quæ divinus sermo complectitur. Omnes etiam sacerdotes domini pia vigilantia fidem catholicam indagare, & subditos sibi cum mandatorum domini observantia, episcopi quique studiosissime docere contendant.

Burchard. lib. I. c. 84. Ivo part. 5. cap. 190.

Ezech. 3.

XXX.

Vt si quis de ordine sacerdotali, contemptu minoris ecclesię, ambitiose & improbe ad potiorem aspirare contenderit, canonica erga eum definitio conservetur.

7. quæst. 1. Si quis de ordine.

XXXI.

Vt metropolitanis sedibus antiquitus statuta jura serventur, & a comprovincialibus episcopis juxta regulas ecclesiasticas eis reverentia exhibeatur.

XXXII.

Vt principes, juxta decreta canonum, per singulas provincias saltem bis aut semel in anno a metropolitanis & diœcesanis episcopis synodice conveniri concedant: quia quęlibet confusio rerum temporalium dissolvere non debet collegium sacerdotum.

XXXIII.

Vt si quilibet episcopus, ad synodum vocatus, quacumq; occasione venire distulerit, nisi evidens impossibilitas præpedierit,

ANNO CHRISTI 845.

rit, salva censura ex hoc patrum auctoritate decreta, cesset ab officio, donec satisfaciat fratribus.

XXXIV.

Vt canonum statuta sine præjudicio ab omnibus custodiantur, & nemo in actionibus vel judiciis ecclesiasticis, suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur. In exponendis etiam vel prædicandis divinis scripturis, sanctorum catholicorum & probatissimorum patrum sensum quisque sequatur, in quorum scriptis, ut beatus dicit Hieronymus, fidei veritas non vacillet. Sed & qui in suis monasteriis religiose residere debent, & vocum novitates, & ut innotescant studio proferre satagunt, acerrime ut præsumptores arguantur & comprimantur.

XXXV.

Vt quisque episcopus talem juxta se pro viribus habere decertet, qui juxta sincerissimum & purissimum sensum catholicorum patrum, de fide & observatione mandatorum Dei, seu & prædicationis doctrina, presbyteros plebium assidue instruat & informet, ne domus Dei vivi, quæ est ecclesia, sine lucerna verbi divini remaneat. Sed & idem talis existat, quem amor pecuniæ non vexet, aut reprobi mores & conversatio reprehensibilis periculose devastet.

XXXVI.

Vt presbyteri nullatenus ubicumque hospitari sinantur, aut aliquo modo ipsi præsumant, sed assidue apud suas ecclesias esse studeant propter sacra mysteria vel ministeria fidelibus exhibenda. Nec alibi etiam habitare permittantur, neq; mulieres quacumque frequentationem habeant in locis, in quibus presbyteri aliquem recursum habuerint. Quod si observare parvipenderint, ita ut transgressores, & qui contra interdicta fecerint, judicentur.

XXXVII.

Vt quicumque ex clero esse videntur, arma militaria non sumant, nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus, & religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tamquam sacrorum canonum contemptores, & ecclesiasticæ sanctitatis profanatores, proprii gradus amissione multentur, quia non possunt simul Deo & sæculo militare.

XXXVIII.

Vt nullus deinceps veritatis episcopus super sacra jurare præsumat: quod mysterii causa sancti quæsierunt patriarchæ, & fecerunt. Non enim in hæsitatione & malitia exigentis, sed in caritate non ficta fides servatur. Quod qui transgredi ausu temerario præsumpserit, quolibet modo illectus, censuræ ecclesiasticę sine retractatione subjaceat.

XXXIX.

Vt multiplex juramentorum & perjuriorum confusio, per quam, multæ fidelium animæ in toto hoc regno perditæ esse noscuntur, quam sit detestanda & Deo odibilis, attentius omnibus annuntietur sicut ipse dominus ostendit, dicens: *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, ego dominus.* Tantum namq; hoc malum est, ut ad sanctuaria martyrum, ubi diversorum ægritudines sanantur, ibi perjuri, licet manifeste interdum vexari non videantur, justo Dei judicio a dæmonibus arripiantur, sicut sanctus dicit Gregorius: Ad horum corpora ægri veniunt, & sanantur, dæmoniaci veniunt, & curantur: perjuri veniunt, & a dæmonio vexantur.

XL.

Admonenda est regia magnitudo de hospitalibus, quæ tempore prædecessorum suorum & ordinata & exculta fuerunt, & modo ad nihilum sunt redacta. Sed & hospitalia Scotorum, quæ sancti homines gentis illius in hoc regno construxerunt, & rebus pro sanctitate sua acquisitis ampliaverunt, ab eodem hospitalitatis officio funditus sunt alienata. Et non solum supervenientes in eadem hospitalia non recipiuntur, verum etiam ipsi, qui ab infantia in eisdem locis sub religione domino militaverunt, & exinde ejiciuntur, & ostiatim mendicare coguntur. Vnde pertimescenda est canonica sententia, & maxime decretalis Symmachi papæ definitio, quia ut necator pauperum, & Christi traditor Iudas, idem qui hujus sceleris auctor & perpetrator esse dignoscitur, præsenti & perpetuo est anathemate feriendus. Qui reiculam, inquit Symmachus papa, vel quidquid fuerit ecclesiæ, petunt a regibus, & corrumpendæ pietatis instinctu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur, quæ obtinent, & a communione ecclesiæ, cujus facultatem auferre cupiunt, excludantur. Item in canone Aurelianensi: Si quis quolibet tempore contra hanc constitutionem nostram venire tentaverit, aut aliquid de consuetudine vel facultate xenodochii abstulerit, ut xenodochium, quod avertat Deus, esse desinat, ut necator pauperum irrevocabili anathemate feriatur.

XLI.

Providendum est regiæ majestati, ut monasteria, quæ ab hominibus Deum timentibus in sua proprietate constructa, prædecessores illius causa defensionis & mun-

Margin notes: [Hi]eron. in [ep]ist. ad [...]tam. — [Iv]o part. 5. [ca]p. 194. — [Iv]o part. 7. [ca]p. 184. — [2]3. q. 8. [Q]uicumq; [ex] clero. — Ivo part. 12 cap. 58. — Levit. 19. — Homil. 32. in euang. — Concil. Arvern. Can. 5. — Concil. Aurel. V. Can. 15.

ANNO CHRISTI 845.

deburdi susceperunt, ut libera libertate, remota spe hereditaria de illorum propinquitate, ibidem religio observaretur, & nunc in allodium sunt data, quapropter omnis exinde religio funditus est eversa: qualiter vota fidelium inconvulsa permaneant, ne voces eorum contra se ante Deum clamantes, adjuncto periculo de eorum perditione, qui in eisdem locis necessitate naufragantur, condemnabiles sentiat.

XLII.

Monenda est solertia regia, ut strenuos & fideles missos per regnum sibi commissum dirigat, & investigent, ac diligenter imbrevient res ecclesiasticas, quas per subreptionem atq; ignorantiam quorumcumque in allodium ipse aut pater suus donavit, & consulens periculo animarum, suæ videlicet ac patris sui, hoc ad tempus corrigere studeat, ne forte cum voluerit minime possit.

XLIII.

1. quæst. 7. Cavendum est, & summopere. Cavendum est, & summopere præcavendum, ac per virtutem Christi sanguinis interdicendum, & episcopis, & regibus, & omnibus sublimioribus potestatibus, atque cunctis fautoribus & electoribus quorumcumque, atque * consensoribus, seu ordinatoribus in gradu ecclesiastico, ut nemo per simoniacam hæresim regiminis locum obtineat quacumque factione, calliditate, promissione, seu commoditate, aut donatione per se, aut per emissam personam: cum Spiritus sanctus, inter cetera documenta ecclesiastica, per os sancti dicat Gregorii: Cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionē convertitur, qui ad hoc ut fiat hereticus promovetur? Et item: Ementes quippe atque vendentes par pœna constringit; cum liqueat hanc hæresim in ipsa sua origine apostolica esse detestatione damnatam Et apostolus docet: *Non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte.* Et item beatus Gregorius; Dolens, inquit, dico, gemens denuntio, quia sacerdotium, quod apud vos intus cecidit, foris diu stare non poterit. Item idem: Adversarius animarum callida specie suadet, quasi debere ab habentibus accipi, ut sit quod possit non habentibus erogari. sed scriptum est: *Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere.*

*censoribus. — Lib. 4. epist. 110. — Rom. 1. — Lib. 4. epist. 9. — Prov 21.

XLIV.

Ut chorepiscopus modum suum juxta canonicam institutionem teneat, & nec sanctum chrisma, nec sanctum paracletum Spiritum, solis episcopis juxta decreta Innocentii tribuere debitum, tradere tentet, nec ecclesias consecret, neque ecclesiasticos, qui per impositionē manus tribuuntur, id est, non nisi usque ad subdiaconatum, & hoc jubente episcopo, & in locis quibus canones designant, agere præsumant. Impositioni autem pœnitentiæ, aut pœnitentium reconciliationi, per parochiam secundum mandatum episcopi sui inserviat. Si vero civitatis episcopus obierit, nihil ex episcopali ministerio specialiter episcopis debito attentet: quia ex hoc magnum scandalum, & divisionem rerum ecclesiasticarum, atq; dilationem in canonice ordinandis episcopis, Dei ecclesiis accidisse conspeximus. Nam si episcopus civitatis propter desidiam, aut sæcularem pervagationem, vel propter infirmitatem, modum suum chorepiscopis transcendere consenserit, sententiam canonicam debet attendere, qua decretum est, ut qui contra dicta canonum fecerit, gradus sui periculo sine retractatione subjaceat.

D. 3.

ANNO CHRISTI 845.

XLV.

Ut nemo episcoporum, vel quilibet minister ecclesiasticus, propter sacrum chrisma aliquid muneris accipiat, neque denarios, vel qualibet munuscula, quæ per ministros episcoporum a presbyteris inordinabiliter exiguntur. Decet tamen presbyteros, cum voluntariis eulogiis tempore congruo visitare & venerari suos episcopos. Ivo part. 1. cap 271.

XLVI.

Ut nemo sacrum chrisma, nisi in quinta feria majoris septimanæ, id est in cœna, quæ specialiter appellatur dominica, conficere præsumat.

XLVII.

Ut nemo vivente episcopo ecclesia millius, aut res ad eam pertinentes invadere, aut dominari præsumat: neque sub voluntariæ cleri ac populi electionis obtentu, præter voluntatem episcopi, quisquam, quacumque sæculari potestate præditus, quasi œconomum constituat. Sed si episcopus ministerium ecclesiasticum propter infirmitatem corpoream exhibere non potuerit, in archiepiscopi hoc, cum voluntate episcopi ejusdem ecclesiæ, maneat ordinatione, qualiter debitum officium non remaneat. Obsequium vero ad rempublicam pertinens qualiter exequatur, per tales ex subditis & ecclesiasticis ministris, cum consensu archiepiscopi propter pacis caritatisque custodiam, episcopus ordinet ac disponat, quos succedendi in episcopatu appetitus indebitus non elevet, neque vexet; nisi ita moratus extiterit, ut secundum instituta beati Gregorii in libro epistolarum, & humiliter in subditione profit, & post viriliter conveniens sanctis regulis præsit: quia ob hoc in multis ecclesiis scandalum

ANNO CHRISTI 845.

lum magnum conspeximus. Sin autem in archiepiscopo talis necessitas acciderit, similiter ipse consilio episcoporum suorum hujusmodi ordinationem exhibeat.

XLVIII.

ro part. 1. ap. 109 Vt nemo presbyterorum baptizare præsumat, nisi in vicis & ecclesiis baptismalibus, atq; temporibus constitutis, nisi causa ægritudinis, vel certæ necessitatis, sicut sacra canonum docet auctoritas; & vici auctoritatem, & privilegia debita & antiqua retineant.

XLIX.

o part. 6. p. 219. Tim. 2. Vt nemo laicorum presbyteros ecclesiarum suarum turpi villicationi, & secundum apostolum, sæculari & inhonestæ negotiationi implicare, nec secum aliorsum contra auctoritatem præsumat ducere, quo ministerium sibi commissum cogantur negligere. Quod si contra interdicta præsumpserit, excommunicetur.

L.

Vt presbyteri, vel quilibet clerici, in alterius parochia sine formata non recipiantur, neque retineantur, nec etiam ministrare sinantur. Criminati autem ab omnibus excludantur & rejiciantur a parochiis, in quibus cupiunt immorari, usquequo ad eum revertantur episcopum, a quo aufugisse noscuntur.

LI.

part. 6. 217. Qui cum senioribus suis de alijs provinciis ad nostras parochias veniunt, sine formata ministrare non permittantur. quam etsi attulerint, & ministrare idonei inventi fuerint, instruantur quam religiose atque studiose sacrum ministerium D peragant, & in quibus locis illud agere non debeant, & ut excommunicatis nequaquam communicent. Clerici vero, si ab hujusmodi hominibus ad ordinandum offeruntur, instrui debent, ut ad episcopos, ex quorum parochiis sumpti sunt, eos remittant, & aut ibi ordinentur, aut literas canonicas ab episcopo, ex cujus diœcesi sunt, perferant, sicut canonica docet auctoritas.

LII.

part. 6. 24. Qui vero ex nostris parochiis, aut ad E titulum, aut absolute, ordinari petuntur, nullatenus ordinentur, nisi aut in clero certo & religioso, vel etiam in civitate, saltem uno anno immorentur, ut de vita & conversatione atque doctrina illorum certitudo poscit agnosci. nc. Cal- d. can. 6. Et nemo absolute quemquam ordinare præsumat, sicut sancti sanxerunt canones.

LIII.

Vt canonici in civitate vel monasteriis, sicut constitutum est, in dormitorio dor- A miant, & in refectorio comedant, & in domo infirmorum necessario subleventur: & tam sani quam infirmi canonice vestiantur, atque in claustris horis congruis degant, & sub custodia canonica lectionibus & ceteris divinæ institutionis insistant officiis. Qui vero episcoporum loci convenientiam aut facultatem non habuerit, ut hoc perficere & ordinare possit, princeps secundum constitutionem domni imperatoris Ludovici annuat. Id est, si vicina episcopio terra de eadem B ecclesia esse reperta fuerit, & ab alio possidetur, ecclesiæ rectori ad claustra clericorum, vel alia quælibet ecclesiæ commoda facienda reddatur. Si autem de fisco fuerit, regia liberalitas eamdem terram ad servorum Dei habitacula construenda largiri dignetur. Si autem de alia casa Dei, aut de cujuslibet proprio fuerit, ex convenientia commutandi licentia tribuatur; & si paupertas loci ad ædificandas domos necessarias non suffecerit, eos ad adjutorium ædificandi potestas regia co- C gat, qui res de eadem ecclesia in beneficiis retinent.

LVI.

Vt titulos cardinales in urbibus vel suburbiis constitutos episcopi canonice & honeste sine retractatione ordinent & disponant.

LV.

Vt episcopi seipsos, atque ministros suos, & maxime ecclesiasticos, cunctosque Christianos in sua parochia, perpendentes ex hoc statuta Nicæni concilii, & ceterorum conciliorum, ab usuris sine excusatione compescant: & quos compescere aliter non potuerint, canonicam in eos sententiam proferant. Nicæn. con. c. 18

LVI.

Vt nemo episcoporum quemlibet sine certa & manifesta peccati causa communione privet ecclesiastica. Anathema autem sine consensu archiepiscopi, aut coepiscoporum, prælata etiam euangelica admonitione, nulli imponat, nisi unde canonica docet auctoritas: quia anathema æternæ est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illi qui aliter non potuerit corrigi. 11. quæst. 3. Nemo episcoporum.

LVII.

Vt monachi, quibus monasteriorum cura commissa non est, passim & sine auctoritate palatium non adeant, nec in eo immorentur, vel ubi & ubi discurrere ac pervagari acephali præsumant: sed si tales quilibet fuerint, ut utiles & necessarii ecclesiæ ac principi reperiantur, cum auctoritate episcopi canonice ac religiose pergant. Sin autem, in monasteriis suis, sicut canonica & regularis docet institutio, religiose resideant. Quos etiã nec episcopus,

ANNO CHRISTI 845.

pus, nec abbas, vel quilibet alius veredariorum more in missaticis instanter transmittat: quia per quosdam illorũ contra canonicam auctoritatem & ecclesiastica & civilia perturbantur negotia. Nec sub prætextu obedientiæ diutius villicationibus inserviant: sed regulariter obedientiam in vicissitudine sua peragentes, secum, ut de sancto Benedicto legitur, in monasterio habitent, atque seipsos recolligant. Hæc autem transgredientes, sive prælati in favendo, sive subditi in obtinendo, excommunicentur.

Greg. lib. 1. dial. cap. 3.

LVIII.

Canonicorum autem, qui in parochiis tonsurantur & erudiuntur, interdum etiam & ordinantur, sine auctoritate dignitas regalis in suum periculum non dignetur recipere, præsertim cum eos salubriter & auctoritative possit habere. Quapropter cum quilibet canonicorum ad regiam venerit majestatem, & suo se voluerit mancipare servitio consensu episcopi, ad cujus diœcesim pertinere dignoscetur, eum recipiat. Et si in ordine clericali eum promoveri voluerit, manus ipsius impositione ad ecclesiasticum ordinem sancti Spiritus munere, si dignus fuerit, consecretur: quatenus & divina auctoritas vigeat, & regalis dignitas obsequatur, & salus ordinantis, & ordinati, atque jubentis, in omnibus observetur. Alioqui hæc statuta transgredientes canonicæ subigantur sententiæ.

LIX.

Ut monachus de monasterio, sine consultu vel præsentia episcopi, aut vicarii ejus, ad hoc regulariter deductus non ejiciatur: cujus dispositione & auctoritate de cetero vita & conversatio ejecti, ne perditus perpetuo fiat, si aliquo modo salvari potest, ordinari debet atque decerni.

LX.

Ut hi qui monasteria, atque sacrata loca, vel ecclesias infringunt, & deposita, vel alia quælibet, exinde abstrahunt, & sacerdotes ac viros ecclesiasticos non solum dehonorant, verum & diverso atque adverso modo affligunt, velut sacrilegi, canonicæ sententiæ, quæ ex his decreta esse dignoscitur, subigantur.

LXI.

Ivo part. 14. cap. 86.

Ut pervasores rerum ecclesiasticarum, qui easdem res vel contra auctoritatẽ non solum retinere, verum & crudeliter depopulari noscuntur, quidam etiam & facultates ecclesiæ in diversa collaboratione & reditibus eas expoliant, devastant, & opprimunt, ut rapaces, qui secundum apostolum regno Dei excluduntur, ex criminali & publico peccato publica pœnitentia satisfaciant. Quod si hoc agere noluerint, & potestate regia ad hoc exhortati vel coacti non fuerint, proferatur contra eos apostolica terribilis sententia qua dicitur: Si quis frater nominatur, & est rapax, cum hujusmodi nec cibum quisquam præsumat sumere: quia iniquum & sacrilegum, ut Symmachus papa, & post eum beatus Gregorius Sabino subdiacono scribit, & contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studiis suis tentaverit compendiis retinere. Quapropter secundum statuta canonum, ab omni ecclesiastica communione ut sacrilegus debet arceri, donec studeat digna satisfactione quod admisit corrigere.

1. Cor. 6. 1. Cor. 5.

LXII.

Hi vero qui ex rebus ecclesiasticis nonas & decimas persolvere, & sarta tecta ecclesiæ secundum antiquam auctoritatem & consuetudinem restaurare debent, & hoc non solum negligunt, verum & per contemptum dimittunt, atque clericos fame ac penuria, ecclesiastica quoque ædificia dissolutione annullari permittunt, tamdiu ab ecclesiastica communione separentur, usque dum diligentia emendare studeant quod socordia neglexerunt. Quod si iterum iteraverint, post excommunicationis satisfactionem, regia potestate compulsi, juxta legale & antiquum dictum: Qui negligit censum perdit agrum. Servi autem ecclesiarum, quibuscumque potestatibus subditi, unde melior consuetudo, vel devotior commendatio ex tempore & jussione domni Ludovici, vel certe domni Caroli, sive etjam Pippini non existit, saltem viginti diebus in anno, eidem ecclesiæ ad reficiendas ipsius ruinas absq; molestia servire sinantur. Ubi autem & amplior commendatio, & melior consuetudo inde habetur, pro hac nostra necessitudinis consideratione non decidat.

LXIII.

Ut secundum canonicam auctoritatem, & constitutionem domni imperatoris Ludovici, de agro ecclesiastico & manso, ac mancipiis, quæ ipse suis capitulis constituit, vel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus ecclesiæ fuerit, neque de decimis & oblationibus fidelium, cuiquam presbyteros aliquem censum persolvere cogat, nec quisquam cujuslibet ordinis vel dignitatis exinde quidquam subtrahat, aut redhibitionem quamcumq; exigat temporalem. Quod si fecerit communione usque ad satisfactionem privetur, & regia potestate hoc emendare legaliter cogatur.

Ivo part. 3. cap. 56.

LXIV.

ANNO CHRISTI 845.

LXIV.

Raptores virginum & viduarum, qui etiam postea voluntate parentum eas quasi desponsantes sub dotalitii nomine in conjugium duxerunt, publicæ pœnitentiæ subigantur, & post publicam pœnitentiam, prout prævideri episcopus, peractam, ne in pejus corruant, iterum convenientes de cetero eleemosynis & ceteris quibusque religiosæ & salvificæ conversationis actionibus inservire procurent, usquequo ab opere conjugali ex consensu se valeant abstinere. Filii vero ex hujusmodi vituperabili conjunctione ante conjugium etiam minus laudabile procreati, ad ecclesiasticam dignitatem nullo modo provehantur: nec de tali conjugio generati ecclesiasticis ordinibus applicentur, nisi forte eos, aut maxima ecclesiæ utilitas vel necessitas postulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet.

LXV.

Hi autem qui necdum eas quas rapuerant, cum voluntate parentum, sub præfato desponsionis vel dotalitii nomine, in conjugium sumptas habent, quando in omnium aures hæc fuerit constitutio promulgata, ab earum conjunctione separentur, & publicæ pœnitentiæ subigantur: raptæ autem parentibus legaliter restituantur. Post peractam vero publicam pœnitentiam, si ætas & incontinentia exegerit, legitimo & ex utrisque partibus placito conjugio socientur. Nam in his non regulam constituimus, sed, ut verbis magni Leonis utamur, quid sit tolerabilius æstimamus. Quod si unus ex conjugatis obierit, is qui publicam pœnitentiam egit, & superstes extiterit, iterare conjugium non præsumat, nisi forte episcopus prævideri aliquam concedere indulgentiam, ut graviorem possit amovere offensam.

LXVI.

Quicumque vero deinceps rapere virgines vel viduas præsumpserint, secundum synodalem beati Gregorii diffinitionem, ipsi & complices eorum anathematizentur, & raptores sine spe conjugii perpetuo maneant.

LXVII.

Qui sanctimoniales virgines vel viduas rapiunt, & progressu etiam criminis in conjugium sumunt, publicæ pœnitentiæ, juxta modum, quem prævideri episcopus, subigantur. Ipsæ vero locis congruis pœnitentiæ retrudantur, & ad habitum religionis redire cogantur; uterque autem sine ulla spe uxoriæ copulationis perenniter maneant. Si autem, quod absit, conjugia iterare præsumpserint, acriori

A subdantur vindictæ, & amplius propellantur. Qui si forte obedire monitis salutaribus noluerint, anathematizentur.

LXVIII.

De his qui sponsas alienas rapiunt, vel consensu parentum accipiunt, antiqua & synodalis sententia observetur. Quod etsi forte in ecclesia eventus talis reperiri dignoscitur, ut pro salutis & religionis competentia humanius quiddam debeant tractare pontifices, sicut canoni-
B ca, ut eisdem verbis utamur, docet auctoritas: quia prior quidem, inquiens, definitio durius, posterior autem quiddam tractavit humanius, nullo modo ut ad maximam indulgentiam descendamus, alterius sponsæ acceptor sine publica transeat pœnitentia, & sponso legaliter multam componat. Quod si his obedire renuerit, sine ulla refragatione anathematizetur: fautores vero illius, juxta modum culpæ, episcopali decreto pœniteant. Si vero, quod non optamus, quis de gradu ecclesiastico talibus nuptiis se consensorem
C vel interventorem manifeste prodiderit, a gradu proprio repellatur. Et si verisimilibus exinde suspicionibus fuerit propulsatus, & canonice nequiverit approbari, secundum sanctorum patrum statuta se purgare cogatur.

LXIX.

Is qui vivente marito conjugem illius adulterasse accusatur, & eo in proximo defuncto eamdem sumpsisse dignoscitur, omnimodis publicæ pœnitentiæ subigatur: de quo etiam post pœnitentiam præfata si expedierit servabitur regula; nisi
D forte idem aut mulier virum qui mortuus fuerat occidisse notentur, aut propinquitas, vel alia quælibet actio criminalis impediat: quod si probatum fuerit, sine ulla spe conjugii cum pœnitentia perpetuo maneant. Si autem negaverit se eamdem feminam vivente marito nequaquam adulterasse, & præfati homicidii nemo eorum reus extiterit, & probatis testibus neuter eorum convinci potuerit, purgent legaliter famam suæ opinionis, & sumpto utantur conjugio, si alia, ut diximus, non
E præpedit ratio.

LXX.

Ut illæ quæ quasi sanctimoniales sub velamine religionis degere cognoscuntur, sed potius juxta apostolum in deliciis viventes mortuæ in divinis oculis computantur, libidinibusque, & ceteris carnis voluptatibus inservire accusantur, si manifeste detegi potuerint, episcopali auctoritate & regia potestate in talibus locis residere sub testimonio religioso cogantur, ubi pœnitentiam si fecerint dignam, assequantur etiam fructuosam. Si

Margin notes: [LXIV] ...æst. 7 ... conju... ; [LXV] ...part. 8. ...177. ...quæst. 2. ...autem ...lum ; [LXVI] ...part. 8. ...171. ...egor. II. ...n. Rom. ...o. & 11. ; [LXVII] ...part. 7. ...p. 170. ; [LXVIII] Ivo part. 8 cap. 170. ; [LXIX] Ivo part. 8. cap. 201. ; [LXX] 1. Tim. 5.

ANNO CHRISTI 845.

Si autem manifeste detegi non valuerint, erga ecclesiam suæ opinionis malam famam legaliter purgare cogantur, & ut religiosius de cetero vivant, episcopali decreto & regia potestate coerceantur.

LXXI.

Ut auctoritatem sigillo regio roboratam more tractoriæ Christianissimus princeps singulis donet episcopis, quam quisque episcoporum penes se habeat, ut quando ei necesse fuerit, per eamdem auctoritatem reipublicæ ministros conveniat, ut ipsi, in quibuscumque civili indiguerit adjutorio, reipublicæ ministris concurrentibus, suum, imo divinum, possit rite peragere ministerium.

LXXII.

Ivo part. 3. cap. 221. Ut nemo quemlibet mortuum in ecclesia, quasi hereditario jure, nisi quem episcopus, aut presbyter pro qualitate conversationis & vitæ dignum duxerit, sepelire præsumat. Nec quisquam ossa cujuslibet mortui de sepulcro suo ejiciat, aut sepulturam cujusquam temerario ausu quoquo modo violet: sed unumquemque in loculo sibi a Deo præparato atque concesso adventum sui judicis præstolari concedat; maxime, cum non solum divinæ leges, sed etiam & humanæ apud humanam rempublicam sepulcrorum violatores reos mortis dijudicent. Sed & neque pro loco sepulturæ, ut verbis sancti Gregorii utamur, precium de terra concessa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium, aliquo modo tentet. Si quando autem proximi, vel heredes, sponte aliquid offerre in ecclesia voluerint in eleemosynam defuncti, accipere non vetamus: peti vero, aut aliquid exigi, omnino prohibemus; ne, quod valde irreligiosum est, aut venalis, quod absit, ecclesia dicatur, aut de humanis mortibus videamur gratulari, si compendium exinde studemus modo quolibet quærere. (Lib. VII. indict. 2. epist. 55.)

LXXIII.

Ut erga Iudæos a Christianis principibus, ac ceteris omnibus Dei fidelibus, tam clericis, quam laicis, viris seu feminis, sacrorum canonum, & antiquorum regum atque legum jura serventur; ex quibus pauca de multis subter annotare curavimus.

Interpr. l. 1. Cod. Theo. Ne Christ. manc. *Constantinus Flavius imperator Augustus.* Si quis Iudæorum Christianum servum, vel cujuslibet alterius sectæ, emerit & circumciderit, a Iudæi ipsius potestate sublatus, in libertate permaneat.

Valent. III. constitutio cap. 5. *Theodosius & Valentinianus Augustius.* Iudæis vel paganis causas agendi vel militandi licentiam denegamus: quibus Christianæ legis nolumus servire personas, ne occasione dominii sectam venerandæ religionis immutent. Omnes igitur

A personas erroris infausti jubemus excludi, nisi his emendatio matura subveniat. *Item iidem imperatores Augusti.* Hac victura in omne ævum lege sancimus, neminem Iudæum ad honores & dignitates accedere, nulli administrationem patere civilis obsequii, nec defensoris saltem fungi officio. Nefas quippe credimus, ut supernæ majestati & legibus Romanis inimici, sub specie cujuslibet officii, Christianos, vel etiam sacerdotes, sub quacumque occasione injuriis audeant fatigare, vel legis nostræ aliquos aut condemnare aut adjudicare præsumant; nec carcerali custodiæ præsint, ne Christiani, ut fieri assolet, nonnunquam abstrusi custodum odiis alterum carcerem patiantur. B Nullam denuo audeant struere synagogam: nam si fecerint, noverint hanc fabricæ ecclesiæ catholicæ profuturam; & quinquaginta pondera auri auctores fabricæ esse multandos ruinas tantum synagogarum suarum permissa licentia reparandi. Quicumque Iudæus servum, seu ingenuum, invitum vel suasione plectenda ex cultu Christianæ religionis in nefandam sectam ritumve traduxerit, amissis facultatibus capite puniatur, justissimæ pœnæ sanguinis destinatus, qui fidem alterius expugnavit perversa doctrina. Quicumque ex his ad honores irrepsit, habeatur ut ante conditionis extremæ, ne videamur hominibus execrandis contumeliosum immunitatis beneficium præstitisse. (ANNO CHRISTI 845. Novella 3. Theodosii de Iudæis, &c.)

[1] *Childebertus rex Francorum.* Iudæis a cœna C domini usque in primum pascha per plateas aut forum, quasi insultationis causa, deambulandi licentia denegetur.

Gregorius papa Theodorico & Theodeberto regibus Francorum & Brunechildæ reginæ: Mirati sumus, quod in regno vestro Iudæos Christiana mancipia possidere permittitis. Quid enim sunt omnes Christiani, nisi membra Christi? *Et post pauca.* In hoc vos amplius petimus Dei cultores demonstretis, quod fideles ejus ab inimicis ejus absolvitis. *Item idem ad Fortunatum episcopum:* Christiana, inquit, mancipia, quæ a Iudæis adducuntur aut possidentur, aut mandatoribus contradantur, aut certe Christianis emptoribus intra diem quadragesimum venumdentur, & D transacto hoc dierum numero, nec apud eos quolibet modo remaneant. Si autem quædam ex iisdem mancipiis talem ægritudinem fortassis incurrerint, ut intra statutos dies vendi non valeant, adhibenda solicitudo est, ut, dum saluti fuerint pristinæ restituta, similiter modis omnibus distrahantur, & inde fraudis tollatur cuncta occasio, ne Christiana mancipia in domo Iudæi habitare sinantur. (Lib. 7. epist. 113. & 114. — Lib. 7. epist. 35.)

Sanctus Avitus ecclesiæ Viennensis episcopus, & sanctus Apollinaris ecclesiæ Valentinæ, & sanctus Gregorius Lingonicæ ecclesiæ episcopus, & sanctus Viventiolus ecclesiæ Lugdunensis episcopus, cum aliis viginti episcopis in nomine domini congregatis, ita sanxerunt: Si superioris loci clericus hæretici cujuscumque convivio interfuerit, anni spatio E ecclesiæ pacem non habebit: quod juniores clerici si præsumpserint, vapulabunt. A Iudæorum vero conviviis etiam laicos constitutio nostra prohibuit: nec cum ullo clerico nostro panem comedat, quisquis Iudæorum convivio fuerit inquinatus. (Conc. Epaon. Can. 15.)

Sanctus Cæsarius ecclesiæ Arelatensis cum aliis triginta quinque episcopis: Omnes, inquiunt, deinceps clerici, sive laici, Iudæorum convivia evitent, & nec eos ad convivium quis excipiat: quia cum (Concilium Agath. Can. 40.)

ANNO CHRISTI 845.

cum apud Christianos cibis communibus non utantur, indignum est atque sacrilegum eorum cibos a Christianis sumi, cum ea, quæ apostolo permittente nos sumimus, ab illis judicentur immunda: ac sic inferiores incipiant esse catholici, quam Iudæi, si nos illis, quæ ab eis apponuntur, utamur, illi vero a nobis oblata contemnant.

Concilium Matisc. I. can. 13.

Priscus ecclesiæ Lugdunensis episcopus, Artemius Senonicæ, Remedius Bituricæ, & sanctus Syagrius Æduorum episcopus, cum ceteris pluribus, statuta ecclesiastica renovantes, ita definierunt: Ne Iudæi Christianis populis judices deputentur, aut telonarii esse permittantur, per quod illis, quod Deus avertat, Christiani videantur esse subjecti. Vt Iudæis a cœna domini usque primum pascha, secundum edictum bonæ recordationis domni Childeberti regis, per plateas aut forum, quasi insultationis causa, deambulandi licentia denegetur. Et ut reverentiam cunctis sacerdotibus domini, vel clericis impendant, nec ante sacerdotes consessum, nisi ordinati habere præsumant. Quod si facere fortasse præsumpserint, a judicibus locorum, prout persona fuerit, distringantur. Et ut nullus Christianus Iudæorum conviviis participare præsumat. Quod si facere quicumque, quod nefas est dici, clericus aut sæcularis præsumpserit, ab omnium Christianorum consortio se noverit coercendum, quisquis eorum impietatibus fuerit inquinatus. Et licet quid de Christianis, qui aut captivitatis incursu, aut quibusdam fraudibus, Iudæorum servitio implicantur, debeat custodiri, non solum canonicis, sed & legum beneficiis jampridem fuerit constitutum: tamen quia nunc ita quorumdam querela exorta est, quosdam Iudæos per civitates, aut municipia consistentes, in tantam insolentiam & proterviam prorupisse, ut nec reclamantes Christianos liceat vel ad precium de eorum servitute absolvi: idcirco præsenti concilio sancimus, ut nullus Christianus Iudæo deinceps debeat deservire; sed datis pro quolibet bono mancipio duodecim solidis, ipsum mancipium quicumque Christianus, seu ad ingenuitatem, sive ad servitium, licentiam habeat redimendi: quia nefas est, ut quos Christus dominus sanguinis sui effusione redemit, persecutorum vinculis permaneant irretiti. Quod si acquiescere his quæ statuimus quicumque Iudæus noluerit, quamdiu ad pecuniam constitutam venire distulerit, liceat mancipio ipsi cum Christianis ubicumque voluerit habitare. Illud etiam specialiter sancientes, quod si quis Iudæus Christianum mancipium ad ritum Iudaicum convictus fuerit persuasisse, & ipso mancipio careat, & legali damnatione plectatur.

Ibidem can. 14. Ibidem can. 15. Ibidem can. 16.

Concilium Aurel. III. can. 30. Lugdunensium

Sanctus Lupus Trecassenorum episcopus, & cum eo alii viginti & quatuor episcopi, vel vicarii episcoporum, similiter in nomine domini nostri Iesu Christi congregati, pro causis corporis ejus, quod est ecclesia, inter multa hoc etiam statuerunt: Quia Deo propitio sub catholicorum regum dominatione consistimus, Iudæi a cœna domini usque in secundam sabbati in pascha, hoc est ipso quatriduo, procedere inter Christianos, neque catholicis populis se ullo loco, vel quacumque occasione, miscere præsumant.

Can. 37. & 38.

In concilio Laodiceno statutum est, quod non oporteat a Iudæis, vel hæreticis, ea quæ mittuntur munera festiva suscipere, nec cum eis festa celebrare. Et quod non oporteat a Iudæis azyma accipere, & communicare impietatibus eorum.

A *Et in alio concilio.* Vt si quis Iudaicæ pravitati jugali societate conjungitur, id est, si seu Christiano Iudæa, sive Iudæo Christiana mulier carnali consortio misceatur, quique horum tantum nefas admisisse noscuntur, a Christiano cœtu atque convivio & a communione ecclesiæ protinus segregentur.

Concilium Arvern. Can. 16.

Ex concilio Toletano IV. cap. LVIII. De his qui contra fidem Christi Iudæis munus vel favorem præstant. Tanta est quorumdam cupiditas, ut quidam eam appetentes, juxta quod ait apostolus, etiam a fide erraverint. (1. Tim. 6.) Multi quippe B hucusque ex sacerdotibus atque laicis accipientes a Iudæis munera, perfidiam eorum patrocinio suo fovebant; qui non immerito ex corpore antichristi esse noscuntur, quia contra Christum faciunt. Quicumque igitur deinceps episcopus, sive clericus, sive sæcularis, illis contra fidem Christianam suffragium vel munere vel favore præstiterit, ut profanus & sacrilegus anathema effectus, ab ecclesia catholica, & regno efficiatur extraneus: quia dignum est ut a corpore Christi separetur qui inimicis Christi patronus efficitur.

Item in eodem concilio cap. LX. De filiis Iudæo- C *rum, ut a parentibus separati Christianis debeant deputari.* Iudæorum filios vel filias, ne parentum ultra involvantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus, deputandos autem monasteriis, aut Christianis viris ac mulieribus Deum timentibus, ut sub eorum conversatione cultum fidei discant, atque in melius instituti, tam in moribus, quam in fide proficiant. Vt mercatores hujus regni, Christiani sive Iudæi, mancipia pagana, quæ per tot populos & civitates fidelium transeuntes ad manus infidelium & sævissimorum hostium nostrorum perducunt, ex quo & ipsi infelices servi, qui si a Christianis emerentur, poterant salvari, miserabiliter pereunt, & inimicorum regni maximus numerus D augetur, coerceantur a piis principibus nostris, & intra Christianorum fines vendere compellantur: ne tam horrenda crudelitate, & aperta infidelitate, & animarum damnis Deus exasperetur, & vires hostibus augeantur.

LXXIV.

Provideant viri potentes, & maxime potentes feminæ, ut in suis domibus adulteria, & luxuriæ concubinaticæ, & incesta adulteria non vigeant. Et suos presbyteros, qui cum eis in capellam vadunt, hujusmodi virtutem habere faciant, quatenus omnia vitia in domibus suis resecent, & orationem dominicam ac symbolum E cunctos tenere & frequentare compellant; quia parochiani presbyteri, & episcoporum ministri, de minoribus & vilioribus personis hoc providere studebunt.

LXXV.

Indignum valde est, ut qui in regia dignitate ceteros ecclesiæ filios auctore Deo præcellitis, negligentius quæ Dei sunt exequi videamini. Vnde dignum erat, ut capellas villarum vestrarum laicis non committeretis; sed potius illis qui & eadem sacrata loca religiosius tractarent, & vobis exinde adjuti obsequium debitum impenderent. Sed quia aliter causis inter-

venientibus res se habere dignoscitur, monemus & hortamur, ut secundum canonicam auctoritatem, ne, quod absit, periculum interdicti anathematis ex decimis præsumptis incurratis, si capellas vestras presbyteris, aut viris ecclesiasticis dederitis, & dominicas decimas acceperint, sarta tecta ecclesiæ & luminaria exinde competenter provideant, & presbyteri parochianas decimas accipiant, & populi necessitatibus debite invigilent. Si autem laici capellas habuerint, a ratione & auctoritate alienum habetur, ut ipsi decimas accipiant, & inde canes aut geniciarias suas pascant. Sed potius presbyteri ecclesiarum eas accipiant, & inde restaurationem ecclesiarum, & luminaria, & hospitum ac pauperum receptionem exhibeant, & pro vobis ac statu regni vestri domini misericordiam studiose implorent.

LXXVI.

Vt regia majestas observare præcipiat omnibus reipublicæ ministris, quod a divina auctoritate & sanctorum patrum constitutione cautum esse dignoscitur: videlicet ut nemo comitum, aut quisquam ex judiciaria potestate, post quartam feriam, quæ caput jejunii nominatur, in qua omnes pœnitentes manus impositionem ad vacandum solummodo pœnitentiæ & divinis officiis accipiunt, placitum aut mallum tenere præsumant.

LXXVII.

Dies quoque octo sacrosanctæ paschalis festivitatis omnibus Christianis feriatos esse decernimus, ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynæceo, cæmentario, pictorio, venatorio, forensi, mercatorio, audientali, ac sacramentis exigendis; quatenus eisdem diebus tanto licentius, quanto liberius, omnibus Christianis sanctæ resurrectionis laudibus, & sacrosanctæ prædicationi jugiter insistere liceat. Quod si quis temerare præsumpserit, excommunicetur.

LXXVIII.

Vt capitula ecclesiastica a domno Carolo magno imperatore, nec non & a domno Ludovico pio Augusto promulgata, obnixe observari præcipiantur, sicut & legalia observanda esse noscuntur.

LXXIX.

Hæc autem constituimus, non præjudicantes aut parvipendentes quæ a majoribus & prædecessoribus nostris forte severius propter rigorem ecclesiasticæ disciplinæ sunt constituta: sed tempori servientes, & fragilitati delinquentium, fisi de multimoda Dei misericordia, si saltem his obedire voluerint, consulentes, præscripta taliter præfiximus, ut quicumque quæ a divino spiritu per pontificalē auctoritatem & regiam majestatem promulgata & prolata atque confirmata sunt, contumaci atque rebelli animo contraire præsumpserit, si ecclesiastico ordine qualibet persona fuerit honorata, synodali auctoritate gradus proprii amissione multetur: si autem in sæculari habitu qualibet potestate vel dignitate fuerit sublimata persona, honore, quo in republica fruitur, sine retractatione a regia majestate privetur, & insuper exilii vel afflictionis cujuslibet, prout ordo ecclesiasticus, & regalis severitas decreverit, ultione plectatur.

XXC.

Vos simul cum istis & aliis Dei ac vestris fidelibus nos atque socios nostros in episcopali auctoritate rogastis, ut propter Deum & nostrum ministerium, juxta cognitas necessitates, verum consilium secundum Deum & secundum sæculum invenissemus: quod & fecimus, juxta quod dominus inspirare dignatus est, & vestræ Christianæ devotioni verbis & scriptis protulimus. Quod si illud pleniter & in omnibus adimplere potestis, sicut verbo & scripto vobis ex divino mandato innotuimus, Deo agimus gratias. Si autem vultis, & adhuc non potestis, quanto plus perfectioni approximaveritis, gaudemus. Vt autem capitula quæ domino mediatore communiter decrevistis, & manu propria confirmastis, & nunc observatores vos verbis promisistis, opere pleniter conservetis & adimpleatis, nunc etiam admonemus. De sponsis quoque aliorum deinceps, quæ quo modo accepistis: quia de hoc quod in præterito actum est, maximam indulgentiam, confisi de Dei multimoda & maxima largitate atque longanimitate, propter quorumdam fragilitatem reperimus. Et capitula patris vestri sine refragatione de cetero conserventur, ac capitulis vestræ religioni ab exiguitatis nostræ ministerio oblatis hoc diploma si complacet annectatur. Nos autem Dei judicio sui ab illo vicarii constituti, juxta ministerium nostrum & reverendam auctoritatem, nisi impossibilitas aut quæcumque contradictio præpedierit, & in locis Deo dicatis, & in eorumdem locorum inhabitantibus, atque in ceteris quibuscumque divinæ religionis obsequiis, prout dominus velle, scire, & posse donaverit, ut ipsius voluntas & jussio adimpleatur, pro viribus decertare studebimus.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI, S. I.

1 *Concilium Meldense.*] Huic concilio, ut præfatio docet, adfuere metropolitani Vvenilo Senonensis, & Hincmarus Rhemensis cum suffraganeis suis: Rodulfus item archiepiscopus Bituricensis; ceteri vero episcopi per literas aut legatos. Ab his canones primum ex proxime habitis synodis collecti XXIV. tum alii conditi LVI. Ita in

ANNO CHRISTI 845.

universum concilii Meldensis canones sunt XXC Qui supra hunc numerum in vulgatis editionibus adjecti sunt canones octo, iidem sunt cum capitulis octo proximæ synodi Belvacensis: quorum excerpta cum supra jam posita fuerint canone XVII. & sequentibus, frustra hoc loco integra repeterentur. Quare velut temere ab antiquariis addita omittenda censuimus.

2 *Childebertus rex.*] Hujus edicti mentio fit in concilio Matisconensi I. canone XIV. Tunc autem editum fuisse videtur, cum in concilio Aurelianensi III. Childeberti regis temporibus celebrato, id ipsum de Iudæis canone XXX. statutum est

3. *Lupus Tricassenorum episcopus*] Atqui Lupus, qui præfuit concilio III. Aurelianensi, de quo agitur non Tricassinus, sed Lugdunensis fuit episcopus. Quod mirum est synodi hujus episcopos non animadvertisse.

NOTÆ SEVERINI BINII, S. I.

a *Concilium*] Causa habiti concilii hæc est: reges Francorum res ecclesiasticas laicis hominibus possidendas tradiderant, eaque re Deum optimum sacrilegii vindicem acerrimum gravissime offenderant. Quod cum Galliæ episcopis innotuisset, ad divinam indignationem avertendam, Deique misericordiam provocandam, illi hoc Meldense concilium collegerunt; in quo ante omnia iniquitatem temporum hominumque fidelium mores corruptissimos deplorarunt, causamque malorum omnium, quibus hoc tempore universa Gallia a Northmannis aliisve barbaris nationibus infestabatur, sacrilegio regum Francorum attribuerunt Quam ut plane e medio tollerent, pro rebus ecclesiæ conservandis plurima decreta ediderunt, ipsumque Carolum regem inter alia admonuerunt, ut capitula a Carolo Magno atque a Ludovico collecta observari præcipiat. Hæc capitula Ansegisus quidam primum collegit, quatuorque libellis distinxit. Post illum Benedictus Levita monitu hujus concilii ea quæ deerant conquisivit tribusque aliis libris digesta tribus regnantibus filiis Ludovici hisce, Lothario, Ludovico & Carolo obtulit & dicavit. Hæc capitula auctoritate sedis apostolicæ confirmata esse fatetur in sua præfatione Benedictus Levita, constatque (ut supra dixi) ex multis capitulis. Quare libenter eadem hic apposuissem, nisi magna ex parte supra excusa haberentur, plurimæque earum civiles potius leges quam ecclesiasticæ constitutiones essent. Separatim edita sunt Parisiis anno domini 1588. apud Claudiũ Chappelet cum hac inscriptione: *Caroli Magni & Ludovici Pii Christianissimorum regum & imperatorum Francorum capitula, sive leges ecclesiastica & civiles ab Ansegiso abbate & Benedicto Levita collecta libris septem, qui nunc primum in lucem integre eduntur,* &c Decreta hujus concilii a Carolo rege non sunt recepta; quamquam in gratiam Hincmari, quem plurimum diligebat, recens creati Rhemensis episcopi, ea quæ ab illa ecclesia jam ante abstulerat, pro virili, ut videre est apud Frodoardum lib. 3. Rhem. hist. cap. 40. restitui procuraverit. Principes regni sacris episcoporum admonitionibus & decretis vehementer restiterunt, quia abbatias aliasque res ecclesiasticas a rege Carolo in beneficium acceperant. Quas ne dimittere cogerentur, magna importunitate apud regem egerunt, ne cunctos ille canones in hoc Meldensi concilio sancitos acciperet; sed paucos dumtaxat, aliis rejectis, ex ipsis suscipiendos esse decerneret. Cumque rex magis comitibus quam Dei sacerdotibus auscultaret, magno damno totius regni contigit, ut novis Northmannorum incursionibus regnum Deus affligi permiserit, coactusque fuerit iniquissimas ab hostibus propositas leges suscipere, qui a patribus sancte pieque statutas recusavit accipere. Hoc inscriptio illa, quæ grandiusculis literis novemdecim capitulis ad finem capitularium librorum post quartam additionem præfixa reperitur., his verbis attestatur: *Hæc quæ sequuntur capitula excerpta sunt a domno Carolo domni Ludovici imperatoris filio, & principibus ejus, ex capitulis quæ anno 846 ediderant episcopi in synodis, Vvenilo scilicet cum suffraganeis suis, Gunthaldus cum suffraganeis suis, Vrsmarus cum suffraganeis suis, Hincmarus cum suffraganeis suis,"* (margin: Amolo.) *Amalo cum suffraganeis suis: & oblata sunt eidem principi, sicut ipse jusserat, collecta ad relegendum in Sparnaco villa Rhemensis ecclesiæ. Et quia factione quorumdam motus est animus ipsius regis contra episcopos, dissidentibus regni sui primoribus ab eorumdem episcoporum admonitione & remotis ab eodem concilio episcopis, ex omnibus illis capitulis hæc tantum observanda & complacenda sibi collegerunt, & episcopis scripta tradiderunt dicentes: Non amplius de eorum capitulis acceptasse, quam ista, & ista se velle cum principe observare.* Capitula illa novemdecim, quæ ibidem subjunguntur, ex hoc Meldensi concilio sunt desumpta.

b *Meldense.*] Sic dictum a Meldis. Hæc synodus Meldis anno 845. inchoata, Parisiis anno sequente absoluta fuit, vel saltem illos canones quos Meldis constituerat, sequente anno in synodali patrum consessu novo Parisiis promulgavit, ut patet ex præfatione concilii circa finem.

ANNO CHRISTI 846. " 847.

CONCILIUM PARISIENSE,

IN QUO ABSOLUTA SUNT QUÆ IN SYNODO Meldensi perfici non potuerant, Parisiis (ut est in præfatione synodi Meldensis) celebratum die XVI. Kalendas Martias, anno Christi DCCCXLVI. "

" Imo vero seq. DCCCXLVII. si more Romano numerare velis, ut docet vel indict. x. Vide tom. VIII. p. 39. B. & pagin. 160. D.

HUIC synodo præter metropolitanos qui ad synodum Meldensem convenerant, interfuit etiam cum episcopis provinciæ suæ Guntbaldus Rhotomagensis archiepiscopus, ut docet præfatio ejusdem synodi Meldensis. Idque etiam liquet ex subscriptionibus privilegii quod monasterio Corbeiensi Radberti abbatis rogatu ab hac synodo confirmatum est. subscribit enim cum aliis Guntbaldus. Privilegii autem exemplar est hujusmodi:

PRIVILEGIUM ELECTIONIS & libertatis monasterio Corbeiensi confirmatum in synodo Parisiensi.

ANNO ab incarnatione domini nostri Iesu Christi DCCCXLVI. " indictione x. regnante per provincias Galliæ gloriosissimo atque serenissimo principe Carolo, jam divisione regni ac pace cum fratribus, Hlothario scilicet & Hludouvico regibus confirmata, convenientibus nobis Galliarum episcopis ex regio præcepto Parisius, ut super his quæreremus quæ in ecclesiis Dei, tam propter civilis belli transactam violentiam, quam & ob inertiam prælatorum atque subjectorum, longe jam secus quam dignum est geruntur; nec non cujus rei gratia pestis atque lues tamdiu in populo grassantur, qui etiam modus atque status secundum institutionem patrum sanctarum ecclesiarum esse deberet; quæve privilegia antiquitus tradita conservari deberent. Inter cetera venerabilis frater noster Radbertus abbas Corbeiensis monasterii obtulit nobis sacras literas piissimorum principum, Hludouvici videlicet bonæ memoriæ piissimi imperatoris ac Hlotarii filii ejus, quibus cautum est, ut ipsum monasterium, secundum antiquum morem jam inde a principio custoditum, electionis gratiam & rerum suarum dispensationis libertatem haberet, cum omni integritate, tam nostris quam futuris temporibus. Insuper & auctoritatem atque consensum præcellentissimi atque nobilissimi regis Caroli protulit, qui & idem monasterium, secundum morem prædecessorum suorum, quasi jure hereditario in sua familiaritate ac defensione ab exordio regni sui favente domino suscepit, & veluti munus revera Deo gratissimum, inter diversos turbines causarum, ut tranquillitate precipue ordini eidem congruente potiretur, Deo devotissime obtulit, suisque sacratissimis literis promulgavit. Petiit itaque a nobis, quo ea quæ sacris literis piissimorũ principum confirmata fuerant, nostra quoque auctoritate ex voluntate principis confirmarentur. Quod & nos justum, & ordine nostro dignum esse censuimus, tam pro reverentia Dei, qui ipsum locum protegit atque provehit, quam & propter munus pastorale gregis Christi susceptum: nec non & ob eorum dilectionem, qui

" Gallicana servatur hic numerandi ratio non a Kal. Ian. sed ab incarn. vel paschate: quod plerosque incautos in fraudem trahit. Neque enim duo sed unum dumtaxat Parisiense concilium, neque sub Leone IV. sed vivente adhuc Sergio II. celebratum.

ANNO CHRISTI 846. 847.

ipso in loco laudabiliter domino hactenus famulantur. Nam, sicuti comperimus, ipse locus venerabilis, Balthilde regina a Hlothario filio suo impetrante, a sanctis viris fundatus est, & sacræ religionis normam, quam primo tempore suscepit, inviolatam deinceps retinuit: intantum ut eos qui se fundaverunt nō modo æquaverit religione, sed etiā pene superaverit. Qua de causa & nobilissimi viri in eodem loco ad Dei servitium sponte confluxerunt, & eumdem locum tam nobilitate sua, quam & vitæ merito decoraverunt. Unde factum est ut ipse locus familiarior dominis rerum fieret: adeo ut sub sua tutela reges atque reginæ eum susciperent. Sed quia nostris temporibus omnia fere depravata erant, cernentes religiosi viri ejusdem loci electionis jura multis in locis non servari, verentes similia pati, sacras literas clementissimorum principum expetierunt, electionem sibi, & rerum suarum liberam dispositionem juxta institutionem divinæ legis confirmantes. Nec eas sufficere arbitrati, ex nutu nobilissimi atque præstantissimi regis, nostra quoque auctoritate sibi eadem postulaverunt confirmari. Quod nos non immerito concessimus. Primo quia patres & defensores ecclesiæ esse debemus. Deinde quia nisi pro talibus invigilaverimus, rei fore ante conspectum divinæ majestatis pertimescimus. Quocirca monemus atque hortamur filios ac dominos nostros piissimos principes, nostri pariter & futuri temporis, quia pene in omnibus locis id confunditur, saltim propter amorem & reverentiam Dei & servorum ejus debitam dilectionem, insuper & regni sui prosperitatem atque augmentum & electionis gratiam, & liberam dispositionem facultatum suarum illi loco conservare satagant; & sit in illo monasterio semper privilegium electionis, sicuti antiquitus in ecclesiis electio conservata fuit, non supposita, aut suffecta, sed libera, juxta auctoritatem canonicam, & regulam sancti Benedicti. Quod si aliquando contigerit, ut rector aliquis in eodem loco non digne Deo vivat, aut forte minus officiosus circa principem sit, hoc statuimus, ut si ille propter suam negligentiam depositus fuerit, electio illis intemerata permaneat: videlicet ut eligant alterum, quem ad illud officium secundum monasticam disciplinā aptum invenerint. Non enim justum ut unius culpa super omnes redundet; neque ullo pacto rectum esse potest, ut uno peccante super omnes vindicta consurgat, aut causa unius ecclesia Christi sua privilegia perdat: sed sic unius culpa resecanda est, ut omnibus qui in eodem loco sunt, & venturi sunt, consulatur. In ipsa porro electione regularis auctoritas conservetur; id est, ut ille præponatur sanctæ congregationi, quem non multitudinis electio commendaverit; sed quem sanioris consilii, licet pauci numero, fratres elegerint, & quem vitæ meritum, & sapientiæ dignitas probabilem reddiderit. Quod si aliquando contigerit, ut aliquis pervasor, imo lupus ovilis dominici, aut pecunia more Simonis, aut qualibet gratia, apud dominos rerum monasterium illud impetrare voluerit: primo secundum canonicam auctoritatem, quia sæculari potestate ecclesiam Dei obtinere voluit, anathematizamus una cum omnibus sanctis patribus qui sacros canones edidere: quo non minus nostra, nobis misericordissima gratia Dei collata, obligetur auctoritate, quam & omnium præcedentium patrum, qui pro stabilitate sanctæ Dei eccle-

A siæ hujusmodi decreta protulerunt. Deinde inferimus, quia servorum Dei contubernium turbare voluit, exturbet illum sicuti Achan de terra viventium, si tamen non cito resipuerit. Si autem & impetraverit, neque hic, neque in futuro societatem cum sancta Dei ecclesia habeat, quam infami satis exemplo contaminavit. Imo chorus omnium ecclesiarum contra eum indesinenter concrepet, qui dixit: Hereditate possideam sanctuarium Dei. Deus meus pone illum ut rotam, sicut stipulam ante faciem venti: sicut ignis qui comburit silvam: sicut flamma comburens montes, & cetera quæ sequuntur. Et quia cupiditate ductus etiam pecuniam ac substantiam servorum & pauperum Christi invadere & asportare voluit, una cum Iuda sacræ pecuniæ dilapidatore, & proditore domini nostri Iesu Christi, maledictiones illas, quæ in eum prolatæ sunt, excipiat; utpote invasor gregis Christi, & necator pauperum. Præterea si filii nostri domini rerum eis qui hæc nunc forte machinantur, aut quandoque tentabunt, aspiraverint, semel & secundo tertioque vel amplius admoniti, si non se correxerint, similiter eos obligationis sententia & hic & in futuro adstringat; nisi se contra eum qui rex regum & dominus dominantium, per veram satisfactionem & emendationem congruam correxerint. Et ut hoc filii ac domini nostri, quoniam Dei & ecclesiæ sanctioni adversum est, facere formident, canonica auctoritas quid de his in uno & in quamplurimis capitulis statuat annectimus. Ita enim sancitum est: Si quis dederit vel acceperit oblata præter episcopum, vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandā misericordiam pauperibus; & qui dat, & qui accipit, anathema sit. Hæc ergo persecuti sumus, quo filii & domini nostri, & quod agere debent faciant, & his qui patrum auctoritatem violare non verentur resistant; ne sibi perpetuam obligationem imponant, neque sibi subjectis scandalum offensionis generent. Manifestum quippe est, quod qui acquiescit male postulanti, & sibi animadversionis divinæ pondus inducit, & ei cui connivet justi & perpetui judicis iram imponit. Quod ne fiat monemus, hortamur, & rogamus, ut filii & domini nostri, & hæc quæ statuimus illibata conservent, & nulli profano ausu ecclesiam Dei temerare volenti consensū, aut nunc aut in futuro præbeant; quatenus non solum iram districti judicis evadant, verū etiam coronam perpetuæ vitæ, & Davidici illius felicissimi & sempiterni regni gloriam consequantur. Sed & eos, quorum gratia hæc omnia loquimur & facimus, videlicet præclara & preciosissima membra, æterni regis & salvatoris omnium monemus, quatenus eodem affectu, religioni suæ continuam devotionem adhibeant, quo nos eorum & utilitati consulimus, & tranquillitati in futuro hac in causa deservimus. Videlicet ut tales esse studeant ante oculos judicis omnia cernentis, quales in oculis omnium videntur esse & creduntur: ut nos ecclesiasticis negotiis occupatos oratione & merito Deo commendent, & dominis ac filiis nostris omnipotentis Dei propitiationem obtinere possint. Quo non modo illis perpetua facultatum suarum potestas, & electionis gratia permaneat; sed etiam triumphus gloriæ sempiternæ post functionem vitæ præsentis illos excipiat. Et ut hæc quæ sanximus in præsenti, & in futuro tempore inviolata permaneant, nostræ manus subscriptione quæ superius comprehensa sunt corroboravimus.

Psal. 82.

Concilium Gangr. Can. 8.

ANNO CHRISTI 846. 847.

vimus. Successores quoque nostros monemus A atque obsecramus, quo pro amore Christi zelo Dei succensi invigilent adversum insidiatores & fures ovilis dominici, eosque repellant; & quidquid firmavimus, & ipsi confirment, tam auctoritate sancti euangelii & sanctorum patrum, quam & sua eis clementissima gratia a salvatore omnium attributa, veluti & nos illius loci tranquillitatem & profectum diligentes, eum qui hoc privilegium temerare voluerit, secundum institutionem canonum anathematizamus, atque ab omni consortio sanctorum segregamus: si tamen non resipuerit, & per veram satisfactionem se correxerit. Obsecramus etiam fratres & coepiscopos nostros per adventum domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum; sed & religiosos abbates, qui ad hanc sanctam & beatam synodum occurrerunt, in quorum manus hujus privilegii a nobis editi & corroborati pagina pervenerit, sua auctoritate & subscriptione hoc confirmare non differant.

SVBSCRIPTIONES.

Hincmarus sanctæ metropolis ecclesiæ Rhemorum episcopus, hoc privilegium episcopali auctoritate ratum decernens, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti confirmavi.

Herpuinus indignus Silvanectensis episcopus C huic privilegio episcopali auctoritate stabilito in nomine sanctæ Trinitatis subscripsi.

Guntbaldus sanctæ metropolis ecclesiæ Rothomagensis episcopus hoc privilegium relegi, atque episcopali auctoritate ratum decernens, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti confirmavi.

Simeon sanctæ Laudunensis ecclesiæ episcopus huic privilegio auctoritate episcopali assentiens subscripsi.

Rothadus sanctæ Suessionensis ecclesiæ præsul huic privilegio auctoritate pontificali assentiens subscripsi.

Theodericus sanctæ Camaracensis ecclesiæ D episcopus huic privilegio auctoritate episcopali assentiens subscripsi.

Irminfridus sanctæ Bellovacensis ecclesiæ episcopus huic privilegio auctoritate episcopali assentiens subscripsi.

Vvenilo sanctæ Senonicæ metropolitanæ ecclesiæ episcopus hoc privilegium relegi, atque episcopali auctoritate ratum decernens, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti subscripsi.

Fulcoinus Tarvanensis ecclesiæ indignus episcopus huic privilegio auctoritate episcopali assentiens subscripsi.

Helias Carnotensis episcopus hoc privilegium relegi, atque episcopali auctoritate ratum fieri dignum duxi.

Raginarius sanctæ Ambianensis ecclesiæ episcopus huic privilegio auctoritate pontificali assentiens subscripsi. E

Prudentius sanctæ Trecassinæ ecclesiæ indignus episcopus huic privilegio auctoritate episcopali assentiens subscripsi.

Aldricus Cenomanensium episcopus.

Agius indignus episcopus Aurelianensis ecclesiæ huic privilegio auctoritate episcopali stabilito subscripsi.

Erchenradus Parisiensis ecclesiæ episcopus privilegio episcopali auctoritate stabilito subscripsi.

Freculfus Lexoviensis ecclesiæ episcopus episcopali auctoritate ratum decernens, in nomine Patris, &c.

Saxobodus Sagensis ecclesiæ episcopus hoc decretum consensi & subscripsi.

Immo Noviomagensis ecclesiæ indignus episcopus hoc privilegium consensi & subscripsi.

Erluinus gratia Dei Constantiæ episcopus hoc privilegium consensi.

Baltfridus Bajocensis ecclesiæ episcopus, &c.

Ludovicus monasterii preciosissimorum martyrum Christi Dionysii ac sociorum ejus abbas privilegium hoc relegi, ratumque decernens. &c.

Radbertus ipsius monasterii abbas privilegium B hoc relegi, ratumque habui.

Adalgarius abba monasterii sanctæ Crucis.

Arnaldus abba sancti Carilefi.

ANNO CHRISTI 847.

CAPITVLA EXCERPTA IN VILLA SPARNACO.

HÆC QVÆ SEQVVNTVR CAPITVLA excerpta sunt a domno rege Carolo & principibus ejus ex capitulis quæ anno DCCCXLVI. ediderant episcopi in synodis, Vvenilo scilicet cum suffraganeis suis, Vrsmarus cum suffraganeis suis, Hincmarus cum suffraganeis suis. Et oblata sunt eidem principi, sicut ipse jusserat, collecta ad relegendum in Sparnaco villa Rhemensis ecclesiæ. Et quia factione quorumdam motus est animus ipsius regis contra episcopos, diffidentibus primoribus regni sui ab eorumdem episcoporum admonitione & remotis ab eodem concilio episcopis, ex omnibus illis capitulis hæc tantum observanda & complacenda sibi collegerunt, & episcopis scripta tradiderunt, dicentes non amplius de eorum capitulis acceptasse quam ista, & ista velle cum principe observare.

COMMEMORATIONES CAPITVLORVM.

I. *De honore & cultu ecclesiarum.*

II. *De honore episcoporum, & veneratione servorum Dei.*

III. *De justitiis.*

IV. *Vt cautela fiat erga eos qui causa juventutis aut insipientiæ in aliquo fallunt, sive contemnunt admonitionem episcoporum, ne subito aut incaute damnentur anathemate.*

V. *De his qui contra regiam potestatem contumaces esse moliuntur.*

VI. *De precariis.*

VII. *De hospitalibus.*

VIII. *De rapacib[us].*

IX. *Vt episcopis tempus congruum observetur ad ministerium suum peragendum.*

X. *Vt clerici arma militaria non contingant.*

XI. *Vt missi dirigantur, qui inquirant si præcepta a nobis de rebus ecclesiarum ad proprium sint facta.*

XII. *De hæresi simoniaca.*

XIII. *Vt a nullo sedes episcopalis proprio infirmante episcopo usurpetur.*

XIV. *Vt canonici infra dormitorium dormiant.*

XV. *Vt monachi ad palatium non veniant nisi causa obedientiæ exceptis abbatibus.*

XVI. *Vt laici decimas de ecclesiis non contingant.*

XVII. *De sanctimonialibus contra auctoritatem nuptis.*

XVIII. *De sponsis aliorum.*

XIX. *De sepulturis infra ecclesiam.*

Pleni-

ANNO CHRISTI 846. 847.

Plenitudo autem capitulorum, quæ in plenitudine synodalium actionum habentur, unde hæ commemorationes excerptæ sunt, ita per loca continentur.

1. De honore & cultu Dei atque sanctarum, &c. *Synodi Meldensis cap.* 1.
2. Sacerdotes ac servi Dei vigorem ecclesiasticum, &c. *Synodi Meldensis cap.* 1.
3. Quia vero debitum esse cognoscimus, &c. *Synodi Meldensis cap.* 3.
5. Si quis potestati regiæ, quæ non est juxta, &c. *Synodi Meldensis cap.* 15.
11. Et ne magnificentiam vestram illuc, &c. *Synodi Meldensis cap.* 20.
6. Vt deprecariæ & communicationes tempore, &c. *Ibidem cap.* 21. 22. 23.
8. Vt contra deprædatores & oppressores, &c. *Synodi Meldensis cap.* 24.
9. Vt regia magnificentia liberiorem, &c, *Synodi Meldensis cap.* 28.
10. Vt quicumque ex clero esse videntur, &c. *Synodi Meldensis cap.* 37.
7. Admonenda est regia magnitudo, &c. *Synodi Meldensis cap.* 40.
12. Cavendum est & summopere præcavendum, &c. *Synodi Meldensis cap* 43.
13. Vt nemo episcopo vivente ecclesiam, &c. *Synodi Meldensis cap.* 47.
14. Vt canonici in civitate & monasteriis, &c. *Synodi Meldensis cap.* 53.
4. Vt nemo episcoporum quemlibet sine certa, &c. *Synodi Meldensis cap.* 56.
15. Vt monachi quibus monasteriorum cura, &c. *Synodi Meldensis cap.* 57.
16. Hi vero qui ex rebus ecclesiasticis, &c. *Synodi Meldensis cap.* 62.
17. Qui sanctimoniales virgines vel viduas, &c. *Synodi Meldensis cap.* 67.
18. De his qui sponsas alienas rapiunt, &c. *Synodi Meldensis cap.* 68.
19. Vt nemo quemlibet mortuorum in ecclesia, &c. *Synodi Meldensis cap.* 72.

NOTA IACOBI SIRMONDI, S. I.

Edita fuerant integra primum a Petro Pithœo sub finem capitularium, tum a nobis tit. VI. capitularium Caroli Calvi. Hoc loco satis habuimus post commemorationes singulorum initia indicare, quia plenitudo ipsa in concilio Meldensi continebatur. Plenitudinem appellat integrum exemplar. Optatus lib. 1. adversus Parmenianum de synodo agens Cirtensi Donatistarum: *Harum*, inquit, *plenitudinem rerum in novissima parte istorum libellorum ad implendam fidem adjunximus.*



APPENDIX



APPENDIX AD TOMUM VII. CONCILIORUM.

ADDITIO AD CAPITULARE THEODULFI EPISCOPI AURELIANENSIS,

Quod extat supra, pag. 1136.

Hæc & sequens additio edita est in supplementis concil. Gall. ex cod. Bigotiano.

DILECTISSIMI fratres, sanctissimi consacerdotes, & nostri ministerii adjutores, obsecro vos supplici animo in præsentia Domini nostri Jesu Christi & sanctorum ejus, ut digni Deo in omni religione caritatis & castitatis deserviatis, & sitis populo Dei doctores & ductores in omni exemplo bono, ut populus Dei * utrumque & per vestram sanctam conversationem & devotam prædicationem erudiatur in laudem & in gloriam sancti nominis Domini nostri Jesu Christi, & in salutem sempiternam animarum vestrarum. Conversamini coram Deo & coram omni populo in castitate corporis vestri, & humilitate animæ vestræ, & sancta caritate ad omnes, nihil facientes unde sacerdotium sanctitatis vestræ reprehensibile fiat, nec aliquid in vestra reperiatur vita, quod juste a quolibet detrahi possit. Sint mores vestri sine cupiditate mala, sine avaritia, sine comessatione & ebrietate, sicut decet sanctos Dei sacerdotes, qui populo Dei præesse debent & gubernare ecclesias Christi. Discite fidem catholicam, prædicate diligentissime, & eam populo prædicate unusquisque in ecclesia vestra, & facite officia vestra in Dei omnipotentis honore statutis temporibus, ut Deus omnipotens honorificetur, & nomen ejus sanctum ab omnibus laudetur, qui vos vident honorifice facere sacerdotium vestrum & servitium omnipotentis Dei.

* *f.* utrinque

Digne prædicate populo, ut confessionem faciant peccatorum suorum, & pœnitentiam accipiant: qualiter a Deo remissionem habere non possunt delictorum suorum, nisi puram faciant confessionem & pœnitentiam justam: & abstineant se a peccatis quæ ante fecerunt, quia hæc est vera pœnitentia & certissima indulgentia, ut iterum eadem non faciat homo delicta pro quibus veniam poposcit. Abstineant se a fornicatione: & qui fœminas habent, legitime temporibus statutis eis utantur, & honorifice habeant fœminas suas, & sic fidem castitatis conservent uxoribus, sicut velint quod uxores suæ illis custodiant. Filios vel filias, quos habent, erudiant illos in timore Dei, & in sanctitate sua, ut non sint fures, nec latrones, nec fornicatores, nec alias quaslibet immunditias faciant in corpore suo ad implendam libidinem: ut sint obedientes parentibus suis in omni bono, ut digni sint benedictionem accipere a Domino. Et prædicate omnibus, veritatem amare, benignos esse ad pauperes peregrinosque & miseros, de substantia quam illis dederit Deus: non solum aliena non accipiant, sed etiam sua benigne tribuant, si velint benedictionem Dei habere: non falsum testimonium dicant, ne perjuria faciant, quia falsos testes & perversos Deus damnat in æternum. Et ammonete eos, ut faciant fideliter quæcumque dominis suis debeant facere, in omni labore & opere quod injunctum sit eis: ut sæpius ad ecclesias veniant, maxime festivis diebus, ad orationem, ad audiendum verbum Dei, & non otiosis verbis ibi maneant in orationem: puram & sanctam habeant humilitatem inter se, & patientiam, & caritatem, quæ est totius boni caput & firmamentum.

f. ut orationem p. & f. habeāt, hum. i. l. &c.

Prædicate eis quod est unus Deus omnipotens creator cæli & terræ, qui in filio suo Domino nostro Jesu Christo mundum redemit, regnumque cælorum omnibus fidelibus aperuit, in quo judicaturus est mundum. Prædicate illis de futuro judicio, de pœnis impiorum perpetuis, confessionem & pœnitentiam facere de peccatis suis, vel eadem dimittere peccata. Nominate illa peccata quæ beatus Paulus doctor gentium enumeravit, dicens: *An nescitis, quoniam iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare, quoniam neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque ebriosi, neque maledici, neque perjuri, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Qui vero hæc vel his similia agunt, si confiteri & pœnitentiam agere negligunt, æternis tormentis & flammis cum diabolo condemnabuntur. Qui vero regnum Dei intrare cupiunt, faciant justitiam, misericordiam, veritem, benignitatem, obedientiam, necnon & eleemosynam prout habent facultatem: jejunia quoque, & orationes exerceant, habentes caritatem Dei omnipotentis, & bonum facientes omni homini, prout possint. Vivant in castitate, & pie-

1. Cor. 6.

APPENDIX TOM. VII

pietate, in humilitate, & obedientia, & fide bona, & confidant in Dei misericordia, ut indulgeat illis omnia delicta sua, & æterna gaudia illis perdonare cum sanctis suis dignetur.

Hæc, sanctissimi sacerdotes Christi, ad æternam vitam cum sanctis episcopis & apostolis convocati prædicate populo, & vosmetipsos dignos facite in omni religione & castitate, in conspectu omnipotentis Dei, quatenus concedat vobis cum multiplici laboris vestri fructu æternæ beatitudinis gloriā recipere. Omnipotens Deus vos proficere faciat in omni opere bono, dilectissimi fratres.

ADDITIO ALTERA

AD CAPITULARE
Theodulfi episcopi Aurelianensis.

A

B

SAncitum, ut Missæ, quæ per dies Dominicos, peculiares sacerdotibus fiunt, ne ita in publico fiant, ut populus eas audire queat, & prætetea a publicis Missarum solenniis, quæ hora tertia canonice fiunt, se abstrahat. Nam pessimum usum quidam in hoc habent, quando in diebus Dominicis, sive in aliis solennibus diebus, Missas, licet pro defunctis, sive alias quascumque, quæ familiariter a sacerdotibus fiunt, audire respiciunt: & a primo mane per totum diem, ebrietatibus, comessationibus atque vaniloquiis, potius quam Deo, deserviunt. Propterea providendum est, ut omnes ad publicam sanctam matrem ecclesiam, ad Missarum solennia, & prædicationem audituri, conveniant.

C

Simul & hoc statutum est, ut in civitate, in qua episcopus constitutus est, omnes presbyteri, & populi, tam civitatis, quam & suburbani, revestiti, in ipsa Missa usque ad benedictionem episcopi, & communionem, devota mente stare debeant: & postea, si voluerint, cum licentia ad suos titulos benedictione & communione percepta revertantur. Et hoc summopere cavendum est sacerdotibus, ut per oratoria, neque per suburbana monasteria, vel ecclesias suburbanas, Missas nequaquam, nisi tam caute, ante secūdam horam, foribusque reseratis, celebrare præsumant, ut populus a publicis solennitatibus, tali occasione accepta, a Missa sive a prædicatione episcopi se minime subtrahere possit; sed omnes tam sacerdotes suburbani, quam & in urbe constituti, & populus cunctus, ut prædiximus, una cum illis ad publicam Missarum celebrationem conveniant, & nulli, extra parvulos & infirmos, licet Missam auditam habeant, tam in civitatibus, quam & in parochiis, edere & bibere præsumant ante publicum peractum officium. Si quis hæc statuta transgredi tentaverit, canonico judicio usque ad satisfactionem subdatur.

D

ANNO CHRISTI 798.

CONCILIUM AQUISGRANENSE,
In quo agitur de construendo Romæ monasterio sancti Pauli.

Anno Christi DCCXCVII. Caroli M. regis, XXIX.

E

Ex supplementis concil. Gall.

M*Emoratur id concilium in brevi chronico ex codice monasterii sancti Dionysii in Francia ad annum 797. his verbis.* Carolus rex, *inquit*, ad Aquispalatium habuit concilium cum episcopis, abbatibus, monachis, de cœnobio S. Pauli, qualiter constituere deberet. Et in ipso anno perrexit in Saxoniam, & ibidem hiemavit. *De quo etiam construendo monasterio egerat ipse Carolus antea cum Hadriano & Leone pontificibus Romanis, ut patet ex epistola ejusdem Caroli ad Angilbertum abbatem.*

ADDITIO AD CONCILIUM AQUISGRANENSE.

Editum p. 1051.

Anno Christi DCCXCIX. Caroli M. regis XXXII. celebratum.

CONFESSIO FIDEI FELICIS
Orgelitanæ sedis episc. quam ipse post spretum errorem suum in conspectu concilii edidit, & eis qui in ipso errore ei dudum consentientes fuerant, direxit.

Edita inter opera Alcuini, atque inde in supplementis concil. Gall.

IN Dei nomine Felix olim indignus episcopus, domnis in Christo fratribus Emani presbytero, Ildefindo presbytero, atque Exsuperio, Gundefredo, Sidonio, necnon & Ermegildo, seu cæteris presbyteris, similiter Vittildo diacono, & VVitirico, seu cæteris clericis in parochia Orgellitanæ ecclesiæ degentibus, seu cæteris fidelibus ecclesiæ in superdicto commisso commorantibus, in Domino Deo Patre & Jesu Christo vero Filio ejus, domino ac redemptore nostro, & in Spiritu sancto, æternam salutem.

De cætero ad agnitionem vestram reducimus, quia postquam ad præsentiam domini nostri ac piissimi gloriosique Caroli regis perductus sum, & ejus conspectui præsentatus, licentiam ab eo, secundum quod & venerabilis domnus Laidradus episcopus nobis in Orgello pollicitus est, accepimus, qualiter in ejus præsentiam in conspectu episcoporum, quos ad se ordinatio gloriosi principis nostri convenire fecerat, sententias nostras, quas ex libris sanctorum habere nos de adoptione carnis in Filio Dei, seu nuncupatione in humanitate ejus, credebamus, repræsentaremus: qualiter non in violentia, sed ratione veritatis, nostra adsertio rata judicaretur, si ab illis per autoritatem sanctorum patrum minime repudiaretur. Quod ita factum est: nam prolatas a nobis sententias de superdicta contentione, hoc est de adoptione carnis atque nuncupatione, ita illi ex autoritate de libris sanctorum patrum, id est, Cyrilli episcopi, & B. Gregorii papæ urbis Romæ, seu beati Leonis, sive & aliorum sanctorum patrum, qui nobis prius incogniti erant, seu per autoritatem synodi, quæ nuper in Roma hac intentione, præcipiente gloriosissimo ac piissimo domino nostro Carolo, adversus epistolam meam, quam dudum venerabili viro Albino abbati Turonensis ecclesiæ scripseram, congregata est. In qua synodo præsente Leone apostolico, & cum eo cæteri episcopi numero LVII. residentes, & plerique presbyteri ac diaconi cum eis in domo beatissimi Petri apostoli, per quorum omnium autoritatem istas jam dictas sententias nostras, non qualibet, ut dictum est, violentia, sed ratione veritatis, ut oportuit, excluserunt. Quorum autoritate veritatis, & totius ecclesiæ universalis consensu, convicti, ad universalem ecclesiam, Deo favente, ex toto corde nostro reversi sumus: non qualibet simulatione, seu velamine falsitatis, sicut dudum, quod Deus scit; sed, ut dixi, vera cordis credulitate & oris professione. Quod etiam in conspectu multorum sacerdotum & monachorum

rum professi sumus, pœnitudinem gerentes de pristino errore & sacramento, quam pro hac intentione olim prævaricatus sum: profitentes, nos deinceps adoptionem carnis in Filio Dei, sive nuncupationem in humanitate, nullo modo credere vel prædicare; sed secundum quod dogmatibus sanctorum patrum informamur, eundem Dominum nostrum Jesum Christum in utraque natura, Deitatis videlicet & humanitatis, proprium ac verum filium profitentes, unigenitum videlicet Patris, unicum filium ejus: salvas tamen utriusque naturæ proprietates, ita dumtaxat, ut nec divinitas Verbi Dei in natura credatur humana conversa, vel humana a Verbo adsumpta invidia mutata: sed utraque, id est, Divina atque humana, ab ipso conceptu in utero Virginis, ita in singularitate personæ sibimet connexæ atque conjunctæ sunt, ut unicus Filius Patri, & verus Deus ex ipso utero gloriosæ Virginis absque ulla corruptione editus prodiretur. Non ita homo adsumptus a Verbo de substantia Patris, sicut ipsumque Verbum a fidelibus genitus credatur, cum sit ex substantia matris: sed quia, ut dictum est, in ipsa vulva sanctæ Virginis ab ipso conceptu ab eo qui secundum divinitatem verus & proprius Dei Filius, existit, in singularitate personæ suæ susceptus est, atque conceptus, verus & proprius Dei Filius, ex eadem sancta Virgine natus est. Non alius Dei Filius, & alius hominis filius: sed Deus & homo, unicus Dei Patris verus ac proprius Filius, non adoptione, non appellatione, nuncupatione; sed in utraque natura, ut dictum est, unus Dei Patris, secundum Apostolum, verus ac proprius Dei Filius credatur.

Hæc est confessio fidei nostræ, quam Deo juvante a sanctis patribus per eorum scripta cognovimus, & ab universali ecclesia post pristinum errorem nostrum accepimus & tenemus. Quod & vos omnes credere & confiteri, per eundem Dominum nostrum exhortamur, nil diminuentes aut addentes ex sensu vestro, sed hoc quod vobis innotescimus, cum universali ecclesia indubitanter retinentes: & ut pro me misero, per quem usque nunc in ecclesia Dei contentio versa est, ex totis præcordiis vestris Domini misericordiam implorare non dedignetis: qualiter propter vestram emendationem & orationem catholicorum sacerdotum, qui in simili prævaricatione, ut ego, nequaquam obnoxii sunt, Domini misericordiam, priusquam de hoc mortali corpore egrediar, consequi valeam. Quod per hoc me magis consequi a Domino confido, si scandalum seu error in fide, qui per me in usque nunc, inter utrasque partes duravit, per me iterum omnia correcta atque sedata fuerint, atque omnia ecclesiæ membra in unitate fidei & concordia caritatis velut in unum corpus compaginata, ita nemo ex nobis in ecclesia Dei ultra scandalum vel quolibet schisma intromittere audeat, sed omnes nos cum universali ecclesia, quæ in toto mundo dilatata noscitur, similiter sentientes, & ea quæ dudum orta intentio est, id est, adoptionem carnis seu nuncupationem in humanitatem Filii Dei anathematizantes, pacem, ut dixi, & unitatem fidei cum omnibus fidelibus ecclesiæ, absque ulla simulatione, inconvulsa fide retineamus: ne cum Nestorii impietate concordantes, qui purum hominem Christum Dominum credidit, alicubi deinceps labamur, qui » dixit: Oportet vero & de Dei dispensatione

A quam pro nostra salute in dispensatione Domini Christi Dominus Deus perfecit, scire, quoniam Deus Verbum hominem perfectum adsumpsit ex semine Abrahæ & David secundum pronunciationem Divinarum Scripturarum: hoc constitutum natura, quod erant illi, ex quorum erat semine, hominem perfectum natura, ex anima intellectuali & carne humana constantem, perfectum hominem constitutum secundum nos per naturam, Spiritus sancti virtute in Virginis vulva formatum, factum ex muliere, & factum sub lege, ut omnes nos a servitutis lege redimeret, ante jam prædestinatam adoptionem accipientes, inenarrabiliter sibimet veniens, mortuum quidem eum secundum legem humanam faciens, suscitans vero ex mortuis, & perducens in cælum, & consedere faciens ad dexteram Dei: unde personam * constitutos principatus, & potestates, & dominationes, & virtutes, & omne quod nominatur nomen, non solum in hoc sæculo, verum etiam & in futurum, ab omni creatura accepit adorationem, sicut inseparabilem a Divina natura habens copulationem, relationem Dei, & intelligentiam omni creaturæ adoratione exhibentem. Et neque duos filios dicimus, neque duos dominos: quoniam unus Filius Patris secundum substantiam, Deus Verbum unigenitus Filius Patris, sicut iste conjunctus & particeps constitutis Filii communicat nomine & honore. Dominus secundum essentiam Deus Verbum, cui iste conjunctus honore communicat. Et ideo neque duos filios hos dicimus, neque duos homines: quia manifesto constituto secundum substantiam Domino & Filio inseparabilem, tenet ad eum copulationem, qui causa nostræ salutis adsumptus confertur nomine & honore Domino & Filio, non sicut unusquisque nostrum secundũ seipsum cõstitutus est Filius. Unde & multi secundum beatum Paulum dicimur filii, sed solus præcipuũ habens hoc, quod ad Dei Verbi copulationem, adoptionem & dominationem participans: aufers quidem omnem suspicionem dualitatis filiorum & dominorum. Præstato vero nobis in copulationem ad Domini Verbum, bonam haberet ipsius fidem, & intelligentiam, & theoriam: pro quibus & adorationem, per relationem Dei ab omnibus cœpit creatura. Unum igitur Filium dicimus & Dominum Christum, per quem omnia facta sunt: principaliter quidem Deum Verbum intelligentes substantialiter Filium Dei & Dominum, conspirantes autem adsumptum Nazaret quem unxit Deus spiritu & virtute, sic in Verbi Dei copulationem adoptionis participantem & dominationis, qui & secundus Adam. »

Hæc est sententia Nestorii hæretici, qui purum hominem absque Deo Virginis utero genitum impie adstruebat. In quem hominem ex eadem sancta Virgine procreatum & genitum, post nativitatem ejus, Verbum Dei, hoc est divinitatem Filii Dei, descendisse & habitasse præ cæteris sanctis impudenter prædicabat. Et ob hoc, sicut in Christo duas naturas, ita & duas personas in eo satis improbe vindicare contendebat. Nos vero ejus impietatem anathematizantes, quædam testimonia ex libris sanctorum patrum, quos ecclesia venerabiliter recipit, decerpentes, huic epistolæ subnectimus, per quæ nos ad viam veritatis post pristinum errorem nostrum reversi sumus, vobis subter adscriptam direximus: per quæ

APPEND. TOM. VII.

APPENDIX TOM. VII.

quæ & vos de dicta intentione veritatem fidei plenius agnoscere potestis, & ad rectum tramitem fidei reverti. Contra quas sententias patrum dissentiens, aliter quam illas nos informant credere aut docere voluerit, & adoptionem & nuncupationem in carne salvatoris credere vel prædicare præsumpserit, anathema sit. A quo jaculo anathematis ipse verus ac proprius Dei Filius, de quo loquitur, tam vos quam nos, & hic & in futuro liberare dignetur. Cui cum Patre in unitate Spiritus sancti similis & coæqualis extat gloria, ante omnia sæcula, & nunc & in dies æternitatis.

Beatus denique Cyrillus in tractatu suo inter alia ita dicit: Immo multum interest & incomparabilibus differentiis gloriæ & eminentiæ salvatoris nostri munimentis, ea quæ nostra sunt. Nos enim famuli sumus: ille vero naturaliter Dominus & Deus, licet factus sit nobiscum, & in his quæ sunt nostra dispensative. Præterea & B. Paulus Christum eum nominavit & Deum, ita dicens: *Scitote cognoscentes quia omnis fornicator, &c. non habet hereditatem in regno Christi & Dei.* Solus autem Christus etiam Deus vere, qui Emmanuel est. Etenim nos per gratiam Dei, verumtamen non ita Deus Filius, sed natura magis & veritate, licet caro sit factus.

Ephes. 5.

Item ipse in eodem tractatu post aliqua ita dixit: Quomodo proprius Dei Filius nominatus est Christus, qui etiam traditus est a Deo & Patre, causa omnium salutis & vitæ. Traditus est enim propter peccata nostra, & ipse iniquitates multorum portavit in corpore suo, in ligno, secundum Prophetæ vocem. Palam ergo est, quia unitatis res adsumpta necessarie proprium Filium declaravit Dei, qui ex sancta Virgine est. Corpus enim erat non alterius cujuspiam secundum nos, sed magis proprium ex Patre existentis Verbi, natum ex ea.

Is. 53. 1. Pet. 2.

Item ipse post paululum contra Nestorium: Sicut enim in Adam omnes morimur, sic & in Christo omnes vivificamur. Si enim non pateretur humane pro nobis, neque operaretur divine quæ ad salutem sunt. Dicitur enim prius quidem mori, ut homo: reviviscere autem postea, eo quod sit naturaliter Deus. Si igitur non est passus mori carne secundum scripturas, neque vivificatur spiritu, hoc est non revixit. Et si hoc est verum, vana est fides nostra, adhuc sumus in peccatis nostris. Baptizati enim sumus in mortem ejus, secundum beati Pauli vocem: & remissionem peccatorum habuimus per sanguinem ejus. Sed si est Christus neque Filius vere, neque naturaliter Deus, sed homo purus secundum nos, & divinitatis organum: salvati quidem sumus non in Deo quodammodo, sed in uno magis secundum nos moriente pro nobis, & virtutibus alienis resuscitato. Quomodo ergo destructa est mors per Christum? *Et infra.* Colimus autem non hominem purum, absit, sed Deum potius naturaliter, non ignorantes ejus gloriam, licet factus sit secundum nos.

1. Cor. 15. Rom. 6.

Item beati Gregorii papæ urbis Romæ suaper Moralia: Eratque ille vir magnus inter omnes Orientales. Omnes, inquit, qui in hunc Orientem fide pleni consistunt, recte Orientales vocantur. Sed quia omnes homines, tantummodo homines, ipse autem oriens Deus & homo, recte dicitur: Erat magnus inter omnes Orientales. Ac si aperte diceretur: Omnes qui in fide Deo nas-

A cuntur superat, quia non ut cæteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat. *Et rursus alibi idem ipse:* Quia omnis homo tantummodo homo est, ipse autem Deus & homo. In terra ei similis non est, quia etsi adoptivus quisque filius ad percipiendum divinitatem proficit, nequaquam tamen ut Deus naturaliter esset, accepit.

Item in libro beati Job: Mediatori vero nostro in legislatoribus similis nullus est, quia isti gratuitu vocati ex peccatis ad innocentiam redeunt. Redemptor autem noster, sine peccato est, Filius sine adoptione, nec perpetravit umquam quod redarguit. Quas quidem sententias prius non recte intelligebamus.

Item beati Athanasii Alexandrini episcopi: Si quis vero adversus Divinas scripturas docet, alium dicens Filium Dei, & alium qui ex Maria
B virgine, hominem secundum gratiam adoptatum, sicut nos: quasi essent duo filii, unus secundum naturam qui ex Deo, & unum secundum gratiam qui ex Maria. Et si quis Domini nostri carnem desursum dicit, & non ex virgine Maria, aut mutatam deitatem in carnem, & confusam, aut passibilem Domini deitatem, aut inadorandam Domini nostri carnem sicut hominis, & non adorandam Domini & Dei carnem: hunc anathematizat sancta catholica & apostolica ecclesia.

Item sancti Gregorii Nazianzeni episcopi ad Cledonium: Si quis introducit duos filios, unum quidem qui ex Deo Patre; secundum vero, qui ex
C matre, & non unum eundemque, & adoptione excedat gratia quæ promissa est iis qui credunt: alienum eum a nostro consortio judicamus. Naturæ vero duæ Deus & homo: nam & anima, & corpus, Filii vero duo: neque dii, neque duo homines.

Item beatus Leo papa urbis Romæ ita dicit: Exultet rectarum mentium fides, & verum unumque Dei Filium non solum secundum deitatem, qua a Patre est genitus, sed etiam secundum humanitatem, qua de Matre Virgine est natus, intelligant.

Item ipse alibi. Adsumpta est de matre, Domini natura, non culpa: creata est forma servi sine conditione servili, quia novus temperatus est,
D veteri, ut & veritatem susciperet generis, & vitium excluderet vetustatis.

CONCILIUM TURONENSE,

ANNO CHRISTI 800.

In quo rex Carolus magnus regnum inter filios partitus est.

Anno Christi DCCC, regni Caroli XXXIII.

Ex supplementis concil. Gall.

Memoratur hæc synodus in chronico Moissiacensis cœnobii, his verbis. Anno, *inquit*, Incarnationis Domini DCCC. Karolus rex circa Quadragesimæ tempus circuit corpora sanctorum, qui sunt in Francia, usquedum post
E Pascha venit Turonos, ubi corpus beati Martini confessoris quiescit: & fuere cum eo filii sui Karolus & Pippinus & Ludovicus. Et habuit ibi magnum concilium, & conventum populi, & disposuit regnum filiis suis: & facta ibi oratione, sublimiter reversus est cum pace ad propriam sedem in Aquis. *Quænam autem fuerint partes uniuscujusque, non constat, nisi forsan eædem regni fuerint, ac imperii.*

IN-

ANNO CHRISTI

INCERTI LOCI CONCILIUM IN GALLIA

In quo de purgatione sacerdotum actum est.

Post annum Christi DCCC. Carolo M. Imp.

Inter capitula ecclesiastica Caroli M. edita pag. 1160. *& seq.* habetur titulo *III. de purgatione sacerdotum cap. II.* decretum Caroli regis ex consultu Leonis papæ de purgatione sacerdotum : *quod quidem promulgatum esse in magna quadam & universali synodo satis indicat ipse Carolus, cum ait* : necnon & nostrorum episcoporum omnium, cæterorumque sacerdotum & levitarum autoritate & consensu definitum est. *Cujus tanti concilii mirum est omnem periisse memoriam, & servata illius vestigia illo tantum in decreto, quod est a me mox indicatum :quod quidem in capitula Caroli M. a Benedicto Levita relatum est, lib. 5. c. 34. Eodem quoque pertinet caput proxime antecedens.*

Porro post annum Christi DCCC. *referendum id esse, intelligimus ex iis sub finem vocibus*, exemplo Leonis papæ : *cujus purgatio anno* DCCC. *exeunti tribuenda est : quo tempore Romæ Carolus erat, ubi renunciatus est imperator, neque nisi post Pascha in Galliam rediit. Quo vero deinde anno legatos Romam miserit, qui Leonem super ea re consulerent, incertum.*

ANNO CHRISTI

CONCILIUM VORMATIENSE

De purgatione sacerdotum.

Hujus concilii mentio habetur ac nonnulla descriptio, in capitul. Caroli M. lib. VII. c.205. Quod supra editum p.1168. quartum inter capit. ecclesiastica Caroli M. Tit. IV. Ejus porro annũ definire non possumus. Tantum hoc habemus, posterius esse altero illo incerti loci, de quo sum proxime locutus.

ANNO CHRISTI 802.

CONCILIUM AQUISGRANENSE,

In quo actum de præstando imperatori ab omnibus sacramento : & de disciplina ecclesiastica clericorum & monachorum.

Anno Christi DCCCII. Imperii Caroli M. II.

Ex supplement. conc. Gall.

Meminit hujus synodi chronicon Moissiacense ad hunc annum DCCCII. *habitæ : designatque mensem.* Imperator Carolus, *inquit*, mense Octobri congregavit synodum universalem in Aquis, & ibi fecit episcopis, presbyteris, diaconibus, prælegi universos canones quos sancta synodus præcepit, & decreta pontificum, ut canonici juxta canones viverent, & quicquid in clero, aut in populo, de culpis, aut de negligentiis apparuerit, juxta canonum autoritatem emendarent. Similiter in ipsa synodo congregavit universos abbates & monachos qui ibi aderant, & ipsi inter se conventum fecerunt : & legerunt regulam sancti patris Benedicti, ut quicquid in monasteriis seu in monachis contra illam factum fuisset, hoc ipsum juxta eandem emendare facerent. *Quid autem amplius gestum fuerit in eodem concilio, exponit breve chronicon monasterii sancti Dionysii in Francia his verbis,* *ad ipsummet annum* DCCCII. Carolus, *inquit*, Imperator, ad Aquis palatium, concilium habuit, ut ei omnes generaliter fidelitatem jurarent, monachi, canonici : ita & fecerunt. *Hujus autem juramenti formulas hic promere visum fuit ex codice manuscripto bibliothecæ collegii Claromontani Parisiensis Societatis Iesu, quæ sic habent.*

SACRAMENTUM.

Sacramentale qualiter promitto ego, quod ab isto die in antea fidelis sum domno Karolo piissimo imperatori, filio Pippini regis, & Berthanæ reginæ, pura mente, absque fraude, & malo ingenio, de mea parte ad suam partem, & ad honorem regni sui : sicut per drictum debet esse homo domino suo. Sic me adjuvet Deus, & ista sanctorum patrocinia quæ in hoc loco sunt, quia diebus vitæ meæ per meam voluntatem, inquantum mihi Deus intellectum dederit, sic adtendam & consentiam.

ITEM ALIUD.

Sacramentale qualiter repromitto ego, domno Karolo piissimo imperatori filio Pippini regis & Berthanæ, fidelis sum, sicut homo per drictum debet esse domino suo, ad suum regnum & ad suum rectum : & illud sacramentum quod juratum habeo, custodiam, & custodire volo, in quantum ego scio, & intelligo, ab isto die & in antea. Sic me adjuvet Deus, qui cælum & terram creavit, & ista sanctorum patrocinia.

Addit supplementorum autor, videri sibi facta hoc in concilio capitula, quæ supra edita sunt pag. 1174. *quibus hic titulus*: Ex capitulis, quæ missis anno II. data sunt.

ANNO CHRISTI

CONCILIUM LUGDUNENSE,

In quo Agobardus ecclesiæ Lugdunensis chorepiscopus, post secessum Leidradi ejusdem ecclesiæ episcopi ad monasterium Suessionense, successor ei designatus est.

Ex iisdem supplementis.

Meminit hujus synodi Ado Viennensis in chronicorũ breviario ad ann. DCCCXIV. *quidque gestum fuerit, edocet. Nos autem Lugdunensem appellamus, ex eo quod totus in ea sermo sit de hoc metropolitano episcopo, in cujus urbem convenisse hujus coepiscopos provinciæ, verisimilius est. Sunt igitur Adonis verba*: Leidradus, *inquit*, Lugdunensis episcopus erat, qui initio imperii Ludovici imperatoris, Suessionis monasterii locum petiit, & in loco ejus Agobardus ejusdem ecclesiæ chorepiscopus, consentiente imperatore, & universa Gallorum episcoporum synodo, episcopus substitutus est. Quod quidam defendere volentes, dixerunt, eundem venerabilem Agobardum a tribus episcopis in sede Lugdunensi, jubente Leidrado, fuisse ordinatum. Sed canonica autoritas est, in una civitate duos episcopos non esse, nec vivente episcopo, successorem sibi debere eligere. Ac idcirco ulla quacumque causa, regulæ ecclesiæ præteriri in tanto ordine fixæ non debent.

APPENDIX TOM. VII.

ADDITIO AD CONCILIUM AQUISGRANENSE.

Extat supra pag. 1307. Anno DCCCXVI. habitum de regula & officinis canonicorum & monialium.

Epistola Hetti Trevirensis archiepiscopi ad Frotarium Tullensem episcopum.

Ut vigilanter observet, an concilii decreta serventur.

Ex iisdem supplement. *Hetti gratia Dei archiepiscopus, venerabili in Christo, & cum summa reverentia nominando Frotario episcopo Tullensi, saluberrimam in Domino implorat salutem.* B

MEminisse volumus sagacitatem vestram monitionis, quam instanti anno simillimis apicibus suscepistis expressam. Non nescitis cum qua cautela mandatum suscepimus domni imperatoris, nos in diœcesi nostra, & episcopi singuli in parochiis suis, id est de regula augendæ religionis, & de ministratoriis canonicorum officinis, ut si quibus in locis bene comptæ essent, deinceps cum summa diligentia ornarentur. Nunc autem in proximo est placitum, quo sine dubio sciscitabitur de obtemperatione mandati, dominus mandati. Quapropter scrutemini diligenter in parochia vestra, in vestris aliorumque monasteriis, si præfata regula digne per omnia conservetur, & si officinæ juxta ipsius decreta constructæ, atque innovatæ, contineantur: ut cum imperiali solertiæ præsentabimur, dejecto procul molimento aliorum, una vobiscum ex omnibus illi a nobis veritas nuncietur. Per triennium enim hæc monitio facta est, idcirco nulla potest inveniri occasio. Ideoque quanto cuique fuerit imperfectior, & tanto fragilior. Valete in Domino, & parvitatis nostræ nolite oblivisci. Deus pacis & dilectionis sit vobiscum. Amen. C

EPISTOLA ALTERA Hetti archiepiscopi Trevirensis ad Frotarium Tullensem episcopum.

Monet, ut qui militiam imperatori debent, sine mora proficisci ad bellum parati sint. D

In nomine Domini nostri Jesu Christi.

Hetti misericordia Dei archiepiscopus diœceseos Trevirensis, necnon legatus Ludovici serenissimi imperatoris, venerabili fratri Frotario Tullensi episcopo æternam salutem.

NOtum sit tibi quia terribile imperium ad nos pervenit domni imperatoris, ut omnibus notum faciamus, qui in nostra legatione manere videntur, quatenus universi se præparent, qualiter proficisci valeant ad bellum in Italiam: quoniam insidiante satana Bernardus rex disponit rebellare illi. Propterea tibi mandamus atque præcipimus de verbo domni imperatoris, ut solerti sagacitate provideas cum summa festinatione omnibus abbatibus, abbatissis, comitibus, vassis dominicis, vel cuncto populo parochiæ tuæ, quibus convenit militiam regiæ potestati exhibere, E

A quatenus omnes præparati sint; ut si vespere eis adnunciatum fuerit, mane; & si mane, vespere absque ulla tarditate proficiscantur in partes Italiæ: quia domnus imperator suum iter præparat, ut quanto citius poterit, in partes illas una cum fidelibus suis pergat.

CONCILIUM AQUISGRANENSE, In quo Theodulfus Aurelianensis aliique episcopi damnantur.

ANNO CHRISTI 818.

Anno Domini DCCCXVIII. Ludovici Pii Imp. V.

B ADversus Ludovicum Pium, Bernardus fratris filius Italiæ rex, aliique proceres conjuraverant: *inter quos, ait Eginhardus ad ann.* DCCCXVII. & aliqui episcopi, Anselmus Mediolanensis, & VVulfoldus Cremonensis, & Theodulfus Aurelianensis fuere. *Tum ad ann.* DCCCXVIII. Detecta fraude, & conjuratione patefacta, ac seditiosis omnibus in potestatem suam redactis, Imperator Aquisgrani revertitur: transactoque Quadragesimali jejunio, paucis post Pascha diebus, conjurationis autores, & Bernardum regem, judicio Francorum capituli sententia condemnatos, luminibus tantum jussit orbari: episcopos synodali decreto depositos, monasteriis mancipari; cæteros, prout quisque vel nocentior vel innocentior apparebat, vel exilio proscribi, vel detondi, atque in monasteriis conversari.

C *Huius autem criminis insontem se Theodulfus contestatur his ad Aiulfum Bituricensem archiepiscopum versibus lib. IV. carminum.*

Non regi, aut proli, non ejus, crede, jugali,
Peccavi, ut meritis hæc mala tanta veham.
Crede meis verbis, frater sanctissime, crede
Me objecti haudquaquam criminis esse reum.
Perderet ut sceptrum, vitã, propriumque nepotẽ,
Hæc tria sunt nunquam consiliatus ego.

De eiusdem iniquitate iudicii ad Moduinum episcopum Augustodunensem hac scribit.

D Culpa facit sævum confessa perire latronem,
Non est confessus præsul, & ecce perit.
Non ibi testis inest, judex nec idoneus ullus,
Non aliquod crimen ipse ego fassus eram.
Esto forem fassus, cujus censura valeret
Dedere judicii congrua fræna mihi?
Solius illud opus Romani præsulis extat,
Cujus ego accepi pallia sancta manu.

NOTÆ JAC. SIRMONDI S. J.

Ad Theodulfi carmina.

E AD AJULFUM EPISCOPUM.] Agjulfum, sive Aigulfum, Bituricensem primæ sedis patriarcham, sic enim appellat, vir fuit, etiam dum viveret, sanctitatis fama conspicuus: judex cum aliis episcopis electus ab Ebone Remensi anno DCCCXXXIV. Ex hac vero epistola liquet, episcopum jam fuisse, cum Theodulfus Andegavis exularet, hoc est, ante ann. DCCCXX. contra quam vulgo tradunt qui de episcopis Bituricensium scripserunt.

CREDE MEIS VERBIS.] Insimulabatur tanquam particeps conjurationis adversus Ludovicum. Pernegat ille se huic crimini affinem. Et quanquam ei spes veniæ ostendebatur, si annueret: flecti tamen non potuit. Quare excipiendus erat Thegano, cum episcopos in hoc judicio sua confessione depositos affirmavit.

AD MODUINUM.] Episcopum Augustodunensem, qui judex item electus ab Ebone cum abdicaret.

ACCEPI

Accepi pallia.] Pallium archiepiscopis tribui proprie solet. Conceditur tamen interdum etiam episcopis, quemadmodum Syagrio Augusto lunensi à Gregorio M. concessum est: & Theodulfus ipsius papæ manu se accepisse testatur, Stephani IV. opinor, cui obviam missus a Ludovico Pio fuerat, cum veniret in Galliam. Sed inter utriusque pallium hoc discrimen, quod Syagrio ita datum ut transiret ad successores; Theodulfo, non item. A

NOTA PETRI DE LA LANDE.

Videtur Theodulfus synodale judicium declinasse propter pallium a Stephano IV. papa acceptum. Sed nullo modo probatur hæc ratio, nec ante usquam audita est in hisce judiciis, nec unquam in synodis ab ullo allegata fuit episcopo, etiam e metropolitanis quibus pallium tribui proprie solet. Immo hæc Galliæ concilia exhibent archiepiscoporum sive metropolitanorum exempla, ab episcopis non habentibus usum pallii damnatorum ante ac post Theodulfum. B

ANNO CHRISTI 818.

CONCILIUM VENETICUM.

Anno Domini DCCCXVIII.

Post judicium illud Aquisgranense, de quo proxime dictum est, Ludovicus, *inquit ibidem Eginhardus*, magno cum exercitu Britanniam ingressus, generale concilium Venetis habuit. *At majorem hujus concilii notitiam suppeditat, inquit Petrus de la Lande, antiqua membrana, Rothonensis monasterii fundationem continens, in qua Ludovicus dicitur* cum insuperabili armatorum agmine Britanniam properasse, & fugatis Britannis atque perempto eorum pseudorege, patriam suis legibus subdidisse. Peracto igitur triumpho, in Venetia urbe generale principum atque pontificum celebrat concilium, ubi ordinatis regni negotiis, & causis discussis ecclesiasticis, cum in Gallias redire disponeret, beatum Covoium adiit: eique Imperator obtulit, pro sua suorumque salute, & æterna remuneratione, locum Rothonensem ab omni onere liberum & immunem, proprio confirmans donationem annulo. Anno imperii sui. v. incarnati vero Verbi DCCCXVIII. C

ANNO CHRISTI 819

CONVENTUS AQUISGRANENSIS.

Anno Domini DCCCXIX. habitus. D

Ex supplem. concil. Gall.

De synodo, seu conventu publico, qui anno DCCCXIX. *habitus est in palatio Aquisgrani, cum Ludovicus Pius victis Britonibus ibi se ad hiberna contulisset, atque de rebus in eo gestis, scribit autor vitæ ejusdem Ludovici, nomine Luitolfus, ut in codice MS. monasterii Trudonensis.* Qua, *inquit*, hieme imperator in eodem palatio conventum publicum populi sui celebravit, & renunciantes sibi missos de omni suo regno, quos pro statu sanctæ ecclesiæ restaurando dejecto, vel confirmando stante, miserat, audivit; & quicquid utile judicavit, sancta impellente devotione superaddidit, nihilque intactum reliquit, quicquid ad honorem sanctæ Dei ecclesiæ proficere posse visum fuit. Interea capitula quædam legibus superaddidit, in quibus causæ forenses claudicare videbantur: quæ hactenus veluti pernecessaria servantur. E

APPENDIX TOM. VII.

ANNO CHRISTI 823.

CONCILIUM COMPENDIENSE.

Anno Domini DCCCXXIII.

In quo actum inter cætera de rebus ecclesiasticis per laicos usurpatis.

Hujus concilii notitiam eruit Steph. Baluzius vir eruditissimus ex Agobardi libro de dispensatione ecclesiasticarum rerum: ubi post enarrata quæ in Attiniacensi concilio gesta fuerant anno Christi DCCCXXII. Sequenti anno, *inquit Agobardus*, cum adessent jussi (primores utriusque ordinis) in Compendio palatio, & de his (illicito scilicet rerum ecclesiasticarum usu) inter eos sermo haberetur: ad hunc modum, post multa colloquia, in quantum ego intellexi, ratiocinia sunt perducta, ut primum quidem intellectibus omnium inculcarentur delicta de rebus sacris inlicite usis, post vero cum Dei timore in illis quas habebant laici cautiores effecti, etiam in his quæ remanserunt ecclesiis fideliores atque clementiores existerent; ita ut & suis adhiberent pietatem, ut & ecclesiis defensionem; fieretque compatienti concordia remediabilis ac veniabilis, offensioque " comitante pietate de indulgentia quoque esset secura. Cap. 5.

" *f.* veniabil. offensio, quæ com. p.

Hanc rem cum Dominus imperator audiret atque perpenderet, volens eam ducere ad tranquillitatem pacis, quæ ad modicum turbata fuerat, quantum in se fuit, fecit uniri episcopos & comites in consensum & pacem. Ex hoc itaque putavi ego, quod eodem modo quo dominus Imperator pensavit atque intellexit rationem, sopirique fecit dissensionem, omnes etiam comites vel honorati ejus intellexissent atque voluissent. Sed e contrario, ut audio, isti de quibus nobis sermo est, inchoatam discordiam magnificant, & de concordia in conspectu domini Imperatoris nihil se audisse vel intellexisse dicunt. Cap. 6.

NOTA ST. BALUZII.

Anno itaque sequenti post conventum Attiniacensem, id est, anno DCCCXXIII. habita est synodus apud Compendium, in qua rursum actum est de rebus sacris illicite usis. Quam synodum miror a nemine hactenus agnitam fuisse. Certe conventus habiti in Compendio palatio anno DCCCXXIII. mense Novembri, ut edictum fuerat in conventu Francofordiensi, mentionem facit Eginhardus, in eoque legatos papæ Paschalis auditos fuisse. Cujus rei meminit etiam autor vitæ Ludovici Pii, itemque autor annalium S. Bertini. Ne quis vero causetur conventum fuisse mere politicum, non autem ecclesiasticum, adeoque nec synodum: testis est Agobardus, ei conventui interfuisse etiam episcopos. Vigebat autem hic mos per eas tempestates, ut episcopi in conventibus illis regiis tractarent de rebus sacris & ad religionem pertinentibus, seorsum a laicis, si res esset mere spiritualis; simul vero, si res ad disciplinam ecclesiasticam pertineret. Quo fiebat, ut decreta dein in publicum ederentur, quæ concilii episcopalis autoritate & dignitate erant instructa: ut pluribus ostendit Marca, in libro VI. de Concordia cap. XXV. Quare dubium non est, quin hic Compendiensis conventus, in quo actum docet Agobardus de rebus sacris illicite usis, referri debeat inter synodos ecclesiasticas, non secus ac aliæ quæ sæculo illo celebratæ fuerunt.

PAS-

APPENDIX TOM. VII.

Ex bibliotheca Floriacensi.

PASCHALIS PAPÆ I.

Epistola ad Barnardum Viennensem archiepiscopum.

Paschalis episcopus servus servorum Dei, reverentissimo & sanctissimo fratri Barnardo sanctæ Viennensis ecclesiæ archiepiscopo.

QUia sanctitatem tuam in ecclesia Viennensi gubernationem suscepisse cognovimus, in Domino Deo nostro plurimum inde gaudemus. Unde apostolica vice monemus, ut in custodia gregis Dei studium tuæ dilectionis prudenter invigilet. Pallii usum, quem ad sacerdotalis officii honorem, & ad ostendendam unanimitatem cum beato Petro apostolo, universus grex dominicarum ovium quæ ei commissæ sunt, vim habere non dubium est, ab apostolica, sicut decuit, sede poposcisti. Ipsum igitur tibi, Viennensique tuæ ecclesiæ, ut pote ab eisdem apostolis fundatæ, majorum more libenter indulsimus, ad ostendendam in te tuamque ecclesiam ejusdem sedis apostolicæ caritatem: utque secundum morem ecclesiæ eo utaris, benigne designamus. Fraternitatem tuam necessario commonentes, ut creditæ tibi ecclesiæ opus ita, Deo favente, exequi studeas, ut adepta cujus ornaris studio dignitate & probitate morum: & vivacitate sollicitudinis & custodita integritate fidei amplius studeas adornari. Omnia etiam privilegia quæ tuæ pridē concessa sunt a prædecessoribus nostris ecclesiæ, volumus inconversa tibi & successoribus tuis permanere. Scriptum per manum Theophylacti notarii & scriniarii, in mense Decembris, Indictione x. Bene valete. Data per manum Georgii bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ, nonis Decembris. Imperante domino piissimo augusto, Ludovico a Deo coronato, magno, pacifico, imperatore, ejus imperii anno IV. & patritiatus ejus III.

Ex bibliotheca Floriacensi.

EUGENII PAPÆ II.

Epistola ad eundem.

Eugenius episcopus servus servorum Dei, reverentissimo fratri Barnardo archiepiscopo Viennensi.

COngaudeo valde, quia licet in aliquibus detentus, tamen pro magno apostoli Petri amore nostroque, literæ vestræ sanctitatis nobis redditæ sunt: per quas mire cognovimus qualem erga nos exercere caritatem desideratis. Unde immemor nostri fore non debet, quia tuæ dilectionis affectus in visceribus nostris resedit. Et ideo quocumque loco fueris profectus, ad rem ecclesiæ tuæ peragendam, optamus ut clavigeri te Petri dextera circumtegat atque gubernet. De causa, frater charissime, quam nobis per vestras syllabas intimare curastis, hoc exinde scire vos volumus, quia quantum potuimus recursu lectionis illam in scriniis nostris investigavimus; & quidquid post autoritatem Romanam, in Justiniana etiam lege comperimus, tuæ sanctitati per nostros apices intimamus. In cap. D. XI. ejusdem legis ita invenimus. Ut descriptio XL. annorum, venerabilibus locis competenter aptetur: neque XX. vel etiam XXX. annorum præscriptio religionis domibus apponatur, sed sola XL. annorum curricula, non solum in legatis & rebus exterioribus, sed etiam in hereditatibus sacris valeat. Ex quo per autoritatis nostræ seriem quam vestræ dirigimus caritati, ut si causa ita est, quemadmodum vestra nobis denunciavit epistola, vestræ ecclesiæ eam concessam non dubitetis: similiter vestrum plane privilegium vobis redintegratum, quod prædecessores nostri vestræ sedi concesserunt, cognoscatis. Neque enim aliud nos velle debemus, quam quod illi irrefragabilibus regulis firmaverunt. Deus omnipotens vestrum semper & ecclesiæ vestræ ab hostibus honorem custodiat. Scriptum per manum Agathonis, notarii & scriniarii, in mense Julio Indict. XV. " Bene valete. Data VIII. Idus Julii per manum Georgii bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ: imperante domno piissimo augusto Ludovico Imperii ejus anno IV. "

' Falsa Indictio.

" Falsus annus, cum Eugenius sedere cœperit anno XI. Ludovici.

Inter opera Agobardi.

EPISTOLA GREGORII PAPÆ IV.

Ad episcopos regni Francorum.

ROmano pontifici scribentes, contrariis eum in præfatione nominibus appellastis, fratrem videlicet, & papam: dum congruentius esset solam ei paternam reverentiam exhibere. Adventu quoque ejus comperto, lætari vos dicitis, credentes omnibus, principi scilicet subjectis, profuturum; & optasse occursum vestrum nobis non negandum, nisi sacra jussio imperialis præveniret. Quæ verba reprehensibilia sunt: uno quidem modo, quia jussio apostolicæ sedis non minus vobis sacra videri debuerat, quam illa quam dicitis imperialem: deinde, quia veritate caret, quod dicitis illam prævenisse. Non enim illa prævenit, sed nostra, id est pontificalis. Neque ignorare debueratis, majus esse regnum animarum, quod est pontificale; quam imperiale, quod est temporale. Beatus Gregorius Nazianzenus non hoc timuit coram imperatoribus in ecclesia prædicare. Sic enim ipsis imperatoribus loquitur, dicens: " Suscipitisne libertatem verbi? libenter accipitis " quod lex Christi sacerdotali vos nostræ subjicit " potestati, atque istis tribunalibus subdit? Dedit " enim & nobis potestatem, dedit principatum, " multo perfectiorem principatibus vestris. Aut " numquid justum vobis videtur, si cedat spiritus " carni, si a terrenis cælestia superentur, si Divinis " præferantur humana? Quare igitur vos, sicut " veri sacerdotes, Divini videlicet cultus ministri, non humani, non respondetis imperatori, cujus sacra vos dicitis jussione præventos, sicut isdem beatus Gregorius alloquitur imperatorem præsentem, dicens: Patienter, quæso, accipe libertatem nostram. " Scio te ovem esse gregis mei a " Christo mihi summo pastore annumeratam, & a " sancto Spiritu consignatam: scito te inter sacra al- " taria cum veneratione subjici manibus sacerdotis: " scito te beatæ Trinitatis cultum fidemque, non " tua sed nostra prædicatione servare. *Et post aliqua*: " Memento semper, quod una tibi natura est " eademque substantia cum omnibus qui tibi subjecti

Greg. Naz. de Ieremi dictis.

jecti sunt. Tu tamen animo esto cum Deo, & non tam dominari te mundo, quam dominari tibi Christum, gloriare. Quare etiam nunc commorantes cum imperatore, intermittentes stultissimas adulationes, non ei prædicatis cum beato Augustino dicentes: Felices dicimus imperatores, si juste imperant; si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium, non extolluntur, & se homines esse meminerint; si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum majestati ejus famulam faciunt; si Deum timent, diligunt, colunt; si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes; si tardius vindicant, & ignoscunt; si eamdem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exerunt; si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate & beneficiorum largitate compensant; si luxuria tanto eis castigatior, quanto possit esse liberior; si malunt cupiditatibus [illegible] quibuslibet gentibus imperare; [illegible] hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter caritatem felicitatis æternæ; si pro suis peccatis, humilitatis & miserationis & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt: tales Christianos imperatores dicimus esse felices interim spe, postea re ipsa futuros, cum id quod exspectamus advenerit. Vos autem e contrario, quia non vultis esse veri ædificatores, estis proculdubio veri deceptores sicut scriptum est: *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.*

S. Aug. de civ. Dei l. 5. c. 24.

Isa. 3.

Deinde postquam dixistis vos lætatos esse de adventu nostro, iterum intulistis quorumdam relatione magno mœrore affectos: quod utique facit instabilitas mentis. Verum est omnino, quoniam *qui hæsitat, similis est fluctui maris qui a vento movetur.* Sed inter has hæsitationes nimis stolide nos judicatis immemores esse pastoralis officii & districtissimæ moderationis.

Jacob. 1.

Deinde sicut scriptum est, *cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis*: adjungitis quod omni verecundia dignum est, dicentes nos venire propter quandam præsumptuosam & omni ratione carentem excommunicationem faciendam: & admonetis nos nimis involutis & confusis sermonibus & sensibus, ut neque nostra voluntate, neque alterius hortatu, præsumptione * prorumpamus: eo quod, ut dicitis, pertineat ad injuriam ac de honestationem imperialis potestatis, & ad * minorationem & reprehensionem nostræ autoritatis. Dicite, quæso, quæ sunt ista portenta verborum? & quid potius pertinet ad dehonestationem imperialis potestatis, opera digna excommunicatione, an ipsa excommunicatio? Sed quia hæc verba vestra exaggerare laboriosum est, eo quod plena sint nauseæ: tantum illud flagito, ut dicatis quomodo potest fieri, ut manente apostolicæ sedis honore, mea tantum persona in causa reprehensionis, & vituperationis remaneat. Nullo modo enim fieri potest, ut si is qui locum B. Petri tenet, exhonoratur, sine crimine dumtaxat, cathedra ejus honorata permaneat. In tantum autem honoranda est cathedra pontificalis, & propter cathedram sedens in illa: ut etiam de Caipha credulitate & incredulitate impio dicat evangelista:

Sap. 17.

* f. in tantam præsumptionem

* al. dominirationem al. diminurationem

Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit, quia Jesus moriturus erat pro gente. Unde constat, etiam impium Caipham propter cathedram honoratum esse prophetia. Vos autem fidelem & cultorem pietatis pontificem dehonestandum prædicatis absque injuria sedis. Quod omnino falsum est. Bene autem subjungitis, memorem me esse debere jusjurandi causa fidei facti imperatori. Quod si feci, in hoc volo vitare perjurium, si annunciavero ei omnia quæ contra unitatem & pacem ecclesiæ & regni committit. Quod si non fecero, perjurus ero, sicut & vos, si tamen juravi. Vos tamen, qui procul dubio jurastis & rejurastis, promittentes ei erga illum omnia fideliter vos agere, & nunc videntes illum agere contra fidem, & præcipitari in perniciem, non revocatis eum quantum ex vobis est, perjuri estis: quia pro ejus salute secundum fidem promissam non laboratis.

Joan. 11.

Deinde promittitis mihi venerabilem receptionem, si tamen ita ad illum venero, ut ejus voluntas est. Hæc non in libris Divinis, sed in vestris conscientiis legitis, qui omnia facitis propter temporalem retributionem, eo quod sitis arundines vento agitatæ, & omnes auræ vos flectant. Pensate, pensate fratres, quam longe est mens vestra ab illa petitione, qua in celebrationibus Missarum soletis dicere Deo, non voluntate, sed voce: *Da nobis pro amore tuo prospera mundi despicere, & nulla ejus adversa formidare.* Nam si ex corde hæc peteretis, jam dedisset ille qui dicit: *Petite, & dabitur vobis.*

Joan. 12.

Deinde dicitis illam primam divisionem regni, quam inter filios suos fecerat imperator, nunc juxta rerum opportunitatem esse mutatam. Quod omnino dupliciter falsum est: uno quidem modo, quia non est opportunitas, sed importunitas, eo quod sit causa & origo conturbationis & dissensionis, commotionis & deprædationis, & omnium malorum quæ per singula dicere longum est, extra perjuria innumera, & fidei ac pacis expulsiones: alio vero modo, quia necdum scitis, utrum sit commutata, an per verum regem & dominum maneat inlibata. Ista enim commutatio, quam vos dicitis juxta rerum opportunitatem factam, inde cognoscitur quia non fuerit per Deum, quia multorum peccatorum origo existit. Illud namque quod per voluntatem Dei fit, plerumque causa est & pressuræ & persecutionis, sicut factum est adversum sanctos apostolos, & martyres, qui non propter aliud passi sunt, nisi propter defensionem & confirmationem evangelicæ veritatis; causa autem peccatorum & scelerum esse non potuit, sicut vestra divisio est, quam dicitis fuisse opportunam. Deinde, quod grandi supercilio dicitis, quia si reverenter venerimus ad imperatorem, per ipsum cognoscemus omnem rei veritatem, quare opportune & utiliter mutata sit divisio, hoc loqui cogit vos magnitudo superbiæ, æstimantes solos vos posse rerum cognoscere causas. Vere dico vobis, quia non solum stultus, sed & infelix est, qui non intelligit quantos & quales fructus malorum protulit vestra commutatio, & de cujus thesauro maligni cordis processit, & pro qua re vos laudatores & defensores estis hujus malignitatis.

Deinde subjungitis, quia nisi secundum vo-

APPENDIX TOM. VII. luntatem vestram venero, non habeo ecclesias vestras consentaneas, sed in tantum contrarias, ut nihil mihi in vestris parochiis agere vel disponere liceat, nec quempiam excommunicare vobis obsistentibus. Vere verum est, quod veritas dicit: *Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala* (Matth. 12.) Quare mihi contrarii cum ecclesiis vestris esse debetis in legatione pacis, & unitatis, quod Christi donum & ministerium est? An ignoratis angelorum cantu promissam esse pacem in terra hominibus bonæ voluntatis? (Luc. 1.) per apostolum autem, *tribulationem & angustiam in omnem animam hominis operantis malum?* (Rom. 2.) Hic apparet, quod congruat vobis illud quod scriptura dicit: *Arma & gladii in via perversi.* (Prov. 22.) Vos conamini obsistere perversitatibus vestris nobis, qui legatione fungimur pacis. Nam quicumque inter vos membra Christi sunt, non eum potestis abscindere a corpore capitis, quod est Christus. Nam etsi vos datis operam separandi a corpore vos ipsos: tamen sicut semper fuit, est, & erit, ut unguentum illud, (Spiritus videlicet sanctus, qui descendit a capite Christi in barbam, quæ est apostolorum chorus, & de barba in oram vestimenti, quæ est capitium tunicæ, ecclesiæ scilicet Christi, quod capiti caput, ut inhabitet Christus per fidem in corde ejus) in omnibus ubique fidelibus servet unitatem spiritus in vinculo pacis. Hæc idcirco dicimus, ut noveritis non vos posse dividere ecclesiam Gallicanam & Germanicam ab unitate tunicæ, quæ subjacet capitio, sublimioribus videlicet membris ecclesiæ, qui proximiores sunt barbæ, apostolis scilicet, ac per hoc apostolicis sedibus: sicut barba non potest esse nisi in capite. Deinde dicitis, rem ridiculam subinferentes: *Et quod potius tacere quam dicere malnimus, si autem non egeritis, assensum consilio nostro non præbueritis, honoris vestri periculo subjacebitis.* Si potius maluistis, id est, magis voluistis tacere, quam dicere: quare non tacuistis? Consuetudo est in vobis ut id quod minus est, vincat quod majus est? Major voluntas extitit in vobis tacere, minor autem dicere: & tamen minor vicit majorem. Credendum est omnino, quoniam in discordiarum amatoribus victrix est cupiditas, victa continentia. Illud vero quod minari vos cognoscimus periculum gradus, quis explicare poterit quantum sit absurdum, quantumque inconveniens & stultum? cum vestra comminatio non sit propter crimen, homicidium scilicet, sacrilegium, aut furtum, vel aliquid hujusmodi; sed nisi ita venerimus, sicut ipsi vultis. Cui rei in argumento adjungitis juramentum: & non recordamini erubescentes, quia perjuri pejeratum degradare non possunt, etiamsi essem. Denique vos non me scitis esse pejeratum. De vobis autem nemo qui dubitet hoc esse. In hac re memor esse debuerat solertia vestra, quia quicumque cloacam commovet, quanto amplius commoverit, tanto ampliorem fœtorem exhalari facit.

Quod autem de sequentibus me fratribus & coepiscopis similiter promittitis agendum, & additis, *inretractabiliter*: miranda in hoc præsumptio vestra cognoscitur. Numquid quod in parte agitur, retractari apud universitatem non poterit? Numquid quod apud homines a rectitudine deviantes agitur, apud meliores, recti videlicet tenaces, retractari non debet? aut quod in præsenti malitiose judicatur, Dei judicio retractandum non erit? Quod vestræ minæ continent, numquam adhuc ab initio ecclesiæ factum est. Nam etiamsi ego fuissem perjurus: aptandum vobis erat illud evangelicum: *Neque tu times Deum, cum in eadem damnatione sis?* (Luc. 23.)

CONCILIUM BITURICENSE,

In quo Ebonis archiepiscopi Remensis depositio approbata fuit.

Anno Domini circiter DCCCXLII.

ANNO CHRISTI circiter 842.

Hujus synodi notitiam, ait Petrus De la Lande, debemus Hincmaro, qui tam in Suessionensi III. quam in epist. XXIII. ad Egilonem archiepiscopum Senonensem scripta, ut depositionem Ebonis Remensis probaret, legitimam fuisse asserit, his verbis: Synodum provinciæ Bituricensis per manus Raginelmi Tornacensis episcopi ostensam fuisse, cui præsedit Rodulfus, manibus eorum subscriptam, in qua ab ipsis qui interfuerunt, & ab Aiulfo, qui unus fuit de judicibus Ebonis, audierunt, comprobatum fuit eundem Ebonem regulariter fuisse depositum. *Quod autem anno* DCCCXLI. *hanc synodum assignat idem, & certam esse contendit epocham, ex eo quod Carolus Calvus in ea civitate pridie Idus Ianuarii, Indict. IV. anno 1. regni sui privilegia ecclesiæ Nivernensis confirmaverit: non æque ipsi assentior, si vera & certa monumenta sunt, ex quibus in patriarchio Bituricensi asseritur, Rodulfum qui huic concilio præfuit, sedere cœpisse anno* DCCCXLII.

CONCILIABULUM VENETICUM.

ANNO CHRISTI 846.

Nomenojus Britonum princeps, cum episcopos quatuor Britanniæ e suis pepulisset sedibus, eorum episcopatus quatuor in septem divisit, episcopos ad nutum suum alios elegit, archiepiscopum iis præfecit unum, cujus in Dolensi monasterio sedes: convocatisque pseudoepiscopis istis regem inungi se fecit. Cujus rei narrationem ex veteri codice MS. descriptam habes Tomo VIII. sub finem.

EX NOTIS PETRI DE LA LANDE.

Cum patres synodi Suession. III. habitæ ann. Christi DCCCLXVI. & Caroli Calvi XXVII. in synodica ad Nicolaum papam, affirment jam XX. adesse annum, quo sedi Turonicæ nullo pacto se subdant: hinc concilium istud adscribimus, ann. Christi DCCCXLVI. & Caroli Calvi VII.



FINIS Appendicis Tomi VII.

LVTETIÆ PARISIORVM.

Impensis
GEORGII IOSSE,
DIONYSII BECHET,
GVILLELMI LE BE,
GABRIELIS & NICOLAI CLOPEIAV,
PETRI LE PETIT,
Viduæ EDMVNDI MARTIN,
LVDOVICI BILLAINE,
GODEFRIDI MARCHER,
IOANNIS DVPVIS,
SEBASTIANI MABRE-CRAMOISY,
IACOBI PIGET,
viâ Iacobæâ.

M. DC. LXXI.

